ACTA
ORDINIS MINORUM

ACTA
ORDINIS MINORUM

VEL AD ORDINEM QUOQUO MODO PERTINENTIA

IN LUCEM EDITA

IUSSU ET AUCTORITATE

RMI P. BERNARDINI A PORTU ROMATINO

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM MINISTRI GENERALIS

IN COMMODUM PRAESERTIM RELIGIOSORUM SIBI SUBDITORUM

Veritatem facientes in charitate.
EPH. 4. 15.

ANNO I.



ROMAE
TYPIS MONALDI ET SOC.
1882

ACTA
ORDINIS MINORUM

PROGRAMMA

—

Ad Capitula Generalia, quae ab ipso Ordinis nostri exordio saepius statutis temporibus celebrabantur, Provinciarum superiores, ubicumque a Ministro Generali fuerat constitutum, conveniebant, non solum ut de electione Superiorum Generalium ac de rebus totum Ordinem concernentibus agerent et deliberarent, sed etiam ut se invicem viderent et consolarentur atque notitiam exhiberent de singularum Ordinis Provinciarum statu et conditione, et ad mutuam charitatem fraternam ac regularem observantiam sese excitarent. Absque dubio ista Capitula multum utilitatis Ordini nostro semper attulerunt.

Verumtamen nunc iam vigesimus annus decurrit, ex quo ob infausta temporum adiuncta Capitulum Generale Ordinis nostri, licet semper desideratum, haud potuit celebrari.

Rmus P. Minister Generalis et Definitorii Generalis Patres haec animo revolventes, opportunum duxerunt, ut a Definitorio Generali deinceps publicatio periodica subinde fieret et ad singulas Ordinis Provincias earumque Conventus mitteretur ad Religiosorum nostrorum, praesertim Sacerdotum, instructionem.

Primum fasciculum praefatae publicationis Confratribus nunc offerentes, pauca verba censuimus praemittenda. Materiae a nobis communicandae sub sequentibus titulis continentur:

1.° *Acta Pontificia* seu *Romano-Seraphica;* - litteras scilicet encyclicas Summi Pontificis et Decreta Ss. Congregationum ad regularem disciplinam praesertim spectantia, et potissimum Ordinem nostrum concernentia dabimus.

2.° *Acta Ordinis* regimen respicientia; sub quo titulo exhibebimus litteras circulares Ministri Generalis eiusque ordinationes ad totum Ordinem directas, et celebrationem Capitulorum Provincialium, atque neo-Provinciales et Definitores indicabimus.

3.° *Missiones*, ubi agemus de nostris Missionibus, earum necessitatibus sive quoad operarios, sive quoad materiales indigentias, et nomina Missionariorum, qui singulis annis ad varias Missiones destinantur, et quando expedire videbitur, eorum litteras compendiose, ad omnium Confratrum aedificationem, referemus. Quamobrem Confratribus Missionariis commendamus, ut parvam relationem de statu respectivae Missionis subinde nobis transmittere velint.

4.° *Bibliographia :* Enumerabimus omnia et singula opera ab Ordinis Religiosis exarata, quocumque idiomate,

quoties in lucem prodierint, vel iterum typis mandata fuerint. Quod ut melius fieri possit, Ordinis nostri Scriptores semper unum saltem exemplar editi operis nobis transmittere satagant.

5.° *Necrologia*, in qua tamen illorum dumtaxat Confratrum nomina recensebuntur, qui insignis aut pietatis aut scientiae aut officii praestantia excelluerunt. Quare Ministri Provinciales in occurrentibus casibus nos certiores reddere faveant.

Ex dictis satis patet, istius publicationis fasciculos iure nos posse vocare *Acta Ordinis Minorum,* quia nihil aliud sunt et esse volunt, quam simplex collectio vel compilatio actorum Ordinem nostrum respicientium.

Speramus autem, fore, ut ista *Acta* non modicam utilitatem Confratribus nostris sint allatura. Ordo enim noster Seraphicus, luctuosis praesertim hisce temporibus, strictiori cum capite suo indiget communione. Hanc unionem membrorum cum capite fovebunt *Acta* vitamque Seraphicam, quae a Successore S. Francisci dimanat, omnibus Provinciis abundantius et frequentius suppeditabunt. Summi Pontificis oracula et adhortationes et Ss. Congregationum decisiones, quae in dissitis praesertim Provinciis saepe ignorantur, per hierarchicum ordinem, sicuti fidelibus per Episcopos suos, communicabuntur. Inter singulas Ordinis Provincias saepius ad invicem extraneas earumque Rectores fraternae relationes evadent faciliores. Fratrum pro Missionibus sustentandis vocationes fovebuntur zelusque promovebitur ipsorumque Missionariorum necessitates saepius ignotae manifestabuntur Confratribus, ut orationes suas et fidelium eleemosynas caritative procurent. Ordinis Scriptorum opera, quae saepius auctoris Provinciae vel regionis, in qua eduntur, limites non transeunt, et vix in ceteris regionibus noscuntur, per *Acta* in universo Ordine promulgabuntur, ad maiorem Dei gloriam et animarum utilitatem.

Vidi et adprobavi.
Romae, ex Aracoeli, die 14 Ian. 1882.
FR. BERNARDINUS MIN. GEN.

OBSERVANDA

1. Fasciculi saepius aut rarius edentur, prout materiae publicandae quantitas et qualitas postulabunt.

2. Expensae pro imprimendis et transmittendis fasciculis a Curia Generali solventur ex spontaneis eleemosynis a singulis Provinciis ad hunc finem absque dubio libenter oblatis.

3. Cupientes, ut quilibet Ordinis Conventus unum saltem exemplar recipiat, Ministros Provinciales rogamus, ut nos certiores reddere velint de numero exemplarium ad ipsorum respective Provinciam mittendorum.

4. Singulos pariter Provinciales rogatos volumus, ut *numerum* Patrum et Fratrum anno 1881 in eorum Provincia defunctorum, sicuti *numerum* eorum, qui eodem anno in Provincia ad Ordinem pro Clerica-

tu et laicatu admissi sunt, nobis communicent.

5. Denique *numerum* Patrum et Fratrum, clericorum et laicorum, in singulis Provinciis respective existentium nobis indicare faveant.

6. Epistolae *Acta* concernentes vel ad Rmum P. Ministrum Generalem, vel ad Secretarios Generales vel ad quemcumque Definitorem Generalem dirigi possunt.

7. Scriptores nostri Ordinis opera edita nobis pro promulgatione transmittendo simul pretium indicent, quo apud respectivum bibliopolam emi possint.

8. Pro illis libris comparandis, qui in Curia Generalitia Aracoelitana extant, loco solutionis faciendae, - quibus ita arriserit, - congruus celebrandarum missarum numerus assignari poterit.

9. Eodem modo, praesertim a Confratribus extra Conventum degentibus, eleemosyna contribui poterit pro associationis sumptibus.

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM

Aretina, confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Fr. Ioanni de Alvernia *Ordinis Minorum S. Francisci Sancto et Beato nuncupato.*

In Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, hodierna die ad Vaticanum coadunato, ab Emo et Rmo Cardinali Aloysio Oreglia a Sancto Stephano Causae supradictae Ponente proposito Dubio: « *An sententia* « *Iudicis delegati a Rmo Episcopo Aretino super* « *Cultu ab immemorabili tempore praestito prae-* « *fato Servo Dei, seu super casu excepto a* « *Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit con-* « *firmanda in casu et ad effectum de quo agi-* « *tur?* » Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, rescribendum censuerunt: « *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam* ». Die 12 Iunii 1880.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit die 24 iisdem mense et anno.

D. Card. Bartolinius S. R. C. Praefectus

Loco † Sigilli

Placidus Ralli S. R. C. Secretarius.

(Ulteriori tempore dies fixa pro festo indicabitur.)

—

DECRETUM

quo novae lectiones historicae pro festo S. Thomae Aquinatis Doctoris et Catholicarum scholarum Patroni universo Clero praecipiuntur.

URBIS ET ORBIS.

Superiore anno Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per Apostolicas Litteras in forma Brevis sub die 4 Augusti datas, quamplurium Dioecesium sacrorum Antistitum aliorumque Virorum scientia, pietate atque ecclesiastica dignitate eminentium votis obsecundans, ex sacrorum Rituum Congregationis consulto Angelicum Doctorem Sanctum Thomam Aquinatem cunctis Catholicis Universitatibus studiorum, Academiis, Lyceis et Scholis peculiarem apud Deum dedit patronum. Quo autem huiusmodi solemnis actus in sacra quoque liturgia perennis extaret memoria, Sanctissimus idem Dominus Noster voluit, ut tam in Lectionibus historicis Breviarii quam in Martyrologio mentio de hoc fieret; quod Sacrorum Rituum Congregationi exequendum commisit. Hinc ad mentem Sanctitatis Suae novae Lectiones historicae necnon addenda ad elogium in Martyrologio elucubrata sunt, quae a me in-

frascripto Cardinale Sacrae eidem Rituum Congregationi Praefecto subsignata die exhibita, prouti huic praeiacent Decreto, idem Sanctissimus Dominus Noster suprema auctoritate sua approbavit, mandavitque ut ea ab universae Ecclesiae Clero tum Saeculari tum Regulari, haud excluso Praedicatorum Ordine, in posterum recitari debeant, suppressis omnino Lectionibus secundi Nocturni in Officio praefati Sancti Doctoris hucusque adhibitis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 Octobris 1881.

D. Card. BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus.

L. ✝ S.

Pro R. P. D. Placido Ralli Secretario

Ioannes Can. Ponzi Substitutus.

Novae lectiones de quibus agitur singulis Provinciis iam fuerunt transmissae. Si quis tamen Minister Provincialis illas non receperit, easdem a Curia *Ministri Generalis* petere faveat, statimque recipiet.

—

DECRETUM S. C. INDICIS

Feria II die 5 Decembris 1881.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 5 Decembris 1881 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Die Thomas — Encyclica Leo's XIII vom 4 August I879, Vortrag gehalten zu Bonn am 14 Februar 1880 von Professor Dr. Peter Knoodt. Bonn 1880. *Latine*: Oratio, quam Professor Dr. Petrus Knoodt die 14 Februarii 1880 circa Encyclicam Thomisticam Leonis XIII die 4 Augusti 1879, Bonnae habuit. Bonnae, 1880.

Anton Günther. Eine Biographie von Peter Knoodt. *Latine:* Vita Antonii Günther. Auctore Petro Knoodt. Vol. 2. Viennae, 1881.

Siciliani Pietro, Professore di filosofia e Incaricato del corso pedagogico nell' Università di Bologna. Sull' insegnamento religioso ai bambini secondo i dettami della filosofia scientifica. Quarta edizione riveduta ed aumentata. Bologna, Nicola Zanichelli libraio-editore-tipografo, 1881.

— La scienza nell' educazione. Seconda edizione, interamente rifusa, accresciuta e col ritratto dell'autore. Bologna, Nicola Zanichelli libraio-editore-tipografo, 1881.

Auctor (Bombelli Rocco) *Operum, quorum titulus:* L' infallibilità del Romano Pontefice ed il concilio ecumenico Vaticano, dialogo fra un teologo ed un razionalista. Milano, 1872. — Storia critica dell' origine e svolgimento del dominio Temporale dei Papi scritta su documenti originali ed autentici. Roma 1877, prohib. *Decr. 12 Iul. 1877, ante mortem laudabiliter se subiecit et Opera reprobavit.*

Die et mense praedictis proposita fuerunt sequentia dubia:

1. Utrum libri ad Sacram Indicis Congregationem delati et ab Eadem dimissi seu non prohibiti, censeri debeant immunes ab omni errore contra fidem et mores.

2. Et, quatenus negative, utrum libri dimissi seu non prohibiti a Sacra Indicis Congregatione, possint tum philosophice tum theologice citra temeritatis notam impugnari.

Eadem Sacra Congregatio respondit:

Ad I.um Negative.

Ad II.um Affirmative.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis SANCTITAS SUA Decretum et dubiorum resolutionem probavit, et promulgari praecepit: In quorum fidem etc.

Datum Romae die 28 Decembris 1881.

FR. THOMAS M. CARD. MARTINELLI Praefect.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed., S. Ind. Congr. a Secretis.

Loco ✝ Sigilli.

Die 30 Decembris 1881 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia *Mag.* Curs.

DECRETUM

pro Religiosis in Gallia nuperrime suppressis.

Cum Regulares Ordines ac pia Instituta tantopere de re christiana ac civili Societate benemerita etiam in Gallia haud levia, luctuosis hisce temporibus, passa fuerint detrimenta, S. haec Congregatio Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, de expressa Apostolica Auctoritate, necessariis et opportunis instructionibus Generales illorum Moderatores munire haud praetermisit. Etenim ad Religiosos eiusdem Regni vi maiori e claustris eiectos, quod iam S. Poenitentiaria pro Regularibus Italiae constituit, extendendum ita esse existimavit; « Curandum nempe esse « pro viribus ut Regulares expulsi a propriis « Conventibus in alios Conventus collocentur « ac recipiantur. Quatenus vero Regulares « expulsi, praesertim ob defectum domorum, « alibi collocari nequeant, concurrentibus gra- « vibus iustisque causis, super quibus conscien- « tia Superioris Generalis graviter onerata re- « maneat, ipse Superior Generalis Apostolica « Auctoritate eisdem indulgere poterit, ut ma- « nere valeant extra Claustra sub obedientia « Ordinarii Loci tamquam saecularizati ad tem- « pus et ad nutum S. Sedis ac ipsius Supe- « rioris, in habitu Religioso, ac etiam quate- « nus ita ferat necessitas in habitu Presbyteri « saecularis quoad Sacerdotes, et in habitu « laicali modesti coloris quoad Laicos seu Con- « versos, retento tamen interius aliquo signo « habitus religiosi, servatis quantum fieri po- « test substantialibus votorum, ac relaxatis Re- « gulis quae cum novo eorum statu minime « fuerint compatibiles ». Cum vero ex huiusmodi Religiosis extra Claustra commorantibus haud pauci inveniantur, qui adiutricem manum Ordinariis utiliter praebere possunt in animarum salute procuranda, haud abs re visum est, ut ii interim, donec praesentia rerum adiuncta perduraverint, in vinea Domini excolenda mandatis Ordinariorum sub quorum obedientia vivunt obtemperent, cum quoad ea quae sacrum ministerium, tum praecipue quoad ea, quae curam animarum respiciunt. Quare SSmus Dominus Noster Leo divina providentia PP. XIII, cui relatio de hac re facta est ab infrascripto Secretario praedictae Sacrae Congregationis in Audientia diei 29 Iulii curr. anni 1881, perpensa universa rerum ratione, declarandum ac statuendum esse censuit, prout praesentis Decreti tenore declaratur ac statuitur, Regulares in Gallia e claustris expulsos ac sub obedientia Ordinariorum constitutos tamquam saecularizatos ad tramitem suprascriptae Instructionis, durantibus praesentibus rerum adiunctis, eisdem Locorum Ordinariis in quorum dioecesi commorantur, etiam in muneribus sacri ministerii obeundis, ac praesertim in cura animarum exercenda obedire omnino teneri, et idipsum Sanctitas Sua intelligendum esse voluit de Alumnis piorum Institutorum seu Congregationum votorum simplicium, qui suppressionis causa in eadem Regularium conditione versantur. Constitutionibus Apostolicis ac proprii Ordinis vel Instituti aliisque in contrarium facientibus etiam speciali ac individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 30 Iulii 1881.

I. Card. Ferrieri Praef.

I. B. Agnozzi Secret.

Quoad praedictum Decretum nonnullae difficultates obortae sunt, quae eiusdem Sacrae Congregationis Secretario fuerunt propositae.

Ex responsis iam dicti Secretarii Procuratori nostro Generali oretenus factis, notandum est, quod declaratio SS. D. N. Leonis XIII afficit tantummodo Regulares e claustris expulsos et tanquam saecularizatos ad tempus virtute specialis facultatis superioris Generalis; ideoque Religiosi qui in diversis Conventibus tamquam proprietarii civiles servati fuerunt, et illi etiam qui in domibus particularibus coadunati quatuor vel tres vivere potuerunt, sub obedientia proprii superioris regularis remanserunt.

II.
ACTA ORDINIS

—

EPISTOLA ENCYCLICA RMI MINISTRI GENERALIS

—

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROVINCIAE EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
S. R. C. CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

Dilectissimis Nobis in Christo Patribus et Fratribus nostrae iurisdictioni subiectis vitam, salutem et consolationem a Deo Patre; per Iesum Christum, in Spiritu Sancto.

Luctuosa temporum conditio et vestra erga me benevolentia, de qua testimonium perhibuerunt digniores Ordinis Patres qui apud me sunt, non mea merita, in causa fuerunt, filii carissimi, cur Summus Pontifex *peropportunum existimaverit* ut, me *in munere Ministri Generalis Ordinis permanente ad nutum et beneplacitum S. Sedis, ad electionem deveniretur Officialium Curiae Generalitiae per schedas clausas et obsignatas, coram Emo Protectore Ordinis aperiendas, ac Sanctitati Suae per Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium negotiis praepositam referendas.*

Quibus accurate peractis, eadem S. Congregatio Decreto suo sub die 11 Aprilis currentis anni 1881 edixit, factas a PP. Vocalibus electiones fuisse a Summo Pontifice adprobatas et confirmatas ad nutum et beneplacitum S. Sedis Apostolicae.

Quoniam vero *Sanctitas Sua mandaverat, ut omnes ad praefata munera electi et confirmati ad almam Urbem omnino se conferrent, et in Curia Generalitia residerent*, duo autem ex electis declararunt, se ob infirmam valetudinem nullo modo posse Romam venire, alius vero ad Archiepiscopalem dignitatem interea temporis promotus fuit; idcirco, auctoritate Summi Pontificis, per Rescripta S. Congregationis sub die 11ª Augusti et 23ª Septembris, alii in eorum locum suffecti fuerunt.

Ecce igitur electorum nomina:

Procurator Generalis Ordinis

Adm. R. P. *Andreas Lupori*, Lector Iubilatus, Obs. Prov. Tusciae ex Minister.

Procurator Generalis Reformatorum

Adm. R. P. *Saturninus a Modiona*, Lect. Theol. Ref. Prov. Tusciae, ex Secretarius Generalis Strictioris Observantiae.

Procurator Generalis Recollectorum et Discalceatorum

Adm. R. P. *Ioannes Ioseph a Virgine Perdolente*, Lect. Theol. et ex Minister Prov. Discalceatorum Lyciensis.

Definitores Generales

Adm. R. P. *Thomas ab Urbe*, Lect. Iub. et Obs. Romanae Prov. ex Minister. (1)

Adm. R. P. *Franciscus De Blasi*, Lect. Iub. et actualis Minister Observantis Provinciae Vallis Mazzariae.

Adm. R. P. *Raphaël ab Aurilaco*, act. Minister Obs. Provinciae S. Ludovici Episcopi in Gallia.

Adm. R. P. *Angelus a Caserta*, Lect. Iub. Obs. Prov. Neapolis et Terrae Laboris.

Adm. R. P. *Marcellinus a Civetia*, Lect. Iub. Obs. Provinciae Genuae.

Adm. R. P. *Eusebius Fermendzin*, Lect. Theol. Obs. Prov. S. Ioannis a Capistrano. (2)

Adm. R. P. *Victorinus a Fusiniano*, Lect. Em. Ref. Prov. Bononiae.

Adm. R. P. *Daniel a Bassano*, Lect. Em. Ref. Prov. Umbriae.

Adm. R. P. *Gaudentius Guggenbichler*, Lect. Theol. Ref. Provinciae S. Leopoldi Tyrolis Septentrionalis.

Adm. R. P. *Carmelus a Neapoli*, Lect. Em. Ref. Prov. Neapolis et Terrae Laboris.

Adm. R. P. *Aloysius Lauer*, Custos Recoll. Custodiae Thuringiae.

Adm. R. P. *Iacobus Lardani*, Obs. Provinciae Marchiae, actualis Guardianus Collegii Apostolici de *Tarija in* Bolivia. (3)

(1) Primum electus fuerat Adm Rev. *P. Anacletus a S. Felice*, qui paulo post a Summo Pontifice Archiepiscopus Emesensis i. p. i. et Vicarius Apostolicus Aegypti renuntiatus est.

(2) Electus in locum Adm. *R. P. Cosmae Brinnich*, ejusdem Provinciae, qui declaravit, se non posse ob infirmam valetudinem ad Urbem accedere.

(3) Maior pars suffragiorum obtigerat R. P. *Isaiae Nardocci* ex Commissario Genli in Republica Chilena; sed cum ipse sit filius Ref. Prov. Umbriae, ex qua alius Definitor Genlis iam assumptus fuerat, nempe Adm. R. P. Daniel a Bassano, ideo SSmus Pater in eius locum nominaverat R. P. *Abrahamum Arganaraz*, ex Ministrum Prov. Obs. Rivi Platensis. Quo tamen exorante

Nunc paucis, quantum res patitur, Vos alloquar, Patres, Fratres, Filii dilectissimi; et animum meum vobis fidenter aperiam.

In primis, Deus scit quia non mentior, Vos omnes et singulos sincera charitate in Christo Iesu complectens, dilexi semper et diligam; neque ullo unquam pravo animi motu, Deo auxiliante, in Ordinis regimine abreptus fui aut abripiar. Potui quidem in errorem induci, potui forsan immerentem aliquando contristari; sed profecto nunquam sciens, numquam volens, semper diligens. Et si qui me eorum patrem contristati sunt, non ideo minus dilexi aut diligo; tantummodo Deum exorans ut illos illuminare, et in rectam viam, etiam percussionibus, si necesse sit, atterendo, reducere dignetur, ut salvi fiant in die Domini Nostri Iesu Christi.

Hunc vero, quem Deus cordi meo indidit, paternae dilectionis affectum, singulorum saluti consulentem, plane nosse potuerunt praesertim eae Ordinis Provinciae, quas per transactum duodennium visitavi. Non enim subterfugi quo minus ubique, annuntiarem omne consilium Dei, et S. Regulae ac regularis disciplinae observantiam urgerem, atque ad meliora charismata aemulanda excitarem. Quod si non omnes Provincias perlustrare, vel aliquibus in locis non omnia quae mihi proposueram assequi potui, non voluntatis defectui, sed temporum asperitati tribuendum est, et inscrutabili iudicio Dei, in cuius manu sunt tempora et momenta, est permittendum.

Sed tamen quot et quantas animi consolationes ex Fratrum Visitatione hauserim dicere, non valeo. Florentes profecto et numero et exacta ad S. Instituti leges observantia, et operosa in sacris ministeriis obeundis assiduitate, Provincias Germaniae, Galliae, Belgii, Tirolis inveni, plurimosque in iis Provinciis Fratres doctrina, pietate, actione apostolica praestantes, quos reliquus Ordo ignorat, et ego ipse, antequam ad Visitationem accederem, non plene noveram. Atque utinam revolutionis turbo succrescentia in dies seraphica germina e Galliae et Germaniae solo non divulsisset! Quid non sperandum ab ipsis, si pacifice in natali solo vegetari licuisset? At nihilominus dicere audeam: Quanto plura ab ipsis speranda sunt, qui in ipso iuventutis flore pati fortiter edocti, exilium, ne sanctae vocationi et officio suo deessent, libenti animo praetulerunt! O valete in Christo, quotquot estis, filii dilectissimi, exules in Statibus Americae Foederatis, in Anglia, in Hispania, in Hollandia, in Belgio, in Missionibus: gaudete, quoniam digni habiti estis pro Nomine Iesu persecutionem pati; et sic agite, ut tribulatio vestra vestram sanctificationem perficiat, atque ad populorum, inter quos versamini, aeternam salutem concurrat.

In Provinciis quoque Italiae, ubi et quo modo fieri potuit, aliquid pedetentim factum est. Cum enim non eadem sit omnium locorum in ipsa Italia conditio, neque idem, ut verum fatear, fuerit, iam ante suppressionem, spiritus religiosae observantiae et disciplinae in omnibus Provinciis, hinc factum est, ut alicubi potuerim paternam Visitationem peragere, et, cum gratia Dei, concurrentibus voluntate et opera Superioribus et subditis, Postulantium Collegia instituere, novitios recipere, studiorum cursus aperire, regularem vitam instaurare; in aliis autem Provinciis nec omnia assequi, neque etiam quidquam pertentare mihi licuerit.

Heu, heu, quantam animarum ruinam suppressio ac dispersio Religiosorum congessit! Permulti fuerunt ac sunt qui, ex claustris exturbati, saeculo tenacius adhaeserunt, et professionis suae obliti, sibimetipsis illudentes, libertati et commoditati propriae indulgentes, carnis et sanguinis affectibus illigati, cumulandae pecuniae desiderio ac studio abrepti, perdiderunt et perdunt animam suam, et in infernum descenderunt ac descendunt! Mementote, filii charissimi, religionis vota, quae olim Deo nun-

ne oblatum munus, propter impares corporis vires, suscipere cogeretur, Summus Pontifex *P. Iacobum Lardani* suffecit.

In Secretarios Generales fuerunt assumpti sequentes Patres:

Secretarius Generalis Ordinis

Adm. R. P. *Petrus a Monsano*, Ex Min. prov. Obs. Prov. Marchiae.

Secretarius Generalis Reformatorum.

Adm. R. P. *Aurelius a Decimo,* Lect. Theol. Custodiae Lucensis, Ex. Com. Gen. Confoederat. Argentinae.

Secretarius Generalis pro Missionibus.

Adm. R. P. *Mauritius a Venetiis*, Provinciae Obs. Romanae.

cupastis, etiam nunc, quamvis dispersos et extra claustrum, praeter voluntatem vestram, commorantes vos obligare: mementote, pecuniarum affectum, qui omnibus christianis interdicitur, vobis potissimum, qui sanctam paupertatem in Seraphico Ordine nostro professi estis, severius esse interdictum, et esse principaliorem causam perditionis multorum: mementote, si quid, dum extra claustra versamini, honestis laboribus vestris acquiritis, non esse vestrum, neque parentum vestrorum, sed Ordinis, cuius filii estis, ideoque gravem obligationem vobis incumbere disponendi, etiam per actum ultimae voluntatis, ut, secundum instructiones et ordinationes Congregationis, omnia quae habetis ad Ordinem perveniant.

Porro quibus, Deo auxiliante, ad claustrum reverti, et cum Fratrum communitate regularem vitam iterum agere datum est, sciant, se nullo modo posse (uti per se patet, et prouti alias, audito S. Congregationis Episcoporum et Regularium Emo Card. Praefecto, declaravi) uti ac frui illis concessionibus, quas s. m. Pius PP. IX Religiosis suppressis indulserat; sed debere omnes peculium, si quod habent, iuxta leges in qualibet Provincia statutas, deponere, pensionem civilem cum eleemosynis Conventus unire, et perfectam vitam communem servare. Nisi enim Conventus et Provinciae in perfecta vita communi, et regularis disciplinae observantia instaurentur, quid boni ex eorum instauratione sperandum foret? Nonne potius timendum esset, flagellis, quibus contriti sumus, alia et graviora flagella severissimo Dei iudicio superaddi? Melius est ut pereant omnino, quam ut ad vitam sine vita revocentur.

Quod si, e contra, sanctae Regulae, praesertim quoad paupertatem ,et regularis disciplinae observantia severius restituatur, illico coeli et terrae benedictionibus replebimur. Constanti namque nostra et omnium Ordinum Regularium experientia docemur, semper, ubi sancta et severior observantia viguit, eo plurimos affluxisse iuvenes habitum postulantes, eleemosynas abundasse, animorum concordiam perfecte servatam fuisse, Deumque exinde religiosos viros potentes opere et sermone suscitasse, qui universam ecclesiam Dei scientiae splendore et virtutum fulgore illustrarunt. Qua de causa, nonnullis Provinciis, praesertim in Imperio Austriaco, conquerentibus, se veluti ad nihilum redactas fuisse, et brevi ex numero Provinciarum Ordinis disparituras esse, dicere haud vereor: Restituite veterem disciplinam, severiorem sanctae Regulae nostrae observantiam revocate, et in nomine Domini ego vobis promitto, frequentiorem iuvenum turmam divinitus vocatam ad vos proxime esse venturam.

Quod, ut quantocius contingat, ea etiam de causa summis votis a Domino postulo, ut Missionibus nostris, quae in gravissima operariorum necessitate versantur, subvenire possim. Etenim fere quotidie ex omnibus locis Missionum Vicarii Apostolici, Praefecti, Commissarii Generales, Collegiorum Guardiani suis litteris clamant ad me, ut novos operarios mittam, et senio detritis,atque infirma valetudine laborantibus alios validiores substituam, ne, ob penuriam Sacerdotum, pereant tot animae sive infidelium, sive haereticorum, sive catholicorum, qui, Spiritu Sancto in eis operante, nunc frequentius quam antea, petunt fidem et sacramenta; ne Missiones nostrae, nobis deficientibus, in aliorum manus, nostro cum dedecore et luctu, deveniant. Quae quidem preces et lamentationes quanta cor meum tristitia premant, Deus scit. Crudelis utique vel minus sollicitus aliquibus esse videor; sed quid faciam cum Provinciae Italiae, ex quibus olim fere omnes Missionarii assumebantur, iam a viginti annis sint suppressae, et vix una aut altera modo incipiat novam vitam exserere? Subsidium quidem a Provinciis quae ultra montes sunt postulavi, nec frustra: nam a Belgio, a Germania Inferiori, ex Gallia, ex Tyroli, optimi iuvenes ad Missiones nostras perrexerunt. Sed necessitas adhuc urget: et non possum quin iuvenes, sicubi sunt, bonae voluntatis, et zelo salutis animarum flagrantes, etiam atque etiam excitem ad Missiones adeundas; Superioribus vero Provincarium, qui saepe difficiles se praebent dimittendis iuvenibus ad Missiones quia in suis Provinciis Sacerdotum penuria laborant, non possum quin dicam: Si ad salvandam vitam corporis proximi vestri dimidium panis, quem habetis, largiri profecto non dubitatis, cur ad vitam animae aeternam miserrimis populis comparandam unum Sacerdotem, saltem alternis annis, Missionibus destinare renuetis? Fidite Deo; et Ipse reddet vobis cum fructu quid-

quid pro ejus gloria, et ad decus Ordinis servandum impendetis.

Ut autem magis ac magis omnes Fratres nostri ad amorem Ordinis excitentur, et ad mutuam charitatem fovendam inflammentur, prout uberiorem de rebus ac personis notitiam habuerint, de consilio et consensu Patrum Nostri Rmi Definitorii, statuimus in lucem edere periodicum, quod inscribetur: *Acta Ordinis Minorum*, vel ad Ordinem quoquo modo pertinentia, in quo Litterae encyclicae, Decreta, Decisiones, notitiae Provinciarum et Missionum, Bibliographia, Necrologiae, et si quae praeterea scitu digna judicata fuerint, locum habebunt. Primus fasciculus prodibit mense Januario proxime insequenti; reliqui, absque temporis determinatione, quandocumque materia praesto erit ad fasciculum componendum. Totidem saltem exemplaria ad unumquemque Ministrum Provincialem mittentur, quot sunt Provinciae Conventus. Rogo autem Provinciales Ministros ne eadem exemplaria, sicuti alias de aliis libris nonnulli fecerunt, apud se retineant, sed curent ut, quatenus fieri possit, ad notitiam singulorum Fratrum perveniant. Pretium nullum impono, sed grato animo accipiam quidquid sponte pro impensis impressionis Ministri Provinciales offerre voluerint.

Demum nostis, Filii dilectissimi, in hunc annum 1882 incidere septimum centenarium a nativitate Seraphici Patriarchae nostri Sancti Francisci. Congruum igitur est ut, quamvis, iuxta sensum catholicum, nativitatem celebrare nequimus, tamen, occasione commemoratae nativitatis, diem mortis, quartam scilicet Octobris, solemnius quam aliis annis ubique colere studeamus. Hinc decere arbitror ut in nostris Ecclesiis supplicationes per triduum fiant, diebus scilicet 2.ª 3.ª et 4.ª Octobris cum festivo adparatu et opportunis sermonibus. Quia vero Assisii, tum in Ecclesia Cathedrali, tum in Nostra Basilica S. Mariae Angelorum, tum in Sacro Conventu, ex Summi Pontificis dispositione, intra mensem Octobris successive triduana solemnia magna cum pompa peragi debent, et graviores impensae faciendae sunt, rogatus a *Comitatu* Civitatis, et Confratrum nostrorum necessitatem cognoscens, hortor in Domino omnes Directores Tertii Ordinis ut aliquam eleemosynam a Tertiariis nostris colligere curent, quam ad Revmum Episcopum Assisiensem pro centenariis festis in Cathedrali templo celebrandis transmittant; Ministros vero Provinciales ut, si quid pecuniae corrogare possunt, mittant ad P. Ministrum Provincialem in Conventu S. Mariae Angelorum prope Assisium residentem, ut in ea Basilica, in quo, ex antiqua traditione, Cor Seraphici Nostri Patris asservatur, solemnia festa digne valeant celebrari.

Postremo Vos omnes in Domino vehementer exhortor ut nunquam intermittatis, orationes vestras ad Deum fundere pro SS. Domino Nostro Leone Pp. XIII, ut eum Deus ad multos annos incolumem servet, eique regnanti magnum illud solatium et auxilium, cunctis optatissimum, tantisque votis exoratum, largiri tandem dignetur, ut scilicet Ecclesia, destructis adversitatibus et erroribus universis, secura frui valeat libertate. Orate etiam pro Emo Aloysio Card. Bilio, Ordinis Nostri Protectore dignissimo aeque ac amantissimo, cuius paternam benevolentiam erga nos quotidie experimur. Pro me denique orate, Dilectissimi, ut, quamdiu Minister et Servus vester sum, placeat Deo, in gratiam Vestrum, ea mihi dona et auxilia concedere, quae Ordinis Moderatori omnino necessaria esse nemo non videt.

Ita et Vobis, Filii charissimi, adsit propitius Seraphicus Pater noster, suique spiritus Vos participes efficiat, quemadmodum ego, unumquemque Vestrum paterna dilectione in charitate Christi complectens, seraphicam benedictionem Vobis omnibus, itemque devotis Sororibus secundi et tertii Ordinis, et universis qui sub obedientia nostra in Tertio Ordine Domino extra claustra famulantur, peramanter impertior.

Dat. Romae, ex Aracoeli,
in Festo Nativitatis D. N. I. C.
anno 1881.

Humilis in Dno servus
Fr. Bernardinus Min. Gen.

De mandato Paternitatis Suae Rmae
Fr. Petrus a Monsano ex Min. Prov. et Secr.
Gen. Ordinis.

Licet vix aut ne vix quidem necessaria sit talis commendatio, Ministri Provinciales et Guardiani aliive locales superiores curent, ut supradicta Reverendissimi Ministri Generalis Encyclica singulis suis subditis, praesersim ex-

tra claustra dispersis, communicetur, et ita ad omnes et singulos Confratres perveniant salutiferae Successoris Sancti Francisci exhortationes.

———

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1881 celebrata

—

Indicatis electionibus vel Institutionibus Ministrorum Provincialium et Definitorum, enumerabimus Conventus ad respectivam Provinciam pertinentes. Indicabimus autem Conventus aut in lingua regionis aut in lingua latina, vulgari nomine in parenthesi apposito. Quoad Italiae Provincias magna ex parte suppressas, designabimus Conventus, quos immediate ante suppressionem habuerunt.

Custodia Obs. Melitensis (Malta)

Virtute facultatis a S. Sede concessae, a *Rmo P. Ministro Generali* eiusque Definitorio Generali die 25 Ianuarii electi sunt:

CUSTOS REGIMINIS:

A. R. P. Antonius M. a Melita.

DISCRETI CUSTODIAE:

R. P. Ioannes Paulus a Melita.
R. P. Andreas » »
R. P. Franciscus » »
R. P. Bonaventura » »

Ad istam Custodiam spectant duo Conventus, scilicet

Valetta, S. Mariae de Iesu.
Notabile, S. Mariae de Iesu.

———

Provincia Ref. Neapolis et Terrae Laboris.

Vigore facultatum occasione suppressionis religiosarum familiarum a S. Sede concessarum, a Rmo P. Ministro Generali et Definitorio Generali die 5 Aprilis electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Antonius a Casoria.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Cherubinus a Casalnovo, Ex-Min. immed.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Ioannes a Caiazzo.
R. P. Philippus a Domicella.
R. P. Nicolaus a Neapoli.
R. P. Michael Angelus a Marigliano.

Ante suppressionem ista Provincia habuit 17 Conventus, qui sunt:

S. Petri ad Aram
S. Mariae Immaculatae *della Palma.*
S. Mariae *della Salute.*
S. Mariae *dell'Arco in Miano.*
Afragola, S. Antonii Pad.
Nola, S. Angeli.
Somma, S. Mariae *del Pozzo.*
Lauro, S. Ioannis *del Palco.*
Palma, S. Ianuarii.
Santantimo, S. Mariae *del Carmine.*
Caiazzo, S. Mariae gratiarum.
Teano, S. Antonii Pad.
Caserta, S. Luciae.
Giugliano, S. Mariae gratiarum.
Guardia, S. Francisci.
Forio, S. Francisci.
Villa S. Luciae, S. Mariae gratiarum.

(continuabitur)

III.
MISSIONES

—

NOMINA RELIGIOSORUM
QUI AD MISSIONES EXTERAS DESTINATI SUNT
Anno 1881

—

Anno proxime elapso ad Exteras Missiones Apostolicas se contulerunt sequentes Ordinis Nostri Religiosi.

I. Ad Missiones Terrae Sanctae

1. *P. Dominicus a Valle florida,* Sacerdos professus Observantis Provae S. Ludovici in Gallia.
2. *P. Laurentius ab Aurilaco,* Sac. Prof. Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia.
3. *P. Camillus ab Aleppo,* Sac. Prof. Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia.
4. *P. Prosper M. a Marennis,* Sac. Prof. Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia.
5. *P. Gulielmus ab Hollogne,* Sac. prof. Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia.
6. *P. Martinus Franciscus Antonius Romero,* Prov. Columbiae, in America.
7. *P. Norbertus Roehrscheidt,* Sac. prof. Recoll. Custodiae S. Elisabeth Thuringiae.
8. *P. Patritius Duggan,* Sacerdos prof. Observantis Provinciae Tusciae.
9. *P. Ubaldus a Reate,* Sac. prof. Reformatae Provinciae Romanae.

10. *P. Joannes Calvo,* Sacerdos professus Minorum Observantium Hispaniarum.

11. *Fr. Antonius a Cros,* laicus professus Observantis Prov. S. Ludovici in Gallia.

12. *Fr. Ioseph Perez,* Tertiarius Observantis Provinciae S. Didaci in Mexico.

13. *Fr. Maurus Kompatscher,* laicus professus Reformatae Prov. Tirolis Septentr.

15. *Fr. Thomas Szyszka,* laicus professus Reformatae Provinciae Prussiae-Posnaniae.

15. *Fr. Benedictus Vojtczak,* laicus professus Reformatae Prov. Poloniae.

II. Ad Missiones Apostolici Collegii de Potosi in Bolivia.

16. *P. Aloysius Arrosti,* Sacerdos professus Obs. Provinciae Tusciae.

17. *P. Marianus Marraccini,* Sacerdos professus Obs. Provinciae Tusciae.

18. *Fr. Octavius Marraccini,* Clericus professus Obs. Provinciae Tusciae.

III. Ad Missiones Apostolici Collegii Pacensis in Bolivia.

19. *P. Ioachim Abdal,* Sacerdos professus Obs. Collegii de Compostella.

IV. Ad Missiones Apostolicas Praefecturae Constantinopolitanae.

20. *P. Angelicus de Vitorchiano,* Sacerdos prof. Reformatae Provinciae Seraphicae.

21. *P. Leander de Vergheto,* Sacerdos professus Reformatae Provinciae Tusciae.

V. Ad Sinenses Missiones Apost. Vicariatum de Hu-pe Orientali et Hunan.

22. *P. Ioseph Antonius Schalkhammer,* Sac. prof. Ref. Prov. Tirol. septentrionalis.

23. *P. Remigius Goethe,* Sac. prof. Recoll. Prov. SS. Cordis, in statibus Unitis.

24. *P. Mauritius Robert,* Sacerdos professus Recollectae Prov. S. Ioseph in Belgio.

VI. In Oceaniam.

25. P. *Petrus Hanrahan* cum aliis quinque Missionariis nostrae Recollectae Provinciae Hiberniae perrexerunt ad Missionem Australiae. (Sidney).

R. P. Aloysius a S. Iusto, Missionarius Vicariatus Apostolici Hen-si in Imperio Sinarum in epistola die 25 Sept. 1881 ad Rmum P. Ministrum Generalem data scribit, toto tempore, quo in Missione commoratur, se numquam vidisse tantam messem tantamque simul operariorum penuriam. Asserit, permultas familias, praesertim in territorio *Kim-iam,* esse paratas ad amplectendam fidem catholicam, ac propterea summopere dolet de paucitate Missionariorum, ob quam paganorum saluti sufficienter prospici nequit. Ex multis aliis Missionibus saepissime mittuntur epistolae fere eiusdem tenoris, in quibus Superiores lamentantur propter penuriam Sacerdotum, quia fere omnes missiones egent Missionariis. Rogemus ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam!

IV.
BIBLIOGRAPHIA

De nova, quae paratur, editione omnium operum Seraphici Doctoris S. Bonaventurae.

Postquam saeculo XV et XVI plurima S. Bonaventurae opera saepius, modo seorsum, modo pluribus opusculis, sed non omnibus in una editione collectis, typis publicata sunt, tandem Summus Pontifex Sistus V omnium, quae inveniri tum poterant, horum operum collectionem primus typis Vaticanis an. 1588 imprimendam curavit, quae 1599 septem tomis in folio absoluta est. Ad normam huius splendidae editionis altera Moguntina (1609) et tertia Lugdunensis (1668) prodierunt, additis tantum non paucis mendis typographicis. Non defuerunt jam illis temporibus viri eruditi, qui novis curis meliorem editionem adornandam esse censuerunt. Ipse Lucas Waddingus molitus est locupletiorem et magis castigatam collectionem, quam tamen morte praereptus exequi non potuit. Nec editores Veneti, ab an. 1751 editionem novam 13 tomis in 4 curantes, votis eruditorum virorum satisfecerunt, immo propter intemperantiorem criticam, quam in sua *Diatriba historico-chronologico-critica,* primo tomo praemissa, adhibuerunt, et propter innumera textus menda merito censoria virga carpuntur.

Unde Rmus Minister Generalis totius Ordinis S. Francisci Petrus Iohannetius de Molina litteris datis Matriti 23 Maii 1763 P. Benedicto Bonelli a Cavalesio, Reformatae Provinciae S. Vigilii Tirolensis, iniunxit, ut novam juxta sanae criticae regulas editionem dictorum ope-

rum ardornaret. Vir ille doctissimus primo summa diligentia opus insigne composuit: *Prodromus ad opera omnia S. Bonaventurae,* quo Oudini et editorum Venetorum sententias efficaciter impugnavit; sed aetate et laboribus fractus, timens, ne immensum novae editionis opus imperfectum relinqueret, tantum *S. Bonaventurae Operum supplementum* tribus voluminibus in folio Tridenti 1772-74 edi curavit, quod exhibet 45 opera S. Doctoris eo usque inedita. Hoc *Supplementum,* paucis tantum exemplaribus excusum, extra Italiam rarissime in bibliothecis invenitur; deest etiam in ultima S. Bonaventurae editione Parisiis 1864 curis Peltier impressa.

Novam igitur editionem, adhibitis quam plurimis manuscriptis adornatam triplicem ob causam opportunam, immo necessariam esse, satis constat. Primo, quia, ut dixit Generalis Minister de Molina in littera supra nominata, « nos non latet, plurimis sphalmatibus, laciniis ac mendis scatere hactenus publici iuris factas operum Seraphici Doctoris nostri editiones; secundo, quia adhuc plura opera genuina eiusdem S. Doctoris vel penitus ignorata et neglecta in angulis bibliothecarum squallent vel, si in *Supplemento* P. Benedicti Bonelli iam excusa sunt, vix inveniri possunt; tertio, quia summe interest, ut novo instituto examine S. Doctoris opera genuina, spuria et dubia, quantum fieri potest, accuratius secernantur. Mirum enim est, quantum dissident eruditorum virorum de hac re iudicia. Ut taceamus de Oudino et Venetis editoribus, qui maiorem partem operum in editione Vaticana impressorum inter dubia vel spuria, levibus saepe innixi argumentis, reiiciunt, ipse P. Bonelli 15 opuscula enumerat inter spuria et 6 inter dubia, doctissimus vero Sbaraglia (Supplementum et castigatio ad Scriptores trium Ordinum S. Francisci a Waddingo descriptos, Romae 1806) ablegat 36 opuscula inter spuria et 7 inter dubia.

Gravissimis hisce rationibus motus, Rmus Minister Generalis, P. Bernardinus a Portu Romatino de nova editione horum operum optimo sane consilio cogitare coepit et an. 1870 P. Fideli a Fanna b. m., additis pluribus sociis, arduum hoc opus commisit. Quid iste Pater indefesso decem annorum labore praestiterit in Necrologio proximi fasciculi commemorabitur. Ipsius et Sociorum studio res tantum est progressa, ut primus horum operum tomus iam in promptu sit ut praelo committatur, quem secundus statim excipere poterit. Primi octo tomi exhibebunt *Commentarium* S. Bonaventurae in Magistrum Sententiarum, qui in editione Vaticana complet quatuor tomos in folio, in ultima vero Parisiis (edita) 6 tomos in 4. Textus huius Commentarii, diligenter collatus cum circiter 30 codicibus antiquitate praestantibus et 6 editionibus, a plurimis mendis, lacunis et glossis purgatus et copiosis notis tum criticis tum sensum explicantibus et Scholiis theologicis ad unamquamque quaestionem illustratus est. Tomus nonus continebit *Quaestiones disputatas* magni momenti, huc usque ineditas. Quod spectat ad hos novem tomos, improbus labor conferendi Codices fere est absolutus, sicut et quoad sequentes tomos, non parum laboris in describendis et conferendis codicibus jam exantlatum est.

In Collegio S. Bonaventurae, ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam erecto eo fine, ut collaboratores melius operi suo insistere possint, degunt nunc octo Patres huic labori intenti, scilicet: P. Praesidens Elphidius a Monte Iovis, Superior localis, Bibliothecarius et Archivista, ex Reform. Provincia Seraph.; P. Ignatius Jeiler, Praefectus Collegii, Lector s. theol. et Custos Prov. Saxoniae S. Crucis; P. Hyacinthus Deimel, Vicepraefectus, Lector philos. ex eadem Saxonia; P. Celerinus Frasta, ex Prov. Ref. Seraphica; P. Columbanus Zündorf, ex Prov. Saxonia S. Crucis; P. Appollinaris a Fregona, ex Ref. Prov. Venetiarum; P. Quinctianus Müller, ex eadem Saxonia. P. Benedictus Bechte, Procurator Collegii, ex eadem Saxonia. Praeterea in Conventu nostro Monachii Bavariae P. Victor Albers, ex eadem Provincia Saxonia, ad eumdem finem iam per plures annos in conferendis codicibus occupatus est.

Gravissimas ob causas a Definitorio Generali decretum est, ut in ipso Collegio S. Bonaventurae propria Ordinis typographia, praecipue ad tantum opus imprimendum, instituatur, quam post paucos menses paratam et pro opere impressionis incipiendo expeditam fore speramus.

Opera edita

Pio Esercizio della via dolorosa del nostro Signor Gesù Cristo corredato di prenozioni storico–legali–pratiche dall' Illmo e Rmo Mons. Alessandro Cantoli Francescano Oss., Vesc. di Bovino. Roma, typogr. dei fratelli Monaldi 1872. (L. 1.)

Rituale Franciscanum ad omnes functiones peragendas tam a Praelatis sive maioribus sive minoribus, quam a simplicibus Sacerdotibus in Ordine Minorum, a P. Carmelo a Neapoli, Lect. Em. (L. 3)

Ceremoniale iuxta Ritum Romanum a P. Aloysio M. a Carpo Minorita Obs. elucubratum; tertia editio auctior et emendatior 1874. Romae, typogr. S. Cong. de Propag. fide (L. 4)

Fr. Bonifacii Stephani, Ord. Min. Obs. et Stagni Episc. Liber de perenni cultu Terrae sanctae. Venetiis, typ. Merlo 1875 (L. 4)

Kalendarium perpetuum, auctore P. Aloysio M. a Carpo Ord. Min. de Obs. Ferrariae, typ. Dominici Taddei et filiorum. 1875.

Il mese consacrato al serafico patriarca S. Francesco da' suoi figli e devoti; operetta del P. Candido Mariotti dell'Oss. Prov. Picena Roma, tipog. dei fratelli Monaldi. 1876.

Anno Francescano, ossia concetti e meraviglie proposte ai divoti di S. Francesco d'Assisi per ciascun giorno dell'anno dal P. Pio da Bologna, Min. Oss. 4 volumi. Roma, tipi dei fratelli Monaldi 1876 (L. 3,50)

Compendiosa Bibliotheca liturgica, opus posthumum iam digestum a R. P. Aloysio M. a Carpo, Ord. Min. de Obs. Bononiae, ex officina Pontificia Mareggiana. 1878. (L. 7.)

De Engelen naar de Katholieke overlevering (idest, Angeli, secundum catholicam traditionem) door P. F. Bertinus Hermans (Lect. S. Theol. Prov. S. Ioseph Belgii) Sint-Truiden (Trudonopoli) Schoof, 1878.

Der chrwuerdige Diener Gottes P. Engelbert Kolland, Franziskaner-Ordenspriester und Martyrer zu Damaskus anno 1880. Ein Lebensbild dargestellt von P. Philibert Seeboeck O. S. F. (Prov. Ref. Tirolens.) Innsbruck. Rauch. 1880. (L. 1, 50). (Vita P. Engelberti Kolland, ab infidelibus anno 1860 Damasci in odium fidei occisi).

Opuscula R. P. Simonis, a Bussieris, Obs. Prov. S. Ludovici, in Gallia.

La chasteté ses joies et ses gloires, in 18. venit 0,20.

La pauvreté, pratiquée même dans le monde dans tous les détails de la vie, 4. editio, in 18. venit 0,20.

L' humilité, pratiqueé dans tous les détails de la vie, 5. editio, in 18 venit 0,20.

La mortification, pratiquée dans tous les détails de la vie, 5. editio in 18. venit 0,20.

La présence de Dieu, pratiqueé dans tous les détails de la vie, 4 editio in 18, venit 0,20.

Six questions pour faciliter l'étude du catéchisme et pour faire repasser en quelques minutes le catéchisme aux enfants les plus instruits, 2 editio in 18, venit 0,10.

Indulgencé de la Portioncule, 8 editio in 18, venit 0,20.

Catéchisme franciscain, à l'usage des Frères et Soeurs du Tiers-Ordre. 2 editio in 18, venit 0,15.

Omnia haec opuscula reperiuntur apud Tolra *editorem*, 112 rue de Rennes, Paris.

Sancti Bonaventurae Ord. Min. Ep. Card. et Eccl. Doctoris Seraph. Breviloquium, adiectis illustrationibus ex aliis operibus eiusdem S. Doct. depromptis, opera et studio P. Antonii M. a Vicetia Ref. Prov. Venetae. Editio altera ab auctore recognita. Friburgi Brisgoviae, sumptibus Herder. 1881. (L. 15).

Historica, Theologica *et* Moralis Elucidatio, Terrae sanctae auctore P. F. Francisco Quaresmio Ord. M. editio secunda a P. F. Cypriano de Taravisio adnotata. Venetiis typis Antonellianis 1881. (Primi voluminis pars I. L. 17, pars II. L. 17)

Prediche quaresimali di Monsignor Giulio Arrigoni, dell'Ordine dei Minori Rif. di S. Francesco, Arcivescovo di Lucca, Bologna, typogr. Pontif. Mareggiani. 1881. (L. 7)

Storia universale delle Missioni Francescane del P. Marcellino da Civezza M. O. Volume VI. Prato 1881. (Vol. I-VI. L. 25 et separatim singula volumina L. 5.)

Saggio *di* Bibliografia geografica storica etnografica Sanfrancescana, per Fr. Marcellino da Civezza M. O. In Prato, per Ranieri Guasti. 1879 (L. 7)

Manuale sacrorum rituum et caeremoniarum pro nonnullis praestantioribus festis quoad officium et missam cursu anni occurrentibus, editio altera multo auctior atque accuratius emendata, additis servandis in missis cum votivis tum aliis extra propriam ecclesiam celebrandis, a P. Carmelo a Neapoli, Lect. Em. (L. 2)

De Verriizenis der dooden op het einde der eeuwen (Resurrectio mortuorum in fine saeculorum) door P. F. Bertinus Hermans (Lect. S. Theol. Prov. S. Ios. Belg.) Sint-Truiden (Trudonopoli) Schoof. 1879.

Tableau synoptique de l'histoire de tout l'ordre séraphique de 1208 à 1878, accompagné d'un aperçu général sur l'histoire des differentes branches et réformes des trois Ordres de S. François, dédié au Rme P. Bernardin de Portogruaro, Ministre Général de tout l'Ordre des Frères Mineurs, par le R. P. Marie Léon Patrem, Franciscain Missionnaire Apostolique en Terre Sainte. Paris imprimerie libraire de l'oeuvre de S. Paul. Soussens et C[ie], 51 rue de Lille. 1879 — venit f. 7,50 Ligatum vero Volumen 10 f.

Sicuti dicitur in operis titulo, habetur in hoc volumine *prospectus synopticus totius historiæ Ordinis nostri seraphici*, ab eius primordiis usque ad tempora nostra. Multa et perutilia documenta quae in diversis numerosisque operibus dispersa sunt, in hoc uno volumine coadunata reperies.

Lexicon Bonaventurianum philosophico-theologicum, in quo termini theologici, distinctiones et effata praecipua scholasticorum a Seraphico Doctore declarantur, opera et studio P. P. Antonii M. a Vicetia, Min. Prov., et Ioannis a Rubino, Lect. Th. Ref. Prov. Venetae, lucubratum. Venetiis ex typogr. Aemiliana. 1880. (L. 5,50).

Vita prima et secunda S. Francisci Assisiensis, auctore B. Thoma a Celano, eius discipulo. Romae, ex typog. della Pace. 1880. (L. 2,50)

Kurze Lebensgeschichte der Dienerin Gottes Maria Agnes Clara Steiner. Aus dem Italienischen übersetzt von P. Peter Paul Ausserer, Ord. Min. Ref. Prov. Tirol. Innsbruck, Rauch 1881. (L. 1,50)

(Vita Mariae Agnetis Clarae Steiner, ex italica lingua germanice reddita).

De heiligmakende Genade (Gratia sanctificans) door P. F. Bertinus Hermans (Lect. S. Theol. Prov. Belg.) Sint-Truiden (Trudonopoli) Schoof. 1881.

Les Franciscains et l'exécution des Décrets du 29 Mars 1880. 2[e] edition. Paris, Tolra, 112 rue de Rennes 1881 venit 1 fr.

In hoc opere enarrantur luctuosae Conventuum Prov. S. Ludovici in Gallia suppressiones, anno 1880, et in appendice etiam suppressio Conventuum Prov. S. Bernardini aliorumque Ordinis Seraphici Coenobiornm.

Our Lady's Almanack for 1882 by the Rev. F. Thaddaeus O. S. F. (Prov. Belg.) London, Burns and Oates: *Latinè* Calendarium B. M. V. pro 1882.

In isto parvo opusculo indicatur pro quolibet anni die veneratio, quae aut in toto mundo aut in aliqua mundi parte eo die beatissimae Virgini exhibetur.

V.
NECROLOGIA

Illmus ac Revmus Dnus Aloysius Ciurcia, Observantis Nostrae Ragusinae Provinciae, natus Ragusii in Dalmatia die 8 Decembris 1818. Electus Episcopus Alexii Albaniae die 27 Septembris 1853; translatus ad Sedem Episcopalem Delconensem *in partibus infidelium* die 4 Iunii 1858; dein ad Archiepiscopatum Icodrensem die 6 Februarii 1859; demum 27 Iulii 1866 translatus ad Archiepiscopatum Irenopolis *i. p. i.*, Vicarius Apostolicus Aegypti pro Latinis, necnon Delegatus Apostolicus pro Orientalibus Aegypti et Arabiae.

Praelatus acie ingenii praeclarus et virtutibus eximius, post tot tantaque in bonum Religionis et Ecclesiae laudabiliter expleta munia, mala valetudine affectus officio suo renunciavit, et ex Aegypto iam discessus, dum iter faceret Romam venturus, in mari apoplexiae morbo correptus, cursum vitae in navi complevit die 14 Iulii anni 1881. Clarissimi huius Praelati elogium in lingua latina et slavica nec-

non eiusdem vitae compendium in lingua italica editum fuit Ragusii, Tipographia di *Giuseppe Flori* 1881.

Adm. R. P. PROTASIUS ab ATINA, bis ex-Provincialis Prov. Reform. S. Bernardini in Aprutio, et ex-Procurator Generalis Reformatorum, 1856-1862, obiit in Conv. Aracoelitano, die 28 Ianuarii 1881.

R. P. VINCENTIUS MONTINI a Foro Livii, Obs. Provinciae Bononiae, ex Secretarius Patrum Procuratorum Generalium Ordinis, Raphaelis a Ponticulo et Fregdiani Pardini, inter Provinciales aggregatus, et novi Breviarii choralis Seraphici diligentissimus corrector, obiit in Conventu Aracoelitano die 19 Februarii 1881.

Adm. R. P. IRENAEUS a PLANIS, Obs. Provinciae Genuae, ex Minister Prov., ex Secretarius Generalis sub Rmo Ministro Generali P. Bernardino Trionfetti a Montefranco, et ex Minister suae Provinciae. Obiit die 27 Aprilis 1881.

Fr. PACIFICUS a GALATIA, Tertiarius Ref. Prov. Neapolis, qui ob famam virtutis qua gaudebat, magna fidelium multitudine et praesertim dynastae familia in die obitus sui visitatus fuit et postea ad sepulchrum usque ab eisdem fidelibus undique concurrentibus deductus est. Obiit in iuvenili aetate 25 annorum, 27 Aprilis 1881.

Adm. Rev. Pater IOSEPHUS-ANTONIUS a Massa Macinaria, Reformatae Custodiae S. Joseph Lucensis; ex-Missionarius Apostolicus missionis Constantinopolitanae, ac conv. S. Mariae Smyrnensis guardianus; deinde visitator in Imperio Brasil., ac demum suae Custodiae Regiminis Custos. Vir valde virtuosus, ac S. Regulae observantissimus et zelantissimus. Obiit in osculo Domini, post longam infirmitatem, patienter toleratam, die 30 Augusti anni 1881 in conv. S. Leonardi Lucae, anno 3 sui gubernii. Requiescit in coemeterio huius civitatis.

Adm. Rev. P. CHERUBINUS A FORIGIO Nostrae Observantis Provinciae Neapolis et Terrae Laboris Sacerdos professus Lector Iubilatus in Sacra Theologia, ex-Minister Provincialis, Pontificii privilegii titulo inter eos, qui fuerunt Procuratores Generales Ordinis cum iure suffragandi in Capitulis Generalibus, adscriptus. Quadraginta annis munere Commissarii Terrae Sanctae in ditione Neapolitana laudabiliter functus est, et octogenario maior supremum diem in Domino clausit Neapoli die 13 Septembris anni 1881.

Adm. Rev. P. LUCAS a J. C. actualis Minister Prov. Discalceatorum Lyciensis.

Honestatem morum, qua in saeculo floruerat, religiosis virtutibus auxit: erat enim vel ab ipso religiosae vitae tirocinio, ob exactam regularem observantiam, ad omnium exemplum propositus. Sapientiae thesauris, quos ingenio, studio et oratione acquisierat, alios quoque ditavit; philosophiam enim et theologiam docuit: sed praesertim praedicationis officio in animarum salutem procurandam incubuit; etenim quadragesimales etiam praedicationes, cum laude, ingentique fructu, singulis ferme annis explevit. Verum cum rerum publicarum perturbatione etiam in illo utriusque Siciliae regno religiosi omnes ab eorum claustris expulsi fuerint, facto solummodo aliquibus facultate remanendi ad divinum cultum in Ecclesiis conventuum exercendum, noster P. Lucas in patriam ad suos redire compulsus est. Sed etiam in paterna domo religiosam, quantum licuit, vivendi rationem retinuit; munus vero praedicationis non modo non dimisit, sed vehementius est prosequutus Cum autem nimio zelo tum pravos mores, tum gliscentes contra fidem errores insectaretur, atque haereticos et incredulos tum publicis concionibus, tum privatis disputationibus invicte refutaret, ab his odii causa ad mortem insectabatur. Ab eorum insidiis ut caveret, patria relicta, alio migravit et latuit, donec Neapolim veniens cellulam inter suos confratres, qui apud Ecclesiam Sanctae Luciae ad Montem remanserant, habere potuit. Confratres eumdem, non multo post, in eorum Ministrum Provincialem elegerunt. P. Lucas huic oneri et honori humiliter se submittens statim boni pastoris partes coepit adimplere. Tandem cum multa iam fecisset, multoque plura animo cogitaret ad sublevandam Provinciam, tristitia temporum deiectam, nimium cito, amori et spei suorum brevi morbo sublatus est; obiit die 18 novembris, anno 1881.

Admodum Reverendus Pater ALOYSIUS A SANCTO ROMULO.

In ora ligustrica Italiae natus anno 1809, nostrae Reformatorum provinciae nomen dedit.

et solemnia vota nuncupavit anno 1827. Propter eximiam ingenii virtutem, doctrinae praestantiam et morum integritatem, statim post emensum studiorum curriculum, datis de more experimentis, dignus compertus est, qui cathedram ascenderet, aliosque doceret. Itaque scientias Philosophiae, Theologiae, necnon Sacram Eloquentiam, pluribus annis cum plausu et fructu, qui adhuc perennant, nostrates docuit: hinc Emeriti lectoris titulum promeruit. Dei quoque verbum ferme in omnibus circum Urbem civitatibus, quadragesimali praesertim tempore, praedicavit; Romae vero etiam in Archibasilica Lateranensi quadragesimalem praedicationem anno 1855 complevit; omnibus quidem eius doctrinae opportunitatem et dicendi efficaciam probantibus. Verum praedicationis officium diutius non fuit prosequutus; cum enim tot tantisque prudentiae et disciplinae dotibus commendaretur, fieri non potuit, quominus ad officia regiminis in Ordine promoveretur. Quapropter primum in sua provincia Definitor et Minister Provincialis, omnium consensione, electus est; hisce muneribus electorum et subditorum expectationi abunde satisfecit, et exempla aequitatis et prudentiae successoribus reliquit. Dein reformatorum familiae, fungens officio Secretarii apud eorum generalem Procuratorem, valde profuit; cum eius animadversiones et opinamenta in S. Congregatione Episcoporum et Regularium negotiis praeposita plurimi fierent. Hinc eius nomen et meritum universum quoque Minorum ordinem non latuit, qui eumdem definitoris Generalis dignitate auxit anno 1869. Huius quoque amplissimi muneris partem adamussim complevit; assidue enim generalibus comitiis interfuit; consilio et opere bonum Ordinis promovit; difficillimis Ecclesiae et omnium Regularium Ordinum temporibus, numquam a Curia generali abfuit, nisi cum delegationes habuit alibi complendas. Missus est in Galliam et Americam auctoritate generalis Visitatoris. Verum ob nimiam itineris terra marique fatigationem aegra deinceps valetudine laboravit. Tandem multa et gravi infirmitate probatus, et merito, ut credimus, aeternae vitae dives supremum diem obiit 19 Decembris 1881.

A. R. P. Chrysostomus Czwigkl, Concionator, Secretarius, Definitor et Custos Provinciae altera vice emeritus, Redactor Directorii, Confessarius Ordinarius Sanctimonialium Ursulinarum, Director Societatis S. Lazari, et III. Ordinis, Pater Provinciae. Obiit die 3. Novemb. ann. proxime elapsi 1881.

R. P. Simon a Bussieris (in saec. Franciscus Valadier) Guardianus Conventus Lemovicensis (Limoges), et Sacerdos Provinciae Observantis S. Ludovici in Gallia.

Zelo apostolico praeclarus, verbo et scripto, primum in Clero saeculari deinde in regulari Observantia, Dei gloriam promovere studuit. Opuscula quae supra enunciavimus in lucem edidit, quorum aliqua etiam in linguam Anglicam translata sunt. Regulae nostrae extitit vigilantissimus Custos, praesertim seraphicae paupertatis, obedientiae et humilitatis. Annis quadraginta nondum expletis, dum missionis exercitia praedicaret, post commoventem de morte habitum sermonem, pulmonia correptus, et coelo, uti sperandum, maturus, e vita migravit die 9 Decembris 1881.

Adm. Rev. Pater Antonius a Melliscon-cha, ex-missionarius Apostolicus Terrae Sanctae, ex Secretarius Generalis Minorum Reformatorum et ex-Definitor Generalis.

Praeclarus iste Ordinis Pater inter alia servitia Ecclesiae et ordini praestita, grammaticam arabicam composuit, post suppressionem provinciarum in Italia ad insulam Corsicam se contulit, ubi, per aliquot annos, iuvenes huius Provinciae studentes linguam docuit arabicam. Ultimos vitae annos degit Florentiae, in Conventu Montis *alle Croci*, ubi, sicuti Pater amantissimus, in suis infirmitatibus fraterne exceptus est. Supremum diem oppetiit 30 Decembris elapsi, aetatis suae anno 74.

——

Quamvis nulla suffragia pro praedictis Defunctis extra propriam Provinciam in Constitutionibus Generalibus praescripta sint, eosdem tamen omnium Provinciarum pietati commendamus, et enixe rogamus, ut animae de Ordine meritissimae per Fratrum orationes subleventur.

Sacerdos Henricus Lanzetta Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

BREVE
Beatificationis Ven. Servi Dei CAROLI A SETIA.

—

LEO PP. XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Qui omnia potest Deus saepe ex hominibus humili loco natis, qui neque divitiis, neque ingenio, neque ulla alia re commendarentur, unde auctoritas et potentia in humanis existit, eos delegit, quibus mirabilia gratiae suae dona communicaret. Atque huius quidem generis homines adscivit sibi socios Servator Noster Dominus Iesus Christus, eisque praecipue usus est, ut divinae suae Ecclesiae iaceret fundamenta. Nimirum hac ratione mundi perculsa est superbia, inimicissima veritati, maximumque propagationi Evangelii impedimentum. Quam ob rem gratias agimus Deo, quod hisce praesertim temporibus, quibus adeo christiana humilitas odio habetur et contemptui, datum sit Nobis Venerabili Dei Servo Carolo a Setia, absolutissimo eiusdem humilitatis exemplo, decretos iam a bo. me. Pio IX Praecessore Nostro, coelitum beatorum honores tribuere.

Hic Setiae natus XI Cal. Novembris anno MDCXIII, parentes habuit religione magis et morum honestate, quam opibus praestantes, quippe qui ex agrorum cultu victum sibi pararent. Vix ubi infantia excessit Ven. Dei Servus, cui Ioannis Caroli nomen in baptismate impositum fuerat, traditur educandus aviae suae, piissimae foeminae, quae illum ut sibi committerent, enixe parentes rogaverat. Igitur ab ea, ut eius pietatem decebat, religione bonisque moribus imbutus, cum septimum aetatis annum attigisset, scholas frequentare coepit. Enim vero parentes optimam in puerulo indolem conspicati, et ad pietatem mirifice propensam, spem ferebant fore ut, cum per aetatem liceret, sacerdotio initiaretur. Verum, decernente alias Deo, tam in studiis parum progessus est, ut prima vix didicerit rudimenta litterarum. Interea quum graviter aegrotasset, postquam Dei benignitate veluti per prodigium morbo liberatus est, scholas deseruit, agrorum culturae una cum fratribus operam daturus. Hic vero puer, tanquam si ubertate campi et äeris amoenitate ad auctoris naturae Dei contemplationem et amorem incitaretur, pietatem impensius colere coepit, et omnia quodammodo fastidire, quae non coelestia saperent. Hinc saepius precationibus vacare, frequentius ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae accedere, beatorum Christi Martyrum et sanctorum virorum, qui in solitudine aetatem egerant, descriptas lectitare vitas. Qua ex lectione et ex sacris in ecclesia sodalium Franciscalium, quo adire consueverat, dipictis Sanctorum imaginibus, mirum est, quibus ille stimulis excitabatur ad eorum sectanda praeclara exempla. Atque uti de aliis accepimus insignis sanctimoniae adolescentibus, amorem virtutis, quo eorum animus flagrabat, ceteris communicare solitis, ita et hic Ven. Dei Servus, dum ea esset aetate, iam divini verbi praeconis vices gerebat, cum pastores agricolasque comites suos narratione rerum Confessoribus et Matyribus Christi gestarum ad omnes virtutis gradus incitaret.

Hoc fere modo cum ad annum pervenisset aetatis decimum septimum, sensit, ut de se ipse narrat, augeri in animo vehementius desiderium sanctioris vitae, augeri simul charitatem erga Deum et pietatem erga Deiparam Virginem. Ergo ferventioris sensu amoris sacram accipiebat Corporis Christi communionem, vitae

eius exempla et extremos, quos passus est pro nostra salute cruciatus, intentius meditabatur, corpus ieiuniis et flagellis domabat; praeterea castitatis votum perpetuae in honorem B. Mariae Virginis Immaculatae fecit eo tempore, et sic deinde servavit, ut coelestis sponsus, qui pascitur inter lilia, iam tum videretur certam in eo sedem delegisse. Accedebat huc effusa erga pauperes liberalitas, qua fiebat, ut, quoad eius patiebatur conditio, non solum neminem unquam a se demitteret, qui ab eo stipem emendicaret, sed egenos atque inopes ultro ipse adiuvaret. Iam cum annum ageret vicesimum, et omnibus, qui eum noverant, propter morum suavitatem simul et sanctitatem in honore ac deliciis haberetur, in morbum incidit gravissimum, e quo cum evadere ulla humana arte nequiret, divinam opem imploravit, vovitque, recuperata valetudine, religiosam vitam initurum esse. Annuit Deus voto: et ille, cum convaluisset, nihil potius habuit, quam ut in sodalium Franciscanorum, quos semper adamaverat, religiosam familiam admitteretur. Quod priusquam assequi posset, non pauca nec parva superanda ei fuerunt impedimenta, tum ab amicis et propinquis, tum praesertim a parentibus, quorum tota in eo spes posita erat. His tamen divina ope auxilioque devictis, quod tantopere cupierat, impetravit; et Natiani tirocinium aggressus est in cenobio fratrum Franciscalium Reformatorum XV Cal. Iunii an. MDCXXXV.

Quot et quantos tunc fecerit in christianis virtutibus progressus, haud necesse est dicere; etenim qui illum vocaverat Deus, tantum ei suae gratiae donavit, ut tirones quotquot cum eo erant, facile omnes superaverit, ipsisque patribus admirationi esset. Tirocinio in hunc modum expleto, solemnia religionis vota, quamquam ab imperitis quibusdam, ob abstractam a rebus terrenis mentem divina meditandi assiduitate, inops animi iudicabatur, incredibili laetitia nuncupavit, interque fratres laicos Caroli a Setia nomine adscriptus est. Tunc vero cum totum se Deo mancipatum intelligeret, omnibus viribus contendere coepit, ut magis quotidie virtutis incremento illi placeret, a quo tantum acceperat beneficii. Quae igitur votis solemnibus voverat, ita sancte servavit, ut nemo esset praepositorum suorum dicto audientior, nemo castitatis et paupertatis amantior, nemo insuper cibi parcior et somni, diligentior nemo in officiis, qualiacumque sibi committerentur, obeundis. His rebus fiebat, ut non solum magna apud omnes existimatione floreret, sed reverentia quadam et obsequio coleretur; quae augebantur in dies magis propter multa, quae ab eo patrata supra naturae ordinem referebantur. Interea tempus advenisse visum est Dei Servo id perficiendi, quod iam inde a prima adolescentia vehementer expetierat, adeundi scilicet barbaras regiones, ibique vitam cum sanguine pro fide christiana profundendi. Nam semel atque iterum, quominus hoc expleret desiderium, iuvenilis aetas prohibuerat; tunc vero occasionem nactus profectionis ad Indias nonnullorum sodalium, impetrare tandem potuit, ut eorum comes adiungeretur. Verum dum et ipse profectionem parat, violenta subito febri correptus, ad extremum vitae redigitur. Ubi melius habere coepit, Romam venit morbi depellendi causa, mutatione aëris curaque diligentiore; cumque hanc esse Dei volutatem cognovisset, ut ab eo optato in Indias itinere abstineret, obsequutus est Deo sine ullo moerore animi, ut solebat, meruitque propterea maioribus exinde gratiae divinae muneribus cumulari. In quibus illud fuit prorsus mirabile, quod, cum homo esset sine litteris, difficillimis tamen de S. Theologiae quaestionibus explicandis, librisque christiana sapientia refertis conscribendis, doctissimos etiam viros in sui admirationem traxerit. Itaque non ex plebe homines solum, sed illustres etiam ac nobiles viri, et Patres Cardinales, ac ipse Clemens IX fel. rec. Praecessor Noster, eius utebantur consilio. Haud tamen efferebatur animo Ven. Dei Servus; sed utpote qui nihil sibi tribuendum intelligebat, cui ingenium et studia deessent, omnia vero accepta referenda esse gratiae illius, qui mysteria divinae sapientiae suae abscondit ab huius mundi sapientibus, et revelat ea parvulis, quo altius crescebat opinione hominum, eo dimissius de se sentiebat. Hanc vitam vixit sanctissimus vir, donec iamdiu coelo maturus, extremo tentatus morbo est, cumque praeclara edidisset christianae patientiae documenta, placidissime conquievit in osculo Domini VIII Idus Ianuarii anno MDCLXX.

Fama autem sanctitatis, quae de illo vivente percrebuerat, aucta magis atque diffusa est, po-

steaquam Ven. Dei Servus mortalem hanc vitam cum beata commutavit. Quapropter sub Clemente XIV Praecessore Nostro absolutis omnibus, quae in huiusmodi iudicio erant necessaria, in Congregatione Cardinalium sacris ritibus tuendis praepositorum disceptari coeptum est de virtutibus, quibus Venerabilis Carolus inclaruisset, easque, de eiusdem Congregationis assensu, heroicum attigisse culmen idem Praecessor Noster Clemens XIV, postridie Idus Junii anno MDCCLXXII decrevit. Postea quaestio agitata est de miraculis, quae Ven. Carolo a Setia deprecante a Deo patrata ferebantur; rebusque omnibus severissimo iudicio ponderatis, duo miracula vera et explorata sunt habita; ideoque bo. me. Pius IX Decessor Noster XVIII Calendas Septembris a. MDCCCLXXII decretum edidit de eorumdem miraculorum veritate. Illud supererat, ut dictae Congregationis Cardinales rogarentur, num tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores Ven. Carolo a Setia decernendos; iique in generali Conventu coram eodem Pio IX bo. me. Decessore Nostro, habito Calendis Junii anno MDCCCLXXV, tuto id fieri posse unanimi consensione responderunt. Attamen SSmus Pontifex in re tanti momenti suam aperire mentem distulit, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceret. Quod cum impense fecisset, tandem XI Cal. Decembris eiusdem anni MDCCCLXXV solemni Decreto pronunciavit, procedi tuto posse ad solemnem Ven. Caroli a Setia Beatificationem.

Quae cum ita sint, Nos precibus permoti universi Ordinis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum, Auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, facultatem facimus, ut idem Ven. Dei Servus Carolus a Setia Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque Corpus et lypsana seu reliquiae, non tamen in solemnioribus supplicationibus deferendae, publice fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra concedimus, ut de illo recitetur Officium et Missa singulis annis de communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Eiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus Setiae eiusque in dioecesi, itemque omnibus in templis religiosarum domorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum ab omnibus Christifidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur; et quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus, tam saecularibus, quam regularibus, ad ecclesias, in quibus festum agitur, confluentibus. Denique concedimus, ut Solemnia Beatificationis Venerabilis Caroli a Setia in templis supradictis celebrentur cum Officio et Missis duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium praefinienda intra primum annum, postquam eadem solemnia ob temporum vicissitudines in Aula superiori porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii antedictae Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce Litteris ostensis, haberetur (1).

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 1 Octobris MDCCCLXXXI Pontificatus Nostri Anno Quarto.

THEODULPHUS Card. MERTEL.

—

GRATULATIO SUMMI PONTIFICIS MINISTRO GENERALI

Praelaudati B. Caroli solemnis beatificatio in Aula basilicae Vaticanae celebrata fuit, die 22 Ianuarii 1882.

In proximo fasciculo dabimus Breve aliud Beatificationis B. Humilis a Bisiniano, quae pari solemnitate in eadem Aula peracta fuit die 29 eiusdem mensis Ianuarii.

Nostrum non est harum Beatificationum solemnia enarrare. Iuvabit tamen, ut Confratres omnes Successoris sancti Petri verba hac occasione prolata cognoscant.

(1) In Bibliographia fusiorem *Vitam B. Caroli* nuperrime editam indicamus (p. 31).

Cum summus Pontifex Leo XIII, die 29 Ianuarii in Aulam Beatificationis venisset ad venerandas reliquias Beati Humilis a Bisiniano, Minister Generalis fasciculum florum artificialium eidem obtulit dicens: « Nova beneficia (die siquidem 22 eiusdem mensis Minister Generalis gratias egerat pro Beatificatione Beati Caroli a Setia) novas exposcunt gratiarum actiones, quas nomine totius Ordinis sancti Francisci Tibi rependo, Beatissime Pater, nobisque Deus concedat, ut imitari non pigeat, quos celebrare delectat. »

Cui Papa respondit:

« Magnam siquidem rationem habet Ordo seraphicus exultationis atque laetitiae, quoniam hic Ordo multos dedit Ecclesiae sanctos atque beatos ab Ecclesia ipsa inter coelites cum Christo regnantes solemniter adnumeratos. Duo menses nondum elapsi sunt, et tres Francisci filii solemniter inter sanctos atque beatos adscripti fuere, sanctus Laurentius a Brundusio, beatus Carolus a Setia, atque beatus Humilis a Bisiniano; ideo laetari atque exultare iure potest Ordo magni Francisci Assisiatis tantorum foecundus Parens Sanctorum. Quin imo aliam etiam habet laetitiae et exultationis causam, quoniam hoc anno festa centenaria Seraphici Patris celebrabuntur, atque uti Nobis relatum est, iam undique turbae parantur ad peregrinationem Assisiensem ad venerandum sacrum corpus Sancti Patriarchae: gaudete itaque, Fratres, atque satagite Seraphicum Patrem beatosque filios imitari, eorumque sectari vestigia; vobis ego totique Ordini Vestro peramanter Apostolicam benedictionem impertior. »

—

DECRETUM
MATHERANEN.

Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Fr. Aegidio a Laurentiana *Ordinis Minorum S. Francisci Beato nuncupato.*

In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Ioannem Baptistam Pitra Ponentem Causae supradictae proposito Dubio: « *An sententia lata a Rmo Archiepiscopo Matheranensi* « *iudice delegato super Cultu ab immemorabili* « *tempore praestito praefato Ven. Servo Dei,* « *seu super casu excepto a Decretis sa. me. Ur-* « *bani Papae VIII, sit confirmanda in casu et* « *ad effectum de quo agitur?* » Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: « *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam* ». Die 12 Iunii 1880.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit die 24 iisdem mense et anno.

D. Card. Bartolinius S. R. C. Praefectus
Loco ✝ Sigilli
Placidus Ralli S. R. C. Secretarius.

—

RESCRIPTUM

S. C. de Propaganda Fide, quo conceditur privilegium altaris privilegiati, personalis, quotidiani, perpetui Missionariis nostris in Imperio Sinensi degentibus.

Beatissime Pater

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum Minister Generalis, humiliter ad osculum pedum inclinatus, supplicat ut Sanctitas Vestra velit Missionariis Sui Ordinis exercentibus Ministerium Apostolicum in Sinis, et Sacerdotibus Saecularibus Sinensibus eorum Coadiutoribus, participare favorem Altaris privilegiati, personalis, quotidiani, perpetui, iamdudum a saeculo et amplius concessum Presbyteris Seminarii Missionum exterarum Parisiensium, in Sinis Missionariis, a Sa. Mem. Summi Pontificis Pii VI per Recripta Apostolica S. Congregationis de Propaganda Fide die 28 Martii 1775, et 16 Februarii 1795.

Pro qua gratia etc.

Ex Audientia SSmi habita die 19 Ian. 1882.
SSmus D. N. Leo Divina Providentia Papa XIII, referente me infrascripto S. Congre-

gationis de Propaganda Fide Cardinali Praefecto, benigne annuit pro gratia iuxta petita.

Datum Romae ex Aed. S. Congregationis de Propaganda Fide, die et anno praedictis.

Gratis sine ulla solutione quocumque titulo.

L. † S.

Ioannes Card. Simeoni Praefectus.

RESCRIPTUM

Quo Missionariis conceditur, ut tempore Missionis cruces etc. benedicere valeant cum applicatione indulgentiarum, nec non in fine Missionis vel Exercitiorum benedictionem apostolicam impertire possint.

BEATISSIME PATER

Sanctitas Vestra per supremae potestatis autographum datum 26 die Ianuarii 1863. benigne *ad decennium* concessit, ac postea confirmavit per aliud huiusmodi Autographum die 16 Iunii 1873, *Missionariis indigenis* iurisdictioni subiectis P. Ministri Generalis totius Ordinis Minorum S. Francisci, facultatem benedicendi cruces, crucifixos, coronas et numismata cum applicatione consuetarum Indulgentiarum tempore Missionum et Exercitiorum Spiritualium; itemque impertiendi in fine huiusmodi praedicationum Apostolicam benedictionem cum Plenaria Indulgentia.

Nunc itaque P. Minister Generalis eiusdem Ordinis, humiliter in genua provolutus ante Sanctitatem Vestram, easdem gratias implorat in favorem omnium Missionariorum *extra Italiam*, ubicumque degentium ac suae iurisdictioni subiectorum.

Pro qua gratia etc.

Ex Audientia SSmi die 10 Augusti 1873.

SSmus D. N. Pius Divina Providentia Papa IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, benigne annuit pro gratia *ad decennium* iuxta preces, tum quoad facultatem benedicendi cruces, sacra numismata etc.; tum quoad facultatem in fine Missionum ac Spiritualium Exercitiorum, quae de consensu Ordinarii praedicti Missionarii erunt daturi, impertiendi, adhibita Crucifixi imagine, et servato ritu praescripto in Constitutione Benedicti XIV, quae incipit - *Exemplis Praedecessorum* - die 19 Martii 1748, Pontificiam Benedictionem cum Plenaria Indulgentia ab utriusque sexus fidelibus lucranda, qui vere poenitentes, confessi, et sacra Communione refecti eidem benedictioni adstiterint; dummodo praedictis Missionibus vel Exercitiis ultra medietatem dierum durationis ipsorum operam dederint, piasque ad Deum preces fuderint pro s. Fidei propagatione, et iuxta Summi Pontificis intentionem.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congregationis, die et anno praedictis.

L. † S.

Ioannes Simeoni Secretarius.

RESCRIPTUM

Quo Missionariis permittitur, ut in locis Missionum indulgentias ecclesiis franciscalibus concessas lucrari possint, visitando privatum oratorium vel ecclesiam Ordini extraneam.

BEATISSIME PATER

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis Ordinis Minorum, ad osculum pedum inclinatus, humiliter supplicat, ut Sanctitas Vestra concedere dignetur Missionariis sui Ordinis, qui in locis Missionum publicas Ecclesias non habent, aut propter exercitium proprii ministerii degunt extra Conventus seu Hospitia, ut lucrari possint Indulgentias concessas Ecclesiis Franciscalibus, sive visitando privatum Oratorium, sive quamcumque Sacramentalem Ecclesiam Ordini extraneam.

Pro qua gratia etc.

Ex Audientia SSmi die 5 Novembris 1876.

SSmus D. N. Pius Divina Providentia Papa IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Pro-Secretario, benigne annuere dignatus est pro gratia iuxta petita, servatis servandis.

Datum Romae ex Aed. S. Congregationis die et anno ut supra.

Gratis sine ulla solutione quocumque titulo.

L. † S.

Ioannes Baptista Agnozzi
Pro-Secretarius.

SUMMUS PONTIFEX INVITAT AD AMPLECTENDUM TERTIUM ORDINEM S. P. FRANCISCI.

SSmus D. N. Leo PP. XIII, iam a multis annis tertio Ordini S. P. N. Francisci adscriptus, istud pietatis et poenitentiae Institutum ex corde diligit, eiusque propagationem valde desiderat, ac iterum atque iterum commendat.

Archidioecesim enim Perusinam gubernans plures scripsit epistolas pastorales, quibus omnes suae curae concreditos fideles invitabat, ut praefato pio Instituto nomen dare vellent. In Sede autem Apostolica constitutus non minus istud desiderium repetitis vicibus manifestavit. Persuasum est enim sapientissimo aeque ac piissimo Pontifici, istam vivendi formam, quam Regula tertii Ordinis praescribit, esse efficacissimum remedium contra praesentis temporis mala et corruptelas, prout transactis temporibus ipsam semper fuisse satis constat. Hoc enim Institutum fideles etiam in saeculo viventes a saeculi pompa et vanitate prudenter retrahit, et ad viam virtutis sectandam sapienter inducit.

Novissime istis diebus Summus Pontifex praefatum desiderium denuo publice manifestavit. Die etenim 5 Februarii a. c. Associatio iuventutis catholicae, *il Circolo di S. Pietro* nuncupata, a Summo Pontifice ad Audientiam admissa fuit. Optimi iuvenes Christi Vicario iterum suam fidem ac venerationem professi sunt. Quibus Pontifex debitas pro ipsorum piis operibus hucusque peractis laudes tribuit, eosque paterne adhortatus est, ut hisce difficillimis atque periculosis temporibus strenue dimicarent pro fide et Ecclesia catholica et a malis huius temporis incolumes sese praeservarent. Deinde mentionem faciens de Centenario Seraphici Patriarchae hoc anno celebrando deque processionibus ad eius sepulchrum, quae iam variis in locis parantur, iuvenes invitavit, ut et ipsi piam peregrinationem ad sepulcrum S. Francisci Assisiensis, qui non minus totius Ecclesiae quam Italiae gloria est et decus, susciperent, eisque commendavit, ut nomen darent tertio Ordini S. Francisci.

Optimi iuvenes votum Sancti Patris veluti mandatum venerantes, ac salutaribus ipsius de utilitate tertii Ordinis exhortationibus inflammati, nihil antiquius habuerunt, quam ut votis augusti Pontificis sine exceptione satisfacerent. Ac propterea, prout audimus, iam de ipsorum ad tertium Ordinem receptione agunt. Speramus, fore ut haec nova Papae manifestatio in favorem tertii Ordinis, necnon bonum praefatae Associationis exemplum non parum stimulent etiam reliquos fideles, ut amplectantur tertii Ordinis Institutum, sicuti etiam praedicti Ordinis Directores, ut pro propagatione istius salutaris Instituti indefesse laborent.

—

CATALOGUS
ARCHIEPISCOPORUM ATQUE EPISCOPORUM ORDINIS NOSTRI

—

I. EUROPA

A. Italia.

1. Rmus Dominus FRANCISCUS CONVERTI, Min. Obs. Provinciae Calabriae, natus Amendulariae die 22 Maii anni 1818; electus Archiepiscop. Rhegiensis, *(Reggio)* die 6 Maii anni 1872.

2. Rmus Dominus SERAPHINUS MILANI, Min. Obs. Provinciae Thusciae, natus Carariae, die 27 Aprilis anni 1819; iam Custos Terrae Sanctae; electus Archiepiscopus Traianopolitanus *in p. inf.* die 23 Ianuarii anni 1874, et hinc translatus ad Sedem Episcopalem Apuanam *(Pontremoli)* die 22 Decembris eiusdem anni.

3. Rmus Dominus LEOPOLDUS SANTANCHÈ, Min. Ref. Provinciae Marchiae, natus Aquae sanctae, Dioecesis Asculanae in Piceno, die 3 Octobris anni 1818; electus Archiepiscopus Acridanensis *in p. inf.* et Vicarius Apostolicus Sancti Dominici *(S. Domingo)* in maioribus Antillis die 16 Iunii 1870, et die 3 Aprilis anni 1876 translatus ad iunctas Sedes Fabrianensem et Mathelicensem *(Fabriano* et *Matelica.)*

4. Rmus Dominus BENEDICTUS LA VECCHIA GUARNERI, Min. Obs. Provinciae Vallis Mazariae in Sicilia, natus Canicatteni die 3 Iulii anni 1812; electus Episcopus Notensis die 3 Februarii anni 1872, et promotus ad Sedem Archiepiscopalem Syracusanam die 5 Iulii anni 1875.

5. Rmus Dominus GABRIEL GRIOGLIO, Min. Obs. Provinciae Divi Thomae Taurini, natus Morettae, Dioecesis Salutiarum, die 2 Mar-

anni 1814; electus Episcopus Euriensis *in p. inf.*, et deputatus Vicarius Apostolicus de Xan-si (*in Sinis*) die 27 Septembris anni 1852. Anno 1862, cum abdicasset, Salutias (*Saluzzo*) se recepit.

6. Rmus Dominus ALOYSIUS DE AGATIO, Min. Ref. Provinciae Sanctorum Septem Martyrum in Calabria Ulteriori; natus Soriani, Dioecesis Miletensis, die 19 Septembris anni 1807; electus Episcopus Tiventinus (*Trivento*) die 23 Iunii anni 1854.

7. Rmus Dominus ALOYSIUS MARIA LEMBO, Min. Obs. Provinciae Sancti Angeli in Apulia, natus in *San Marco la Catola*, Dioecesis Lucerinae, die 24 Aprilis anni 1806; electus Episcopus Cotronensis (*Cotrone*) die 23 Martii anni 1860.

8. Rmus Dominus BERNARDINUS TRIONFETTI, Min, Obs. Provinciae Seraphicae, natus *Montefranco*, Archidioecesis Spoletanae, die 8 Octobris anni 1803; iam Custos Terrae Sanctae, et Minister Generalis Totius Ordinis Minorum, creatus Episcopus iunctarum Sedium Terracinensis, Privernensis, et Setinensis, (*Terracina, Piperno, Sezze*) die 25 Septembris anni 1862, quibus Sedibus cum post decem et octo gubernii annos se abdicasset, electus fuit Episcopus Capharnensis (*Cafarnao*) *in p. inf.* in Consistorio diei 27 Februarii anni 1880, et se ad Conventum Sanctae Mariae Angelorum recepit.

9. Rmus Dominus ANTONIUS MARIA PETTINARI, Min. Obs. Provinciae Marchiae, natus Fani die 23 Februarii anni 1818; electus Episcopus Nucerinus (*Nocera*) die 11 Decembris anni 1863. Die 18 Novembris 1881 promotus Archiepiscopus Urbinatensis (*Urbino.*)

10. Rmus Dominus HENRICUS CARFAGNINI, Min. Ref. Provinciae Sancti Bernardini in Aprutio, natus Scamni, Dioecesis Valvensis, die 23 Martii anni 1823; electus Episcopus de Harbour-Grace in Insula Terraenovae die 27 Maii anni 1870; translatus ad Sedem Gallipolitanam (*Gallipoli*) die 27 Februarii 1880.

11. Rmus Dominus ANGELUS PIANORI, Min. Obs. Provinciae Bononiensis, natus Brisighellae, Dioecesis Faventinae, die 17 Aprilis anni 1811; electus Episcopus Faventinus (*Faenza*) die 17 Octobris anni 1871.

12. Rmus Dominus ALEXANDER CANTOLI, Min. Obs. Provinciae Sancti Bernardini Aprutiorum, natus Crecchii, Dioecesis Ortonensis, die 6 Maii anni 1812; creatus Episcopus Bovinensis (*Bovino*) die 22 Decembris anni 1871.

13. Rmus Dominus LEONARDUS GIANNOTTI, Min. Ref. Custodiae Lucensis, natus Turciliani die 13 Ianuarii anni 1824; electus Episcopus Mutilanensis (*Modigliana*) die 22 Decembris anni 1871.

14. Rmus Dominus IEREMIAS COSENZA, Min. Obs. Provinciae Sancti Bernardini Aprutiorum, natus in *Rocca Scalegna*, Archidioecesis Lancianensis, die 30 Octobris anni 1807; electus Episcopus Fodianus (*Foggia*) die 22 Februarii anni 1872.

15. Rmus Dominus ANTONIUS VINCENTIUS TESTA, Min. Obs. Provinciae Romanae, natus in *Castel Madama*, Dioecesis Tiburtinae, die 7 Iulii anni 1820; electus Episcopus Botrensis *in p. inf.* die 21 Decembris anni 1874; Episcopus Signinus (*Segni*) die 25 Maii anni 1877.

16. Rmus Dominus FRANCISCUS MARIA IMPARATI, Min. Obs. Provinciae Principatus, natus Salerni die 6 Iulii anni 1838; iam Secretarius Generalis Ordinis; electus Episcopus Venusinus (*Venosa*) die 27 Februarii anni 1880.

B. Lusitania.

17. Rmus Dominus IOANNES CHRYSOSTOMUS D'AMORIM PESSOA, Min. Alcant. Provinciae Lusitaniae; natus *Cantanhede*, Dioecesis Conimbricensis, die 18 Octobris anni 1810; electus Episcopus Sancti Iacobi Capitis Viridis die 23 Martii anni 1860; promotus ad Archiepiscopatum Goanum in Indiis die 22 Martii anni 1861; electus mense Novembri anni 1874 Coadiutor cum iure successionis Archiepiscopi Bracharensis (*Braga*), cui successit die 27 Novembris anni 1876; Primas Lusitaniae.

C. Rumelia.

18. Rmus Dominus RAPHAEL D'AMBROSIO, Min. Ref. Provinciae Principatus, natus in *Boscoreale* die 1 Februarii anni 1810; creatus Archiepiscopus Dyrrachiensis (*Durazzo*) die 17 Decembris anni 1847.

D. Servia.

19. Rmus Dominus FULGENTIUS CZAREV, Min. Obs. Provinciae Sancti Hieronymi Dalmatiae; natus in *Castel Abbadessa*, Dioecesis Spalatensis, die 15 Aprilis anni 1826; electus

Archiepiscopus Scopiensis *(Scopia)* die 28 Martii anni 1879.

E. Albania.

20. Rmus Dominus Albertus Cracchi, Min. Ref. Provinciae Sancti Didaci Insubriae; natus in *Landiona* die 1 Iulii anni 1821; creatus Episcopus Pulatensis *(Pulati)* die 24 Maii anni 1870.

21 Rmus Dominus Iulius Marsilli, Min. Obs. Provinciae Seraphicae; natus in *Greccio,* Dioecesis Reatinae, die 13 Iulii anni 1823; electus Episcopus Tranopolitanus *in p. inf.* die 15 Novembris anni 1873; Episcopus Sappensis mense Decembri anni 1873.

F. Bosnia.

22. Rmus Dominus Paschalis Vuicic, Min. Obs. Provinciae Bosniae, natus in *Imoschi* anno 1826; electus Episcopus Pulatensis die 1 Iunii anni 1868; translatus ad Sedem Episcopalem Antiphellensem (*Antifello*) *in p. inf.* die 28 Septembris anni 1860.

G. Herzegovina.

23. Rmus Dominus Paschalis Buconic, Min. Obs. Custodiae Herzegovinae; natus Drinovci *(Herzegovina)* die 2 Aprilis anni 1834; electus Episcopus Magitanensis *(Magida) in p. inf.* die 27 Februarii anni 1880; Vicarius Apostolicus Herzegovinae. In Consistorio die 18 Novembris anni 1881 translatus ad Ecclesiam Cathedralem *Mostar* cum adnexo titulo *Duvni,* erectam a Sanctitate Sua Leone XIII.

H. Europeum Turcarum Imperium.

24. Rmus Dominus Fidelis Abbati, Min. Ref. Provinciae Bononiensis, natus Mutinae die 31 Martii anni 1820; creatus Episcopus Sanctoriensis (*Santorina)* die 17 Martii anni 1863; post voluntariam abdicationem translatus fuit ad Sedem Episcopalem Gerrensem *(Gerra) in p. inf.* die 22 Septembris anni 1879. Constantinopoli residet.

I. Graecia.

25. Rmus Dominus Theophilus Massucci, Min. Ref. Provinciae Picenae, iam Praefectus Apostolicus Missionum Constantinopolis. Die 26 Septembris anni 1880 electus Episcopus Syrensis *(Sira*) ad Mare Ægeum.

II. ASIA.

A. Syria.

26. Rmus Dominus Ludovicus Piavi, Min. Obs. Provinciae Bononiensis, natus Ravennae die 17 Martii anni 1833; creatus die 13 Novembris anni 1876 Archiepiscopus Siunensis *(Siunia) in p. inf.* Vicarius Apostolicus Aleppi, Delegat. Apostol. pro Syria.

27. Rmus Dominus Gaudentius Bonfigli, Min. Obs. Provinciae Picenae, iam Custos Terrae Sanctae, die 10 Augusti anni 1881 promotus ad Ecclesiam Episcopalem Cassiensem *in p. inf.* deputatus in auxilium Rmo Domino Piavi Delegato Apostolico Syriae.

B. Sinae.

28. Rmus Dominus Aloysius Moccagatta, Min. Obs. Prov. Romanae, natus in *Castellazzo*, Dioecesis Alexandriae, die 9 Octobris anni 1809; creatus Episcopus Zenopolitanus *(Zenopoli*) *in p. inf.*, et Vicarius Apostolicus de *Xan-tong* die 13 Martii anni 1844; translatus ad Vicariatum Apostolicum *Xan-si* die 27 Septembris anni 1870.

30. Rmus Dominus Ephisius Chiais, Min. Obs. Provinciae Divi Thomae Taurini, natus Casolini die 17 Februarii anni 1808; electus Episcopus Tyenensis *(Tiene) in p. inf.*, et Vicarius Apostolicus *Xen-si* die 24 Februarii anni 1844.

29. Rmus Dominus Gregorius Grassi, Min. Obs. Provinciae Bononiensis, natus in *Castellazzo,* Dioecesis Alexandrinae, die 13 Decembris anni 1833; creatus die 28 Ianuarii anni 1876 Episcopus Orthosiensis *(Ortosia) in p. inf.* et deputatus Adiutor Vicarii Apostolici *Xan-si.*

31. Rmus Dominus Amatus Pagnucci, Min. Obs. Provinciae Thusciae, natus in *Ruota*, Archidioecesis Lucensis anno 1833; creatus Episcopus Agathonicensis *(Agatonica*) *in p. inf.*, et deputatus Adiutor Vicarii Apostolici *Xen-si* die 15 Aprilis anni 1867.

32. Rmus Dominus Eusebius Semprini, Min. Ref. Provinciae *Longobardiae*, natus in *Dongo,* Dioecesis Comi, die 26 Decembris anni 1823; electus Episcopus Tiberiopolitanus *(Tiberiopoli) in p. inf.*, die 28 Ianuariianni 1876, et deputatus Adiutor Vicarii Apostolici *Hu-nan* in Sina, cui successit mense Septembri anni 1877. Postremo Vicariatus Apostolicus *Hu-nan* cum in duos Vicariatus Apostolicos fuisset divisus, idest in *Hu-nan septentrionalem,* et *Hunan meridionalem*, Dominus Semprini mansit Vicarius Apostolicus *Hu-nan* meridionalis.

33. Rmus Dominus Eligius Cosi, Min. Obs. Provinciae Thusciae, natus in *Pontassieve,* Archidioecesis Florentinae, die 6 Maii anni 1819; electus Episcopus Prinensis (*Priene*) *in p. inf.* die 5 Februarii anni 1865, et Vicarius Apostolicus *Xan-tong* in Sinis die 27 Septembris anni 1870.

34. Rmus Dominus Eustachius Vitus Modestus Zanoli, Min. Ref. Provinciae Bononiensis, natus in *Monbirazzo* Aemiliae die 19 Maii anni 1831; electus Episcopus Eleutheropolitanus *(Eleuteropoli) in p. inf.*, et Vicarius Apostolicus *Hu-pé* die 15 Septembris anni 1861. Anno 1870 vastissimus Vicariatus *Hu-pé* cum divisus fuisset in tres Vicariatus, scilicet in *Hu-pé orientalem, Hu-pé semptentrionalem,* et *Hupé meridionalem,* Dominus Zanoli mansit Vicarius Apostolicus *Hu-pé Orientalis.*

35. Revmus Dominus Alexius Maria Filippi, Min. Ref. Provinciae Bononiensis, natus Mutinae die 16 Decembris anni 1818; electus Episcopus Paneadensis *(Paneade) in p. inf.*, et Vicarius Apostolicus *Hu-pé meridionalis* die 28 Ianuarii anni 1876.

36. Rmus Dominus Ezechias Banci, Min. Ref. Provinciae Thusciae, natus in *Semproniano,* Dioecesis Soanensis et Pitinianensis, die 22 Ianuarii anni 1833; electus Episcopus Halicarnassensis *(Alicarnasso) in p. inf.*, die 29 Maii anni 1871. Deputatus Vicarius Apostolicus *Hu-pé septentrionalis,* mense Septembri anni 1879.

III. AFRICA

37. Rmus Dominus Anacletus Chicaro, Min. Obs. Provinciae Romanae; electus in Consistorio diei 18 Maii anni 1881 Archiepiscopus Emesensis *in p. inf.*, Vicarius Apostolicus pro Latinis in Aegypto, et Delegatus Apostolicus pro Orientalibus Aegypti et Arabiae.

38. Rmus Dominus Iosephus Sebastianus Neto, Min. Obs. Collegii *Varatoio* in Lusitania, natus in *Lagis*, Dioecesis Pharonensis, die 8 Februarii anni 1841, promotus ad Episcopatum Angolensem et Conghensem (Coloniae Lusitanae Africae) die 22 Septembris anni 1879.

IV. AMERICA

39. Rmus Dominus Bernardus Pinol y Aycinena, Min. Obs. Provinciae Guatimalae, natus Guatimalae anno 1805; electus Episcopus Nicaraguae die 29 Novembris anni 1854; promotus Archiepiscop. Guatimalae die 30 Septembris anni 1867.

40. Rmus Dominus Ioannes Felix Zepèda, Min. Obs. Provinciae Guatimalae, natus in *Tegucigalfa,* Dioecesis de Comayagua, die 20 Novembris anni 1808; electus Episcopus Aerindelensis *in p. inf.*, et Auxiliaris Archiepiscopi Guatimalae die 15 Aprilis anni 1859; postea translatus ad Episcopatum de Comayagua in Republica Honduras die 22 Iulii anni 1865.

41. Rmus Dominus Bonaventura Rizo, Min. Obs. Provinciae Assumptionis, natus in Catamarca, Dioecesis Saltensis, die 4 Octobris anni 1811; electus Episcopus Saltensis *(Salta)* (in Confoederatione Argentina) die 13 Iulii Anni 1860.

42. Rmus Dominus Franciscus Solanus Risco, Minorum Obs. Provinciae Sanctorum XII Apostolorum, natus Limae anno 1829; electus Episcopus de Chachappoyas (*Peruvia)* die 27 Martii anni 1865.

43. Rmus Dominus Wenceslaus Achaval, Min. Obs. Provinciae Assumptionis, natus anno 1810 in Dioecesi Saltensi; electus Episcopus Sancti Ioannis *de Cuyo* (in Confoederatione Argentina) die 20 Decembris anno 1867.

44. Rmus Dominus Ioannes Antonius Puig y Monserrat, Min. Obs. Hispaniae natus in *Felinate* in Dioecesi Maioricensi die 20 Iulii anni 1813; electus Episcopus de Portorico *(Portorico,* Colonia Hispana in America) die 16 Ianuarii anni 1874.

45. Rmus Dominus Iosephus Masia, Min. Obs. Provinciae Catalauniae, natus in *Monroig,* Archidioecesis Tarraconensis (Hispania) anno 1815; electus Episcopus Loianensis (in Republica Aequatoris) die 15 Septembris anni 1875.

46. Rmus Dominus Mamertus Esquiù, Min. Obs. Provinciae Assumptionis, natus in *Piedrablanca* in Dioecesi Saltensi die 11 Maii anni 1826; electus Episcopus Cordubensis (in Confoederatione Argentina) die 27 Februarii anni 1880.

47. Rmus Dominus Bonaventura Portillo, Min. Obs. Collegii Apostolici sub titulo *Mariae Sanctissimae Zapopan*, natus in *Teocaltiche,* Dioecesis Guadalaxarae anno 1826; iam Definitor Generalis Ordinis, et Commissarius

Generalis pro Mexico; electus Episcopus Tricalensis *(Tricala) in p. inf.*, et Deputatus Vicarius Apostolicus Inferioris Californiae die 20 Augusti anni 1880.

V. OCEANIA.

48. Rmus Dominus BENEDICTUS ROMERO, Min. Alcant. Provinciae Sancti Gregorii in Insulis Philippinis; natus in Madrileio, Archidioecesis Toleti, die 3 Aprilis anni 1812; electus Episcopus Caebuanensis *(Cebu)* seu Nominis Iesu, in supradictis Insulis, die 28 Ianuarii anni 1876.

II.
ACTA ORDINIS

—

Singulos Provinciarum et Custodiarum Superiores rogamus ut, sicuti iam diximus in priore fasciculo, nobis transmittere velint:

1.° NUMERUM *Patrum* et Fratrum *Clericorum* et *laicorum* in singulis Provinciis et Custodiis etiam suppressis respective existentium.

2.° NUMERUM Patrum et Fratrum anno 1881, in eorum Provincia *defunctorum*.

3.° NUMERUM tandem *Novitiorum* qui eodem anno in Provincia ad Ordinem pro Clericatu vel Laicatu *admissi sunt*.

Omnia haec documenta in Archivio generalitio asservabuntur, quaedam vero, data occasione, in *Actis* discrete inserentur.

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1881 celebrata

—

Provincia Obs. Seraphica

In Conventu S. Mariae Angelorum die 30 Maii, Praesidente Rmo P. Ministro Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:
A. R. P. Stephanus a Castroplano.

CUSTOS PROVINCIAE:
R. P. Dionysius a Solerio.

DEFINITORES PROVINCIAE:
R. P. Cherubinus a Cryptis S. Stephani.
R. P. Gregorius a Perusio.
R. P. Felicianus a Fulginio.
R. P. Angelicus a Graecio.

Ista Provincia ante suppressionem, anno 1866, sequentes 31 Conventus habuit:

ASSISII, S. MARIAE ANGELORUM.
Amelia, B. M. V. Annuntiationis.
Bettona, S. Antonii.
Bevagna, B. M. V. Annuntiationis.
Brogliano, S. Bartholomaei.
Buonriposo, S. Crucis.
Cascia, S. Francisci.
Citerna, SS. Crucifixi.
Città di Castello, S. Ioannis.
Città della Pieve, S. Angeli.
Farneto, *SS. Pietà.*
Foligno, S. Bartholomaei.
Fratta *(Umbertide)*, S. Mariae.
Gualdo Tadino, B. M. V. Annuntiationis.
Isola Maggiore, S. Francisci.
Lugnano, S. Francisci.
Montefalco, S. Fortunati.
Montefranco, S. Bernardini.
Narni, S. Hieronymi.
Nocera, S. Ioannis Bapt.
Panicale, S. Antonii.
Pantanelli, S. Angeli.
Perugia *(il monte)*, S. Francisci.
Perugia, S. Hieronymi.
Pissignano, S. Antonii.
S. Anatoglia, S. Crucis.
Spello, S. Hieronymi.
Spoleto, S. Pauli.
Stroncone, S. Francisci.
Stroncone, S. Simeonis.
Terni, B. Mariae gratiarum.

—

Custodia Rec. S. Elisabeth Thuringiae

A Rmo P. Ministro Generali cum Definitorio Generali die 11 Iulii electi sunt:

CUSTOS REGIMINIS:
A. R. P. Iustinus Hiltermann.

DISCRETI CUSTODIAE:
A. V. P. Leonardus Malkmus.
A. V. P. Bonaventura Iahn.
A. V. P. Ferdinandus Müller.
A. V. P. Gregorius Schlitt.

Ista Custodia, quae ante suppressionem anno 1875 factam habuit 5 Conventus in regno borussico (Fulda, Salmünster, Ottbergen, Stetten et Marienthal), nunc habet 3 domus in America septentrionali, scilicet:

Paterson, S. Bonaventurae.
Croghan, S. Stephani.
Mohawk-Hill, S. Michaelis.

(continuabitur)

III.
MISSIONES

—

PROSPECTUS GENERALIS MISSIONUM ORDINIS

—

I. Europa.

Usque ad suppressionem, anni 1873 *Romae duo collegia* pro missionariis efformandis existebant, unum in Conv. *S. Bartholomaei in insula* pro Obs., alterum in Conventu *S. Petri in Montorio* pro Ref. Adhuc extant duo collegia pro Fratribus Recoll. Provinciae Hiberniae, scilicet *S. Isidori Romae,* et alterum *Capranicae* nuncupatum in Patrimonio S. Petri.

Neapoli habetur collegium *La Palma* nuncupatum pro conversione et educatione puerorum Maurorum Africae.

In *Hispania* sunt Collegia Alcantarinorum *Pastranae, Consuegrae, De Arenas, Montalban et Almagro* pro missionibus in insulis Philippinis, et Observantium *Compostellae* pro missionibus Terrae Sanctae et Marochii.

In *Lusitania* habetur tantum Seminarium scilicet Collegium Missionariorum S. Antonii in *Varatoio* apud *Torres Vedras* Dioecesi Bracharensis:

In Imperio Turcarum *Europaeo*

1. Praefectura Apostolica in *Epiro* Observantium, quae habet curam 7 parochiarum, scilicet in *Alessio* et *Rubigo* in dioecesi Alexien. *(Alessio)*; in *Trosciani* in dioecesi Sappen. *(Sappa)*; in *Capo-Redoni, Iannina, Bisa* et *Lacci-Sebaste* in archidioecesi Dyrrachien. *(Durazzo)*.

2. Praefectura Apostolica *Macedoniae* Reformatorum cum 5 parochiis, scilicet *Pedana* in dioecesi Alexien, *Luria, Biscasio, Basia* et *Prevesia* in archidioecesi Dyrrachien.

3. Praefectura Apostolica *Serviae* Reformatorum in archidioecesi Scopien. (*Scopia*)

4. Praefectura Apostolica Pulaten. *(Pulati)* Reformatorum in dioecesi eiusdem nominis, in Albania. Episcopus franciscanus non habet alium clerum nisi missionarios sui ordinis, qui inserviunt missionibus in *Sciossi, Kiri, Giovagni, Dusmani, Plauti, Marturi, Nikai, Toplana, Sciala* et *Raya,* in quibus habitant circa 12000 catholici.

5. Praefectura Apostolica *Castrati* Reformatorum in archidioecesi Antibaren. *(Antivari)* et Scodren. (*Scutari)* in Albania pro circiter 11000 catholicis sparsis in locis *Baiza, Castrati superiore, Arapsia-Hotti, Traboina, Vukli, Selze, Triepsci, Coccia, Gruda, Podgoriza, Livari* et *Sestani.* In civitate *Scutari* fratres habent hospitium et scholam.

6. Praefectura Apostolica *Constantinopolitana* Reformatorum pro catholicis *Constantinopoli, Smyrnae,* in *Insula principum, Burnabat, Metelino, Aivales, Magnesia, Rhodi* et *Tinos.*

In istis 6 Praefecturis laborant circiter 80 missionarii nostri Ordinis.

In *Bosnia,* ubi nuperrime hierarchia ecclesiastica instaurata fuit, Provincia Obs. missionaria curam habet 80 parochiarum cum circiter 140,000 catholicis.

In *Herzegovina,* Patres Observantes curam habent 19 parochiarum, in quibus habitant circiter 50,000 catholici.

Austria. In *Dalmatia,* Provincia Observantium SS. Redemptoris habet curam 66 parochiarum cum circiter 88,000 catholicis, qui descendunt praesertim ab illis, qui tempore invasionis Turcarum transmigrarunt e Bosnia ad montes Dalmatiae una cum Franciscanis, quibus post Deum sanctae catholicae fidei debitores sunt.

In *Transilvania,* Provincia Ref. S. Stephani curam habet 14 parochiarum et insuper istius Provinciae Religiosi assidue sunt occupati in convertendis schismaticis et israelitis.

Hollandia. Provincia Recoll. *Germaniae Inferioris* habet circa 70 Religiosos in missionibus Hollandiae superioris occupatos, qui ibi 24 parochiis praesunt. Saeculo XVI Franciscani in Hollandia saevissimis persecutionibus se exposuerunt, ut fidem catholicam ibi sartam tectamque servarent et multi eorum pro fide

catholica sanguinem suum fuderunt, inter quos eminent Ss. Martyres Gorcumienses a Pio IX b. m. anno 1867 in Album Sanctorum relati.

In unito regno *Angliae,* Provincia Recoll. Belgii circa 30 Religiosos habet in missionibus occupatos.

(RUSSIA. In Lithuania et Russia occidentali duae existebant Provinciae, Observantium una, Reformatorum altera, quae post persecutionem anni 1862 dispersae fuerunt et veluti ad nihilum redactae.)

—

II. ASIA.

Palaestina. Custodia Terrae Sanctae, quae se extendit per Palaestinam, Syriam, Armeniam, insulam Cyprum et Aegyptum inferiorem, numerat secundum novissimum Elenchum an. 1882 Solymis impressum 387 Religiosos ex variis familiis franciscanis in 9 Conventibus et 28 Hospitiis, habet 34 ecclesias, 28 parochias, 29 sanctuaria, 24 capellas, 70 domus pauperum, 22 scholas pro pueris et 6 pro puellis. Conventus sunt: Ierosolimis S. Salvatoris et S. Sepulchri, Bethlehem, S. Ioannis in montana, Nazareth, Aleppo, Larnaca in insula Cypro, Alexandriae in Aegypto et Cairi. Hospitia sunt in Emmaus, Ramle, Iaffa, Tiberias, Acri, Tiro, Saida, Berutti, Harissa, Damasco, Maarasc, Tripoli (civitate), Tripoli (maritima), Latachia, Nicosia et Limasol in insula Cypro, Constantinopoli, Rosetto, Faum, Kafar-Zaiat, Mansura, Damiata, Porto-Said, Ismalia, Suez Balacco, Aintab, Kenaie.

Franciscani iam ultra sexcentos annos custodiunt loca sancta, et sine exaggeratione affirmari potest, quod cursu 6 saeculorum Fratres Minores pro Terra Sancta Ecclesiae conservanda saepissime sanguinem fuderint, et non obstantibus multis ac magnis aerumnis, vexationibus et persecutionibus, ista loca per vitam passionem et mortem Salvatoris nostri sacrata semper strenue defenderint et pro catholicis inter infideles et heterodoxos dispersis indefesse laboraverint.

In Imperio Sinensi (China)

1. Vicariatus Apostolicus *Xen-si,* Min. Obs., divisus in 14 districtus, quorum quilibet habet 12 *christianitates,* cum circiter 23,000 catholicis.

2. Vicariatus Apostolicus *Xan-si,* Min. Obs., divisus in 15 districtus cum circiter 300 christianitatibus et 15,000 catholicis.

3. Vicariatus Apostolicus *Xan-tum,* Min. Obs. cum 10 districtibus et circiter 200 christianitatibus et 15,000 catholicis.

4. Vicariatus Apostolicus *Hu-nan* meridionalis, Min. Ref., cum circiter 25000 catholicis.

5. Vicariatus Apostolicus *Hu-pé* orientalis, Min. Ref.

6. Vicariatus Apostolicus *Hu-pé* septentrionalis, Min. Ref.

7. Vicariatus Apostolicus *Hu-pé* meridionalis, Min. Ref., cum circiter 16,000 catholicis.

In quolibet Vicariatu habetur Seminarium et orphanotrophium. In istis missionibus circa 50 Religiosi nostri Ordinis sunt occupati.

—

III. AFRICA.

1. In *Aegypto,* Custodia Terrae Sanctae habet Conventus et Hospitia, prout iam dictum est.

2. In *Aegypto superiori* est Praefectura Apostolica Ref. instituta praesertim pro conversione Coptorum schismaticorum, quae habet hospitia in *Cairo, Faium, Asciut, Tatha, Girgé, Farsciut, Kené, Negadé, Luxor.* Huic missioni inservientes Religiosi iam multos schismaticos ad unitatem fidei reduxerunt.

3. In *Barberia* est Praefectura Apostolica cum missionibus in *Tripoli, Bengasi, Derna, Misurata* et *Tobruck.*

4. In Imperio *Marochii* est Praefectura Apostolica Min. Obs. hispanorum cum stationibus in *Marochio, Ceuta* et *Magador.*

—

IV. AMERICA.

1. In *Statibus confoederatis* Americae septentrionalis in missionibus laborant Patres Ref. Custodiae *Buffalensis Immac. Conceptionis,* Ref. Custodiae *Cincinnatensis S. Ioannis Bapt.,* Recoll. Prov. *SS. Cordis Iesu,* Recoll. Custodiae *S. Elisabeth Thuringiae,* Ref. Provinciae Bavaricae *Ludovicopoli* et Patres Collegii *S. Barbarae* in California.

Nomina singulorum Conventum et missionum istarum Custodiarum dabimus occasione celebrati capituli.

2. In Republica *Mexicana* ante suppressionem erant 5 Provinciae, scilicet de *Xalisco, Mechoacan, S. Evangelii, de Zacatecas* et *Mexicana.* Insuper existebant septem Collegia missionum, *S. Crucis in Queretaro, Pachuca,*

S. Ferdinandi, Orizaba. Maria SS. Guadalupae, Zapopan et *Pueblae.* Numerus Religiosorum, post suppressionem, anno 1878, erat 369, quorum permulti adhuc ibi in missionibus laborant.

3. Provincia *Columbiae* in Nova Granata, nuper a Gubernio suppressa praeter 5 Conventus habebat duo Collegia missionum, in *Cali* et *Popayan,* in quorum primo adhuc sunt 4 Missionarii.

4. In *Guatemala* erat, praeter Provinciam, Collegium *SS. Crucifixi.* Post suppressionem anni *1872* Religiosi sunt dispersi.

5. In *Aequator* est Collegium in *Quito* et Conventus in *Guaiaquili* cum circiter 40 Religiosis.

6. In Republica *Peruana* sunt 5 Collegia, scilicet *Limae,* in *Cuzco, Ocopae, Arequipae, Caiamarcae* et Conventus *Icae,* cum circiter 120 Religiosis.

8. In *Chili* sunt tria Collegia missionum, scilicet in *Chillan,* in *Castro* et collegium *La Recolletta* dictum in civitate *Santiago,* in quibus laborant circiter 110 Religiosi.

8. In *Bolivia* sunt 5 Collegia, scilicet *Taria, Tarata, La Paz, Sucre* et *Potosi.* Circiter 160 Missionarii in istis Collegiis sunt occupati in convertendis barbaris tribubus Ciriguanorum etc.

8. In Republica *Argentina* sunt Collegia *S. Caroli* in *S. Lorenzo, S. Didaci* in *Salta, S. Francisci Solani* in *Rio Quarto* et Conventus Missionum in *Iuiui* et *Corrientes.* Ibi laborant circiter 90 Religiosi.

10. In *Brasilia* est parva Missio in *Manaos,* anno 1870 instituta pro conversione barbarorum Amazonum, in qua inserviunt 6 Religiosi.

—

V. Oceania.

1. In *Insulis Philippinis* existit Provincia Missionis Discalceatorum, decorata titulo *Provinciae Apostolicae,* quia dedit Ecclesiae sanctos et beatos Martyres Iaponenses. In dicta Provincia vivunt circiter 280 Religiosi, qui praesunt 134 parochiis cum circiter 800,000 catholicis.

2. In *Oceania centrali* sive Australia nova Missio Instituta est in *Sidney (Waverley),* cui inserviunt Missionarii Recoll. Provinciae Hiberniae.

—

Data occasione, de singulis Missionibus fusius agemus.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

Scriptores Ordinis nostri vel eorum Superiores rogamus, ut nobis opera edita transmittant, simulque pretium indicent, quo apud respectivos bibliopolas emi possint. Eosdem etiam exhortamur, ut in conventionibus cum typographis faciendis pretia favorabiliora pro libris ab Ordinis Conventibus emendis obtinere satagant.

Opera edita

ordine chronologico enumerata.

1861. Cristof. Colombo ed il Padre Giovanni Perez, Min. Oss., ossia la cooperazione dell'Ordine Francescano nella scoperta d'America, del P. Agostino d'Osimo, M. O., Ascoli tipogr. di Emidio Cesari. (L. 1,50)

1862. Manuale Praelati Franciscani in visitatione, dispositum a R. P. Alexandro a Crechio. Romae, typ. Monaldi. (L. 1,50)

1865. Regula tertii Ordinis saecularis S. Francisci, iussu Rmi P. Ministri Generalis eiusque Definitorii dispositus per P. Antonium de Cipressa, Obs. Prov. Romanae. Romae, typ. Bened. Guerra. (L. 1,50)

1867. Storia dei diciannove Martiri Gorcomiesi, scritta dal P. Agostino da Osimo M. O., Roma tipografia Monaldi.

1869. Ammaestramenti ai giovani che si apparecchiano a professare nell'Ordine di San Francesco d'Assisi pel P. Ermenegildo da Chitignano, Min. Ref. Prato, tipogr. di Ranieri Guasti. (L. 1,50.)

1870. Vita della Ven. serva di Dio Suor Maria di Gesù di Agreda, scritta dal P. Antonio M. da Vicenza, della Prov. Rif. di Venezia. Bologna, tip. Mareggiani. (L. 1.)

1870. Schematismus Calendarii perpetui a P. Ioseph M. a Suavio. Prov. Obs. Venetae.

Venetiis, ex typogr. Aemiliana. *(Opusculum utile Dispositoribus Calendarii annui).* (L. 1)

1870. Cenni sulla vita del servo di Dio P. Simone Filippovich M. O. dettati del pievano Romualdo Veccia. Ripatransone, tipogr. di C. Faffei. (L. 1,50)

1871. Storia di quarantacinque Martiri Giapponesi dell'Ordine di S. Francesco beatificati il dì 7 Luglio 1867, dal P. Luigi Tasso da Fabriano M. O. della Prov. della Marca. Roma, tipografia dei FF. Monaldi. (L. 2)

1872. Le Ragioni dell'onore dovuto al clero cattolico per P. Ermenegildo da Chitignano, Min. Rif., Missionario dell'Incontro. Prato per Ranieri Guasti. (L. 2,50)

1873. Frutti dell'albero della vita ovvero Lezioni morali date da Maria santissima alla Ven. Suor Maria di Gesù di Agreda, Francescana scalza Concezionista, ed ora estratte dalla Mistica Città di Dio e nuovamente tradotte dal P. Antonio M. da Vicenza, della Prov. Rif. di Venezia. Venezia tipog. Emiliana. (L. 3,50)

1874. S. Bonaventura e il secondo Concilio di Lione pel P. Giambattista Ortoleva da Mistetta, Ex-Def. Gen. Min. Rif. Roma, typ. della S. C. di Propag. fide (L. 1)

1874. Gesta e Dottrina del Serafico Dottore S. Bonaventura descritte dal P. Gaspare da Monte santo, della Prov. Oss. della Marca. Firenze, a spese degli Editori. (L. 1,75)

1874. Amore e scienza ossia La mente Serafica del glorioso Dottore S. Bonaventura. Meditaz. del P. Aless. Baroni, della Prov. Oss. Tosc. Roma e Firenze, tip. Cenniniana. (L. 5)

1874. Della Poesia nel Serafico Dottore S. Bonaventura. Pensieri del P. Francesco M. da Salerno, Min. Oss, (nunc Episcopo Venosino) Genova tipogr. della gioventù. (L. 2)

1874 S. Bonaventura e la SS. Vergine. Pensieri del P. Ugolino Fasolis, Min. Oss. Torino, tipogr. V. Vercellino. (L. 1,50)

1874. Salterio Mariano del Serafico Dottore S. Bonaventura recato in versi italiani. Camerino, tipogr. Borgarelli. (L. 1,50)

1874. S. Bonaventura, Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, a P. Isidoro a Buscomari, Min. Ref. Lect. Th. emer. Romae, ex typogr. S. C. de Propag. fide. (L. 1)

1874. Vita di S. Bonaventura, scritta dal P. Antonio M. da Vicenza, Lett. Th. della Prov. Rif. di Venezia. Roma, tipogr. S. C. di Prop. fide. (L. 2)

1874. Seraphicus Doctor Bonaventura in oecumenis catholicae ecclesiae conciliis cum Patribus Dogmata definiens. Disquisitio historico-theologica, a P. Ludovico a Castroplanio, Min. Obs. (L. 3)

1874. Messa a quattro voci composta nella ricorrenza del VI Centenario del Serafico Dottore S. Bonaventura. Roma, impressa dallo Stabilimento litografico Rolla. (L. 8)

1874. Della vera Filosofia e delle Dottrine filosofiche del Serafico Dottor S. Bonaventura. Studi del P. Marcellino da Civezza, Min. Oss. Genova, tipogr. della gioventù. (L. 5)

1876. L'Ontologismo e la questione già inedita del Serafico Dottore S. Bonaventura su la cognizione certudinale della verità pel Padre Giambattista Ortoleva da Mistretta, ex-Def. Gen. Min. Rif. Arcireale, tip. di Vinc. Strano. (L. 0,75)

1877. De correctione Calendarii Romani, a P. Ioseph M. de Suavio, Obs. Prov. Venetae. Venetiis, typogr. Aemiliana. *(Opusculum Directoribus Calendarii annui utile.)* (L. 1)

1878. De volmaakte Klooteroverste of de zes vleugelen van den serafien door den h. Bonaventura, Kardinal, Bisschop en Kerkleeraar van de Orde der Minderbroeders, vertaald door P. F. Stephanus Schoutens van deselfde Orde (Prov. Belg.) Lier. Ios. Van In en C. (Opusculum S. Bonaventurae *de sex alis Seraphim* flandrice redditum.)

1878. Santa Rosa di Viterbo, dramma per fanciulle, del Padre Raimondo Buldù Minore Osservante. Traduz. dall'originale spagnuolo di Cesare Guasti. Prato, tipografia di Ranieri Guasti. (L. 0,50)

1878. La Vergine. Breve storia della sua vita scritta dal P. Marcellino da Civezza, Minore Osservante. Terza edizione riveduta e in parte rifusa dall'autore. Prato tipografia Ranieri Guasti. (L. 3)

1878. Il soave mistero del concepimento immacolato della Vergine contemplato nel *Magnificat* e nel *Cantemus Domino*, venti discorsi con panegirico per Fr. Marcellino da Civezza, Minore Osservante. Seconda edizione ritoccata dall'autore. Prato per Ranieri Guasti. (L. 2)

1879. La Vergine di Nazareth contemplata nei principali tratti di sua vita nel mese di maggio a lei consacrato per il P. Marcellino da Civezza, Minore Osservante. Terza edizione riveduta e in parte rifusa dall'autore. Prato per Ranieri Guasti. (L. 3)

1879. La Vergine desolata dopo la morte del Figliuolo suo Gesù. Nove brevi discorsi per la sera del Venerdì santo del P. Marcellino da Civezza, Minore Osservante. Seconda edizione riveduta dall'autore. Prato per Ranieri Guasti. (L. 1)

1879. Doctrine spirituelle de S. François d'Assise, par le P. Apollinaire, M. O. de la Province de S. Louis. Imprimerie de l'œuvre St Paul, rue de Lille 51 Paris 1 vol. in 8. (5 fr.)

In hac ornatissima editione digestae sunt, sub titulis materiarum ordine theologico distributis, praecipuae S. P. N. Francisci exhortationes vitam spiritualem concernentes. Cunctos fideles, sed praesertim Tertio Ordini adscriptos, praedictum opus maxime iuvabit.

1881. Vita del Beato Carlo da Sezze, laico professo dei Minori Riformati della Provincia Romana, composta dal P. Antonio M. da Vicenza, Provinciale della Prov. Rif. di Venezia. Venezia, tipog. Emiliana. (L. 2)

V.
NECROLOGIA

Monemus Rev. admodum Patres Provinciales, in hac necrologia nomina recenseri Confratrum dumtaxat illorum qui vel pietatis vel scientiae vel dignitatis praestantia excelluerunt et ab anno 1881 e vita migrarunt.

R. P. Fidelis a Fanna

Gravem fecit iacturam tum Ordo noster Seraphicus tum res litteraria universa praematura morte R. P. Fidelis a Fanna, Lectoris s. theologiae et Operibus S. Bonaventurae edendis Praefecti, qui 12 Augusti 1881 pie in Domino obiit in Collegio nostro S. Bonaventurae, ad Claras Aquas (vulgo Quaracchi) prope Florentiam erecto. Natus est P. Fidelis 24 Dec. 1838 a parentibus humilis quidem conditionis, sed honestis Osvaldo Maddalena et Angela Marusmattius in parvo vico Fannae provinciae Fori Iulii (Friuli). Primis litterarum elementis in patria imbutus, mox Venetiis sub disciplina pii et docti sacerdotis Ioh. Baptistae Piamonte in studiis humanitatis versatus est. Post biennium divina voce ad Ordinem Seraphicum amplectendum vocatus, a Rmo P. Bernardino a Portu Romatino, actuali Ministro Generali totius Ordinis S. Francisci et illo tempore Ministro Provinciali Reformatae Venetiarum Provinciae, habitum religiosum 29 Sept. 1855 in Conventu S. Michaelis in Insula suscepit, et solemnem professionem in manibus eiusdem 19 Septembris 1858 emisit. Praeclaro ingenio, rara diligentia atque firmo constantique animo praeditus, insignes fecit progressus in studiis rethoricae (1856-57), philosophiae (1858-59) et s. theologiae (1860-63), quo tempore etiam doctrina vere Seraphica S. Bonaventurae initiatus est, duce A. R. P. Antonio a Vicetia, ipsius in philosophicis et dogmaticis disciplinis Lectore, nunc suae Provinciae Provinciali dignissimo, atque Breviloquii S. Bonaventurae editione notis illustrata benemerito. Ordine presbyteratus Pater Fidelis insignitus est 26 Ian. 1862. Iam ita in scientiis excultus et maturus Superioribus suis visus est, ut ipsi, studiis passivis nondum plene finitis, munus Lectoris imponerent; nec spes de eo concepta fefellit. Philosophicas disciplinas et Breviloquium S. Bonaventurae optime in scholis nostris explicavit; sed ob temporum vicissitudines pluries cum suis Clericis studentibus locum mutare coactus est, docendo 1866-67 in Conventu Schwaz Provinciae S. Leopoldi Tirolensis et deinde in Conventu Cimella prope Nicaeam (Nizza). Anno tamen 1869 gravi pectoris morbo bis repetito coactus est docendi muneri renuntiare. Occasione a Concilio Vaticano data, 9 Febr. 1870 a Rmo Ministro Generali P. Bernardino Romam vocatus est, ut genuinam S. Bonaventurae de praerogativis Summi Pontificis doctrinam defenderet,

quod brevissimo tempore absolvit egregio opusculo: *Seraphici Doctoris S. Bonaventurae de Romani Pontificis Primatu et Infallibilitate.* Paulo post contra pseudoliberalismum quorumdam catholicorum scripsit italica lingua tractatum: *Urgente escursione contro una mano di ausiliari massonici,* Venezia 1871.

Cum autem Rmus Minister Generalis Pater Bernardinus a Portu Romatino in votis haberet, ut editio omnium operum S. Bonaventurae novis curis et studiis in lucem prodiret, P. Fideli anno 1870 arduam huius consilii executionem commisit. Qui, diligentissimis studiis praeparatoriis praemissis, mox perspexit, non sufficere antiquas editiones utcumque recognitas iterum praelo subiicere, sed meliores codices manuscriptos ex bibliothecarum pulvere esse conquirendos, consulendos, ad apicem conferendos, ut nova illa editio foret et completa et iuxta artis criticae regulas adornata. Unde, speciali diplomate Rmi P. Generalis munitus, per octo annos omnes Europae terras, si excipias Russiam et Suetiam, paragravit, nec ulli cedebat difficultati, nec parcebat labori, ut colligeret quotquot in bibliothecis tum publicis tum privatis supersunt monumenta ad opera S. Bonaventurae aliquo modo spectantia. Hac ratione et plura hucusque anecdota Seraphici Doctoris opera, in pulvere bibliothecarum delitescentia, invenit, et meliores iam editorum librorum codices ad textum saepe depravatum vel mutilum emendandum conquisivit, et plurima historiae litterariae documenta detexit, quae serviunt ad determinandas tot quaestiones circa genuina s. Doctoris opera inter criticae artis peritos obortas nec hucusque sufficienti modo solutas. Incredibili labore parique et diligentia et rara artis paleographicae peritia fere *quadringentas* bibliothecas perlustravit, et plurium sociorum auxilio suffultus, in multis voluminibus ad minus 50,000 codices accuratius examinatos descripsit. In his commentariis suis, praeter ea quae ad s. Bonaventuram spectant, diligenter adnotavit etiam aliorum auctorum codices manuscriptos memoratu dignos, praesertim codices, qui adhuc extant, omnium nostri Ordinis Scriptorum, usque ad saeculum 16 viventium, quorum opera magna ex parte nondum praelo publicata, et non pauca ipsi Waddingo et Sbaraglia sunt incognita.

Festo saeculari ab obitu S. Bonaventurae 1874 sexto redeunte, publicavit librum a viris doctis ubique cum plausu receptum: *Ratio novae collectionis Operum omnium Seraph. Doct. S. Bonaventurae,* Taurini, Marietti. Cum Rmus Minister Generalis domum idoneam sub titulo Collegii S. Bonaventurae parasset, in quo editores arduo suo et longo labori melius vacare possent, P. Fidelis annis 1878-79, praeter bibliothecarum perlustrationem, non parum curae et laboris suscepit, ut Collegio bibliothecam idoneam compararet. A festo S. Bonaventurae 1879 cum pluribus sociis ibi congregatis proximae praeparationi eiusdem editionis totis viribus incumbebat.

Sed inscrutabili divinae providentiae consilio accidit, ut in Quadragesima 1880, cum nonnullas superioris Italiae bibliothecas nimio labore perlustraret, ultimi morbi pulmonalis germen susciperet. A fine mensis Maii eiusdem anni gravi morbo affectus et lenta tabe consumptus est. Eucharistico saepissime cibo aliisque Ecclesiae sacramentis rite munitus, Summi Pontificis benedictione Apostolica, et ultimo vitae suae die praesentia Reverendissimi P. Generalis, sui in Christo Patris, consolatus, et divinae voluntati penitus subiectus, die festo S. Clarae, pie inter Fratrum preces in Domino obdormivit. « *Consummatus in brevi* (vix 43 annorum tempore) *explevit tempora multa.* » Sap. 4. 13.

Adm. R. P. Hyacinthus a Maria Virgine. Strictionis Observantiae S. Petri de Alcantara in Provincia Neapolitana, iam bis Minister, et Postulator Causarum servorum Dei, obiit Neapoli die 18 Februari anni 1881, annorum 80 quorum 63 in Religione degerat.

Quamvis nulla suffragia pro Defunctis, de quibus in hisce *Actis* mentio fiet, extra propriam Provinciam praescripta sint, eosdem tamen omnium Provinciarum pietati commendamus, et enixe rogamus, ut animae de Ordine meritissimae per Fratrum orationes subleventur.

Imprimatur
Fr. Bernardinus Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EPISTOLA ENCYCLICA

Summi Pontificis, in qua praesentes Ecclesiae calamitates in Italia speciatim describuntur et remedia imminentibus periculis apponenda proponuntur.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

EPISTOLA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS IN REGIONE ITALICA

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES

Salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi Nos, pro auctoritate atque amplitudine Apostolici muneris, et universam christianam rempublicam et singulas eius partes maxima, qua possumus, vigilantia et caritate complectimur: nunc tamen singulari quadam ratione curas cogitationesque Nostras ad se Italia convertit. - Quibus in cogitationibus et curis altius quiddam rebus humanis diviniusque suspicimus: anxii enim et solliciti sumus de salute animarum sempiterna; in qua tanto magis fixa et locata esse omnia studia Nostra oportet, quanto eam maioribus periculis videmus oppositam. - Cuius generis pericula, si magna unquam in Italia fuerunt, maxima profecto sunt hoc tempore, cum ipse rerum publicarum status magnopere sit incolumitati religionis calamitosus. Eamque ob caussam Nos movemur vehementius, quod singulares coniunctionis necessitudines Nobis cum Italia intercedunt, in qua Deus domicilium Vicarii sui, magisterium veritatis, et catholicae unitatis centrum collocavit. - Alias quidem multitudinem monuimus, ut sibi caveret, et singuli intelligerent, quae sua sint in tantis offensionum caussis officia. Nihilominus, ingravescentibus malis, volumus in ea Vos, Venerabiles Fratres, mentem diligentius intendere, et, communium rerum inclinatione perspecta, munire vigilantius populorum animos, omnibusque praesidiis firmare, ne thesaurus omnium pretiosissimus, fides catholica diripiatur.

Perniciosissima hominum secta, cuius auctores et principes non celant neque dissimulant quid velint, in Italia iamdiu consedit: denunciatisque Iesu Christo inimicitiis, despoliare penitus institutis christianis multitudinem contendit. Quantum audendo processerit, nihil attinet dicere hoc loco, praesertim cum extent Vobis, Venerabiles Fratres, ante oculos vel religioni vel moribus illatae iam labes et ruinae. - Apud italas gentes, quae in avita religione constanter et fideliter omni tempore permanserunt, imminuta nunc passim Ecclesiae libertas est, atque acrius in dies hoc agitur, ut ex omnibus publice institutis forma illa et veluti character christianus deleatur, quo semper fuit Italorum non sine caussa nobilitatum genus. Sublata sodalium religiosorum collegia: proscripta Ecclesiae bona: rata citra ritus catholicos connubia; in institutione iuventutis nullae potestati ecclesiasticae partes relictae. - Neque finis est nec modus ullus acerbi et luctuosi belli cum Apostolica Sede suscepti, cuius caussa incredibiliter Ecclesia laborat, Romanusque Pontifex in summas angustias compulsus est. Is enim civili principatu spoliatus necesse fuit ut in alienam ditionem potestatemque concederet. - Urbs autem Roma, augustissima urbium

christianarum, exposita est et patet quibuslibet Ecclesiae hostibus, profanaque rerum novitate polluitur, scholis et templis ritu haeretico passim dedicatis. Quin immo exceptura fertur hoc ipso anno legatos et capita inimicissimae rerum catholicarum sectae, huc ad singulare quoddam concilium coetumque profecturos. Quibus quidem huius deligendi loci satis apparet quae caussa fuerit: videlicet conceptum adversus Ecclesiam odium explere procaci iniuria volunt, Romanoque Pontificatu in ipsa sede sua lacessendo, funestas belli faces proxime admovere. Dubitandum profecto non est, quin impios hominum conatus ecclesia aliquando victrix effugiat: certum tamen, exploratumque est, his artibus eos hoc assequi velle, una cum Capite totum Ecclesiae corpus afficere et religionem, si fieri possit, extinguere.

Quod sane velle eos, qui se italici nominis amantissimos profitentur, incredibile videretur; nam italicum nomen, intereunte fide catholica, maximarum utilitatum fonte prohiberi necesse esset. Etenim si religio christiana cunctis nationibus optima salutis praesidia peperit, sanctitatem iurium, tutelam iustitiae; si caecas ac temerarias hominum cupiditates virtute sua ubique edomuit, comes et adiutrix omnium rerum quae honestae sunt, quae laudabiles, quae magnae: si varios civitatum ordines, et diversa reipublicae membra ad perfectam stabilemque concordiam ubique revocavit, horum profecto beneficiorum copiam uberius quam ceteris Italorum generi impertivit. - Est quidem nimis multorum haec labes et macula, ut obesse et nocere saluti aut incremento reipublicae Ecclesiam dicant: Romanumque Pontificatum prosperitati et magnitudini italici nominis inimicum putent. Sed istorum querelas absurdasque criminationes aperte superiorum temporum omnia monumenta convincunt. Revera enim Ecclesiae summisque Pontificibus Italia maxime debet, quod gloriam suam apud omnes gentes propagavit, quod iteratis barbarorum impressionibus non succubuit, et immanes Turcarum impetus invicta repulit, et multis in rebus aequam legitimamque libertatem diu conservavit, et pluribus iisdemque immortalibus optimarum artium monumentis civitates suas locupletavit. - Neque postrema Romanorum pontificum haec laus est, quod provincias italicas ingenio moribusque diversas communi fide et religione unas semper conservaverint, et a discordiis omnium funestissimis liberaverint. Atque in trepidis calamitosisque temporibus non semel erant publicae res ad extremos casus praecipitaturae, nisi Pontificatus Romanus ad salutem valuisset. - Neque futurum est, ut minus valeat in posterum, modo ne voluntas hominum obsistens virtutem eius intercipiat, seu libertatem impediat. Etenim vis illa benefica, quae in institutis catholicis inest quoniam ab ipsa eorum natura sponte proficiscitur, immutabilis est et perpetua. Quemadmodum pro salute animarum omnia religio catholica et locorum et temporum intervalla complectitur, ita etiam in rebus civilibus ubique et semper sese ad hominum utilitates porrigit atque explicat.

Tot vero ereptis tantisque bonis, summa mala succedunt; quoniam qui sapientiam christianam oderunt, iidem, quidquid contra fieri a se dicant, ad perniciem devocant civitatem. Istorum enim doctrinis nihil est magis idoneum ad inflammandos violenter animos, concitandasque perniciosissimas cupiditates. Sane in iis quae cognitione scientiaque continentur, coeleste fidei lumen repudiant: quo extincto, mens humana in errores saepissime rapitur, nec vera cernit, atque illuc facile evadit, ut in humilem foedumque *materialismum* abiiciatur. Spernunt in genere morum aeternam immutabilemque rationem, et supremum legum latorem ac vindicem Deum despiciunt: quibus sublatis fundamentis, consequens est, ut, nulla satis idonea legum sanctione, omnis vivendi norma ab hominum voluntate arbitrioque sumatur. In civitate vero ex immodica libertate, quam praedicant et volunt, licentia gignitur: licentiam sequitur perturbatio ordinis, quae est maxima et funestissima pestis reipublicae. Revera nulla fuit aut deformior species, aut miserior conditio civitatis, quam illa in qua tales et doctrinae et homines valere aliquandiu potuerunt. Ac nisi recentia exempla suppeterent, id fidem excedere videretur, potuisse homines scelere audaciaque furentes in tanta excidia ruere, et retento ad ludibrium libertatis nomine, in caede et incendiis debacchari. - Quod si tantos nondum sensit Italia terrores, primo quidem singulari Dei beneficio tribuere, id quoque caussae fuisse statuere debemus, quod, cum itali homines numero

longe maximo in religione catholica studiose perseverarint, idcirco flagitiosarum opinionum, quas diximus, dominari libido non potuit. Verum si haec, quae religio praebet, munimenta perrumpantur, continuo Italia in eos casus ipsos delaberetur, qui maximas et florentissimas nationes aliquando perculerunt. Etenim necesse est, ut similitudinem doctrinarum exitus similes consequantur: et quoniam in eodem vitio sunt semina, fieri non potest, quin fructus plane eosdem effundat. Immo vero maiores fortasse poenas violatae religionis gens italica lueret, quia perfidiam et impietatem culpa ingrati animi cumularet. Non enim casu aliquo, aut levi hominum voluntate datum est Italiae, ut partae per Iesum Christum salutis vel a principio esset particeps, et Beati Petri Sedem in sinu gremioque suo collocatam possideret, et longo aetatum cursu iis, quae a religione catholica sponte fluunt, maximis et divinis beneficiis perfrueretur. Quapropter metuendum sibi magnopere esset quod ingratis populis Paulus Apostolus minaciter nunciavit: « *Terra saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo: proferens autem spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* (1) »

Prohibeat Deus hanc tantam formidinem; atque omnes pericula serio considerent, quae partim iam adsunt, partim impendent ab iis, qui non communi utilitati, sed *sectarum* commodis servientes, capitales cum Ecclesia inimicitias exercent. Qui certe, si saperent, si vera caritate patriae tenerentur, nec de Ecclesia diffiderent, nec de nativa eius libertate detrahere, iniuriosis suspicionibus adducti, conarentur: immo vero consilia ab ea oppugnanda ad tuendam adiuvandamque verterent: idque in primis providerent, ut Pontifex Romanus sua iura reciperet. — Etenim suscepta cum Apostolica Sede contentio quanto plus Ecclesiae nocet, tanto minus est incolumitati rerum italicarum profutura. De qua re alio loco mentem Nostram declaravimus: « Dicite, publicas Italiae res neque prosperitate « florere, neque diuturna tranquillitate posse « consistere, nisi Romanae Sedis dignitati et « summi Pontificis libertati, prout omnia iura « postulant, fuerit consultum ».

(1) Hebr. VI, 7-8.

Quapropter, cum nihil magis velimus, quam ut res christiana salva sit, cumque praesenti italicarum gentium discrimine commoveamur, Vos vehementius quam unquam alias, Venerabiles Fratres, hortamur, ut studium caritatemque Vestram ad comparanda tot malorum remedia Nobiscum conferatis. — Et primum quidem edocete summa cum cura populos, quanti sit fidem catholicam possidere, et quam magna eiusdem tuendae necessitas. — Quoniam vero hostes et oppugnatores catholici nominis, quo facilius male cautos decipiant, multis in rebus aliud agunt, aliud simulant, valde interest occulta eorum consilia patefieri in lucemque proferri, ut scilicet, comperto quid reapse velint et qua caussa contendant, excitetur in catholicis hominibus ardor animi, et Ecclesiam, Romanum Pontificem, hoc est salutem suam viriliter aperteque defendant.

Multorum ad hanc diem virtus, quae plurimum potuisset, visa est aliquantum in agendo lenta et in labore remissa, sive quod insueti rerum essent animi, sive quod periculorum non satis fuerit magnitudo perspecta. Nunc vero, cognitis experiendo temporibus, nihil esset perniciosius, quam perferre oscitanter longinquam improborum malitiam, expeditumque ipsis locum relinquere rei christianae ad libidinem suam diutius vexandae. Ii quidem prudentiores quam filii lucis multa iam ausi: inferiores numero, calliditate et opibus validiores, haud longo tempore magna apud nos malorum incendia excitaverunt. Intelligant igitur quicumque amant catholicum nomen, tempus iam esse conari aliquid, et nullo pacto languori desidiaeque se dedere, cum nemo celerius opprimatur, quam qui vecordi securitate quiescunt. Videant quam nihil reformidarit veterum illorum nobilis et operosa virtus: quorum et laboribus et sanguine fides catholica adolevit. Vos autem, Venerabiles Fratres, excitate cessantes, cunctantes impellite; exemplo et auctoritate Vestra universos confirmate ad exercenda constanter et fortiter officia, quibus actio vitae christianae continetur. — Ad hanc alendam augendamque experrectam virtutem, curare ac providere opus est, ut numero, consensu, efficiendis rebus, floreant lateque amplificentur *societates*, quibus maxime propositum sit fidei christianae virtutumque ceterarum retinere et incitare studia. Tales sunt consociationes iuve-

num, opificum; quaeque constitutae sunt aut coetibus catholicorum hominum in tempora certa agendis, aut inopiae miserorum levandae, et tuendae dierum festorum religioni, et pueris ex infima plebe erudiendis: aliaeque ex eodem genere complures. — Et cum rei christianae quam maxime intersit Pontificem Romanum in gubernanda Ecclesia et esse et videri ab omni periculo, molestia, difficultate liberum, quantum lege possunt agendo, rogandos contendendo, tantum, Pontificis caussa, enitantur et efficiant; neque ante quiescant, quam sit Nobis, reapse non specie, libertas restituta, quacum non modo Ecclesiae bonum, sed et secundus rerum italicarum cursus, et christianarum gentium tranquillitas necessario quodam vinculo coniungitur.

Deinde vero permagni refert publicari et longe lateque fluere salubriter scripta. — Qui capitali odio ab Ecclesia dissident, scriptis editis decertare, iisque tamquam aptissimis ad nocendum armis uti consueverunt. Hinc teterrima librorum colluvies, hinc turbulentae et iniquae ephemerides, quarum vesanos impetus nec leges frenant, nec verecundia continet. Quidquid est proximis his annis per seditionem et turbas gestum, iure gestum esse defendunt: dissimulant aut adulterant verum: Ecclesiam et Pontificem maximum quotidianis maledictis falsisque criminationibus hostiliter petunt: nec ullae sunt tam absurdae pestiferaeque opiniones, quas non disseminare passim aggrediantur. Huius igitur tanti mali, quod serpit quotidie latius, sedulo prohibenda vis est: nimirum oportet severe et graviter adducere multitudinem, ut intento animo sibi caveat, et prudentem in legendo delectum religiosissime servare velit. Praeterea scripta scriptis opponenda, ut ars quae potest plurimum ad perniciem eadem ad hominum salutem et beneficium transferatur, atque inde remedia suppetant, unde mala venena quaeruntur. — Quam ad rem optabile est, ut saltem in singulis provinciis ratio aliqua instituatur demonstrandi publice, quae et quanta sint singulorum christianorum in Ecclesiam officia, vulgatis ad id scriptionibus crebris, et quoad fieri potest, quotidianis. In primis autem sint in conspectu posita religionis catholicae in omnes gentes praeclara merita: explicetur oratione virtus eius privatis publicisque rebus maxime prospera et salutaris: statuatur quanti sit, celeriter Ecclesiam ad illum dignitatis locum in civitate revocari, quem et divina eius magnitudo, et publica gentium utilitas vehementer postulat. — Harum rerum causa necesse est, ut qui animum ad scribendum appulerint, plura teneant: videlicet idem omnes in scribendo spectent: quod maxime expedit id constituant iudicio certo et efficiant: nihil ex iis rebus praetermittant, quarum utilis atque expetenda cognitio videatur: gravitate et moderatione dicendi retenta, errores et vitia reprehendant, sic tamen ut careat acerbitate reprehensio, personisque parcatur: deinde orationem adhibeant planam atque evidentem, quam facile queat multitudo percipere. — Reliqui autem omnes, qui vere et ex animo cupiunt, florere res et sacras et civiles ingenio hominum litterisque defensas, hos litterarum ingeniique fructus tueri liberalitate sua studeant; et ut quisque ditior est, ita potissimum re fortunaque sustineat. Iis enim, qui scribendo dant operam, omnino afferenda sunt huius generis adiumenta: sine quibus aut nullos ipsorum industria habitura est exitus, aut incertos et perexiguos. — In quibus rebus omnibus si quid nostris hominibus incommodi impendet, si qua est dimicatio subeunda, audeant tamen sese obvios ferre, cum homini christiano nulla sit adeundi vel incommoda vel labores caussa iustior, quam ne lacerari ab improbis religionem patiatur. Neque enim hac filios lege Ecclesia aut genuit, aut educavit, ut, cum tempus et necessitas cogeret, nullam ab iis opem expectaret, sed ut singuli eorum otio privatisque utilitatibus salutem animarum et incolumitatem rei christianae anteponerent.

Praecipuae autem curae cogitationesque Vestrae, Venerabiles Fratres, in eo evigilare debent ut ministros Dei idoneos rite instituatis (1). Quod si Episcoporum est, plurimum operae et studii in fingenda probe omni iuventute ponere, longe plus ipsos elaborare in clericis verum est, qui in Ecclesiae spem adolescunt, et participes adiutoresque munerum sanctissimorum sunt ali-

(1) Superioribus Provinciarum et Custodiarum, Lectoribus nostris et Clericorum studentium Magistris commendamus ut has Summi Pontificis adhortationes in mente semper habeant et adimplere conentur, quum e iuvenum accurata educatione et disciplina praesertim pendeant et Ecclesiae praebenda utilitas, et singularum Provinciarum profectus, et Ordinis universi decus.

quando futuri. — Caussae profecto graves et omnium aetatum communes decora virtutum multa et magna in sacerdotibus postulant: verumtamen nostra haec aetas plura quoque et maiora admodum flagitat. Revera fidei catholicae defensio, in qua laborare maxime sacerdotum debet industria, et quae est tantopere his temporibus necessaria, doctrinam desiderat non vulgarem neque mediocrem, sed exquisitam et variam; quae non modo sacras, sed etiam philosophicas disciplinas complectatur, et physicorum sit atque historicorum tractatione locuples. Eripiendus est enim error hominum multiplex, singula christianae sapientiae fundamenta convellentium: luctandumque persaepe cum adversariis apparatissimis, in disputando pertinacibus, qui subsidia sibi ex omni scientiarum genere astute conquirunt. — Similiter cum hodie magna sit et ad plures diffusa corruptela morum singularem prorsus oportet in sacerdotibus esse virtutis constantiaeque praestantiam. Fugere quippe consuetudinem hominum minime possunt: immo applicare se propius ad multitudinem ipsis officii sui muneribus iubentur: idque in mediis civitatibus, ubi nulla iam fere libido est, quin permissam habeat et solutam licentiam. Ex quo intelligitur, virtutem in Clero tantum habere virium hoc tempore debere, ut possit se ipsa tueri firmiter, et omnia cum blandimenta cupiditatum vincere, tum exemplorum pericula sospes superare. — Praeterea conditas in Ecclesiae perniciem leges consecuta passim clericorum paucitas est: ita plane, ut eos qui in sacros ordines Dei munere leguntur, duplicare operam suam necesse sit, et excellenti sedulitate, studio, devotione exiguam copiam compensare. Quod quidem aliter facere non possunt, nisi animum gerant tenacem propositi, abstinentem, incorruptum, caritate flagrantem, in laboribus pro salute hominum sempiterna suscipiendis promptum semper atque alacrem. Atqui ad huiusmodi munera est adhibenda praeparatio diuturna et diligens: non enim tantis rebus facile et celeriter assuescitur. Atque illi sane in sacerdotio integre sancteque versabuntur, qui sese in hoc genere ab adolescentia excoluerint, et tantum disciplina profecerint, ut ad eas virtutes, quae commemoratae sunt, non tam instituti quam nati videantur.

His de caussis, Venerabiles Fratres, iure Seminaria clericorum sibi vindicant plurimas et maximas animi, consilii, vigilantiae Vestrae partes. Quod ad virtutem et mores, minime fugit sapientiam Vestram, quibus abundare praeceptis et institutis adolescentem clericorum aetatem oporteat. — In gravioribus autem disciplinis, Litterae Nostrae Encyclicae — *Aeterni Patris* — viam rationemque studiorum optimam indicaverunt. Sed quoniam in tanto ingeniorum cursu plura sunt sapienter et utiliter inventa, quae minus decet non habere perspecta, praesertim cum homines impii quidquid incrementi affert dies in hoc genere, tamquam nova tela in veritates divinitus traditas intorquere consueverint, date operam, Venerabiles Fratres, quantum potestis, ut alumna sacrorum iuventus non modo sit ab investigatione naturae instructior, sed etiam iis artibus apprime erudita, quae cum sacrarum Litterarum vel interpretatione vel auctoritate cognationem habeant. — Illud certe non ignoramus, ad elegantiam studiorum optimorum res esse necessarias: quarum tamen Sacris Seminariis italicis adimunt aut minuunt importunae leges facultatem. — Sed hac etiam in re tempus postulat, ut largitate et munificentia bene de religione catholica promereri nostrates studeant. Voluntas maiorum pia et benefica egregie eiusmodi necessitatibus providerat; atque illud Ecclesia assequi prudentia et parsimonia potuerat, ut tutelam et conservationem rerum sacrarum nequaquam haberet necesse caritati filiorum suorum commendare. Sed patrimonium eius legitimum aeque ac sacrosanctum, cui superiorum aetatum iniuria pepercerat, nostrorum temporum procella dissipavit: quare caussa renascitur, cur qui diligunt catholicum nomen, animum inducant maiorum liberalitatem renovare. Profecto Gallorum, Belgarum, aliorumque in caussa haud multum dissimili illustria sunt munificentiae documenta, non modo aequalium, sed etiam posterorum admiratione dignissima. Neque dubitamus, quin italica gens communium rerum consideratione permota, id pro viribus actura sit, ut et se patribus suis dignam impertiat, et ex fraternis exemplis capiat quod imitetur.

In his rebus, quas diximus, profecto haud minimam habemus spem solatii incolumitatisque repositam. — Verum cum in omnibus con-

siliis, tum maxime in iis, quae salutis publicae caussa suscipiuntur, omnino ad humana praesidia accedere necesse est opem omnipotentis Dei, cuius in potestate sunt non minus singulorum hominum voluntates, quam cursus et fortuna imperiorum. Quapropter invocandus summis precibus Deus, orandusque, ut tot eius beneficiis ornatam atque auctam respiciat Italiam; in eaque fidem catholicam, quod est maximum bonum, cunctis periculorum suspicionibus depulsis, perpetuo tueatur. Hanc ipsam ob caussam imploranda suppliciter est Immaculata Virgo Maria, magna Dei parens, fautrix et adiutrix consiliorum optimorum, una cum Sanctissimo Sponso eius Iosepho, custode et patrono gentium christianarum. Ac pari studio obsecrare opus est Petrum et Paulum, magnos Apostolos, ut in italicis gentibus fructum laborum suorum incolumem custodiant, nomenque catholicum, quod maioribus nostris suo ipsi sanguine pepererunt, apud seros posteros sanctum inviolatumque conservent.

Horum omnium caelesti patrocinio freti auspicem divinorum munerum, et precipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem Vobis universis, Venerabiles Fratres, et populis fidei Vestrae commissis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum, die XV Februarii an. MDCCCLXXXII, Pontificatus nostri anno quarto.

LEO PP. XIII.

Breve Beatificationis Ven. Servi Dei Humilis a Bisiniano, habitae die 29 Ianuarii 1882.

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Nullo unquam tempore Catholica Ecclesia viris caruit omnium virtutum splendore conspicuis, qui re ipsa ostenderent eam ob plurimorum etiam sanctitatem fidelium vere sanctam esse et appellari. Quoniam vero in memoria aeterna erit iustus, tantam illi sunt apud posteros venerationem consequuti, ut omnes quidem eorum opem implorare consueverint, tanquam ab amicis Dei summam aevo sempiterno beatitatem adeptis. Hos inter merito numerandus est Venerabilis Dei Servus Frater Humilis a Bisiniano, in quo illud Apostoli *(I. Corinth. 1, 27)* comprobatum est: *Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.*

Nam Bisiniani, quae urbs est Calabriae Citerioris, VII Kalendas Septembris anno reparatae salutis MDLXXXII natus ab honestis piisque parentibus, et Lucae Antonii nomine in baptismate appellatus, ea praebuit iam inde a puero divinae dilectionis argumenta, ut intelligi facile posset ad altissimum virtutis gradum perventurum esse. Quamobrem dum eum parentes cura praecipua educant, bona virtutis semina ipsi a natura insita illos brevi fructus pepererunt, quos non nisi in pueris et adolescentibus, quos specialis Dei gratia praevenerit, datum est conspicere. Nam et parentibus ita obsequebatur, ut quidquid praeciperent aut cuperent, sine ulla mora libenti animo praestaret. Quae obediendi facilitas fuit ei toto vitae cursu ita familiaris, ut nihil propemodum velle videretur, nisi praepositis suis placeret. Et illa aetate, quae iocis maxime et solatiis dedita est, adeo commendationi rerum divinarum, prout per aetatem ipsam liceret, precationibusque erat intentus, ut quidquid supererat temporis, orando impenderet. Itaque Sacro adesse quotidie, singulis diebus dominicis sancta de altari reverenter libare, vel in agro dum armenta custodiret, aut alii cuipiam rusticano operi vacaret, cruce lignis composita, acerbissimos Christi cruciatus meditari, et preces fundere consueverat.

Hac vitae ratione decimum octavum aetatis annum cum attigisset, cogitari coepit serio quodnam vitae institutum sibi capiendum esset, quo gratior Dei fieri, a quo iam tot acceperat amoris documenta, et aeternam salutem tutius consequi posset. Quare coelestem Patrem, ac Beatam Mariam Virginem, quam non secus ac filius matrem praecipuo studio semper coluerat, Sanctosque Patronos ferventius precabatur, ut in tanto negotio expendendo afferrent sibi lumen, quo facilius quid sibi esset agendum, cognosceret. Tandem cum hanc esse Dei voluntatem intellexisset, ut religiosam in aliquo sodalitio vitam iniret, dum expectat perficiendae rei opportunum tempus, optimus adolescens omnem operam adhibuit, qua pe-

culiari huiusmodi beneficio sese dignum redderet. Itaque novem annos, postquam id coeperat consilii, sic transegit quasi iam religiosae vitae institutum esset aggressus. Tanta eius erat in orando assiduitas, tantus in sacra accipienda Corporis Christi communione charitatis ardor, tanta officiis, quae suae essent conditionis propria, obeundis diligentia, tanta demum in cohibendis animi motibus voluntaria corporis castigatione constantia. Hoc modo singularibus meruit divinae beneficentiae donis ornari, in quibus illud praefulsit, quod cum coelestia meditaretur, aut fervidius oraret, in extasim raperetur; id quod cum fieret saepissime, ita ille vivebat, ut fere a sensibus abstractus continenter videretur. Interea post novem, quos diximus, annorum spatium innocentissimus ac sanctissimus iuvenis voti tandem compos factus est, relictisque propinquis et parentibus, quos tantopere dilexerat, relictaque domo, quam sua virtute illustraverat, in sacrum Fratrum Franciscalium ex Ordine Reformatorum sodalitium Dipiniani Cal. Septembris Anno MDCIX, annum agens vigesimum septimum, adscriptus est, et inter fratres laicos Fratris Humilis nomine cooptatus.

Tirocinio inito, haud multo post cognitum est quanta esset iuvenis virtute praeditus, et quantum splendoris ac decoris ex eius adventu sacro sodalitio accessisset. Nam parvo interiecto tempore, omnes sodales vel religiosis virtutibus praecellentes tam facile superavit, ut non tironibus modo, sed provectis quoque aetate patribus exemplo esset. Post autem, expleto tirocinio, vota religiosa anno MDCX nuncupavit. Quo ex tempore servire Deo alacrius coepit, divinamque gratiam bonis operibus in dies magis mereri. Deum enim non solum ita amabat, ut prae illo reliqua omnia nihili duceret; verum inerat in amore voluptas mira, prorsus ut in unius Dei recordatione et quasi amplexu per summam delectationem acquiesceret. Ex hoc tam incenso in Deum amore, egregia illius charitas in homines redundabat, quorum et corporum et animorum praesertim calamitates, quoad eius ferebat conditio, levare omni ope nitebatur. Castitatis vero laudem tantam adeptus est, ut, quamdiu vixit, visus sit coelestem vitam in terris agere ab omni corporis contagione seiunctus. Quod primum Deo bonorum omnium datori et Beatae Mariae Virgini Immaculatae, tum etiam austeritati, qua erat insignis, quaque et cibo et somno, aliisque ad vitam necessariis multo minus utebatur, quam necessitas ipsa postularet, referre acceptum debebat. Item paupertatis amor insitus ei quodammodo fuisse videretur, cum vel a pueritia pecuniae contemptum saepe ostendisse narrent. Propterea sanctus ab omnibus, qui eum noverant, habebatur et appellabatur; et sodales, qui aliis in Italiae coenobiis degebant, illius frui praesentia et virtutis exemplis ac monitis iuvari cupiebant. Nam Venerabilis Dei Servus, etsi nullas omnino litteras nosset, adeo tamen coelesti lumine illustrabatur, ut vel doctissimis monstrare viam salutis posset. Iam quia latere diutius veluti obscuro loco tanta virtus nequibat, a Gregorio XV Praecessore Nostro, qui multa de eo praeclara audiverat, Romam accitus est. A quo cum benignissime exceptus esset, id accidit, quod omnes ante viderant, ut summa, quae de sanctitate Servi Dei habebatur opinio, tanti viri iudicio comprobaretur. Rursus et fel. rec. Urbanum VIII, qui Gregorio successerat, cum Dei Servum vidisset praesentem, et cum eo saepe colloquutus esset, non aliam tulisse accepimus de eius virtute sententiam. Roma, relaxandi morbi causa, quo iamdiu afflictabatur, in Calabriam cum reverteretur, ubicumque subsisteret, laeto populorum plausu et magna veneratione excipiebatur; quod aegre admodum ferebat Dei Servus, utpote qui esset christianae humilitatis studiosissimus, seque omnium peccatorum maximum, ut sancti solent viri, ex animo iudicaret. Haec igitur eius fuit vita, donec inveterata vis morbi, cui nulla ars mederi potuerat, eum ad extremum exitum perduxit. Mors autem fuit vitae tam integre actae plane consentanea. Nam toleratis diu patientissime acerrimis dolorum cruciatibus, D. N. I. C. imaginem e cruce pendentis in manibus habens, animam efflavit VI Kal. Novembris an. MDCXXXVII tanta vultus hilaritate, ut non e vita migrare, sed e vinculis erumpere videretur (1).

At quae de illius sanctitate invaluerat opinio,

(1) Vid. p. 47 vitam fusiorem B. Humilis indicatam.

longe multumque aucta est post pretiosam eiusdem mortem, accedente prodigiosorum celebritate, quae a Deo patrata illius suffragio ferebantur. Quamobrem de Venerabilis Servi Dei vita ac virtutibus delata Causa est ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus tuendis praepositorum, rebusque omnibus maturo iudicio ponderatis, virtutes, quibus Dei Servus inclaruerat, heroicum attigisse culmen decrevit fel. re. Pius VI Praecessor Noster IV Non. Octobris an. MDCCLXXX. Postea agitari coepta est quaestio de miraculis, quibus Ven. Fratris Humilis a Bisiniano heroica virtus confirmari videbatur, ac diligenti instituto examine, cum duo ex illis vera atque explorata iudicata essent, bo. me. Pius IX Praecessor Noster de illorum veritate Decretum edidit ultima post Pentecosten Dominica anno MDCCCLXXV. Hoc unum restabat, ut memoratae Congregationis Cardinales interrogarentur, num Ven. Dei Servum inter Beatos recenseri posse existimarent; iique in generali Conventu coram Nobis habito VIII Idus Martii vertentis anni tuto id fieri posse unanimi consensu responderunt. Attamen in re tanti momenti Nostram pandere mentem distulimus, donec ferventi prece a Patre luminum subsidium opemque posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem VI Kal. Aprilis anni eiusdem solemni Decreto pronunciavimus procedi tuto posse ad solemnem Ven. Fratris Humilis a Bisiniano Beatificationem.

Quae cum ita sint, universi Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci supplicationibus permoti, de memoratae Congregationis Cardinalium consilio et assensu, auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, facultatem facimus, ut Ven. Dei Famulus Frater Humilis a Bisiniano ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisei Reformatorum Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque Lipsana seu Reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, et Imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illo recitetur quotannis Officium et Missa de Communi Confessorum non Pontificum cum Orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta Rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Offici recitationem et Missae celebrationem fieri dumtaxat concedimus in civitatibus et dioecesibus S. Marci et Bisinianensi, necnon in omnibus templis et religiosis domibus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum, ab omnibns Christifidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur; et quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad Ecclesias, in quibus Festum agitur, confluentibus. Denique concedimus, ut Solemnia Beatificationis Ven. Fratris Humilis a Bisiniano in templis supradictis celebrentur cum Officio et Missis duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium praefinienda, intra primum annum postquam eadem Solemnia, ob temporum vicissitudines, in Aula superiori Porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, coeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii supradictae Congregationis sacris Ritibus praepositae subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 1 Octobris MDCCCLXXXI, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

THEODULPHUS Card. MERTEL.

DECRETUM.

ASSISIEN.

Seu Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia concedens Indulgentias pro festis centenariis S. Patris Francisci in Basilica S. Mariae Angelorum de Portiuncula celebrandis.

Quo solemniori pompa atque uberiori christifidelium spirituali fructu recoli valeat futuro anno 1882 septima saecularis Commemoratio diei natalis inclyti Patriarchae S. Francisci Assisiensis Caetus, qui, Rmo Antistite Assisiensi praeside, huiusmodi festivitatis curandae ac dirigendae causa constitutus est Viris constans

tam civili quam ecclesiastica dignitate conspicuis, Sanctissimo Domino Nostro *Leoni Papae XIII* humillimas porrexit preces expostulans ut de Apostolica Benignitate insignem Basilicam sub titulo Sanctae Mariae Angelorum *de Portiuncula*, ubi Seraphicus Patriarcha a Deipara Virgine praeclaris visionibus donatus sui Ordinis fundamenta iecit et gloriosam mortem oppetiit, iisdem privilegiis ac favoribus in triduanis solemniis intra mensem Octobrem in quo idem Sanctus obiit instituendis, elargiri dignaretur, quibus Basilicam Patriarchalem ac Papalem Cappellam Assisiensem ditavit. Has porro preces a me infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relatas, Sanctitas Sua peramanter excipiens, quae sequuntur indulgere dignata est, videlicet.

I. Ut eiusmodi Triduana solemnia post Cathedralem Ecclesiam Assisiensem in supradicta Basilica peragi valeant cum privilegio in singulis enuntiatae solemnitatis diebus Missas omnes celebrandi proprias de Sancto Francisco, ut in eius die festo; dummodo non occurrat Duplex primae classis quoad Missam solemnem, et Duplex etiam secundae classis quoad Missas lectas, neque omittatur Conventualis Officio diei respondens; ac Rubricae serventur.

II. Ut ab Episcopo, qui a Rmo Patre Ministro Generali Ordinis Minorum, vel ab eo qui ipsius vices gerat, invitatus, Pontificalem Missam in unaquaque die eiusdem Tridui celebraverit, impartiri valeat postrema die adstanti Populo Benedictio Papalis cum consueta Plenaria Indulgentia.

III. Ut enuntiata solemnia complecti tantum debeant liturgicas functiones Missarum et Vesperarum et nonnisi tertia die, expletis Vesperis, fiat Expositio solemnis Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti, in qua post hymnum *Te Deum* impartienda erit populo Benedictio cum eodem Sanctissimo Sacramento.

IV. Ut cuncti utriusque sexus Christifideles qui vere poenitentes, confessi ac Sacra Synaxi refecti supradictam Ecclesiam singulis praefati Tridui diebus visitaverint, ibique pias ad Deum preces iuxta mentem Sanctitatis Suae effuderint, consequi valeant Indulgentiam Plenariam in forma Ecclesiae consueta per modum suffragii applicabilem etiam Animabus in Purgatorio degentibus; qui vero corde contrito eamdem Ecclesiam in qualibet ipsius Triduanae solemnitatis die visitaverint atque ibidem uti supra oraverint, Indulgentiam septem annorum semel tantum in die lucrari possint, pari modo defunctis applicabilem. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18 Maii 1881.

Loco ✠ Sigilli.

D. Cardinalis BARTOLINIUS
S. R. C. Praefectus

Plac. Ralli S. R. C. Secrius.

(Praefatae indulgentiae et privilegia pro caeteris Ecclesiis Ordinis, uti speramus, obtinebuntur.)

II.
ACTA ORDINIS

—

Sequens Decretum Rmi P. Ministri Generalis, de legendis Constitutionibus, die 20 Martii 1876 emanatum, per Acta *communicamus, quia suo tempore non ad omnes Ordinis Provincias fuerat transmissum.*

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROVINCIAE EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

DECRETUM

Cum Nobis innotescat in nonnullis Conventibus et Collegiis, praesertim Americae, non satis diligenter statutis temporibus perlegi Pontificias Constitutiones et Decreta, quae a Regularibus ubique locorum in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato, diebus assignatis praeceptive legenda sunt, huius Nostri Decreti vigore omnibus et singulis Commissariis Generalibus Ordinis, necnon Ministris Provincialibus et Guardianis tam Conventuum, quam Collegiorum Nostri Ordinis districte praecipimus ac mandamus, ut in unoquoque Conventu sive Collegio suae iurisdictionis praefatas Constitutiones Apostolicas et Decreta iuxta ordinem assignatum in publica mensa, aut in Capitulo legi faciant in Origi-

nali, vel, si magis placet, in Compendio, quod maioris commoditatis causa nuper Romae typis edidimus ac promulgavimus.

Ne autem huius Nostri Decreti executio in oblivionem unquam cadat praecipimus omnibus et singulis Commissariis ac Visitatoribus Generalibus Collegiorum et Provinciarum, ut in Kalendariis, quibus Collegia vel Provinciae utuntur, respectivo mense assignare faciant lectionem Pontificiarum Constitutionum et Decretorum, ut supra; ac insuper in Canonica Visitatione, quam perficient, sedulo inquirant an Pontificiae Constitutiones et Decreta statutis temporibus in publica mensa vel in Capitulo perlecta fuerint, et de hoc Superiores locales Praesidi Capituli scripta attestatione fidem faciant.

Datum Romae ex Aracoeli
die 20 Martii anni 1876.
Fr. Bernardinus Min. Gen.

De mandato Paternitatis Suae Rmae
Fr. Mauritius a Venetiis
Secr. Gen. pro Missionibus Ord.

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1881 celebrata

—

Provincia Disc. Lyciensis S. Paschalis in Italia.

A Rmo P. Ministro Generali et Definitorio Generali die 18 Iulii electi sunt:

Minister Provincialis:
A. R. P. Prosper a Pietate.
Custos Provinciae:
R. P. Vitus M. a S. Rosa.
Definiotres Provinciae:
R. P. Leo a SS. Trinitate.
R. P. Bonaventura a S. Bernardino.
R. P. Coelestinus a Iesu et Maria.
R. P. Gulielmus a Carmelo.

Ante suppressionem ad istam Provinciam pertinebant sequentes 12 Conventus:

Lecce, S. Iacobi.
Napoli, S. Paschalis *a Chiaia.*
Taranto, S. Paschalis.
Oria, S. Mauri.
Squinzano, S. Mariae gratiarum.
Galatone, » »
Martano, S. Mariae consolatricis.
Parabita, SS. Crucifixi.
Lizzano, S. Paschalis.
Barletta, S. Mariae de victoria.
Capurso, S. Mariae *del Pozzo.*
Castellana, S. Mariae *della Vetrana.*

—

Provincia Obs. Barensis in Italia

Die 18 Iulii a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

Minister Provincialis:
A. R. P. Dionysius a Valentiano.
Custos Provinciae:
A. R. P. Hyacinthus a Casamaxima Ex-Min.
Definitores Provinciae:
R. P. Angelus a Putiniano.
R. P. Antonius a Putiniano.
R. P. Raphael a Grumo.
R. P. Aloysius a Terlizzi.

Ante suppressionem ista Provincia sequentes 17 Conventus habuit:

Andria, S. Mariae.
Acquaviva, S. Mariae maioris.
Corato, S. Cataldi.
Casamassima, S. Mariae gratiarum.
Conversano, S. Mariae *dell'Isola.*
Bitonto, R. Mariae *la Chinisa.*
Faiano, S. Antonii Abb.
Grumo, S. Petri.
Monopoli, S. Mariae gratiarum.
Mola di Bari, S. Mariae.
Melfi, *Monte Taborre.*
Polignano, S. Mariae *di Constantinopoli.*
Ruvo, S. Angeli.
Rutigliano, S. Mariae *del Palazzo.*
Ripacandida, S. Donati.
Rapolla, S. Mariae de Providentia.
Trani, S. Mariae *di Colonna.*

(continuabitur)

—

PETITIO CLARISSARUM ASSISIENSIUM

—

Moniales Clarissae Monasterii Assisiensis ubi corpus sanctae Matris Clarae asservatur, triduana solemnia occasione Centenarii Seraphici Patris, sicuti in Ecclesia Cathedrali, in basilica S. Mariae Angelorum et in basilica sacri Conventus, peragenda sunt, et ipsae in propria ecclesia celebrare intendunt. Sed quum earum summa paupertas monasterii quotidianis necessitatibus vix providere sufficiat, Fratribus suis primi Ordinis, et per ipsos, Ordinis be-

nefactoribus penuriem suam exponunt, laeto gratoque animo quodvis subsidium accepturae. Directe monialibus ipsis, vel Ministro Generali eleemosynae ad hunc scopum transmitti possunt.

III.

MISSIONES

—

VICARIATUS APOSTOLICUS

De Houpè Occiduo-Meridionali
Status animarum ac spiritualis administratio
Anno 1879-1880

	Christianitates . . .	56
	Christiani in Catal. descr.	3669
Baptizati	(Adulti.	102
	(Fidelium Infantes . .	128
Infantes Infidelium.	(Baptizati	863
	(Collecti	85
	(Aliti	73
	(Mortui	515
	Confirmationes . . .	27
Confessiones	(Annuales.	2496
	(Devotionis	8143
Communiones	(Annuales.	2187
	(Devotionis	8418
	Matrimonia benedicta .	33
	Extremae Unctiones .	67
	Vita functi	96
Divini Verbi praedicationes	(ad Fideles	927
	(ad Paganos	828
	Missiones.	52
	Sacella ad Vicariatum pertinentia	14
Missionarii	(Europaei	7
	(Sinenses	5
Alumni . .	(Seminarii.	8
	(Collegii	9
	(Scholarum	72
Orphanotrop. S. Infantiae	(Tertiariae S. Francisci	6
	(Inservientes mulieres .	3
Orphani	(Pueri	13
	(Puellae	35

† Fr. Alexius M. Filippi
Vicarius Apostolicus

Idem Vicarius Apostolicus de *Hou-pè* Rmo Patri Generali transmisit relationem Visitationis, quam gessit, particularium quarumdam missionum sui Vicariatus, quam relationem appellavit Itinerarium apostolicum *(Viaggio apostolico)*, quamque italicae ephemerides *Le missioni cattoliche* (N. 5 et 6 ann. XI) integre inseruerunt; ex quibus compendiose eamdem resuminus.

Itaque Rmus Dominus et Frater noster Alexius Filippi an. 1881, peractis cum suis ferme omnibus Missionariis spiritualibus exercitiis, et paschalibus festis laetanter celebratis, Visitationis itinera, die 16 Maii, exorsus est. Et primo itinere, dierum octo, pervenit ad stationem Missionis, quae sita est in loco, qui dicitur *Tan-tzu-xam*. Haec complectitur fideles 812; habet sacellum satis conveniens et gymnasium, quod 24 discipuli frequentant. Huius missionis administrator est R. P. Gabriel Van Gestel, Provinciae Recollectorum Belgii. Sed iste pius et iuvenis Pater, Episcopo visitatore adveniente, quadam aegritudine erat affectus, quae levioris momenti aestimabatur, sed brevi excrevit et mortem ipsam minitari videbatur: quapropter, inquit Vicarius Apostolicus, utrumque officium Marthae et Magdalenae sustinere debui, nocte diuque infirmo ministrare, et simul eius partes sacerdotalis ministerii complere: praesto enim erant primae Communioni admittendi aliquot adolescentes, tredecim vero chrismate confirmandi, tres etiam baptismo abluendi.

Cum haec agerentur, R. P. Wilfridus, eiusdem Provinciae Recollectorum Belgii alumnus, qui missionem suam tenet in montibus *Pa-tum*, missis octo vialatoribus qui Episcopum in itinere, ut mos est Sinensium, deferrent, eumdem rogabat, ut ad eius quoque missionem invisendam accederet, etsi accessus ad eam, asperitate montium et defectu viarum, difficillimus sit. Ita bonus Pastor, valedicens, cum animi dolore, P. Gabrieli, qui iam convalescebat, secundo se itineri commisit, et septem dierum laboribus et aerumnis ad hanc quoque stationem missionis, sitam in loco, qui dicitur *Xe-Kou-xam*, pervenit die 22 Iunii.

Haec statio missionis et ecclesia fidelium magna videtur pace et securitate gaudere, cum potuerint tum ipse P. Wilfridus cum socio

missionis D. Valentino, Sacerdote Sinensi, tum plurimi fidelium obviam Episcopo a longe venire, eumdem cum plausu et signis manifestis exultationis excipere, et ad eorum Ecclesiam comitari, quae sita est in cacumine montis, et nonnisi a duobus annis extructa, opere et industria P. Ioannis Franzoni, Strictioris Observantiae Provinciae Longobardiae. Huiusmodi sacellum est valde miserum, sed respectu tuguriorum, quae nostri neophiti habitant, aedes magna et nobilis videtur. Haec etiam missio habet gymnasium puerorum et puellarum. Omnes christifideles sunt 288, sufficienter instructi, et virtute praestantes; quapropter bono animo et ad meritum aeternarum divitiarum sustinent paupertatem, qua maxime laborant. Permansit inter illos, ad eorum solatium, usque ad diem 5 Iulii.

Dein tertio itinere unius diei et dimidii venit ad *Kiang-lo*; ubi est nova christianitas, quam idem P. Wilfridus regit, et non nisi a duobus annis aperuit, primo quidem faustis admodum ominibus; nam statim quinquaginta et amplius familiae Religioni nostrae conscriptae sunt. Sed in proposito susceptae fidei non permanserunt nisi 25 personae quae, occasione Visitationis, baptismum susceperunt, dum alii quinque catechumenatum incipiebant. Illis et istis ad perseverantiam admonitis, Episcopo eamdem viam agere et ad *Xe-Kou-xam* redire opus fuit, ut inde visitationis itinera prosequeretur.

Quarto igitur itinere unius diei adiit *Siac-me-rien*, die 25 Iulii, comite D. Valentino. Ibi est parva Ecclesia 23 fidelium, quibuscum Episcopus mansit, ut ipsis commodum praeberet nostram Portiunculae indulgentiam lucrandi; dum eamdem ob causam P. Wilfridus *Xe-Kou-xam* remanserat; quo Episcopus die 3. Augusti reversus est. Et haec igitur parva fidelium societas pertinet ad missionem P. Wilfridi.

Qui et aliam habet grandiorem missionem excolendam, sitam in loco *Si-xa-ho*. Ad quam Episcopus invisendam, quinto itinere dierum quatuor, pervenit die 12 Augusti. Pariterque manifeste et cum occursu exultantium fidelium Ecclesiam ingressus est. Mansit cum eis ad celebrandam solemniter festivitatem Assumptionis B. V. Mariae. Subdit vero Episcopus in suo Itinerario Apostolico, quod resumimus, dici omnino non posse quantum sit admirationi et pietati fidelibus istis, rudibus, simplicibus montium incolis, Episcopum conspicere pontificalibus indutum, missam canere, quam *ta-mi-sa* appellant, etsi ritus non perficiatur nisi restricta admodum ratione propter defectum ministrorum et clericorum, qui non habentur. Accurrerunt etiam fideles multi aliarum missionum, qui audierant Episcopum pontificalem Missam esse celebraturum in solemnitate Dominae nostrae in coelum assumptae: neque vana curiositas, aut sterilis devotio haec eorum erat; nam omnes, hac occasione, ad sacramenta quoque tum poenitentiae, tum Eucharistiae accesserunt.

Haec christianitas, quae est in *Si-xa-ho*, nunc habet tantum animas 186; sed futurum proxime videtur, quod Deo benedicente, in magnam et florentem ecclesiam accrescat; quolibet enim anno novi habentur adulti ad fidem conversi, qui baptizentur.

Tandem Episcopus noster sexto se itineri committens, quod longius et laboriosius futurum erat, die 3 Septembris pervenit ad *I-tchang:* quantum iste Apostolorum Successor passus sit tum hoc tum aliis, quae recensita sunt, itineribus, difficile admodum esset vel leviter innuere, et praeterea rem nostram excederet. Sed, qui consolatur humiles, consolatus est quoque hunc fidelem ministrum, cum in *I-tchang* invenerit suum Pro-Vicarium R. P. Gratianum, qui obviam ei venerat cum D. Ioachimo *Lo,* Sacerdote Sinensi; id certe magnam sibi attulit laetitiam; sed maximo tunc gaudio affectus est cum perspexit hanc Ecclesiam, quam longo tempore, multisque curis excoluerat, prospere admodum incedentem: non dicit quot sint fideles, sed tantum quod habeat domum, quae alit pueros 23 parentibus orbatos; et aliam domum pro catechumenis; et quod invenerit neophitos quadraginta, recenter baptizatos, nempe in ipsa solemnitate assumptionis B. V. Mariae, et tandem quod iacta sint fundamenta satis amplae domus, quam Rmus D. Filippi putat futuram Residentiam Vicarii Apostolici omnium suarum missionum, cum civitas *I-tchang* habeatur veluti centrum totius Vicariatus.

Cum etiam ibi, ut ubique, omnia sui pa-

storalis officii munia complevisset, tandem confortatis omnibus christifidelibus verbo, sacramentis, exemplo, ab eis, die 17 Septembris, recessit ut ad suam Residentiam de *Hou-pè* reverteretur.

VICARIATUS APOSTOLICUS
De Chen-sy
An. 1881.

Status Piae Operae a S. Infantia nuncupatae.

Baptizati	1506
Collecti	50
Aliti	10
Mortui	39
Nutricibus crediti	10
Piis familiis crediti	303
Orphanotrophia	3
Pueri in Orphanotrophiis degentes	10
Puellae » »	10
Scholae	3

Chen-sy, die 5 Octobris 1881.

† Amatus Pagnucci
Epus Coadiutor Vicariatus de Chen-sy.

MINISTERIA SPIRITUALIA

A Patribus Ref. Provinciae S. Stephani Regis in Transilvania anno 1881 praestita.

Infantes baptizati	652
Sacramentum Poenitentiae administratum sanis	26863
Sacramentum Poenitentiae administratum infirmis	1346
Ss. Eucharistia administrata sanis	28189
Ss. Eucharistia administrata per modum Viatici	564
Sacramentum extremae unctionis administratum	586
Benedictiones nuptiarum	206
Conciones	1961
Catecheses	2318
Sepulturae mandati	561
Conversi e Calvinismo	10

ARCHIDIOECESIS SCOPIENSIS PAUPERTAS

Rmus Dnus Fulgentius Czarev, Ord. Min. Obs., actualis Archiepiscopus Scopiensis, in sacra suae Dioecesis visitatione, magna cordis laetitia compertum habuit, populum sibi commissum singulari quidem devotione in seraphicum Patriarcham nostrum S. Franciscum flagrare, quippe qui cum catholica fide a Franciscanis amorem in Christum Iesum et in pauperum Patrem simul susceperat. Doluit tamen et maxime quidem laudatus Praesul nullam in sex Paroeciis suae Dioeceseos se reperisse seraphici Patris imaginem sculptam aut pictam; et ipsius D. N. Iesu Christi nonnisi parvas illas Cruces invenit, quae in altaribus ad sacrum faciendum omnino sunt necessariae. Cum vero nec pauperrimae illae gentes, nec pauper Episcopus comparare valeant grandiores Cruces quae amantissimi Salvatoris aspectum oculis fidelium offerant, nec imagines quoque Seraphici Patriarchae; pii benefactores laudatissimum opus charitatis in Deum et proximum peragerent si nobis offerrent dictas imagines ad laudatum Archiepiscopum Scopiensem transmittendas.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

In sua bibliographia *Acta Ordinis* nihil aliud sibi proposuere nisi scripta Nostratum annuntiare et in eisdem scriptis materias tractatas indicare. Ab omni iudicio circa meritum Operum consulto abstinemus. Singulas igitur sententias et universas omnino opiniones in libris recensitis vel recensendis traditas et expositas commendare non intendunt Minister Generalis eiusque Definitorium, sed Scriptores Ordinis evulgare et scientiae amorem fovere. Monet praeterea Minister Generalis, ea tantum opera in *Actis* fore deinceps recensenda quae, iuxta Apostolicas Constitutiones nostraque Statuta Generalia, cum Superiorum approbatione respective typis mandata fuerint, ipsamque approbationem scriptam habuerint.

A. R. P. Gaudentius, Definitor Generalis, ab anno 1863-1882 sequentia opera publicavit:

Apostolat des Gebetes in Vereinigung mit dem göttlichen Herzen Iesu, oder das *Gebet der Fürbitte*, nebst einem Gebetbuche zn

Ehren des göttlichen Herzens Iesu. — Siebente umgearbeitete Auflage. Innsbruck bei Felician Rauch. — 1882. (L. 1 50).

Agitur in hoc opere de cultu SS. Cordis Iesu et de Apostolatu precum. - Editio septima. (12, pag. 404).

ABLASS-UND BRUDERSCHAFTSBUCH für catholische Christen. Enthaltend: Die Lehre vom Ablasse und Unterricht über die meistverbreiteten Bruderschaften, III. Orden des h. Franciscus, fromme Vereine etc. nach authentischen Quellen bearbeitet. I. Band. Innsbruck bei Felician Rauch. — Dritte Auflage in Bearbeitung. (L. 3, 50.)

Agitur in hoc opere de Indulgentiis, de propagatissimis Confraternitatibus, de III. Ordine S. Francisci, piis unionibus etc. (8., pag. 640).

ABLASS-UND BRUDERSCAFTSBUCH für catholische Christen. II. Band. — 1. Anleitung zur christlichen Vollkommenheit. — 2. Gebete und Andachtsübungen. (Besonders für die Mitglieder des III. Ordens) — 4. Auflage. Bozen bei Wohlgemuth, 1878. (L. 3, 50). Approbirt und empfohlen von neun Bischöfen und vom Hochwürdigsten Ordensgenerale.

Continet hic tomus Institutionem ad perfectionem christianam et preces piaque exercitia christiana (praesertim pro sodalibus III. Ordinis); cum approbatione et commendatione novem Episcoporum ac Rmi P. Generalis Ordinis. (8. pag. 964).

DER ORDEN DER EWIGEN ANBETUNG, seine Geschichte und seine Bedeutung für unsere Zeit. — Mit einem Vorworte vom Hochwürdigsten F. Bischofe Vincenz von Brixen.

Innsbruck bei Felician Rauch, 1868. (L. 1).

Agitur in hoc opusculo de Ordine Monialium perpetuae Adorationis, de eius historia et cuius momenti sit hic Ordo pro aevo nostro.

GEGENWAERTIGER STAND DER MISSIONEN DER FRANCISKANER UND KAPUZINER. Nach officiellen Ausweisen deutsch herausgegeben und mit historischen Anmerkungen begleitet.

Bozen bei Wohlgemuth, 1876. (cent. 20.)

Agitur in hoc opusculo de Statu praesenti Missionum Franciscanorum et Capuccinorum, iuxta documenta officialia cum annotationibus historicis.

MANUDUTIO SPIRITUALIS per vitam quotidianam. Pro Novitiis et Clericis Ord. S. Francisci Reform. Prov. Tirol. S. Leopoldi. Cum approbatione et commendatione Rmi P. Min. Generalis, Oeniponte (Innsbruck), Typ. Feliciani Rauch, 1874. 8° pag. 580. (L. 4, 50).

DER PROTESTANTISMUS UND DIE FRANZISKANER, Oder der Kampf des Franziskanerordens gegen den Protestantismus im XVI. und XVII. Iahrhundert. Nach den Quellen bearbeitet. — Cum approb. Rmi Min. Generalis. Bozen, bei Wohlgemuth, 1880. (L. 3, 50).

Demonstrantur in hoc opere merita Franciscanorum de conservatione Religionis catholicae in Germania, Belgio, Gallia, Anglia, Hibernia, in Imperio Austriaco etc. tempore exsurgentis Protestantismi. Nominantur ultra 500 Franciscani, qui in hoc certamine contra haeresim martyrium subierunt, (lex. pag. 600).

Actu sub prelo est opus:

INTRODUCTIO AD VITAM SERAPHICAM, seu, Via ad perfectionem religiosam, Novitiis, Clericis et iunioribus Patribus Ordinis S. Francisci demonstrata. Cum approbatione Rmi P. Min. Generalis.

Agitur in hoc opere de educatione iuventutis seraphicae a Novitiatu usque ad absoluta studia theologica, et omnibus Ordinis Seraphici familiis inservire poterit.

Opera edita

ordine chronologico enumerata.

1870. Ein Cyclus von FESTTAGS-PREDIGTEN für das katholische Kircheniahr nebst sechs Fastenpredigten von Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi) Innsbruck, Felician Rauch. (L. 2,50)

Continet 22 sermones festivales et 6 sermones quadragesimales de Passione Domini.

1871. ALVERNIA UND ASSISI, die heil. Staetten des seraphischen Ordens, von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi) Innsbruck, Felician Rauch. (L. 0,75) *(Alvernia et Assisium*, loca sancta seraphici Ordinis).

In prima parte narratur impressio sacrorum stigmatum in corpore S. Patris nostri in monte Alvernae, describuntur sacraria in monte existentia et indicantur viri praecipui, qui in dicto monte commorati sunt. In secunda parte describitur civitas Assiensis et praesertim basilica.

1872. LA SAINTE EUCHARISTIE dans les trois Ordres de Saint François d'Assise, par le R. P. Raymond, des Frères Mineurs Récollets, deuxième édition revue et augmentée. Bolbec, E. Valin, (in 18. 0, 35).

In hoc opusculo praeclariora Sanctorum Ordinis proponuntur exempla, quibus magis emicant eorumdem devotio et amor erga divinissimum Eucharistiae Sacramentum.

1872. DIE NOVENNEN der seligsten Iung-

frau Maria in Betrachtungen dargestellet von P. Philibert Seeböck O. S. P. (Prov. Tirol. S.Leopoldi) Innsbruck, Felician Rauch, (L. 1,75) in 16°.

In hoc libro habentur meditationes et preces pro 8 novenis in hon. B. Mariae V.

1873. Le Basiliche di S. Francesco di Assisi e della Madonna degli Angeli descritte da Alessandro Guidi. Roma Tipografia Poliglotta della Propaganda, (in 18).

Occasione Centenarii Seraphici Patris opportunum erit opusculum.

1876. Fleurs à la Vierge Immaculée cueillies dans le parterre séraphique par le R. P. Raymond des Frères Mineurs Récollets. Macon (in 18, 0, 30).

Miranda exhibetur devotio quorumdam Sanctorum Ordinis erga B. Virginem. (Invenitur opusculum apud Valin, edit. Caen).

1876. Legs du Séraphique Père Saint François à tous ses enfants et pratiques qu'il exige en retour. Caen, E. Valin, 5 rue au Canu. (in 18, 0, 30).

In lingua Germanica primum editum fuit pium hoc opusculum, a sororibus franciscalibus ab adoratione perpetua nuncupatis in civitate Moguntina; italice deinde et gallice redditum divulgatum est.

1876. Nozioni Generali sopra l'esercizio della *Via Crucis*, metodo pratico per ben eseguirlo con doppia forma di preghiere, e *Via Matris*, per P. Carmelo da Napoli M. Ref., Napoli, tipogr. degli Accattoncelli. vol. 1. (L. 0, 25).

Instructio de via s. Crucis ac eius exercitium.

1877. Manuale d'istruzione per gli associati al Cordone di S. Francesco, premessovi un cenno storico sull'origine ed eccellenza del Cordone, per P. Carmelo da Napoli M. Rif. Napoli, tip. degli Accattoncelli vol. 1. (L. 0, 25).

De Chorda S. Francisci.

1878. Der heilige Antonius von Padua; Leben, Wunder, Lehre und Verehrung des Heiligen, dargestellt von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi) Mainz (Moguntiae) Kirchheim. (L. 5).

In prima parte huius libri vita S. Antonii, in secunda eius miracula narrantur; in tertia parte eius scripta authentica et in quarta parte veneratio populorum erga ipsum indicantur.

1879. Die Königliche Hochschule des göttlichen Herzens Iesu, von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi) Innsbruck, Felician Rauch. (L. 0,50)

Hic libellus continet meditationes de ss. Corde Iesu et varias devotiones erga illud.

1879. Les Couvents modèles. Essai sur les fondations franciscaines, par le R. P. Raymond, Mineur Récollet. Citeaux (Coted'Or) Impr. S. Ioseph. (in 12, Fr. 1).

Utiles observationes, Ordinis traditionibus conformes, suggerit auctor in aedificandis novis Conventibus.

1879. Vie de S. François d'Assise, fondateur de l'Ordre Séraphique, (1182-1226), par l'abbé Berthaumier, revue et complétée par le T. R. P. Raphaël, Provincial des Franciscains. Nouvelle édition. Tours, Alfred Mame, (in 12, 1 fr.)

Christianae iuventuti et Tertiariis S. Francisci haec vita praesertim convenit, sed cunctis fidelibus linguam gallicam intelligentibus et seraphico Patriarchae devotis indicari poterit, recurrente septimo eiusdem S. Patris centenario.

1879 Traité Canonique, liturgique et pratique du Chemin de la Croix par Mon. Cantoli, franciscain, Evêque de Bovino, traduit par le P. Apollinaire M. O. - Paris, Tolra, rue de Rennes 112, (in 32, 1 fr.)

In hoc Tractatu reperiuntur omnia decreta ad Stationes *Viae Crucis* pertinentia et quinque formulae ad hoc saluberrimum exercitium peragendum selectae.

1881. Vita del beato Umile da Bisignano, laico professo nell'Ordine dei Minori Riformati della Provincia Calabria citeriore, scritta dal P. Antonio M. da Vicenza, Ministro Provinciale della Rif. Prov. di Venezia. Monza, tipogr. de' Paolini di L. Annoni. L. 1 25.

V.

NECROLOGIA

Illustrissimus ac Revmus Dominus Aloysius Filippi, Aquilanae Ecclesiae Archiepiscopus, Aviliani in Lucania natus die 20 Ianuarii 1810, gloriosum vitae suae cursum complevit die 28 Ianuarii anni proxime elapsi.

Angusti Periodici limites ne innuere quidem sinunt quae et quanta per longum 71 annorum curriculum operatus fuerit in Ecclesia Dei Praesul iste doctissimus et piissimus. Verum Biographia, quae grati animi vice ac amoris testimonio erga illum a docto Sacerdote paratur, quaeque suo tempore typis mandabitur, plene supplebit quae hic silentio praeterire cogimur. — Litterarum studiis tum in patrio Collegio, tum in Civitate Potentiae operam dedit. Adhuc adolescens habitum S. P. N. Francisci inter Minores Reformatos in Conventu Laurentianae Provinciae Basilicatae obtinuit, ubi anno probationis laudabiliter expleto, solemnem emisit professionem. In Philosophiae ac Theologiae studiis pro singulari mentis acie, qua praeditus erat, adeo brevi profecit, ut nondum Sacerdos Lectoris gradum, periculo in concursu facto, honorifice consecutus sit; ac postea summa cum laude ac magno iuvenum profectu illas difficillimas disciplinas per plures annos docuerit; donec Confratres sui, scientiae, pietatis ac prudentiae eius excellentiam suspicientes, Ministrum Provincialem anno 1844 elegerunt, ac in munere ad alterum triennium confirmarunt.

Ferdinandus II utriusque Siciliae Rex, ad quem fama tanti viri perlata erat, eum die 2 Februarii anni 1853 Episcopum Aquilanum proposuit, Summus Pontifex in proximo Consistorio die 7 Martii nominavit, et die 13 eiusdem mensis Emus Card. Cagiano in Urbe consecravit. In celsitudine Episcopali constitutus Pastoris, Patris ac Magistri munia apprime adimplevit, ita ut de eo dici verissime posset, quod seipsum semper praebuerit exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, ideoque potens fuerit exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicebant, arguere, adeo ut qui ex adverso erant eum vererentur, nihil habentes malum dicere de eo.

In id praecipue Episcopus Filippi totis viribus incubuit, ut iuvenes in sortem Domini vocati pietate et doctrina fulgerent. Quare non parcens sumptibus de sua mensa detractis Seminarium Dioecesanum ampliavit, copiosa Bibliotheca et opportunis machinis pro Physicae studio illud ditans, alumnorumque institutionem tum litterarum, tum scientiarum ad meliorem redigens methodum. Hic omittimus recensere quae magnanimus Praesul egit in bonum sibi crediti gregis, et praesertim pauperum; nil dicimus de Episcopali Curia, quam a fundamentis erexit; nil de Residentia Episcopali ad meliorem formam redacta, neque de Cathedrali Ecclesia sacris dotata paramentis ac partim restaurata.

Commoto turbine, qui in Italia omnia susdeque vertit, anno 1861 in exilium ire compulsus, Romae commoratus est usque ad finem anni 1866, e qua, licet absens corpore, spiritu tamen dilectissimis suis ovibus semper praesens, perrexit eas regere scriptis scientia pietateque refertis.

Multa Vir doctissimus scripsit, aliorumque opera, christiano populo perutilia, italice vertit. Extant Litterae pastorales, quae eius singularem scientiam, et Sacri Praesulis sollicitudinem ostendunt. Cursus Physicae, in duo Volumina, latine conscriptus, quo magnam sibi laudem comparavit. Hinc est, quod illius nomen celebre evaserit nedum in Italia, sed etiam apud exteras nationes, eumque illustriores Academiae in Socium asciscere gloriatae fuerint. Hinc est etiam, quod s. m. Pius IX, qui operositatem atque eximium eius amorem in S. Sedem admirabatur, tanquam referens vices insignire eum voluit titulo ac praerogativis Archiepiscopalibus et cum eo Antistites omnes Vestinae Ecclesiae deinceps sequuturos.

Sed iam tempus appropinquabat, quo Pastor pius et illustris tot bonorum operum aeternam retributionem acciperet, seque cum Deo coniungeret, quem tantopere dilexit, et pro cuius gloria nullis pepercit laboribus. Et revera lento morbo consumptus, dum a Clero et populo supplices preces pro tanto Pastore fundebantur, in osculo Domini placidissime obdormivit inter omnium lacrymas, qui eum habebant ut Pastorem et Patrem dilectissimum. Sit nomen eius in benedictione sempiterna.

In proximo fasciculo inserentur inscriptiones ab illustri Marinangeli Aquilanae Cathedralis Ecclesiae Canonico Theologo compositas.

Imprimatur
Fr. Bernardinus Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta Gerens resp.

ACTA ORDINIS MINORUM

I. ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII
CONSTITVTIO

QVA NONNVLLA CONTROVERSIARVM CAPITA INTER EPISCOPOS ET MISSIONARIOS REGVLARES ANGLIAE ET SCOTIAE DEFINIVNTVR.

LEO EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI
AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romanos Pontifices Decessores Nostros paterno semper caritatis affectu inclytam Anglorum gentem fovisse, et monumentis suis testatur historia, et felicis recordationis Pius IX in Litteris *Universalis Ecclesiae* III kalend. Octobris anno Incarnationis Dominicae MDCCCL datis, graviter ac diserte demonstravit. Quum autem per eas Litteras episcopalem hierarchiam idem Pontifex inter Anglos restitueret, cumulavit quodammodo, quantum temporum ratio sinebat, ea benefacta quibus Apostolica Sedes nationem illam fuerat prosequuta. Ex dioecesium enim restitutione pars illa Dominici gregis ad nuptias Agni caelestis iam vocata, ac mystico Eius corpori sociata, pleniorem veritatis atque ordinis firmitatem per Episcoporum gubernationem et regimen rursus adepta est. *Episcopi quippe,* inquit S. Irenaeus, (1) *successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt;* atque inde fit, quemadmodum S. Cyprianus monet, (1) *ut Ecclesia super Episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gubernetur.*

Huic sane sapienti consilio mirifice respondit eventus; plura nimirum Concilia provincialia celebrata, quae saluberrimis legibus religiosa dioecesium negotia ordinarunt: latius propagata in dies catholica fides, et complures nobilitate generis et doctrina praestantes ad unitatem Ecclesiae revocati: clerus admodum auctus: auctae pariter religiosae domus non modo ex regularibus ordinibus, sed ex iis etiam recentioribus institutis, quae moderandis adolescentium moribus, vel caritatis operibus exercendis optime de re christiana et civili societate meruerunt: constituta pia laicorum sodalitia: novae missiones, novaeque Ecclesiae quamplures erectae, nobili instructu divites, egregio cultu decorae; permulta etiam item condita orphanis alendis hospitia, seminaria, collegia et scholae, in quibus pueri et adolescentes frequentissimi ad pietatem ac litteras instituuntur.

Cuius quidem rei laus non exigua tribuenda est Britannicae gentis ingenio, quod prout constans et invictum est contra vim adversam, ita veritatis et rationis voce facile flectitur, ut proinde vere de ipsis dixerit Tertullianus de *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo subiecta* (2). At praecipuum sibi laudis meritum vindicant cum assidua Episcoporum vigilantia tum Cleri universi docilis ad parendum voluntas, prompta ad agendum sollertia.

Nihilominus quaedam ex ipsa rerum conditione ortae difficultates dissensusque inter sacrorum Antistites et sodales Ordinum religio-

(1) *Adv. haer.* lib. IV cap. 26, n. 2.

(1) Epist. 29 *ad lapsos.*
(2) Lib. *adv. iudaeos* cap. 5.

sorum obstiterunt, quominus uberiores fructus perciperentur. Illi enim, cum praescripta fuisset per memoratas Litteras Praedecessoris Nostri communis iuris observantia, rati sunt se posse omnia decernere quae ad ipsius iuris executionem pertinent, quaeve ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum potestati permissa sunt. Plures contra gravesque causae prohibebant, ne peculiaris missionum disciplina, quae iam inveteraverat, repente penitus aboleretur. Ad has propterea difficultates avertendas et controversias finiendas Angliae Episcopi, pro sua in hanc Apostolicam Sedem observantia, Nos adiere rogantes, ut suprema auctoritate Nostra dirimerentur.

Nos vicissim haud gravate eam postulationem excepimus, tum quia nobilem illam nationem non minore quam Decessores Nostri benevolentia complectimur, tum quia nihil Nobis est antiquius, quam ut sublatis dissidii causis stabilis ubique vigeat mutua cum caritate concordia. Quo gravius autem et cautius a Nobis indicatio fieret, non modo iis quae ultro citroque adducebantur iuribus et auctoritatibus diligenter animum adiecimus, sed etiam sententiam perrogavimus Congregationis specialiter deputatae aliquot S. R. E. Cardinalium e duobus sacris Consiliis, quorum alterum Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praeest, alterum christiano nomini propagando. Hi cunctis accurate exploratis quae in deliberationem cadebant, et rationum momentis, quae afferebantur utrinque, religiose perpensis, fideliter Nobis exposuerunt quid aequius melius de singulis quaestionibus decernendum sibi videretur in Domino. Audito itaque memoratorum Cardinalium consilio, causaque probe cognita, supremum iudicium Nostrum de controversiis ac dubitationibus quae praepositae sunt per hanc Constitutionem pronunciamus.

Multiplex licet varieque implexa sit congeries rerum quae in disceptationem vocantur, omnes tamen ad tria potissimum capita commode redigi posse arbitramur, quorum alterum ad familiarum religiosarum exemptionem pertinet ab episcopali iurisdictione; alterum ministeria respicit, quae a regularibus missionariis exercentur; tertium quaestiones complectitur de bonis temporalibus, deque usu in quem illa oporteat converti.

Ad regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt canonici iuris praescripta. Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur (1); tamen quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni *religiosae conservationis* (2) consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regundos adtribuere, Clerum Regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem, sed quod earum domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas iure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici maximo propter primatum Pontificium immediate subesse, oportet (3), in Eius potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae.

De hoc itaque privilegio exemptionis dubitatum est, num eo muniantur religiosi sodales, qui in Anglia et Scotia missionum causa consistunt: hi enim ut plurimum in privatis domibus terni, bini, interdum singuli commorantur. Et quamvis Benedictus XIV in Constit. *Apostolicum ministerium*, III kalen. Iunii anno Incarnationis Dominicae MDCCLIII, memoratos missionarios regulares privilegio perfrui declaraverit, subdubitandum tamen Episcopi rursus in praesens existimabant, eo quod, restituta episcopali hierarchia, rem catholicam ad iuris communis formam in ea regione gubernari oportet. Iure autem communi (4) constitutum

(1) Concil. Trid. sess. 23 *de sacram. ord.* can. 7.

(2) S. Gregor. M. Epist. III lib. IX. — Bened. XIV Epist. Decret. *Apostolicae virtutis*, prid. Idus Mart. 1742.

(3) Concil. Vatic. Constit. *Pastor aeternus* cap. 3.

(4) Innocent. X Constit. *Instaurandae*, die 15 Octob. 1652. Constit. *Ut in parvis*, die 10 Februar. 1654.

est, ut domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. Insuper ipse Constitutionis Auctor visus est ponere privilegii causam in « publici regiminis legibus.... quibus coenobia quaecumque prohibentur; » hanc vero causam compertum est fuisse sublatam, quum plures iam annos per leges illius regni liceat religiosis sodalibus in collegia coire.

Nihilominus haec tanti non sunt, ut reapse privilegium defecisse iudicemus. Nam quamvis hierarchiae instauratio faciat, ut res catholica apud Anglos ad communem Ecclesiae disciplinam *potentialiter* revocata intelligatur; adhuc tamen res ibi geruntur eodem fere modo atque in missionibus geri solent. Iamvero sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries declaravit, Constitutiones Clementis VIII *Quoniam* IX kal. Iulii MDCIII, Gregorii XV *Cum alias* XVI kalend. Septemb. MDCXXII, Urbani VIII *Romanus Pontifex* V kalen. Septemb. MDCXXIV, itemque Constitutiones Innocentii X non esse de domibus atque hospitiis missionum intelligendas (1). Ac merito quidem; nam quum dubium iamdudum fuisset propositum Clementi VIII, utrum religiosi viri ad Indos missi in culturam animarum existimandi essent quasi vitam degentes extra coenobii septa, proindeque Episcopis subesse Tridentina lege iuberentur, Pontifex ille per Constitutionem *Religiosorum quorumcumque* VI Idus Novembris MDCI decreverat eos « reputandos esse tamquam religiosos « viventes intra claustra — quamobrem — in « concernentibus curam animarum Ordinario « loci subesse: in reliquis vero non ordinario « loci, sed suis superioribus subiectos rema« nere. » — Neque aliud sensit iudicavitque Benedictus XIV in suis Constitutionibus *Quamvis* V kalend. Martii MDCCXLVI; *Cum nuper* VI Idus Novembris MDCCLI, et *Cum alias* V Idus Iunii MDCCLIII. Ex quibus omnibus liquet, etiam hospitia ac domos quantumvis incolarum paucitate infrequentes huius, de quo agitur, privilegii iure comprehendi, idque non in locis solum ubi Vicarii apostolici, sed etiam ubi Episcopi praesunt; de Episcopis enim in Constitutionibus, quas memoravimus, agebatur. Apparet insuper rationem potissimam exemptionis missionariorum regularium in Anglia non esse exquirendam in legibus civilibus, quae coenobiis erigendis obessent; sed magis in eo salutari ac nobilissimo ministerio, quod a viris apostolicis exercentur. Quod non obscure Benedictus XIV significavit inquiens, « regulares Anglicanae missioni destinatos il« luc proficisci in bonum sanctae nostrae re« ligionis. » Eamdemque causam pariter attulerat Clemens VIII, cum de sodalibus religiosis ad Indos profectis docuerat, ipsos antistitum suorum iussu illuc concessisse, ibique sub disciplina praefecti provinciae versari « ad prae« dicandum sanctum Dei Evangelium et viam « veritatis et salutis demonstrandam. » Hinc post sublatas leges sodalitiis regularibus infensas, et hierarchia catholica in integrum restituta, ipsi Britannorum Episcopi in priori Synodo Westmonasteriensi testati sunt, rata sibi privilegia fore, « quibus viri religiosi suis in « domibus vel extra legitime gaudent » quamvis « extra monasteria ut plurimum degant. »

Quamobrem in praesenti etiam Ecclesiae catholicae apud Britannos conditione declarare non dubitamus: Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac regulares intra claustra viventes, praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem.

Praecipuam hanc quam definivimus controversiam altera excipiebat affinis, de obligatione qua teneantur Rectores missionum creditam habentes animarum curam, eorumque vicarii, aliique religiosi sodales, facultatibus praediti quae missionariis conceduntur, ut intersint iis Cleri conventibus, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, neque non Synodis dioecesanis. Cuius quaestionis vis et ratio ut intelligatur, praestat memorare quod in Concilio Westmonasteriensi Provinciali IV praecipitur his verbis: « Si duo vel plures sint sacerdotes in « eadem missione, unum tantum primum de« signandum, qui gerat curam animarum et « administrationem Ecclesiae... ceteros omnes « curam quam habent animarum cum depen« dentia a primo exercere. » (1) Comperta

(1) S. Cong. de Prop. fide 30 Ianuarii 1627; 27 Martii 1631; 5 Octobris 1655; 23 Septembris 1805; 29 Martii 1834.

(1) Dec. 10. n. 10.

itaque natura facti de quo agitur, et semota tantisper ea quaestionis parte quae Synodos respicit, ambigi nequit, quin Rectores missionum adesse debeant iis Cleri coetibus, qui *collationes* dicuntur. Namque eorum causa eadem ferme est ac parochorum; parochos autem etiam regulares ea obligatione adstringi et docuit Benedictus XIV Constit. *Firmandis* § 6. VIII Idus Novembr. MDCCXLIV, et sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis pluries declaravit (1). Recte igitur in praedicta Synodo Westmonasteriensi fuit constitutum: « Ad suam collationem tenentur convenire, « respondere parati omnes sacerdotes saecu« lares et regulares, salvis eorum iuribus, qui « curam habent animarum. » Aliter dicendum videretur de vicariis, aliisque religiosis viris apostolica munia obeuntibus. His enim integrum quidem est de *iure constituto* a memoratis collationibus abstinere, prout alias fuit a sacra Congregatione Concilii declaratum (2). At Nos minime praeterit Concilium Romanum habitum anno MDCCXXV auctoritate Benedicti XIII iussisse confessarios omnes etiam ex ordinibus regularibus intra fines provinciae commorantes coetus illos celebrare « dummodo « morales in eorum conventibus lectiones non « habeantur. » Quum autem quod sine effectu videatur, sacrum Consilium christiano nomini propagando merito existimans domesticas regularium collationes in quibusdam missionum locis parum fructuosas ob exiguum sodalium numerum futuras, cunctis et singulis illic munere perfungentibus imperavit, ut Cleri conventibus interessent. Hisce igitur rationibus permoti declaramus, omnes missionum rectores Cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus ut iisdem intersint vicarii quoque, aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia, parvasque missionum domos incolunt.

De officio conveniendi ad Synodum explorata Tridentina lex est (3): « Synodi quoque « dioecesanae quotannis celebrentur, ad quas « exempti etiam omnes, qui alias, cessante « exemptione, interesse deberent, nec capitulis « generalibus subduntur, accedere tenentur. « Ratione autem parochialium aut aliarum sae« cularium ecclesiarum etiam adnexarum, de« bent ii qui illarum curam gerunt, quicumque « illi sint, Synodo interesse. » Quam legem egregie illustravit Benedictus XIV (1). Neque vero putamus cuiquam negotium facessere decretum Alex. VIII, III kal. Aprilis MDCXCI quo cavetur, ut ad synodum accedant Abbates, Rectores, Praefecti, omnesque antistites domorum religiosarum quas Innocentius X Episcoporum potestati subiecerat. Quum enim Innocentianae Constitutiones viros apostolicos, qui in sacris missionibus versantur, non attingant, facile intelligitur, neque decretum Alexandri VIII ad eos, de quibus modo apud Nos agitur, pertinere. Quare huic posteriori quaestionis parti hoc unum respondemus: standum esse decretis Synodi Tridentinae.

Proxima est quaestio quae respicit appellationem ab interpretatione, quam Episcopi ediderint, decretorum synodalium. Namque hisce decretis pareant oportet etiam religiosi sodales in iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem referuntur (2), ceterisque in rebus « in quibus eos Episcopo« rum iurisdictioni subesse canonica praeci« piunt instituta.» (3) Profecto dubitare non licet quin ab iis interpretationibus ad Sedem Apostolicam provocatio sit; « siquidem, Ge« lasio I (4) et Nicolao I (5) auctoribus, ad « illam de qualibet mundi parte canones appel« lari voluerunt: ab illa autem nemo sit ap« pellationis tantummodo vis et effectus potest in dubitationem adduci. At haec dubitatio facile tollitur, si apta fiat causarum distinctio. Fas est nimirum Regularibus appellare *in devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum, quae de iure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum etiam *in suspensivo*. Authentica namque interpretatio quae manat ab Episcopis, qui Syno-

(1) *Forosempronien.* 5 Septemb. 1650 Lib. 19 Decret.
(2) *Forosempronien.* 12 Maii 1681 Lib. 54 Decr. fol. 258 *Aquipendien.* VV. SS. LL. 12 Martii 1718.
(3) Sess. 24 cap. 2. *de reform.*

(1) *De Synod. dioec.* lib. 3 cap. 1 § 11.
(2) Concil. Trid. sess. 25 cap. 11 *de regular.*
(3) Innoc. IV. cap. I *de privileg.* in 6.
(4) Epist. 7 *ad Episc. Dardan.* ann. 495 Tom. 2 collect. Harduini.
(5) Epist. 8 ad Michael. Imperat. Tom. 5 collect. Harduini.

dorum auctores sunt, tanti profecto est, quanti sunt ipsa decreta. Ex quo illud omnino est consequens, licere religiosis sodalibus a primo decretorum genere appellare eo iure et modo, quo licet cuilibet e dioecesi appellare a lege communi, scilicet *in devolutivo*. (1) At vero ad reliqua decreta quod attinet, ea certe lata contra regulares vim rationemque legis amittunt: quare constat illos sic exemptionem a iurisdictione episcopali possidere uti ante possederint; donec Pontificis maximi auctoritate iudicetur, iure ne an secus cum iis actum sit.

Hactenus de exemptionis privilegio; nunc de iis quaestionibus dicendum, quibus ministeria quaedam per regulares exercita occasionem praebuerunt. Excellit inter haec munus curationis animarum, quod saepe, ut innuimus, religiosis viris demandatur intra fines ab Episcopis praestitutos; locus autem iis finibus comprehensus *missionis* nomine designatur. Iamvero de his missionibus disceptatum fuit, an et quomodo fieri possit ab Episcopis earum divisio, seu, ut dici solet, dismembratio. Nam qui Regularium iura tuebantur, negabant hanc divisionem fieri posse nisi legitimis de causis, adhibitisque iuris solemniis quae praescripta sunt ab Alexandro III (2) et a Concilio Tridentino (3). Alia vero erat Episcoporum opinatio.

Profecto si divisio fiat paroeciae veri nominis, sive antiquitus conditae, sive recentiore memoria iure constitutae, dubitandum non est quin nefas sit Episcopo canonum praescripta contemnere. At Britannicae missiones generatim in paroecias ad iuris tramites erectae non sunt: idcirco sacrum Consilium christiano nomini propagando anno MDCCCLXVI officium applicandi missam pro populo ad Episcopum pertinere censuit, propterea quod dioecesium Britannicarum non ea sit constitutio, ut in veras paroecias dispositae sint. Itaque ad divisionem missionis simplicis ea iuris solemnia transferenda non sunt, quae super dismembratione paroeciarum fuerunt constituta: eo vel magis quod propter missionum indolem et peculiares circumstantias, numeros plures ac leviores causae possint occurrere, quae istarum

(1) Bened. XIV *de Sinod. Dioec.* Lib. 13 cap. 5 § 2.
(2) Cap. ad *audientiam* de Eccles. aedific.
(3) Sess. 21 cap. 4 *de reform.*

divisionem suadeant, quam quae iure definitae sint ut fiat paroeciarum divisio. Neve quis urgeat similitudinem quam utraque inter se habent; cum enim obligatio servandi solemnia iuris libertatem agendi coerceat, ad similes causas non est pertrahenda. Silentibus itaque hac super re generalibus Ecclesiae legibus, necesse est ut Concilii Provincialis Westmonasteriensis valeat auctoritas, cuius hoc decretum est: « Non obstante rectoris missionarii « deputatione, licebit Episcopo de consilio Ca« pituli, intra limites missionis cui praeponi« tur, novas Ecclesias condere ac portionem « districtus iis attribuere, si necessitas aut uti« litas populi fidelis id requirat. » Quae cum sint ita, ad propositam consultationem respondemus: licere Episcopis missiones dividere, servata forma sancti Concilii Tridentini (1), quoad missiones quae sunt vere proprieque dictae paroeciae; quoad reliquas vero, ad formam Synodi I Provincialis Westmonasteriensis (2). Quo melius autem missioni, quae dividenda sit, eiusque administris prospiciatur, volumus ac praecipimus, ut sententia quoque rectoris exquiratur, quod iam accepimus laudabiliter esse in more positum: quod si a religiosis sodalibus missio administretur, Praefectus Ordinis audiatur; salvo iure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad Sanctam Sedem *in devolutivo* tantum.

Peracta missionis, cui regulares praesint, dismembratione, alia nonnunquam quaestio suboritur: utrum nempe Episcopus in praeficiendo Rectore missioni, quae nova erigitur, ipsos religiosos sodales ceteris debeat praeferre. — Quamvis illi hanc sibi praerogativam adserant, obscurum tamen non est, haud leves exinde secuturas difficultates et offensiones. Ceterum in ea de qua sermo est, nova erectione necesse est alterutrum contingere; nimirum ut paroecia veri nominis, aut mera missio constituatur. Si primum fieret, per quam alienum esset ab Ecclesiae disciplina e religiosa familia arcessitum parochum praeferri; sic enim iure quod modo viget arcentur regulares a parochi munere, ut illud suscepturi venia Apostolica indigeant. Ad rem Benedictus XIV in Constit. *Cum nuper*, VI Idus Nov. MDCCLI,

(1) Cap. 4. sess. 21 *de reform.*
(2) *De regimine congregationum* seu *missionum* n. 5.

« Quemadmodum, inquit, negari nequit, ex « veteri canonum lege, monachos et regulares « ecclesiarum parochialium regiminis capaces « fuisse, ita certum nunc est ex recentiori ca- « nonica disciplina interdictum esse regularibus « parochiarum curam adsumere sine dispensa- « tione Apostolica. » Hinc sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis (1) ad dubium « ân annuendum sit precibus Patrum « Augustinianorum de nova paroecia iisdem « concedenda » rescripsit — negative et amplius. — Sin autem, quod secundo loco posuimus, mera missio erigitur, ius certe non obest religiosis viris ne inter eos eligatur rector; ast ne iis quidem praeferri optantibus suffragatur· Rem itaque integram et in sua potestate positam aggrediens Episcopus, libertate sua utatur oportet; ubi enim iura silent, loco legis est Praesulis auctoritas; praesertim vero quod, ut doctorum fert adagium, Episcopus *intentionem habet in iure fundatam* in rebus omnibus, quae ad dioecesim suam administrandam attinent. Quamobrem praelatio quoad novam missionem, a Regularibus expetita, aut nullo iuris subsidio fulcitur, aut in disertam iuris dispositionem offendit.

Officium curationis animarum sedulitati Regularium commissum alias etiam dubitationes gignit; eaeque loca spectant finibus comprehensa missionum quae ab ipsis reguntur. Coepit enim ambigi utrum coemeteria et pia loca, intra fines illarum sita, Episcopus visitare possit. Est in coemeteriis facilis ac prona suppetit distinctionis adeoque finiendae controversiae ratio. Nam si de coemeteriis agatur quae solis religiosis familiis reservantur, ea plane ab Episcopi iurisdictione, proindeque a visitatione exempta sunt; cetera vero fidelium multitudini communia, quum uno ordine haberi debeant cum coemeteriis paroecialibus, iurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo iure ab Episcopo visitantur, quemadmodum statuit Benedictus XIV in Constit. *Firmandis* VIII Idus Movembris MDCCXLIV· Haud absimili distinctione de locis piis quaestio dirimitur, ea secernendo quae exempta sunt ab iis quibus praeest Episcopus sive ordinario iure, sive delegato. De utrisque igitur, tum coemeteriis tum piis locis, sententiam Nostram paucis complectimur pronunciantes: sacrorum canonum et constitutionum Apostolicarum praescripta esse servanda.

Superioribus dubiis arcto iungitur nexu illud quo quaeritur an Episcopis subesse debeant scholae pauperum, quae *elementares* etiam, *primariae*, *puerorum* nuncupantur; est enim sanctissimum docendi ministerium, et proximum piis locis ordinem tenent scholae de quibus agendum est. Quo illae pertineant ex ipso nomine dignoscitur; intendunt nimirum ad puerilem aetatem primis litterarum elementis primisque fidei veritatibus, ac morum praeceptis apte instituendam: quae quidem institutio omnibus est temporibus, locis et vitae generibus necessaria, ac multum habet momenti ad universae societatis humanae, nedum singulorum hominum incolumitatem; ex puerili enim institutione pendet, ut plurimum, qua quis ratione sit reliquae aetatis spatium acturus. Itaque quid a docentibus eo loci praecipue praestandum sit, sapienter Pius IX significavit scribens: « In hisce potissimum scholis omnes cuiusque « e populo classis pueri vel a teneris annis « sanctissimae nostrae religionis mysteriis ac « praeceptionibus sedulo sunt erudiendi et ad « pietatem morumque honestatem, et ad religionem civilemque vivendi rationem accurate « formandi, atque in iisdem scholis religiosa « praesertim doctrina ita primarium in institutione et educatione locum habere ac dominari debet, ut aliorum cognitiones, quibus iuventus ibi imbuitur, adventitiae appareant. (1) » — Nemo exhinc non intelligit istam puerorum institutionem in Episcoporum officiis esse ponendam, et scholas, de quibus agitur, tam in urbibus frequentissimis, quam in pagis exiguis inter opera contineri quae ad rem dioecesanam maxime pertinent.

Insuper quod ratio suadet lux historiae confirmat. Nullum quippe fuit tempus quo singularis non eluxerit Conciliorum cura in huiusmodi scholis ordinandis ac tuendis, pro quibus plura sapienter constituerunt. Eorum nempe decretis prospectum est ut illas Episcopi in oppidis et pagis restitui et augeri curarent (2),

(1) In Ianuen. *dismembrationis* 25 Ian. 1879.

(1) Epist. ad Archiep. Friburg. *Cum non sine maxima* 24 Iulii 1865 *Acta* vol. 3.

(2) Synod. provincial. Camerac. tit. *de scholis* cap. 1 — Synod. provinc. Mechlin. tit. *de scholis* cap. 2

puerique ad discendum admitterentur, qualibet, si fieri posset, impensa remissa (1). Eorumdem auctoritate dictae leges, quibus alumni religioni ac pietati operam darent (2), definitae dotes et ornamenta animi, quibus magistros praeditos esse oporteret (3), iisque imperatum, uti iurarent iuxta formulam catholicae professionis (4): demum scholarum curatores constituti qui eas adirent, ac circumspicerent nequid inesset vitii aut incommodi, neve quid omitteretur ex iis rebus, quas de illarum disciplina leges dioecesanae sanxissent (5). Ad haec, quum Patres Conciliorum probe intelligerent parochos etiam pastoralis ministerii compotes esse, partes haud exiguas iisdem tribuerunt in scholis puerorum, quarum cura cum animarum curatione summa necessitate iungitur. Placuit igitur in singulis paroeciis pueriles scholas constitui (6), quibus nomen est *parochialibus* impositum (7): iussi sunt parochi munus docendi suscipere, sibique adiutricem operam magistrorum et magistrarum adsciscere (8): iisdem negotium datum scholas regendi et curandi diligentissime (9): quae omnia si non ex fide integreque gesserint, officium deseruisse arguuntur (10), dignique habentur in quos Episcopus animadvertat (11). In unum ergo collineant argumenta ex ratione et facti petita ut scholae, quas pauperum vocant, institutis dioecesanis et paroecialibus praecipuo iure adnumerandae sint; eaque de causa Britannorum Episcopi ad hanc usque aetatem in missionibus tam saecularibus quam regularibus easdem pro potestate sua visitare consueverunt. Quod et Nos probantes declaramus: Episcopos ius habere quoad omnia visitandi huiusmodi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac in saecularibus.

Alia profecto causa est ceterarum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri secundum ordinis sui praescripta iuventuti catholicae instituendae operam dare solent; in hisce enim et ratio postulat, et Nos volumus firma atque integra privilegia manere quae illis ab Apostolica Sede collata sunt, prout aperte est declaratum anno 1874 a sacro Consilio christiano nomini propagando, quum acta expenderentur Concilii Provincialis Westmonasteriensis IV (1).

Quum res in vado sit quod ad scholas attinet et collegia regularium iam constituta, adhuc tamen est in ancipiti, si de novis erigendis agatur. De his enim quaeritur; an et cuius superioris venia sit impetranda? Porro cum latius ea dubitatio pateat et ecclesiarum quoque ac coenobiorum erectionem pertingat, omnia haec unius quaestiones et iudicii terminis complectimur. Atque hic primo occurrunt Decretales veteres, quibus est cautum ne quid huiusmodi quisquam institueret absque Sedis Apostolicae licentia speciali (2). Postmodum Tridentina Synodus in eodem genere quidquam operum fieri prohibuit « sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta (3) »: quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab Apostolica Sede impetrari iubentibus. Quapropter cum ea in re liberius passim ageretur, Urbanus VIII (4) pravam consuetudinem emendaturus, opera eiusmodi improbavit tam quae sine venia Episcopi, quam quae sola illius auctoritate susciperentur, et veterum canonum simul Conciliique Tridentini leges omnino in posterum servari decrevit. Huc etiam spectavit Innocentius X in Constitut. *Instaurandae* Idibus Octobris 1652, qua prae-

(1) Synod. Namurcen. an. 1604 tit. 2. cap. 1.
(2) Synod Antuerpien. sub Mirco tit. 9. cap. 3.
(3) Synod. Cameracen. an. 1550.
(4) Synod. II. Provinc. Mechlinien. tit. 1 cap. 3.
(5) Synod. II Provinc. Mechlinien. tit. 20 cap. 4. — Synod. Prov. Pragen. an. 1860, tit. 2 cap. 7.
(6) Synod. Valens. an. 529 can. 1. — Synod. Nannet. relat. in cap. 3 *de vit. et hon. clericor.* — Synod. Burdigal. an. 1583 tit. 27.
(7) Synod. I. Provinc. Mechlin. tit. *de scholis* c. 2. — Synod. Provinc. Colocen. an. 1863, tit. 6. — Synod. nod. Provin. apud Maynooth anno 1875.
(8) Synod. Nannet. sup. cit. — Synod. Antuerp. sup. cit. — Synod. Prov. Burdig an. 1850 tit. 6 cap. 3.
(9) Synod. Prov. Vienn. ann. 1858, tit. 6 cap. 8. — Synod. Prov. Ultraiect. an. 1865 tit. 3 cap. 2.
(10) Synod. Prov. Colocen. an. 1863 tit. 6 cap. 5. — Synod. Prov. Colonien. an. 1860, tit. 2 cap. 23. — Synod. Prov. Ultraiect. an. 1363 tst. 8 cap. 5.
(11) Synod. I Prov. Cameracen. tit. *de Scholis* cap. 2.

(1) Decret. 26.
(2) Cap. Religiosorum § *confirmatas de relig. domib.* et cap. *Ex eo* de excess. praelat. in 6.
(3) Concil. Trident. sess. 25 cap. 3 *de Regular.*
(4) Constit. *Romanus Pontifex* XIII. kalen. Septembris 1624.

cepit ut nemo ex familiis regularibus « domo vel loca quaecumque de novo « recipere vel « fundare praesumat absque Sedis Apostolicae « licentia speciali. » Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri (1). Iisdem insistens vestigiis sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries decrevit, veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiis collegiisque erigendis, etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam (2). His ergo de causis ad propositum dubium respondemus: sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere.

Fieri solet utique subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familia moliatur; sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet, an ea quae pietatis religionisque causa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere? Restat itaque ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat dimovere de loco instituta alioque transferre: aut immutare in usum consentaneum, qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur; aut demum, priore usu retento, novam causam sive usum inducere. Iam vero quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII, qui eos vetuit « ad habitandum domos vel loca quaecumque novo recipere, seu hactenus recepta mutare. » Rursus qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam « Monasteriorum, Collegio« rum, domorum, conventuum et aliorum Re« gularium locorum huiusmodi? » Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII per constitutionem *Romanus Pontifex,* nisi « servata in « omnibus et per omnia sacrorum canonum et « Concilii Tridentini forma. » Sic unum superest de quo contendatur; num priore usu retento, nova causa vel usus adiici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem, disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut collegium studiorum causa iunioribus sodalibus in coenobio constituatur; ad fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis. Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum, quae a Bonifacio VIII et Urbano VIII fieri pro lubito, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe iure Regulares utentur; nisi forte leges fundationis obsistant. Ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur: Religiosis sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem.

Nunc ad illud progredimur controversiae caput, in quo de temporalibus missionum bonis disputatum est. Ex liberalitate fidelium ea parte bona sunt, qui cum sua sponte et voluntate dona largiantur, vel intuitu missionis id faciunt, vel eius qui missioni praeest. Iam si missionis intuitu donatio contigerit, ambigi solet, an viri religiosi quibus donum sit traditum, accepti et expensi rationem reddere Episcopo teneantur. Atque istud quidem fieri oportere, sacrum Consilium christiano nomini propagando super dubio proposito ob missiones Britannicas religiosis Ordinibus sive Institutis commissas die 19 Aprilis 1869, rescripsit in haec verba: « 1. Missionarii regulares bonorum « temporalium, ad ipsos *qua regulares* spectan« tium, rationem Episcopis reddere non tenen« tur. 2. Eorum tamen bonorum, quae mis-

(1) Bened. XIV, *de Synod. dioeces.* lib. 9 cap. 1 num. 9. — Monacelli *formul, legal.* part. 1, tit. 6, form. 19, num. 31.

(2) Sac. Congreg. de Prop. Fide in coetib. habitis diebus 22 Mart. 1669; 3 Nov. 1688, 1704, 1768, 23 Aug. 1858; 30 Maii 1864; 17 Iulii 1865.

« sioni, vel regularibus *intuitu missionis* tributa « fuerunt, Episcopi ius habent ab iisdem mis« sionariis regularibus, aeque ac a Parochis « cleri saecularis, rationem exigendi. » Quo vero tabulis accepti et expensi ratio constaret, sacer idem Coetus die 10 Maii anno 1868, in mandatis dederat ut bona missionum diligenter describerent, ea secernendo quae propria missionum essent ab iis quae ad sodalitia sodalesve singulos pertinerent.

Nihil enimvero in his decernendis vel praecipiendis est actum, quod iuris communis doctrinis vulgatissimis apprime non congruat. Nam quaevis oblatio parocho aut alteri Ecclesiae Rectori data piae cuiusdam causae intuitu, ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mentem et consilium largitoris (1). Quoniam vero administrantis officio incumbit rationes actus sui conficere, eique reddere cuius res gesta fuit (2), ideo parochus vel Ecclesiae Rector facere non potest quin rationes reddat Ordinario loci, cuius est iurisdictio et causae piae tutela (3). At missiones, de quibus apud Nos actum fuit, pleno iure ad Episcopum pertinent; huic ergo cuiusque oblationis earum intuitu collectae rationes oportet exhibere. Neque haec ex eo infirmantur, quod Urbanus II in Concilio Claromontano, aliique post eum Romani Pontifices decreverunt (4) circa Ecclesias Parochiales, quoad temporalia Monasteriis iunctas, teneri vicarios respondere Episcopis de *plebis cura,* de temporalibus vero non ita, cum monasterio suo sint obnoxii; siquidem seposita etiam ratione historica unde ea profecta est iuris dispositio (5), certum exploratumque est, in iis pontificiis decretis ac litteris appellatione temporalium beneficii fructus et quae beneficiati personae adhaerent compendia significari

Quocirca ea confirmantes quae a s. Congregatione de Propaganda Fide rescripta et mandata sunt, statuimus, religiosos sodales, redditis Episcopo rationibus, docere debere de pecunia intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderint aeque ac missionarios Cleri saecularis, iuxta praedictas resolutiones eiusdem Congregationis die XIX aprilis MDCCCLXIX, et Instructionem diei X Maii MDCCCLXVIII.

Tandem ne quis obrepat error aut dissensus in his quae modo iussimus exequendis, definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missionum intelligantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit; quod si non appareat, placuit, parocho vel rectori ecclesiae collatam donationem praesumi (1). At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam quidam ecclesiastici iuris periti fere communem evasisse docent, cuius vi « hodie pene solae oblationes « quae in Ecclesia sub missis ad altare fiunt « et quae pro administratione sacramentorum, « pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post « partum, pro exequiis et sepulturis, aut aliis « similibus functionibus specialiter offeruntur, « ad parochum spectant; consuetudine reliquas « ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis aut « aliis certis finibus applicante (2). » Praeterea si in parochum rectoremve, a quibus spiritualia adiumenta fideles accipiunt (3), haud inconcinne praesumi potest collata liberalitas, ubi Ecclesia bonis praedita sit, per quae religionis decori et ministrorum tuitioni prospiciatur, longe aliud iudicium esse debet ubi eam bonorum copiam Ecclesia non habeat, ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum sustentetur. Tunc enim largitores putandi forent voluisse consulere cultus divini splendori et religionis dignitati, ea ratione et modo quem

(1) Fagnan. in cap. *Pastoralis, de his quae fiunt a Pretatis,* n. 29 — Card. de Luca *in Conc. Trid.* discur. 18, n. 5 — Reiffenst. Lib. 3 *Decret.* tit. 30, n. 193.

(2) L. 1 § *officio* § *de tutelae et rat. distr.* — L. 2 § *et sane* § *de negot. gest.* L. *Curator.* L. *Tutor* Cod. *de negot. gest.*

(3) Sac. Cong. Concilii *Nullius,* seu *Nonantulan iurium parochialium* 27 Iunii 1744 ad dub. XII.

(4) Lucius II *ad Priorem S. Pancratii in Anglia,* Alexander III *ad Monaster. S. Arnulphi,* Lucius III *ad Superior, Praemonstrat. et ad Abbatissam S. Hilarii in dioecesi Fesulana.*

(5) Gonzal. Comment. in Cap. 1 *de Cappel. monach.*

(1) Argum. ex cap. *Pastoral.* 9 *de his quae fiunt a Praelat.* cap. *Transmissa, de Verb. sign.* ac praesertim cap. I *de Statu Monach.*

(2) Reiffenst. *L.* 3. *Decretal.* tit. 30, n. 193. Van Espen *ius eccles. univ.* part. 2, sect. 4, tit. 2, cap. 10, nn. 20 et 21.

(3) Argum. ex cap. *quia Sacerdotes* 13, caus. 10. quaest. 1.

ecclesiastica auctoritas decerneret. Ideo apud christianos primaevos legem cautum fuerat ut pecunia omnis dono accepta, inter Ecclesiam, Episcopum, Clericos et egenos divideretur. Legis porro sese interponens auctoritas, si largitionum tempora et causas praestituat, illud efficit quoque, ne fideles semper pro arbitrio possint modum et finem designare in quem oblatam stipem erogari oporteat; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a legitima potestate in bonum commune praecipitur certo destituatur effectu. Haec Nobis considerantibus visi sunt prudenter et opportune egisse Patres Concilii Provincialis Westmonasteriensis II, cum partim interpretantes piam et aequam donantium voluntatem, partim ea, quae Episcopis inest, utentes potestate imperandi pecuniae collationes decernendique quo tempore et qua de causa conferri oporteat, statuerunt in capite *de bonis ecclesiasticis*, quid censendum sit intuitu missionis collatum. Iubet igitur ratio, itemque Nos constituimus, hac in re religiosos ad leges Westmonasteriensis Synodi sese affatim accomodare oportere.

Sublatis controversiis cognitioni Nostrae propositis, confidimus, curam a Nobis in iis componendis adhibitam eo valituram, ut ad tranquillitatem et incrementum rei catholicae in Anglia non leviter conferat. Equidem pronunciationes Nostras ad iuris et aequitatis regulam studiose religioseque exegimus, nec dubitamus quin in iis exequendis par diligentia et religio eniteat illorum inter quos iudicium protulimus. Sic enim fiet, ut Episcoporum ductu et prudentia religiosi sodales de Anglicis missionibus apprime meriti strenue et alacriter e laboribus suis fructus salutis ferre pergant laetissimos, atque utrique (ut voce utamur Gregorii Magni ad Angliae Episcopos) *communi... consilio, concordique actione quae sunt pro Christo zelo agenda disponant unanimiter, recte sentiant, et quae senserint, non sibimet discrepando perficiant* (1). Concordiam hanc postulat paterna caritas Episcoporum in adiutores suos et mutua Cleri in Episcopos observantia; hanc concordiam flagitat finis communis qui situs est in salute animarum iunctis studiis ac viribus quaerenda; hanc eamdem exigit necessitas iis resistendi qui catholico nomini infensi sunt. Haec vires gignit et infirmos quoque pares efficit ad grandia quaeque gerenda; haec signum est quod sinceros Christi discipulos ab iis disterminat qui se tales esse mentiuntur. Ad hanc igitur singulos et universos enixe cohortamur in Domino, rogantes cum Paulo ut impleant gaudium Nostrum, ut idem sapiant eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes (1).

Demum ut firmiter ea consistant quae constituimus, volumus atque decernimus, praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti religiosi sodales et alii quicumque, in praemissis interesse habentes cuiusvis status, gradus, ordinis et dignitatis existant, seu alias specifica mentione digni iis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, causaeque propter quas praesentes emanaverint sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris remedium intentari vel impetrari; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas ad effectum impediendi vel retardandi earum executionem quovis modo vel quavis de causa opponi possent minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus obtinere, easque propterea, omnibus et singulis impedimentis penitus reiectis, ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter servari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum fore et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula

(1) Apud Bedam *Histor. Angl.* II. 29.

(1) Philip. II, 2.

de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, et Societatum, etiam Iesu, et quarumvis Ecclesiarum et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis factis ac licet pluries iteratis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione specialis forma servanda foret, tenore earumdem praesentibus pro plene ac sufficienter expressis habentes ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quocumque autem modo earumdem praesentium Litterarum exempla in Anglia publicata fuerint, volumus ut statim post huiusmodi publicationem omnes et singulos quos concernent in posterum perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae ac notificatae fuissent.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrarum decisionum, declarationum, decretorum, praeceptorum et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Dominicae Incarnationis Millesimo octingentesimo octogesimo primo, Octavo Idus Maii Pontificatus Nostri Anno IV.

C. CARD. SACCONI *Pro Dat.* - T. CARD. MERTEL

Visa

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. CUGNONIUS.

DECISIO RELATIVA AD FORMULAM *in partibus infidelium.*

In generali Congressu, die 27 Febr. 1882, S. C. de Propaganda Fide Orientalibus negotiis praeposita statuit:

1. Suppressa est in posterum formula hucusque adhibita ad designandum sedes non residentiales: *in partibus infidelium.*

2. Eius loco substituetur indicatio antiquae regionis ubi sita est sedes episcopalis, v. g. *N. N. Archiepiscopus in Achaja* vel simpliciter dicetur: *N. N. Archiepiscopus titularis Corynthi.*

In audientia, die 28 eiusd. mens. habita, Sanctitas Sua praedictas decisiones approbavit.

EPISCOPUS ELECTUS

In Consistorio diei 27 Martii 1882, electus est Episcopus *Mandalen. (Poggio Mirteto)* in Italia, *Rmus P. Lucianus Saracani,* Lector Iubil., Guardianus Conventus S. Mariae Angelorum Assisiensis, et Observantis Provinciae Seraphicae ex Minister; et consecratus est die 2 Aprilis, in ecclesia Aracoelitana, ab Emo Cardinali Bilio, Ordinis Protectore.

II.
ACTA ORDINIS

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1881 celebrata

Observ. Provincia Immaculatae Conceptionis Vallis Mazzariae in Sicilia.

Die 20 Iunii 1881 confirmati sunt a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Franciscus De Blasi ab Alcamo, L. I. et Def. Gen.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Antonius ab Alcamo

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Franciscus Antonius a Cammarata (neo electus).

R. P. Ioannes Alphonsus a Bisaquino.

R. P. Ioannes Baptista a Panormo.

R. P. Vincentius a Careno.

Ante suppressionem ad hanc Provinciam 20 Conventus pertinebant, scilicet:

Palermo, S. Mariae Angelorum.

Id. Ss. Cosmae et Damiani.
Id. (extra moenia) S. Mariae gratiarum.
Id. (Baida) S. Ioannis Baptistae.
Cammarata, S. Mariae a Iesu.
Trapani, S. Mariae a Iesu.
Sciacca, S. Francisci.
Termini, S. Mariae a Iesu.
Mazzara, S. Mariae a Iesu.
Polizzi, S. Mariae Angelorum.
Licata, S. Mariae a Iesu.
Carini, S. Laurentii.
Alcamo, S. Mariae a Iesu.
Racalmuto, S. Mariae a Iesu.
Villafranca, S. Mariae a Iesu.
Vicari, S. Francisci.
Marsala, S. Mariae Miraculorum.
Raffadali, S. Antonii.
Canicatti, S. Spiritus.
Ravanusa, Assumptionis B. M. V.

—

Ref. Provincia S. Mariae in Hungaria.

Die 24 Iulii in Conventu Posoniensi Capitulum rite celebratum est, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS
A. R. P. Martinianus Farmady
CUSTOS PROVINCIAE
R. P. Victor Németh.
DEFINITORES PROVINCIAE
A. V. P. Gaudentius Dosztál.
A. V. P. Desiderius Supka.
A. V. P. Nemesius Nágynger.
A. V. P. Illuminatus Nagy.

In ista Provincia sunt sequentes 20 Conventus:

Posoniensis, ad B. M. V. ab angelo salutatam.
Tyrnaviensis, ad S. Iacobum Mai. Apost.
Alba-Regalensis, ad S. Emericum ducem Hungariae.
Strigoniensis, ad S. Annam, matrem B. M.V.
Kismartoniensis, ad S. Michaelem Archangelum.
Nitriensis, ad Ss. App. Petrum et Paulum.
Savariensis, ad S. Elisabeth. Vid., Hung.
Ersckujvdriensis, ad Stigm. S. P. N. Francisci.
Németujváriensis, ad B. M. V. visitantem.
Malaczaënsis, ad B. M. V. Immac.
Sancto-Antoniensis in insula Cituorum *(Csallóköz).*
Mariano-Pratensis (Boldogasszony) ad B. M. V. natam.
Gápaënsis, ad Reginam angelorum.
Sümeghiensis, ad B. M. V. visitantem.
Buda-Pestinus, ad S. Petrum de Alcantara.
Andoosiensis, ad B. M. V. in coelum assumptam.
Sancti-Ladislai in dioecesi Weszprimiensi.
Weszprimiensis, ad S. Stephanum, regem Hungariae Apostolicum.
Simontornyaënsis, ad SS. App. Simonem et Iudam.
Camaromiensis, in archidioecesi Strigoniensi.

—

Provincia Obs. S. Ladislai Reg. in Hungaria.

Die 26 Iulii in Capitulo rite celebrato in Conventu Varasdini electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS
A. R. P. Ludovicus Horvat.
CUSTOS PROVINCIAE
R. P. Sigismundus Eger.
DEFINITORES PROVINCIAE
R. P. Clemens Letlinger.
A. R. P. Hieronymus Horvat, Ex-Min.
R. P. Nicolaus Kraljek.
R. P. Gregorius Gregorics.

Ad istam Provinciam spectant 15 Conventus et Hospitia, scilicet:

Zagrabiensis, S. Francisci.
Varasdinensis, S. Ioannis Bapt.
Krapinensis (Krapina), S. Catharinae.
Ivanicensis, S. Ioannis Bapt.
Kaproncensis, S. Antonii.
Csaktornyensis, S. Nicolai Ep.
Quinque-Ecclesiensis, (Fünf-Kirchen), Sancti Francisci stigm.
Viroviticensis, S. Rochi.
Szigethvariensis, S. Antonii.
Siklosiensis, SS. Trinitatis.
Nagy-Kanizsaensis, S. Ioseph.
Segusdiensis, S. Ladislai.
Koustanjicensis, S. Antonii.
Nagy-Attadiensis, S. Crucis.
Maria-Gyudensis, B. M. visitantis.

(continuabitur)

III.
MISSIONES

—

PERSECUTIO CONTRA CHRISTIANOS
In Vicariatu Apostolico de XANT-TUM *in imperio Sinarum.*

—

Ex relatione Rmi D. ELIGII COSI, Min. Obs., Episcopi Prienensis, Vicarii Apostolici de *Xan-tum* in imperio Sinarum, d. d. 22 Novembris 1881 sequentia censuimus communicanda.

« Postquam circa finem anni 1876 obierat bonus Vicerex *Vin-pao-cen*, protector et amicus meus, conditio istius nostrae Missionis subito deterior facta est. Actualis Vicerex iam est quartus post illius discessum; et quilibet erat suo praedecessore deterior.

« Anno elapso pagani novos christianos in quatuor locis persecuti sunt, quia, secundum legem christianam, recusabant pecuniam pro aris et festis paganis contribuere. Non inveniens iustitiam apud auctoritatem localem, quater ad Viceregem scripsi, justitiam postulans. Nam secundum conventiones libertatem Religionis concessit Imperator, et christiani ab eiusmodi contributionibus sunt exempti. Vicerex mihi semper respondit: *Istae res sunt parvi momenti et facile componi possunt.* Auctoritas localis decretum Viceregis vix acceperat, et christiani statim fuerunt incarcerati et torti, nec libertati redditi, donec tradiderint pauca bona quae possidebant.

Mense Ianuario currentis anni duo christiani et duo pagani accesserunt ad Praefectum de *Chiensien,* contra aliquem divitem causam dicturi. Praefectus sine ulla inquisitione statim christianis verbera dari iussit: alteri 1200, alteri 1000; quorum prior eodem adhuc die, alter vero post biduum mortuus est. Paganis autem ne alapam quidem dari curavit.

Statim scripsi desuper ad legatum Galliae, Pekini residentem, qui apud gubernium appellavit contra pressuras et persecutiones in christianos perpetratas. Gubernium scripsit hac de re ad Viceregem, qui respondit, nullas existere persecutiones contra christianos.

Mense Augusto denuo debui longiorem relationem scribere, in qua factis probavi, veram existere persecutionem dicti Viceregis adversus christianos. Verumtamen hucusque nullum recepi responsum. Persecutor autem noster est amotus, et mense Octobri novus Vicerex advenit.

Putabam, fore, ut novus iste Vicerex melior esset suo praedecessore, sed statim expertus sum, eum e contra esse pejorem. Nam circa finem mensis Septembris Praefectus de *Deicou* a suo territorio eiecit quemdam ministrum protestanticum, qui ne unum quidem habuit sequacem, ac voluit etiam nos nostrosque christianos expellere, si renueremus apostatare. Propterea comprehendi iussit primum catechetam, cui 800 verbera dari iussit, ac dein eum in carcerem misit et catenis constrinxit. Ut christianis terrorem iniiceret, Praefectus mandavit satellitibus, ut alios tres catechetas ligarent, qui tamen postea pecunia redempti sunt.

Scripsi ad novum Viceregem, qui mihi respondit, se scripsisse de hac re ad praefatum Praefectum. Accepto Viceregis decreto, Praefectus vocavit incarceratum christianum eumque interrogavit: *Perseveras in fide christiana?* Cui christianus respondit: *Utique.* Praefectus furibundus clamavit: *Infligite ei 200 verbera.* Et postea clamavit: *Date ei iusuper 50 alapas.* Carnifices dixerunt: *Mortuus est.* Praefectus dixit: *Auferte illum hinc.* Portatus est deinde christianus in cameram, ubi satellites suis mediis eum ad sensus revocarunt.

Impius iste Praefectus ne unum quidem christianum coram suo tribunali comparentem videns ac propterea suspicans, me scripsisse Pekinum, dedit prandium advocatis suis, et isti multas invenerunt calumnias contra martyrem christianum et contra me. Ego denuo scripsi ad Viceregem et testimoniis authenticis probavi, accusationes a dicto Praefecto contra me et pauperem martyrem christianum inventas omnino esse falsas. Vicerex leviter huiusmodi negotium tractans, totam causam remisit ad Praefectum carnificem, mihi autem mandavit, ut adirem Praefectum spatio trium dierum distantem, dicendo, istum debere de hac causa iudicare.

Cum ob oculorum infirmitatem Pekinum ire non possem, heri illuc misi P. Petrum Paulum *De-Marchi.*

Si legatus Galliae non possit refrenare persecutionem, conditio sacrae nostrae Religionis in Vicariatu de die in diem magis tristis evadet. Videntur Sinenses non amplius timere legationes Pekini residentes, sed potius eas contemnere.

—

STATUS SEPTEMTR. AMERIC. FOED.

Adm. Rev. P. Carolus a Natiano, Custos Custodiae Buffalensis Immaculatae Conceptionis, in epistola data Neo-Eboraci *(New-York)* die 20 Ianuarii 1882 scribit, Eminentissimum Cardinalem-Archiepiscopum Neo-Eboracensem sibi dixisse, in parte civitatis Neo-Eboracensis, quae *Harlem* nuncupatur, esse ultra duo millia Italorum, qui Sacerdotum ministerio indigent, sibique commendasse, ut huic spirituali necessitati prospiciat. Huic iusto desiderio Eminentissimi Cardinalis satisfacere cupiens praefatus P. Custos enixe rogat, ut in hunc finem aliqui Patres idonei ex Italia in Americam mittantur. Utinam Deus quibusdam Patribus, talia legentibus, sanctam vocationem impertire dignetur!

—

XAN-SI.

Rmus Dominus Aloysius Moccagatta, Min. Obs., Vicarius Apostolicus de *Xan-si* sub die 25 Septembris 1881 ex *Tai-iuen-fu* scripsit epistolam, ex qua sequentia referimus.

Ob diuturnam, quae in istis regionibus vigebat, siccitatem homines timuerunt, ne ullam messem habituri essent. Adveniente autem pluvia, spes eorum reviviscere coepit. In multis locis istarum regionum instituerant processiones cum idolis, et populus in suo fanatismo eo pervenit, ut etiam prohiberetur portare vestimenta et galeros albi coloris, quia talia ab ipsis considerantur ut mala auguria. Missionarius de *Lu-gan-fu,* istam prohibitionem ignorans eique contraveniens, crudeliter fuit verberatus.

Numerus catechumenorum augetur quotidie. In quibusdam locis pagani male tractarunt neophytos, quorum plures in magnam egestatem sunt redacti, quia pagani ipsis segetes nondum maturas abstulerant. Quamvis extrema egestas cessaverit, tamen in ista Missione etiam nunc adsunt adhuc millia pauperum, qui non habent sufficientem sustentationem. Si illis Missio non succurreret, morerentur etiam hodie sicuti tot mortui sunt tempore terribilis inopiae.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

1879. Le Calvaire Fréquenté ou Chemin de Croix perpétuel, par le P. Apollinaire. Paris, Tolra, rue de Rennes, 112. Troisième edition. (in 32, Fr. 0,20).

Piae exibetur associationis institutio, qua fideles ita per intentionem uniuntur ut quotidie et singulis diei horis exercitium *Viae Crucis* ab aliquibus peragatur. Huic associationi indulgentiae a S. Sede concessae enumerantur.

1880. Vita prima di S. Francesco d'Assisi del B. Tommaso da Celano, col testo latino in fronte. Roma tipogr. della Pace. (L. 2)

1880. La vita seconda ovvero Appendice alla vita prima di S. Francesco d'Assisi del B. Tommaso da Celano, col testo latino in fronte. Roma, tipografia della Pace. (L. 2).

1880. Vita del P. Paolo da Recanati, Min. Oss., morto in concetto di santità nel Convento di S. Croce in Montecassiano nel giorno 2 giugno 1842, scritta dal P. Pacifico Lett. Giub., Roma, tipografia dei fratelli Monaldi (L. 1)

1880. Breve Trattato dello stato religioso riguardante specialmente le monache, estratto da approvati autori per opera del Padre Bernardino da Moriano, Min. Oss. Roma, tipografia dei Fratelli Monaldi. (L. 0,50)

1880. I luoghi santi di Palestina, cenni storico-statistici del P. Remigio Buselli, Lett. Giub. Min. Oss. Roma, tipogr. dei Fratelli Monaldi.

1880. Van den voortgang der kloosterlingen in de deugd, vertaald door P. F. Stephanus Schoutens Minderbroeder-Recollect. (Prov. Belg.) Antwerpen, Vanos-Dewolf. (Opusculum S. Bonaventurae *De progressu Religiosorum* flandrice redditum.)

1880. **Padre** Gioacchino Ventura — La donna cattolica, sua dignità, sua grandezza, sua **missione**, sua storia. Libera traduzione dal francese **col** consenso dell'autore del P. Marcellino da Civezza Minore Osservante. Seconda edizione riveduta e accresciuta dal traduttore. Prato, per Ranieri Guasti. (L. 6)

In hoc opere multae gloriae Ordinis nostri ad memoriam, praesertim per traductorem, revocantur.

1880. Prediche per la Quaresima e Panegirici del P. Frediano Pardini, Min. Osservante, ex-Procuratore Generale dell'Ordine, con una biografia scrittane dal P. Marcellino da Civezza. Prato, per Ranieri Guasti. (L. 5)

1880. Seraphische Himmelsbahn. Ein Gebetbuch für alle Katholiken u. insbesondere für Mitglieder des dritteu Ordens des hl. Franziskus, von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi) Innsbruck, Felician Rauch. (L. 1,50)

In hoc libro precum pro omnibus catholicis, praesertim autem pro sodalibus tertii Ordinis, composito, agitur in prima parte de institutione et regula tertii Ordinis; in secunda parte devotiones generales, in tertia parte devotiones pro particularibus anni festivitatibus exhibentur.

1880. Regola del terz' Ordine di Penitenza istituito dal P. S. Francesco, esposta a norma delle Bolle pontificie e degli Statuti dello stesso Ordine, per P. Carmelo da Napoli, tipogr. degli Accattoncelli vol. 2. (L. 0, 70).

Expositio Regulae Tertii Ordinis S. P. N. Francisci.

1881. Sopra la vita e i viaggi del Beato Odorico da Pordenone dell'Ordine dei Minori, studi con documenti rari ed inediti del Chierico Francescano Fr. Teofilo Domenichelli sotto la direzione del P. Marcellino da Civezza, Minore Osservante. Prato per Ranieri Guasti. (L. 5)

V.

NECROLOGIA

In Obs. Provincia S. Ladislai Regis in Hungaria, M. Gyiidini obiit die 5 Octobris 1881 A. R. P. Landulphus Matkovics, Ex-Minister Provincialis, Ordinis Iubilarius, anno aetatis 69, Religionis 52.

Adm. R. P. Raphael ab Angelo Custode, ex Minister Excalceatae Provinciae S. Paschalis Lycien; ortus Bitunti in Apulia anno 1800, ibidem ex hac vita migravit die 17 Decembris anni 1881, tredecim lustris in statu religioso transactis. Praeclaris dotibus ornatus, semper charus omnibus fuit, et in magna veneratione habitus. Quam ob rem, illius mors permagnum moerorem et luctum omnibus attulit, uti probant non tantum Clerus regularis et saecularis verum etiam fere universa, non parva, Civitas, quae doloris et honoris causa, comitata fuit eius parentalia usque ad sepulchrum.

Adm. Rev. Pater Prosper a Partina ex-Provincialis Provinciae Reformatae Tusciae, obiit die 10 Ianuarii 1882.

R. P. Sigismundus Ierai, reformatae Provinciae S. Crucis Croatiae-Carnioliae. Sebachii *(Zapoge)* in Carniolia die 13 Oct. 1809 natus, anniversaria die sua natali 1829 S. Religionis habitu indutus, 21 Octobris 1832 solemniter professus, 20 Augusti 1833 sacerdotio initiatus. Emenso studiorum curriculo ad Conventum Rudolphswerthensem missus, erat ab anno 1836 usque 1877 ludi magister zelantissimus, insimul ab anno 1839-1877 publicae scholae popularis IV Classium ibidem Director prudentissimus, paedagogus insignis. A confratribus amatus, a discipulis suis veneratus, a civili et scholastica potestate magni aestimatus, fuit per plures annos etiam consilii scholastici districtualis membrum et scholarum localium inspector vigilantissimus, ac anno 1876 cruce aurea « pro meritis » solemniter decoratus. Die 28 Ianuarii 1882 hora 6 matutina cum confratribus in Choro horas canonicas recitans apoplexiae morbo correptus qua officiator ad verba « Pretiosa in conspectu Domini » obmutuit. A fratribus in cellam portatus, extrema unctione munitus, mox in agoniam incidit et tribus horis postea, coelo, uti sperandum, maturus expiravit. Erat S. Regulae, praesertim seraphicae paupertatis observantissimus, exemplar mortificationis. Religiosus omnibus numeris absolutus, Provinciae decus fuit.

Isidorus a Corneto, die 16 Novembris anni 1808 in lucem editus fuit et in Seraphica Ref. Provincia habitum religiosum in-

duit die 24 Aprilis Anni 1824. In sua iuventute optimo excelluit animo, et perspicaci ingenio; artes politiores, Philosophiam, ac Theologiam docuit; et fuit Provinciae Definitor. Praefecti deinde Missionum indigenarum, et Confessarii in Regio Monasterio Sanctae Clarae Neapolis muneribus functus fuit. Hinc ex obedientia petiit loca sancta Palestinae, ubi multa exercuit munera, praesertim Vicarii Generalis, Delegati Apostolici, et Praesidentis in *Berutti* per annos ferme octodecim. Hac in urbe die 4 Iulii Anni 1881 animam efflavit.

———

Illmus DOMINICUS MARINANGELI in ultimo Consistorio creatus episcopus *Fodianen. (Foggia)* sequentes inscriptiones epigraphicas, uti iam annuntiavimus, in memoriam Rmi D. FILIPPI composuit.

I.

O . ALOISI . FILIPPI
UNIVERSUS . TE . CLERUS . UNIVERSA . TE . CIVITAS
DOLET . AMISSUM
QUEM . MAGNA . INGENII . VIS . OMNIGENA . ERUDITIO
PERSPICUE . SOLIDEQ. EX . TEMPORE . DICENDI . FACULTAS
ANIMUS . SEMPER . AD . QUAE . UTILIA . DECORAQUE VIDERENTUR . ERECTUS
QUEM . PIETAS . SUPRA . MODUM . HUMILITAS . LIBERALITAS
AEQUA . IN . FAVENTES . ET . ADVERSOS . CARITAS . FACILITAS
QUEM . SCIENTIAE . BONAEQ . ARTES
IN . CLERICORUM . EPHEBAEO . FLORENTES
AEDES . PLURES . EXTRUCTAE . INSTAURATAE . INCHOATAE
AQUILANA . ECCLESIA
AD . METROPOL . DECUS . EVECTA
ITA . FAMAE . COMMENDABANT
UT . VIRUM . TEMPORIBUS . PAREM
TUM . VESTIN . ET . SABIN . HISTORIAE . OMNES . DICERENT
VALE . PRAESUL . INCLYTE
VALE . PATER . OPTATISSIME
NOSTRIQUE . IN . OMNE . MEMOR . AEVUM
AETERNUM . EBIBE . GAUDIUM

II.

ALOISIUS . FILIPPI
IN . LUCANIS . ORTUS . XIII . CAL . FEB . AN . MDCCCX
ADOLESCENS . VIX . ANN . XIII
ORDINI . FF . REF . D . FRANCISCI . NOMEN . DEDIT
MAGISTRI . SUBINDE . THEOLOGIAE
ET . BIS . MINISTRI . PROVINCIALIS
MUNIA . OBIVIT . SOLERTISSIME
NEAPOLI . VIRORUM . CONVENTUI . DE . SCIENTIIS . CONQUIRENTIUM . AN . MDCCCXLV . INTERFUIT
VESTIN . EPISCOPUS . CREATUS
THRONUM . CONSCENDIT . III . IDUS . MAJ . AN . MDCCCLIII
MAGNA . COMITANTE . EXPECTATIONE . MAGNA . PLAUDENTE . SPE
EXTEMPLO . DESPONSATAM . SIBI . ECCLESIAM
RENOVANDAM . AUGENDAM . SUSCEPIT
EIUSDEM . LABORE . SUO . ET . MERITIS
ARCHIEPISCOPALI . PALLIO . VII . CAL . MAR . AN . MDCCCLXXVI DECORATAE
VELUTI . NOVUS . FUNDATOR . EMICUIT
ET . CELEBERRIME . NOSTRAT . CARD . AMICI . AGNIFILI
GLORIAM . ATTIGISSE . VISUS . EST

III.

ALOISIUS . FILIPPI
GEMITU . ILLO . INENARRABILI . DUCTUS
QUO . UNIVERSA . CREATURA . REVELATIONEM . FILIORUM . DEI . EXPECTAT
NOVA . TEMPORA . PRAESENSIT
EISQUE . PRAEIRE . INVICTO . MARTE . CONATUS . EST
INDIGNE . SPRETAM . SS . PATRUM . ELOQUENTIAM . VINDICANS
INTER . PRIMOS . AUCTOR . FUIT
UT . ETHNICORUM . ET . CHRISTIANORUM . OPIBUS . SIMUL COMPARATIS . DIGESTIS
HUMANIORES . LITTERAE . HUMANISSIMAE . FIANT
ET . NOVUS . ECCLESIAE . CANDIDIOR . ATQ . FOECUNDIOR.
EXORIATUR . DIES

IV.

ALOISIUS . FILIPPI
INGENIO . DOCTRINAQ . PRAEPOLLENS
AD . SODALIUM . SUORUM . FRANCISCALIUM . DISCIPLINAM
DE . RE . PHYSYCA . ET . MATHEMATICA . LIBROS . EDIDIT
IN . EPISCOPORUM . CONSESSU . PRO . DEIPARA . LABIS . NESCIA . CONCLAMANDA
IN . VATICANA . OECUMENICA . SYNODO
ADMIRATIONEM . SUI . EXCITAVIT
AQUILANAE . SEDIS . NOMEN . LATE . DIFFUDIT . EXTULIT
OPTIMAE . NOTAE . OPERIBUS . DE . NOVISSIMIS . REBUS . CONSCRIPTIS
UT . UNIVERSIM . AD . IPSUM
VEL . COMMENDATIONIS . VEL . CONSILII . ERGO .
AB . EUROPA . ET . AMERICA
EPISTOLAE . CONFLUERENT

V.

SANCTE . OPTIME . ANTISTES
PROH . QUANTUS . QUAQUA . VERSUS . EXUNDAT
TE . POSTREMO . REVISURUS . POPULUS
PROH . QUAE . CONCORS . TUMULUM . TUUM . CIRCUMSONAT . VOX
SI . QUAE . TU EGISTI
SUPERIORES . ANTISTITES . SINGULI . EGISSENT
AQUILANA . DIOECESIS . AQUILANA . URBS
QUANTUM . MODO . SPLENDERET . EXCELLERET
UTINAM . UTINAM
QUI . MUNUS . TUUM . EXCEPTURUS . EST
HANC . AQUILANI . POPULI . VOCEM . EXCIPIAT

Nihil obstat
FR. BERNARDINUS MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

DECRETUM S. R. C.

quo indulgentiae et privilegia concessa Ecclesiis Assisiensibus pro Centenario S. P. Francisci extenduntur ad Ecclesias alias trium Ordinum.

BEATISSIME PATER

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis totius Ordinis Minorum S. Francisci, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus reverenter implorat, ut quo uberiori fructu Christifideles excitentur ad recolendam saecularem Commemorationem quae futuro mense Octobris in omnibus Ecclesiis praefati Ordinis Minorum celebrabitur, Sanctitas Vestra benigne elargiri dignetur pro solemnibus Triduanis, quae tunc peragenda erunt in omnibus Ecclesiis tum I tum II tum III Ordinis, easdem Indulgentias, quae concessae jam fuerunt Ecclesiis Assisiensibus. Humillime etiam postulat, ut singulis diebus enuntiatae solemnitatis, in supradictis Ecclesiis celebrari possint Missae propriae S. Francisci, ut in eius die festo.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII tributis, benigne concessit ut Indulta per Decretum diei 15 Maii 1881 quoad Missas et Indulgentias pro solemni Triduo ad recolendam septimam saecularem Commemorationem diei natalis inclyti Patriarchae Sancti Francisci Confessoris celebrando in Ecclesiis Civitatis Assisiensis, extendi valeant ad alias Ecclesias praefati Ordinis Minorum (1) in quibus haec Triduana solemnia debito decore peragi possint; servatis tamen conditionibus in supradicto Decreto contentis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 20 Aprilis 1882.

Loco ✠ Sigilli.

D. Cardinalis BARTOLINIUS
S. R. C. Praefectus.
Plac. Ralli S. R. C. Secr.

DECRETUM

Feria II die 3 Aprilis 1882.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 3 Aprilis 1882, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Caillot J. L. Pie VII et les Jésuites d'après des documents inédits. Rome, imprimerie Salviucci, 1879.

Renan Ernest. Marc-Aurèle et la fin du monde antique. Paris, Calmann Lévy éditeur, 1882.

(1) Licet in hoc Rescripto dicatur *ad Ecclesias Ordinis Minorum*, certum tamen est, ex habita verbali explicatione, mentem S. Congregationis fuisse, petitam extensionem concedere Ecclesiis I, et II, et III Ordinis, etiam saecularis, iuxta preces.

FR. BERNARDINUS Min. Gen.

G. D. M. Vita di Martin Lutero. Roma, libreria Alessandro Manzoni. 1882.

Siciliani Pietro, professore di Filosofia nella R. Università di Bologna. Sul rinnovamento della Filosofia positiva in Italia. Vol. unico. Firenze, 1871.

— La critica nella Filosofia zoologica del XIX secolo, Dialoghi. Napoli, 1876.

— Socialismo, Darvinismo, e Sociologia moderna. Seconda edizione accresciuta d'un nuovo lavoro. — Le questioni contemporanee. Bologna, 1879.

— Prolégomènes à la Psychogénie moderne. Traduit de l'Italien per A. Herzen. Paris, 1882.

— Teorie sociali e socialismo. Conversazione epistolare con Bonelli. Firenze, 1880.

— Della Psicogenia moderna in servigio degli studi biologici, storici e sociali. Terza edizione ampliata con ritratto dell'autore e prefazione di Iules Soury. Bologna, 1882.

Coscia Nicolà. Mille dei più originali e concettosi canti popolari, serenate, *stornelli,* strambotti e rispetti che soglionsi alternare fra innamorati delle compagnie italiane nelle sfide, nelle veglie, nei balli, scelti e portati alla comune intelligenza. Roma, tipografia Adolfo Paolini, 1882. *Decr. S. Off. fer. IV. 1 Februarii 1882. Auctor laudabiliter se subiecit et Opusculum reprobavit.*

Itaque nemo cujuscumque gradus etc.

Datum Romae die 3 Aprilis 1882.

FR. THOMAS M. CARD. MARTINELLI
Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed., S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✝ Sigilli.

Die 4 Aprilis 1882, ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

II.
ACTA ORDINIS

ELENCHUS PROVINCIARUM

NOTANDA

1° Signum ✝ indicat Provincias a potestate civili suppressas et numerus post ✝ positus suppressionis annum designat; numerus romanis litteris expressus Conventuum numerum ostendit.

2° Provinciae suppressae legitimos adhuc servant suos Superiores, et plurimae nonnullos Conventus restaurare potuerunt, cum perfecta vita communi, sive in eisdem locis, sive in exteris regionibus. Aliquae non minus hodie quam ante suppressionem florescunt, sicuti Provincia Recollecta Saxoniae S. Crucis, quae novam Provinciam in Statibus Americae Foederatis fundavit, scilicet Recollectam Provinciam SS. Cordis. Nonnulli obtemperantes S. Patris Francisci monitis, in aliam terram fugerunt cum benedictione Dei et novas instituerunt communitates, in quibus Novitii et Clerici non pauci in spem Ecclesiae religiose educantur. Aliae tamen Provinciae a tempore suppressionis, in America praesertim, fere ad nihilum redactae sunt.

3° Provincia Discalceata S. Gregorii in insulis Philippinis et novissime restauratae in Hispania Provinciae Cantabriae et Catalauniae Vice - Commissario apostolico Hispaniarum immediate subsunt.

4° Animadvertere opportunum erit documenta omnia in Elencho indicata non esse forsan omnino exacta, quamvis fideliter notaverimus quaecumque in Actis Aracoelitanis invenire potuimus. Sciendum enim est, antiquum Archivium Ordinis, anno 1808 post invasionem Urbis Romae ab exercitu Napoleonis, sublatum fuisse e Conventu Aracelitano. Paucis abhinc mensibus, quidam Patres nostri, Bibliothecam Vaticanam pro studiis suis invisentes, nonnulla Ordinis manuscripta et Regesta detexerunt, et spes affulget alia etiam inveniendi. Interim vero Patres Provinciales rogamus, ut correctiones, quae in sequenti Elencho faciendae essent, nobis patefacere velint.

5° Hortamur tandem Superiores Provinciarum praesertim suppressarum, ut suppres-

sionis relationem historicam texere curent et statum actualem tam Conventuum quam Religiosorum ad nos trasmittant, sicuti nonnulli iam fecerunt.

---

1 † 1873 (1) Observans Provincia Romana S. Michaelis. XXVI, *tempore suppressionis*.

2 † 1866 (2) Obs. Prov. Seraphica. XXXI.

3 † 1866 Obs. Prov. Marchiae. XLVII.

4 † 1866 Obs. Prov. S. Bonaventurae in Thuscia. XXX Hosp. III.

5 † 1866 Obs. Provincia Bononiae. XXI, VI Hosp.

6 † 1866 Obs. Prov. S. Antonii Venetiarum. X.

7 † 1854 (3) Obs. Prov. Genuae. XV.

8 † 1867 Obs. Prov. Principatus. XXV, Hosp. VIII.

9 † 1866 Obs. Prov. Siciliae Vallis Daemonis. XXVII, Hosp. IV.

10 † 1866 Obs. Prov. S. Nicolai Barensis. XVII.

11 † 1866 Obs. Prov. S. Bernardini Aprutiorum. XXXIV.

12 † 1866 Obs. Prov. S. Angeli, in Apulia. XV.

13 Obs. Prov. S. Hieronymi in Dalmatia. XIV.

14 Obs. Prov. S. Ioannis in Hungaria. XX, Residentiae III.

15 † 1869 (4) Obs. Prov. S. Antonii Minoris Poloniae. XI.

16 Obs. Prov. S. Francisci Ragusiae. IX.

(1) Provinciae Romanae tam Observans quam Reformata decreto civili diei 29 Iunii 1873 ambae suppressae fuerunt.

(2) Gubernium italicum omnes Regulares Ordines suppressos declaravit, lege 7 Iulii 1866, eorumque bona nationalia esse declaravit.

(3) In Regno Pedemontano, religiosa suppressio initium habuit anno 1854, in quo omnibus Communitatibus prohibitum fuit a civili potestate ne in posterum Novitios susciperent; anno vero 1866 consummata fuit, sicut in aliis Italiae Provinciis.

(4) Gubernium Russicum Religiosis Ordinibus non modo Novitiorum receptionem, sed etiam cum Romanis Superioribus omnimodam relationem, et etiam Provincialium Ministrorum electionem prohibuit. Superstites vero Regulares e diversis Ordinibus in eisdem Conventibus coadunavit sub dependentia Commissarii cuiusdam a Gubernio propositi.

17 † 1866 Obs. Prov. Basilicatae. XXVI.

18 Obs. Prov. Bosniae Argentinae. III. Paroeciae LXXX.

19 † 1880 (1) Obs. Prov. S. Ludovici Episcopi, in Gallia. IX.

20 † 1859 (2) Obs. Prov. S. Evangelii Mexici. XX.

21 † 1824 (3) Obs. Prov. SS. XII Apostolorum, in Republica Peruana. IV.

22 † 1854-66 Obs. Prov. S. Mariae Gratiarum Sardiniae. XII, H. II.

23 † 1859 Obs. Prov. SS. Petri et Pauli de Mechoacan, in Mexico. XII.

24 † 1829 (4) Obs. Prov. SS. Nominis Iesu Guatimalae, in America Centrali. I.

25 † 1861 (5) Obs. Prov. S. Ioannis Baptistae S. Fidei in Nova Granata. V.

26 † 1829 (6) Obs. Prov. S. Francisci de Quito. XII.

27 (7) Obs. Prov. SS. Trinitatis de Chile. XV, H. I.

(1) In Gallia Decretum suppressionis Societatis Iesu evulgatum fuit die 29 Martii 1879, eademque die aliud decretum ceteris Ordinibus Religiosis praecipiebat ut a Gubernio legalem approbationem peterent; sed quum insidiosae forent huius petendae approbationis conditiones et libertati Ecclesiae dissonae, nullus Ordo, nulla virorum Communitas tales conditiones adimplere assensit. Anni sequentis mense Octobris et Novembris, singulae virorum communitates manu militari occupatae sunt, effracti illarum aditus, et Religiosi violenter expulsi, inter quos Franciscani Provinciae Obs. S. Ludovici, Ref. S. Bernardini et Patres Recollecti Conventuum *Epinal, Roubaix* et *Lille*.

(2) In Republica Mexicana quinque inveniebantur Provinciae, quum in publica commotione excitata a *Juarez*, omnes religiosae Congregationes iniquis Decretis, mense Iulii 1859 datis, suppressae fuerunt.

(3) In bello pro independentia ab hispanica potestate, suppressa fuit haec Provincia, quae anno 1870 adhuc IV Conventus habebat.

(4) In bello independentiae anno 1829 suppressa fuit; post decem annos data a Gubernio libertate, aliqui Religiosi in Conventum maiorem S. Francisci Guatimalae convenerunt. Anno 1870 unicus erat huius Provinciae Conventus.

(5) In civili commotione *Mosquera* anno 1861, suppressa fuit; anno 1870 habebat 64 Religiosos sacerdotes et laicos, plerique in Paroeciarum ministerio occupatos.

(6) Prov. S. Francisci de Quito Conventus suos paulatim amisit, sive deficientibus Religiosis, sive per terraemotus qui tres Conventus penitus everterunt. Anno 1869 duo adhuc permanebant.

(7) Haec Prov. anno 1810 suppressa, faventibus

28 † 1834 (1) Obs. Prov. S. Antonii de Charcas (Bolivia). II.

29 † 1866 Obs. Prov. Neapolis et Terrae Laboris. XX, Hosp. I.

30 † 1866 Obs. Prov. Calabriae Citerioris. XIV.

31 † 1859. Obs. Prov. S. Francisci de Zacathecas in Mexico. X.

32 † 1859 Obs. Prov. S. Iacobi de Xalisco in Mexico. *(Confer. Fasc. II, pag. 28)*

33 Obs. Prov. Assumptionis Fluvii Platentis, in Rep. Argentina. IX.

34 † 1854-66 Obs. Prov. S. Thomae Apostoli Taurini. XIX.

35 † 1866 Obs. Prov. Immac. Conceptionis, Vallis Mazzariae, in Sicilia. XX.

36 † 1866 Obs. Prov. Vallis Nethi, in Sicilia. XVI.

37 † 1863 Obs. Prov. S. M. Angelorum Maioris Poloniae, vulgo Bernardinorum. XIX.

38 † 1854-66 Obs. Prov. S. Saturnini Mart. Sardiniae. IX.

39 Obs. Prov. S. Ladislai Regis in Hungaria. XV.

40 † 1863 (2) Obs. Prov. Lithuaniae, in Polonia Russica. XXII.

41 † 1866 Obs. Prov. S. Antonii Lyciensis. XII, IV Hosp.

42 Obs. Prov. SS. Redemptoris, in Dalmatia, XII.

43 † 1866 Obs. Prov. S. Ferdinandi Regis, in Molisio. XVI.

44 Obs. Prov. Immac. Conceptionis, in Gallicia. XVI.

45 Obs. Prov. Corsicae. VIII.

46 Obs. Prov. Cantabriae, in Hispania. IV.

47 (3) Obs. Prov. Catalauniae, in Hispania. IV.

sollicite Superioribus, restaurata fuit et pluribus abhinc annis Capitula Provincialia rite celebravit.

(1) In bello *independentiae* anno 1834 suppressa; anno 1870 duos habebat Conventus, *La Paz* et *Cochabamba*.

(2) Anno 1842, in hac Prov. Lithuaniae erant Conv. XXII et Resid. X; anno 1859 curam adhuc gerebat XIV Parocciarum.

(3) In Hispania, Provincia Carthaginensis duos Conventus, et Provincia Valenciae alios duos Conventus restaurare potuerunt.

48 Custodia Terrae Sanctae. IX. XXVIII Hosp.

49 Obs. Custodia Melitentis. II.

50 Obs. Custodia Herzegovinae II p. XIX.

51 † 1866 Obs. Custodia S. M. Angelorum Longobardiae (1).

52 † 1866 Reformata Provincia Seraphica XXIII. Hosp. II.

53 † 1873 Ref. Prov. Romana S. Michaelis. XXVII, Hosp. II.

54 † 1866 Ref. Prov. Marchiae. XXV.

55 † 1866 Ref. Prov. Thusciae, XVIII, Hosp. III.

56 † 1866 Ref. Prov. Bononiae. XV.

57 † 1866 Ref. Prov. S. Antonii Venetiarum. VIII, Hosp. IV.

58 † 1854-66 Ref. Prov. Genuae. IX, Hosp. I.

59 † 1866 Ref. Prov. Principatus, sive Salerni. XIX.

60 † 1866 Ref. Prov. SS. Septem Martyrum, in Calabria ulteriori. XVI.

61 † 1866 Ref. Prov. Vallis Doemonis in Sicilia. XX.

62 † 1866 Ref. Prov. S. Nicolai Barensis. XIV.

63 † 1866 Ref. Prov. S. Bernardini Aprutiorum. XX, Hosp. I.

64 † 1866 Ref. Prov. S. Angeli, in Apulia. XXVIII.

65 † 1863 Ref. Prov. S. M. Angelorum Poloniae Minoris. IX.

66 † 1866 Ref. Prov. Brixiae. VI.

67 † 1866 Ref. Prov. Basilicatae. XIX.

68 † 1866 Ref. Prov. Neapolis et Terrae Laboris. XVII.

69 † 1866 Ref. Prov. Calabriae Citerioris. XXI.

70 † 1866 Ref. Prov. S. Didaci, in Insubria. IV, Hosp. I.

71 † 1880 Ref. Prov. S. Bernardini, in Gallia. IX, Hosp. I.

72 † 1866 Ref. Prov. Vallis Mazzariae, in Sicilia. XXII.

73 † 1866 Ref. Prov. Vallis Nethi, in Sicilia. XXII.

(1) Extat nunc Mediolani unus Conventus sub immediata iurisdictione Ministri generalis.

74 † 1863 Ref. Prov. S. Mariae Angelorum Maioris Poloniae. IX.

75 Ref. Prov. S. Vigilii, in Tyroli Merid. VIII.

76 Ref. Prov. S. Wenceslai Bohemiae. XVII. Hosp. II.

77 Ref. Prov. S. Salvatoris Hungariae. XXIV, Hosp. I.

78 Ref. Prov. S. Mariae in Hungaria. XIX, Hosp. I.

79 Ref. Prov. S. Leopoldi Tyrolensis. XIII, Hosp. XII.

80 Ref. Prov. S. Antonii in Bavaria XVII. Hosp. X.

81 Ref. Prov. S. Crucis Croatiae Carnioliae. XII.

82 Ref. Prov. Transylvaniae. XIII, Hosp. IX.

83 † 1875 (1) Ref. Prov. Immacul. Concept., in Borussia. V.

84 Ref. Prov. S. M. Dolorosae, in Gallicia Austriaca. VIII.

85 † 1873 Ref. Prov. Assumptionis, in Polonia Russica. VIII.

86 † 1866 Ref. Prov. S. Iosephi Lyciensis. XVIII.

87 † 1873 Ref. Custodia SS. Recessuum S. Bonaventurae. V.

88 Ref. Custodia Constantinopolis. IV. Hosp. X.

89 † 1854-66 Ref. Custodia S. Thomae Apostoli in Pedemontium. V.

90 † 1866 Ref. Custodia S. Ioseph Lucae, in Hetruria III, Hosp. I.

91 Ref. Custodia Cincinnatensis, in Statibus Foederatis Americae Septentr. III et Paraeciae XIX.

92 Ref. Custodia Buffalensis in Statibus Foederatis Am. Sept. VI.

93 Discalceata Provincia S. Gregorii in Insulis Philippinis Paroecias habet CXXXIV et Missiones XII.

94 † 1858 Disc. Prov. S. Didaci, in Mexico. IV.

95 † (2) Disc. Prov. S. Antonii Brasil.

96 † Disc. Prov. Imm. Concept., in Brasilia. XIII.

97 † 1866 Disc. Prov. S. Petri de Alcantara Neapolis. XVI.

98 † 1866 Disc. Prov S. Paschalis Lyciensis. XII.

99 † 1875 Recollecta Prov. Saxoniae S. Crucis, in Westphalia. XV.

100 Recoll. Prov. Hiberniae. XIII

101 Recoll. Prov. S. Iosephi, in Belgio. XVIII, Hosp. II.

102 Recoll. Prov. Germaniae Inferioris seu Hollandiae. IV et Paroeciae XXIV.

103 Recoll. Prov. SS. Cordis, in Statibus Americae Foederatis, fundata anno 1879. XX.

104 † 1875 Recoll. Custodia S. Elisabeth Thuringiae, V.

Multae aliae olim numerabantur Provinciae, sed hodie sunt omnino extinctae.

Liceat nunc pauca addere. Agminis franciscani numerus, in hostili huius saeculi persecutione, multum imminutus est. Solatium nostrum in his Scripturae verbis haberi potest « Quia acceptus eras Deo necesse fuit ut tentatio probaret te » (Tobiae XII, 13) et « tentati sunt patres nostri ut probarentur si vere colerent Deum suum... Sic omnes qui placuerunt Deo per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, et impatientiam suam et improperium murmurationis suae contra Dominum protulerunt, exterminati sunt... Nos ergo, reputantes peccatis nostris haec ipsa supplicia minora esse, flagella Domini quibus, quasi servi, corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus ». (Iudith VIII, 21 ad 27).

Fratrum vero numerum nos, qui superstites remanemus, fervore redimamus, et « fortiter dimicemus, usque ad mortem, pro legibus » nostris (II Machab. XIII, 14). Media vero ad fervorem stabiliendum et Ordinis splendorem restituendum praesertim reperiemus in fideli observatione Regulae nostrae, in formatione *Collegiorum Seraphicorum* pro pueris ad Ordinem nostrum vocatis rite instituendis, et in assidua Novitiorum et Clericorum educatione religiosa: in pueris enim et iuvenibus futura spes Ordinis fundatur.

(1) Lege diei 31 Maii 1875 Ordines Religiosos suppressos in Borussia declararunt et in ultimis eiusdem anni mensibus revera executioni fuerunt traditae.

(2) Ministri harum Provinciar Discalc. Brasilae in Actis Capituli 1862 proprio nomine designantur, quamvis non interfuerint.

Ad rem etiam facient verba quae, coronidis ergo, afferimus ex *Legenda S. Margaritae Cortonensis,* a Fr. Giunta confessario eius descripta; haec videntur nostris temporibus aptari:

« Alia vice aeternus Artifex qui omnium « habet notitiam priusquam fiant, dixit Marga« ritae vigilanti et flenti:

« Firmissime tene quod magna tribulatio « erit in mundo, quam movebit secundus a « Lucifero Daemon qui nunquam postquam « fuerat religatus, egressus fuerat de inferno. « Iste totum circuibit mundum et viam Anti« christo sicut praecursor eius, sollicite praepa« rabit. Et erit tribulatio talis quod *multi Reli« giosi egredientur de Ordinibus suis* et moniales « de Monasteriis. Illo quidem tempore Ordo Fra« trum Minorum valde affligetur sed conforten« tur in me, quia ipsos protegam, daboque « praedictae Religioni gratiam meam; et sciant « quod ampliorem gratiam eis dedi quam ali« quibus Religiosis qui sunt in mundo. Pa« rent se ad tribulationes per quas mihi con« formes fient, quia tantum eos diligo, « ut ipsorum vitam meae velim per ordinem « conformari. (Leg. S. Margaritae a Fr. « Giunta. c. IX. n. 19 ».

—

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1881 celebrata

Provincia Ref. Tirolensis S. Leopoldi.

Die 27 Iulii ritu celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Michael Erhart.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Eugenius Schoenherr, Ex-Min.

DEFINITORES PROVINCIAE:

A. R. P. Arsenius Niedrist, Ex-Min.

R. P. Maximilianus Holaus.

R. P. Benno Schmid, Ex-Min.

R. P. Hermannus Pichler.

Ista Provincia cum Commissariatu Styriensi habet 25 Conventus et Hospitia, quorum nomina sunt:

Bulsanensis (*Bozen*), Ss. Stigm. S. Franc.
Sebatensis (*Schwatz*), S. Francisci.
Salisburgensis (*Salzburg*).
Reuttensis (*Reutte*), S. Annae.
Caldariensis (*Kaltern*), S. Claudiae V. M.
Halensis (*Hall*), S. Mariae angelorum.
Inticensis (*Jnnichen)*, S, Leopoldi.
Leontinus (*Lienz*), B. M. V. assumptae.
Telfsensis (*Telfs*), B. M. V. Immacul.
Schmolln, B. M. V. auxiliatricis.
Oenipontanus (*Innsbruck*), S. Crucis.
Brixinensis (*Brixen*), S. Elisabeth.
Hundsdorfensis (*Hundsdorf*), S. Antonii.
Subensis (*Suben*), S. Lamberti.
Ennsensis (*Enns*), B. M. V. ad nives.
Puppinganus (*Pupping*), S. Wolfgangi.
Graecensis (*Gratz*), B. M. V. assumptae.
Lancoviensis (*Lankowitz*) matris gratiarum.
Marburgensis (*Marburg*), B. M. V. assumptae.
Ad Mariam consolatricem (*Maria-Trost*).
Greichenbergensis (*Gleichenberg*), s. Mathiae Ap.
SS. Trinitatis (*Hl. Dreifaltigkeit*).
Hinteriss.
Algersdorf.
Sagorje.

—

Provinciae Ref. Barensis S. Nicolai.

Die 1 Augusti a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Camillus de Altamura.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Thomas a S. Michaele, Ex-Min.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Constantinus a Bario.

R. P. Ieremias a Turitto.

R. P. Angelus Raphael a Santeramo.

R. P. Aloysius a Tivri.

Ad quam Provinciam ante suppressionem spectabant sequentes 14 Conventus:

Altamara, S. Mariae gratiarum.
Bari, S. Bernardini.
Bitecto, S. Francisci.
Canosa, S. Francisci.
Cassano, S. Mariae Angelorum.
Castellaneta, S. Francisci.
Gravina, S. Sebastiani.
Gioia, S. Antonii.
Matera, S. Rochi.
Molfetta, S. Mariae Martyrum.
Polignano, S. Viti.

Santeramo, S. Rochi.
Turi, S. Ioannis Bapt.
Valenzano, S. Lucae.

—

Reformata Custodia S. Ioseph Lucensis.

Die 31 Aug. proxime elapsi anni 1881, ob mortem adm. R. P. Iosephi a Massamacinaria, Custodis regiminis, (cuius mentio in Necrologia 1. Fasciculi facta est) electus fuit ab eiusdem Custodiae Definitorio, sub praesidentia digonioris Patris, in Vicarium Custodialem, adm. Rev. P. Philippus a Gualdo, sacrae Theologiae Lector actualis. Hic, ad normam ordinis Constitutionum, in officio perdurabit usque ad futurum custodiale capitulum, quod erit celebrandum mense Iunii currentis anni.

(continuabitur)

—

MONASTERIA SECUNDI ORDINIS ET CONGREGATIONES TERTII ORDINIS S. FRANCISCI IN HOLLANDIA.

Gratias quam maximas agimus Ministro Provinciae Germaniae inferioris, qui nobis transmitti curavit sequentem Elenchum. Peroptamus, ut alii Provinciales pro caeteris nationibus similem elenchum exarare velint, et sic secundi et Tertii Ordinis statum perfectum hodiernis temporibus paulatim habere poterimus.

Clarissae (Urbanistae).

Megen cum 15 sororibus choro addictis, 10 conversis et una novitia.

Ammerzoden cum 13 sororibus choro addictis et 10 conversis.

Clarissae (Coletanae).

Roermond (exules e Monast. Vestphalorum) cum 20 sororibus choro addictis, 5 conversis et 6 novitiis.

Harreveld (exules e Düsseldorf) cum 14 sororibus choro addictis et 5 conversis. Ab ista domo anno 1877 novum monasterium fundatum est in Cleveland in statibus foederatis Americae septentrionalis.

Congregationes tertii Ordinis regularis.

Explicatio sequentium numerorum.

(1, indicat nomen Congregationis secundum respectivas Constitutiones.

2, designat numerum domorum respectivae Congregationis.

3, numerum Religiosarum.

4, scopum Congregationis.

5, numerum infantium, qui instruuntur.

6, numerum eorum, quorum insuper curam gerunt.)

I. Rotterdam.

1. Religiosae Poenitentes tertii Ordinis S. P. Francisci.
2. 14 domus.
3. 190 Religiosae.
4. Instructio et educatio juventutis necnon cura pauperum et aetate provectorum.
5. 2560 infantes.
6. Circiter 300 pauperes et senes.

II. Roosendaal.

1. Religiosae Poenitentis Recollectinae Immaculatae Conceptionis.
2. 24 domus, quarum 2 sunt in India occidentali, 1 in Anglia et 1 in Belgio.
3. 579 Sorores et 57 Novitiae.
3. Instructio et educatio puellarum.
5. 14399 infantes.
6. 130 feminae aetate provectae.

III. Dongen.

1. Recollectinae poenitentes.
2. 8 domus.
3. 140 Sorores.
4. Instructio et educatio.
5. Circiter 2600 infantes.
6. Nulli.

IV. Oirschot

1. Religiosae Poenitentes Recollectinae tertii Ordinis S. Francisci.
2. 7 domus.
3. 148 Sorores et 5 Novitiae.
4. Educatio et instructio iuventutis et cura infirmorum et aetate provectorum.
5. Circiter 3800 infantes.
6. 185 infirmi.

V. Gemert.

1. Religiosae Poenitentes Recollectinae tertii Ordinis S. Francisci.
2. 4 domus.
3. 77 Sorores, 2 Novitiae et 2 Postulantes.
4. Instructio et educatio iuventutis necnon cura virorum et mulierum aetate provectorum atque infirmorum.
5. 881 infantes et multi pueri, qui instruuntur in doctrina christiana et pro eorum prima Communione edocentur.

6. 62 viri et mulieres aetate provecti et quidam infirmi.

VI. Oisterwijk.

1. Religiosae Poenitentes Recollectinae tertii Ordinis S. Francisci.

2. 3 domus.

3. 63 Sorores.

4. Instructio et educatio.

5. Circiter 1500 infantes.

6. Nulli.

VII. Breda.

1. « Omnia omnibus. » *(Alles voor allen)*

2. 6 domus.

3. 114 Sorores.

4. Cura infirmorum et aetate provectorum necnon infantium.

5. 200 infantes instruuntur in doctrina christiana.

6. 180 infirmi, 580 senes et infantes.

VIII. Steenbergen.

1. « Caritas. »

2. 8 domus.

3. 91 Sorores.

4. Cura infirmorum, aetate provectorum, orphanorum.

5. 400 infantes.

6. 300 infirmi et 90 orphani.

XI. Heithuizen.

1. Religiosae Poenitentiae et christianae caritatis tertii Ordinis S. Seraphici Patris Francisci.

2. 40 domus, scilicet 21 in Hollandia, quarum duae in India Hollandica; 10 in Germania; 5 in America septentrionali; 3 in America meridionali; 1 in Belgio.

3. 722 Sorores, quarum 104 sunt Novitiae.

4. Educatio et instructio iuventutis necnon cura infirmorum.

5. Circiter 8000 infantes.

6. Circiter 318 infirmi.

III.
MISSIONES

—

NOVA MISSIO
in Aintab in Armenia minori

Restauratio religiosa atque civilis populorum orientalium, praesertim Armenorum, Supremo Ecclesiae Pontifici, Ssmo D. N. Leoni PP. XIII. maxime cordi est. Quam ob causam Sanctitas Sua varias novas Missiones in Oriente erexit, quas inter numeratur etiam Missio in *Aintab,* quam excolendam credidit Fratribus Minoribus Terrae sanctae.

Givitas *Aintab,* - antiquitus *Antiochia ad Taurum* vocata, - ad pedes montium Tauri super tres colles aedificata nunc habet circiter 33,000 inhabitantes, quorum 11000 sunt Armeni schismatici, 2500 protestantes, 160 catholici et 300 hebraei. Reliqui omnes sunt Mahumetani. Praecipuae causae exigui numeri catholicorum comparative ad numerum acatholicorum sunt sequentes: 1. Ignorantia et superbia episcoporum et clericorum heterodoxorum, qui orientali schismati initium dederunt. 2. Iugum turcicum, quod in iustam schismatis poenam istis populis impositum est eosque in tenebris erroris et ignorantiae retinet. 3. Nimius amor pecuniae, qui eos retrahit a coelo et semper magis trahit ad terram, quapropter non distinguunt religionem a religione. Propter istam causam protestantes ibi magnos fecerunt progressus, praesertim in Aintab, ubi habent duas sectas ad invicem quidem inimicas, sed unitas contra Christi veram Ecclesiam. Una secta formata est a protestantibus evangelicis Statuum Foederatorum Americae, altera ab Anglicanis.

Priores sunt numerosiores et erexerunt ibi iam collegium centrale. Reguntur a quodam Tobric, qui est vice-consul, rector generalis scholarum et caput sectae. Posteriores reguntur a quodam ex-episcopo Armenorum schismaticorum de *Aintab;* habent tres ecclesias et 14 scholas praeter collegium centrale. Dictas scholas, in quibus docent 35 magistri, frequentant 426 pueri et 258 puellae. Possident etiam nosocomium. Armeni schismatici habent duas scholas; pro pueris unam, pro puellis alteram, et unam ecclesiam. In spiritualibus reguntur a quodam presbytero uxorato Aleppino, quem vocarunt post ipsorum episcopi transitum ad protestantismum.

Catholici habent unam ecclesiam satis pulchram, cui inservit unus sacerdos. Antea habuerunt duas scholas, deinde unam tantum, postea autem nullam, ita ut pueri catholici scholam acatholicam frequentare deberent.

Ex dictis satis intelligi potest deploranda conditio, in qua infelix populus istius regionis hucusque versabatur.

Anno elapso Summus Pontifex per S. Congregationem de Propaganda Fide Rmo P. Ministro Generali Ordinis nostri votum suum patefecit, ut Custodia Franciscana Terrae sanctae Missionem in *Aintab* susciperet et quamprimum Missionarios illuc mitteret. Dicta Custodia, memor abnegationis et sacrificiorum inclyti Fundatoris sui, S. Francisci Assisiensis, piis votis Vicarii Iesu Christi debita obedientia alacriter se submisit. Superiores pro hac nova Missione designarunt P. Vincentium a Breno, qui per 15 iam annos Missionarius fuerat in America et actu fungebatur officio Discreti Custodiae, necnon P. Amadaeum a Catania et Fr. Donatianum, Religiosum Gallicum. Isti novi Missionarii e civitate Hierusalem, unde 19 abhinc saeculis Apostoli exierunt ut renovarent faciem terrae, die Dominica, 20 Novembris 1881 profecti sunt versus Anatoliam populos ad unitatem fidei catholicae et apostolicae reducturi. In *Aintab* advenerunt die 7 Decembris, in vigilia Immaculatae Conceptionis B. M. V., sub hoc mysterio singularis Patronae ac Protectricis Ordinis Franciscani. Se contulerunt ad ecclesiam Armeno-catholicam, cuius sacerdos cum gaudio eos excepit. Sequenti die fere omnes catholici eos inviserunt, gaudentes de eorum adventu ac sperantes fore, ut per ipsorum labores catholicismus refloreseat in regione ista infelici.

Post paucos dies Missionarii invenerunt pauperem domum pro habitatione et pro sacro ministerio exercendo. Statim Patres cogitarunt de erigenda schola ad erudiendam iuventutem. Deo adiuvante, iam die 15 Ianuarii a. c. Fideles de schola sequenti die aperienda certiores reddere potuerunt, quos simul monuerunt de gravi obligatione mittendi pueros ad scholam catholicam. Contrafacientes enim in Delegatione Apostolica Syriae incurrunt casum reservatum. Die 16 Ianuarii, Ss. Proto-Martyribus Franciscanis sacro, oblato S. Missae sacrificio ac recitato hymno *Veni creator,* Patres scholam ritu S. Ecclesiae benedixerunt et deinde instructionem inchoarunt. Primo die venerunt solummodo quinque pueri. Verumtamen isti quinque erant granum sinapis, ex quo brevi maior arbor crevit. Etenim in eadem adhuc hebdomada schola numerabat triginta discipulos, die autem 15 Februarii a. c. iam habebat 115 pueros praeter alios 48, qui frequentant scholam serotinam pro illis pueris a Missionariis institutam, qui ob occupationes diurno tempore ad scholam venire non possunt.

Talis numerus non expectatus ex una parte confortat et consolatur Missionarios, ex altera autem parte eos cogit, ut de amplianda domo scholari serio deliberent. Pie autem confidunt in Deo, pro cuius amore ad istos infelices populos venerunt, et cuius auxilio cum solo patrimonio Seraphico, sancta scilicet paupertate, iam magna perficere potuerunt. In dicta schola praeter doctrinam christianam docent etiam linguam turcicam, armenam, italicam et gallicam, arithmeticam, geographiam, historiam sacram et profanam, mercaturam et artem graphicam. Magistri sunt duo Religiosi et duo saeculares. Mox inchoabitur etiam schola pro puellis. Iam 45 schismatici Missionariis se praesentarunt et rogarunt, ut reciperentur ad gremium sanctae matris Ecclesiae.

Ex breviter narratis sperare licet, fore, ut Ordo Seraphicus, de Orientis populis semper bene meritus, in hac nova messe, Deo benedicente, multum fructum afferat.

—

MISSIO SUPERIORIS AEGYPTI

Ex Apostolica Missione Fratrum Minorum Strictioris Observantiae Superioris Aegypti nuper ad nos laetissima pervenit notitia, quam libenti animo harum nostrarum publicationum lectoribus communicamus.

Gubernium Excellentissimi Kedive Aegypti declaraverat, se suis auxiliis subventurum gratuitas scholas ad pueros iuvenesque bonis moribus litterisque imbuendos huc illuc per Aegyptum erectas, si de iisdem scholis ad se mitterentur authenticae relationes.

Adm. Rev. P. Hieronymus a Monte S. Sabino, Praefectus Apostolicus Aegyptiacae Missionis Minorum Reformatorum, vir quidem animarum zelo et charitate fervens, super statu tunc sexdecim, nunc viginti scholarum, suas informationes ad Gubernium transmiserat; et, sex mensibus transactis quin de effectu suae

relationis aliquid sciret, deficiente sibi pecunia pro stipendiis solvendis magistris saecularibus numero viginti, qui cum religiosis missionariis pueros iuvenesque Aegyptios docent, angustiis premebatur, et sacrae Familiae devotissimus ad Ipsam in perviglio eiusdem festivitatis fiducialiter recursum habuit. Nec frustra; eadem die nuntium accepit ab Aegyptiaco Gubernio sibi, pro scholis Missionis, assignatas fuisse libellas Aegyptias 664, quae respondent italicis libellis 17,264. - Maxima laetitia hoc nuntio perfusus, gratias agendi causa ad Excellentissimum ministrum Praefectus se contulit. Summa humanitate et benevolentia ab ipso Ministro nec non ab omnibus eiusdem Ministerio addictis P. Praefectus Apostolicus cum socio fuit exceptus, et mandatum illi traditum, quo statim pecuniam prommissam exigere posset.

Et hic memorare iuvat, non modo praecipuos Aegyptiaci Gubernii officiales, verum etiam Pro-Regem ipsum benevolentissimum in Missionarios Franciscanos se exhibuisse; omni enim tempore, teste eodem Adm. Rev. P. Praefecto Apostolico, summus Moderatur Aegypti humanitate non modo verum etiam reverentia atque devotione Missionarios franciscanos est prosequutus; et pluries eos ipsa sua mensa communicare voluit.

Filii seraphici Patriarchae per totum Aegyptum ab omnibus sunt maxime reveriti, et ipsos populorum cuiuscumque fidei devotio, velut radius lucis amicae, undique circumdat.

Sunt tamen in illa Domini vinea nostri operarii pauci et messis quidem multa atque redundans: Duodecim enim tantum Missionarii administrationem habent spiritualem vastissimae regionis quae a Cairo incipiens et ad mille milliaria se protendens Assoan extremum Aegypti limitem attingit. Studio salutis animarum procurandae incensi, srenue in apostolicum munus incumbunt; plurimis tamen laboribus defatigati, et quasi viribus deficientes ad confratres suos manus supplices tendunt eosque in sortem sui apostolatus vocant. Populi vero illius regionis instantissime Franciscanos Missionarios petunt; et quando ad eos pervenit pacem vitamque nunciaturus diu peroptatus Missionarius eundem summo gaudio excipiunt, verba salutis humillime audiunt et in sinum s. matris ecclesiae gratiam redeundi enixe peroptant. Sunt ipsi nepotes eorum, quos Dioscorus et Eutiches e sinu catholicae Ecclesiae crudeliter divellerunt, èt adhuc in tenebris et in umbra mortis manent. Divina Misericordia eos nunc ad se vocat, et ipsi benignitatis et humanitatis Salvatoris Nostri Christi Iesu Franciscanos cooperatores etiam atque etiam postulant.

Vox illa supplex ad corda filiorum seraphici Patris perveniat, gratia miserentis Dei eam efficacem reddat, invitet et ducat Minoriticos cultores ad apostolicam vineam quam Divus infans, ipse SSmus Iesus, benedictissima Salvatoris Mater Virgo Maria et castissimus eiusdem sponsus Ioseph longo incolatu benedixerunt.

Haec benedictio sanctissima erit pracul dubio super iuvenes ordinis nostri sacerdotes, qui vocem invitantis audient, eosque sacra Ipsa familia illuc erit ductura, et ibi incessanter comitatura atque adiutura.

—

TERRA SANCTA

Die 24 martii proxime elapsi, omnes Episcopi Provinciae ecclesiasticae Quebecensis in Canada pastoralem epistolam dioecesanis suis direxerunt, in qua quaestuatio annua pro Terra Sancta restauratur. R. P. Vicarius Custodialis Terrae Sanctae Fridericus a Ghyvelde, qui ad Canada perrexerat, hoc negotium pertractavit et feliciter ad exitum perduxit.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

1863. Brevis Conspectus praecipuarum Missionum Ordinis S. Francisci, auctore P. Bernardo Van Loo, Ord. FF. Recoll., Lovanii, ex typogr. C. Fonteyn.

1866. Domus Religiosae in historia, a R. P. Arsenio Karcsù, Prov. ss. Salvatoris in Hungaria.

Hoc opus idiomate hungarico scriptum est. Idem auctor sequentia opera hungarico idiomate edidit:

1867. HISTORIA omnium ordinum religiosorum cum speciali reflexione ad statisticam Regni Hungariae Monasteriologiae. Budapestini. Tomi V in 8° min.

1867. MONASTERIA et eorum hostes nostra in aetate. Vacii.

1867. SODALITII ROLPINGIANI moralis et socialis influxus ad civilisationem. Budapestini.

1867. PONTIFICATUS MERITA circa ordinem mundi socialem, litteraturam et Regnum Hungariae. Budapestini.

1867. DEUS MEUS ET OMNIA. Liber precatorius et cantilenaris. Budapestini.

1867. QUADRO GEOGRAFICO - STATISTICO-POLITICO - MONDIALE, Napoli presso Giuseppe Dura, strada di Chiaja, 10 3ª edizione (L. 2,50).

In hoc prospectu synoptico situatio astronomica, superficies geographica, numerus habitantium, praecipuarum civitatum, religio, gubernii, forma, exercitus in terra marique fere omnium mundi nationum indicantur.

1867. GESCHICHTE DER MARTYRER VON GORCUM von ihrem Zeitgenossen W. Estius Hèsselius. Uebersetzt und mit Zusaetzen herausgegeben von P. Ignatius Jeiler (Lect. ss. Theol. Prov. Saxoniae S. Cruc.) Warendorf. (L. 2,40) latine: Historia Martyrum Gorcumensium a coaevo Guil. Estio Hesselio. Translata et cum adjunctis edita.

1867. VITA del Ven. servo di Dio P. ANGELO del Pas di Perpignano, sacerdote professo dei Min. Rif., composta dal P. Anton-Maria da Vicenza, Lett. Teol. della Prov. Rif. di Venezia. Libri due. Roma, tipogr. di F. Aureli. (Reperitur apud Postul. Ref.)

1869. HISTORIA ROMANORUM PONTIFICUM a S. Petro usque ad annum 1871, a R. P. Arsenio Karcsú, Prov. ss. Salvatoris. Tomi VIII in 8° (idiom. hung.) Budapestini.

1870. RECOPILACION DE LAS INDULGENCIAS con que la munificencia de las Sumos Pontifices ha enriquecido a las tres ordenes del Serafico P. S. Francisco, extendidas en su mayor parte a todos los Fideles; formada por el R. P. Fr. José Coll, M. Obs, ex-Procurador General di Tierra Santa. Barcelona: José Pous y Carnér, Archs 8. Venit etiam in Collegio Missionum Terrae Sanctae *Santiago de Compostela* (4 Rs.) in 16°.

Compendium Indulgentiarum tribus Ordinibus S. Francisci concessarum, quarum major pars cunctis Christi fidelibus extensa fuit.

1870. VITA DI S. DIEGO DI ALCALÀ, Min. Oss., scritta dal P. Anton-Maria da Vicenza, della Prov. Rif. di Venezia, Bologna, tipogr. Mareggiani.

1870. Seraphici Doct. S. BONAVENTURAE DOCTRINA de Romani Pontificis PRIMATU ET INFALLIBILITATE, a P. Fideli a Fanna, Lect Theol. Ref. Prov. Venetae, collecta et ordinata. Taurini, apud Petr. Marietti.

1871. COMPENDIO della vita della illustre Penitente S. Margherita di Cortona, composta dal P. Anton-Maria da Vicenza, L. T. della Prov. Rif. Veneta. Bologna, tip. Mareggiani (L. 0,35).

1861. VITA E MARTIRIO dei Servi di Dio P. PAOLO da Mantova e P. CLEMENTE da Bressanone, dei Min. Rif. della Prov. di Venezia, compilati dal P. Anton-Maria da Vicenza, Lett. della stessa Prov. Bologna, tip. Mareggiani. (L. 0,50).

1871. VITA DEL VEN. P. PIER-DOMENICO da Orvieto, sac. dei Min. Rif., narrata in compendio dal P. Anton-Maria da Vicenza, L. T. della Prov. Rif. Veneta. Bologna, tip. Mareggiani. (L. 0,40). (Habetur in Postul. Ref.)

1871. IL CASTELLO DI VALLE nell' Istria e il B. GIULIANO CESARELLO dell'Ordine dei Minori. Memorie storiche compilate dal P. Anton-Maria da Vicenza, L. T. della Prov. Veneta. Venezia, tip. Emiliana.

2872. WAS IST DER DRITTE ORDEN des hl. Franziskus? Von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi) Innsbruck, Verlags-Buchhandlung. (L. 0,60).

In isto libello agitur de institutione, regula ac utilitate tertii Ordinis necnon de archiconfraternitate chordae S. Francisci.

1872. VITA del Ven. P. LEOPOLDO DA GAICHE, sac. nell'ordine dei Min. Rif., scritta

dal P. Anton-Maria da Vicenza. Bologna, tip. Mareggiani (L. i.) (Habetur apud Postul Ref.)

1872. Tempo vero e medio in Italia in rapporto al tempo di Roma per P. Carlo Mª Alcantarino. Premiato dal Reale Istituto d'Incoraggiamento con medaglia di argento di 1^a^ classe. Napoli, Tipog. dell'Ancora (L. 1.)

1873. Vita del Ven Pietro da Bagnaja sac. Min. Rif., descritta in compendio dal P. Anton-Maria da Vicenza. Venezia, tip. Emiliana (L. 50).

1873. Della Mistica Città di Dio, scritta dalla Ven. Suor Maria di Gesù di Agreda seu allegazione storico-apologetica dal P. Anton-Maria da Vicenza. Bologna, tip. Mareggiani. (L. 1,50.) *(Haberi potest Venetiis in Conv. S. Michaelis in insula).*

1873. Alimonia qvotidiana animae (idiomate hungarico) a P. Arsenio Karcsù (Prov. ss. Salv.) Vacii.

1873. Unsere liebe Frau von Lovrdes. Aus päpstlich approbirter Schrift entnommen und dem christlichen Volke erzählt von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi) Innsbruck, Vereins Buchhaudlung. (L. 0,30).

In hoc libello agitur de apparitione et miraculis B. M. V. in loco Lourdes in Gallia.

1873. Sei gegruesst, o hl. Kreuz, unsere einzige Hoffnung. Andachtsbuch zur Erlangung einer glückseligen Sterbstunde. Zusammengestellt von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi) Innsbruck, Vereins-Buchhandlung. (L. 1,15).

Liber precum, praesertim pro sodalibus confraternitatis s. crucis necnon ss. Cord. Jesu et Mariae.

1874. La Regola di S. Chiara secondo l'approvazione e confermazione d' Innocenzo IV, dal P. Giovanni Francesco da Venezia. Venezia, tip. Emiliana.

1874. Ratio novae collectionis operum omnium, sive editorum sive anectodorum, Seraph. Eccl. Doct. S. Bonaventurae proxime in lucem edendae, Manuscriptorum bibliothecis totius Europae perlustratis, studio ac labore P. Fidelis a Fanna, Lect. Theol. et Sociorum ejusdem Ordinis. Taurini tip. Petr. Marietti.

1874. Gesu' Cristo e il mondo coi loro seguaci, dal P. Ermenegildo da Chitignano, Lett. Em. Prato. (L. 2.)

1874. Der hl. Bonaventvra aus dem Orden des hl. Franciscus, von P. Anton-Maria da Vicenza. Nach dem Italienischen deutsch von P. Ignatius Ieiler, Lect. Theol. Prov. Saxon. Paderborn. (L. 2,40).

Vitam S. Bonaventurae a P. Antonio Maria a Vicetia italice scriptam P. Ignatius Ieiler germanice reddidit.

1875. Das Leben Iesu. Im Geiste des hl. Bonaventura neu dargestellt von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi) Innsbruck, Vereins-Buchhandlung. (L. 2).

Vita Iesu secundum meditationes S. Bonaventurae.

1875. Vita del Ven. Bernardino da Calenzana, scritta dal P. Anton-Maria da Vicenza, Lett. Em. Roma, tip. Chiapperini (L. 1)

1876. I Cacichi di Tascala di Padre Servio Dirks, Min. Recolletto, (Prov. Belg.) tradotti dal P. Lorenzo da Volturino M. O. Prato, Ranieri Guasti.

V.
NECROLOGIA

R. P. Petrus de Alc. Singer, Ord. Iub., Consiliarius Reverendissimi Archiepiscopi Salisburgensis, Novitiorum Magister, Ex-Custos Provinciae Tyrolis S. Leopoldi.

« Fuit hic vir, uti ad nos scribit huius Provinciae Minister, omni ex parte plane insignis tum quoad religionem, tum quoad scientiam et praecipue quoad artem musicam et mechanicam, cuius laudes integre enarrare haud facile cuiquam continget. Natus in pago Haeselgaehr ad Licum flumen in Tyrolo septentrionali die 18 Iulii 1810 in s. baptismate Antonii nomen adeptus est. Cum in puero ab omnibus ingenium ad studia aptissimum dignosceretur, duodennis a parentibus in propinquum pagum Reutte transmissus est, ut a Fratribus Minoribus, qui ibi monasterium habent, praevie institueretur ad studium Gymna-

sii. Ibi a fel. rec. P. Mauritio Gasteiger, viro religiosa pietate claro et artis musicae valde perito in eadem arte instructus est. Postea Gymnasium in oppido Hala ad Oenum, quod FF. Minores moderantur, eminenti cum successu absolvit, simul musicae diligenter insidens et etiam arte pictoria et graphidi non sine spectabili profectu se exercens. Quamvis commoda et honores in saeculo manentem expectare videbantur, tamen iuvenis egregius mundo eiusque vanitatibus valedicere statuit, quippe qui inter scientiarum et artium conamina orationis studium minime neglexerat. Igitur die 8 Sept. 1830 in Conventu Salisburgensi Ordinis seraphici habitum suscepit et transacto Novitiatu absolutisque studiis philosophicis die 12 Aug. 1833 vota solemnia nuncupavit. Anno sequenti die 13 Iulii sacerdos ornatus mente indefessa orationi ac studiis theologicis vacabat. Anno demum 1840 a Capitulo Provinciali Novitiorum Magister proclamatus et Salisburgum missus est, ubi usque ad vitae finem permansit ac multiplici modo pro Dei gloria et proximorum salute adlaboravit. Erat enim Novitiorum Magister prorsus egregius, qui per 36 annorum spatium 320 circiter iuvenes vita religiosa et moribus Ordinis seraphici imbuit, ita, ut pene omnes huius nostrae Provinciae Clerici nec non spectabilis fratrum Laicorum numerus eius Magisterio substiterint. Praeterea summopere studebat, ut canoris organi modulis Deum laudaret et laudis concentus in cordibus hominum suscitaret. Ast, ut artis musicae amator eximius non solum operam dedit dexteritati pulsandi organa, sed diligenti studio profundius in arcanas eiusdem artis rationes penetravit. Primus horum studiorum fructus erat instrumentum musicum, quod ipse primus invenit ac propriis manibus confecit, quodque « Pansymphonicum » dicitur, quia ex eo, quamvis nonnisi chordis et bracteis metallicis sit instructum, tamen diversorum instrumentorum sonus elici potest. Quod instrumentum ut viderent et audirent ex dissitis orbis partibus peregrini ad eum ventitarunt, ita ut quasi quotidie non parvo eorum numero cella eius frequentata fuerit. Alter horum studiorum fructus est liber ab ipso compositus et Monachii 1847 typis vulgatus sub titulo « Ideae metaphysicae in regno Musices, » in quo non solum analogiam in legibus rei musicae cum essentia et operatione Dei egregie patefecit, sed et novum omnino et exactum harmoniae systema proposuit, quod a viris in hac arte peritissimis magna laude dignum habitum est. — Eius prudentiam ac in scientiis theologicis peritiam vel ex eo coniicies, quod summorum graduum tum Clerici tum Laici ipso qua Confessario ac consiliario usi sunt, immo quod s. m. Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Maximilianus Iosephus, Cardinalis S. R. E. et Archiepiscopus Salisburgensis eum Consiliarium Archiepiscopalem denominavit. Binis etiam vicibus Definitoris et Custodis Provinciae munus administravit. — Multo magis autem in eo admiranda erat vera et sincera pietas et zelus pro pura observantia S. Regulae seraphicae. Etenim adhuc iuvenis orationis tam assiduitate quam ardore spectabilem se praebuit, quem orationis spiritum ad senectam usque sedulo fovit et excoluit. Praeter praescriptas et in Ordine consuetas preces orationi mentali praeprimis insistebat, cuius praecipuum obiectum erat Vita, Passio et Glorificatio Domini nostri Iesu Christi. De hoc meditandi modo librum conscripsit « Spirituale contemplationis horologium » intitulatum, quia in eo illa Redemptionis nostrae mysteria in 24 horas diei pro contemplatione disposita inveniuntur. Quem librum Superiorum iussu primum Monachii, dein quinquies Salisburgi typis mandatum aliorum quoque religiosorum Ordinum Professores et etiam saeculares multi sibi compararunt et contemplandi modum inibi propositum magno cum spirituali profectu et consolatione sibi adsciverunt. Quod s. Regulae observantiam attinet, totus in eo fuit, ut omnia eius praecepta ad amussim et ipse observaret et Novitiis inculcaret. Praecipue claustralem solitudinem, obedientiam, omnimodam pecuniae et proprietatis abdicationem et vitam communem commendabat, quam et ipse suo exemplo Confratribus acceptabilem reddebat, humili alacrique animo omnia suscipiens ac perferens incommoda, quae singulis ex hocce vitae genere obvenire solent. Quamvis a multis et spectabilibus hominibus summe honoraretur, tamen erga quemvis etiam infimum Confratrem affabilem, imo obsequiosa comitate plenum se exhibebat.

Die tandem 1 Oct. 1879 viro optime merito iustum reverentiae et gratitudinis tributum tam Provincia quam saeculares multi persolverunt, dum initium quinquagesimi ab eius ingressu in Ordinem anni solemniter celebrarunt. A. R. P. Minister Provincialis cum Ven. Definitorio et plures Superiores Locales Salisburgum venerunt et viva voce congratulationem suam obtulerunt, aliis non paucis tum Confratribus tum Saecularibus per litteras gratulantibus. — Sed quo maius eo tempore omnium gaudium fuit, eo graviori omnes nuper afflictione perculsi sunt de nuntio mortis, quae die 25 Ianuarii h. a. ex inopinato tantum virum Provinciae nostrae eripuit. »

R. P. Isidorus a Boscomare, Lector Emeritus Ref. Provinciae Romanae.

Nocte quae XVIII diem mensis Februarii elapsi praevenit, Ordo Seraphicus S. Francisci destituebatur uno e venerabilibus Patribus, cuius memoria numquam delebitur ex animis eorum, qui amore et obsequio prosequuntur virtutem ac scientiam mirabili inter se foedere coniunctas. P. Isidorus a Boscomare Minorum Reformatorum Provinciae Romanae, in Ecclesiasticis disciplinis apprime versatus ac in honore habitus non tantum a Confratribus verum etiam ab exteris, placidissime obdormivit in Domino in Coenobio S. Isidori huius Urbis. Provincia Franciscanorum Hibernica Strictioris Observantiae ex obitu tanti Patris pergravi fuit iactura perculsa: fere omnes huius Provinciae Religiosi magistrum illum habuerant, eoque doctore Sacris theologiae studiis operam dederant, quam aequali prorsus profunditate ac perspicuitate noverat explicare; atque id tam singulari arte, ut praecepta quae tradebat in auditorum mentibus impressa quodammodo defigeret.

Ter a P. Ministro Generalis sui Ordinis decoratus munere Commissarii Generalis ad obeundam Hibernicae Provinciae visitationem, optime functus est officio visitatoris et praesidis in Capitulis Provincialibus, continuo salutaria consilia ac monita praebens, atque omni studio quam maximum illius Provinciae profectum fovens.

Attigerat annum LIII aetatis suae, religiosae vitae XXXVII, ac solidos XXXII annos impenderat in studendis tradendisque philosophicis et theologicis disciplinis; vir, ut ita dicam, infatigabilis; amor verae sapientiae adeo ipsum ceperat, ut quodammodo incommoda minime persentiret quibus ob mentis assiduum conatum ac nimium laborem erat obnoxius.

Propter eximiam sapientiam merito fuit honoratus tum intra domesticos parietes, tum etiam apud extraneos. Emerentiam in S. Theologia ac decora munera adeptus est. Omnes ipsius doctrinam reverebantur et consilia expetebant. Summus Pontifex Pius PP. IX. fel. rec. eum inter Consultores S. Congregationis de Propaganda Fide dein S. Inquisitionis recensuit. Postremo Leo XIII fel. reg. voluit pariter ipsius meritis honorem tribuere eumque inter Consultores S. C. de Propaganda Fide pro Negotiis Orientalibus adscivit. Nuncius huius electionis perlatus est Patri Isidoro die XV mensis Februarii; verum triduo post Deus eum evocabat ad honores, quos in coelis apparat iis qui in Ecclesia Christi veluti nitentia sidera lucem veritatis, quam ex ipso aeternae sapientiae Sole derivarunt, effundunt.

Tribus iam mensibus gravi cordis morbo laborabat, nihilominus omnes suos dolores singulari proximorum aedificatione ferebat. Seipso fortior passus minime est aegritudine corporis impediri dilectorum discipulorum instructionem quoadusque vires ac vitam habuit, ipso supremo die, lectiones Sacrae Theologiae exhibuit, vestigiis maximorum Doctorum Seraphici et Angelici semper insistens.

VI.
VARIA

—

DE MALO ASSYRIA (1) S. PATRIS NOSTRI FRANCISCI

In Claustro maiori Venerabilis Conventus Divi Francisci ad ripas Tiberis pluribus abhinc saeculis erat arbor alta mali Assyriae, unius stipitis, ex quo, instar trium brachiorum, prodibant tres rami, in alios minores ramos subdivisi. Haec arbor ex saeculari constantique traditione dicta fuit arbor S. Francisci, quia

(1) Italice *melangolo*, gallice *oranger*.

sanctum Patriarcham in eo loco eam plantasse semper creditum fuit. Anno 1613 cum Paulus V Summus Pontifex in supradicto Claustro amplam cisternam effodiendam curasset, praefatam arborem evellere, et hinc in primo horto ad portam externam, conterminam tertii Ordinis sacrario, eam plantare fuit necesse. Ibi germinavit et fructum sicuti antea tulit, ita ut omnium nationum peregrini se ad Coenobium assidue conferrent, ac pietate ducti quaererent folia, quae habebant ut reliquias, et si eis darentur fructus, se veri thesauri aestimabant possessores (1).

Ex decreto Victoris Emmanuelis edito die 26 Augusti anni 1871 cum Religiosi ex maxima huiusce Conventus parte expulsi etiam hortos annexos amisissent, omne studium, omnemque curam posuere in hac arbore servanda, quam cum omnibus radicibus suis in hortulum ianuae Conventus proximum transtulere, et ibi accurate solliciteque coluere.

Vere anni 1872, Religiosi suspiciebant, an arbor emitteret flores, ast haec, tribus parvulis germinibus vix egressis, et statim arefactis, nullum deinceps vitae dedit signum. Quapropter arbor tota habita fuit arefacta, et ideo radicitus evulsa in angulo dicti hortuli, ut quivis inutilis truncus comburendus, fuit proiecta.

Aestate anni 1873, Laicus Professus Frater Iosephus a Carpineto (2) ex dicto trunco arefacto radicem quasi duorum palmorum longam excidit, et ibidem plantavit, aliis Fratribus Laicis id vere stultum putantibus, eumque non parum deridentibus: dicebant enim, quod naturaliter nequibat fieri, ut radix omnino arefacta germinaret. Et licet id etiam ei rem corporeis oculis inspicienti persuasissimum esset, firma tamen erat in spe, fore ut S. Franciscus nihil moraretur, quominus arefactam radicem novo donaret humore, et ita suam vetustam malum Assyriam ad novam revocaret vitam. Idcirco hac spe nixus assiduum in ea colenda posuit studium, ac Deum enixe oravit, ut curis laboribusque suis dignaretur suffragari. Revera mense Augusto, ex supradicta radice tria exigua folia germinantia, indeque tres parvos ramos paulatim succrescentes cum admiratione laetitiaque magna vidit. Quod haud est facile dictu, quanto gaudio affecerit Religiosos omnes, qui ad eos ramos cucurrere videndos, quantumque animum Fratri Iosepho dederit, ut opus iam incoeptum omni diligentia prosequeretur.

Sed die quinta Novembris anni 1873, postquam Conventus Familia penitus eiecta, Italicum Gubernium supradicto etiam horticulo potitum fuerit, Fratres, omni cunctatione abiecta, novum germen, ut verum prodigium ab omnibus habitum, ex invasorum eripuere manibus, et ponentes illud in vase, tradiderunt Francisco Morini Romano, hortulano valde perito, qui huiusce prodigiosi germinis curam gessit. Etsi ad servandum nutriendumque germen tanta cura tantaque adhibita fuerit diligentia, per duos annos non pullulavit nec progressum fuit; imo coepit flavescere, et parvam vel nullam praebuit spem vitae, ex quo Religiosi omnes summa tristitia afficiebantur. Huius rei causa, ut postea fuit cognitum, erat ineptitudo vasis, quoniam foramen, ad aquarum exitum, non positum erat in medio, ut huiusmodi vasis solet esse, sed ex latere. Timor autem parvulam amittendi plantam augebatur, quia de eius cura discrepabant Frater Iosephus et hortulanus Morini; ille sentiebat in supradicto vase relinquendam esse, ne periret; hic affirmabat, parumper e vase amovendam esse, ut ipse causam cognosceret et provideret. Denique periti hortulani sententia approbata, et vitio plantae diligentissime cognito, ad remedium afferendum prompte venerunt; partem enim radicis iam putridam caecidit, hortulanus, bonam in novo vase composuit, et operuit fimo; vas contra solem posuit, et cum dicto Fratre Iosepho curas omnes ad opus necessarias adhibuit, quae suo tempore optatum tulerunt effectum. Etenim parvula planta statim reviviscere coepit, et exorti tres rami robusti fortesque creverunt; sed annis praesertim 1877 et 1878 perbelle pullularunt ita, ut pulchris co-

(1) Wadingus noster in *Annalibus* suis supradicta confirmat his verbis: « Adhuc virescit quantumvis quotannis sub Sancti Francisci die expiletur, et frondes omnes evellantur ut in devotum et avidum populum distribuantur, malus medica in claustro secundo a Sancto Francisco plantata, quem miro in suo fructu signo ipsa demonstrat; nam in orbem a pediculo, vel petiolo quo pomum dependet deducuntur quinque veluti scissurae, quae plantantis quinas illas scissuras vel cicatrices in memoriam reducant. *(Annal. Minor.* Vol. II, pag. 228, num. 31.)

(2) Hic Laicus, mense Decembris 1881, iam supremum diem obiit.

piosisque foliis ornati viderentur ab omnibus. Tandem 1879 editis multis floribus et iucunde olentibus, septemdecim mala optimi saporis maturavit. Ut huic prodigiosae prospiceretur arbori, visum fuit Religiosis, eam in vase multo maiori ponere, in quo nunc diligentissime asservatur.

Ex his hactenus fideliter expositis, nemo amplificatum putabit, si dicatur, vetustam malum Assyriam S. Francisci redivivam, prodigiose germinasse intercessione nostri Sancti Patris, qui tres Ordines ab eo institutos tribus ramis quasi exprimere voluit, et spem dulcem afferre filiis suis, ipsos, cum Domino placuerit, ob bonum et utilitatem Ecclesiae, civilisque societatis, post fere universalem suppressionem ad novam et salutarem vitam surrecturos. Amen.

—

PRODIGIOSA SANATIO INTERVENTU S. P. FRANCISCI PATRATA

Dum nostri seraphici Patris filii optimo Parenti festa undique parant, haud superfluum evulgare visum est, quam quaedam mulier obtinuit nuper singularem gratiam, eiusdem Patriarchae confisa patrocinio.

Pii fideles et qui se sapientes saeculi vocant in contrarias partes, iuxta suum ingenium disceptant: illi rem omnino supra naturam, isti fictionem non verentur dicere; nos autem qua decet prudentia et animo obsequenti infallibili oraculo catholicae Romanae Ecclesiae, medium iter tenentes authentica facta, que nemini inficiari licet, breviter narramus.

In pago *Noce* vulgo nuncupato prope Brixiam mulier nomine *Iacoba Bonera*, viginti sex annos nata, mense Augusti p. e. anni 1881, cuidam infirmae dum praesto erat, gravissimis ipsa fuit affecta doloribus, et sensibus destituta in terram semianimis ruit. Adsunt medici, qui serio adhibito examine, agi dicunt de gravi interiori perturbatione, quam mederi haud valent quin chirurgico instrumento utantur: operatio tamen est difficillima et incerti exitus. Interim artis salutaris media aptantur, sed morbus ingravescit in dies: dexterum brachium et crus paralysi afficiuntur, tergum ulceratur, vires deficiunt, stomachus nil amplius retinere valet, et tussis fit molestissima. Plures rei medicae periti Iacobam invisunt: alii pulmonem corruptum, alii paralysim irremediabilem illius infirmitatem dicunt, omnes nullam sanitatis spem adesse declarant. Haec medicorum iudicia nemo non ignorat.

Hic autem haud pratermittendum est, initium infirmitatis *Iacobae Bonera* ita simul incidisse cum erectione consodalitatis Tertii Ordinis Seraphici P. S. Francisci in pago *Noce*, ut omnimoda pateat omnibus convenientia; eodem enim die eademque hora erecta fuit consodalitas, et infirmata pia mulier, quae enixe in Tertium ordinem adscribi optaverat.

Nunc autem iam iam moritura petiit iterum Tertiariorum Franciscalium habitum, et Ecclesiae illius loci Rectori visum est eam exauditam facere. Albescente coelo diei 11 Ianuarii 1882 SSmum Eucharistiae Sacramentum defertur infirmae, quae sponsum animae suae devotissimae suscipit. — Habitus et cingulum Tertii Ordinis sunt parata, benedicuntur, et ad impositionem procedit Sacerdos. Scapulare benedictum iam attingit infirmae pectus, et ipsa brachium, quod sine motu iacebat, erigit, utraque manu accipit cingulum, eoque se cingit. Subito paralysis, tussis, dolores, infirmitates omnes evanescunt. Nemine adiuvante, Iacoba de lectulo surgit, se vestibus induit, et statim ad Ecclesiam quae ultra milliarium distat, Domino nostro Iesu Christo, qui est vita, salus et resurrectio nostra, eiusque famulo seraphico Patri Sancto Francisco gratias plurimas ex animo actura, laeta se confert. Devotissime Sacro Missae Sacrificio in gratiarum actione assistit, et exinde nunquam cessavit seraphici Patris dicere laudes: plurimi autem ex illo pago Tertio Ordini nomen dederunt.

Laus Deo Optimo Maximo, a quo bona cuncta procedunt.

Nihil obstat
FR. BERNARDINUS MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

BREVE APOSTOLICUM
Quo Indulgentiae conceduntur.

Ad preces R. P. Bernardini a Roccaraso, Missionarii Apostolici Min. Obs., Summus Pontifex sequens Breve publicari mandavit:

LEO PP. XIII.
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ad cultum erga Immaculatam Virginem Mariam Matrem Salvatoris nostri Iesu Christi magis magisque fovendum et excitandum adhibitae Nobis nuper preces sunt, ut pro fidelibus, qui post recitationem iaculatoriae - SIA BENEDETTA LA SANTA IMMACOLATA E PURISSIMA CONCEZIONE DELLA BEATA VERGINE MARIA (1) - adiiciant verba « MADRE DI DIO (2) » caelestes Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, reserare dignaremur. Sublimia porro mysteria in hac laude continentur utpote quae Mariam memorat protoparentum culpa a primo conceptionis momento fuisse immunem, et verba quae nunc addi volunt « MADRE DI DIO » divinam commemorant Maternitatem absque Virginitatis detrimento, adeo ut tantae Matri nullum hoc elogio gloriosius, nullum iucundius. Quae cum ita sint Nos, SS. Virgini Dei Genitrici Immaculatae gratificandi, atque uberiori Christifidelium bono prospiciendi studiosi, et ad iniurias etiam quodammodo rependendas, quas impii homines miserrimis praesertim hisce temporibus adversus Immaculatam Virginem Mariam Genitricem Servatoris nostri et Matrem nostram suavissimam et amantissimam temerario ausu iactant, exhibitis supplicationibus obsecundari lubenti animo statuimus, deque Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contriti qualibet vice et quovis idiomate, dummodo tamen versio sit fidelis, post supradictam iaculatoriae recitationem verba addiderint « MADRE DI DIO » tercentum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus: quas poenitentiarum relaxiones etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse impertimus. In contrarium facien. non obstant. quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Praecipimus autem, ut praesentium Litterarum (quod nisi fiat, nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur iuxta Decretum ab eadem Congregatione sub die XIX Ianuarii MDCCLVI latum, et a rec. mem. Benedicto XIV Praedecessore Nostro die XXVIII dicti mensis adprobatum: volumus insuper ut praesentium earumdem Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X Septembris MDCCCLXXVIII. Pontificatus Nostri Anno primo.

Pro D. Card. ASQUINIO.
Loco † Sigilli. D. IACOBINI Subst.

(1) Benedicta sit sancta Immaculata et purissima Conceptio Beatae Virginis Mariae.
(2) Matris Dei.

Praesentes Litterae Apostolicae in forma Brevis Sacrae huius Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae in Secretaria exhibitae sunt hac die 28 Septembris 1878 iuxta praescripta in decreto generali eiusdem Sac. Congr. sub die 14 Aprilis 1856 evulgato. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secreteria ipsius S. Congregationis die et anno ut supra.

Loco † Sigilli. A. Panici, Secretarius.

INDULTUM S. R. C.

pro triduana solemnitate in honorem B. Caroli et B. Humilis.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributis, ad enixas preces Rmi Patris Fr. Bernardini a Portu Romatino Ministri Generalis totius Ordinis Minorum Sancti Francisci benigne concessit ut, ad recolendam Servorum Dei Ordinis ipsius Caroli a Setia, et Humilis a Bisiniano Beatificationem, peragi valeat solemne Triduum in Ecclesiis praefati Ordinis cum insequentibus privilegiis, nimirum:

I. Ut in singulis Tridui diebus a respectivis Superioribus statuendis infra annum a die peractae Beatificationis computandum, extra tamen Dominicas privilegiatas tum primae, tum secundae classis, nec non Ferias, Vigilias et Octavas itidem privilegiatas, Missae omnes celebrari respective valeant propriae de praefatis Beatis; dummodo non occurrat Duplex primae et secundae classis quoad Missas lectas, et Duplex primae classis dumtaxat quoad solemnem, quibus in casibus Missis de die Commemoratio tantum eorumdem Beatorum addi poterit; servatis Rubricis.

II. Ut utriusque sexus Fideles vere poenitentes, confessi ac Sacra Synaxi refecti, qui, Triduo perdurante, Ecclesiam ipsam visitaverint, in eaque per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces fuderint iuxta mentem Sanctitatis Suae lucrari queant Indulgentiam Plenariam in forma Ecclesiae consueta per modum suffragii applicabilem etiam Animabus igne Purgatorii detentis: qui vero saltem corde contrito eamdem Ecclesiam, ipsomet perdurante Triduo, visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, partialem septem Annorum Indulgentiam semel in die consequi valeant pari modo Animabus defunctorum applicabilem. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 5 Maii 1882.

D. Cardinalis Bartolinius S. R. C. Praef.
Plac. Ralli S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

S. Congregationis Indulg. concernens viae S. Crucis erectionem.

Smirnen.

Quoad benedictionem crucium et tabularum pro stationibus viae crucis.

Decretum. Cum in Smirnensi Archidioecesi exortum fuerit dubium: *An pro validitate benedictionis crucium viae crucis requiratur, ut benedictio detur ante ipsarum affixionem, vel sufficiat, ut post affixionem impertiatur*, pro ipsius resolutione supplex libellus huic S. Indulgentiarum Congregationi a Rmo Archiepiscopo fuit porrectus.

Emi Patres in Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Iunii 1879, auditis Consultorum votis rescripserunt: *Negative* ad primam partem: *Affirmative* ad secundam. Et facta per me infrascriptum Secretarium relatione SSmo Domino N. Leoni PP. XIII in Audientia diei 21 dicti mensis et anni, Sanctitas Sua votum S. Congregationis benigne adprobavit.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae die 21 Iunii 1879.

Al. Card. Oreglia a S. Stephano, Praef.
A. Panici, Secretarius.

DECRETUM S. R. C.

Concernens missam votivam Immac. Conceptionis pro missionariis inter infideles.

Ordinis Minorum Sancti Francisci

Ex Litteris Apostolicis in forma Brevis diei 5 Aprilis 1856 concessum est Ordini Minorum Sancti Francisci singnlis anni Sabbatis Missam Votivam Immaculatae Deiparae Conceptionis legere sub nonnullis limita-

tionibus et exceptionibus. Verum quum privilegium memoratum in Ecclesiis Ordinis tantum locum habere queat, Alumni Ordinis praefati, qui vel Missionariorum munere funguntur apud infideles, vel piis Exercitiis ac Missionibus dandis vacant, difficile admodum et fere nunquam memorato privilegio frui queunt. Itaque Rmus Pater Fr. Bernardinus a Portu Romatino Ordinis Minorum Minister Generalis, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX humiliter postulavit, ut Alumni Ordinis Sui, *qui* inter infideles in locis Missionum degunt, vel Sacris missionibus ac spiritualibus Exercitiis dandis vacant, privilegio praefato frui valeant extra Ecclesias proprias Ordinis, servatis tamen caeteris clausulis et limitationibus in enunciatis Apostolicis Litteris contentis. Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, has preces clementer excipiens, de speciali gratia supraenunciatam privilegium extendere dignata est ad illos solummodo Alumnos Ordinis memorati, qui in locis Missionum inter infideles degentes, vel sub dio celebrant, vel in privatis sacellis, vel etiam in Oratoriis publicis et in Ecclesiis, in quibus tamen non adsit vel clerus, vel saltem unus sacerdos, qui eiusdem Ecclesiae servitio sit fixe addictus. Memoratis Apostolicis Litteris aliisque quibuscumque in contrarium disponentibus, minime obstantibus.

Die 8 Aprilis 1875.

C. Episcopus Ostien. et Velitern.
Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Placidus Ralli S. R. C. Secretarius.

Apprime concordat cum originali in Achivio Ordinis asservando.

D. Romae, ex Aracoeli, die 5 Maii 1875.

Fr. Bernardinus Minister Generalis.

DECISIO S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Ex act. S. Sed.

(Resolvitur inter alias quaestio cuinam ius competat comitandi cadavera ab ecclesiis Regularium, quo collata fuere pro funeribus explendis, ad commune coemeterium, et etiam ius percipiendi emolumenta).

Funerum et Emolumentorum (1)

Die 17 Septembris 1880.

Compendium Facti. Rmus Pater Provincialis Minorum Observantium s. Congregationi Ep. et Reg. exposuit: quod saepenumero defunctorum cadavera efferri contingat in Ecclesias Ordinis, ad functiones explendas funebres; post quas, eadem cadavera ad publicum transferenda sint coemeterium. Quoniam vero ex variis ss. Congregationum resolutionibus constat, ius Parochorum super defunctorum cadaveribus cessare, statim ac eadem cadavera in Regularium Ecclesias excipiantur, hinc dubium enatum est, cuinam ius competat huiusmodi comitandi cadavera, ex Regularium ecclesiis ad commune coemeterium. Quod dubium saepe saepius innumera gignit inter Parochos et Regulares iurgia et litigia.

DISCEPTATIO SYNOPTICA

Iura Minorum Observantium. Lantusca in suo opere *Theatrum Regularium,* verbo *Associatio cadaverum,* haec habet: « in associa-
« tione, sive occasione associationis cadaverum
« non licet Parochis ingredi, ecclesias regu-
« larium, sed eadem dimittere tenentur ad
« ianuam praedictarum Ecclesiarum, ibique tan-
« tum benedicere possunt et dare iis ultimum
« vale, et per consequens funeralia officia non-
« nisi a regularibus ipsis peragi queunt. »

Ut huic principio robur addat auctor, innititur Bullae *Nuper pro parte dilecti filii Procuratoris....* qua Clemens X confirmat decretum S. C. Ep. et Reg., nimirum non licere parochis, occasione associationis cadaverum, ingredi Regularium Ecclesias, sed teneri dimittere cadavera ad ianuam ecclesiarum; caetera vero munia in huiusmodi ministeriis per Regulares esse

(1) Huiusmodi quaestio, praemoneantur lectores, parta est a lege civili quoad publica coemeteria. Attamen dubiorum, quae in hac proponuntur, sapiens enucleatio, multa compescet iurgia. Minus recte enim quamplures e clero catholico censuerunt, civilem dispositionem quae cadavera condi iubet in publicis coemeteriis omnia immutasse iura tum Parochorum, tum Ecclesiarum ius sepulturae habentium. Quamobrem zelus propriae tuendae iurisdictionis, et forte etiam immodica auri fames, saepe animos incendit. Hinc iurgia et lites a morte ipsa originem duxerunt, ita ut etiam hisce adiunctis firmatum fuerit effatum Pignatelli: *Mors ipsa quae omnium controversiarum finis est, nnmquam est sine controversia.*

expedienda. Decretum a Clemente X confirmatum huius est tenoris: « Parochis in asso« ciatione seu occasione associationis cadave« rum, non licere ingredi ecclesiam Monachorum « praedictorum, sed teneri dimittere eadem ca« davera ad ianuam ecclesiarum, ibique solum « posse benedicere et dare ultimum vale; officia « vero et munia quae in huiusmodi ministeriis « adhibere solent, ab ipsis monachis peragi de« bere, non autem a parochis. »....

Ex qua dispositione sequi videtur, parochum in ecclesiis Ordinum Religiosorum nullam conficere posse functionem; eoquod eius officium sit comitari cadavera, recitando preces a Rituali praescriptas, usque ad *non intres*. Sequi etiam videtur, quod Ecclesiae tumulanti cedere debeant omnia emolumenta funeris, excepta quarta ad *formam iuris*. Quod autem Parochi exigere nequeant ab haeredibus defuncti, qui in ecclesiis regularium sepulturam elegerit, maiorem taxam, quam percipere possent si in parochiali aut in qualibet alia saeculari ecclesia sepeliri voluisset, eruitur ex decreto quod S. C. Ep. et Reg. edidit die 7 Decembris 1672. « Ad tollendas indebitas exactiones, quae ut « proponitur in tumulandi defunctorum corpo« ribus fieri solent, censuit iniungendum, prout « praesentis decreti tenore iniunxit Archiepi« scopo Brundusino, caeterisque locorum Or« dinariis ne permittant ut Parochi, aliique de « clero saeculari, maiorem posthac eleemosy« nam, sibi attribui faciant ab haeredibus de« functorum qui in ecclesiis Regularium prae« dictorum sepulturam sibi elegerint, quam « percipere possent, si in parochiali seu ipsius « cleri saecularis Ecclesia sepeliri voluissent. » Die vero 31 Augusti 1657 eadem S. C. Ep. et Reg. etiam et hoc edidit decretum..... « attentis enarratis, iuxta alias resoluta, censuit « functiones funeralium super cadavera defun« ctorum, quae in ecclesiis Regularium contigit « sepeliri, postquam ad easdem ecclesias per« venerint, ad ipsos Regulares non ad Parochos « pertinere, ac proinde ita in Oratorum ecclesiis « circa praemissa servandum esse, prout ser« vari mandat et praecipit. »...

Sacra insuper romana rota *Decis. cor. De Magno 13 Decem. 1858 n. 3 habet:* « Non item « Patres mei confirmandam censuerunt senten« tiam, relate ad facultatem Parochis tributam, « sacra omnia absolvendi super cadaveribus « eorum subditorum, qui in Oratorum expo« nuntur Ecclesia. Cum ius funebria solemnia « explendi importet iurisdictionem, *cum iuris« dictio* exerceri non possit in locis et ecclesiis « legitime exemptis, ex necessitate descendebat, « admitti non posse favore agentium Parocho« rum ius peragendi sacra illa, funebria in Ec« clesia Philippinorum, exemptione usque ab « anno 1723 donata a Clemente XII. Accedit « perpetua iurisprudentia, quae pro ecclesiis « exemptis contra Parochos exequias persol« vendi ius privativum confirmat, ut monet « *Barbosa de Offic. et potest. Parochi part. 3* « *cap. 26 n. 80;* De Luca *de Regul. disc. 1* « *n. 53.* »

Quam maximam pluries firmavit S. C. C. uti videre est in Forolivien. *Iuris funerarii 16 Septem. 1871:* « An Ecclesia Carmelitarum « adhuc gaudeat iure funerandi, ita ut ad eius « rectorem spectet officium funebre peragere « super cadaveribus defunctorum, in eadem « sepulchrum gentilitium habentium, respondit, « *Affirmative.* » Et in § *Neque* eiusdem quae« stionis legitur Ecclesiae, quae iure sepeliendi « pollebant, nunc ius istud exercent in publico « coemeterio, quod sane non impedit quominus « funerum emolumenta percipiant, et officium « funebre super cadaveribus explere valeant.

Et in *Siracusana funerum* 24 Febr. 1872 eadem S. C. C. §. *Quibus* habet: « Quibus « omnibus si addatur centies ab hoc s. Ordine « definitume sse, erectione coemeteriorum, lo« cum sepulturae tantum materialiter et physice « mutatum esse, non vero ius sepeliendi, quod « ideo integrum mansisse censuit, rem ad evi« dentiae apicem pervenisse in propatulo est. »

Iura Parochorum. Favore istorum animadvertendum est, sacros canones adsistere Parochos iurisdictionem habentes, et iura parochialia super omnes qui intra fines paroeciae decedunt, *Decret. cap. Fraternitatem de sepulturis,* Barbosa *de offic. Parochi par. 3 cap. 26 n. 66.* Et quamvis iura haec exerceri a Parochis nequeant in Ecclesia aut in Regularium Coenobio, tamen cum cadaver ab ista Ecclesia aut Coenobio exeat, ut ad coemeterium deferatur, prior reviviscit iurisdictio in territorio, *ob facilem uniuscuiusque rei ad sua principia regressum,* aut quia *locus regit actum,* iuxta adagium forense.

Quoad alia dubia in calce exposita cum Vecchiotti, nuper vita functo *Instit. Can. Vol. 2 cap. 5* §. *62* adnotabimus: « Quaestio hic sese « offert quae ab ipsa lege de coemeteriis pu- « blicis lata oritur. Quaeritur an regulares post « peractum in propria ecclesia funebre officium « Parochum Ecclesiae, intra cuius fines situs « est Conventus, accersere debeant, ut cadaver « ad coemeterium comitetur; vel an possint « ipsi, irrequisito rectore, funus agere? Patres « Ordinis Praedicatorum S. C. Congregationem « adierunt et sequentia dubia solvenda propo- « suerunt: 1. An expleto officio super Regu- « laris cadavere, Parochus Metropolitanae ec- « clesiae vocari et interesse debeat cum stola « in solemni associatione eiusdem regularis ad « publicum coemeterium in casu? 2. An ista « funeris processio ordinanda sit sub et praeeunte « cruce metropolitanae, seu parochialis Ecclesiae « in casu? Et quatenus affirmative ad 1 et 2; « 3. An Parochus debeat *deponere stolam* prope « sepulchrum Regularium, vel potius officium « iam incoeptum perficere in casu et *quatenus* « *negative ad 1 et 2;* 4. An sine parochi in- « terventu possint Regulares ordinare proces- « sionem cum stola et cruce conventuali usque « ad sepulchrum, vel potius utrumque signum « deponere debeant in transitu per paroeciam, « resumendum postea in coemeterio in casu? « Sacra Congr. respondit: Ad 1 et 2 negative « in omnibus dummodo cadaver deferatur absque « solemni pompa, recto tramite, ad *coemeterium* « *a familia regulari proprii conventus tantum.* « Ad 3. *provisum in praecedentibus.* Ad 4. *affir-* « *mative ad primam partem cum conditionibus* « *uti in praecedentibus cum stola ac cruce conven-* « *tuali tantum, negative ad secundam.* Ex decisio- « ne, quae respicit funus defuncti regularis, argu- « mentum duci potest, ut idem prorsus affirme- « tur de funere saecularis, qui apud regulares « electum sibi, vel gentilium sepulchrum habet.»

Hinc a paritate argumentum trahens dici posse videretur: ex quo Parocho vetatur ingredi Ecclesias regularium cum cruce et stola, ius istud denegandum esse etiam Religiosis videretur; Pignatelli *Consult. Canonec. Tom. 3 can. 48 n. 49 n. 19.*

Hisce praeiactis, remissum fuit Eminentissimorum PP. scientiae decernere quonam responso dimittenda essent sequentia.

DUBIA.

I. *An et cui ius competat comitandi cadavera ab Ecclesiis Regularium, quo collata fuere ad explenda funebria, ad commune coemeterium ubi sepeliri debent.*

II. *An Parochi ius habeant percipiendi emolumenta, quae ab haeredibus dantur Sacerdoti ista comitanti cadavera ad coemeterium.*

III. *An Religiosi in associatione cadaverum, de quibus agitur, accersere debeant Parochum pro comitandis defunctis ad coemeterium.*

IV. *An Regulares incedere possint cum Stola et Cruce Conventuali usque ad sepulchrum, sive autem utrumque signum deponere debeant in transitu per paroecias, resumendum postea in coemeterio?*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Ep. et Reg. sub die 17 Septembris 1880, re discussa, censuit respondere.

Ad I. *Affirmative favore Regularium.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam sine pompa et recto tramite.*

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Ex lege quae iussit cadavera esse tumulanda apud publica coemeteria, pro nihilo derogatum fuisse iuri quo ecclesiae potiuntur tum funeris peragendi, tum emolumentorum percipiendorum.

II. Hinc, ut alias innuimus, ex erectione coemeteriorum, locum sepulturae tantum materialiter immutatum fuisse, iura vero omnia sarta tectaque mansisse.

III. Ideoque si ex civili dispositione, cadaveris depositio in Ecclesiis praepedita fuerit, funebris autem eius deductio et expositio cum aliis parentalium actis illaesa manserunt.

IV. Coemeteria namque publica subrogata fuisse singularum ecclesiarum sepulchris; ita ut Ecclesiae quae fruuntur tumulandi iure, istud exercere valeant in subrogatis coemeteriis.

V. Quamobrem, ceu olim omnis Parochi iurisdictio in cadavera ad ianuas cessabat Ecclesiae Regularium, ius sepulturae possidentis, sic etiam nunc cessare oportet eamdem iurisdictionem, cum nihil in iure immutatum fuerit.

VI. Et ideo deposito feretro ad limina praefatae Ecclesiae, dictoque ultimo vale, Parochos

sese ingerere non posse in iis ministeriis, quae postea super cadaveribus peragenda sunt.

VII. Quapropter cum in Regularium iurisdictionem transierint cadavera, in eorumdem Ecclesias, caussa sepulturae, delata, exurgit quod officia muniaque omnia, usque ad publicum coemeterium, ad Regulares spectent: quum Parochi iurisdictio iam perempta reviviscere nequeat.

VIII. Sequi etiam quod parochis non debeantur emolumenta quae Sacerdoti dantur ab Haeredibus cadavera comitanti ad coemeterium; et quod Regulares accersere Parochos non teneantur pro huiusmodi cadaveribus ad publica coemeteria comitandis.

IX. Religiosos autem ad publicum coemeterium cadavera comitantes, posse incedere, per paroeciae limites transeuntes, cum stola et Cruce conventuali, dummodo sine pompa et recto tramite incedant.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES EXPULSOS

Incitamenta Seraphica

Cum Reverendissimus Pater Generalis attenta mente revolveret ac paterno corde lugendum consideraret statum Religiosorum qui iniqua persecutione e conventibus expulsi sunt, ipsismet monita quaedam salutis atque incitamenta fervoris seraphici dirigere constituit.

Ad mentem supremi nostri Moderatoris, et obedientiae merito nixus ac roboratus, in nomine Domini et ad maiorem eius gloriam, in omni charitate, humilitate et sinceritate ea omnia simplici stylo scribere desidero, quae Spiritus Sanctus et conscientia mihi suggesserint pro spirituali bono dilectorum fratrum nostrorum quos impia persecutio e coenobiis suis relegavit.

Deum proinde rogo per intercessionem B. Mariae Virginis, S. Iosephi et S. P. N. Francisci, ut Ipse mentem meam illuminare dignetur et verbis meis tantam efficaciam tribuere, ut qui spiritum Seraphicum in exilio conservarunt magis per ea roborentur et incitentur ad bonum, et qui ab eo declinarunt ad religiosum vivendi modum reducantur et meliora charismata aemulentur.

Mirum non videatur, quod Rmus Pater Minister Generalis, qui est servus omnium fratrum et cuius paterna charitas omnes Ordinis nostri alumnos complectitur, speciali tamen sollicitudine animum convertat ad filios suos exules eosque prae caeteris consolari et adiuvare desiderat. Si enim omnes monere, omniumque necessitatibus providere tenetur, illis tamen prae aliis subvenire debet, quos maioribus periculis expositos esse novit et ad maius infortunium redactos, quales procul dubio sunt omnes illi fratres qui e conventibus violenter fuerunt expulsi et in medio mundo pravo atque perverso vitam ducere coguntur.

Haec fuit ipsius Dei agendi ratio tempore captivitatis Babylonicae dum, ut populi sui dolorem liniret, atque alios ad commiserationem flecteret, omnesque ad poenitentiam, reconciliationem cum Domino ac peccatorum fugam incitaret, praecipuos inter Prophetas ad ipsos destinavit, Ieremiam scilicet, Baruch, Ezechielem et Danielem.

Si autem tantam commiserationem Deus ostendit tantumque iuvamen exhibuit Iudaeis qui civitatem Ierusalem et sanctum templum eiusque solemnitates relinquere debuerunt, quanto maiori pietate charitate et commiseratione digni sunt religiosi, qui e culmine felicitatis deiecti in maximam miseriam et penuriam spiritualem inciderunt atque innumeris periculis in medio mundo sunt expositi.

Quemadmodum igitur Deus ad Iudaeos captivos prophetas suos direxit, ut eorum eloquiis, minis et exhortationibus infelicem suam sortem melius apprehenderent, proprium infortunium magis deflerent et in observantia mandatorum Dei fideles custodirentur, ita et Supremus Ordinis Moderator filios suos exules hoc meo scripto consolari, monere et adhortari quam ardentissime desiderat, ut et ipsi intelligant quantum bonum amiserint, in quantis periculis versentur et quaenam ab eis vitanda et facienda occurrant, ut spiritum religiosum in saeculo perverso possint conservare atque hac ratione aeternam evadere damnationem: atque haec sunt quae, Deo auxiliante, distinctis numeris exponere et dilucidare conabor.

I.

Quantum bonum amiserint Religiosi e conventibus exules.

Amaris lacrymis et gemitibus plangebat olim Ieremias propheta Urbis Ierusalem et templi excidium, uti et eversionem factam a Caldaeis atque regis Sedeciae totiusque populi captivitatem.

Quanto autem maiori luctu deflenda videtur infelix conditio religiosorum, quos persecutio e conventibus violenter eiecit! Tantum enim eorum est infortunium quantum est bonum a quo fuerunt avulsi. Illud autem quis merito aestimare poterit?

Si Sanctos Patres et Ecclesiae doctores consulamus, nihil eo praestantius, nihil sanctius, nihil felicius excogitari potest. Omnia enim encomia quae statui religioso tribuunt, de vita praecipue claustrali intelligenda esse manifestum est.

Iam vero, « hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum, si laudare velim, neque digne valeo, » ait S. Augustinus (1).

S. Theodorus Abbas morti proximus exclamat: « confiteor monasticum statum sublimem esse, et excelsum, et angelicum, qui et peccata omnia expurget absoluta vitae perfectione (2). »

Doctor autem mellifluus de religiosis claustralibus loquens dicebat: « quos quo nomine appellem, nescio, homines coelestes, an angelos terrestres, degentes in terris sed conversationem habentes in coelis (3). »

Et alibi huius status excellentiam extollens exclamat: « quae est ista, quaeso, tam pretiosa margarita, pro qua universa dare debemus, idest, nosmetipsos? Nonne haec Religio sancta, pura et immaculata, in qua homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fidentius, purgatur citius, praemiatur copiosius? (4)

Unde etiam in fervore spiritus adiungit: » O Religio gloriosa et mirabilis! quae mens cogitare, quis intellectus plene cognoscere, quae lingua humana te poterit sufficienter et digne extollere? O margarita praefulgida, o Religio rutilantior auro, sole splendidior, Religio gratissima et toto corde perquirenda! O Religio habitaculum Dei et Angelorum eius! O Religio, vita beata, vita Angelorum! Vere Religio est paradisus. O homo, fuge homines, Religionem elige et salvaberis. »

(1) Lib. de Moribus Ecclesiae cap. 31.

(2) Baron. ann. Christi 826 n. 6.

(3) Ad fratres de Monte Dei.

(4) Hom. sup. Simile 'est regnum Coel. homini quaer. bon. marg.

Haec et similia de felicitate vitae claustralis enuntiant quotquot de ea sermonem instituunt.

Si autem magna illa emolumenta in specie perpendere velimus, videmus in coenobiis, ubi regularis viget disciplina, tot reperiri salutis adminicula, ut vel minus fervidi essentialia votorum et Regulae ibidem observent et a noxa mortali non raro maneant immunes, dum in saeculo viventes, in gravi damnationis periculo versarentur. Pro iis autem qui perfectionis suae solliciti sunt, Religio est vere schola sanctitatis et, ut ait S. Bernardus, *paradisus voluptatis internae.*

Ad hanc perfectionem assequendam efficaciter conducunt elongatio a mundo eiusque periculis et sollicitudinibus, necnon silentium et quies, quae miro modo iuvant ut anima religiosa in spiritu orationis et virtutibus proficiat, superna gratia frequenter illustretur et tanto intimius Deo adhaereat quanto longius ab omni saeculari tumultu degit.

Meditationes, lectiones piae et orationes praescriptae, uti et divina Psalmodia fervorem spiritus iugiter fovent, animum roborant ad viam abnegationis et sanctae crucis generose percurrendam et desiderium maioris perfectionis quotidie accendunt.

Quod vero maxime hanc vitam securam et meritoriam reddit et ad spiritualem profectum conducit, est suave obedientiae iugum, per quam iuxta tramites statutorum et nutum superiorum vivendo, ipsius Dei voluntati iugiter ohtemperatur et quae sunt Ei placita continuo exercentur iuxta illud Prophetae Baruch: *Beati sumus, Israel, quia quae Deo placent, manifesta sunt nobis* (1).

« Obedientia, ait S. P. N. Franciscus, est fidei opus, probatio verae spei, argumentum charitatis, mater humilitatis et genitrix pacis Dei quae exsuperat omnem sensum (2). »

(1) Baruch IV, 4.

(2) Op. tom. 3 orat. 27.

Et Ven. Pater Iordanus de hac loquens exclamabat: « O Sancta obedientia, quam tu es grata in oculis Dei! quam beata anima quae te possidet! ea enim omnes possidet virtutes, nec ei quidquam mali potest accidere (1). »

Vide quantis bonis cumulentur, quibus datum est in monasteriis sub obedientia vivere, sed considera insuper quantum ad salutem et perfectionem conferant continua superiorum vigilantia, confratrum nonnullorum exempla sanctitatis, solemnitates Ordinis et devotiones ei propriae, memoria defunctorum qui in osculo Domini pie obierunt et alia multa incentiva fervoris, quae in vita claustrali occurrunt et quibus tot religiosi ad culmen sanctitatis omni tempore pervenerunt.

(Continuabitur).

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1881 celebrata

Provincia Obs. S. Ioannis a Capistrano in Hungaria.

In Capitulo die 9 Augusti in Conventu Budensi *(Ofen)* rite celebrato electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Ivo Rodic.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Cosmas Brinnich.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Camillus Rubner.
R. P. Alexander Osjak.
R. P. Iulius Amberger.
R. P. Firmus Pletikapic.

Haec Provincia habet 23 Conventus et Hospitia, quorum nomina sunt:

Nasicensis *(Nasice)*, S. Antonii Pad.
Viennensis *(Wien)*, S. Hieronymi.
Pozeganus *(Pozega)*, S. Spiritus.
Illokiensis *(Illok)*, S. Ioann. Capistr.
Bacsiensis *(Bacs)*, B. M. V. assumpt.
Budensis *(Ofen)*, S. Stephani.
Enzersdorfensis *(Enzersdorf)*, S. Magdalenae.
Santipolitanus *(St. Poelten)*, ss. Trinitatis.
Essekiensis *(Essek)*, S. Cruc. inventae.
Sarengradiensis *(Sarengrad)* Ss. App. Petri et Pauli.
Mohacsiensis *(Mohacs)*, S. Steph. Reg.
Lanzendorfiensis *(Lanzendorf)*, B. M. V. dolor.
Brodensis *(Brod)*, ss. Trinitatis.
Devensis *(Deva)*, B. M. V. assumptae.
Bajensis *(Baja)*, S. Antonii Pad.
Alvinozensis *(Alvincz)*, SS. App. Petri et Pauli.
Vukovariensis *(Vukovar)*, SS. App. Philippi et Iacobi.
Cernekiensis *(Cernek)*, S. Petri Ap.
Radnensis *(Radna)*, S. Mariae gratiarum.
Földvariensis *(Duna-Földvar)*, S. Annae.
Semlinensis *(Semlin)*, S. Ioann. Bapt.
Körösbanyensis *(Körösbanya)*, B. M. V. visitantis.
Vingensis *(Vinga)*, ss. Trinitatis.

(1) Chron. Part. 3, lib. 3, cap. 43.

Provincia Obs. ss. Trinitatis in Republica Chilensi in America meridionali.

In Conventu B. M. V. de Succursu die 18 Augusti 1881 rite celebratum est Capitulum Provinciale, in quo, ex dispositione S. Sedis Apostolicae, in suo munere manente

MINISTRO PROVINCIALI

A. R. P. Antonio de F. Rodriguez, canonice electi sunt:

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Bernardinus Avaca.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Virginius Fabasso.
R. P. Ioannes Baptista Labra.
R. P. Antonius Avalos.
R. P. Michael Foro.

Ad istam Provinciam sequentes 16 pertinent Conventus:

B. M. V. de Succursu.
Penco, Purissimae Conceptionis.
De la Serena, B. M. V. Spei.
Del Monte, S. P. N. Francisci.
Quillotta, S. Bonaventurae D.
Copiapò, S. Bonaventurae D.
San Ferdinando, S. Michaelis Archangeli.
Cauquenes, S. Antonii Paduani.
De las Salinas, S. Petri de Alcantara.
Curicò, B. M. V. *de la Velilla.*
Curimon, S. Rosae Viterbiensis.
Valparaiso, S. Antonii Paduani.
Aranzazù de Higuerillas.
Rancagna, B. M. V. de monte Carmelo.

Falca, S. Bernardini Senensis.
Limache, Stigmat.. S. P. N. Francisci.

—

Provincia Recoll. S. Ioseph Belgii.

Die 22 Septembris in Conventu Trudonopolitano (*St. Trond*) rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Victorinus Cartuyvels.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. V. P. Rogerius Verbiest.

DEFINITORES PROVINCIAE:

A. V. P. Hugolinus Demont.
A. V. P. Constantinus De Vreese.
A. V. P. Polycarpus Vervoort.
A. V. P. Edmundus Collet.

Ad istam Provinciam spectant 20 Conventus et Hospitia, scilicet:

Trudonopolitanus *(St. Trond)*, S. Francisci Solani.
Thiletanus *(Thielt)*, S. Crucis.
Gandavenis *(Gand)* Ss. Ursulae et Soc.
Hasseletensis (*Hasselt)*, B. M. V.
Reckhemiensis (*Reckheim)*, S. Barbarae.
Lokerensis (*Lokeren*), S. Anton. Pad.
Montiniacensis (*Montigny*), S. Francisci.
Namurcensis (*Namur*), S. Iulianae.
Londinensis (London), S. Francisci.
Antuerpiensis *(Anvers, Antwerpen)*, Immacul. Concept.
Robacensis (*Roubais*), S. Ioseph.
Killarneyensis *(Killarney*), ss. Trinitatis.
Mancuniensis *(Manchester)*, S. Francisci.
Mechliniensis (*Malines, Mechelen*), S. Mariae Angelorum.
Eeclonianus (*Eecloo*), Ss. Petri-Bapt. et Soc.
Bruxellensis (*Bruxelles)*, B. M. V. dolor.
Glasguensis (*Glasgow)*, S. Francisci.
Lovaniensis (*Louvain, Leuwen*), B. M. V. dolor.
Argentoliniensis (*Argenteuil*) B. M. V.
Insulensis (*Lille)*, S. Francisci.

—

Prov. Obs. Marchiae.

Die 28 Novembris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Ioseph a Montebirochio.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Augustinus a Macerata, Ex-Min.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Antonius de Montefortino.
R. P. Vincentius a Portu S. Georgii.
R. P. Fortunatus a Fano.
R. P. Antonius a S. Maria Nova.

Ad istam Provinciam ante suppressionem spectabant sequentes 47 Conventus:

Ancona, S. Francisci.
Amandola, S. Sebastiani.
Arcevia, S. Ioann. Bapt.
Arcevia, S. Martini.
Ascoli-Piceno, S. Georgii.
Camerino, S. Francisci.
Camerino, Sperimento.
Cartoceto, La Pieve.
Colfano, S. Francisci.
Fabriano, S. Catharinae.
Fano, La Nova.
Fermo, Annunt. B. M. V.
Gualdo, Le grazie.
Loreto, S. Benigni.
Maciano, L'Olivo.
Macerata, S. Crucis.
Matelica, S. Francisci.
Mogliano, S. Columbae.
Montebaroccio, B. Sanctis.
Montecarotto, S. Francisci.
Montecassiano, S. Crucis.
Montefiorentino, S. Francisci.
Montemaggio, S. Antonii Abb.
Montefortino, Il Girone.
Monteprandone, Le grazie.
Monterubbio, S. Georgii.
Monte S. Giusto, La Purità.
Monsanpolo, ss. Crucifixi.
Morrovalle, S. Francisci.
Offida, S. Francisci.
Osimo, Annunt. B. M. V.
Pausula, I Monti.
Pergola, S. Antonii.
Petritoli, SS. Martyrum.
Poggio d'Orciano, La misericordia.
Porto S. Giorgio, SS. Angelorum.
Recanati, Varano.
S. Angelo in Vado, SS. Angelorum.
S. Elpidio, Iesus.
S. Ginesio, Le grazie.
Sarnano, S. Liberati.

Sassoferrato, La pace.
Servigliano, Il Piano.
Sirolo, S. Francisci.
Tolentino, B. Mariae V.

(Continuabitur)

———

Sequentem decisionem Tribunalis civilis Italici, quo declaratur, collectionem eleemosynarum Religiosis nostris in Italia degentibus licitam, in textu originali communicamus.

Udienza pubblica
del 7 Febbraio 18 settantadue

—

In nome di Sua Maestà
Vittorio Emmanuele Secondo
per grazia di Dio e per volontà della Nazione
Re d'Italia

—

La Corte di Cassazione di Firenze
Sezione penale

Visto il Ricorso interposto da Domenico Gori contro la Sentenza della Pretura del Secondo Mandamento di Arezzo del dì tredici Novembre 18settantuno, colla quale fu condannato nell'ammenda di lire venti, come colpevole di contravvenzione all'Art. 67 della Legge sulla pubblica Sicurezza;

Visti gli atti processali,

Sentita la Relazione del Sig. Consigliere Commendatore Luigi Cartadepani;

Sentito l'Avvocato Olinto Barsanti difensore del Ricorrente;

Sentite le conclusioni del Sostituto Procuratore Generale di appello applicate a questa Corte,

Sig. Cavaliere Giuseppe Miraglia;

Attesochè il Ricorrente chiede l'annullamento della denunziata Sentenza per erronea interpetrazione dell'Art. 196 del Regolamento di Polizia Punitiva Toscano, e degli Articoli 67, e 69 della Legge sulla pubblica Sicurezza, perchè la questua proibita è quella che fomenta il vizio, l'ozio ed il vagabondaggio, non quella che ha per scopo di soccorrere le pubbliche sventure;

Attesochè quantunque la Legge sulla soppressione delle Corporazioni Religiose abbia sciolto tutti gl'individui componenti quelle Corporazioni dall'obbligo di convivere in comune, la medesima però non proibì, nè poteva proibire che tali individui volontariamente si riunissero dopo la soppressione per opere di pietà e di beneficenza;

Attesochè i frati che esistevano nel Convento dell'Alvernia dopo la Legge di Soppressione non formarono più una Congregazione Religiosa, ma volontariamente seguitarono a convivere assieme in comune, ed a prestare ai passeggieri sofferenti in quei luoghi aspri e selvaggi, massime nell'inverno, alloggio e vitto, quale essi stessi l'avevano ricevuto dalle spontanee obblazioni degli abitanti dei Borghi, e Città vicine.

Che tali oblazioni non cadono sotto le disposizioni della pubblica Sicurezza proibitiva della pubblica questua, la quale può costituire un reato ed essere punibile nel caso che sia il risultato dell'ozio, della infingardaggine, o delle cattive passioni, non quando le oblazioni raccolte destinate in sollievo dell'umanità languente.

Attesochè non era luogo ad occuparsi del disposto dell'Art. 196 del Regolamento Toscano di Polizia punitiva, perchè nè il Gori fu chiamato al giudizio per rispondere di trasgressione a cotesto Articolo nè fu condannato come colpevole della medesima ma unicamente per avere contravvenuto agli Art. 67, e 69 della Legge di pubblica Sicurezza.

Per questi motivi

Cassa la Sentenza del Pretore del secondo Mandamento di Arezzo del 13 Novembre 1871 a carico di Domenico Gori, e dice non esser luogo a rinvio.

Firmati — Enrico Poggi Presidente — Zanobi Pasqui — Francesco Billi — Luigi Cartadepani — Francesco Trecci — L. Niccolai — G. B. — Ederle — Avv. Giuseppe Leonardi V. Cancelliere.

—

Circolare del Ministero dell'Interno
Al Prefetto di Arezzo
e da esso comunicata ec. ec.
12 Giugno 1872.

Il Ministero dell'Interno (Segreteria Generale) con dispaccio del 5 corrente Mese (Giugno 12) N. 11104. Dir. 2, Sez. 1, interloquendo sul grave oggetto della Questua religiosa si esprime come infra:

« Con dichiarazioni emesse nello scorso Ottobre comunicate testè a questo Ministero, varii Sindaci del Casentino e della Valle Tiberina hanno attestato, che gli ex Religiosi rimasti a custodia del Santuario dell'Alverna prestano una utilissima Ospitalità ai Viandanti, e a tal uopo raccolgono per mezzo dei loro dipendenti le spontanee oblazioni dei Proprietarii e dei Contabili. Ed hanno manifestato il desiderio che, come per l'addietro, non sia impedito ai detti ex Religiosi di continuare quella Questua.

Insieme con tali dichiarazioni è stata pur rimessa al Ministero una copia della Sentenza pronunziata dalla Corte di Cassazione di Firenze 7 Febbraio 1872 colla quale è stato stabilito per massima che ai termini della Legge di pubblica Sicurezza la Questua — può costituire un reato, ed essere punibile nel solo caso che sia il resultato dell'ozio, della infingardaggine e delle cattive passioni, non quando le oblazioni raccolte vengono destinate in sollievo dell'umanità sofferente — e conseguentemente è stata cassata senza rinvio la Sentenza proferita dal Pretore del 2 Mandamento della Città di Arezzo nel 13 Novembre 1871, a carico di Domenico Gori, che era stato ritenuto colpevole di contravvenzione all'Articolo 67 della detta Legge.

Di quanto sopra il sottoscritto stima opportuno informare V. S. affinchè secondo la normale interpetrazione data dalla Suprema Corte di Firenze al citato Articolo 67, voglia impartire ai dipendenti Funzionarii ed agenti di P. S. le opportune istruzioni a ciò non sia opposto ostacolo all'esercizio di quella Questua.

Ai Funzionari ed Agenti di P. S. resta però sempre un importante dovere da compiere anche riguardo alle Questue Religiose e filantropiche che sono permesse, ed è di esercitare la massima vigilanza affine di impedire che questuando, si sorprenda l'altrui buona fede o in altro modo si offenda la libertà dei Cittadini.

La S. V. atterrassi quindi alle disposizioni contenute nella suddescritta Ministeriale, della quale sia pure data communicazione al comando dell'Arma de' Reali Carabinieri nel caso che qualche ex Religioso le venga dalla Forza Pubblica presentato in titolo di arresto per Questua, e che non si riscontri nel fatto gli estremi che costituiscono tale reato.

Vorrà poi essere cortese di annunziare recezione della presente.

Per il Prefetto,
AMIANI C. D. C.

Per copia conforme spedita a richiesta del Sig. Avv. Olinto Barsanti difensore del Ricorrente.

Firenze 1 Maggio 1872.

A. Comporati V. Cancelliere.

Visto all' Uffizio del P. M.

III.
MISSIONES

—

STATUS
Missionis de Chan-tong in China
anno 1881.

Vicarius Apostolicus Rmus Dnus Eligius Cosi, Min. Obs., Episcopus titularis Prienen.

Populatio totalis Provinciae - milliones		28
Catholici.	»	15,703
Protestantes.	»	1000
Catechumeni	»	4414
Infantes parentum christian. baptiz.		793
Infantes infidelium baptizati . .	»	9780
Pagani adulti baptizati	»	380
Sacramentum S. Confirm. administr.		735
Confessiones annuales	»	9627
Confessionis devotionis. . . .	»	19,625
Communiones annuales. . . .	»	9627
Communiones devotionis . . .	»	19,221
Benedictiones nuptiarum . . .	»	79
Sacramentum extremae unctionis administratum.	»	112
Mortui	»	244
Ecclesiae et capellae.	»	119
Residentiae.	»	8
Seminarium.	»	1
Scholae.	»	87
Orphanotrophia	»	4
Alumni Seminarii	»	27
Pueri et puellae scholares . . .	»	1518
Orphani.	»	2421
Missionarii Europaei.	»	9

Sacerdotes indigeni	»	9
Fr. laicus Europaeus.	»	1
Catechistae indigeni.	»	115

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

De nova editione operum S. Bonaventurae

Rmus Minister Generalis P. Bernardinus a Portu Romatino Socios Collegii S. Bonaventurae ad Claras Aquas (*Quaracchi*) prope Florentiam exoptata consolatione affecit, quod inter ipsos diebus 10-12 Maii commoraretur novamque typographiam S. Bonaventurae ibi institutam sua benedictione inauguraret. Dispositionibus etiam opportunis plura pro bono ordine et Collegii et typographiae conservando disposuit et primitias quasdam eiusdem typographiae a Patribus Collegii ipsi oblatas consueta humanitate et laeto, ut videbatur, animo excepit.

Posito tandem feliciter initio imprimendorum Operum S. Bonaventurae, cum primus tomus iam sit promtus, ut prelo subiiciatur, firma est spes, fore ut sub tutela S. P. N. Francisci primus horum operum tomus hoc anno in lucem prodeat atque monumentum sit perenne septimi centenarii a nativitate Seraphici Patris 4 Oct. huius anni celebrandi.

Ceterum typographia S: Bonaventurae eo animo eoque modo est instituta, ut praeter Opera S. Bonaventurae, quorum prompta et accuratissima editio primo loco est ponenda, alia etiam auctorum Ordinis nostri opera per ipsam possint publicari.

Horum electionem Rmus P. Generalis sibi reservavit et iam aliquos libros, qui magni pro Ordine nostro momenti sunt, imprimendos designavit, de quibus suo tempore hoc loco plura dicentur.

Opera edita.

1876. Leben der Ehrwürdigen Klosterfrau M. Crescentia Höss von Kaufbeuren aus dem dritten Orden des hl. Franciscus, von P. Ignatius Ieiler, Lect. Theol. Prov. Saxon. 2 Auflage. Dülmen (Westfalen). (L.4.)

Vita venerab. Religiosae M. Crescentiae Höss a Kaufbura, tertii Ordinis S. Francisci. Secunda Editio.

1876. Cronaca serafica ovvero ricerche storiche su la venuta di S. Francesco di Assisi in Penne, Fondazione e Vicende dei cinque Conventi del suo Ordine. Cenni biografici d'alcuni illustri religiosi minoriti della medesima città pel P. Costantino Baiocco di Caporciano Minore Riformato. Napoli, tip. editrice già del Fibreno; via del Nilo 26.

Auctor demonstrat S. P. Franciscum in antiquam civitatem Pinnam olim venisse et historicis documentis probat Fratrem Thomam a Caelano, quem nominat Thomam Castiglione a Cellino, celeberrimam sequentiam *Dies irae* composuisse.

1877. Adelardo II. De' Cattanti, primo Cardinale Veronese. Cenni biografici dal P. Giovanni Francesco da Venezia. Verona, tip. di Franchini.

1877. Scriptores Ord. Min. Ref. Provinciae S. Antonii Venetiarum, recensuit P. Antonius Maria a Vicetia. Venetiis, typogr. Aemiliana. (L. 1).

1877. Novisimo Catecismo de Teologia Mistica o camino abreviado de la perfeccion por el Rdo. P. Fr. Francisco Manuel Malo, Lector iubilado, etc. M. O. 5ª edicion in-16° Santiago Imp. de el Soletin Eclesiástico.

Data essentia Theologiae mysticae, tractat deinde auctor de Oratione et de diversis viis vitae spiritualis. In hac 5 edit. adduntur meditationes S. Petri de Alcant., S Bonaventurae et S. Leonardi de novissimis vitaque ac Passione D. N. I. C.

1877. Exposition de la Regle des Freres Mineurs par le R. P. Zacharie La Selve. Lecteur en théologie, et Gardien des Récollets de Tulle. Revue et corrigée sur la 4 edition par le R. P. Paul Marie, M. O. Définiteur de la Provincie de S. Louis, Bordeaux A. Samie. Inventur etiàm apud Tolra 112 rue de Rennes, Paris. (Fr. 0,50).

Brevitate, claritate et probata doctrina praecellit haec *expositio Regulae nostrae* a clarissimo P. Zacharia Laselve, Theologo insigni, uti testantur notissimae eius lucubrationes, praesertim vero *Annus apostolicus*, multoties editus.

1878. Esposizione della Regola dei

FRATI MINORI. Versione dal Francese. Gerusalemme, tip. dei PP. Francescani.

Praecedentis Expositionis P. Laselve praesens opus est italica traductio, sed nonnullas quaestiones et notas addidit ipse Traductor.

1878. FR. GIOVANNI GIOCONDO Veronese Ord. Min., dal P. Giovanni Francesco a Venetiis. Venezia, stabil. Kirchmayer.

1878. SLUNECNICE (latine: *Helotropium*) a P. Floriano Brezina O. S. F. (Prov. Bohem.)

Continet 20 poëmata de SS. Sacramento in lingua bohemica.

1878. VOYAGES ET AVENTURES du Frère Pierre Fardé, Récollet du Convent de Gand d'après les lettres originales par le P. Servais Dirks, Religieux du même Ordre (Lect. ss. Theol. Prov. Belg.) Gand, Van der Schelden.

1878. VITA DI S. LODOVICO dell' Ordine dei Minori, Vescovo di Tolosa, scritta dal P. Anton-Maria da Vicenza. Venezia, tip. Emiliana.

1878. DESRIPCION HISTORICA DE MARRUECOS y breve resena de sus dinastías, ó apuntes para servir á la historia del Magreb, recopilados por el R. P. Fr. Manuel Pablo Castellanos, M. Obs. del colegio de Misiones para Tierra Santa y marruecos de la Ciudad de Santiago - Santiago. Imp. de el Boletin Eclesiástico. - Madrid. Librería de D. Miguel Olamendi, Calle de la Paz, 6. (10 Rs) in-8.

In prima parte huius historiae datur descriptio imperii Marrochiensis; in secunda parte traditur compendiosa enarratio variarum Marrochii dynastiarum; in appendicibus tractatur de Missionibus franciscanis in iisdem regionibus et de bibliographia historica Marrochii.

1879. CODEX PRO POSTULATORIBUS causarum beatificationis et canonizationis, in II volumina digestum. Romae, typis Monaldi. Tomus unicus in 8.

Ab egregio Canonico Lauri, ad S. Congregationem advocato, conscriptum fuit hoc opus, ut desideriis obsecundaret adm. R. P. Vincentii a Iennis, Ref. Prov. Rom. Provincialis et causarum beatificationis postulatoris, et omnibus postulatoribus facilius redderet munus.

1879. LE CŒUR DE IESUS, Exposé théorique et pratique de la dévotion au Sacré Cœur par le Jean Marie, Franciscain de l'Observance. Nouvelle édition entièrement refondue. - Paris, Imprimerie de l'œuvre de St. Paul, Soussens et C., 51 rue de Lille (fr. 2, pro Religiosis nostris et Tertiariis 1, 50).

Specialiter pro Tertiariis S. Francisci scriptum est hoc opus, quod pro mense SS. Cordi Iesu consecrato inservire potest.

1879. LE MISSIONNAIRE ou l'art de Missions par le P. Hilarion, franciscain de l'Observance, 2ᵉ édition, revue et augmentée de plans de sermons. - Paris, Berche et Tralin, rue de Rennes, 69. - (Fr. 1, 50).

In prima parte huius operis tractatur de origine, necessitate, conditionibus missionum et variae dantur regulae ad hoc genus praedicationis exercendum. In secunda vero parte, dlversae apponuntur formulae benedictionum missionariis utilissimae.

1879. IL CATTOLICISMO dimostrato e difeso con le sole parole e ragioni de' suoi nemici, dal P. Giacomo Bottau, Lett. Teol. della Rif. Prov. di Genova, socio dell' Accademia di religione cattolica di Roma, ecc. Due volumi in 8.° Seconda edizione ampliata. S. Pier d'Arena, tipogr. di S. Vincenzo.

Idem auctor publicavit:

LO SCRIVERE dei popoli antichi e moderni disaminato nella sua origine, natura, progressione e affinità, 1 volume in 8.° S. Pier d'Arena, tipogr. di S. Vincenzo, 1881. (Ambo opera haberi possunt medietate pretii a solis Franciscanis apud Adm. R. P. Petrum Facco ad hoc delegatum, Genova. *Salita della Visitazione n. 8* per mandatum postale L. 4, 50).

1879. STORIA DI SAN FRANCESCO D'ASSISI, di Chavin de Malan, tradotta da Cesare Guasti. Prato, Ranieri Guasti.

1879. L'INDIA CRISTIANA o lettere bibliche contro i libri di Luigi Jacolliot la *Bibbia nell' India e i Figli di Dio,* opera del M. R. P. Pietro Gual, Min. Oss., Commissario Generale dei Missionari Francescani nel Perù e nell' Equatore. Prato, Ranieri Guasti.

1879. IL P. ANGELICO MARTINELLI da Casteltrenzone, dei Min. Rif. della Prov. di Venezia, dal P. Giovanni Francesco da Venezia. Verona, Merlo.

1879. FFANCESCO GIORGI VENEZIANO, Architetto, Ord. Min. Oss., dal P. Giovanni

Francesco da Venezia. Venezia, stab. Kirchmayer.

1879. Del culto alla IMMACOLATA CONCEZIONE DI MARIA in Venezia, Cenni storici raccolti dal P. Gianfrancesco da Venezia. Verona, tip. S. Giuseppe.

1879. Del culto alla IMMACOLATA CONCEZIONE DI MARIA in Verona, Cenni storici raccolti dal P. Gianfrancesco da Venezia. Verona, tip. S. Giuseppe.

1879. JASMIN. Sepsal P. Florianus Brezina O. S. F. (Prov. Bohem.)
Continet 20 poemata in lingua bohemica: *Iesus consolator tristis animae.*

1879. DEL CARDINALE PLACIDO ZURLA di Legnago, Monaco Benedettino Camaldolese. Cenni biografici dal P. Gianfrancesco da Venezia. Verona, tip. S. Giuseppe.

1879. LA PROVIDENZA DI DIO alla mente e al cuore del Savio, dal P. Ermenegildo da Chitignano, Lett. Em. Prato, R. Guasti.

1880. VENECECK MARIANSKY. Uvit P. Florian Brezina O. S. F. (Prov. Bohem.)
Corona florum in honorem B. M. V.: poëmata 30.

1880. Vita e miracoli del B. Egidio da Laurenzana, Min. Oss., descritta dal P. Anton-Maria da Vicenza. Venezia, tip. Emiliana.

1880. Büchlein von der GEGENWART GOTTES. Narch den Lehren und Beispielen der Heiligen dargestellt von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi) Innsbruck, Vereins-Buchhandlung. (L. 0, 90).
De praesentia Dei.

1880. CATECISMO DE DOCTRINA REGULAR MINORITICO-FRANCISCANA qué para instruccion de los jóvencs religiosos compuso el M. R. P. Fr. Francisco Manuel Malo, M. Ob-Lector iubilado, etc. - 2ª edicion - Santiago. Imp. de el Boletin Eclesiástico - in 18.
Catechismus de Doctrina Regulari Minoritico-Franciscana pro instructione iuvenum nostrorum.

1880. Breve vita di S. PASQUALE BAYLON, scalzo di S. Pietro d'Alcantara, compendiata dal P. Giovan-Giuseppe di Maria Addolorata dello stesso Ordine. Napoli, tipogr. della pia casa dell'Addolorata. (L. 0, 50.)
Vita S. Paschalis Baylon.

1880. IL FIGLIUOL PRODIGO, dal P. Ermenegildo da Chitignano, Lett. Em. Prato, R. Guasti.

1881. CINQUE PREDICHE a monache in lingua volgare di due celebri Francescani del secolo decimoquinto, tratte da un codice della Nazionale di Firenze per cura del P. Marcellino da Civezza, Minore Osservante. Prato per Ranieri Guasti. (L. 2)

1881. LA SÉRAPHIQUE RÈGLE du Troisième Ordre de S. François, par le T. R. P. Léon de Clary, ex-Provincial des Franciscains, Paris. Tolra, rue de Rennes, 112. 6 edition 1 vol. in 18 relié. (fr. 2,25)

1882. Inleiding tot de CHRISTELIJKE VOLMAAKTHEID door P. F. Archangelus Vendrickx uit het Orden der Minderbroeders-Recollecten van Belgïë (Ex-Min. Prov. Belg.) Sint-Truiden (Trudonopoli) Schoofs-Herman. (L. 1,75)
Instructio de christiana perfectione. — In hoc opere agitur primum de essentia perfectionis christianae, deinde de mediis ad perfectionem assequendam ac denique de obstaculis superandis. —

V.
NECROLOGIA

Illmus ac Rmus Dominus IEREMIAS COSENZA nuperrime e vivis ereptus, est alter Franciscani Ordinis Episcopus, cuius memoria in benedictione erit in Ecclesia Dei et inter Fratres suos.

Ortus est anno 1807 in *Roccascalegna* Theatinae Dioecesis in Aprutiis, et adolescens sacram induit vestem Seraphici Patriarchae Francisci in perantiquo Ursuneae Recessu, ubi laetus, post exactum tirocinii tempus, solemnem professionem emisit. Rationalibus ac sacris litteris eruditus, earumque lauream in Ordinis concursibus consecutus, illico coepit institutioni iuventutis sese addicere tum in Ordinis Coenobiis, tum in Seminariis Dioecesanis, tum etiam in regali Collegio Teramensi.

Anno 1838 per Apostolicum Breve regimen ei committitur Obs. Provinciae Basilicatae. In quo certe insperato munere ita

versatum Rmus Ioseph Maria ab Alexandria Generalis Ordinis Minister illum deprehendit, ut ad aliud regendi triennium Pontificia censuerit auctoritate confirmare. Quo expleto, in patriam reversus, vix duos tresve annos in Provincia sua constiterat, quum alio vocatus, alacer perrexit. Perrexit scilicet Squillacum, quo ab eius amico et confratre Illmo ac Rmo Fr. Conceptio ab Anxano eiusdem civitatis meritissimo Episcopo vocatus fuerat, ibique magna cum laude praedicavit, Theologiam docuit, atque dioecesanum rexit Seminarium. Defuncto Neapoli praelaudato Episcopo, P. Cosenza Aprutii solum anno 1858 repetiit, et anno 1860 Minister Provinciae S. Bernardini fuit renunciatus, quam sex circiter annos in temporum angustiis administravit.

Cum autem tot suae prudentiae et dextetatis in agendo specimina dederit, dignus habitus est, qui a Summo Pontifice ad regendam Fodianam (Foggia) Ecclesiam deligeretur. Itaque 25 Februarii an. 1872 Episcopus consecratus, ad gregem sibi concreditum pascendum se contulit, quem statim urbanitate, charitate atque munifica beneficentia tam arcte sibi devinxit, ut nedum plebeii et pauperes, quorum maxime curam habuit semperque indigentiam sustentavit, verum etiam divites et nobiles eum peculiaribus amoris et reverentiae signis iugiter prosecuti fuerint. Et merito quidem: siquidem Venerabilis Praelatus, omnibus omnia factus, singulos opportune solabatur, cuilibet verba vel salutis, vel consilii vel etiam solatii peramanter dirigens. Nil ergo mirum si ad nuncium mortis eius, quae die 15 martii curr. anni accidit, tota civitas universaque Fodiana Dioecesis commota fuerit, certatimque populus accurreret, ut amatissimi Patris sui et Pastoris exanime corpus videret, morti eius illacrymaretur, atque osculum in benefica manu ultimum imprimeret.

Nec illud silentio praetereundum, illustrem Praelatum, dum ultima infirmitate teneretur in lecto, pontificia Christi Vicarii benedictione fuisse donatum; praesentia quinque Episcoporum circumstantium Dioecesum recreatum, ac officiis omnibus Rmi Capituli et Cleri caritative cumulatum.

Multi eum scripto laudarunt, sed funebrem orationem habuit egregius Canonicus Fodianus D. Salvator Theologus Muscio; ex qua, missis brevitatis gratia tribus longioribus, hasce duas tantum mutuamus inscriptiones in collacrymati elogium Praelati, qui

DECEM · EPISCOPATVS · ANNOS
VERBO · ET · EXEMPLO
FACTVS . FORMA . GREGIS · EX · ANIMO.
PERTRANSIIT · BENEFACIENDO.

—

HOSPITALITATIS · MVNVS.
IN MVLTOS · PEREGRINOS . EXERCVIT.
PAVPERVM . ADIVTOR · FVIT . PVELLARVM . TVTOR.
PVERORVM · GAVDIVM.
DIOECESIM · TOTAM · CHARITATE · SVFFVLSIT.

—

ADM. REV. ANGELUS MILETIC Raguseus in Dalmatia, Lector Emeritus et actualis Definitor illius Observantis Provinciae, apoplexia perculsus, quae tamen minime prohibuit quominus supremum solamen nostrae S. Religionis posset recipere, obiit die XIII Februarii anno MDCCCLXXXII, annos natus XLVII.

Ingenio perspicaci, singulari memoriae facultate instructus, studiisque gymnasialibus egregie peractis in patria apud Patres Scholarum Piarum, deinde philosophicis ac theologicis inter nostros Fratres in Piceno, a Superioribus electus fuit inde ab anno MDCCCLII vix Sacerdotio initiatus, ad Clericorum instructionem, quo in munere ad mortem usque perseveravit; docuit primum grammaticam et rethoricam, tum philosophiam ac theologiam. Docendi rationem multa cum laude et discipulorum profectu tenuit, maxime ob eximiam perspicuitatem certamque eorum quae docebat cognitionem. Multo maiora in hoc curriculo praestiturus fuisset, nisi infirma semper valetudo qua afficiebatur impedimento ei fuisset ne alacrius ad studium animum adiungeret, quod ipse percupiebat.

Ceterum hae ingenii dotes ab animi dotibus valde superabantur, et ut verius dicam a religiosis virtutibus quibus praefulgens, verus filius et assecla Sancti nostri Patriarchae extitit. In eo maxime enitebant modestia et solitudinis studium, quarum virtutum ope mundo plane mortuus videbatur; neque distat a vero ipsum neminem omnino extra claustrum agnovisse. Eminebat praeterea paupertatis amor et

charitas erga omnes ubique insignis, praesertim in Fratrum defectibus obtegendis, et in curanda omni ope eorumdem emendatione et spirituali profectu. Ad summam ipse verbo, magis vero exemplo haud tenue praesidium Superioribus praestitit, qui saepe ipsum adibant ut eum consulerent; magnam aedificationem exhibuit inferioribus aliisque omnibus etiam externis, qui eum agnoverunt; quare eius mors non aliter quam viri sancti luctum in omnibus excitavit; spes dumtaxat, qua confidimus eum in coelesti patria precibus suis apud Deum praesidio nobis futurum, minuit dolorem, quo ob tanti viri jacturam affecti sumus.

—

R. P. Ioannes Maria a Quillan, Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia filius, natus 25 Iulii 1840, lauream Doctoris in S. Theologia Romae assecutus, ad Ordinem admitti obtinuit. Emissa professione, per aliquod tempus theologiam moralem docuit; deinde Praesidis Conventus Biterrensis et Magistri Novitiorum officia suscepit; sed ingrata praepeditus valetudine huic muneri renuntiavit. Post suppressionem Provinciae suae in Gallia anno 1880, a gubernio Matritensi Conventum Lauretanum propre Hispalim *(Sevilla)* obtinuit, ibique in medio Fratrum, quibus refugium paraverat, piissime obiit die 25 Martii 1882. Scripsit opus cui titulus Le Cœur de Jèsus et ex italica lingua in gallicam transtulit *vitam V. Servae Dei Clarae Mariae Steiner.*

VI.

VARIA

—

CARMEN
IN HONOREM SS. CORDIS IESU

—

Corde Iesu, Sion, gaude;
Concinenti prome laude
Grati cordis munera.

Cor plasmatum statu viae
In visceribus Mariae
Puro crevit sanguine.

Quid divino inferret cordi
Nulli obnoxia Mater sordi,
Virgo purior Angelis?

Tota pulchra, tota pura
In eo Matris est natura,
Et sui amoris indoles:

Cor totius placiditatis,
Cor totius humilitatis,
Radix novae originis:

Verbo unitum pacis flumen
Misit terris, misit lumen
Inundantis gloriae.

Sancti Spiritus suaviatum
Oris osculo, adoratum
Angelorum millibus,

Sese aperuit a cruenta
Lancea fossum, et portenta
Suae salutis protulit.

Nata Ecclesia, fons manavit
Aquae et sanguinis, quo lavit
Universa crimina

Quantum poenae fuit exhaustum!
Quam perfectum holocaustum
De se Christus edidit!

Tensis brachiis Cruce pendens,
Ictu patens Cor ostendens,
In angore mortuus!

Quis ex sinu suo repellet,
Quis ex Corde nunc divellet
Suo redemptos sanguine?

Salus, Iesu, Te adorantium,
Pietas, Iesu, Te invocantium,
Spes, o Iesu, pauperum,

Dâ tuum latus amplexari,
Dâ tuum vulnus osculari
In dolore spiritus!

Dâ tu nobis poenitendi,
Dâ fideliter serviendi,
Dâ patiendi gratiam.

Cor apertum nostro amori
Nos recipias, fac nos mori
In suo sacro vulnere.

Nihil obstat
Fr. Bernardinus Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta Gerens resp.

ACTA ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

LITTERAE APOSTOLICAE

quibus Hierarchia episcopalis in Bosnia et Herzegovina instituitur. (1)

LEO EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ex hac augusta Principis Apostolorum Cathedra, in qua Deo placuit humilitatem Nostram collocare, cunctas orbis regiones Nostri ministerii curis complectentes, adhibendam a Nobis esse omnem operam agnoscimus, ut catholica religio, mater et magistra omnis rectae disciplinae omnisque civilis humanitatis, ubique in dies maiora incrementa suscipiat, ac populi omnes ad humanae et caelestis felicitatis iter tenendum eius ductu ac praesidio adiuventur. Hoc in ministerio, dum animus Noster ex conspectu et gravitate malorum, quae humanam societatem premunt, ex pertinaci bello, quo Sancta haec Sedes ab hominibus religioni infensis impetitur, non levi acerbitatis sensu afficitur, clementissimus Deus opportuna Nobis suae benignitatis solatia deesse non patitur, secundos exitus studiis Nostris pro salute animarum saepe tribuens, ac propitius efficiens, ut catholica fides pluribus in locis graviter concussa et oppugnata, in aliis suam sedem statuat feliciter, suique salutaris regni fines proferat. Huius porro solatii non levem fructum excepimus in iis illustribus filialis animi et devotae voluntatis testimoniis, quae Slavonicae nationis gentes, insignis christianae familiae pars, ob paternum studium, quo ipsarum bonum promovere studemus, Nobis grata dilectionis vice publice exhibuerunt. Ex quibus rebus, quantum salutis eorum desiderium Nos movet, tantum etiam spei magnitudo Nos erigit qua fore non dubitamus, ut eiusdem nationis homines, qui adhuc catholicae unitatis exsortes sunt, post tristes rerum vices quas diu pertulerunt, cogitantes felicitatem dierum quibus maiores eorum, ad christianam et civilem vitam instituti, Apostolicae Sedi adhaerebant, et felicem fratrum conditionem, qui in fide Romanae Ecclesiae manentes, in ea semper tutelam, solatium, praesidium Matris amantissimae paratum habuere, in eius gremio fidum perfugium quaerant, et firmo fidei caritatisque vinculo cum ea coniungantur.

In hac autem sollicitudine et dilectione, qua Slavicas gentes omnes complectimur, plurimum gaudemus opportunitatem Nobis oblatam esse, qua spiritualibus necessitatibus et rationibus eorum consulere possemus, qui in provinciis Bosniensi et Herzegovinensi degunt, quae, ob temporum vices mutato in iis regionibus reipublicae statu, nunc a carissimo in Christo Filio Nostro Francisco Iosepho, Austriae Imperatore et Hungariae Rege Apostolico, tenentur et administrantur. Nam, cum pro munere Nostro opportunum putaremus, res religionis in iis provinciis ad eam formam adducere, quae novae rerum publicarum conditioni melius responderet, et gentibus illis ad uberius percipienda Ecclesiae adiumenta prodesset, Nos spectatissimi Imperatoris et Regis sincerae religioni et pietati confisi, cum Eo egimus, ut Sua studia Nobiscum coniungeret, et benevola voluntate Nostris desideriis obsecundaret. Spes et vota Nostra optatos exitus habuere: augustus enim Imperator et Rex,

(1) Cf. *Acta Ordinis* fasc. II. pag. 27.

cui cognominis Apostolici dignitas ad nobiles virtutes Maiorum Suorum repraesentandas incitamento est, officia et desideria Nostra perhumaniter excepit, Eoque favente Nobis datum est, ut novam ecclesiasticam Provinciam constituere possimus in ea Illyrici parte, cuius illustrem memoriam Catholicae Ecclesiae fasti posteris prodiderunt.

Ac sane compertum est certisque testatum historiae monumentis, Illyrici provincias, quae usque ad Istrum flumen pertinebant, evangelica luce ab initio fuisse illustratas Apostoli gentium ministerio, qui ad Romanos scribens ac memorans ea, quae per ipsum Christus operabatur *verbo et factis in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti,* aiebat se *ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum replevisse Evangelium Christi* (1). Scilicet ille ministrum Christi in gentibus se exhibebat *totum Illyricum percurrens,* veluti antiqui Patres memoriae tradidere (2), *ac ubique spargens scintillas fidei, quas auspex Spiritus Sanctus excitabat, vivasque semper servabat.* Quum itaque Doctor gentium divini verbi semen iis regionibus diffudisset, quas postea discipuli eius et Apostolorum Principis, Lucas (3), Clemens (4) ac Titus (5) sedulo excoluerunt, mirum dictu est quantopere res christiana profecerit, quantaque habuerit incrementa, ecclesiastica hierarchia constituta, in qua episcopales sedes Thessalonicensis, Salonitana ac Sirmiensis principatum obtinebant, quae merito a duobus Principibus Apostolorum primos Pastores suos accepisse gloriantur. Neque regionibus illis defuit martyrum decus aut doctorum illustrium, in quibus memorare praestat clarissimum illud occidentalis Ecclesiae lumen, ac eximium divinarum litterarum interpretem, Hieronymum, qui apud veteres fines Pannoniorum et Dalmatarum (6) primam lucem hausit.

Romani autem Pontifices Praedecessores nostri nullam benevolentiae, nullam suarum curarum partem Illyrici provinciis unquam deesse passi sunt; imo in finibus iis, quae orientem magis spectant, quosdam constituerunt sacrorum Antistites, qui vicaria Apostolicae Sedis potestate praeessent, adhibitis nempe Thessalonicensis Ecclesiae Episcopis, qui hoc ministerio fungerentur. Ita provinciae illae Romanorum Pontificum non intermissis curis prospere floruerunt, quod magnus Nicolaus I Praedecessor Noster, datis ad Michaelem Imperatorem litteris, declarabat his verbis: *Illyricana dioecesis Antecessorum Nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Coelestini, Sixti, Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis atque Hormisdae sanctorum Pontificum sacris dispositionibus augebatur* (1). Quin etiam hisce litteris antiquiores epistolae alterius magni Praedecessoris Nostri Gregorii I perpetuum atque illustre monumentum exhibent cum supremae auctoritatis, tum praecipuae sollicitudinis et effusae caritatis, qua haec Romana Sedes pro re nata necessitatibus Pastorum ac fidelium regionum earumdem, in aedificationem et augmentum mystici corporis Christi, opitulari consuevit.

At vero, fatiscentibus Romani imperii viribus, quum ii, qui suprema potestate pollebant, impares essent cohibendis gentium exterarum copiis irrumpentibus undique et omnia late populantibus, etiam regiones illae florentissimae a Gothis et ab Hunnis primo, mox ab Avaris et a Slavonis occupatae sunt. Quare in ea tristi vice caedium et vastationum, non modo plures ex urbibus vetustate et amplitudine insignibus excisae sunt, sed etiam plures e nobilioribus sedibus episcopalibus omnino defecerunt. Sed neque vis animi, neque studium defecit Romanorum Pontificum, qui curis conlatis ad sarcienda damna, ad ruinas fulciendas, omnem operam dedere partim solandis miseris et iacentibus erigendis, partim instituendis ad christianae vitae mores rudibus illis convenis, ut ex eis tamquam vivos lapides honori spiritualis domus, et nobiles christianae humanitatis alumnos bono civilis societatis conflarent. Et sane, saeculo septimo, quum Servii et Croatae, e Carpathiis montibus profecti, in regionibus Slavoniae, Croatiae, Serviae, Dal-

(1) Rom. XV. 19.
(2) S. Asterius Episc. Amaseae, hom. V in Princip. Apost. Cf. S. Hieron. ep. LIX. ad Marcellam; S. Greg. Nyssen. orat. de S. Stephano Protom; Ioann. VIII. ep. CIX ad Petrum Comit.; S. Petrus Damian. sermo de ss. Apost.
(3) S. Epiphan. haeres. LI.
(4) Farlat. Illyric. sacr. tom. I proleg. part. III § 1.
(5) S. Hieron. in cap. IV. epist. II. ad Timoth.
(6) Idem de viris illustrib. cap. ult.

(1) S. Nicol. I PP. epist. IV ad Mich. Imp.

matiae et Istriae sedes suas figerent, Ioannes IV Pontifex Maximus, dum Ecclesiae Romanae fundebat opes in levamen eorum, quos misera servitus premebat, ac sanctorum Martyrum reliquiis tutam quietis sedem parari curabat, sui etiam muneris duxerit novorum convenarum saluti consulere, misso ad eos Martino Abate, viro sanctissimo, qui ipsos ex errorum tenebris ad evangelicae veritatis lucem adduceret (1). Neque vero dubitandum est, quin Episcopi et Sacerdotes ex urbe Roma missi ab eodem Pontifice, aliisque proximis eius Successoribus, ad omnia pietatis opera instituerint eos Slavoniae populos, qui meridionales audiunt, illosque lavacro regenerationis expiatos una cum duobus Principibus Porino et Porga, tamquam primitias cognatarum gentium, in ovile Iesu Christi exceperint (2).

Haec porro Praedecessorum Nostrorum sollicitudo insigniter etiam eluxit in sequentibus saeculis, quibus studio Romanorum Pontificum Nicolai I, Hadriani II et Ioannis VIII, adiutoribus sanctissimis viris Cyrillo et Methodio germanis fratribus, quorum religionem et cultum magno cum animi Nostri solatio nuper latius proferendum augendumque censuimus, Slavicae gentes quae ab austro ad boream pertinent, plenius hauserunt evangelicae doctrinae lumen, ac per eam ad humanum civilemque cultum deductae, sanctam religionis et iustitiae formam induerunt (3).

Quum igitur Slavonicae gentes mirum in modum ad catholicam veritatem conversae in communionem fidei et caritatis cum Apostolica Sede venissent, arctam cum ea coniunctionem, filialis studii nexibus devinctae, diu retinuerunt, et ex illa, unde unitas sacerdotalis, unde salutis doctrina manat in totum orbem, tamquam e vivo fonte roris caelestis hauserunt ubertatem. Regnis imo ac principatibus Slavici nominis constitutis, positum in more fuit Slavicorum Regum et Principum, ut in fidem et tutelam sese reciperent beatissimi Petri, quem colebant in Ipsius Successoribus, utpote heredibus potestatis eius, quam Ipse a Pastore aeterno in gregem christianum universum acceperat. Sed enim, postquam nonnullae ex iis gentibus, rebellis sequutae Photii vestigia, e materno complexu recesserunt Catholicae Ecclesiae frustra retinere abeuntes et devios revocare conantis, quasi palmites e vite abscissi exaruerunt, et e florenti statu in eas aerumnas miserosque casus prolapsae sunt, quos suis monumentis historia posteritati tradidit. Quare Nobis, plurium saeculorum experientia edoctis, potiori iure licet eas gentes compellare et alloqui iis verbis, quibus Ioannes VIII Decessor Noster, quasi rerum futurarum praescius, eas ad unitatem catholicam revocare contendebat. Aiebat enim: *Reminisci debetis quanta eosdem praedecessores vestros prospera evidentissime comitabantur, quando ad limina Petri Apostoli, caelestis regni clavigeri, devoto pectore quasi proprii filii confluebant, et quanta postmodum nunc usque sustinetis adversa, cum ab ea Sede B. Petri eos quasi alienos separare non dubitastis* (1).

Variis hisce rerum vicibus obnoxii etiam fuere populi, qui Bosniae et Herzegovinae regiones, ad quas modo convertimus curas Nostras, incoluere. Provinciae enim istae variis Principibus finitimarum gentium, prout quisque viribus magis pollebat, obtemperarunt; modo ab iis qui Serbiae vel Croatiae praeerant, modo ab aliis dominatoribus subactae. Hinc fieri non potuit, ut a funesta errorum lue, quae circa illas serpebat, immunes evaderent. Quum autem saeculo duodecimo in potestatem regum Hungariae, regni Ramae nomine suscepto, devenerunt, ad Ecclesiae communionem reversae, florentis denuo religionis fructibus usae sunt. Ast ea res laeta licet, tamen diuturna non fuit: etenim non multo post e vicinis Bulgariae finibus alia mala labes in eas irrepsit lateque grassata est, priori longe pestilentior ac foedior, ex antiquis Manichaeorum erroribus orta, quae Patarenorum sectae nomen indidit. Ex hac autem tristi colluvie, quae per tria fere saecula regiones illas foedavit, plurima et exitiosa damna in eorum populorum fidem moresque redundarunt. Nihilominus in ea calamitate temporum luculenter enituit Romanorum Pontificum zelus et paterna sollicitudo eo

(1) Liber Pontif. in Ioan. IV.

(2) Constantin. Porphyrogen. de administr. imper. cap. XXX. XXXI, XXXII.

(3) Ioan. VIII ep. ad Michael. Borisium, regem Bulgar.

(1) Epist. CCXXXIV ad cleric. Salonit.

constanter intenta, ut ex agro Domini zizania evelleret, christianae fidei germina tueretur ac aleret, atque ita sincerae pietatis cultum instauraret. Namque, ut alios missos faciamus, praecipuam ac praeclarissimam partem supremi ministerii sui in eam rem contulerunt Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, Innocentius IV, Nicolaus IV, Ioannes XXII, Benedictus XII, Urbanus V, Gregorius XI, Eugenius IV ac Nicolaus V, qui partim crebris legationibus et apostolicis litteris ad Principes ac Praesules missis, partim sacris expeditionibus hominum apostolicorum, qui zelo flagrantes animarum salutem curarent, partim frequentia mansionum pro his passim conditarum, quae futurae erant nobiles religionis et sanctimoniae sedes, illud praestiterunt, ut corruptas hominum mentes, qui errores inter et mala morum inveteraverant, sensim ad suave iugum evangelicae legis subeundum inflecterent. Cuius rei laudem, haud exigua ex parte, sibi vindicant sodales e religiosis Familiis sanctorum Francisci et Dominici, ex quibus non pauci, ab haereticis caesi, gloriosam pro Christi nomine mortem oppetierunt.

Nec destitit interim haec Sancta Sedes duas illas provincias aliis atque aliis benefactis afficere, maxime ex eo tempore quo regnum Bosniacum fuit constitutum. Scilicet quum saeculo XIV, concessu Ludovici Regis Hungariae, Stephanus Tuartkus qui Bosniae praeerat, Bannus eorum lingua appellatus, assumpsisset ipse regium nomen et cultum, adiecto ditioni suae principatu Culmiae in Herzegovinensi tractu, qui S. Sabae ducatus etiam dicebatur, ex eo tempore Romanos Pontifices iugiter appellare opemque rogare consueverunt Bosniae Reges, in maximis ac necessariis rei publicae temporibus, nec illis unquam a Decessoribus Nostris consilia, auxilia, solatia, omnia demum paternae charitatis officia defuerunt. Huius rei insigni documento est Catharina Bosniae Regina illustris, quae patriae excidio impendente, tutum in hac alma Urbe asylum et a Decessoribus Nostris dignum suo fastigio cultum nacta est, quaeque propterea, morte appetente, in supremis testamenti tabulis, quibus Romanam Sedem Bosniaci regni heredem instituebat, gratiam sibi praestitam ac munificentiam in se collatam a Summis Pontificibus Pio II et Sixto IV diserte commemorandam censuit (1).

Sed inter sedulas curas, quas Apostolica Sedes in Bosnienses contulit, memoria praecipue dignum est studium illud, quod pluries Romani Pontifices praetulere, ut in ea regione ecclesiasticam Hierarchiam constituerent, augendo nempe tum dioeceses tum sacrorum Antistitum numerum, prout rerum conditio et utilior rei sacrae procuratio apud Bosnienses postulare videbatur. Indubia enim monumenta testantur, postquam Slavicae gentes, quae australem regionis partem incolebant, catholicae pietatis fidem suscepere, res sacras in amplissima illa regione longo temporum cursu unius tantum Episcopi regimine fuisse administratas, qui pro publicis eorum locorum vicibus metropoliticae iurisdictioni modo Salonitanae sedis aut Spalatensis, tum Diocletianae aut Antibarensis, alias etiam Ragusinae et quandoque Colocensis, tamquam suffraganeus obnoxius erat (2). Cum hic esset rei sacrae status in Bosnia, Praedecessor Noster Innocentius III, qui, saeculo XIII ineunte, studio incensus religionis rebus in eo regno consulendi, Ioannem de Casemario suum et Apostolicae Sedis Legatum illuc miserat, ex eius litteris intellexit religionis conditiones in Bosniensium finibus poscere, ut episcopales sedes in iis omnino augerentur. *Noveritis*, ita enim Legatus scribebat, *quod in regno... de Bosnia non est nisi unus Episcopatus, et Episcopus modo mortuus est. Si posset fieri quod aliquis Latinus ibi poneretur et aliqui etiam ibi tres vel quatuor crearentur novi, non modicum exinde utilitatis accresceret ecclesiasticae, quia regnum est ad minus diaetarum decem et plus* (3). Cum ei Pontifici datum non fuisset, ut, sicuti optabat, hoc pium et salutare consilium ad exitum adduceret, Gregorius IX, qui ipsi post Honorium III in Pontificatu successit, pro suo fidei conservandae ac propagandae in iis partibus zelo, eius implendi ac perficiendi cura suscepta, anno MCCXXXIII litteras dedit ad Iacobum Cardinalem Episcopum Praenestinum, Apostolicae

(1) Assemanni kal. Eccl. univ. tom. V, part. I cap. III pag. 96.
(2) Farlat Illyr. sac. tom. IV, p. 37 seqq.
(3) Innoc. III lib. VI, ep. CXL. Iohan. de Casemario ad Pont.

Sedis in Pannonia Legatum, eiusque fidei et prudentiae commisit, ut novae in Bosnia episcopales instituerentur sedes, ac Episcopi eligendi solida scientiae et pietatis laude fulgerent (1). Etsi flagrantissimum huius etiam Pontificis studium optatum exitum habere non potuit, operam tamen adhibuit, ut dignior Antistes Bosniensis Ecclesiae sacris praeesset, cuius dignitatem, delato etiam Apostolici Legati munere, amplificandam censuit (2).

In sequentibus autem temporibus Eugenius IV, vestigiis Decessorum inhaerens, cum Stephano Thomae, Bosniae Regi, regalis coronae decus tribueret, de sacrae potestatis gradibus in eius regno stabiliendis cum ipso agendum putavit. Cum hic Princeps metu ingruentium hostium oblatae occasioni defuisset, ac Stephanus filius, qui patri in regno successit, maiorem vim animi ostendens, ad Apostolicam hanc Sedem legatione missa, oblata patri occasione libenter se usurum declarasset, Pius II Pontifex Maximus, S. E. R. Cardinalibus in consilium adhibitis, novas cathedrales sedes in Bosnia instituendas easque idoneis rectoribus committendas decrevit, atque haec per regios Legatos ad Regem ipsum afferre curavit (3). At dum, impedimentis omnibus sublatis, opportuna facultas data videbatur religionis rebus apte in Bosnia constituendis, rerum publicarum status, qui in deterius in ea regione quotidie ruebat, miserandum in modum eversus est; atque ita consilia et curae irritae cecidere, quas per plura saecula ad promovendas Bosniensium utilitates Praedecessores Nostri conferre nunquam intermiserant.

In maxima hac perturbatione rerum, religione pariter magnis calamitatibus perculsa, Episcopus, qui unus pastorale ministerium apud Bosnienses exercebat, solum vertere coactus, Diakovae in finitima Slavoniae urbe suam sedem collocavit. Herzegovinae gentibus, pari rerum calamitate afflictis, gravibus quoque impedimentis interceptus fuit usus sacrae potestatis Episcopi Mercanensis et Tribuniensis, cuius illae magna ex parte pastorali regimine utebantur, dum reliquarum partium cura ad finitimos Dalmatiae Episcopos pertinebat. Cum itaque eo res adductae fuissent, ut suorum Pastorum praesidium gentes illae amplius experiri non possent, Romani Pontifices eo acrius incensi ad opem ferendam, quo maiore in discrimine earum versabatur salus, excitato virorum apostolicorum zelo, ac opera adhibita sacri Consilii christiano nomini propagando, meliori qua fieri potuit ratione, fidei in iis partibus tuendae et religionis detrimentis sublevandis consuluerunt. Qua in re luculenter enituit sodalium Franciscalium ex Ordine veteris Observantiae constantia et virtus, qui operam in iis provinciis propagationi fidei navantes, pro qua interdum etiam sanguinem fuderunt, pluribus relatis salutis fructibus, egregie de religione sunt meriti. Cum porro Praedecessores Nostros non laterent gravia damna queis obnoxii sunt ii, a quibus longe abest procuratio Pastoris, auctoritate Eorum decreto edito a sacro Consilio Propagandae Fidei praeposito, anno MDCCXXXV die V Novembris, Apostolicus Vicariatus institutus est, qui in locum episcopalis Bosniae sedis suffectus, Bosniensibus simul et Herzegovinensibus prospiceret; atque huius ministerii munus viro episcopali dignitate aucto fuit creditum, ut in Bosnia suam sedem statuens, spirituali utriusque provinciae procuratione rite fungeretur.

At cum, Deo favente, laeti fructus ex hisce curis extarent, et fidelium numerus feliciter augeretur, anno MDCCCLII Decessor Noster felicis recordationis Pius IX ad christianum nomen latius propagandum et fovendam unitatem spiritus in vinculo pacis inter operarios, qui in vinea Domini laborant, peculiarem et proprium religionis rebus in Herzegovina curandis Vicariatum Apostolicum constituit, servata tamen episcopali sede Mercanensi et Tribuniensi, cuius administrationem, conlatis antea cum imperiali Austriae Gubernio consiliis, Gregorius XVI Episcopo Ragusino demandaverat. Quae rationes, Praedecessorum Nostrorum providentia initae, in illarum provinciarum bonum apprime redundarunt, in quibus oblata hominibus veritatis excipiendae opportunitas et ad christianam professionem colendam auxilia effecere, ut fides, religio et pietas ampla in iis incrementa susciperet.

At nunc singulares grates Deo clementissimo a Nobis in humilitate cordis agendas esse

(1) Regest. Gregor. IX, lib. VII ep. CLXIV.
(2) Ibid. lib. XII. ep. CCCLIV.
(3) Gobelin. commentar. Pii II, lib. XI.

intelligimus, cum Eius munere Nobis datum sit, ut post tot saeculorum lapsum, post tot luctuosas rerum vices, quod olim incliti Nostri Praedecessores summis votis optabant, quod ad res Ecclesiae in superius memoratis provinciis ad meliorem statum adducendas pertinet, opportune praestare et perficere, ecclesiastica scilicet hierarchia in iis constituenda, possimus. Non enim dubitandum est quin hierarchica ecclesiasticae rei administratio, in qua, velut in compage humani corporis, varietas ipsa graduum et officiorum, ob commune fidei et caritatis vinculum et supremi auctoritatem capitis omnia moderantis et agentis, ad mutuum omnium partium inter se consensum et incolumitatem mirifice redundat, ubi in illis provinciis fuerit constituta, dum sensim praesidia augebit, quae ad religiosum cultum animorum spectant, ac omnium vires ad commune bonum impellet, eo valitura sit, ut fideles in christianae vitae officiis una eademque disciplinae ratione utantur, ac pacis et caritatis nexu omnium animi arctius consocientur.

Nos itaque, rogatis, ut negotii gravitas postulabat, Venerabilium Fratrum Nostrorum S. E. R. Cardinalium sententiis, ac totius rei ratione accurate perpensa, levantes oculos in montes unde Omnipotentis Dei venit auxilium, ac propitiam opem implorantes Immaculatae Dei Matris, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, sanctorumque Pontificum Confessorum Cyrilli et Methodii, qui Evangelii lumine inter Slavicas gentes olim invecto, eis nunc coelesti patrocinio suffragantur, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque amplitudine Apostolicae auctoritatis, ad maiorem Dei Omnipotentis gloriam et religionis catholicae inter easdem gentes exaltationem ac incrementum, constituimus ac decernimus, ut in Bosniae et Herzegovinae districtibus, iuxta canonicarum legum praescripta, Hierarchia ordinariorum Episcoporum instituatur et fiat, qui a sedibus nomen accipient, quas hisce Nostris litteris erigimus, et in ecclesiasticam Provinciam constituimus.

Ac primum a territorio, iurisdictione, administratione, regimine Episcopatus Bosniensis, qui a fel. rec. Clemente XIV Apostolicis litteris die IX Iulii anno MDCCLXXIII datis, instante Maria Theresia, Hungariae Apostolica et Bohemiae Regina Illustri, finitimae Ecclesiae Sirmiensi aeque principaliter et in perpetuum fuit unitus, omnes regiones et loca citra Savum existentia, quae politicis Bosniae finibus comprehenduntur, auctoritate Apostolica in perpetuum seiungimus, distrahimus, separamus, itemque Apostolicos Vicariatus in Bosniensi et Herzegovinensi districtibus constitutos, eadem auctoritate supprimimus, extinguimus ac suppressos declaramus. Deinde in eodem territorio novam Provinciam ecclesiasticam constituimus, quae quatuor tantum dioecesibus iuxta modum qui sequitur constabit, donec Nobis datum fuerit, ut sedes numero plures instituamus.

Cum urbs Seraium, vulgo *Sarajevo*, in medio paene Bosniensis regionis posita eiusque princeps, ratione situs ac opportunitate loci, advenis et negotiatoribus admodum pervia, maiorem prae aliis civitatibus commoditatem Catholicis praebeat, ut ad eam propter usus suos commeare possint, cumque etiam catholici Episcopi apud eam urbem in Werhbosnensi oppido hospitam sedem interdum habuerint, quo tempore, ut fama est, Patarenorum sectae asseclis saevientibus tutum perfugium quaerebant, hinc sedem Seraiensis urbis, Werhbosnensem ei titulum tribuentes, in archiepiscopalem et metropolitanam sedem et aliarum sedium caput, quae sunt et erunt in utraque Bosniensi et Herzegovinensi provincia per Nos aut Successores Nostros Romanos Pontifices in posterum erigendae, auctoritate Apostolica tenore praesentium instituimus, facimus ac declaramus, eidemque sedes episcopales tres, nempe duas, quas novas erigimus in civitatibus Banialuco et Mandetrio, vulgo *Mostar*, et aliam iam erectam Mercanensem et Tribuniensem, quam Episcopus Ragusinus donec aliter provideatur administratoris titulo procurabit, tamquam provinciales adsignamus, addicimus, attribuimus; earum vero Episcopos pro tempore existentes in Archiepiscopi Werhbosnensis suffraganeos, qui iuri eius archiepiscopali et metropolitico subsint, accensemus, ac huiusmodi Ecclesiarum clerum populumque universum, quorum causae ad memoratum Archiepiscopum iuxta sacrorum statuta canonum referantur, ipsi Archiepiscopo quoad archiepiscopalia et metropolitica iura pariter subiicimus. Quod autem

pertinet ad novam dioecesim Mandetriensem, cuius in finibus civitas Dumnensis est, vulgo *Duvno*, quam veteres Delminium dixere, unde Dalmatarum nomen est ortum, Nos ratione habita eam urbem cum circumiectis oppidis, ut vetera monumenta tradunt, episcopalis sedis, quae Dumnensis seu Dalmatiae vocabatur, dignitatem obtinuisse (1), volumus et mandamus, ut Episcopus Mandetriensis Dumnensi etiam vel Dalminiensi titulo, quo illustris illius cathedrae memoria in posteris vigeat, perpetuo utatur ac decoretur.

Agentes autem de finibus, quibus novae dioeceses, quas supra memoravimus, contineantur, eos in hunc qui sequitur modum statuimus, assignamus et circumscribimus, et ab omnibus perpetuo ac inviolabiliter servari iubemus atque mandamus: nimirum archiepiscopalis sedes Werhbosnensis eum Bosniae tractum complectetur, qui ad septemtriones, qua Savum fluit, ab ostiis fluminis Verbitzae ad fauces Drini patet. Ad occasum partem illam, quae Verbitza alluitur, ab huius ostiis ad Dolnje-Skoplje, atque hinc meridiem versus ad montes Dinaricos, quibus Bosnia ab Herzegovina dirimitur. Fines ad austrum ii erunt, qui a Suica ad oram, qua Rama in Naronem labitur, inde a Narone ad Glavaticevum, inde a Glavaticevo orientem versus ad Drinum, inde a Drino ad fluvium Limum pertinent. Postremo ea pars, quae fluviorum Limi et Uvaci cursu continetur. Limites ad ortum ea parte definientur, quae ab Uvaco fluvio ad montem Ivicam, a Drino usque ad ostia huius amnis protenditur.

Paroeciae autem, quae in descriptis finibus locum obtinent, sunt quae sequuntur:

Serajevo, Ban-Brdo, Kiseljak, Kresevo, Podhum, Kula, Kupres, Suhopolje, Triscani, Rama, Uzdò, Bugojno, Skoplje, Golo-Brdo, Rastovo, Fojnica, Brestovsko, Gromiljak, Busovaca, Podmilacje, Dobretici, Koricani, Pecine, Orasje, Dolac-Tranvnik, Gucia-Gora, Buciei, Vitez, Crkvica, Zenica, Osova, Zepce, Radunice, Ponievo, Komusina, Bezlja, Zabljak, Sutinska, Vares, Vijaka, Morancani, Tuzla, Breske, Zovik, Brcki, Gorica, Ulice, Vidovice, Dubrava, Spionica, Tramosnjica, Gradacac, Tolisa, Domaljevac, Tisina, Garevo, Dubica, Potocani, Svilaj, Brood, Koratje, Zeravac, Derventa, Plehan, Foca, Sivsa.

Regio autem episcopalis sedis Banialucensis reliqua Bosniae parte constabit, quae ad septemtriones iis definitur limitibus, quibus Croatiae regnum a Bosnia dirimitur: ad occasum iis finibus, qui Croatiae sunt quique Dalmatiae sunt, Herzanum usque: ad meridiem ea ora, quae ab Herzano ad Suicam pertinet: ad ortum demum iisdem limitibus, quos superius archidioecesi Werhbosnensi descripsimus.

Ea in regione continentur paroeciae, quae sequuntur: Banjaluka, Kotorisce, Sokoline, Varcar, Jaice, Glamoc, Grahovo, Petricevac, Ivanjska, Gradiska, Sasina, Stratinska, Volar, Stara-Rieka, Bihac, Popoveci, Vidosi, Cuklic, Listani, Ljubuncie, Livno-Gorica.

Dioecesis Mandetriensis et Dumnensis totum Herzegovinae tractum obtinebit, qui inter fines dioecesis Werhbosnensis et Banialucensis a borea, inter fines Dalmatiae usque ad urbem Metkovic ab occasu, inter fines dioecesis Mercanensis et Tribuniensis ab austro, atque inter districtum quem vocant Novofori, vulgo *Novi-Bazar*, ab ortu, continetur.

Paroeciae, quae ad hanc dioecesim pertinent, sunt quae sequuntur: Mostar, Siroki-Brig, Ljuti-Dolac, Cerin, Gradnici, Gabela, Humac, Veljaci, Klobuk, Rasno, Ruziei, Drinovci, Gorica, Posusje, Vir, Rosko-Polje, Grabovica, Bukovica, Zupanjac, Sujica, Seonica, Rakitno, Kocerin, Gradac, Goranci, Dreznica, Konjic.

Dioecesis Mercanensis et Tribuniensis fines suos integros retinebit, servato pariter paroeciarum numero, quae nunc Episcopi administrantis iurisdictioni subiiciuntur.

Quoniam vero in cathedralibus Ecclesiis Canonicorum Collegium loco Senatus est, qui Episcopo adsidet in divinis celebrandis officiis eique in administranda dioecesi suam operam navat, atque etiam per illud cathedrae episcopalis ornatur dignitas, divini cultus augetur decus, et fidelium pietas magis incenditur, Apostolica Nostra auctoritate in archiepiscopali sede Werhbosnensi illico et perpetuo instituimus cathedrale Capitulum constans ex ecclesiasticis idoneis viris, aequali prorsus voce et votis in suis comitiis et quibusque deliberationibus gavisuris, qui ad instar aliarum Ca-

(1) Cf. s. Gregor. m. lib. I, ep. XXXVIII.

thedralium tum divina officia et munia ecclesiastica, tum onera et quaevis alia, quae huiusmodi virorum coetuum propria sunt, rite diligenterque statutis temporibus obire teneantur, eique insuper facimus capitulares sibi conficiendi constitutiones sacrorum Canonum sanctionibus et Tridentino Concilio plane consentaneas, quae nihilominus ordinarii Antistitis approbatione indigeant, ut legis vim sibi vindicare queant.

Volumus porro et mandamus, ut in aliis quoque episcopalibus sedibus, quas modo erigendas statuimus, proprium cuiusque Canonicorum Collegium seu Capitulum constituatur, cum primum per temporum rerumque adiuncta licuerit.

Ad curas autem Ministerii Nostri illud etiam maxime pertinere intelligimus, ut auctis episcopalibus in Bosnia et Herzegovina sedibus, succrescant in iis Presbyteri indigenae numero plures, qui morum innocentia, pietatis cultu, ardore zeli praestantes, probeque litteras ac scientias edocti, omnes sacerdotalis officii partes uberi cum fructu obire valeant, et ad fidem propagandam in natalibus regionibus studiose suas vires intendant. Quapropter, pro certo habentes non defuturam tantae rei munificam liberalitatem pientissimi Imperatoris et Regis Apostolici, statuimus ac decernimus, ut interim, nulla mora interiecta, in archidioecesi Werhbosnensi Clericorum Seminarium provinciale instituatur, quo necessitati prospici queat cum archidioecesis illius, tum caeterarum dioecesium, quas eidem suffraganeas adiunximus. Ac bona prorsus spe nitimur ea ratione ac ope evangelicos operarios quamplures optime comparatos e clero saeculari exituros, qui fideliter alacriterque excolant vineam Domini, uno caritatis et concordiae spiritum cum religiosarum disciplinarum alumnis coniuncti, quos dignis officiis prosequi par est ob diuturnos labores, quibus de Ecclesia et de animarum salute benemereri in iis regionibus sedulo studuerunt. Volumus autem ea accurate servari, quae sapienter a Tridentina Synodo statuta sunt, tum quoad eiusdem Seminarii regimen, tum quoad instructionem et bonorum administrationem.

Sic igitur in Bosniae et Herzegovinae districtibus ecclesiastica provincia unica, quantum praesentes res ferunt, ex uno Archiepiscopo seu metropolitano Antistite et tribus suffraganeis Episcopis constituta, Nobis et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris iam nunc reservatum declaramus, ut erectas et institutas dioeceses in alias, ubi opus erit, partiamur, earumque numerum augeamus, limites immutemus, ac quidquid aliud expedire in Domino visum fuerit, libere perficiamus. Interim Archiepiscopo et Episcopis supradictis praecipimus et mandamus, ut relationes de suarum Ecclesiarum statu ad Apostolicam Sedem debitis temporibus mittant, nec desistant Nos instructos reddere de iis omnibus, quae pro officii munere ac spirituali fidelium bono nuntiare et referre se teneri intellexerint. In sacro vero cleri populique regimine atque in caeteris, quae ad pastorale ministerium pertinent, Archiepiscopus et Episcopi praefati omnibus fruantur iuribus et facultatibus, quibus alii aliarum gentium catholici Archiepiscopi et Episcopi ex communi sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum vi fruuntur ac frui poterunt; iisdemque pariter obstringantur obligationibus, quibus alii Antistites ex eadem communi et generali Catholicae Ecclesiae disciplina obstringuntur. Quaecumque propterea sive ex antiqua Ecclesiarum Bosniae et Herzegovinae ratione, sive in subsequenti Missionum conditione ex peculiaribus constitutionibus aut privilegiis vel consuetudinibus viguerint, mutatis nunc circumstantiis, nullum posthac sive ius sive obligationem inducent. Atque ad eum finem, ut nulla in posterum suboriri dubitatio valeat, Nos iisdem illis peculiaribus constitutionibus ac privilegiis cuiuscumque generis et consuetudinibus a quocumque etiam vetustissimo et immemorabili tempore inductis, omnem prorsus obligandi aut iuris afferendi vim ex plenitudine Apostolicae auctoritatis adimimus. Proinde Archiepiscopo et Episcopo praedictis integrum erit ea decernere, quae ad communis iuris executionem pertinent, quaeve ex generali lege sacrorum Antistitum auctoritati permissa sunt. Ulterius intendimus, ut cuncta ad res, iura et personas ecclesiasticas respective pertinentia, de quibus in hisce praesentibus nulla facta est mentio, nullaque inlata specialis providentia, ea omnia iuxta canonice vigentem Ecclesiae disciplinam ultro habenda, dirigenda et declaranda sint.

Nunc vero aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui intima cordis Nostri scrutatur, qui novit quo desiderio flagremus dilatandi gloriam Nominis Sui, et quo caritatis moveamur affectu ad curandam aeternam Slavicarum gentium salutem, quam non aliter eas assequi posse nisi in sinu Catholicae Ecclesiae cognoscimus, firmam prorsus fiduciam fovemus gentes ipsas, quarum bonum in iis, quae a Nobis sunt decreta, spectavimus, nihil potius habituras, quam ut huic Apostolicae Cathedrae super quam Ecclesia aedificata est, maiore in dies devotae voluntatis obsequio et studio iungantur. Immo Episcopis et Sacerdotibus inter eas numero auctis, quibus nullum unquam Apostolicae curae officium deesse patiemur, minime dubitamus non modo Catholicae Ecclesiae filios hac opportunitate usuros, ut magis magisque in religione et pietate proficiant, sed etiam deviis fratribus, qui eiusdem soli et ejusdem sermonis communione sociantur, stimulos additum iri, ut ad eius matris se recipiant sinum, quae omnes pariter in Christo Iesu per evangelium genuit. Annuat dives in misericordia Deus, qui facit mirabilia magna solus, ad quem flectentes genua et expandentes manus vota cordis Nostri fervida extollimus, ut ipsi etiam caelestis gratiae lumine perfusi, fractis miseri dissidii laqueis, verum ovile Christi ingrediantur, utque occurrentes in unitatem fidei, sint Nobiscum unum corpus in Christo.

Decernimus tandem has Nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas ac firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere ac inviolabiliter observari debere. Non obstantibus Apostolicis atque in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, nec non veterum sedium existentium olim in Bosnia et Herzegovina et Missionum ac Vicariatuum Apostolicorum inibi postea constitutorum, et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus aut privilegiis iuramento etiam confirmatione Apostolica, aut alia quacumque firmitate roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque. His enim omnibus tametsi pro illorum derogatione specialis mentio facienda esset, aut alia quantumvis exquisita forma servanda, quatenus supradictis obstant, expresse derogamus, et quorumcumque interesse habentium consensui plenarie supplemus. Irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi ipso hoc diplomate ostenso haberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, constitutionis, institutionis, restitutionis, dismembrationis, suppressionis, adsignationis, adiectionis, attributionis, decreti, mandati ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem haec attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo primo III Nonas Iulii, Pontificatus Nostri Anno IV.

G. Card Sacconi Pro-Datarius
T. Card. Mertel
visa

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus
Loco ✝ Plumbi
Reg. in Secr. Brevium.

—

DECRETUM

S. C. Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae, concernens Hierarchiam in Bosnia et Herzegovina institutam.

Cum providentia SSmi Domini Nostri Leonis PP. XIII nuperrimis Apostolicis Litteris quae incipiunt « Ex hac augusta » III. Nonas Iulii vertentis annis datis, in Bosnia et Herzegovina Hierarchia Episcopalis instituta fuerit, R. P. D. Archiepiscopus Werhbosnensis Iosephus Stadler inter praecipuas Ministerii sui curas reponere haud distulit, quod in praefatis Litteris apprime commendatur, saecularium Clericorum canonicam institutionem, qui ecclesiastica munia rite aliquando obire valeant,

atque ita sibi in gravissimis Dioeceseos administrandae negotiis consilium et opem praebeant, et ipsa Episcopalis Hierarchia paulatim auspicata incrementa suscipiat. Ut autem id ad effectum opportune perducere valeat, eidem non minus congruum, quam necessarium est visum, ut ad officia ecclesiastica, potissimum ea quae ad animarum curam spectant, assumere etiam ex saeculari Clero possit viros idoneos, quamvis alioqui specialis illarum provinciarum conditio sub spirituali administratione et regimine Missionariorum ex Ordine S. Francisci diuturno iam tempore existentium postulaverit, ut per eosdem religiosos viros in antecessum explerentur. Veritus tamen, ne locus exinde praebeatur controversiis inter Regularem et Saecularem Clerum in exercitio pastoralis ministerii forte orituris, inspecta praxi ante institutam in illis partibus Hierarchiam vigente, idem R. P. D. Archiepiscopus Werhbosnensis Sanctitatem Suam suppliciter adprecatus est, ut pro Suprema Sua Auctoritate decernere et declarare dignaretur, quid iuris esset in posterum servandum quoad collationem Paroeciarum, quae hucusque per praelaudatos Franciscales Religiosos rectae et administratae fuerunt. Quibus SSmo Domino Nostro in Audientia diei xv Novembris a me infrascripto Sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae Secretario relatis, Sanctitas Sua easdem preces benigno favore prosequens edicere dignata est, ut in posterum provisio paroeciarum, quae in praedicta Archidioecesi Werhbosnensi vacaturae sint, exceptis iis tantummodo quae adnexae sunt Conventibus eorumdem Franciscalium Religiosorum, liberae sint collationis Ordinarii Dioecesani, qui eas proinde, servatis omnibus de iure servandis, conferre valeat cuilibet idoneo et digno ecclesiastico viro necessariis qualitatibus instructo, prout magis in Domino expedire iudicaverit; hac tamen lege, ut intra annum ab hac die computandum, vacantibus iam seu etiam vacaturis paroeciis, quarum collatio eidem reservata est, non praeficiat Parochos Titulares, sed tantum Oeconomos seu Administratores ad nutum amovibiles, ut, si quae forte Franciscales praedicti specialia iura quoad huiusmodi beneficia sibi competere putaverint, ea penes Apostolicam Sedem deducere queant. Super quibus idem SSmus Dominus mandavit hoc edi Decretum et in Acta superius memoratae Sacrae Congregationis referri. Contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die 10 Decembris anni Millesimi Octingentesimi Octuagesimi primi.

M. RAMPOLLA Secretarius m. p.

Concordat cum originali.

Romae 12-12, 81.

✝ IOSEPHUS Archiepiscopus Verhbosnensis.

II.
ACTA ORDINIS

MANDATUM
Ministri Generalis circa nova Officia

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS

DECRETUM

Omnibus Fratribus et Sororibus Nostrae iurisdictioni subiectis, in virtute S. Obedientiae, praecipimus, ut Officia BB. Confessorum primi Ordinis Nostri, *Aegidii a Laurentiana, Caroli a Setia, Bartholomaei a Montepolitiano, Ioannis de Alverna, et Humilis a Bisiniano*, nec non novas lectiones II Nocturni S. Thomae Aquinatis, et translationem officii *S. Vincentii a Paulo* ex 9 Augusti ad 23 Iunii, prout habentur in Decretis S. R. Congregationis inferius citatis (1), ritu, ac diebus ibidem

(1) S. R. C. decreto d. d. 4 Febr. a. c., officium B. Aegidii a Laurentiana approbavit et pro eo diem 10 Ianuarii assignavit, et pro officio B. Ioannis de Alverna diem 9 Augusti; decreto d. d. 28 Martii, approbavit officium B. Caroli a Setia pro die 10 Aprilis, et B. Humilis a Bisiniano pro die 5 Decembris; decreto d. d. 28 Aprilis, approbavit officium B. Bartholomaei a Montepolitiano pro die 8 Iunii. — Quae decreta nuper ad singulos Ministros Provinciales transmissa sunt.

Nova haec Officia a Curia Aracoelitana procurari possunt; et quidem praefata 5 officia, form. in 4°, pro 15 centesimis; — una cum officio Ss. Cyrilli et Methodii ac novis lectionibus pro 2° noct. in festo S. Thomae Aqu. pro 20 cent. Eadem 7 nova officia in 8° pro 15 cent. Officia 5 Beatorum in 16° pro 10 cent.

adsignatis, quotannis in posterum celebrare debeant: servatis Rubricis, et alio Nostro Decreto diei 12 Aprilis anni 1875. Atque ita Directoribus Kalendarii Ordinis nostri mandamus.

Datum Romae, ex Aracoeli, die 6 Maii 1882.

Fr. Bernardinus Min. Gen.

De mandato Pat. Suae Rmae
Fr. Petrus a Monsano
Secretarius Generalis Ordinis.

—

AD FRATRES EXPULSOS
Incitamenta Seraphica
(Continuatio)

Haec omnia vitae claustralis beneficia, si quis coenobita attente considerat, satis mirari non poterit divinam erga se bonitatem et grati animi sensibus repletus saepius cum Psalmista Deum laudabit dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?* (1), aut cum Divo Chrysostomo: *Heu quot nobis ad salutem viae!*

Facile etiam intelliget cur S. Maria Magdalena de Pazzis in excessu gaudii caelestis toties parietes sui monasterii oscularet clamans: *O sancti parietes a quantis malis nos liberastis et quantas gratias nobis contulistis!*

Hi sunt sensus quos nutriunt omnes veri Religiosi in conventibus degentes et quos etiam experti sunt perdilecti nostri Confratres violenter expulsi, qui spiritum seraphicum in monasterio haustum in exilio conservarunt. Gementes recordantur pristinae felicitatis et exclamare non cessant cum propheta: *Beati qui habitant in domo tua, Domine* (2).

Fideles Israelitae in Babyloniam adducti nullo solatio levari poterant, dum sanctam civitatem et templi solemnitates in memoriam reducebant; ita et fervidi Religiosi se captivos ducentes in medio mundo pravo atque perverso et sanctam conventus solitudinem recordantes in eadem suspiria prorumpunt dicentes: *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion. Si oblitus fuero tui, Ierusalem, oblivioni detur dextera mea* (3).

Missae 5 Beatorum pro 10 cent. Missa Ss. Cyrilli et Methodii pro 10 cent. — Additamenta ad Martyrologium pro 5 cent.

(1) Ps. cxv.
(2) Ps. lxxxiii. 5.
(3) Ps. cxxxvi.

Hinc, sicut propheta Daniel Babyloniae detentus *fenestris apertis in coenaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut et ante facere consueverat* (1), ita et boni Religiosi exules Conventum suum oblivioni dare non possunt, ibi corde habitare non desinunt et oculos mentis ad hunc paradisum terrestrem iugiter convertentes, Deum sicut propheta Daniel (2) et pii Iudaei (3) gementes exorare non cessant, ut abbrevientur dies exilii et ad dilectam solitudinem reditus concedatur.

Interim, ut religiosum spiritum conservent, cum quibusdam Confratribus, si possibilitas datur, conventualem vitam exprimere satagunt, aut, si soli manere cogantur, debitis cautelis se muniunt, a saecularium consortiis manent segregati, et pietatis exercitiis, uti prius consueverant, pergunt vacare. Dum autem quae propriae perfectionis sunt summa cura prosequuntur, studiis sacris etiam vacare non omittunt, et seraphicae vocationis memores, saluti animarum, si occasio se offert, gnaviter incumbunt, ut non solum sibi vivant, sed et aliis proficiant, iuxta illud sancti Pauli: *Attende tibi, et doctrinae; insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies et eos qui te audiunt* (4).

Plangendi certe sunt hi fervidi Confratres, eo quod chara sua solitudine priventur et tamquam oves inter lupos vivere cogantur; sed tamen felices aestimandi, eo quod accepti sint Deo, et ideo tot tribulationibus probentur, ut tanta cum Christo et pro nomine Eius patientes cum Ipso aliquando glorificentur.

Pergant igitur spiritum religiosum nutrire, ad claustralem vitam iugiter anhelare et exilii sui dolores patienter perferre pro amore Domini nostri Iesu Christi, qui eas benigne respiciens et tenere complectens his verbis alloqui videtur: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* (5).

Utinam de omnibus Fratribus nostris violenter expulsis hoc testimonium dare posse-

(1) Dan. cap. vi, 10.
(2) Dan. cap. ix.
(3) Baruch cap. ii.
(4) I. Tim. iv, 16.
(5) Luc. xxii, 28 seqq.

mus! Utinam omnes dolentes et flentes pristinae felicitatis, qua gaudent in coenobiis veri Religiosi, recordarentur et in medio mundo in quo vivere coacti sunt, digne vocatione sua ambularent!

Sed, eheu, quantum timendum est, ut in Litteris encyclicis Rmi Patris Ministri Generalis innuitur, non paucos reperiri qui, dum in conventu degebant, iugum Religionis cum taedio et fastidio ferebant, de ipsis votis et Regulae praeceptis servandis parum aut nihil solliciti, et qui, iam extra monasterium versantes, saeculares mores contraxerunt et potius scandalo sunt quam aedificationi populo fideli!

Hi sane similes sunt illis Iudaeis, qui in Ierusalem habitantes contempserunt legem Domini, et, hac de causa in captivitatem ducti, infidelium idola ibidem adorarunt eorumque se vitiis et erroribus inquinarunt, coelestium beneficiorum prorsus immemores.

In eos proinde Religiosos etiam quadrant omnes illae lamentationes et vae, obiurgationes et comminationes quas olim Dominus in perversos filios Israel per prophetas suos protulit, necnon terribilia illa S. P. N. Francisci verba: *A te, Sanctissime Pater, et a tota coelesti curia et a me pauperculo sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt et destruunt, quod per sanctos Fratres huius Ordinis aedificasti et aedificare non cessas.*

Et profecto nonne merito putandum est, propter eos potissimum a Vindice Deo permissam fuisse tantam Ordinis seraphici cladem et tot Provinciarum violentam suppressionem (1), quod ex ordinaria Dei providentia satis coniicere licet (2), et quod saepius caelesti visione intellexisse videtur Ven. Agnes Steiner, Ordinis Clarissarum, paucis abhinc annis in odore sanctitatis defuncta (1)?

Illos tamen utcumque culpabiles et aeternis dignos suppliciis a sinu misericordiae suae non reiicit clementissimus Deus; sed sicut ad Iudaeos praevaricatores misit prophetas, ut a viis suis pessimis recederent et ad observantiam mandatorum reducerentur, eisque poenitentibus reditum ad sanctam civitatem pollicitus est, fratres exules, etiamsi spiritum seraphicum ex toto amisissent, ad meliorem frugem invitare non renuit.

Uti Filius prodigus omnem quidem substantiam bonorum spiritualium, in tanta copia tantaque charitate oblatam, dissiparunt, eam pro nihilo habentes; sed si iam, cum eodem adolescente, extremam animae penuriam et infelicitatem agnoscere velint, dolentesque recogitent quid egerint et quantam iacturam fecerint, tunc etiam cum fiducia redeant ad Patrem amantissimum quem tantopere contristarunt, paratosque se exhibeant ad vitam emendandam et sanctae suae Regulae praescripta servanda; nec dubitent quin gratiam apud Eum invenire possint qui neminem vult perire, Cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus.

Enixis precibus Deum exorare non cessemus ut hanc eis gratiam concedere dignetur: *Utinam saperent et intelligerent et novissima providerent* (2), antequam veniat dies illa magna et amara valde in qua *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum* (3).

Tertia tandem est classis Religiosorum qui e conventibus exulare debuerunt, eorum scilicet qui in vita claustrali inter magis fervidos non quidem recensebantur; at tamen a gravibus transgressionibus sive contra Regulam sive contra disciplinam monasticam se

(1) Ex hoc non inferas quod non dentur Provinciae aut conventus, quae ob meram probationem hanc infelicem sortem subierunt. Novimus enim varias Provincias in pura Regulae observantia cum perfecta vita communi usque ad expulsionem permansisse. Nec ignoramus, etiam in Provinciis, in quibus disciplina monastica collapsa est, inveniri probos et non raro sanctos Religiosos.

(2) Hoc iudicium haud temerarium apparebit, si legantur ea quae quatuor memorati prophetae scripserunt de poenis ob transgressionem mandatorum Dei populo Iudaico illatis; et insuper perpendantur haec verba S. Pauli ad Hebr. c. x, 28-29: « Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiae contumeliam fecerit? »

(1) Cf. eius Vitam conscriptam a suo confessario et cui titulus est: *Compendio della Vita della Serva di Dio Suor Maria Agnese Chiara Steiner. Foligno, stab. tip. di Campitelli.*

(2) Deut. 32-29.

(3) 2. Cor. 5-10.

immunes servabant, ne animae suae aeternum detrimentum paterentur. Hac etiam consideratione ducti, coenobium uti salutis arcam habebant, ubi omnia illa emolumenta percipere poterant quae sanctus Bernardus, uti jam relatum est, in specie recenset.

Nemo non videt quantum beneficium fuerit ipsis vita coenobitica et quantam jacturam fecerint, dum ab ea violenter fuerunt avulsi. Cum enim interiorem hominem non satis nutrierint, et modo sibimetipsis relicti disciplinae regularis stimulo careant, prae humana fragilitate facile tepescere possunt in exercitiis spiritualibus peragendis, et ita debiliores facti ab amore coelestium ad terrestrium desiderium deflectere.

De seipsis proinde tales quam maxime diffidant: sint fortes in fide; in devotis exercitiis constantes et in Regulae praeceptis et monitis servandis fideles permaneant. Sed praecipue caute ambulantes, sedulo devitent magna perversionis pericula in quibus tot alii deflendum passi sunt naufragium et quae ipsis propterea ob oculos ponenda iudicavimus.

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1881 celebrata.

Provinciae Ref. Marchiae.

Die 28 Novembris, a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Daniel ab Aesio,

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Anastasius a Comunantia, Ex-Min.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Carolus a Monte apponum.
R. P. Pius a Claravalle.
R. P. Ioseph de Coriano.
R. P. Ioannes Bapt. ab Aesio.

Ad istam Provinciam ante suppressionem spectabant sequentes 25 Conventus:

Ascoli, S. Antonii Abb.
Arquata, S. Francisci.
Belvedere, S. Francisci.
Cagli, S. Andreae Ap.
Castel d'Emilio, S. Francisci.
Cingoli, S. Ioannis Ap.
Forano, S. Francisci.
Fossombrone, B. M. V. annuntiatae.
Grottomare, *S. Maria ai monti.*
Iesi, S. Francisci.
Massa, S. Francisci.
Cupramontana, *La Romita.*
Montalboddo, (nunc Ostra), *Il popolo.*
Montefalcone, S. Francisci.
Montedinove, S. Thomae Ap.
Montenovo, S. Crucis.
Potenza-Picena, S. Antonii Pad.
Pesaro, S. Ioannis.
Sanseverino, S. Mariae gratiarum.
Sanseverino, *Il monte.*
Sinigaglia, S. Mariae gratiarum.
Staffolo, S. Francisci.
Treia, ss. Crucifixi.
Urbania, S. Ioann. Bapt.
Urbino, S. Bernardini.

—

Provincia Ref. Seraphica.

Die 28 Novembris, a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Gaudentius a Capite aquae.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Victor a Gradulis.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Sigismundus a Cellere.
R. P. Theodosius a Fescennio.
R. P. Marianus a Ponte.
R. P. Didacus a Cryptis Castri.

Haec Provincia ante suppressionem habuit 25 Conventus, qui sunt:

Assisi, S. Damiani.
Todi, B. M. V. Assumptae.
Norcia, B. M. V. Annuntiatae.
Gubbio, S. Hieronymi.
Trevi, S. Martini.
Terni, *Madonna dell' oro.*
Amelia, S. Ioannis.
Romita, S. Francisci.
Spoleto, m.te Luco, S. Francisci.
Spineta, B. M. V. Assumptae.
Cibottola, S. Bartholomaei.
Orvieto, S. Laurentii.
Orvieto, S. Annae.
Giove, B. M. V.
Massa, S. Petri.
Cerreto, B. M. V.

Speco di Narni, S. Francisci.
Scarzuola, B. M. V. Annuntiatae.
Assisi, *Carceri* S. Francisci.
S. Pellegrino, B. M. V.
Onano, Immac. Concept.
Assisi, *Chiesa nuova.*
Celleno, S. Ioannis.
Vitorchiano, S. Antonii.
Gubbio, S. Ubaldi.

—

Custodia Ref. Taurinensis S. Thomae.

Die 28 Novembris, a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio actualis Custos, absoluto regiminis tempore, nec non Discreti denuo confirmati sunt, scilicet:

CUSTOS REGIMINIS:
A. R. P. Theodoretus ab Alba.
DISCRETI CUSTODIAE:
R. P. Anastasius a S. Damiano.
R. P. Constantinus a Montenero.
R. P. Victor a Valdieri.
R. P. Hilarius a Cambiano.

Haec Custodia ante suppressionem sequentes 5 Conventus habuit:

Torino, S. Mariae Angelorum.
Torino, S. Lazari.
Chieri, *La Pace.*
Cuneo, S. Mariae Angelorum.
Canale, S. Crucis.

—

Post mortem Ministri Provincialis *Prov. Disc. Neapolitanae,* mense Novembris, a Definitorio Provinciae electus est Vicar. Provinc.
A. R. P. Donatus Antonius a Corde Iesu
Ex-Procur. Gener. Discalc. et Recoll.

—

Post resignationem Ministri Provincialis *Prov. Ref. Bononiensis* die 29 Nov. 1881, electus est Vicarius Provincialis:
A. R. P. Petrus Damianus a S. Archangelo.

III.
MISSIONES

—

STATUS
Vicariatus Apostolici de Hu-pè Orientalis anno Domini 1881.

Vicarius Apostolicus, Rmus Dominus Eustachius Zanoli, Episcopus titularis *Eleutheropolis.*

Christianitates.	»	230
Christiani in catalogo descripti .	»	11,860
Baptizati adulti	»	507
» infantes fidelium . .	»	426
Infidelium infantes baptizati . .	»	6,332
» » collecti. . . .	»	584
» » mortui . . .	»	4,560
Confessiones annuales	»	7,553
» » devotionis. . .	»	25,367
Communiones annuales. . . .	»	6,696
» » devotionis . .	«	33,547
Extremae unctiones	»	200
Matrimonia benedicta	»	58
In Domino defuncti.	»	467
Divini verbi praedicationes . .	»	6,139
Missionarii Europaei	»	18
Presbyteri indigenae.	»	12
Alumni Seminarii	»	22
» Collegii	»	32
» Orphanotrophiorum .	»	215
» Scholarum	»	865
Instituti Filiarum Caritatis Sorores	»	15
» » Tertiariae indigenae .	»	36
» » puellae collectae . .	»	1014
» » puellae educandae. .	»	107
» » catechumenae ac neophytae in fide edoctae.	»	90
» » Vetulae indigentes receptae	»	85
» » Mulieres et puellae infirmae	»	215
» » item viri et pueri .	»	180
» » infirmi externi. . .	»	2,304

IV.
BIBLIOGRAPHIA

——

P. FR. FRANCISCI QUARESMII, HISTORICA THEOLOGICA ET MORALIS TERRAE SANCTAE ELUCIDATIO, etc. secundi voluminis pars prima; Venetiis, typis Antonellianis 1882 in fol. a P. Cypriano de Tarvisio recognita et adnotata; continet libros quartum et quintum, quorum primo decem peregrinationibus recensentur Loca illa, quae visuntur a peregrinis venientibus ex Ioppe ad sanctam civitatem, quae vel sunt in eadem vel circa. In altero agitur de sacratissimo Resurrectionis Domini

Nostri Iesu Christi templo et de peculiaribus in eo contentis ecclesiis, Calvariae montis, sanctae Crucis: Christi gloriosi Sepulchri et aliis sanctis Locis venerationi habitis.

In nulla nostri Ordinis Bibliotheca hoc Opus desiderari deberet, quippe quod elucidat eruditissime Terram Sanctam, quae nostrum decus, gemma et hereditas est. Illud valde utile omnibus fore ducimus; nam primo volumine copiosum continetur commentarium Ordinis nostri iurium et privilegiorum, nec non seraphicae historiae, quae cum ipsa Terrae Sanctae historia ab ipso Ordinis initio stricte coniungitur. Continet insuper totius Theologiae veluti promptuarium tum quoad fidem tum quoad mores. Denique totam Sacrae Scripturae partem historicam explanat: Multaque alia tradit de Terra Sancta, quae cum ipsa universali historia ecclesiastica et civili stricte connectuntur. In secundo vero volumine, cuius nunc prima pars in lucem prodiit, auctor tractat strictim de Locis sanctis, ita tamen ut ea omnia disquirat quae occasione illorum sese offerunt tractanda, et vastam exhibeat eruditionem, salva tamen tractationis unitate.

In hoc porro volumine editor plurimas adnotationes archeologicas et historicas adiecit, quibus materia ipsa magis ac magis illustratur, et veritas in tuto ponitur.

Pars haec veniit Venetiis in Commissariatu Terrae Sanctae libellis italicis 17. 50. Religiosis nostri Ordinis datur etiam pro celebratione 12 Missarum.

1881. La reazione del pensiero nella questione sociale. La Chiesa, lo stato, l'istitutore e la donna, pel P. Anastasio Bocci, M. O. Quarta edizione, riveduta dall'autore. Siena, Tip. editrice S. Bernardino (in 12 - L. 4.)

Opus istud introductione constat tribusque partibus. In introductione de statu et conditione hodiernae societatis civilis atque religiosae agit, nec non de partibus politicis. In prima parte de statu praesenti humanae societatis, de atheismo atque incredulitate ubi etiam inquirit an sit possibilis conciliatio inter diversas partes politicas. In secunda de educatione religiosa atque civilis deque instructione obligatoria, de quibus amplissime loquitur. In tertia parte de pondere ac momento social mulieris, cuius influxum in humana societate in novem capitibus evolvit. Opus valde utile, ob practicam methodum, qua totum evolvitur.

1881 Vita di S. Giuseppe. Lettere educative ad un giovinetto, del P. Anastasio Bocci. Seconda edizione. Pistoia, Tip. Cino dei F. F. Bracali (in 12 - L. 1).

Viginti constat epistolis stylo claro et familiari exaratis quibus iuvenem educare intendit, sumptis exemplis e vita Sancti Patriarchae; quibus adiungitur mensis divo Iosepho dicatus, in quo de virtutibus sequendis et vitiis vitandis sermo est; opus concludit novena ipsius Patriarchae.

1881. L'Apostolato di S. Paolo, pe P. Anastasio Bocci, M. O. Pistoia, Tip. Cino dei F. F. Bracali. (in 12 - L. 4).

Totum opus XIX capitibus seu sancti Doctoris gentium itineribus concluditur. Agit de eiusdem nativitate conversione et laboribus in diversis Orientis partibus exantlatis, et tandem de eiusdem Martyrio. Opus istud non parum utilitatis ac delectamenti legentibus offert, ob varias diversarum Orientis partium descriptiones quas continet, atque innumeras persecutiones et pericula ubique ab Apostolo perpessa.

1881. Regola del Terz'Ordine di Penitenza instituito da S. Francesco d'Assisi, del P. Romualdo dell'Addolorata, Def. della Prov. Alc. di Lecce. Napoli, tip. della pia casa dell'Addolorata. (L. 0,60).

In prima parte agitur de origine, diffusione et privilegiis tertii Ordinis; in secunda exhibetur textus regulae cum brevi eiusdem expositione; in tertia parte Referuntur indulgentiae tertio Ordini concessae et varia pietatis exercitia commendantur.

1881. Osvetnici Dio V. Ustanak u Bosni i Hercegovini i bojevi Srbski i Crnogorski. Pjesma on Radovana. Zagreb.

Ultores Vol. V. seu insurrectio in Bosnia et Herzegovina atque praelia Serborum et Montenigrorum. Cecinit P. Gregorius Martic sub pseudonymo *Radovana*. Zagrabiae, expensis et typis « Dionicka tiskara. »

1881. Osvetnici Dio VI. u Diakovu Pjesma od Radovana.

Ultores, Vol. VI. Djakovae. Cecinit pariter idiomate hungarico P. Gregorius Martic (L. 1,25).

1881. Kratki Krscanski nauk u Vukovaru *(Compendium doctrinae christianae)*. Edidit P. Elias Cavarovic, addito tractatu de indulgentiis. (L. 0,25).

1881. Djelovanje franjevaca u Bosni i Hercegovini za proik sest viekova nijhova boravka. Sv. I. (1235-1517) u Zagrebu.

Operositas Franciscalium in Bosnia et Herzegovina primis sex saeculis suae commorationis. Vol I. (1235-1517) Zagrabiae. Composuit P. Michael W. Batinic. Emitur apud omnes Bibliopolas Zagrabienses. (L. 2.)

1881. Iakob und Esau, Typik und Casuistik. Eine historisch-dogmatische Untersuchung von P. Petrus Hötzl, O. S. F., Lect. s. Theol. (Prov. Ref. Bavar.) München, Stahl.

Disquisitio de Patriarchae Iacobi agendi ratione narrata Genes. cap. 27, deque expositione S. Augustini in Lectionibus secundi Noct. officii Dom. II. Quadrag.

1881. Geschichte der St. Nicolaus Pfarerkirche zu Hall im Innthale, urkundlich und quellenmässig dargestellet von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi) Innsbruck, Vereins-Buchhandlung. (L. 0,60).

Historia ecclesiae parochialis ad S. Nicolaum Halae in Tyrolio septentrionali.

1881. Das heilige Fünffache Skapulier. Das kostbarste Gnadenkleid der Kinder Mariens für alle gläubigen Katholiken nach authentischen Quellen vorgelgt von P. Philibert Seeböck, O. S. F. (Pov. Tirol. S. Leopoldi) Innsbruck, Vereins-Buchhandlung (L. 0,45).

De quinque s. scapularibus.

1881. Prediche e Panegirici del P. Pietro da Rovigno, Lett. Teol. della Rif. Prov. di Venezia. Opera postuma. Rovigno, tipogr. Bontempo. (L. 2,50) Venale reperitur Venetiis apud typogr. Aemilianam.

1881. Fr. Gabriele Rangoni di Chiari, Vescovo e Cardinale dell'Ordine dei Min. Oss. Cenni biografici del P. Gianfrancesco da Venezia. Venezia tip. Emiliana.

1881. Vita del B. Giovanni da Fermo detto della Verna, tradotta col testo latino a fronte, dal P. Felice da Corchiano, Lett. Teol. della Rif. Prov. Serafica. Assisi, Sansi. (L. 1).

Auctor vitae latinae erat ipsemet confessarius B. Ioannis.

1881. Memorie intorno alla vita e alle opere del P. Andrea da Quarata, Miss. Apost., Min. Rif., per opera del P. Ermenegildo da Chitignano, Lett. Em. Prato, R. Guasti.

V.
NECROLOGIA

—

R. P. Emmanuel Murga, Ord. Min. Obs. Apostolicum Collegium Seraphici Ordinis in Boliviana civitate *Sucre* nuncupata existens paucis abhinc mensibus irreparabilem fecit iacturam! Missionarius singulari quidem virtute praeditus, scientia et doctrina spectabilis, memorati Collegii imo totius Ordinis Franciscalis decus, nuper ex hac luce migravit, et velut fulgida stella in perpetuae aeternitatis firmamentum coruscatura est translatus. Ipsi nomen erat P. Emmanuel Murga, ex Hispania, Observantis Provinciae Cantabriae filio. Anno 1844 ad exteras Missiones, animarum zelo ductus, Superiorum venia impetrata, in Bolivianam Rempublicam se contulit, et in Collegium S. Annae de *Sucre* exceptus, in id studium incumbens, ut veri evangelici operarii spiritum acquireret, Missionarius brevi evasit omnibus numeris absolutus. Theologiae vero et sacris Canonibus studuit diligentissime, et nomen obtinuit Theologi insignis atque Sacrarum Legum Iurisque publici peritissimi. Apostolicae Sedis et Archiepiscopatus Sucrensis iura optime defendit; Archidioecesani Seminarii fundationem promovit, et eiusdem velut Pater habitus, moderator perpetuus fuit renuntiatus. Non tantum scientiae, verum etiam virtute omnimoda fulgens, vir vere seraphicus sibi corda omnium conciliaverat, illumque tantus venerationis universalis radius circumdaverat, ut Archiepiscopi Consiliarius haberetur, et vulgo sanctus ab omnibus vocaretur. Oh! si huiusmodi viri immortalitate donarentur! Die 28 Iunii an. 1881, venerabilis Religiosus crucifixo Domino, quem semper in corde gestaverat, animam suam devotissime commendans, flentibus omnibus, in osculo dulcissimi Iesu placidissime emisit spiritum, aetatis suae anno 68. Civitas, imo tota Archidioecesis Sucrensis, tanto orbata patre atque doctore, amare flevit.

Rmus Archiepiscopus, optimates, clerus et populus parentalia omnino extraordinaria tanto viro fecerunt, cuius corpus, ut publicae venerationi fieret satis, septem diebus mansit insepultum, et tamen incorruptum adhuc et flexibile depositum fuit in monumento, signato lapide.

Nihil obstat
Fr. Bernardinus Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

DECISIO S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

SALERNITANA seu ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM: SUPER PERTINENTIA ECCLESIAE S. ANTONII DIOECESIS SALERNITANAE.
Die 9 Iulii 1880
et die 18 Martii 1881.

COMPENDIUM FACTI. Iam a saeculo nuper elapso in Dioecesi Salernitana a fundamentis aere proprio excitaverant, et usque ad annum 1810 retinuerant Patres Conventuales Ecclesiam et Coenobium, titulo S. Antonii. Quo tempore, cum dira saeviret gallica seditio, Patres propria derelinquere coacti sunt, statuta per legem eorumdem suppressione. Tunc Parochus S. Mariae Gratiarum, legitimo Principe in Siciliam exulante, a Ioachimo Murat veniam obtinuit Paroeciam transferendi in Ecclesiam S. Antonii, ampliorem sacrisque bene praeditam indumentis. Huiusmodi habuit Ecclesiam saecularis Parochus ad annum 1841, quo tempore Municipium, Apostolica Sede legitimoque rege probantibus, eamdem Minoritis concessit; paroecia autem in propriam relata fuit ecclesiam.

Hac etiam nostra aetate, quum suppressio Ordinum religiosorum constituta fuisset etiam in Italia, per factiosos homines, Galliae rebellionem aemulantes, Parochus S. Mariae Gratiarum iterum in Ecclesiam S. Antonii paroeciam transtulit, Antistite non improbante. Minister Provincialis Patrum Observantium, ex quo Antistes plus aequo favere parocho videretur, ad Apostolicam Sedem recursum habuit quaeritans, ut Ecclesia et Coenobium Minoritis restitueretur.

DISCEPTATIO SYNOPTICA

IURA PAROCHI. Antistes Parochi operam protuens, ait: Observantes indebite usos fuisse Coenobio et Ecclesia S. Antonii per aliquod tempus; ast nunquam sibi ius ea possidendi quaesivisse, quum implere neglexerint conditionem quoad regulas Recessus strictioris observantiae. Nam iussu Regis, anno 1841, S. Antonii Ecclesia concessa fuit Minoribus Observantibus, hisce tamen sub conditionibus, quas Episcopus illius temporis ratas habuit:

1° Quod religiosa familia ibi constituatur cum regulis Recessus strictioris observantiae.

2° Quod usque dum Communitas constet sex Sacerdotibus totidemque Conversis et Tertiariis, Paroecia permanere posset in Ecclesia Coenobii, qua uti poterunt etiam Religiosi.

3° Quod etiam cum Paroecia restituta fuerit in Ecclesiam s. Mariae Gratiarum, Parochus facultatem habeat celebrandi in Ecclesia S. Antonii, pro opportunitate, solemnitatem *Corporis* Domini, S. Protectoris, et Feriae V in coena Domini, absque praeiudicio quoad Religiosorum functiones.

Praeterea haud veritati niti, ait Episcopus, Patres Conventuales, aere proprio, Ecclesiam et Coenobium S. Antonii condidisse. Nam pluries Municipium asseruit vindicavitque iura propria super utroque; quae iura, aliquo modo, probata fuere cum legitimus Princeps anno 1838 permitteret, ut Municipium Observantibus Fratribus Ecclesiam concederet et Conventum.

Perperam a Minoritis obiici, Ordinarium *pro tempore* haud potuisse conditionis implementum, quoad regulas strictioris observantiae, curare. Id enim pugnat contra dispositum a *Trid. Sess. 25 cap. 1 et 22 de Regul. et Mo-*

nialib. et a Summis Pontificibus Clemente VIII, Urbano VIII, Innocentio X, Alexandro VII et Innocentio XII, qui Decretum confirmavit S. Congregationis super disciplina regulari die 18 Iulii 1695 § 9: « Porro ne regularis disci- « plina, dum in conventibus iam erectis statui- « tur, relaxetur in erigendis, et quod una ex « parte construitur simul ex altera destruatur, « S. Congregatio, Sanctitate Sua similiter ap- « probante, statuit atque decernit, nulla in po- « sterum Monasteria, Collegia, domos, con- « ventus, aut alia Religiosorum virorum loca « fundari, erigi aut quovis modo institui de- « bere, nisi sub expressa obligatione exactae « vitae communis, ab omnibus Religiosis ibi « commorantibus perpetuo et inviolate ser- « vanda etc. » Et S. Congregatio, anno 1841, rata nihil ex his deficere, opportunas conces- sit facultates Ministro Generali Observantium « dummodo in enunciato conventu S. Antonii « concurrant omnia et singula requisita, quae « circa recessus erectionem in Constitutionibus « Apostolicis, Ordinis et S. Congregationis « praescripta sunt. » Quamobrem Antistes hu- ius conditionis implementum curans, nulli- mode religiosorum Ordinum exemptioni atten- tare censuit. Nam id curavit etiam Archiepi- scopus praedecessor, scribens Ministro Generali Ordinis eiusdem, quod populus ille haud con- secutus fuisset spirituale bonum, quod erat in spe, seseque tolerare amplius non posse ne- glectum conditionis, quoad Recessum consti- tuendum.

Neque obiicere iuvat, Parochum protestare debuisse, quum a legitimo Principe, Apostolica Sede consentiente, anno 1841 Ecclesia et Coe- nobium traderentur Patribus ab Observantia nuncupatis. Nam Parochus, quamvis libenter sese subiecerit Regis et Pontificis voluntati, tamen haud omisit animadvertere quod Ec- clesia illa, utpote propria amplior, maximam afferret utilitatem bono spirituali populi, sibi concrediti. Quamobrem Fratribus Observan- tibus concessa fuit relatis sub conditionibus.

Iura Ordinis Religiosi. Iura Municipii super Ecclesia et Coenobio, nullo fulciri do- cumento referunt Patres. Hinc, quum a Napo- leone I Ordines supprimerentur Religiosi, et ex illo Coenobio Patres Conventuales foras eiicerentur, Municipium nullum movit lapidem pro suis tuendis iuribus. Anno insuper 1841, quum Municipium ad bonun animarum pro- vehendum, Religiosos expetiverit ab Episcopo et a Rege, donavit iste Ecclesia et Coeno- bium Patribus Observantiae, et hac in re Mu- nicipium partem executoris tantum egit, ceu eruitur a rescripto S. Congregationis diei 25 Iunii 1841. A qua cum Patres exposce- rent facultatem accipiendi a Regis munificentia Ecclesiam et Coenobium, facultas concessa fuit, et opera Municipii, Ecclesiam et Coeno- bium tradita fuerunt eisdem Patribus. Quinimo etiamsi, uti donator, quod non concedimus, Municipium tribuerit Patribus Ecclesiam et Coenobium, nunc omni dominio careret super eisdem, quoniam donavit.

Neque confundere licet dispositiones Tri- dentini, quoad Monasteriorum erectionem, cum eo quod Pontificiae Constitutiones iubent quoad Recessuum institutionem, quorum *unus* tantum vel *duo* in qualibet Provincia designan- tur. Ideo Ordinarius exposcere poterat, ut no- vus Conventus ad normam Tridentini et Con- stitutionum apostolicarum erigeretur, minime vero ut in eodem Recessus strictioris obser- vantiae constitueretur. Et re quidem vera, ne verbum quidem facit S. Congregatio de hac re, quum per cit. rescriptum concessit, ut no- mine S. Sedis Ecclesia et Conventus a Rege exciperentur. Hisce tamen non obstantibus, autumant Patres, Recessum huiusmodi ab anno 1855 erectum fuisse; cum nempe id am- plius non praepedirent causae a Patribus inde- pendentes.

Autumant praeterea conditiones appositas ab Ordinario illius temporis impletas esse; tertiam autem et quartam ex eisdem, haud destruere proprietatis iura Religiosorum, sed imponere tantum servitutem favore Parochi. Et re quidem vera, dum S. Sedes saepe sae- pius indulgeat, ut clerus saecularis funera per- agat et elata cruce Regularium Ecclesias in- grediatur, nemo censuit tamen quod Ecclesiae, quae huiusmodi subiiciuntur servitutibus, trans- eant in dominium saecularium presbyterorum.

Animadvertunt tandem Ecclesiae S. Mariae Gratiarum parvitatem, numquam ius tribuere posse Parocho possessionem sibi vindicandi Ecclesiae S. Antonii. Huiusmodi praetensa ius proprietatis laedit; quod ius exorant Patres

Observantes, ut in Religiosorum favore confirmetur a S. Congregatione; quae ad iuris quaestionem tantummodo resolvendam vocatur in themate. Ex officio tandem opportunum visum est prae oculis Emorum Iudicum ponere 8 et 9 postulatum cum suis responsis iuridicis a S. Poenitentiaria datis circa relationem inter Regulares iniuria in Italia suppressos ab incompetenti auctoritate, et locorum Ordinarios.

Haec sunt dubia de quibus agitur, expressa in Instructione S. Poenitentiariae, data die 12 Septembris 1872, et sic incipienti: « Cum Sacra Poenitentiaria, epistola data sub die 18 Aprilis 1867 decreverit n. 3. « Domus Regulares civiliter suppressas, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum conveniant Regulares, quorum unus ad minus sit sacerdos, iurisdictioni Ministri Provincialis fore subiectas, easque regendas esse per Superiorem peculiarem ibi constituendum:

... Quaeritur 8. *An Ordinarii locorum et etiam Parochi uti possint ad suum beneplacitum dictis Ecclesiis vel domibus sibi ab usurpatoribus concessis, an potius teneantur Ecclesias et domus Superioribus Regularibus ad quos de iure pertinent, restituere?*

Quaeritur 9. *An in casu quo agitur de erectione Paroeciae vel succursalis Paroeciae in dictis Ecclesiis possit Ordinarius loci Paroeciam vel succursalem erigere, ipsamque providere independenter a Superiori regulari; an potius teneatur ipsam Paroeciam aut succursalem erigere et providere secundum modum praescriptum ab Apostolicis Constitutionibus pro Paroeciis Regularium?*

Sacra Poenitentiaria mature perspensis expositis censuit respondendum

Quoad 8 et 9 *generatim loquendo* NEGATIVE, *sed recurrendum in casibus particularibus.*

Quibus aliisque animadversis, duo enodanda proposita fuere

DUBIA

I. An et ad quem pertineat Ecclesia S. Antonii in casu.

Et quatenus affirmative favore Fratrum Minorum Observantium.

II. An et quomodo eisdem restituenda sit Ecclesia S. Antonii in casu?

RESOLUTIO. Sacra Congr. Ep. et Reg. re ponderata, sub die 9 Iulii 1880 censuit respondere:

Ad I. Affirmative favore Fratrum de Observantia.

Ad II. Toleranda est praesentia Parochi in Ecclesia S. Antonii, donec in eadem redintegrari poterunt Fratres de Observantia.

EX QUIBUS COLLIGES. I. In themate agi de quaestione iuris enodanda; ita ut esset tantum ponderandum an Parochus vel Patres Observantes sibi ius proprietatis quaesivissent super Coenobio et Ecclesia S. Antonii.

II. Ex parte Parochi iuris originem promanare videtur tantum ex facto occupationis, assentiente illegitima auctoritate; ex parte vero Fratrum ius hoc enasci ex legitima donatione eisdem facta ab eo, qui rite eamdem facere poterat, cum assensu Apostolicae Sedis.

III. Verumtamen ex solo occupationis facto, deficiente titulo bonaque fide, nullum acquiri ius, neque praescriptionem currere, eo quod non *firmatur tractu temporis, quod iure ab initio non subsistit.*

IV. Coenobia rite constituta communiter subtrahi omnino Episcoporum auctoritati; et irritam facere nequire coenobiorum institutionem conditiones ab Episcopis adiectas, praeter illas a S. Sede impositas, in eorumdem Conventuum erectionem.

V. Locorum Ordinarios et Parochos ad suum beneplacitum uti non posse ecclesiis vel domibus, sibi ab usurpatoribus concessis, neque in eisdem paroecias erigere easque providere independenter a Superiore Regulari, a S. Poenitentiaria resolutum fuisse.

Toleranti praedictae decisioni non acquievit Parochus Sancti Antonii, et a S. C. novum examen novumque iudicium super hoc dubium obtinuit:

An et quomodo sit recedendum a decisis in S. C. Episcoporum et Regularium, die 9 Iulii 1880, relative ad primum et secundum dubium in casu?

In Congregatione habita diei 18 Martii 1881, reproposita fuit causa SALERNITANA seu ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM super pertinentia Ecclesiae S. Antonii.

Eadem S. C. respondit: IN DECISIS ET AMPLIUS.

RESPONSUM
S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE.
circa absolutionem complicis.

Quidam Episcopus sequens dubium S. Poenitentiariae proposuit: « Utrum scilicet Confessarius qui suum vel suam complicem in peccato turpi, ad mentem Bullae *Apostolicae Sedis* n. 10 simulaverat absolvisse, recitando v. g. orationem quamdam, vel alia verba pronuntiando, aut etiam tacendo, ita ut videretur tamen per signa vel per manuum gestus revera poenitentem a peccatis relaxare, incurreret excommunicationem specialiter Summo Pontifici reservatam, de qua agitur in praefata Bulla. »

Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis dubiis, super iisdem pariter respondit: « Confessarios simulantes absolutionem complicis in peccato turpi non effugere excommunicationem reservatam in Bulla Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae.* »

—

DECRETUM S. R. C.
circa administrationem SS. Eucharistiae.
LANCIANEN. et ORTONEN.

A Rmo D. Francisco Petrarca, Archiepiscopo Lancianen. et administratore perpetuo dioeceseos Ortonen., Sacrorum Rituum Congregationi sequens pro opportuna declaratione propositum fuit dubium:

« Utrum Sabbato Sancto mane in Ecclesiis, ubi potest una missa cum cantu celebrari, cantato iam hymno *Gloria in excelsis,* et nondum facta sacrarum Specierum sumptione, ab alio sacerdote, quam a celebrante, superpelliceo et stola induto, ex sacris Particulis, quae feria V in Coena Domini superfuere adservatis, Sanctissima Eucharistia Christifidelibus expetentibus distribui possit ac liceat, et an ab iisdem sic sumentibus Paschali praecepto satisfiat? »

Sacra porro Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito antea voto alterius ex apostolicarum caeremoniarum magistris, huic dubio mature perpenso, die 13 Ianuarii 1882, sic rescripsit ac declaravit: *Servetur consuetudo.*

D. CARD. BARTOLINIUS, S. R. C. Praef.
Plac. Ralli, S. R. C. Secr.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES EXPULSOS
Incitamenta Seraphica.

II.
De obligationibus Religiosorum dispersorum durante suppressione.

Errarent quam maxime Religiosi in saeculo degentes, si existimarent, per violentam expulsionem e conventibus, liberiorem eis permitti vivendi modum aut minorem ab eis requiri sollicitudinem ut, sicuti claustrales decet, omnibus virtutibus etiam fulgere satagerent.

Sciant enim se esse et manere Religiosos, in perpetuum holocaustum Deo esse dicatos et ideo semper ad observantiam votorum et praeceptorum Regulae cum statu eorum compatibilium teneri, necnon ad obligationem tendendi ad perfectionem esse adstrictos.

Hoc vel ex ipsis verbis seraphicae Regulae et ex natura sive essentia status religiosi, uti ex declarationibus Summorum Pontificum manifeste constat.

Si vel obiter Regulam seraphicam inspiciamus, videbimus praefatam obligationem adeo esse manifestam, ut S. P. N. Franciscus, dum Regulam suam, dictante Domino, conscripsit, non minus Fratres in saeculo degentes quam claustrales prae oculis habuisse videatur.

His enim verbis illam exorditur: « Regula et vita Fratrum Minorum haec est, scilicet Domini Nostri Iesu Christi Sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate. »

Nullam hic admittit exceptionem, sed declarat hanc esse Regulam et vitam Fratrum Minorum indistincte, idest omnium qui sacrae suae Religioni nomen dederunt aut daturi sunt.

Et ne unquam hac de re dubium moveri aut excusatio afferri posset, hanc suam mentem miro modo inculcat et roborat dicendo: « Finito anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam *semper* et Regulam observare; » idest quamdiu vixerint, ubicumque se invenerint, et in quacumque possint circumstantia versari, sive in mona-

sterio degant, sive in saeculo debeant commorari.

Addit insuper: « et nullo modo licebit eis de ista Religione exire » idest physice vel moraliter, sive Ordinem relinquendo sive ab eius observantia recedendo.

Ne autem ullus hoc attentare praesumat, expressam Summi Pontificis prohibitionem adducit: « iuxta mandatum Domini Papae, » nec non Ipsius Salvatoris divinum oraculum: « quia secundum Sanctum Evangelium nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei. »

Tandem, postquam in ultimo Capite Regulae de euntibus inter Saracenos et alios infideles locutus fuerit, Ordinis Protectorem a Domino Papa petendum iubet, « ut semper subditi et subiecti pedibus Sanctae Romanae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem et Sanctum Domini nostri Iesu Christi Evangelium quod firmiter promisimus observemus. »

En quod nobis proposuit et modo a nobis exigit Seraphicus Pater, ut scilicet vitam evangelicam amplectamur, et nos totos et perpetuo tribus votis solemnibus Deo dicemus; ut variis praeceptis in Regula contentis nos adstringamus eaque fideliter servemus, et tandem, tamquam veri eius filii et sequaces, monita eius et consilia sequi conemur ad perfectam Christi et Apostolorum imitationem.

Vocem invitantis audivimus: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus... et veni, sequere me.* (Matth. 19-21) *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.* (Luc. 9, 23), et libero sed generoso corde sub vexillo sancti Francisci militare statuimus, et in eius sancto sodalitio fideles et stabiles usque ad mortem permanere. Et ideo in solemni professione vovimus et promisimus Deo omnipotenti, Beatae Mariae Virgini, Beato Patri Francisco, omnibus Sanctis et Superioribus nostris, *toto tempore vitae nostrae* servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate.

Hoc est, dilectissimi Fratres, quod Deo promisimus et non quidem sub aliqua condictione aut cum aliqua restrictione, sed modo absoluto nos in perpetuum obligando ad Regulam istam servandam et vitam vere seraphicam ducendam.

Constantes igitur simus oportet in perfecta Regulae observantia, ubicumque fuerimus, in omni eventu, contradictione aut tribulatione, sive in claustro manere possimus, sive coacti illud relinquere deberemus; tunc enim monitum illud S. Francisci esset sequendum: *ubicumque non fuerint recepti, fugiant ad aliam terram ad faciendam poenitentiam* (idest ad servandam Regulam per viam crucis et abnegationis) *cum benedictione Dei* (1); aut illud Salvatoris, quod Seraphicus Pater in prima Regula a se conscripta cap. XVI fratribus suis proponit et commendat: *Si autem persequuntur vos in una civitate, fugite ad aliam.... Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Haec nobis abunde sufficere videntur ut omnes Fratres e conventibus exules, de obligatione servandi Regulam convincantur; sed ne ulli excusationi aut praetextui locus relinquatur, enixe eos rogamus ut haec duo nobiscum serio considerent, primum quidem, quod vix datur discrimen inter eos et inter Fratres vitae activae in saeculo addictos aut Missionarii munere inter haereticos, schismaticos aut infideles fungentes, et quod proinde non minus quam illi vota et Regulae praecepta servare tenentur (2).

Alterum autem, quod S. P. N. Franciscus

(1) Hoc monitum quam plurimi Religiosi salutis suae solliciti praeteritis saeculis et luctuoso nostro tempore magna cum laude sunt secuti, uti, data occasione, postea narrabitur.

(2) Fratres Missionarii, sicut manent veri Fratres Minores, sic manent *per se loquendo* obligati ad instar aliorum Fratrum, ad omnia praecepta Regulae, et specialiter ne recipiant denarios vel pecuniam et ne recurrant ad illam extra veram necessitatem, sicut tenentur cavere suspecta consortia vel consilia mulierum: Quod non possint fieri compatres virorum vel mulierum: Quod non possint domum vel rem aliam sibi appropriare: equitare sine manifesta necessitate. Tenentur ad usum moderatum omnium rerum: ad vilitatem vestium. Insuper ad faciendum divinum officium secundum ordinem S. Romanae Ecclesiae: ad ieiunia Regulae; ad serviendum fratribus infirmis: ad recurrendum ad ministros, quando non possunt Regulam spiritualiter observare: denique ad omnia alia in Regula sub verbis obligatoriis contenta, quantum ea possunt consistere cum functionibus ad quas missi sunt. Ita Gaudentius Kerckove. *Comm. in Stat. Gen.* Cap. III § 11 n. 31.

Regulam suam, dictante Domino, conscripsit non tantum pro Fratribus in conventibus commorantibus, sed etiam pro illis qui in mundo salutem animarum promovere debent.

Hoc evidenter patet ex eo quod Christus per Seraphicum Patrem renovare voluit statum apostolicum et ideo ei Regulam vere apostolicam dictavit.

Apostolicus status tribus constat proprietatibus: *forma vitae* videlicet, *officio* et *fine*. Forma vitae illa dicitur quae a Christo Apostolis demandata est. *Luc.* IX, *Matth.* X et *Marci* VI, quaeque continet tria vota paupertatis, obedientiae et castitatis, quibus se Christo solemniter alligarunt, necnon varia praecepta et consilia eis data ad perfectionem assequendam; ex quo sequitur eos veros fuisse Religiosos.

Officium apostòlicum consistit in praedicatione Evangelii et mundi conversione, de quo saepius Christus mentionem fecit.

Finis tandem Apostolici status fuit apex perfectionis, quae in abnegatione omnis creaturae et sui ipsius, et perfecta Christi sequela consistit iuxta illud *Matth.* XIX, 21: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus, et veni, sequere me;* et *Luc.* XI, 23. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.*

Iam vero Regula Fratrum Minorum sub triplici hoc respectu est apostolica. Primo quidem formam vitae apostolicae in Evangelio expressam in votis et praeceptis suis adamussim exhibet. Sed nec proprietas apostolica quae consistit in praedicatione Evangelii vitae Fratrum Minorum deficit, quippe quibus ex vi Regulae, ut in Cap. IX, officium praedicationis imponitur, et cap. ultimo, missio ad infideles absolute concredita est sub sola auctoritate Generalium et Provincialium Ministrorum.

Finis denique apostolicae vitae (qui tendentiam ad apicem perfectionis dicit) ex Regula Fratribus Minoribus praefixus est, dum cap. X eis iniungitur, quod *super omnia desiderare debent habere Spiritum Domini, et sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde; habere humilitatem et patientiam in persecutione et infirmitate et diligere eos qui nos persequuntur, reprehendunt et arguunt, etc.* In quibus omnibus tota perfectio vitae delineatur (1).

Nullum igitur est dubium, quin Regula nostra vere sit apostolica, quod aliunde declaravit Nicolaus PP. III dicens: « Hi sunt illius sanctae Regulae professores, quae evangelico fundatur eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiae Apostolorum eius sermonibus actibusque firmatur. Haec est apud Deum et Patrem munda et immaculata Religio, quae descendens a Patre luminum per eius Filium exemplariter et verbaliter Apostolis tradita, et demum per Spiritum Sanctum B. Francisco et eius Successoribus inspirata, totius in se continet testimonium Trinitatis. »

Quemadmodum igitur Christus Apostolos suos ad observantiam votorum, praeceptorum et consiliorum adstrinxit, ut non minus sanctitate quam doctrina populos converterent, ita et S. P. N. Franciscus Fratribus suis similem Regulam servandam tradidit, ut virtutibus apostolicis instructi mundum percurrentes saluti animarum efficacius allaborarent (2).

Tantum igitur abest ut Fratribus suis hunc in finem in saeculo degentibus, laxiorem vivendi

(1) Hortamur omnes ut legant Primam Regulam a S. Francisco scriptam in qua similitudo vitae seraphicae cum apostolica fusius exprimitur.

(2) *Collationes S. Francisci,* Coll. II. *De vocatione Fratrum Minorum et de praedicando verbo Dei,* ubi legitur:

« Consideremus, Fratres charissimi, vocationem nostram qua vocavit nos misericorditer Deus, non tantum pro nostra, sed pro multorum etiam salute, ut eamus per mundum exhortando omnes plus exemplo quam verbo, ad agendam poenitentiam de peccatis suis et ad habendam memoriam mandatorum Dei. Caveamus qui reliquimus omnia, ne pro modico regnum coelorum perdamus; et si pecuniam in aliquo loco inveniamus, non curemus de illa plus quam de pulvere, quem calcamus.... Estote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves et in beneficiis grati, quia pro his omnibus vobis regnum Dei praeparatur aeternum quod nobis concedat ille, qui vivit et regnat trinus et unus, et absque dubio concedet, si emissa servaverimus vota nostra, quae illi voluntarie spopondimus. »

Cf. etiam Coll. XXII *de sancta conversatione inter fideles:* et Coll. XXIII *quomodo procedendum sit ad infideles,* ubi inter alia hoc monet; Imitatores Christi estote in paupertate, obedientia, et castitate... Portetis vobiscum Regulam et breviarium et sitis maiori vestro Fratri Vitali omnes obedientes. »

modum indulserit, ut e contra eos tamquam viva exempla sanctitatis mundo exhibere voluerit, iuxta haec verba Salvatoris ad Apostolos directa: *Vos estis sal terrae... vos estis lux mundi.... Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est.* (Matth. v). Neque talem sanctam conversationem in solis operariis evangelicis exigit S. Franciscus sed etiam in omnibus Fratribus, qui quacumque ratione debent ire per mundum. Ait enim Cap. III Regulae: « Consulo vero, moneo et exhortor Fratres meos in Domino Iesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent, sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus sicut decet. » *(Continuabitur).*

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1882 celebrata.

I.

Recoll. Prov. Saxoniae S. Crucis in Germania.

A Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio die 23 Ianuarii ad aliud triennium in officio confirmati sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Othmarus Maasmann.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. V. P. Ignatius Jeiler.

DEFINITORES PROVINCIAE:

A. V. P. Menander Gipperich
A. V. P. Georgius Bartels.
A. V. P. Ambrosius Dreimüller.
A. V. P. Athanasius Kleinwächter.

Ad istam Provinciam ante suppressionem 15 Conventus et Hospitia in Germania et 5 in America septentrionali pertinebant, scilicet:

Dorsten, S. Annae.
Rietberg, S. Catharinae.
Warendorf, S. Francisci.
Wiedenbrück, Ss. Ursulae et soc. VV. MM.
Paderborn, S. Ioseph.
Hardenberg, Immac. Concept. B. M. V.
Werl, Visitat. B. M. V.
Düsseldorf, S. Antonii.
Annaberg, S. Annae.
Appolinarisberg, S. Apollinaris.
Aachen, *(Aquisgranum, Aix-la-chapelle)*, Ss. Cord. Iesu.
Münster, S. Mariae Angelorum.
Hülfensberg, Ss. Salvatoris.
Neustadt, S. Ioseph.
Dingelstaedt, Ss. Petri-Bapt. et soc. Mm.
Teutopolis, S. Theresiae.
Quincy, S. Francisci Solani.
St. Louis, S. Antonii.
Cleveland, S. Ioseph.
Memphis, B. M. V.

Post suppressionem Conventuum in Germania, fundata est ab hujus Provinciae Patribus nova Provincia *SS. Cordis* in America septentrionali. Mater Provincia fundavit etiam sequentes domus in Belgio et Hollandia:

Moresnet, B. M. V. titulo *Auxilium Christianorum.*
Harreveld, ss. Cordis Iesu.
Beesel, S. Annae.
Kerkrad, S. Antonii.
Put, S. Ioseph.
Brunsum, B. M. V. Dolorosae.

—

II.

Commissariatus Generalis in Mexico.

In locum A. R. P. Portilii, ad Episcopatum assumpti, a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio, die 30 Ianuarii, *A. R. P. Theophilus G. Sancho*, Min. Obs., Guardianus Collegii in *Zopopan*, institutus est Commissarius Generalis Collegiorum et Commissarius Terrae Sanctae pro Mexico.

—

III.

Obs. Provincia Calabriae.

A Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio, vi facultatum a S. Sede concessarum, die 23 Februarii electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Gulielmus a Corotto.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Augustinus a Plataci.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Daniel a Ducenta.
R. P. Bonaventura de Rosis.
R. P. Franciscus a Trebisani.
R. P. Augustinus ab Amandularia.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 14 Conventus pertinebant:

Aiello, S. Francisci.
Albidona, *Le grazie.*
Amantea, S. Bernardini.
Amendolara, S. Dominici.
Cerchiara, S. Mariae Lauretanae.
Cosenza, S. Francisci.
Fuscaldo, S. Francisci de Paula.
Policastro, *Le grazie.*
Polistina, Immac. Concépt.
Rende, S. Francisci.
S. Lucido, Annuntiationis B. M. V.
Scigliano, S. Francisci.
Terranova di Tarzia, *Le grazie.*
Terranovella, S. Antonii.

—

MONASTERIA ET DOMUS

Secundi et Tertii Ordinis regularis in Belgio, Anglia et Scotia.

I.

MONASTERIA
Clarissarum Coletinarum

	(Locus)	*(Dioecesis)*	*(Num. Mon.)*	*(Sor. Conv.)*
1	Gandavi (1)	Gandavensis	23	5
2	S. Nicolai Wasiae	»	26	5
3	Gerardimontibus	»	20	5
4	Teneramundae	»	18	4
5	Alosti	»	18	4
6	Lokerae	»	18	4
7	Mechliniae	Mechliniensis	20	5
8	Turnholti	»	10	5
9	Trudonopoli	Leodiensis	20	5
10	Tungris	»	16	6
11	Rollarii	Brugensis	15	4
12	Brugis (2)	»	24	9
13	Cortraci	»	23	5
14	Ypris	»	22	5
15	Ostendae	»	19	7
16	Niewport	»	9	8
17	Antwerpiae	Mechliniensis	23	8
18	Lyrae	»	24	6
19	Lovanii	»	24	7
20	Bruxellis	»	18	8
21	Tornaci *(Tournai)*	Tornacensis	19	10
22	Bellamonti	»	21	5
23	Enghien	»	7	3
24	Insulis *(Lille)*	Cameracensis (Gallia)	16	7
25	Robaci *(Roubaix)*	» »	10	7
26	Badesley-Clinton	Birminghamiens. (Anglia)	20	6
27	Notthinghill *(Londini)*	Westmonasteriens »	29	3
28	Mancunii *(Manchester)*	Salfordiensis »	19	5
29	Eboraci *(York)*	Medioburgensis »	20	3
30	Bullingham	Menevent. et Novi-port. »	7	2

(1) E Monasterio Gandavensi sequentes decem Conventus originem ducunt.

(2) Ex hoc Brugensi Monasterio sequentia 18, post ipsum enumerata, trahunt originem.

Existit insuper unus Conventus Monialium *S. Clarae* in

31	Darlington	Hagulstadensis et Novicastrens. in Anglia (1) »	30

—

II.

MONASTERIA CONCEPTIONISTARUM

quae Regulam Iulii II et strictam clausuram servant, ac Ordini nostro sunt aggregatae

—

1	Nivellis	Mechliniensis	24	4
2	Iambes	Namurcensis	15	

—

III.

SORORES TERTII ORDINIS
quae Poenitentes Recollectinae vocantur

—

	(Locus)	*(Dioecesis)*	*(Num.)*	*(Scopus)*
1	Braniae Comitis	Tornacensis	25	Cura infirmorum
2	In Wavre	Mechliniensis	8	»
3	In Arendonck	»	29	Educatio puellorum
4	In Rhety	»	24	»
5	» Oosterloo	»	52	»
6	» Borgt-Lom-	»	15	»
	beek	»	42	»
7	Herendalii	Brugensis	15	»
8	Veroviaci	»	26	»
9	Poperinghiae	Gandavensis	23	»
10	In Velsique	Leodiensis		Cura amentium
11	» Herve	»		Edu¢atio puellarum
12	» Verviers	»		»
13	» Neeroeteren	Cameracensis (Gallia)		»
14	» Merville	»		Cura infirmorum
15	» Baerle-Hertog	Mechliniensis	13	»

(1) Ex his 30 Sororibus aliquae occupantur in puellarum schola quae intra clausuram habetur.

IV.

SORORES TERTII ORDINIS
quae vulgo Soeurs Grises vocantur

16 Diesthemii	Mechliniensis	20	Cura infirmorum
17 Thenis	»	32	Visitatio »
18 In Léau	»	15	Cura »
19 In Aerschot	»	20	»
20 Antverpiae	»	44	»
21 Hasseleti	Leodiensis	20	»
22 Tungris	»	10	Visitatio infirmor. et cura infantium

V.

SORORES TERTII ORDINIS
quae Sorores Franciscanae S. Familiae *vocantur*

23 Lovanii	Mechliniensis	70	(1)
24 Bruxellis	»	10	Asylum pro famulis
25 Antverpiae	»	9	» »
26 Turnholti	»	7	Visitatio infirmorum
27 Bleyberg	Leodiensis	10	» et schola infantium
28 Gensterbloom (2)	»	12	Educatio puellarum

VI.

SORORES TERTII ORDINIS
quae Sorores S. Francisci *vocantur*

34 In Sleydinge	Gandavensis	21	Instrutio puellar. et cura infirmorum.
35 » Vynekt	»	6	Schola infantium »
36 » Maldegem (Cleit)	»	7	Instructio puellarum
37 » Lembeke	»	6	Cura infirmorum

VII.

SORORES TERTII ORDINIS
quae Sorores S. Vincentii
vocantur, sed Tertiam Reg. profitentur

In Opwyck (in Archidioec. Mechliniensi) a qua 10 aliae domus originem ducunt. Numerantur tantum in tota hac familia 56 Sorores quae occupantur vel in curandis infirmis et orphanis, vel in scholis puerorum.

VIII.
Sorores Poenitentes *nuncupatae*

quae usque ad annum 1856 Tertiam Regulam profitebantur, sed, mutata ab Episcopo Ipsarum Regula, nunc privatim ad Tertium Ordinem admittuntur.

48 In Opbrakel	Dioeces. Gandav.	119	in quibusdam locis educatio puellarum, in aliis cura infirmorum.
49 » Cruyshautem	»		
50 » Wannegem	»		
51 » Olsene	»		
52 » Etichove	»		
53 » Michelbeke	»		
54 » Scheldewindeke	»		
55 » Erembodegem	»		
56 » Kerxken	»		

IX.

Sorores Tertii Ordinis in Anglia

57 Londini (Notting-hill)	Westmonasterien	26	Educatio puellarum
58 » (Mill hill)	»	33	» »
» »	»	6	Inserviunt collegio Mission. S. Ioseph.
59 Kelvedon (in Essexia)	»	4	Inserviunt in schola apost. Miss. S. Ios.
60 Apud Hampstead (Lond.)	»	10	Visit. cura infirmor. et pauperum
61 Taunton	Cliftonensis	53	Educatio puellarum
62 Woodchester	»	22	(8 Conv.)
63 Malmesburiae	»	4	Instr. puellarum et et cura infirm.
64 Rochdale	Salfordiensis	7	Educatio puellarum

X.

In Scotia.

65 Edimburgi	Edimburgen	6			Educatio puellarum
66 Glasguae (Charlotte Str.)	Glasguensis	25	(et 16 conv.)		» et visit. infirmor.
67 » (Abercombiae Str.)	»	3	4	»	» »
68 Elmwood (Bothwell)	»	6	3	»	educatio puellarum
69 Greenock	»	8	2	»	schola puellarum.
70 Abredoniae	Abredonensis	7	3	»	educatio puellar. et visit. infirm.
71 Inverness.	»	10			» »

(1) Quaedam strictam clausuram servant, ducuntque vitam contemplativam; caeterae visitationi et curationi infirmorum incumbunt.

(2) Haec Congregatio habet insuper in Archidioecesi Coloniensi domos in *Eupen* (ubi incoepit anno 1857). In *Montjoie*, in *Brecheln*, in *Kolscheid*, et in *Waubach* (Dioec. Ruremundensis).

III.
MISSIONES

—

EPISTOLA RMI MINISTRI GENERALIS
ad Missionarios Ordinis in Sina degentes directa et ex italico idiomate latine reddita (1)

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROVINCIAE EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

Dilectissimis in Seraphico Patriarcha S. Francisco Fliiis nostris, qui Apostolicis Sinarum Missionibus sunt addicti, salutem et benedictionem in Domino nostro Iesu Christo.

Ut invicem consolemur, Filii carissimi, de tanta qua separamur loci distantia, ac itidem sensuum affectuumque coniunctione mutuum confirmemus insolubile vinculum, quo nostra iunguntur corda, necesse putamus iterum ad vos dirigere verbum salutationis benevolae, laudis debitae, hortationisque paternae.

Quum Deus ad sanctum apostolici ministerii exercitium misericordia sua vos vocaverit, et per Nos miserit ad colendam mysticam vineam suam in istis Sinarum Missionibus, paternum cor nostrum quiescere nequit, nisi identidem de suo affectu vos certiores faciat, simulque hortetur ut effugiatis omne periculum, quod posset spirituali vestrae saluti nocere, atque excitet ad labores, aerumnas, omniaque sacrificia, quae in tam dissitis et periculosis regionibus e Missionariorum vita nequeunt disiungi, forti pectore perferenda.

Vos interim, Filii in Christo Iesu dilectissimi, nostris Sinarum Apostolicis Missionibus addicti, peramanter salutamus, et sicut exultat cor nostrum in hac paterna salutatione transmittenda, ita et cor vestrum in eadem accipienda pari gaudere confidimus affectu; tanta enim sunt amoris vestri in Nos argumenta, ut nullus Nobis relinquatur dubitandi locus. Praeterea muneris nostri ratio exigit ut vobis commendemus abnegationis, sacrificii, verique zeli spiritum pro Dei gloria et animarum salute, qui tanto afficit honore exercitium vestri apostolici ministerii in istis difficilibus Missionibus, quae semper fuerunt et sunt Ordinis nostri Seraphici laus vera, gloria splendida, decus praestantissimum.

Et revera ne verbum quidem dicamus de antiquis triumphis, quos temporibus actis reportarunt Missionarii Fratres nostri, omni martyriorum genere excruciati, et in odium Evangelicae Fidei immolati, laetari possumus et sancte in Christo Iesu gloriari etiam in vobis, quibus si occasio defuit, voluntas meritumque martyrii profecto non desunt, quoniam si vobis non licuit fundere sanguinem, martyrium tot laborum, totque aerumnarum incruentum, sed quotidianum patimini. Ah! Filii carissimi, in legendis litteris, quae isthinc ad Nos mittuntur, praesertim vero relationibus exaratis a dignissimis vestris ac Reverendissimis Vicariis Apostolicis, in quibus fusiori sermone explicatur quae et quanta pro gloria Sanctissimi Nominis Iesu agitis et sustinetis, non raro cogimur paterni amoris ac ineffabilis consolationis lacrymas profundere; et Nosmetipsos confortantes de tanta iniuria hominum ac temporum, in quibus vivimus, Coelum suspicimus, animosque sumimus ad fortiter ferendam hanc sanctam, sed simul dolorosam gravemque Crucem, quam Bonitas divina humeris nostris imposuit, cum hisce tam calamitosis temporibus supremo Ordinis gubernio Nos praeposuerit. Consolamini, Dilectissimi: omnes enim labores vestri, omnes sollicitudines fideliter, describuntur in coelo; et veniet dies, in qua tot tribulationes ipsi videbitis tamquam pretiosas gemmas fulgentes in micanti corona gloriae, quam Angeli sancti vobis intexunt in Paradiso. Macti igitur estote in agendo et patiendo pro Dei amore et animarum salute; macti parumper; fugit enim vita nostra tanquam avis volatu celerrimo et praeterit velut umbra; ac sine dubio hanc umbram fugacem sequetur clara indeficiens dies illustrata sole, qui nunquam ad occasum verget. Vos modo adversa iactamini tempestate, sed brevi cessabit tempestas, et statim pertingetis ad aeternae salutis portum optatum, idest coelestem Ierusalem, in qua inter

(1) Licet haec epistola quatuor abhinc annis iam scripta fuerit, eiusdem tamen pnblicationem omnibus Ordinis Provinciis gratam utilemque fore iudicamus.

gaudia Sanctorum aeterna Dei gloria fruemini.

Sed sicut ille, qui in pelago navigat procelloso, omne studium adhibere, omnemque sollicitam curam ponere debet, ne male fido praeceps volvatur elemento, ita et vos, Filii carissimi, cavere debetis ne communis inimicus tenebrosis suis artibus vobis unquam illudat, et ne fiat, ut, quantum ex una parte acquiritis, misere ex alia parte amittatis: plurimum scilicet attendere oportet ut observetis accurate exacteque sanctam seraphici Patris nostri Regulam, quam professi fuistis, quantum vobis permittunt conditiones vestrae in Sinensi Imperio, et apostolici ministerii exercitium patitur. Et hac in re, Dilectissimi, pro officii nostri munere et vestra communi instructione certaque norma, Nos aliquantulum immorari maxime interest.

Cum complures ex istis Reverendissimis Vicariis Apostolicis in Missionibus Sinensibus, octo iam abhinc annis, hanc almam Urbem Romam venissent Oecumenico Concilio Vaticano adfuturi, tunc attente consideravimus, quod nostri Religiosi in supradictis Missionibus residentes, sicuti Missionarii suo proprio Vicario Apostolico equidem subiciebantur, sed istis in locis Superiorem non habebant Regularem, cui subditi essent quoad omnia, quae Sanctae Regulae observantiam spectant; nos igitur ut religiosae disciplinae et conscientiarum quieti prospiceremus, nominavimus et constituimus in Nostrum Commissarium cum omnibus opportunis facultatibus *in unoqnoque Vicariatu respectivum Vicarium Apostolicum* ut vos, dilecti Filii, eidem duplici Missionariorum et Religiosorum, vinculo coniuncti, ipso duce, officia vestra facilius adimplere possetis, et, omni obstaculo remoto, facilius vestram aeternam salutem obtineretis.

Recordamur, quod haec institutio libenti gratoque animo a vobis excepta fuit, nec possumus quin asseramus, quod ipsa hisce perpaucis annis plurimas attulit utilitates pro maiori istarum illustrium apostolicarum incremento, et pro maiori spirituali commodo singulorum Missionariorum. Sed cum nuper sciremus, quosdam optari ut limites declarentur ad quas extendatur auctoritas Reverendissimi Domini Vicarii Apostolici, *quatenus nostri Commissarii,* necessarium opportunumque ducimus indicare, facultates praedicti Nostri Commissarii easdem esse, quae Ministro Provinciali in sua Provincia competerent, et etiam alias, quas ratione distantiae Nos ei delegamus; et consequenter Missionarii eidem subiecti tenentur honorem obedientiamque illi praestare, tanquam vero suo Praelato Regulari in omnibus, quae referuntur ad Sanctae Regulae observantiam atque officiorum suorum implementum, non aliter quam in suum Ministrum Provincialem et in Nos se gerere deberent, si, Sinarum Missionibus relictis, in sua morarentur Provincia.

Interea vos omnes et singulos, Filii carissimi, hortamur denuo, ut non solum tanquam Missionarii, sed etiam tanquam Religiosi professi Reverendissimo vestro Vicario Apostolico prompte fideliterque obtemperetis in omnibus, quae non sunt contraria animae vestrae nec Regulae nostrae; utque docili lubentique animo utamini auspicio ductuque ipsius, quia ex ampla nostra delegatione, in vos habet omnia iura, omnesque facultates proprii et veri Praelati Regularis. Praesertim vero memores estote, quod ex voto sanctae paupertatis nihil proprium habere debetis in hoc mundo, *neque domum, neque locum, neque aliquam rem, sed tanquam peregrini et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes* (1); consequenter praecipimus, ut, de omni re quam ad simplicem usum habetis, Rmus Vicarius Apostolicus tanquam Noster Commissarius pro suo arbitrio disponere possit.

Praeterea praescribimus, ut nemini liceat dispositionem liberam habere vel in toto vel in parte pecuniae pensionum gubernii italici quae nonnullis ex vobis dantur tanquam Religiosis ex civile iure suppressis, cum Sancta Sedes benigne concesserit, has pensiones posse licite exigi, sed hac conditione, ut eas Religiosi *in capsam communem reponant.* Et si cui, ob veram parentum indigentiam, necesse esset eisdem succurrere horum pensionum pecunia, ipse directe exponat hanc necessitatem Reverendissimo suo Vicario Apostolico aut Nobis, et acquiescat in eo, quod paterna Nostri Commissarii charitas vel nostra suggesserit.

Pariter necessarium putamus praecipere, sicut his litteris praecipimus, ut omnes et sin-

(1) Reg. C. VI.

guli Missionarii debeant singulis annis exacte et fideliter referre ad Vicarium Apostolicum omnem pecuniam, acceptam et expensam; et prohibitum volumus fieri impensas haud necessarias, ne causa quidem aedificandi vel instaurandi Oratoria vel Residentias sine expressa venia Rmi Vicarii Apostolici, qui tamen suorum Missionariorum indigentiis ac commodis cum quadam prudenti largitate consulere tenebitur.

Commendamus etiam, ut omnes a spiritu et vanitate mundi prorsus alieni videantur et sint; et ne ament in publicum prodire cum vestibus, quae non sint conformes seraphicae paupertati, cum vestitus Franciscani, maxime Missionarii, debeat esse mundus quidem et decens, sed pauper et humilis; quare unumquemque Reverendissimorum Vicariorum Apostolicorum precamur, ut in qualitate Nostri Commissarii invigilet attentissime, et nullo modo violari sinat sanctam paupertatem, quae habetur ut distinctiva Ordinis nostri forma, et praecipuus asseclarum suorum character esse debet.

Cunctos vero et singulos Missionarios serio hortamur, ne negligant sanctae orationi quotidie vacare, quae est nutrimentum necessarium spiritualis vitae Religiosi, et sine cuius ope non solum superari non poterunt difficultates, quae interponuntur consecutioni perfectionis, ad quam ex officio nostri status sine intermissione tendere debemus, sed ne fructuosum quidem unquam erit exercitium apostolici ministerii pro animarum utilitate, quia nemo dat quod non habet, cum sine mentalis orationis auxilio acquiri nequeat ille religionis spiritus, ille vitalis halitus, qui a Missionario transferendus est in alios, *ut mortui reviviscant* (1).

Praeterea, Filii carissimi, vos omnes magis magisque hortamur, ut quotidie sanctam charitatem fraternam actu perficiatis, qua omnes veri sitis discipuli Christi Iesu, qui dixit: *ex hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (2)..... *hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos* (3); et iuxta monitum Seraphici Patris sancti Francisci unusquisque habeat in fratrem suum amorem plusquam maternum « *quia si mater diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere fratrem suum spiritualem?* (1)

(1) Ezech. 37-9.
(2) Ioann. 13-35.
(3) Ibid. 15-12.

Denique vobis omnibus enixe commendamus in animis fidelium curis vestris commissorum semper alere et promovere firmissimam fervidissimamque pietatem in COR SACRATISSIMUM IESU, cui Filios nostros solemniter sacravimus, et cui ex monitione nostra, ab istis Reverendissimis Vicariis Apostolicis sacratae fuerunt Sinarum Missiones; — in COR DULCISSIMUM MARIAE, nostrae carissimae Matris sine labe conceptae, quae est totius Seraphici Ordinis principalis Patrona; — ac demum in MAGNUM PATRIARCHAM SANCTUM IOSEPHUM, Ecclesiae Patronum universalem, atque istarum Sinensium Missionum specialissimum, fundendo preces ferventissimas pro maiori sanctae fidei dilatatione, et pro supremo Ecclesiae visibili Capite, ut ad multos adhuc servetur annos amori ac venerationi Orbis Catholici, et ex inimicis Dei optatum cito referat triumphum.

His sensibus et spe firma freti, ut paucae hortationes, quas vobis paterno corde direximus, Filii dilectissimi, a vobis omnibus excipiantur non solum docili humilique animo, sed etiam prompto ad eas fideliter adimplendas, ut omnes inveniamini *inconfusibiles operarii* (2) in vinea Domini, peramanter benedictionem Seraphici Patris vobis impertimus.

BENEDICAT VOBIS DOMINUS ET CUSTODIAT VOS.

OSTENDAT FACIEM SUAM VOBIS ET MISEREATUR VESTRI.

CONVERTAT VULTUM SUUM AD VOS, ET DET VOBIS PACEM ET BENEDICTIONEM. AMEN.

Datum Romae, ex Aracoeli, die vigesimaoctava Decembris, anni 1877.

Fr. BERNARDINUS Min. Gen.

L. ✠ S.

De mandato Paternitatis Suae Rmae
Fr. MAURITIUS A VENETIIS M. O.
Secr. Gen. pro Missionibus Ordinis.

—

VICARIATUS APOSTOLICUS XAN-SI IN SINA

(Ex epistola Rmi Episcopi D. Fr. Gregorii Grassi Min. Obs., Vicarii Apostolici Coad-

(1) Reg. cap. VI.
(2) 2 Tim. 2, 15,

iutoris, ad Rmum P. Generalem Ordinis, die 27 feb. 1881.)

Postquam Episcopus iste, Vic. Ap. Coad., in sua epistola commemorasset illam horribilem famis et mortis calamitatem, quae Sinense Imperium depopulata est, quaeque nostratum idest christianorum, communitates quibusdam in locis illius Vicariatus ferme ad nihilum redegerat, pergit statim commendare Divini Pastoris bonitatem, qui ad suum gregem restituendum, imo augendum, a quatuor ventis turmas gentilium vocavit et adduxit, qui nostram fidem et religionem christianam exoptant suscipere.

Itaque refert in eo spatio, quod a civitate *Fon-chon-fu* ad aureum flumen longitudine et latitudine metitur itinere quinque dierum, non remansisse christifideles nisi ferme centum; nunc autem, subdit, numerantur neophiti 780, et catechumeni 1800 et horum numerus eo magis augetur quo semen difunditur divini verbi, quod abunde fructificat in cordibus simplicium istorum montium incolarum. In quolibet, inquit, christianorum loco, ad quem veniebam, continuo circum me erant turbae gentilium exoptantium audire religionis nostrae doctrinas, et permulti catechumenorum numero adiungebantur. Silentio praeterire non possum quemdam pagum, ad quem convenerant catechumeni baptizandi et neophiti confirmandi plusquam 100 et tribus iam diebus meum adventum praestolabantur. Hoc uno igitur pago baptismate ablui adultos 42 et chrismate confirmavi neophitos 100. Inter quos mulier erat sexaginta annorum, quae longo et impervio itinere quinque leucarum festinanter advenerat, inquiens: ne morte subripiar antequam sacramenta baptismi et confirmationis susceperim. Neque vulgares tantum et pauperes homines et mulieres convertuntur, sed etiam multi divites. Imo duos in hoc oppido Episcopus visitator laudat, qui litterati seu laureati dicuntur, quorum, inquit, conversio difficillima est propter eorum superbiam, et animum religioni et moribus Sinensium tenaciter haerentem.

Ex eadem epistola opportunum atque iucundum ducimus rescribere etiam quae sequuntur: rogatu cuiusdam mercatoris, qui catholicam fidem amplecti cupiebat, missus ei fuerat quidam laicus catechista: is capta occasione huius suae missionis verbum Dei quoque praedicavit in quodam oppido, quod non multum distat a civitate, quae *Suo-Con* dicitur: eo in oppido erat vir praecipuus, cui oppidani parebant tamquam eorum capiti: hic vir, audiens novam doctrinam, voluit eamdem in libris, quibus continetur, legere et expendere. Quo facto, nostram religionem, Deo inspirante, sic bonam atque veritati consonam comperit, ut statim catechumenus conscribi postulaverit. Post eum, eiusque exemplo et sermone excitati, omnes ferme loci illius incolae, ad eamdem doctrinam nostramque religionem amplectendam adducti sunt. Et, ut ostenderent suam persuasionem et firmam fidei professionem, statim eiicere coeperunt e domibus idola et omnia pristinae et abiuratae superstitionis argumenta; horumque loco insignia posuerunt Nominis Iesu et aliorum nostrae Redemptionis mysteriorum, ut nostri catechumeni ubique faciunt.

At quamvis ita firmi et ferventes essent in suscepta recenter fide, tamen eorum desertionem a religione Imperii et conversionem ad christianam religionem non imprudenter ostendebant, ne odium adversum se et persecutionem excitarent. Nihilominus accidit ut unus eorum, qui etiam laureati nomine praestabat, a quibusdam gentilibus uti christianus agnosceretur; et ob hanc causam contumeliis et verberibus affectus esset. Laureatus non siluit, sed querelam et accusationem adversus offensores Gubernatori detulit. Qui cum nuspiam huiusmodi causam cognovisset et nomen etiam christianae religionis ignoraret, primum in suspicionem venit ac timuit ne de secta reipublicae infensa et rebelli ageretur.

Quapropter Proregem de omnibus quae accusationem et accusationis rationem respiciebant certiorem fecit. Sunt enim etiam in Imperio Sinensi sectae instar massonicarum Europae. Prorex sine mora respondit et palam edixit: christianam religionem, eo quod pro suo instituto habeat homines a vitio retrahere et ad virtutem adducere, bonam esse; eamdem ab Imperatore esse permissam; qui etiam eius sectatores a tributis exemit, quae solvuntur pro fanis et culto deorum. Iudici ergo seu gubernatori mandavit ut recursum et accusa-

tionem litterati exciperet eidemque iustitiam adversus offensores faceret; insuper, ut nemo in posterum ob hanc causam patiatur molestiam, edictum publicet quo declaretur licitum liberumque omnibus esse religioni christianae nomen dare. Gubernator haec omnia adamussim implevit; quapropter nostri catechumeni, quovis excusso timore magis ac magis in suscepta fide confirmati sunt.

Ego, subdit Episcopus, illuc statim plures misi catechistas, qui eos fidei mysteria docerent, necnon missionarium unum, qui nimio stupore et gaudio affectus est, conspiciens horum catechumenorum vivam et efficacem fidem; audientiam a Gubernatore poposcit, a quo benigne et reverenter exceptus est. Cum haec missio tam prospere inceperit, non potest dici quantum breviter creverit et dilatata sit.

Iam enim plusquam mille numerantur christiani pluribus in pagis disseminati. Unus pagus invenitur familiis constans triginta, quae omnes christianam fidem susceperunt, et novum fanum, quod ad idolorum cultum extruxerant, nunc in sacellum vero Deo dicatum mutarunt. Concludit Episcopus quod messis quidem multa est, sed pauci operarii; pecunia quoque deest ad oratoria praesertim construenda, quae necessaria omnino sunt.

—

MISSIONARII FRANCISCANI
in Aegypto.

Directae informationes ex Aegypto, post lugendos huius nationis eventus, ad nos ad hanc usque diem (20 Iulii) nondum pervenerunt. Scimus tamen, per epistolam Rmi P. Custodis Terrae Sanctae, die 13 Iulii exaratam, Missionarios Franciscanos in Aegypto degentes, salvos incolumesque servatos fuisse, et Conventum S. Catharinae in Alexandria a flammis, quae hanc civitatem fere consumpserunt, fuisse praeservatum. In proximo fasciculo notitias fusiores communicare speramus.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

——

1877. Scriptores Ord. Minor. Strict. Observ. Reformatorum Provinciae S. Antonii Venetiarum recensuit P. Antonius Maria a Vicetia, eiusdem Provinciae Lector Theologus. Venetiis ex typ. Aemiliana (L. 1).

Licet hoc opus iam enuntiaverimus, de illo tamen aliqua dicere operae pretium erit. Volumen approbando, Rmus P. Minister Generalis addebat: « Illud in exemplum proponimus ut in qualibet Ordinis Provincia sive Chronologus sive alius ad huiusmodi studia magis idoneus idem opus aggrediatur: hinc enim fiet, ut quod in omnium votis iamdiu est, syllabus scriptorum totius Ordinis aliqnando in lucem proferri possit. » Ex auctoris praefatione pauca etiam depromamus, ut manifestior evadat maxima eiusdem operis utilitas: « Pluribus abhinc annis multorum erat in votis ut Syllabus Scriptorum Seraphici Ordinis quem celeberrimus P. Lucas Waddingus, omnium primus, in lucem ediderat et P. Ioannes Suaresius a S. Antonio satis copiosis auctum additionibus ad initium saeculi decimi octavi protraxerat, quemque P. Ioannes Hyacinthus Sbaralea, ex Min. Conventualium familia, utriusque aetate postremus, eruditis supplementis locupletaverat et animadversionibus ad severioris critices Regulas exactis castigaverat, ad nostra usque tempora continuaretur. Verum quominus haec aggredi quis tentaret multa et gravia prudentem deterrebant. Ceteris siquidem praetermissis, quisnam ignorat, quot quasque vicissitudines pleraeque Ordinis Provinciae ab integro ferme saeculo subierint et hac dudum miserrime subeant, ita ut vix haec vel illa inter tot quue olim in Ordine florebant, modo extet quae si non extremum subsidium, iacturam saltem Conventuum, Fratrumque dispersionem passa non sit? Monumentis itaque litterariis, in tanta rerum perturbatione vel diminutis, vel deperditis, quis cordatus mirabitur, si nemo hucusque ad optatum opus perficiendum manum admovere ausus fuerit? Haec vero difficultas quum neminem lateret, ad eam removendam viri praeclari multa excogitarunt. Nobis tamen optimum semper prae ceteris illorum visum fuit consilium quibus in animo erat, ut in singulis Ordinis Provinciis idonei viri deputarentur qui monumenta litteraria ad eas quomodolibet spectantia sedulis curis colligerent, collectaque in vulgus ederent. Suum unaquaque Provincia tributum afferente, vix quidquam tandem desideraretur *ad Syllabum Scriptorum Ordinis* persequendum. »

1879. Martyrologium Franciscanum in quo Sancti, Beati aliique Servi Dei, Martyres, Pontifices, Confessores, Virgines ac Viduae trium Ordinum Seraphici Patris nostri S. Francisci, qui tum vitae sanctitate tum miraculorum gloria claruerunt recensentur; opus fidelissime excerptum, tum ex vetustis codicibus et antiquis Ms. Monumentis, tum ex probatis gravibusque auctoribus, cura et labore A. R. P. Arthuri a Monasterio, Rothomagensis Recollecti, secunda vice editum, anno 1653, additis nunc Sanctis et Beatis a Sede Apostο-

lica ex tunc declaratis, necnon Venerabilibus quorum causae a Sacrar. Rit. Cong. tractantur. Venetiis, Typis Ios. Antonelli (L. 3.)

Praefatum Martyrologium, ex mandato Rmi P. nostri Generalis exaratum, sequentibus verbis approbavit idem Reverendissimus, die 26 April. 1879:

« Martyrologii trium Ordinum S. P. N. Francisci, quod laudabili consuetudine, *utinam ab omnibus recipienda*, in multis Ordinis Nostri Provinciis post lectionem Sacrae Scripturae in mensa quotidie legitur, novam editionem, veteribus plane exhaustis, adornari statuimus. Quare R. P. Iosepho M. a Suapio, ex Provinciali nostrae Obs. Provinciae Venetiarum et harum rerum peritissimo, commisimus ut huic operi novas curas adhiberet, Servorum Dei, qui antehac in Martyrologio exstabant, nomina rite meliori ordine disponeret, et recentiorum, quorum Causa apud Romanam Curiam introducta est, suo loco adderet.

« Quod quidem cum ille diligentissime praestiterit, Nos, vigore praesentium litterarum facultatem ei facimus, quatenus, cum salutaris obedientiae merito praefatum Martyrologium Franciscanum, servatis de iure servandis, typis mandare valeat. »

Omnibus Provinciarum Superioribus commendatur votum Ministri Generalis, qui huius *Martyrologii* piam lectionem in publica mensa fieri peroptat.

1881. Discorso laudatorio al B. Francesco Venimbeni, detto del P. Luigi di Fabriano, M. O. nella chiesa di S. Caterina il giorno 24 Aprile 1881, perchè ivi si ridonava alla comune pietà la incorrotta salma del Beato, che per secoli veneravasi nel bellissimo diruto tempio di S. Francesco alle Loggie nella detta città di Fabriano. — Tip. Gentile, Fabriano. (L. 0, 50).

1881. Normalbuch für die Brüder und Sahwestern des dritten Ordens des h. Franciscus. Von P. Jgnatius Jeiler, Priester des Franciscanerordens der sächsischen Provinz vom. h. Krenze. Neue umgearbeitete Auflage. *Latine:* Liber normalis pro Fratribus et Sororibus tertii Ordinis S. Francisci, a P. Ignatio Jeiler, Lect. s. Theol. Prov. Saxoniae S. Crucis. Nova (tertia) editio. Warendorf-Dülmen.

1881. El Purgatorio y la devocion a las Benditas Almas dividido en tres partes, por El. P. F. José Coll. M. obs. Madrid-Imprenta de F. Maroto é Hijos Calle de Pelayo, 34. Venit etiam in Collegio Missionum Terrae Sanctae Santiago de Compostella, in 8. (6 Rs) 2. edicion.

Pars prima de existentia Purgatorii; 2. pars de devotione erga animas Purgatorii; 3. pars de Sacra Liturgia circa defunctos tractat.

1881. Svata cesta Krizova z vyroku Pisma svatého. Dle latinského textu upravil P. Flor. Brezina O. S. F. (Prov. Bohem). V. Praze, Tisk a náklad Cyrillo-Methodějiske Knéhtiskárny (Typographia Cyrillo-Methodiana, Pragae) (L. 0,12).

Viae s. Crucis exercitium e textibus S. Scripturae in lingua bohemica compositum.

1881. Die leidende Kirche im Fegfeuer. Ein Lehr-und Gebetbuch von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi). Innsbruck, Vereins-Buchhandlung. (L. 1,60).

In prima parte istius operis indicantur motiva et media ad succurrendum animabus in purgatorio detentis; in secunda parte preces et devotiones ad hunc finem exhibentur.

1881. Les Caciques de Tlascala, suivi d'autres nouvelles, par le P. Servais Dirks, des Frères Min. Récollets. Nouvelle édition revue et augmentée. Tournai, Casterman.

1881. Petit Manuel *à l'usage des Frères et des Soeurs du Tiers Ordre de St. François*, par le T. R. P. Léon, ex-Provincial des Franciscains. Quatrième édition. Paris, Tolra édit. 112, rue de Rennes. (1 vol. in 18. 1 fr. 25).

1881. Règlement de vie, par le P. Georges, franciscain. Nouvelle édition. Tolra edit. 112, rue de Rennes. Paris, (in 18, 0, 10, et pro *centum* exempl. 5 fr.)

1882. Leben des seligen Dieners Gottes Iohannes von Alverna aus dem Minderbrüder-Orden des hl. Franziskus. Aus dem Lateinischen übersetzt von P. Quintianus Müller (Rec. Prov. Saxoniae S. Crucis) Regensburg, Pustet. XX. 144.

Vita beati Ioannis ab Alvernia ex antiquo textu latino germanice reddita et notis illustrata.

V.
NECROLOGIA

Admodum Rmum P. Ludovicus ab urbe veteri, Provinciae Romanae Reformatorum alumnus.

Sacram Theologiam ad Emerentiam docuit; suae Provinciae Definitor et Custos ite-

rato fuit. Poenitentiarii extraordinarii munus primum in Basilica Vaticana exercuit; dein a sacra Poenitentiaria Apostolica electus et deputatus est Poenitentiarius minor ordinarius pro Archibasilica Lateranensi, quod munus zelo et assiduitate annos 35 obivit. Item ab Emo Cardinali Maiori Poenitentiario anno 1870 constitutus est praeses Apostolici Collegii Poenitentiariorum, quod apud dictam Archibasilicam Lateranensem habemus, constans religiosis ex universa Familia Reformatorum collectis; quam Praesidentiam, quamvis invitus, ad mortem usque retinuit. Capitulo quoque Canonicorum Lateranensium adeo acceptus fuit ut ei, titulo Sub-Custodis, eorum archivii curam demandaverint; et in hoc officio, quod solerter et fideliter complebat, annis plus quam triginta permanere voluerunt. Pietate etiam insignis fuit; orationi enim ferventer instabat, et regularum nostrarum rigidus et constans observator extitit.

Romae obiit die 6 martii, 1882.

Adm. Rev. P. Henricus Mera, meritissimus Seraphicae Provinciae Quitensis Minister Provincialis, omnibus Ecclesiae Sacramentis rite susceptis, *Pomasqui* die 12 Martii a. c, placidissime obiit morte iustorum. Ex parentibus honestis, die 15 Iulii 1805, Quiti natus est. Fere iam ab incunabulis saeculum abhorrens et aspernatus, se totum Deo mancipare decrevit. Quod ut facilius consequeretur, ad hunc maximum S. P. N. Francisci Quitensem Conventum quantocius convolavit, ibique per aliquot annos in *Devotorum* numero est commoratus. Deinde ad S. Didaci Recollectionem civitatis eiusdem fuit translatus, et ibi novitiatum suum incepit, die 20 Ianuarii 1821. Anno vero 1822, emissa professione solemni, se totum religioni ac Deo consecravit. In scientiis et Domini timore brevi adeo profecit, ut vigesimum quartum cum vix aetatis suae attigisset annum, jam sacerdotali honore die 28 Martii 1829 meruerit insigniri. Virtutes eius necnon animi sui praeclaras dotes Religionis Praelatos diu haud latere potuerunt, ideoque tum Philosphiae tum Theologiae cathedras ipsi demandarunt, quod magisterii munus per decem annos adeo feliciter fideliterque exercuit, ut et omnium admirationi esse et cunctorum plausus recipere meruerit. Iam tunc temporis etiam divini verbi praeco extitit eximius et fervidus adeo, ut et omnibus aeternae salutis viam ostendere et peccatores ab erroribus vitiisque suis avertere in deliciis haberet. Cum vocationis qua a Deo fuerat vocatus minime esset oblitus, cumque non paucos abusus in Regulae observantia sua in Provincia serpere cerneret, relaxationem declinans, Limam se transtulit ibique inter eos, quos Discalceatos vocant, aliquo temporis spatio, sacris quoque ministeriis mancipatus, vitam degit. Ad propria deinde se contulit et in Quitensi Seraphica Provincia tum Guardiani iteratis vicibus tum Visitatoris ac Definitoris munere functus est. Die 17 Decembris 1853 in Ministrum Provincialem rite et canonice electus fuit, ac dein, die 20 Decembris 1862, iterum Provincialis ab Apostolicae Sedis Delegato renuntiatus fuit. Examinatoris quoque synodalis huius Quitensis Archiepiscopatus munus, et huius Apostolici S. Didaci Collegii Discretoriatus ac Terrae Sanctae in Aequatore Commissariatus partes numeris omnibus explevit.

Flagrans zelus strictissimae observantiae semper in eo eluxit, ob quam causam non semel, dum Superioris munere fungeretur, in improborum odium offendit, et quemadmodum maxima afficiebatur tristitia, dum cerneret suam Provinciam in relaxationis sordibus volutatam, ita et summa nequivit non repleri laetitia, cum in senectute sua ipsi datum est, sic Deo fortiter suaviterque disponente, suis oculis inter suos perfectissimam observantiam conspicere. Indoles pacifica et amabilis, obedientia perfecta, in doloribus perferendis patientia admirabilis, in confessionibus excipiendis assiduitas, in exercitiis Communitatis sectandis tenacitas, humilitas profunda fuere; demum virtutes omnes viro apostolico propriae in eius corde altas fixere radices. Ipsius animam non solum noster sed et Tertius Ordo, cuius Rector ipse extiterat, solemniter parentatus est.

Nihil obstat
Fr. Bernardinus Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

BREVE APOSTOLICUM

Quo benedictiones papales pro Tertiariis praefiniuntur et in posterum praescribitur formula absolutionis generalis, sive Regularibus, sive Tertiariis impertiendae (1).

LEO PAPA XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Quo universi utriusque sexus fideles in tertium S. Francisci Assisinatis Ordinem adscripti easdem leges eosdemque ritus in obeundis instituti sui functionibus adhibere possint, enchiridion seu manuale unicum typis edere visum est. Multiplices vero sub eiusdem manualis editionem exortae sunt de absolutionis tum generalis, tum in articulo mortis, tum de Papalis benedictionis formulis controversiae, ad quas dirimendas Consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositorum nonnulla proposita sunt dubia seu quaestiones. Hinc Consilium idem, consideratis perpensisque omnibus, quid de huiusmodi quaestionibus deliberavit per Secretarium suum ad Nos referendum curavit. Nos autem, quibus salutare frugiferumque tertii Ordinis S. Francisci sodalitium in deliciis semper fuit, Nobisque summopere cordi est, ut illud sanctas sui instituti leges ritusque observet, atque in dies, hisce praesertim temporibus, propagetur et incrementa suscipiat, memorati Consilii deliberationem probavimus, eamque omnibus per Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis cognoscendis decretum indicendam censuimus. Nostris mandatis obsequens Congregatio, sibique demandatum munus meliori quo fieri possit modo explere cupiens, opportunum in primis duxit omnes et singulas benedictionis et absolutionis generalis expendere formulas, quae nedum penes Tertiarios Franciscales, verum etiam apud alias eiusdem Ordinis familias, imo et alios Regulares Ordines ac Tertiarios ad ipsos pertinentes essent in usu, quo unam eamdemque ab omnibus in posterum respective in eiusmodi benedictionibus et absolutione adhibendam formulam concinnaret. Quamobrem praefata Congregatio omnes, quorum intersit, monendos putavit, ut si quid in casu notatu dignum iudicassent, intra congruum tempus eidem Congregationi subiicerent. Exacto inde triennio, quum nihil ex parte alicuius ex dictis Ordinibus obiectum sit, Congregatio Sacris Ritibus praeposita, accurate omnibus diligenterque inspectis, et expensis, quae sequuntur decrevit, nempe: I.° Pro Absolutione in articulo mortis retineatur in omnibus formula praescripta in Constitutione sa. me. Be-

(1) Quum SS. D. N. Leo Papa XIII plurima erga seraphicum Ordinem benevolentiae suae dederit argumenta sive S. Laurentium a Brundusio, Beatosque Carolum a Setia et Humilem a Bisiniano inter cœlites cum Deo regnantes annumerando, sive tertium Ordinem S. Francisci laudibus extollendo, nunc alia paternae sollicitudinis praebet specimina in sequenti Decreto in quo « *salutare frugiferumque Tertii Ordinis S. Francisci sodalitium in deliciis semper sibi* fuisse declarat, sibique *summopere cordi esse ut illud sanctas sui Instituti leges ritusque observet, atque in dies, hisce peaesertim temporibus, propagetur et incrementa suscipiat.* Quin imo scimus Summi Pontificis mentem esse publicandi, occasione Centenarii Seraphici nostri Patriarchae, Epistolam Encyclicam, iamdiu annuntiatam, in qua Tertii Ordinis Franciscani praeconium celebrabitur et utilitas commendabitur. *(Nota Redact.)*

nedicti Papae XIV, *Pia Mater,* addito tantum ad *Confiteor,* nomine Sancti proprii Fundatoris: II.° Benedictio Summi Pontificis nomine impertienda detur cum formula approbata in Constitutione eiusdem sa. me. Benedicti Papae XIV, *Exemplis Praedecessorum,* (1) sed nonnisi bis in anno, et sub conditione quod haec Benedictio nunquam detur eodem die et in eodem loco, ubi Episcopus eam impertiat: III°. In Absolutione generali pro Regularibus cuiuscumque Ordinis, atque in Benedictione cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis Saecularibus adhibeantur omnino duae insequentes formulae a Rmo Assessore ipsius Sacrae Congregationis propositae atque ab eadem approbatae, abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis, videlicet:

—

Formula Absolutionis Generalis pro Regularibus cuiuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Completis precibus, ab uno ex adstantibus dicitur Confiteor *addito nomine proprii Fundatoris. Deinde sacerdos dicit:*

Misereatur vestri etc. Indulgentiam, absolutionem etc.

Postea subiungit:

Dominus Noster Iesus Christus per merita suae sacratissimae Passionis vos absolvat et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium, nec non sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et regulae, constitutionum, ordinationum et admonitionum maiorum nostrorum, ab omnibus poenitentiis oblitis, seu etiam neglectis, concedens vobis remissionem omnium peccatorum, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquistis, ac de quibus iam confessi estis: In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

—

Formula benedictionis cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis Saecularibus ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum iisdem, vel cum Regularibus cuiuscumque Ordinis habentibus.

Antiph. Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine; inclina aurem tuam ad preces nostras; parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti Sanguine tuo pretioso, ne in aeternum irascaris nobis.

(1) Formulae praedictae a Benedicto XIV praescriptae inveniuntur sive in modernis *Ritualis Romani* editionibus, sive apud nostri Ferraris *Bibliothecam*, verbo *Benedictio* art, V. n. 44. et verbo *Moribundus* n°. 38. (*Nota Redact.*)

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Dicto deinde:

Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam etc.

Sacerdos prosequitur:

Dominus Noster Iesus Christus, qui Beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, Ille vos absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis vitam aeternam, et vivatis in saecula saeculorum. Amen.

Per sacratissimam Passionem et Mortem Domini Nostri Iesu Christi; precibus et meritis Beatissimae semper Virginis Mariae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Beati Patris Nostri N. et omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam Indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Si haec Indulgentia immediate post Sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, Sacerdos absolute incipiat a verbis Dominus Noster Iesus Christus etc. *et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.*

Nos huiusmodi memoratae Congregationis decretum omnino ratum habemus, et Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, probamus, confirmamus, sancimus, illudque ab omnibus et in omnibus hoc futurisque temporibus servari iubemus. Decernentes has Litteras Nostras semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari ac definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non eiusdem tertii Ordinis S. Francisci, ceterisve quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat derogamus, ceterisque omnibus quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII Iulii MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

TH. Card. MERTEL.

BREVE

Quo facultas benedicendi Cruces cum indulgentiis Viae Crucis extenditur ad Praesides et Vicarios Conventuum nostrorum.

—

PIUS PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam. Exponendum nuper Nobis curavit dilectus Filius Raphael a Ponticulo, Minister Generalis, ut praefertur, Ord. Fr. Min. S. Francisci, iam alias ab hac Sancta Sede facultatem concessam fuisse, cuius vi Fideles vel infirmi vel carcere detenti, aliave legitima causa impediti, recitantes viginti vicibus Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, et Trisagium ante Crucem, quam manu tenere debeant, benedictam a Ministro Generali Ord. Min. S. Francisci, vel Provinciali, aut a Guardiano quocumque dicti Ordinis, Indulgentias Stationum Viae-Crucis seu Calvariae lucrari valeant. Cum vero, ut idem dilectus Filius Nobis retulit, in nonnullis Regionibus Conventus praesertim recens erecti existant, qui Guardianos non habeant, sed Superiores qui Praesides nominantur, aut etsi habeant, saepe eveniat ut vel Sacris Ministeriis et spirituali proximorum commodo, aut etiam aliis negotiis peragendis operam impensuri, a respectivis Conventibus per aliquod temporis spatium abesse debeant, quo tempore eorum vices gerunt, qui Vicarii Conventus nuncupantur, hinc fit ut saepe in dictis Regionibus nullus Frater ex eodem Ordine praesto sit auctoritate praeditus, quo piis Fidelium votis et spirituali consolationi satisfieri possit. Quare praefatus Minister Generalis enixe Nobis supplicavit, ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos Fidelium commodo, quantum in Domino possumus consulere et piis huiusmodi precibus obsecundare volentes, Praesidibus nunc et pro tempore existentibus in Conventibus Fratrum Ord. Min. S. Francisci, qui Guardianos non habent, nec non Vicariis Conventuum eiusdem Ordinis, qui absentibus Guardianis respectivi Guardiani vices gerunt, facultatem memoratam, quae ab hac Sancta Sede alias Ministro Generali, Provinciali et cuivis Guardiano praedicto Ministro Generali subdito concessa fuit benedicendi Cruces cum adnexis Indulgentiis Stationum Viae-Crucis seu Calvariae, dummodo tamen omnia quae praescripta sunt ab eis serventur, tenore praesentium auctoritate Nostra Apostolica in perpetuum concedimus et elargimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XI Augusti MDCCCLXIII.

Pontificatus Nostri Anno Decimoctavo.

Pro Dno Card. Paracciani-Clarelli

Io. B. Brancaleoni-Castellani Subst.

Praesentes Litterae Apostolicae in forma Brevis sub die 11 Augusti 1863 exhibitae sunt in Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die Quinta Septembris eiusd. Anni ad formam Decreti ipsius S. Congregationis diei 14 Aprilis 1856. In Quorum fidem etc. Datum Romae ex eadem Secretaria die et anno ut supra.

A. Archipr. Prinzivalli Substitutus.

—

INDULTUM APOSTOLICUM

Quo viginti Pater, Ave *et* Gloria, *recitanda ad lucrandas indulgentias Viæ Crucis cum Crucifixo ad hoc benedicto in breviorem precationem commutantur, in favorem infirmorum, qui ne prædictas quidem preces recitare valent.*

——

DILECTO FILIO
FR. BERNARDINO A PORTU ROMATINO
MINISTRO GENERALI
ORDINIS FRATRUM MINORUM DE OBSERVANTIA

PIUS PP. IX.

DILECTE FILI
SALUTEM ET AP. BENEDICTIONEM.

Exponendum nuper curavisti Nobis, persaepe fieri ut Christi fideles, qui pium Viae Crucis seu Calvariae exercitium frequentare solent, cum aut infirma valetudine aut gravi aliqua occupatione impediuntur, quominus praescripta pietatis opera, idest Sacrarum Stationum visitationem, aut vicies repetitam Orationis Dominicae, Salutationis Angelicae, et laudis *Gloria Patri* recitationem ad consequendas Indulgentias pro huiusmodi exercitio adnexas praestare possint, enixe Te rogent ut

eadem in breviores aliquas preces commutare velis. Cuius Tibi commutationis faciendae cum desit facultas, ne Christifideles spirituali illarum Indulgentiarum bono tam saepe priventur, supplices Nobis preces exhibuisti, ut in praemissis opportune providere de Apostolica Benignitate dignaremur. Itaque Nos hisce tuis precibus, quibus aeternae animarum saluti prospicitur, quantum in Domino possumus, obsecundare volentes, Tibi, Dilecte Fili, ut *donec Ministri Generalis Tui Ordinis munus exerceas* Christifidelibus utriusque sexus, qui gravi morbo ita afficiuntur, ut praefata pietatis opera ad consequendas Indulgentias Viae Crucis nuncupatas praestare nequeant, haec eadem opera in brevem aliquam precationem ante Imaginem SSmi D. N. Crucifixi ad id benedictam recitandam, tuo arbitrio et prudentia commutare libere ac licite possis et valeas, Auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium concedimus et impertimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque (1).

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVIII Decembris MDCCCLXXVII.

Pontificatus Nostri Anno Trigesimo Secundo.

Pro Dno Card. ASQUINIO
D. Iacobini Substitutus

Concordat cum Originali, quod asservatur in Tabulario Secretariæ Brevium.

Ex Secretaria Brevium hac die 23 Maii 1882.

—

DECRETUM

S. et Universalis Inquisitionis.
Feria IV. die 1 Febr. 1882.

In Congregatione generali S. R. et universalis Inquisitionis habita coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in rebus fidei Inquisitoribus generalibus proposito dubio: « Utrum ad valorem dispensationum, quae sive directe ab Apostolica Sede, sive ex pontificia delegatione conceduntur super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, necnon publicae honestatis, necessarium sit exprimere copulam incestuosam a sponsis habitam ante impetrationem vel executionem praedictarum dispensationum; necnon exprimere consilium et intentionem cum qua copulam inierunt obtinendae facilius dispensationis. »

Iidem Eminentissimi et Reverendissimi DD, praehabitis votis DD. Consultorum, respondendum decreverunt: *Standum Decretis S. O., feria IV. 8 Augusti 1866* (1) *et S. Poenitentiariae 20 Iulii 1869.* (2)

—

DECISIO S. R. C.

quoad thurificationem altaris.

SALFORDIEN.

A Rmo hodierno Episcopo Salfordiensi quum a S. Rituum Congregatione exquisitum fuerit: *An liceat absque speciali Apostolico Indulto in Missa, quae celebratur cum cantu, sed sine adsistentia sacrorum Ministrorum, thurificationes peragere?* Sacrorum Rituum eadem Congregatio, referente subscripto Secretario,

(1) Rmus P. Minister Generalis, ista facultate utens iis qui gravi morbo ita afficiuntur, ut recitandis viginti *Pater*, *Ave* et *Gloria* impares sint, indulsit, ut eorum loco semel recitent ACTUM CONTRITIONIS vel INVOCATIONEM: *Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.*

(1) En Decretum datum a S. Congregatione S. Officii feriae IV. 8 Augusti 1866: « Eminentissimi Patres decreverunt: subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes, quae sive directe ab Apostolica Sede, sive ex Pontificia delegatione super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, necnon et publicae honestatis conceduntur, si sponsi ante earumdem dispensationum executionem, sive ante sive post earum impetrationem, incestus reatum patraverint et vel interrogati vel etiam non interrogati malitiose vel etiam ignoranter reticuerint copulam incestuosam inter eos initam, sive publica nota ea sit, sive occulta, aut reticuerint consilium et intentionem, qua eam copulam inierunt, ut dispensationem facilius consequerentur. Sufficere autem, ut unus ex sponsis delictum hoc suum, vel nefariam intentionem modo decisam explicaverit. Quod profecto nedum a probatis auctoribus communiter traditur, sed etiam a Summo Pontifice Benedicto XIV confirmatur in Constitutione, quae incipit *Pastor bonus.* »

(2) En Decretum editum a tribunali Sacrae Poenitentiariae die 20 Iulii 1869: Post Constitutionem Benedicti XIV *Pastor bonus* non posse amplius dubitari de nullitate dispensationis obtentae reticita copula incestuosa, vel prava intentione facilius obtinendi dispensationem habita in ea patranda. »

respondit: « *Negative, iuxta alias decreta.* » Atque ita respondit et rescripsit.

Die 7 Iulii 1880.

D. Card. Bartolinius, S. R. C. Praef.
Placidus Ralli, S. R. C. Secr.

—

DECRETUM GENERALE S. R. C.

prohibens Missas de Requiem in festo Dedicationis ecclesiæ.

Ex minus recta interpretatione Decreti sacrorum Rituum Congregationis, sub die 8 Aprilis 1808 lati in una Compostellana, quo declaratum fuerat dici posse Missam de Requie, praesente cadavere, diebus primae classis, licet non festivis de praecepto, excepto Festo Titularis, factum est, ut in nonnullis Ecclesiis usus invaluerit eiusmodi Missas canendi in solemnitate anniversarii propriae Dedicationis, quod utpote Festum Domini, ac prae Titulari maioris dignitatis honore pollens, vi decretorum nunquam ipsi postponendum est. Quocirca eadem sacra Rituum Congregatio ad omnem ambiguitatem tollendam, opportunum e re esse duxit declarare, quemadmodum per praesens Decretum declarat ac praescribit, nullibi licere in anniversario Dedicationis propriae Ecclesiae, Missam de Requie, ne praesente quidem cadavere, decantare, quemadmodum in Patriarchali Archibasilica Lateranensi aliisque praestantioribus Urbis Ecclesiis semper cautum fuit. Non obstante Decreto diei 16 Aprilis 1853, in una Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia ad Dubium XX, quo Missa huiusmodi permissa fuerat. Atque ita declaravit ac servari mandavit die 27 Februarii 1882.

Facta autem per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua Decretum sacrae Congregationis approbavit et confirmavit.

Die 16 Martii anno eodem.

D. Card. Bartolinius, S. R. C. Praef.
Placidus Ralli, R. S. C. Secr.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES EXPULSOS

Incitamenta Seraphica.

II.

De obligationibus Religiosorum dispersorum durante suppressione.

(Continuatio)

Meminerint igitur quotquot seraphicae militiae nomen dederunt, sive in saeculo vivere cogantur sive in coenobiis commorentur, sese ad observantiam votorum et praeceptorum Regulae adstrictos manere, uti ad eam vivendi normam sequendam quae veros decet sequaces sancti Francisci.

Si enim quivis christianus semper et ubique Dei et Ecclesiae praecepta servare et carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigere tenetur; si, iuxta sacri Concilii Tridentini doctrinam (1). « Sic decet omnino clericos, in « sortem Domini vocatos (ubicumque et in qua « conditione fuerint), vitam moresque suos « omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, « sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi « grave, moderatum ac religione plenum prae « se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis « maxima essent, effugiant; ut eorum actiones « cunctis afferant venerationem »; non minori sane ratione Religiosi omnes, quantumvis dispersi, ea quae Deo solemniter promiserunt iugiter implere tenentur, et, pro vocationis suae excellentia, Christi vestigiis arctius inhaerentes ea quae status sui perfectio requirit sollicite curare.

Quapropter, tamquam veri sancti Francisci filii, Domino semper famulentur in paupertate et humilitate, in mundi fuga atque contemptu, et potissimum in spiritu orationis et devotionis quem super omnia aestimare debent et desiderare et cui cetera omnia deserviant necesse est. Semper et ubique sint Regulae suae fideles sectatores et virtutum evangelicarum aemulatores studiosi.

Haec est nostra communis obligatio, quae non tantum deducitur ex ipsis Regulae verbis

(1) Sess. XXII de reform. c. 1.

et monitis S. P. N. Francisci, sed etiam ex ipsa natura sive essentia status religiosi et ex declarationibus summorum Pontificum.

Omnes theologi qui de statu religioso sermonem instituunt de his tribus conveniunt: 1° Tria substantialia vota, obedientiae scilicet, castitatis et paupertatis esse de essentia huius status; 2° haec vota debere esse perpetua et in suo robore manere, etiamsi quis coenobiticam vitam relinquere teneretur; et 3° Religiosum quemvis etiam adstringi ad Regulae suae praecepta et ad illos pietatis, mortificationis, prudentiae aliarumque virtutum actus exercendos, qui necessarii sunt ad votorum suorum exactam observantiam.

Liceat haec tria breviter exponere, doctrinam adducendo Doctoris Angelici qui de statu religioso specialem et eruditum conscripsit tractatum et quem omnes propterea theologi et canonistae sunt secuti.

En quibus verbis S. Thomas declarat tria substantialia vota esse de essentia omnis Religionis: « Dicendum, inquit, (1) quod ad Religiosos pertinet quod sint in statu perfectionis, sicut ex supradictis patet. Ad statum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea quae sunt perfectionis, quae quidem Deo fit per votum. Manifestum est autem ex praemissis, quod ad perfectionem christianae vitae pertinet paupertas, continentia et obedientia. *Et ideo religionis status requirit, ut ad haec tria aliquis voto obligetur.* Unde Gregorius dicit super Ezechielem: « cum quis omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. » Quod quidem pertineri postea dicit ad eos « qui praesens saeculum deserunt ». Hoc idem enuntiat S. Doctor eadem quaestione art. 1 dicens: « Antonomastice Religiosi dicuntur illi qui se totaliter mancipant divino servitio quasi holocaustum Deo offerentes. Unde Gregorius dicit super Ezechielem: « sunt quidam qui nihil sibi reservant, sed sensum, linguam, vitam atque substantiam quam perceperunt omnipotenti Deo immolant. In hoc autem perfectio hominis consistit, quod totaliter Deo inhaereat, sicut ex praedictis patet. Et secundum hoc perfectionis statum nominat ».

Et *ibidem* ad secundum: « Si quis totam vitam suam divino servitio deputet, tota vita sua ad religionem pertinebit. Et secundum hoc ex vita religiosa, quam ducunt, Religiosi dicuntur qui sunt in statu perfectionis (1) ». Tandem, 2. secundae qu. 184. art. V. ait: « Dicendum quod ad statum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ea quae sunt perfectionis cum aliqua solemnitate. Utrumque autem horum competit Religiosis et Episcopis. Religiosi enim se voto astringunt ad hoc quod a rebus saecularibus abstineant, quibus licite uti poterant, ad hoc quod liberius Deo vacent, in quo consistit perfectio praesentis vitae ».

Ex his et aliis quae S. Thomas communia habet cum aliis theologis sufficienter constat, tria vota ad essentiam status religiosi pertinere, ita ut absque illis substantia eius salvari non possit.

Profecto, cum hic status sit status perfectionis acquirendæ, debet ab his esse avulsus quae perfectioni possunt obstare. Tria autem sunt, quae maxime perfectionem, imo salutem hominum impediunt: nimirum cupiditas rerum terrenarum, oblectationes carnis et amor proprii iudicii et voluntatis, quod insinuatur 1. *Ioannis* II. 16: *omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitae;* quae proinde coerceri debent per observantiam castitatis, paupertatis et obedientiae.

Haec igitur sunt de substantia status religiosi. Unde Innocentius III *in c. Cum ad monasterium, in fine, de statu Monachorum, ait: castitatem et paupertatem* (et idem omnes theologi et canonistae iudicant de obedientia) *adeo esse annexas statui religioso, ut contra eas nec Summus Pontifex indulgere possit.*

Occasione huius Decretalis gravissima orta est difficultas, quam hic volumus memorare, ut Fratribus per saeculum dispersis pateat, quam arcte Deo per vota sua ligentur. Agitur enim de quaestione, utrum vel ipse Summus Pontifex in votis solemnibus professionis dispensare possit.

Omnes theologi fatentur, quod Summus Pontifex non possit relaxationem votorum solemnium concedere Religioso in statu religioso

(1) 2. secundae, Qu. 186, art. VI.

(1) S. Thomas eadem *Quaestione* 186 variis articulis necessitatem trium votorum seorsim probat, et Art. VII egregie explicat qualiter Religionis status ex his votis integretur.

manenti, sive non possit dispensare ut Religiosus *in statu composito status religiosi* liber maneat ab obligatione votorum substantialium quia ex iure divino status religiosus essentialiter a tali obligatione dependet, et sic fieri non potest ut manens Religiosus ab ea liberetur.

Quaestio igitur in eo versatur an possit summus Pontifex Religiosum a statu religioso extrahere et facere quod non sit Religiosus, et hoc modo in ejus solemnibus votis dispensare.

Propter citatam Decretalem et quasdam rationes congruentiae quidam olim putarunt, summum Pontificem in votis solemnibus numquam posse dispensare, et hanc sententiam inter alios tenuit S. Thomas in *Summa theologica* 1. 2. qu. 88 art. XI, Decretalem intelligens in sensu obvio quia cognoscere non poterat dispensationes postea datas per quas ipsi Pontifices declararunt eam interpretandam esse *stante monachatu*.

Unde nunc communiter et pro certo sustinetur posse Pontificem, *gravissima urgente causa bonum commune concernente*, dispensare cum Religioso in voto solemni castitatis (et idem est de aliis votis), faciendo quod non sit Religiosus, illique indulgendo, ut tuta conscientia possit matrimonium contrahere; quod fecisse plurimos Pontifices diversis temporibus ostendunt auctores huius sententiae, quam prius etiam tenuit S. Thomas in *Commentariis* super 4 libros sententiarum, ubi lib. 4 dist. 38 qu. 1. art. 4. quaestiuncula 1 ad 3 ait: « *Et ideo alii dicunt probabilius, si communis utilitas totius Ecclesiae aut unius regni vel Provinciæ exposceret, posse convenienter et in voto religionis et in voto continentiae dispensari, quantumcumque esset solemnizatum.*

Quantum autem aliena sit Ecclesia a talibus dispensationibus concedendis et quanto in pretio habeat vota solemnia, patet tum ex gravissimis causis quae requiruntur, tum ex variis litteris pontificiis, signanter Pii PP. VI tempore perturbationis Gallicanae suo tempore referendis.

Cum Conventus Nationalis impudenter statuisset se nequaquam recognoscere solemnia Religiosorum vota, laudatus Pontifex litteras super hoc et aliis impiis principiis Constitutionis Cleri ad quosdam episcopos direxit sub die 10 Martii anni 1791, in quibus inter alia haec habentur:

« Quod quid est aliud, quam manus in vota « maiora immittere eaque abolere, quae tan- « tummodo ad Pontificiam spectant auctorita- « tem? Vota enim maiora, inquit S. Thomas (1), « puta continentiae etc. Summo Pontifici re- « servantur. Cumque agatur de promissione « Deo solemniter facta ad nostram utilitatem, « ideo in Psalmo LXV, v. 12 legitur: *Vovete* « *et reddite Domino Deo vestro;* et Ecclesiastae « cap. V. v. 3: *Si quid vovisti Deo, ne moreris* « *reddere; displicet enim ei infidelis et stulta pro-* « *missio, sed quodcumque voveris redde.*

« Praeterea cum ipse Summus Pontifex, « peculiaribus pro tempore inductus rationibus « existimet concedendam a se esse solemnium « votorum dispensationem, in idipsum non ex « potestatis suae arbitrio sed per modum de- « clarationis procedit. »

Advertamus diligenter Summum Pontificem prius generatim dicere, vota maiora sibi reservari. Cum autem de solemnibus votis loquitur, ea iuxta monitum Spiritus sancti inviolate servanda esse declarat. Si tamen et in his propter peculiares rationes dispensandum existimet, *in idipsum,* ait, *non ex potestatis arbitrio, sed per modum declarationis procedit.*

Quae verba ut rite intelligantur, afferri debet doctrina S. Thomae cui sunt conformia. « Votum, ait S. Doctor (2), est promissio Deo facta de aliquo quod sit Deo acceptum. Quid si autem in aliqua promissione acceptum ei cui promittitur, ex eius pendet arbitrio. Praelatus autem in Ecclesia gerit vicem Dei: et ideo in commutatione vel dispensatione votorum, requiritur praelati auctoritas, quae in persona Dei determinat quid sit Deo acceptum: secundum illud II *ad* Corinth. Cap. II, 10. *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Et signanter dicit *propter vos,* quia omnis dispensatio petita a praelato, debet fieri ad honorem Christi, in cuius persona dispensat, vel utilitatem Ecclesiae, quae est eius corpus. »

Et ad 2. « Potestas praelati spiritualis, qui non est dominus, sed dispensator, in aedificationem est data et non in destructionem..... Ad praelatum pertinet diiudicare quid sit magis virtuosum et Deo magis acceptum. »

(1) 2. 2. qu. 88 art. XII in fine.
(2) 2. 2. qu. 88 art. 12 in corp.

Haec si prae oculis habeantur, et aliunde consideretur, Summos Pontifices vices Dei gerentes, in omnibus persecutionibus quibus Sponsa Christi fuit afflicta et in tot dispersionibus Religiosorum, numquam eos a votis solemnibus absolvere voluisse, sed e contra maxima sollicitudine illos ad ea fideliter servanda semper hortatos esse, fateri debebimus hanc esse Ipsius Dei indubiam voluntatem ut Regulares etiamsi dispersi qui seipsos in perpetuum holocaustum ei dicarunt, constanter ei adhaerant et in observandis omnibus quae Domino solemniter promiserunt fideles permaneant.

Hoc tamquam magis sibi acceptum et honorificum, nobisque et Ecclesiae magis proficuum per declarationem sive determinationem Pontificum manifestum esse voluit.

Gratias proinde maximas omnium bonorum Largitori agere non cessent Fratres nostri exules, eo quod eos, quos impietas e coenobiis violenter expulit, inter familiares suos et praedilectos amicos conservare dignetur, ac memores suae sanctae professionis in deliciis habeant haec verba Davidica saepius repetere: *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius* (1).

Et, ne umquam ab hoc sancto proposito declinent aut ad saecularia desideria trahantur, hanc gravem Doctoris Angelici sententiam iugiter recolant et seria cogitatione revolvant: *Professi Religionem mortui sunt mundo et vivunt Deo: unde non sunt revocandi ad vitam humanam occasione cuiuscumqne eventus* (2).

(Continuabitur)

—

PROVINCIA BOSNENSIS ARGENTINA A MINISTRO GENERALI VISITATA

Inter Provincias ad nostrum Franciscanorum Ordinem pertinentes, quae ob labores pro Ecclesia Dei et proximorum salute exantlatos singulari gloria fulgent et speciali dignae sunt mentione, accensenda quidem est *Bosnensis Argentina*, licet fortasse gesta meritaque ipsius non ab omnibus, ut par est, cognoscantur. Ipsi Religioni seraphicae ferme coaeva, Provincia Bosniae, tunc sub titulo Vicariae, statim coepit tam mire augeri atque loca et Custodias suas dilatare, ut iam inde ab exordio saeculi XV. eius limites nonnisi a mari Adriatico ex una parte, et a montibus Carpaticis ex altera definirentur. Ex tam mira foecunditate accidit, ut successu temporis ex Provincia Bosnensi, tamquam ex uberrima matre, plures aliae franciscanae Provinciae prodierint, ut Bulgara, Croatica, SS. Salvatoris et S. Ioannis a Capistrano in Hungaria, et SS. Redemptoris in Dalmatia.

Sed praecipua gloria Bosniacae Provinciae ex eo obvenit, quod eius filii nedum contra malam Patarenorum labem in Bosnia et Balcanicis regionibus irrepentem lateque grassantem strenue decertaverint, verum etiam hisce captis et vastatis a turcica barbarie, ipsi soli sub tyrannico imperio impavidi remanserint, fidei catholicae veri defensores et gregis Christi ibi existentis tutores et patres. Quot autem Fratres nostri ab inimico Crucis Christi persecutiones pertulerint, quot gloriosam pro Christi fide mortem oppetierint, quoties sua habitacula, secretis licet in locis constructa, ferro incendiisque eversa perviderint, hic referre non vacat. Illud solum meminisse sufficiat, quod si in Bosnia (et ita de Herzegovina dicendum, quae usque ad haec postrema tempora cum Bosnia unam Provinciam constituebat) conspicua populi pars Turcis Graecisque schismaticis permixta, in fide catholica firmiter stetit, et ferventissimam se ostendit, post Deum misericordiarum Patrem, nostris Franciscanis est procul dubio attribuendum.

Iam vero, in hanc Provinciam, quae S. Iacobi Piceni anno 1432 Vicariatu, Generali Commissariatu et apostolicis praedicationibus gloriatur, quaeque post Gerardum Odonem anno 1339 nullum alium Ministrum Generalem in suo sinu vidit, sese contulit, mense Iunio curr. anni, actualis Rmus Minister Generalis Ordinis, P. Bernardinus a Portu Romatino, suos in Christo filios praecipuosque Provinciae Conventus visitaturus. Unico sibi assumpto comite, P. Secretario Generali Ordinis, nec minimum attendens ad suam infirmam valetudinem, ad aestivos calores, et ad viarum asperitates, sed solum ministerii sui imperio et religionis zelo ductus Rmus Minister Generalis visitationem paternam et canonicam aggressus est, incipiens a Conventu Sutiskensi;

(1) Ps. CXV.

(2) 2. 2. qu. 88 art. XI ad 1.

inde Guciagoram divertens, et postea Livnum, Kresevium et Fojnicam.

Valde iucundum erat videre secus vias per quas Rmus Pater iter faciebat, et etiam super ipsa cacumina montium, quos saepe transcendere opus fuit, magnam populi multitudinem a nostris Franciscanis ductam, religiose cupidam contuendi Rmum P. Ministrum Generalem, eius benedictionem obtinendi et manum osculandi.

Sacra Visitatione absoluta, Rmus Pater in Conventu Fojnicensi constitit, ubi, cum congregatis Provinciae Patribus Vocalibus, de religiosa disciplina et regulari observantia, pro mutatis rerum conditionibus, instauranda, plures dies egit; ac tandem die 3. mensis Augusti, auctoritate apostolica Ei specialiter super re delegata utens, proprio Decreto ad electiones novi Ministri et Definitorii devenit, quas loco suo publicabimus.

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1882 celebrata

IV.

Obs. Provincia Romana

Post resignationem *A. R. P. Fortunati a S. Romulo* a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio institutus est Vicarius Provincialis *A. R. P. Alexander a Cryptis Castri*, actualis Custos Provinciae necnon Curatus ad S. Sebastianum extra muros Urbis. Custos autem institutus est *A. R. P. Fortunatus a S. Romulo*.

—

V.

Ref. Provincia Romana

A Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio die 14 Aprilis electi sunt

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Ludovicus ab Urbe.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Franciscus a Montefecatese, Ex-Min.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Franciscus a Montecalto, Ex-Min.
R. P. Aloysius a Reate.
R. P. Stephanus a Meati.
R. P. Ladislaus de Canepina.

Ante suppressionem ad istam Provinciam sequentes 29 Conventus pertinebant.

Roma (ad Ripam Tiberis), S. Francisci.
Fontecolombo, S. Francisci.
Greccio, S. Francisci.
Nazzano, S. Francisci.
Roccantina, S. Antonii.
Subiaco, S. Francisci.
Rieti, S. Antonii.
Poggio Nativo, S. Pauli.
Merlupo, S. Mariae.
Palestrina, S. Francisci.
Sermoneta, S. Francisci.
Poggiobustone, S. Iacobi.
Foresta, S. Mariae.
Fara, S. Francisci.
Salisano, S. Didaci.
Montopoli, S. Mariae Angelorum.
Frascati, S. Bonaventurae.
Carpineto, S. Petri.
Sezze, S. Mariae Gratiarum.
Castel-Gandolfo, S. Francisci.
Piglio, S. Ioannis-Baptistae.
Mentana, S. Mariae Angelorum.
Montefortino, S. Mariae a Iesu.
Sambuci, S. Mariae.
Soriano, S. Mariae *del Poggio*.
Oriolo, S. Antonii.
Fiano, S. Stephani.
Ponzano, S. Sebastiani.
Fiumicino, S. Mariae.

—

VI.

Obs. Provincia Genuae

A Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio die 1 Maii electi sunt

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Leopoldus a Castelletto.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Aloysius a Morassi.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Aloysius a Villatalla.
R. P. Aloysius a Vezzano.
R. P. Gaudentius ab Alassio.
R. P. Ioannes Paulus ab Arce Grimolda.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 13 Conventus pertinebant.

Albenga, S. Bernardini.
Bolano, S. Rochi.
Capraia, S. Antonii.
Chiavari, S. Francisci.

Diano, *Castello.*
Genova, *Oregina.*
Moneglia, Immaculatæ Conceptionis.
Novi, S. Francisci.
Peglio, S. Antonii Abb.
Recco, S. Francisci.
Rossiglione, Annuntiationis B. M. V.
Triora, S. Francisci.
Ventimiglia, Annuntiationis B. M. V.

(Continuabitur).

III.
MISSIONES

EPISTOLA MINISTRI GENERALIS

Ad Commissarios Generales Americae Meridionalis, de colligendis eleemosynis pro Terra Sancta.

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROVINCIAE EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
S. R. C. CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS

Cum sacra Palaestinae loca Iesu Christi Domini Nostri praesentia decorata et pretiosissimo Eius Sanguine respersa Nostroque Seraphico Ordini Divinae providentiae benignitate iam senis et amplius abhinc saeculis in curam et custodiam concredita Nos debita sedulitate favore et pari veneratione prosequi teneamur, ad ea praecipue media intendere debemus, ex quibus praedictorum Sanctorum Locorum perennis conservationis finis omnino pendet. Hac sollicitudine ducti, Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, Commissarios, Vice-Commissarios necnon Collectores Terrae Sanctae in singulis orthodoxorum statuum totius Orbis regionibus elegimus atque instituimus qui pro Ministrorum et pauperum peregrinorum sustentatione, aedificiorum reparatione, templorum ornatu, scholarum directione et pro expensis collegiorum ad orphanos alendos eosque ad christianam pietatem atque litterarum et artium scientiam informandos necessariam stipem colligerent, collectam vero Ierusalem transmittendam curarent.

Commissarii, Vice-Commissarii et Collectores sic a Nobis instituti ac deputati commissi sibi muneris partes omni, qua par erat, sedulitate ac zelo laudabiliter impleverunt eosque jure merito valde commendare debemus, necnon totius Orbis fidelibus, qui suas eleemosynas pro Terrae Sanctae conservatione contulerunt, debitas gratiarum actiones referre et super eos Dei benedictiones pergrato animo invocare atque adprecari tenemur.

Sed quum, attentis praesentium temporum ac locorum adiunctis et acrius nunc instantibus haereticorum et schismaticorum conatibus, qui in Palestina, imo in ipsa Hierosolymitana urbe sua castra ponere ausi sunt, necessitates Terrae Sanctae in dies magis magisque augeantur, quibus satisfaciendis consuetae eleemosynæ omnino impares evadunt, dum e contra heterodoxi ad suorum errorum diffusionem procurandam in Terrae Sanctae locis nummorum centena millia fere innumera quotannis impendunt; idcirco Nos ex officii Nobis commissi debito, ne res catholica, quod Deus avertat, in orientalibus Orbis plagis detrimentum capiat, et Franciscani nominis decus maiorum nostrorum vigili tutela semper sartum tectumque servatum et singulis praeteritis saeculis iugiter illustratum et auctum, incuria Nostra et silentio minui et paulatim excidere videatur, hisce Nostris litteris Vos, de quorum pietate, zelo et in Ordinem Nostrum devotione plurimum in Domino confidimus, enixe rogamus et vehementer hortamur, ut Patri Commissario Terrae Sanctae isthic a Nobis instituto, necnon eius Vice-Commissariis et Collectoribus omnimode favere satagatis et mandamus, ut eos nunquam a quibuslibet, directe vobis aut indirecte, impediri permittatis, quominus ipsi in ista Americana regione officio suo rite ac libere fungantur, imo expresse volumus vobisque districte praecipimus ut eos, quatenus opus fuerit, in sui muneris exercitio coadiuvare non intermittatis. Valde speramus fore, ut has Nostras litteras reverenter, quemadmodum vestri est, excepturi sitis et debitae executioni mandaturi: ita procul dubio fiet ut sublatis in stipe pro Sanctorum Locorum cultu corroganda impedimentis, et catholicorum fide-

lium animis erga sacrosancta Palaestinae loca magis in dies excitatis atque incensis, Terrae Sanctae necessitatibus pie cuncti subveniant satisque provideant; — ita fiet, ut mundo universo pateat fidelium catholicorum in Loca Christi Domini Sanctissimo Sanguine decorata pietatem adversariorum nostrorum conatibus nullo modo deiici posse et Seraphicum Ordinem in bello adversus impios pro praedictorum Locorum defensione gerendo a pervetusta maiorum nostrorum virtute et gloria nunquam excidisse. Hac spe freti, Vobis Sancti Patris Nostri Francisci Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, ex Aracoeli, die 25 Aprilis anni 1879.

Fr. Bernardinus Min. Gen.
De mandato Pat. S. Rmae
Fr. Mauritius a Venetiis, Secr. Gen.
pro Missionibus Ordinis.

MISSIONARII FRANCISCANI
in Aegypto

Cum Aegyti eventus, his diebus (mense Julio 1882), omnem terrarum orbem occupent, certe unusquisque nostrum sollicitus est exoptatque notitiam habere Missionariorum nostrorum, qui rem christianam vel ab initio nostri Ordinis in medio Turcarum regunt et sustinent.

Neminem latet, etenim ephemerides cujuscumque nationis abunde referunt, advenas fere omnes cum mortem ob oculos haberent, quam Turcae, in furorem acti, Europaeis omnibus minitabantur, precipitanter ab Aegypto recessisse. Nostris ergo quid accidit? Pater Franciscus ab Horta Min. Obs. Missionarius, *Mansurae* degens, Patri Cherubino Caruso, Terrae Sanctae Neapoli Commissario, Epistolam die 6 iulii misit, quam resumimus.

Nos, inquit, remansimus, aestimatione et defensione ipsorum Turcarum protecti. Quoad nostras vero Moniales (3 ord.) quae solitariam domum in *Kafrzaiat* habitant, cum Turcae viderint illas in solitaria domo fidenter consistentes, easdem adierunt maiorem ipsis animi firmitatem addentes et spondentes auxilium et protectionem se suosque duces ipsis praebituros; quod si solitudo domus, qua degunt, ipsis timori sit, proprias tutiores domus eis patere profitentur quas adire et libere habitare possent. Sed impavidae illae mulieres praetulerunt in supradicta earum domo manere. Tunc ille qui apud eos dicitur *Mahmur* milites designavit, qui earum tuitioni singulariter prospicerent et vigilias ad earum domum facerent et insuper ipse cum militibus qualibet nocte eam viam, ad maiorem Monialium securitatem, perlustrat.

Omnes igitur Mansurae Musulmani gaudent quod non discessimus, et usque in praesens nemo nobis molestiam intulit.

Ita res se habebant dicta die 6 iulii; quid autem postea evenerit tum ex ephemeridibus scimus, tum ex sequenti epistola, Patris Matthaei Lasicki Guardiani et Parochi latini ritus, Alexandria Neapolim ad eumdem Commissarium Terrae Sanctae missa, collegimus, quam vertimus.

Alexandriae 19 iulii 1882.

Ecce nos, Dei miseratione ab imminenti et multiplici mortis periculo ereptos! vere miraculum est si adhuc vivimus; Deus nos martyrio dignos non invenit. Tu, qui multis annis in Aegypto degeras, certe meministi quid Alexandria fuerit; nunc autem tibi referre quid evaserit, impossibile omnino est, et meas vires et quamcumque descriptionem excedit: quocumque oculos convertimus ruinas conspicimus. Si nunc Alexandriam inviseres, eius destructionem lacrymis Jeremiae defleres. Globi aenei a mari per naves Anglorum, die 11 circiter decem horis emissi sunt; verum cunctatio eorumdem Anglorum, qui non statim post expugnationem munitionum urbis e navibus exierunt ut rerum potirentur, tempus et commodum reliquit rebellibus depopulandi omnem civitatem et incendio tradendi regionem praesertim Europaeorum.

Quis unquam praedixisset civitatem hanc quae populo et vita redundabat, desertam magna ex parte illico evasuram et conversam in acervum laterum et cinerum?

Haec erat nova Babylon meretrix: *subito cecidit Babylon et contrita est* (Ier. 51. 8.)

Nos, speciali Dei protectione salvi sumus et nostra cathedralis ecclesia, et nostrum collegium et adnexum nosocomium intacta permanent, quamvis huc usque bellici globi perve-

nerint; unus enim cecidit in aula, alter in coquina conventus, sed nullum damnum intulerunt.

Revera quaedam temporis momenta transivimus, quibus timore perciti eramus ad mortem; verum sanctus Antonius de Padua et Purgatorii animae nos protexerunt et liberarunt. In apostolici ministerii exercitio mei cooperatores et confratres tantam animi constantiam praetulerunt ut heroismo aequiparanda sit. In hoc conventu degimus sacerdotes septem et laici tres. De reliquis Patribus et Fratribus, qui sunt in Cairo et aliis Aegypti residentiis nihil prorsus scio. Si nostrae huic Cathedrali Ecclesiae, conventui, Collegio et nosocomio non est damnum illatum, non possumus item dicere de alia nostra ecclesia, quae est ad mare, et recentissime constructa est; haec ruit omnino.

Ex quo Angli regimen civitatis susceperunt, aliquantulum quiescimus, sed suspicio et timor adhuc ubique regnant. In Cairum dicuntur ingressi milites Indi 1000. Sententiae mortis in praedones, homicidas, incendiarios quotidie dicuntur et executioni mandantur: etiam heri quinque Beduini, comprehensi in flagranti crimine incendii domorum, ad quod facinus petroleo utebantur, illico, sententia et executione militari, mortis poenam subiere. Ego et confratres a mane ad vesperam charitatis officio fungimur deferendi cadavera ad coemeterium; sed multa, vel potius innumera corpora mortuorum, superiorum iussu, domi cremantur. Arabi vero, supplicio necati, in media platea Consulum sepeliuntur.

Sed maxima adhuc remanet calamitas; victualia enim deficiunt, eaque etiam desunt quae ad vitam omnino necessaria sunt; etenim tota in urbe ne minimum quidem invenies mensuram telae ad eos induendos, qui unico indusio obtecti a propriis domibus fugerunt. Nostro in coenobio sunt homines circiter 200 qui apud nos refugium quaesierunt, et quibus tectum et alimenta praebemus. Sed prorsus nihil dicam de aliis permultis, qui ianuam nostram pulsant et panem quaerunt.

O, si quis ex Europa animo pius et liberalis nostrarum commotus aspectu miseriarum suppetias ferret!

Finem scribendi faciens, etc.

Fr. Matthaeus, Parochus. M. O.

Ex alia epistola eiusdem P. Guardiani Rmo P. Generali directa, die 24 Julii, sequentes adhuc notitias decerpimus.

.... Quum die 11 Julii, Coenobii invasio timeretur, portae omnes clausae et forti munimine obseratae fuerunt. In Conventu octoginta circiter personae e diversis nationibus oriundae refugium quaesierant.

In nocte eiusdem diei, ex parte Arabum et militum inceperunt civitatis direptio et incendium. Audiebantur e Conventu clamantium voces: *Moriantur Europaei*. Interea conspiciebantur milites petroleo domus et aedificia aspergentes, ignemque dein admoventes. In hac prima nocte sexaginta et ultra aedes exustae sunt.

Hora secunda post mediam noctem incendiarii et praedones Conventui appropinquantes, ignem admovere tentabant. Distincte percipiebantur clamores altercantium militum cum civibus, quorum primi Religiosis mortem minitabantur, alteri vero eorumdem defensionem assumebant, asserendo Fratres viros esse innocuos, orationi deditos, ipsosque linguam arabicam pueros suos docere. Arabum protectio praevaluisse tandem videtur; nam, perculsa porta, milites fugerunt.

Hoc transacto periculo, aliud supervenit; nam undique flammae conspiciebantur circumstantes domos invadentes et mox Conventus quasi in medio ignei circuli extitit. A Superiore dato signo, quadraginta Coenobii personae circumeuntes per reliquam noctem imminentibus flammis obstiterunt.

Tertia autem die perseverarunt incendia, simulque aedium praedationes ac Christianorum trucidationes, et, non nisi descendente Anglico exercitu civitatemque occupante, cessarunt.

Addit P. Guardianus nonnulla de *Ramleh*, ubi hospitium nostrum et Ecclesia penitus diruta sunt. P. Josephus ab Avola praeses, eiusque socius P. Hyacinthus ab Orte triginta circiter personas collegerunt et sub quodam tugurio refugium invenerunt, ibidem per duas noctes diesque, sine ullo subsidio, in formidine et tremore permanentes. Tantus erat quibusdam sitis cruciatus, ut propriam urinam bibere non abhorruerint. Ab Alexandriae Guardiano tandem visitati et recreati fuerunt. In *Ramleh* viis passim iacebant Europaeorum cadavera quae a Religiosis sepulta sunt.

In Alexandriae viciniis existentia hospitia et Ecclesiae direpta sunt, sed salvi Religiosi. Praeses hospitii *Mansurae* et Praeses *Kafrzaiat* cum socio et duabus Monialibus Tertiariis a quibusdam Beduinis qui hospites illos exceperunt, manifesta Dei Providentia, servati sunt.

Fratres in Cairo degentes imminente periculo, ad *Portum-Said* translati sunt, tribus exceptis, qui ad animarum salutem et consolationem permanere praetulerunt.

Sorores Franciscanae scholis praesidentes, instante periculo navem conscendere constrictae sunt cum nonnullis puellis et orphanis quas derelinquere noluerunt. Ex istis Monialibus quaedam in urbem Ierusalem confugerunt, quaedam vero numero triginta duae Neapolim appulerunt.

—

MISSIO SUPERIORIS AEGYPTI

Operae pretium esse nobis videtur relationem inserere de recentibus conversionibus ad nostram S. Religionem in peninsula *Gassr-Sajad* peractis, prout extant in sequentibus litteris quas P. Samuel de Accadia mittit P. Seraphino a Patrignone.

« Crescit in dies numerus haereticorum inquirentium Sacerdotes catholicos ut in sinum Sanctae Ecclesiae recipiantur. Die 10 mensis Decembris, venerunt ad me a *Ghasirah* et nominatim e pago *Gassr-Sajad* tres optimates et exposuerunt desiderium Fidem catholicam amplectendi. Plures causae illos permoverant inter quas illud est quod a suo haeretico episcopo *Kene* residenti male tractantur. Tunc una cum ipsis et R. P. Seraphino a S. Antimo in oppidum quod *Gassr-Sajad* nuncupatur veni. Compositis brevi eorum dissidiis illos in praecipuis veritatibus Fidei catholicae erudivimus et post sex dies, celebrato SS. Sacrificio, quadraginta octo homines iuxta ritum Catholicae Ecclesiae haeresim eiuraverunt. Hac re pervulgata, alii haeretici ex vicinis pagis accesserunt, quibus promisimus nos redituros, postquam res tota nostro Reverendo P. Praefecto, tunc *Luxor* moranti, innotuisset. Huic obtuli aliquot ex recenter conversis et postulavi ut illuc Sacerdotem et Magistrum mitteret ac templi aedificationem curaret; ad hunc finem unus ex ipsis, Georgius nomine, 1840 ulnas terrae donavit, promisitque se cessurum etiam aliud spatium terrae, si opus fuerit, et pecuniam subministraturum ad idem aedificium, adiecta conditione ut unus ex ipsis sit futurus Procurator coram Gubernio. Interea illuc misi omnia necessaria ad celebrationem S. Missae, pulchramque imaginem B. M. Virginis.

Die autem 5 Ianuarii huius anni 1882, iterum me *Gassr-Saiad* contuli causa persecutionis in novos catholicos a quodam potenti haeretico *Bascir* nomine excitatae. Iste pecunia commovit oppidi gubernatorem ut deterreat illos qui Religionem catholicam amplecti vellent. Insuper minatus est verbera, calumnias seditionis, iussitque etiam ut noctu imago B. Virginis furto raperetur. Sed fur manifesto scelere deprehensus est, et fractis ossibus discessit. Hinc necesse fuit ut ibi 16 diebus morarer ad docendos neophitos catholicas veritates praesertim de duabus naturis et voluntatibus in Christo Domino. Refelli sophismata ac futiles ratiunculas monophisitarum, et neophitos ad suscipienda Confessionis et Eucharistiae Sacramenta praeparavi. Plures ex illis convicti, suo Dioscoro valedixere, inter quos quidam Goummos (Archipresbyter) Hanna vir eloquens, ad veritatem catholicam valde proclivis. Illius conversio quam iure speramus, secum traheret 120 alios ex multis suis consanguineis.

Non desunt tamen fastidia. Sane ille Bascir cum gubernatore pagi quinque ex novis catholicis die quodam crudeliter verberarunt; accurri et pacifice illos coram Naser (praefecto regionis) convocavi. Hic praefectus mahumetanus, auditis rationibus pro et contra, duos illos perturbatores principes acriter obiurgavit et scriptam ab ipsis promissionem exegit non amplius quidquam in catholicos patraturos. Ex hoc factum est ut alia familia haeresim eiuraret et aliae ad conversionem praepararentur, quae nil magis desiderant quam certiorari sibi non defecturos Sacerdotes et templum. »

Die 3 Ianuarii huius anni etiam iuvenis Mahumetanus Ali de Negade nuncupatus, solemniter a R. P. Samuele de Accadia fuit baptizatus, et novissime undecim alii haeretici in districtu Tahtta Fidem catholicam susceperunt.

Missionariorum laboribus benedicat suaque gratia foecundet misericors Deus, ut in dies fide-

lium numerus augeatur et erroris tenebris fugatis, lux divinae veritatis magis ac magis effulgeat!

IV.

BIBLIOGRAPHIA

1881. Elementi di Fisica razionale Cristiana per Mons. Fr. Benedetto Lavecchia Guarneri, Arcivescovo di Siracusa. Edizione seconda, esposta dall'autore con nuovo Ordine, riveduta ed accresciuta. — Siracusa, Tipog. Trombatore e Senia. (Vendibile presso il P. Rettore del Seminario, L. 3, 30).

Huius operis iam notissimi argumentum et ordo satis patebunt ex materiarum indice, quem ex integro hic referimus:

— Definizioni. — Trattato prodromo della Fisica o Proprietà Generale dei corpi.

Cap. I. Delle intrinseche proprietà degli elementi dei Corpi. — *Cap. II.* Delle intrinseche proprietà dei corpi. — *Cap. III* Luogo: Proprietà generale estrinseca dei corpi. — *Cap. IV.* Moto: Proprietà estrinseca dei Corpi: Art. 1. Proprietà del Moto Art. 2. Forze che producono il Moto. Art. 3, Macchine meccaniche. Art. 4, Ostacoli al Moto. Art. 5. Forze semplici e composte e quindi moto semplice e composto. Art. 6, Alcune specie di Moto composto. Art. 7, Equilibrio del Moto. Art. 8, Moto considerato nell'urto dei corpi. — *Cap. V.* Calorico: altra proprietà generale dei Corpi. Art. 1, Fonti del Calorico. Art. 2, Propagazione del Calorico. Art. 3, Diversa temperatura dei corpi. Art. 4, Calorico specifico, Art. 5, Mutazione di stato cagionati nei corpi dal Calorico.

Sessione I. Sostanze imponderabili.

Cap. I. Luce. Art. 1, Diretta propagazione della Luce, ossia Ottica. Art. 2, Riflessione della Luce o Catottrica. Art. 3, Refrazione della Luce, o Diottrica. Art. 4, Organo della vista ed istrumenti ottici. — Cap. II, Elettricismo. Art. 1, Elettricità positiva e negativa. Art. 2, Eccitamento della Elettricità. Art. 3, Communicazione dell' elettricità. — Cap. III. Magnetismo. Art. 1, Magnetismo naturale, Art. 2, Magnetismo artificiale, Art. 3, Effetti del Magnetismo. — Cap. IV, Relazioni imponderabili tra loro. — Cap. V. Meteore degli imponderabili.

Sessione II. Aria, Suono.

Cap. I. Aria. — Cap. II. Suono o acustica. — Cap. III. Meteore aeree.

Sessione III. Acqua, Terra, Piante.

Cap. I. Acqua. — Cap. II. Terra. — Cap. III. Piante. Art. 1, origine delle Piante. Art. 2, Nutrizione delle piante e parti che le costituiscono. Art. 3, Classificazione delle Piante.

Sessione IV. Astronomia.

Cap. I. Sfera celeste. — Cap. II. Parallasse. — Cap. III. Stelle fisse. — Cap. IV. Sistema planetario. — Cap. V. Dei Pianeti particolari.

Sessione V. Dei Pesci e dei Volatili.

Cap. I. Origine dei pesci e dei Volatili. — Cap. II. Descrizione dei Pesci e dei Volatili e delle loro funzioni vitali. — Cap. III. Classificazione dei Pesci e dei volatili.

Cap. I. Origine degli animali terrestri. — Cap. II. Delle principali funzioni degli animali terrestri. — Cap. III. Classificazione degli animali terrestri.

OPERA OCCASIONE CENTENARII S. P. FRANCISCI EDITA

1882. Francesco d'Assisi e il suo secolo considerato in relazione con la politica, cogli svolgimenti del pensiero e colla civiltà. Studii di Francesco Prudenzano - Terza edizione ripassata ed accresciuta dall'autore. Napoli, Tipografia di G. Rondinella nel real albergo dei Poveri; in 8°, pag. 318 (L. 3, pro Ordine L. 1,50).

Egregii huius operis indicem praebemus:

Parte prima. *Periodo barbaro e di tradizioni pagane.* Cap. I. Movimento politico e religioso nei tempi anteriori a Francesco d'Assisi. - Cap. II. Movimento intellettuale nei tempi anteriori a Francesco d'Assisi.

Parte seconda. *Periodo religioso o di preparamento.* Cap. III. Francesco d'Assisi. - Cap. IV. Francesco d'Assisi al cospetto del secolo.

Parte terza. *Periodo di civiltà.* Cap. V. Nuova era. - Cap. VI. Missioni religiose e politiche dei Francescani. - Cap. VII. Movimento progressivo nella scienza prodotto dalle istituzioni religiose e sociali di Francesco d'Assisi. - Cap. VIII. Nuovo concetto nella letteratura e nelle arti figurative sorto dall'Apostolato di Francesco d'Assisi.

1882. San Francesco stimatizzato sul monte Alvernia, per Fr. Ermenegildo da Chitignano. M. R. Prato, Rainieri Guasti editore. in 16. pag. X-369.

Completa texitur in hoc volumine stigmatum seraphici Patriarchae historia. Clarissimus auctor aliud etiam proxime publicandum annuntiat opus, cui titulus erit: *Ossequio letterario di alcuni Giovani Francescani al loro serafico Padre, nel settimo centenario della sua nascita.*

1882. Il più antico poema della Vita di S. Francesco d'Assisi scritto innanzi all'anno 1230, ora per la prima volta pubblicato e tradotto da Antonio Cristofani, biblio-

tecario della Comunale d'Assisi. Prato, Ranieri Guasti. (in 8° pag. XVI-287. L. 2.)

Latine exaratum hoc praeclarissimum poema, in versiculis italici idiomatis translatum est, simulque in codem volumine et originale et translatum est, simulque in eodem volumine et originale et translatio italica exhibentur. Auctor creditur Fr. Ioannes de Kant, natione Anglus, qui opus suum Papae Gregorio IX dedicavit

V.
NECROLOGIA

—

Adm. Rev. P. Illuminatus de Lauro, Lect. Iubilatus de numero, ex Definitor, ex Praefectus studiorum generalium, Examinator Synodalis Archidioecesis Neapolitanae et ex Minister Obs. Provinciae Neapolis ac Terrae Laboris, anno 81 mense 9 aetatis suae obiit Neapoli in Valetudinario apud S. Petrum ad Aram die 26 Aprilis an. 1882, SSmis Ecclesiae Sacramentis rite devoteque susceptis. — Fuit vir maxime laudabilis; singulari suo ingenio et excelsa quidem virtute omnium corda sibi conciliaverat, suavique amoris vinculo obstrinxerat. — Philosophia atque Theologia peritissimus, in publicis disputationibus facile princeps, res difficillimas plane dilucideque explicabat; solidis et omnino firmis rationibus tanta perspicuitate tantaque eloquii suavitate firmabat, ut omnes admirarentur.

Ministri Provincialis, studiorumque Praefecti muneribus laudabiliter perfunctus, regularem observantiam et disciplinam sacraque studia meliora reddidit. — Qua examinator Synodalis autem omnes, praesertim iuvenes, clara et facili methodo pro posse iuvabat; et uterque Clerus summo quidem ac reverenti amore eum prosequebatur, et permulti etiam suae conscientiae regimen illi crediderant. — Sit nunc in coelesti patria aeterna requies nec non gloria magna tanto viro, qui optima quidem fecit et docuit in terreno exilio!

—

Adm. Rev. P. Bartholomaeus Vecerina, ex Provincialis Reformatae Provin. Croatiae-Carniolae S. Crucis.

Die 27 Ianuari 1807 Dragae in Croatia natus, 16 Octobris 1828 Tersacti Ordinis nostri habitu indutus, 25 Septembris 1831 sacerdos ordinatus est. Anno 1835 Lector studii biblici V. T. et linguae hebraicae in studio domestico Castagnavizzensi renuntiatus est, quod munus usque ad annum 1871 magna prudentia ac indefessa diligentia exercuit, ab omnibus alumnis semper amatus et veneratus. Linguae slavicae, germanicae, latinae, italicae, gallicae atque hebraicae erat gnarus.

Omnibus fere officiis et dignitatibus Provinciae suae egregie functus, semper pietatis et bonitatis suae exhibuit specimina. Sacro Poenitentiae tribunali indefesse assiduus, permultorum animas rectis consiliis confortavit et solatus est. Decurrente anno elapso, sacerdotii et religiosae professionis quinquagesimum anniversarium, exultantibus et gratulantibus Fratribus, celebraverat. Die 2 Iulii 1882 obiit, in Conventu de *Castagnavizza*, aetatis suae anno septuagesimo sexto.

—

Adm. Rev. P. Philippus Maria ab Asylo, ex Minister Reformatae Provinciae S. Antonii Venetiarum. Is Magistri Novitiorum et pluries Guardiani, Definitoris ac Custodis et per triennium Ministri Provincialis munere laudabiliter perfunctus, regularis disciplinae adeo sedulus et impiger zelator extitit, ut in erectione sacri Recessus in insula Deserti prope Venetias strenue adlaboraverit. Animarum quoque zelo accensus, qua verbi Dei praedicatione, qua ferventissimis precibus, earum salutem promovit. Monialium etiam quamplurium sacramentalem curam gessit; quas inter tamen de Sororibus Eremitis Ordinis S. Augustini ad S. Iosephi de Muriano, Venetae Archidioeceseos, praecipue bene meruit; eas enim anno 1849 a periculis belli, multis laboribus ac studiis, et nonnisi pene ad prodigium, incolumes servavit. His igitur aliisque meritis cumulatus, post diutinos morbos admirabili patientia toleratos, spiritum Creatori suo placidissime reddidit, die 16 Iulii curr. anni 1882, in Conventu ad S. Michaëlem in insula Venetiarum, anno aetatis suae septuagesimo sexto, professionis vero quinquagesimo secundo.

Nihil obstat
Fr. Bernardinus Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta Gerens resp.

OMNIMODA OBEDIENTIA

PAUPERTAS EVANGELICA



ARRHA COELI

STATUS PER-FECTIONIS

FRATER FRANCISCUS PROMITTIT OBEDIENTIAM ET REVERENTIAM DOMINO PAPAE. *(Reg. c. I.)*

IV. NON. OCTOB.

SEPTIMO S. FRANCISCI CENTENARIO

A. MDCCCLXXXII.

Laetare, Assisium, Sacra Urbs, speciosaque Idumes
Divi Francisci facta beata pede.
Nunquam laeta tuae decedet Stella coronae,
Praevia non unquam tramite lucis erit.
Prodiit e gremio, sancta ex te iura daturus,
Queis Evangelicum vixit in orbe decus.
Omnia quae ferret dedit ipse, et debuit artus
Praesulis iniecta veste operire manus.
Atque nova mundus recreatur imagine rerum,
Dum sua progenies clara supervehitur.
Non illum terrent specus alta et saxa Lavernae,
Grande opus ut monstret, factaque digna Deo.
Cui manibus, pedibus, lateri sua vulnera Christus
Fixit; et haec operum laurea summa fuit.
O Assisium, generis pulcherrima gloria nostri,
Cuinam sorte datum nobiliore frui?
Ad Te hodie veniunt crebrae fausto omine gentes
Visurae cineres, quae tegit urna suos.
Centeno properant celebrare solemnia cultu,
Et pia prociduo fundere vota genu.
Patrem omnes dicunt: Patrem Leo et ipse salutat,
Ubere et eloquio plaudit Apostolico.
Laetare, Assisium, quod in omni clarius aevo
Floresces fama nil metuente mori.

FRATRES TENEANTUR FRATRI FRANCISCO ET EIUS SUCCESSORIBUS OBEDIRE. *(Reg. c. I.)*

MEDULLA EVANGELII

VIA SAL-VATIONIS

SPES SALUTIS

SCALA COELI

LIBER VITAE

CLAVIS PARADISI

CASTITAS IMMACULATA



CHARITAS SERAPHICA

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DE SANCTO FRANCISCO ASSISIENSI
ET
DE TERTIO FRANCISCALIVM ORDINE
PROPAGANDO

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII
EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS
ET EPISCOPOS
VNIVERSOS CATHOLICI ORBIS
GRATIAM ET COMMVNIONEM
CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Auspicato concessum est populo christiano duorum virorum memoriam brevi temporis intervallo recolere, qui ad sempiterna sanctitatis praemia in coelum evocati, praeclaram alumnorum copiam, tamquam virtutum suarum perpetuo renascentem propaginem, in terris reliquerunt. — Siquidem post saecularia solemnia ob memoriam Benedicti, monachorum in Occidente patris legiferi, proxima est occasio non dispar habendorum publice honorum Francisco Assisiensi, septimo post quam natus est exeunte saeculo. Quod sane contingere benigno quodam divinae providentiae consilio, non immerito arbitramur. Nam oblato ad celebrandum tantorum patrum natali die, homines admonere Deus velle videtur, ut summa illorum merita recordentur, simulque intelligant, conditos ab iis virorum religiosorum ordines tam indigne violari minime debuisse, in iis praesertim civitatibus, quibus incrementa humanitatis et gloriae labore, ingenio, sedulitate pepererunt. — Ista quidem solemnia confidimus haud vacua fructu futura populo christiano, qui non sine caussa sodales religiosos amicorum loco semper habere consuevit: proptereaque sicut Benedicti nomen magna pietate gratoque animo honoravit, ita nunc Francisci memoriam festo cultu et multiplici significatione voluntatis est certatim renovaturus. Atque istud pietatis reverentiaeque honestum certamen non regione circumscribitur, in qua vir sanctissimus editus est in lucem, nec finitimis a praesentia eius nobilitatis spatiis: sed late est ad cunctas terrarum oras, quacumque Francisci aut nomen percrebuit, aut instituta vigent, propagatum.

Hunc animorum in re optima ardorem Nos certe sic probamus, ut nemo magis; praesertim quia Franciscum Assisiensem admirari praecipuaque religione colere ab adolescentia assuevimus; et in familiam Franciscanam adscitos esse gloriamur, et sacra Alverniae iuga libentes atque alacres, pietatis caussa, non semel ascendimus: quo loco tanti viri imago, ubicumque poneremus vestigium, obiiciebatur animo, mentemque tacita cogitatione suspensam memor illa solitudo tenebat. — Sed quantumvis sit istud studium laudabile, tamen nequaquam in isto omnia. Ita enim de honoribus, qui beato Francisco properantur, statuendum, tunc maxime futuros ei, cui deferuntur, gratos, si fuerint iis ipsis, qui deferant, fructuosi. In hoc autem positus est fructus solidus minimeque

caducus, ut cuius excellentem virtutem homines admirantur, similitudinem eius aliquam adripiant, fierique studeant ipsius imitatione meliores. Quod, opitulante Deo, si studiose effecerint, profecto quaesita erit praesentium malorum opportuna et valde efficax medicina. — Vos itaque volumus, Venerabiles Fratres, per has Litteras alloqui, non modo pietatem erga Franciscum Nostram publice testaturi, verum etiam vestram excitaturi caritatem, ut in hominum salute eo, quo diximus, curanda remedio Nobiscum pariter elaboretis.

Liberator generis humani Iesus Christus fons est perennis atque perpetuus omnium bonorum quae ab infinita Dei benignitate ad nos proficiscuntur, ita plane ut qui semel mundum servavit idem sit in omnes saeculorum aetates servaturus: *Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri* (1). Si quando igitur naturae vitio aut hominum culpa contingat, ut in deteriorem partem delabatur genus humanum, et singulari quadam ope indigere ad evadendum videatur, omnino recipere se ad Iesum Christum necesse est, atque istud putare maximum certissimumque perfugium. Divina enim illius virtus tam magna est tantumque pollet, ut omnium in ea vel periculorumque depulsio, vel malorum posita sanatio sit. Futura est autem certa sanatio, si modo ad professionem christianae sapientiae, et ad evangelica vivendi praecepta genus humanum reducatur. Iis autem, quae diximus, forte insidentibus malis, simul ac solatii venit divinitus provisa maturitas, fere iubet Deus, continuo virum aliquem in terris existere non unum de multis sed summum et singularem, quem restituendae salutis publicae praeficiat muneri. Atqui istud plane usuveniebat sub exitum saeculi duodecimi aliquantoque serius; fuit autem eius maximi operis perfector Franciscus.

Satis illa nota est aetas cum sua indole virtutum ac vitiorum. Insita altius in animis vigebat fides catholica: pulchrumque erat complures pietatis fervore incensos in Palaestinam transmittere qui vincere aut emori destinavissent. Sed tamen valde populares mores licentia mutaverat: nihilque erat tam hominibus necessarium, quam ut christianos spiritus revocarent. — Iamvero christianae virtutis caput est generosa animi affectio, rerum arduarum ac difficilium patiens: cuius forma quaedam in cruce adumbratur, quam qui Christum sequi malunt, onusto ferant humero necesse est. Illius autem partes affectionis sunt, abstinentem rerum mortalium animum gerere: sibimet acriter imperare: casus adversos facile moderateque ferre. Denique caritas in Deum, in proximos una omnium est domina et regina virtutum; cuius tanta vis est, ut molestias, quae officium comitantur, omnes abstergeat, laboresque quantumvis magnos non tolerabiles solum efficiat, verum etiam iucundos.

(1) Act. IV, 12.

Harum virtutum saeculo duodecimo magna apparebat inopia, cum nimis multi, penitus mancipati rebus humanis, aut appetentia honorum ac divitiarum insanirent, aut per luxum et libidines aetatem agerent. Plurimum valebant pauci; quorum opes fere in oppressionem miserae et contemptae multitudinis evaserant: atque cuiusmodi vitiorum maculas ne ii quidem effugerant, qui disciplinae ceteris esse ex instituto debuissent. Et restincta passim caritate, variae quotidianaeque pestes consecutae erant, invidere, aemulari, odisse; distractis adeo infestisque animis, ut ad minimam quamque caussam et civitates finitimae sese invicem praeliando conficerent, et cives cum civibus ferro inhumane decernerent.

In id saeculum Francisci cecidit aetas. Qui tamen mira constantia, simplicitate pari aggressus est dictis et factis genuinam christianae perfectionis imaginem senescenti mundo ad spectandum proponere. — Reapse, quemadmodum Dominicus Gusmanus pater integritatem coelestium doctrinarum per eadem tempora tuebatur, pravosque haereticorum errores luce christianae sapientiae depellebat, ita Franciscus ad grandia ducente Deo, illud impetravit ut ad virtutem excitaret christianos homines, et diu multumque devios ad imitationem Christi traduceret. Non certe fortuito factum est, ut ad aures acciderent adolescentis illae ex Evangelio sententiae: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam* (1) Et, *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus...*

(1) Matth. x, 9-10.

et veni, sequere me (1). Quae tanquam sibi nominatim dicta interpretatus, continuo abdicat se rebus omnibus; vestimenta mutat; paupertatem sibi sociam et comitem constituit in omni vita futuram: et maxima illa virtutum praecepta, quae celso erectoque animo amplexus erat, Ordinis sui velut fundamenta fore decernit. Ex eo tempore, inter tantam saeculi mollitiam fastidiumque delicatissimum, ille horrido cultu atque aspero incedere: victum ostiatim quaerere: et quae acerbissima putantur, insanae plebis ludibria non tam perferre, quam vorare alacritate mirabili. Videlicet stultitiam Crucis Christi adsumpserat et probarat uti absolutam sapientiam: cumque in eius augusta mysteria intelligendo penetravisset, vidit iudicavitque nusquam posse gloriam suam melius collocari. — Una cum amore Crucis, pervasit Francisci pectus caritas vehemens, quae impulit hominem, ut propagandum nomen christianum animose susciperet, ob eamque caussam obviam sese vel manifesto capitis periculo ultro offerret. Hac illa caritate homines complectebatur universos: multo tamen cariores habuit egenos et sordidos, ita prorsus ut quos ceteri refugere aut superbius fastidire consuevissent, iis potissimum ille delectari videretur. Qua ratione egregie de ea germanitate meruit qua restituta perfectaque ex toto hominum genere unam velut familiam Christus Dominus conflavit, in potestate unius omnium parentis Dei constitutam.

Tot igitur virtutum praesidio atque hac praesertim asperitate vitae, studuit vir innocentissimus formam Iesu Christi, quoad poterat, in se ipse transferre. Sed divinae providentiae numen in hoc etiam eluxisse videtur, quod rerum externarum singulares quasdam cum divino Redemptore similitudines assecutus est. — Sic, ad exemplar Iesu, Francisco contigit, ut in lucem susciperetur in stabulo, ac tale stratum haberet puer infans, quale olim ipse Christus, tectam stramentis terram. Quo tempore, ut fertur, leves per sublime Angelorum chori, et mulcentes aera concentus similitudinem compleverunt. Item lectos quosdam, uti Christus Apostolos, sibi discipulos adiunxit, quos peragrare terras iuberet, christianae pacis ac sempiternae salutis nuntios. Pauperrimus, contumeliose illusus, repudiatus a suis, vel in hoc speciem Iesu Christi retulit, quod nec tantulum voluit habere proprium, quo caput reclinaret. Postrema similitudinis nota accessit, cum in Alverni montis vertice, velut in Calvario suo, novo ad illam aetatem exemplo, sacris stigmatibus corpori eius divinitus impressis, propemodum actus est in crucem. — Rem hoc loco commemoramus non minus miraculo nobilem, quam saeculorum praedicatione illustrem. Cum enim esset olim in cruciatuum Christi vehementi cogitatione defixus, eorumque vim acerbissimam ad se traduceret, et tanquam sitiens hauriret, delapsus e coelo repente Angelus se ostendit: unde arcana quaedam virtus cum subito emicuisset, palmas pedesque quasi transfixos clavis, itemque velut acuta cuspide vulneratum latus Franciscus sensit. Quo facto, ingentem caritatis ardorem concepit animo: corpore vivam expressamque vulnerum Iesu Christi in reliquum tempus imaginem gessit.

Ista rerum miracula, angelico potius quam humano celebranda praeconio, satis demonstrant quantus ille vir, quamque dignus fuerit, quem aequalibus suis ad mores christianos revocandis Deus destinaret. Profecto ad Damiani aedem exaudita Francisco est maior humana vox: *I, labantem tuere domum meam.* Neque minus admirationis habet oblata divinitus Innocentio III species, cum sibi videre visus est Basilicae Lateranensis inclinata moenia humeris suis Franciscum sustinentem. Quorum vis ratioque portentorum perspicua est: nimirum significabatur, christianae reipublicae non leve per ea tempora praesidium et columen Franciscum futurum. Revera nihil cunctatus est quin accingeretur. Duodeni illi, qui se in eius disciplinam primi contulerant, exigui instar seminis extiterunt, quod secundo Dei numine, aupiciisque Pontificis maximi, celeriter visum est in uberrimam segetem adolescere. Eis igitur ad Christi exempla sancte institutis varias Italiae Europaeque regiones, Evangelii caussa, describit: dato certis inter eos negotio, ut in Africam usque traiiciant. Nec mora: inopes, indocti, rudes, committunt tamen populo sese: in triviis plateisque, nullo loci apparatu nec pompa verborum, ad contemptum rerum humanarum, cogitationemque

(1) Matth. XIX, 21.

futuri saeculi homines adhortari incipiunt. Mirum tam ineptis, ut videbantur, operariis quantus respondit operae fructus. Ad eos enim confluere catervatim cupida audiendi multitudo: tum dolenter admissa deflere, oblivisci iniuriarum, compositisque dissidiis ad pacis consilia redire. Incredibile dictu est, quanta inclinatione animorum ac prope impetu ad Franciscum turba raperetur. Assectabantur, maximo concursu, quacumque ille ingrederetur: nec raro ex oppidis, ex urbibus frequentioribus universi promiscue cives homini erant supplices, ut se vellet in disciplinam rite accipere. — Quamobrem caussa nata est viro sanctissimo, cur sodalitatem *Tertii Ordinis* institueret, quae omnem hominum conditionem, omnem aetatem, utrumque sexum reciperet, nec familiae rerumque domesticarum vincula abrumperet. Eam quippe prudenter temperavit non tam legibus propriis, quam ipsis legum evangelicarum partibus: quae sane nemini christiano graviores videantur. Videlicet praeceptis Dei Ecclesiaeque obtemperetur: absint factiones et rixae: nihil detrahatur de aliena re: nisi pro religione patriaque ne arma sumantur: modestia in victu cultuque servetur: facessat luxus: periculosa chorearum artisque ludicrae lenocinia vitentur.

Facile est intelligere permagnas manare utilitates ex huiusmodi instituto debuisse cum salutari per se, tum ad eam tempestatem mirabiliter opportuno. — Quam opportunitatem et satis indicant coalitae eiusdem generis ex Dominicana familia aliisque Ordinibus sodalitates, et eventus ipse confirmat. Sane illi Franciscalium Ordini nomen dare inflammato studio summaque voluntatum propensione ab infimis ad summos vulgo properabant. Optarunt ante alios hanc laudem Ludovicus IX Galliarum rex, et Elisabetha Hungarorum regis soboles: successere aetatum decursu plures ex Pontificibus maximis, item ex Cardinalibus, ex Episcopis, ex regibus, ex dynastis: qui omnes insignia Franciscalia non aliena esse a dignitate sua duxerunt. — Sodales tertii ordinis animum suum in tuenda religione catholica pium aeque ac fortem probavere: quarum virtutum si magnam ab improbis subierunt invidiam, ea tamen, quae honestissima est atque unice expetenda, sapientium et bonorum approbatione nunquam caruerunt. Immo Gregorius ipse IX Decessor Noster fidem ipsorum ac fortitudinem publice gratulatus, minime dubitavit et auctoritate sua defendere, et *milites Christi, Machabaeos alteros*, honoris caussa, appellare. — Neque carebat veritate laus. Magnum enim salutis publicae praesidium erat in illo hominum ordine: qui propositis sibi auctoris sui virtutibus et legibus, perficiebant, quoad facultas ferret, ut christianae honestatis decora in civitate reviviscerent. Certe ipsorum opera exemplisque extinctae saepe aut delinitae sunt factionum partes: erepta ab efferatorum dextris arma: litium et iurgiorum caussae sublatae: parta inopiae et solitudini solatia: castigata, fortunarum gurges et corruptelarum instrumentum, luxuria. Quare pax domestica et tranquillitas publica, integritas morum et mansuetudo, rei familiaris rectus usus et tutela, quae sunt optima humanitatis incolumitatisque firmamenta, ex tertio Franciscalium ordine, tamquam ex stirpe quadam, gignuntur: eorumque bonorum conservationem magna ex parte Francisco debet Europa.

Plus tamen, quam ulla ex gentibus ceteris, Francisco debet Italia; quae sicut eius virtutibus princeps theatrum fuit, ita maxime beneficia sensit. — Et sane quo tempore multa multi pro iniuria contenderent, ille afflicto et iacenti constanter porrexit dexteram: in summa egestate dives, numquam destitit alienam sublevare inopiam, immemor suae. Vagiit suaviter in eius ore patrius sermo recens: vim caritatis simul et poeticae expressit canticis, quae vulgus edisceret, quaeque admiratione visa sunt non indigna eruditae posteritatis. Ad Francisci cogitationem, aura quaedam afflatusque humano augustior ingenia nostrorum concitavit, ita quidem ut in eius rebus gestis pingendis, fingendis, caelandis, summorum artificum industria certarit. Nactus est in Francisco Alighierius, quod grandiloquo pariter mollissimoque caneret versu: Cimabue et Giottus, quod Parrhasiis luminibus ad immortalitatem illustrarent: clari artifices aedificandi, quod magnificis operibus perficerent, vel ad sepulcrum hominis pauperculi, vel ad aedem Mariae Angelorum, tot tantorumque miraculorum testem. Ad haec autem templa homines undique commeare frequentes solent, ve-

neraturi Assisiensem patrem pauperum, cui, ut se rebus humanis despoliaverat funditus, ita divinae bonitatis large copioseque dona affluxerunt.

Igitur perspicuum est, in christianam civilemque rempublicam ab uno hoc homine vim beneficiorum influxisse. Sed quoniam ille eius spiritus, omnino excellenterque christianus mirifice est ad omnia et loca et tempora accommodatus, nemo dubitaverit, quin Franciscalia instituta magnopere sint aetate hac nostra profutura. Eo vel magis, quod horum temporum ratio ad illorum rationem pluribus ex caussis videtur accedere. — Quemadmodum saeculo duodecimo, ita nunc non parum deferbuit divina caritas: nec levis est officiorum christianorum, partim ignoratione, partim negligentia, perturbatio. Simili animorum cursu similibusque studiis, in aucupandis vitae commodis, in consectandis avide voluptatibus plerique aetatem consumunt. Diffluentes luxuria, sua profundunt, aliena appetunt: fraternitatis humanae nomen extollentes, plura tamen fraterne dicunt quam faciunt: feruntur enim amore sui et illa erga tenuiores atque inopes genuina caritas quotidie minuitur. — Per eam aetatem multiplex Albigensium error, concitandis adversus Ecclesiae potestatem turbis, una simul civitatem perturbarat, et ad quoddam *Socialismi* genus munierat iter. Hodieque similer *Naturalismi* fautores propagatoresque creverunt: qui subesse Ecclesiae oportere pertinaciter negant, et longius, quo consentaneum est, gradatim procedentes, ne civili quidem potestati parcunt: vim et seditiones in populo probant: agrariam rem tentant; proletariorum cupiditatibus blandiuntur: domestici publicique ordinis fundamenta debilitant.

In his igitur tot tantisque incommodis, probe intelligitis, Venerabiles Fratres, spem sublevationis non exiguam collocari in institutis Franciscalibus merito posse, si modo in pristinum statum restituantur. — Iis enim florentibus, facile floreret et fides et pietas et omnia christiana laus: frangeretur exlex caducarum rerum appetitio, nec pertaederet, quod maximum atque odiosissimum plerisque putatur onus, domitas habere virtute cupiditates. Concordiae vere fraternae vinclis colligati diligerent homines inter se, egenisque et calamitosis, quippe imaginem Christi gerentibus, eam, quam par est, reverentiam adhiberent. — Praeterea qui religione christiana penitus imbuti sunt, sentiunt iudicio certo, legitime imperantibus conscientia officii obtemperari, nullaque in re violari quemquam oportere: qua animi affectione nihil est efficacius ad extinguendam radicitus omnem in hoc genere vitiositatem, vim, iniurias, novarum rerum libidinem, invidiam inter varios civitatis ordines: in quibus omnibus initia simul atque arma *Socialismi* consistunt. — Denique illud etiam, in quo prudentes rerum civilium tanto opere laborant, de locupletium et egenorum rationibus erit optime constitutum, hoc fixo et persuaso, non vacare dignitate paupertatem: divitem misericordem et munificum, pauperem sua sorte industriaque contentum esse oportere: cumque neuter sit ad haec commutabilia bona natus, alteri patientia, alteri liberalitate in coelum esse veniundum.

His de caussis Nobis est diu et magnopere in votis, ut quantum quisque potest in imitationem Francisci Assisiensis se intendat. — Idcirco sicut semper antea tertio Franciscalium ordini singularem curam adhibuimus, ita nunc summa Dei benignitate ad gerendum Pontificatum maximum vocati, cum inciderit ut id peropportune fieri possit, christianos homines hortamur, ut nomen dare sanctae huic Iesu Christi militiae ne recusent. Plurimi numerantur passim ex utroque sexu, qui Patris Seraphici vestigiis alacri animo iam ingrediuntur. Quorum laudamus tale studium vehementerque probamus, ita tamen ut illud augeri et ad plures propagari, Vobis praesertim adnitentibus, Venerabiles Fratres, velimus. Et caput est commendationis Nostrae, ut qui insigna *Poenitentiae* induerint, imaginem spectent sanctissimi auctoris sui, ad eamque contendant: sine qua, quod inde expectaretur boni, nihil esset. Itaque date operam, ut *Tertium Ordinem* vulgo noscant atque ex veritate aestiment: providete, ut qui curam gerunt animarum, doceant sedulo qualis ille sit, quam facile unicuique pateat, quam magnis in animorum salutem privilegiis abundet, quantum utilitatis, privatim et publice polliceatur. In quo eo magis est elaborandum, quod sodales Franciscales ordinis primi et alterius gravi in praesens perculsi plaga indigne laborant (1). Hi quidem utinam, parentis sui pa-

(1) Inter Ordinis Provincias SEPTUAGINTA DUAE

trocinio defensi, celeriter ex tot fluctibus vegeti et florentes emergant! Utinam etiam christianae gentes ad disciplinam tertii ordinis confluant, ita alacres itaque frequentes, uti olim undique ad Franciscum ipsum sese certatim effundebant! — Hoc autem maiore contentione poscimus et potiore iure ab Italis speramus, quos unius patriae necessitudo et uberior acceptorum beneficiorum copia propensiore iubet esse in Franciscum animo, et maiores eidem gratias habere. Ita sane septem post saeculis Italicae genti et omni christiano orbi contingeret, ut se a perturbatione revocatum ad tranquillitatem, ab exitio ad salutem, hominis Assisiensis beneficio sentiret. Id quidem communi prece, per hos dies maxime, ab ipso Francisco flagitemus: idem contendamus a Maria Virgine matre Dei quae famuli sui pietatem ac fidem coelesti tutela donisque singularibus perpetuo remuneravit.

Interea coelestium mumerum auspicem, et praecipuae Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, universoque Clero et populo singulis concredito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XVII septembris, A. MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LEO PP. XIII.

—

S. P. FRANCISCUS

A LEONE XIII ITERUM CELEBRATUS.

Die 14 mensis septembris, Summus Pontifex multos ex Italia peregrinos ad audientiam admisit, eosque mox ad Assisium profecturos, ut S. Patris Francisci memoriam, occasione septimi Centenarii, venerarentur, alloqui dignatus est. Postquam reprobasset elogia sacrilega quibus Ecclesiae inimici Arnaldum Brixiensem nuperrime extollere ausi sunt, haec addidit Christi Vicarius:

« . . . . Opportune meminimus nunc Pauperculi Assisiatis ad cuius Sanctuarium, die Ss. Stigmatibus dicata, sacram peregrinationem suscepturi estis. — Ipse pauper et despectus nulloque humanae sapientiae terrestrisve potentiae praesidio munitus, in multis aberrantis et corrupti mundi regionibus, verum Iesu Christi spiritum a quo humanum genus ad salutem regeneratum fuit, denuo suscitare potuit . . . Ipse a Brixiensi turbulento reformatore, qui eum non multo praecesserat tempore, toto coelo diversus, civiles dissensiones non fovit, sed pacem praedicavit; animos ad iras non accendit, sed offensorum veniam suasit; plebem ad rebellionem non incitavit, sed verbo et exemplo veram praepositis obedientiam docuit; nova periculosaque dogmata non sparsit, sed devotus, ut erat, Ecclesiae filius omnes Evangelii cognitione et amore imbuere studuit; Pontificatum non odit, sed absque Vicarii Iesu Christi benedictione opus sibi a divina Providentia commissum aggredi non est ausus. Ipse non plebis malarum assentator cupiditatum, vel vitiorum palpator, sed eam vero et efficaci amore prosequutus est; pauperes et oppressos sincere diligens, absque cuiuscumque jurium violatione, eorumdem conditionem meliorem reddere sategit. Mire iunguntur in Francisco in Ecclesiam obsequium, in Pontificem reverentia, in patriam amor, ad cuius veram gloriam et felicitatem ipse vehementer contulit. Eia, filii dilectissimi, tanti viri exemplis incitamini; et cum ad venerandum eius sepulchrum perveneritis pro Ecclesia fervidas ad Deum preces effundite, et pro Nobis etiam qui inter tot et tantas temporum vicissitudines et calamitates ad eam regendam et gubernandam vocatis; nec huius regionis a Deo plurimum dilectae obliviscamini; ut sublatis dissensionibus, et amotis periculis; christianae pacis utilitatibus denuo Italia laetetur. »

iniquis legibus aut violentia suppressae sunt, earumque Religiosi dispersi, ut iam annotavimus in *fascic. V. pag. 66 et seq. (Nota Redact.)*

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES DISPERSOS
Incitamenta seraphica

—

(Continuatio)

III

Obligationes Religiosorum violenter suppressorum declarationibus Sanctae Sedis confirmantur.

Adduntur quaedam incitamenta seraphici fervoris recurrente septimo centenario a nativitate S. P. N. Francisci.

Satis superque probatum est, tum ex verbis et spiritu Regulae seraphicae, tum ex ipsa natura seu essentia status religiosi, dispersorum Regularium vota in suo robore manere illosque ab Instituti sui obligationibus, cum conditione in qua versantur compatibilibus, nullatenus absolvi.

Hoc ipsum saepius declaravit Apostolica Sedes, dum, miserae illorum Religiosorum sorti consulere volens, speciales quidem eis mitigationes, facultates et dispensationes, prout necessitas postulabat, concessit, sed numquam tamen aliquid eis indulsit quod *directe* esset oppositum substantiae votorum quam semper salvam et intactam servari voluit.

Hinc illorum prae caeteris observantiam modis omnibus semper commendabat et urgebat, dum Fratres impie suppressos hortabatur, ut memores vocationis suae disciplinam regularem et alias obligationes, quae ex religiosa professione promanant, sollicite servarent.

Duo potissimum extant de hoc luculenta testimonia, quorum unum spectat ad suppressionem tempore perturbationis Gallicae, alterum vero concernit Religiosos ab aliquot annis violenter expulsos.

Quae sint et maneant dispersorum Religiosorum obligationes graviter exposuit Pius PP. VI in Litteris, quas in forma Brevis direxit ad episcopum Brunensium. Hic dioecesis suae Chartusianos ad dispersionem adactos a statutis suis liberos declaraverat et clero suo saeculari adcensuerat: de quo eum Pontifex fortiter reprehendens, sequentia, ad eum scribens, de obligationibus horum Religiosorum apostolica sua auctoritate declaravit et statuit:

« Curandum in primis est, ait, ut omnes in vocatione sua permaneant, ideoque in alia vel proprii vel alterius Instituti Monasteria se recipiant, ubi vota solemnia, quibus vitam suam Deo consecrarunt, rite recteque persolvant...

« Ac si forte cuipiam accidat, ut Receptorem (monasterium quod eum recipiat) sibi nequeat invenire, in hoc tantum infortunio sinimus eum tamdiu in statu Presbyteri saecularis permanere, quamdiu ita vivere sola necessitate cogetur. »

« Sed quisque debet versari in saeculo, memor vocationis suae, eiusque tenax disciplinae et vitae regularis, cui se pridem adscripserit. Vota solemnia, quae semper firma, semperque immota permanebunt, custodiat et servet. Sacrilegium profecto esset, si quid a purissima castitatis obligatione detraheretur. Studio etiam paupertatis, quantum pro nova vivendi ratione fas erit, omnes addicti sint, ut fallaci terrestrium cupiditate immunem laetumque animum prae se ferant. Obedientiam quoque praestent Episcopo, et sub veste signum aliquod gerant Regularis Professionis, ne ex hac revera exiisse videantur. »

« Habes itaque sententiam nostram, ad quam omnia consilia componere debes. Hinc facile intelliges Nos minime eis assentiri, qui dispensationem a votis solemnibus postulant. »

« Cave igitur ne dispensatio huiusmodi, qua decor et pulchritudo domus Dei pollueretur, audiri contingat in Ecclesia. Neque tu potes iure ordinario concedere, ut recte cogitas, neque Nos tibi eius tribuendae ius vel potestatem delegamus. »

Hae sunt circa obligationes Religiosorum dispersorum memorandae declarationes, quae commentario non indigent, et quas Apostolica Sedes dedit in initio terribilis huius rerum perturbationis, quae brevi ad alia regna se extendit et occasionem praebuit luctuosae illi tot Provinciarum suppressioni, quae nonnullis in locis ultra quinquaginta vel etiam sexaginta annos perduravit, in aliis vero misere adhuc perseverat.

Quot milleni Religiosi tunc temporis e claustris fuerunt exturbati, et utinam omnes, vocationis suae memores, monita et mandata Sanctae Sedis servassent! Verum enim vero, propter diuturniorem pacem in multis Provinciis relaxata disciplina regulari, fuerunt et tunc triplicis generis, de quibus locuti sumus, Religiosi.

Hoc tamen filiis sancti Francisci dulce et solatio plenum est cogitare, quamplurimos in variis nationibus, ea tempestate repertos fuisse Religiosos suppressos, qui, decreta Apostolica, Superiorum suorum monita et mandata ac obligationes sui status prae oculis habentes, in medio mundo pravo atque perverso digne vocatione sua ambulabant, et, sive cum sociis

quibusdam, si fieri possit, in una domo habitantes, sive in unum saepe convenientes aut sibi sanctam solitudinem constituentes, Regulae suae et spiritus seraphici zelosi manserunt sectatores.

Testantur Annales Provinciarum, qualiter, sive vitae activae sive contemplativae addicti, Deo eiusque sancto servitio unice adhaeserint, quantam sibi cleri et populi fidelis venerationem et dilectionem conciliaverint, et quantum animarum saluti, conservationis fidei ac Ordinis nostri decori et famae sancta sua conversatione tribuerint.

Ex illis divina Clementia, data Ecclesiae libertate, sanctos elegit viros, qui cum aliis eiusdem spiritus Religiosis suppressas Provincias, in senili aetate sed iuvenili ardore, repristinarunt, atque in eis puram regulae observantiam cum perfecta vita communi verbo et exemplo introduci curarunt.

Quot sunt Provinciae quae existentiam suam et quidquid boni habent talibus Religiosis, aeterna sane memoria dignis, post Deum accepta debent referre!

Ut iam ad nostra tempora gressum faciamus, quid aliud petit et exoptat pia Mater Ecclesia ab omnibus Religiosis modo suppressis, nisi ut sancta exempla illorum, qui in eadem conditione olim versati sunt et se immaculatos ab hoc saeculo custodierunt, imitarentur, et ea quae Deo solemniter promiserunt fideliter Ipsi redderent?

Hunc in finem sanctae memoriae Pius PP. IX, illorum incolumitati paterna sollicitudine prospicere volens, varia pariter documenta sive per S. Poenitentiariam, sive per Congregationes super Disciplina Regulari ac Episcoporum et Regularium edi et publicari curavit, in quibus, in memoriam revocando obligationes Religiosorum dispersorum, quas Pius PP. VI exposuerat, varias eis concessit facultates circumstantiis necessarias, tutam agendi normam eis praefixit et salubria praescripsit remedia contra innumera quibus exponuntur animae pericula.

Haec Vicarii Christi oracula et vota, quae familiis religiosis communicata fuerunt, summa veneratione et filiali submissione exceperunt Ordinis Provinciae, in quibus zelus observantiae et disciplina regularis vigebant. In difficillimis suppressionis circumstantiis, spem omnem in Domino iactantes, declarationibus et desideriis Sanctae Sedis in omnibus se conformare studuerunt, de hoc unice sollicitae ut omnes Fratres in sua vocatione fideles et stabiles possent permanere.

Hinc nullis parcentes laboribus, et omnes fragilis naturae motus viriliter superantes illarum alumni, aut ad alia monasteria, patriam relinquentes, se receperunt, aut ad exteras iverunt missiones, aut in domibus particularibus, cum sociis convenerunt, ut meliori modo possibili vitam regularem iuxta apostolicas declarationes in eis ducere possent.

Utinam omnes Fratres exules, illarum Provinciarum sanctam conversationem et egregia facta recolentes, ad ea imitanda fortiter se accingerent, et, simul cum Provinciis adhuc subsistentibus, studia, consilia et vires unirent ad Ordinis seraphici primarium spiritum ubique resuscitandum!

Fervori renovando virilem manum apponere et quidquid possibile est in hunc finem praestare pernecessarium esse, hisce praesertim temporibus, non est qui dubitare possit.

Hunc vitae seraphicae fervorem luculenter exigit Deus, qui a duobus saeculis, ab apparitione scilicet facta B. Margaritae Alacoque stupendo modo manifestavit mundo, quantam sibi iniuriam inferant ecclesiastici et religiosi Viri qui in sancto suo statu tepide conversantur. Propter eorum peccata et ad eos e somno torporis excitandos, perturbationes et omnis generis flagella in regnis immittuntur. Fere ubique saeviunt persecutiones et multis in locis suppressiones a Deo permissae sunt, equidem ut boni Religiosi magis probentur et sanctificentur, sed potissimum ut tepidi et relaxati ad meliorem vitam incitentur.

Eamdem renovationem toto cordis affectu reclamat S. P. N. Franciscus, quem B. Margarita Alacoque lugentem in visione conspexit super Ordinis sui difformitates et gemitibus inenarrabilibus eius instaurationem a Deo postulantem.

Hanc etiam Sancta Mater Ecclesia ardentissime desiderat, ut in veris S. Francisci filiis praesidium et sustentaculum hisce luctuosis temporibus inveniat.

Ad hanc ipse Salvator suspirare non ces-

sat, ut in Ordine Minoritico, quem ad salutem animarum destinavit, operarios habeat sanctitate et doctrina praeditos, qui fideles et infideles suo Sanguine redemptos verbo et exemplo in viam salutis perducant.

Tandem sicut civilis Societas in abyssum ruat necesse est, nisi ad Christum eiusque sanctam doctrinam quantocius redeat, ita et Ordo noster Seraphicus nonnisi per veram et sinceram Regulae observantiam incolumitati suae prospicere potest atque opprobrium hominum et maiora Dei flagella vitare.

Haec et alia convincere nos debent de necessitate instaurandi primaevum Ordinis spiritum, et simul nos impellere ad sanctum illud opus, omni humana consideratione posthabita, viriliter et strenue promovendum.

Quo autem quisque pro modulo suo maiori cum fiducia et alacriori animo tanti momenti negotium, a quo vera etiam nostra pendet felicitas, aggrediatur, serio recogitet peculiarem Dei providentiam erga Ordinem nostrum Seraphicum, et opportunam occasionem quam habemus sperandi advenisse tempus acceptabile, quo Deus praecellentem hanc gratiam familiae Minoriticae concedere paratus est.

Peculiarem dei Providentiam pro Ordine Seraphico, ipse Christi in terris Vicarius Leo PP. X in Bulla *Unionis* sequentibus Verbis sedulo perpendendis descripsit:

.... « Ad hanc vineam (Minorum Fratrum scilicet Religionem) excolendam, primo mane, oriente iam sole, misit ipse Paterfamilias Angelum illum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, Beatum Franciscum, qui comitantibus mirae sanctitatis viris prima vitis huius iecit fundamenta. His successerunt viri religiosi, qui duce B. Bonaventura, muros huius vineae iam utique ruinam minantes, hora tertia Trinitatis sanctae virtute et adiutorio reparaverunt. Post hos, veluti hora sexta, prodierunt spiritu ferventes Fratres nonnulli, qui a sacro Viennensi Concilio tamquam a Deo missi et confortati enervatam pene disciplinae censuram ad sua principia revocarunt. Hora vero nona, moriente Domino suo, ingruentibus in dies malis et scandalosis huius vineae agricolis, suscitavit spiritum adolescentiae, paucorum scilicet Fratrum, qui signifero Nominis Iesu Bernardino ductore et praeside, Sacri Concilii Constantiensis freti praesidiis, languentem, imo pene mortuum, per orbem universum Ordinem vivificaverunt. Novissime vero diebus istis, quasi hora ultima, apparuerunt viri aliqui, qui zelantes pro domo Israel succederunt lucos et demoliti sunt delubra, ac ubi abundabat peccatum, adiuvante Domino, curaverunt, per introductam reformationis normam, ut superabundaret gratia. »

Eodem modo quo Summus Pontifex Leo X Ordinis Seraphici fata considerat, ita etiam peculiari Dei Providentiae et ipsius Regulae perfectioni varias eius reformationes adscribit Rmus P. Gonzaga, ubi ait (1): « Ea est franciscani Instituti perfectio, ut omnes alios Ordines longe superet, et in causa sit, ut tepescentibus primaevis illis ardoribus, humanaque natura in declive tendente, relaxationem aliquando patiatur. Sed ea quoque est dei bonitas atque misericordia, ut, cum magis magisque is Ordo declinare atque a recto tramite deflectere videatur, tunc ex tempore robustior consurgat, atque eo, unde delapsus est, aliquorum eius zelotum opera felicius redeat, ut inconcussa interim divina pollicitatio beatissimo Patri Francisco facta maneat: videlicet numquam defuturos Fratres, qui vitam iuxta evangelicam paupertatem ducant, quique Regulam a se editam inviolate servent. » Si haec Leonis et Rmi P. Gonzagae verba attente consideramus, quomodo de futura Ordinis nostri renovatione desperare possemus? Nonne potius credere debemus potentem et misericordem Dei manum non esse abbreviatam, et simul advenisse tempus acceptabile, quo nobis gratias concedere paratus est ad fervorem ubique resuscitandum.

Solemnis enim celebratio septimi centenarii S. P. Francisci occasionem et stimulum praebet Sanctum nostrum Patriarcham ferventius invocandi, in memoriam etiam filiorum suorum revocandi seraphicum illum spiritum et virtutes illas evangelicas quae ipsum adeo Christo conformem, Deo et hominibus tam amabilem et tot prodigiis mirabilem reddiderunt; quo fit ut magis excitentur ad virtutes illas aemulandas, et potissimum altissimam eius paupertatem, mundi contemptum et abnegationis ac mortificationis exercitium, quibus tot

(1) *De origine seraphicae Religionis*, pag. 61.

veri eius sequaces et sancti facti sunt et mirabilia quaeque pro salute animarum et Ecclesiae sustentaculo operari valuerunt.

Illae autem orationes, haec devota suspiria, si ab omnibus Religiosis bonae voluntatis unanimiter et perseveranter ad eum dirigantur, non exaudiri non possunt. Haec enim gaudens sanctissimo Redemptori offeret Seraphicus Pater qui, uti in visione intellexit B. Margarita Alacoque, speciali modo Cordi Iesu coniunctus est et maiorem potentiam habet quam alii sancti quaslibet gratias ab eo obtinendi.

Commendamus proinde omnibus et singulis Ordinis nostri alumnis ut pro desiderata gratia a Domino per intercessionem S. P. N. Francisci obtinenda, hanc ad Eum quotidie orationem quam hic subjungimus, (1) dirigere velint.

Quo autem efficacius vota nostra exaudiantur, saepius in honorem Seraphici Patris sanctum Missae Sacrificium Deo offeramus. Ei de victoriis, sanctitate et gloria Patriarchae nostro collatis gratias agentes, eius patrocinium implorantes, ut et ipse pro nobis intercedere dignetur.

Quapropter dum cathedrae, academiae et artes sancti Francisci laudes hisce diebus certatim concelebrant, dum praeclara eius opera et mirabilia quae per se et filios suos fecit pro merito exaltant, et in venerationis et amoris testimonium marmoreas vel aeneas ei statuas erigendas duxerunt, aliam pariter formemus et offeramus ei effigiem, aere et marmore perenniorem, non manufactam, sed sculptam in cordibus et moribus nostris per perfectam imitationem eius virtutum et puram Regulae observantiam, ut, sicut ipse, pie et sancte vivamus et aliorum saluti uti et Ecclesiae fulcimento cum fructu allaboremus.

Pro certo habeamus nihil magis acceptum offerri posse inclyto nostro Patriarchae, qui referente S. Bonaventura (1), suavissimis se dicebat repleri odoribus, et velut unguento pretioso liniri, cum sanctorum Fratrum per orbem distantium odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci. Ex talium auditu exultabat spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis Fratres illos accumulans, qui verbo vel opere ad Christi amorem inducerent peccatores. *(Continuabitur).*

(1) Ant. *O Patriarcha Pauperum, Francisce; Tu Seraphicae militiae currus et auriga: Tu humilis Minorum Familiae Pater amantissimus: Tu pusilli gregis Pastor vigilantissimus: Tuis hic decertantibus adsta militibus: tuorum gementium respice filiorum preces: gregi tuo periclitanti provide, nam increscunt gemitus ovium tuarum,* (Offic. omnium Sanctor. Ord.)

℣. *Ora pro nobis,* beate P. N. Francisce,

℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Oremus.

Excita in nobis, Domine, spiritum cui beatissimus Pater noster Franciscus confessor tuus servivit, ut eodem nos repleti studeamus amare quod amavit et opere exercere quod docuit. Per Christum Dominum nostrum.

(1) S. Bonaventura, *Vita Sancti Francisci* cap. VIII.

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1882 celebrata
VII.

Ref. Provincia S. Bernardini in Gallia

Reverendissimus P. Minister Generalis, mense Maii decurrentis anni in Galliam se contulit, ambas Provincias Observantium et Reformatorum visitaturus. Ex speciali S. Sedis facultate, die 20 maii Coemellis prope Niciam, ad aliud triennium confirmavit, iterumque nominavit et elegit Provincialem, Custodem et Definitores Provinciae Reformatae S. Bernardini Senensis in Gallia. Confirmati sunt ergo:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Vincentius a Badalucco.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Benignus a Joannisvilla.

DEFINITORES PROVINCIAE:

A. R. P. Seraphinus a Gazzo, ex-Prov.

R. P. Fulgentius a S. Andrea.

R. P. Paulus a Cornaco.

R. P. Leonardus ab Argentano.

Haec Provincia sequentes Conventus habebat ante suppressionem anni 1880:

Cimiez, prope Niciam, S. Mariae.

Saorge (dioec. Nicien.), S. Mariae Miraculorum (2).

Avignon, S. Francisci.

Nîmes, S. Mariae Angelorum.

Caen, (dioec. Baiocen.), S. Mariae Nativitatis.

(2) Hi duo priores Conventus a suppressione praeservati sunt, quia ante Niciae annexionem Gallicae ditioni existebant.

Bourg-Saint-Andol (dioec. Vivarien), Immaculatae Conceptionis.

Macon, S. Antonii Patavini.

Saint-Nazaire, Sacratissimi Cordis Iesu.

Rennes, S. Francisci.

Nice, hospitium S. Iosephi.

Post suppressionem fundata est Londini in Anglia (Upton Lane) domus pro Novitiis iuvenibusque professis educandis, et alia etiam in Monacensi principatu, prope Niciam.

—

VIII.
Obs. Provincia S. Ludovici Episcopi in Gallia.

Post electiones Ref. Provinciae S. Bernardini in Gallia, Rmus P. Generalis Burdigalam se contulit, ubi Obs. Provinciae S. Ludovici Capitulum celebravit, non equidem in Conventu iam vi suppresso, sed in privatis aedibus, quae a nobili et pia benefactrice Patribus Capitularibus oblatae fuerant. In solemnitate igitur Pentecostes die 28 Maii, Ministro Generali Praeside, rite celebratum est Capitulum et electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

Adm. Rev P. Andreas Maria ab Hurbache.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Petrus Baptista ab Orthezio.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Paulus a Sancta Maria.

R. P. Iulius a Sacro Corde.

R. P. Otho a Pavia.

R. P. Chrysostomus ab Ithorrots.

Ante suppressionem nuperrime patratam, haec Provincia sequentes habebat Conventus:

Saint-Palais, (Dioecesis Baionen.) Immac, Conception.

Amiens, Purissimi Cordis B. M. V.

Limoges, S. Antonii Patavini.

Bourges, Immac. Conceptionis.

Bordeaux, S. Mariae Angelorum.

Pau, (Dioec. Baionen.) Sacratissimi Cordis.

Paris, (via *des Fourneaux, 83).* S. Annae (1).

Béziers, (dioec. Monspellien.) S. Francisci.

Brive, (Dioec. Tutelen.) S. Antonii Patavini.

(1) In hoc Conventu restitutus est Commissariatus Terrae Sanctae cum aliquibus Patribus et Fratribus.

Prope Conventum Burdigalensem erectum fuerat, ad iuvenes pro Ordine instituendos *Collegium Seraphicum* quod, ex Dei Providentia praeservatum, in spem huius Provinciae adhuc florescit.

Post violentam Fratrum dispersionem mense Novembri 1880, Novitii et Clerici omnes, iunioresque sacerdotes extra Galliam translati sunt, alii scilicet in Angliam, ubi duae domus nunc existunt in dioecesi Cliftonensi, *Clifton* et *Clevedon*, alii in Hispaniam, ubi antiquus Ordinis Conventus B. M. V. de *Loreto*, in dioecesi Hispalensi, restitutus est; alii tandem numero duodecim in Conventu Werthensi, Provinciae Germaniae Inferioris cum fraterna et eximia caritate excepti sunt.

III.
MISSIONES

—

CIVILITATIS HEROES

Ex Ephemeride « Osservatore Romano N. 182 » 10 Augusti 1882, sequentes transtulimus considerationes circa Aegypti Missionarios:

« Cum Administri pro externis negotiis summa rationum, in magno Montiscitorii ligneo conclave discutitur, nonnunquam audiuntur oratores italis missionariis insultantes, vocitantes eos patriae hostes, filios rebelles, contra italicum gubernium conspirantes. Istiusmodi autem oratores non tantum minime redarguuntur, sed admirationem movent, sed laudantur, eorumdemque consilia adprobantur: quinimmo inverecundae accusationes, stultaeque irrisiones in actorum codicem referuntur. Paucis dicam: Missionariis italica civitas denegatur; protectio, auxiliumque eisdem recusantur, eo quod in scholis religionem et bonos mores edoceant.... dum interea omni consideratione digni sunt ob ea quae civilitati et patriae heroica sui abnegatione continuo praestant, et Italiae nomen in dissitis regionibus gloriae corona ipsi cingunt.

Certo certius Missionarii Carbonariorum Massonumque heu nimis potentium nunc sectarum Italiam non diligunt; sed pro vera Italia, pro

Italia quae hoc nomen meretur, pro Italis vitam ipsam profundere semper parati sunt... et cum in barbaris regionibus obvios habent, eisdem, quaecumque sithorum opinio vel religio, omni modo opem ferre conantur. Itali Italis omnibus praesto sunt non tantum ea charitate qua omnes prosequi tenentur, sed dulci etiam patriae amore, qui eo magis eos urget quo a patria sunt remotiores.

Et inter horrenda Alexandriae Aegyptiorum adversa quinam Italiam honestarunt, plusquam virilem animum ostendentes, animum, inquam, qui a Fide provenit? Non Brinnii naves, non Mezzacapii Litterae, non Damianii Mussiive sermones; sed uniuscuiusque Provinciae Franciscales Itali, impavidi incendiariis pilis ingruentibus stetere; et igne omnia vastante, Arabumque turba depopulante circumdati, non sibi sed aliis consuluêre, ita ut plusquam 120 hominibus opem ferre, cibumque suppeditare potuerint, sicuti Epistola ex Alexandria refert, quae a nobis in Ephemeride nostra die 3 Augusti evulgata est. Epistola illa horrenda suae narrationis simplicitate poema est.

Omnibus fugam capientibus, Franciscales loco suo non moventur; imo morti occurrentes non gloriantur; italicum collegium ab incendio incolume servantes, non sibi meritum adtribuunt; multa amittentes non lamentantur... Haec Franciscalium in Aegypto heroicitas italicarum missionum historiae, vere auream paginam addit.

Ast dum magni Assisiatis filii Italico Collegio ab igne servando insudabant, ubinam erant Senatores et Deputati qui nonnisi irrisorie et cachinnantes de Missionariis loquuntur? In villis, ad Thermas, in genialibus caetibus... forsan actu obvium Franciscalem deridentes, dum Franciscalis in Pyramidum regione mira animi fortitudine et constantia Patriam honestabat. Utique Franciscani vindictam sumere norunt! Dedecus eis infertis, eosdem velut eliditis; ii autem patriae vestrae nomen decusque servant! Virtus admirationi, habetur et heroica gesta animos movere solent. Aegyptii exterique qui lugubri Alexandrinae tragoediae praesentes fuere, quum ad ea quae spectarunt oculis animadvertent, Italos sub Franciscali tunica bene se gessisse fatebuntur... sicque aliquid adhuc valet tunica Franciscana. Ad Pyramidum bases gentibus illis virtutis italicae symbolum ipsa erit.

Has inter calamitates, utinam qui in Italia summa rerum potiuntur, utiles, beneficas, laude et protectione dignas Missiones esse addiscant! Ast haec sperare non audemus; imo sectae tantam heroicitatem invidentes, ex hac odia persecutionesque augendi causas captabunt. Quo anima sanctior, eo magis daemon eamdem persequitur vexatque. »

—

VICARIATUS DE HOU-PE

Rmus Episcopus et Frater noster Alexius M. Filippi, Vic. Ap. de *Hou-pe* occiduo-meridionali Rmo P. Ministro Generali scribit, et angustias ministerii sui aperit die 26 Maii 1882.

Prima eius angustia est defectus missionariorum: Peractis enim etiam hoc anno infra Hebdomadam Passionis spiritualibus exercitiis, Episcopus noster perrexit assignandam, ut mos est, cuique missionariorum suam missionis stationem; sed missionariorum numerus est tam exiguus ut omnino impar sit latissimo eius Vicariatui; praeterea, quod magis dolendum est, plures missionarii vel aegra sunt omnino valetudine ut domi eos retinere oporteat sub medicorum cura; vel non ita va lent ut incommoda regionum algidi climates montium illorum sustinere possint. Quare cum tantus sit defectus missionariorum, enixe rogat ut plures et validi operatores illam in vineam Domini mittantur.

Secunda eius angustia est persecutio vel potius latrocinium perpetratum in sacerdotem Sinensem D. Ignatium *Kieng;* qui degens in loco, qui dicitur *Han-fom*, provinciae *Xe-nam,* illam missionis stationem regebat. Infideles enim illius loci, non quidem proprio marte, cum nobis infensi non sint, sed baccalaureorum, seu litteratorum machinationibus, nequitia et suasionibus, potentissimi enim apud vulgum sunt, excitati in christianos insurrexerunt, absente missionario, domunculam catechumenorum everterunt, domos vero christianorum depopulati sunt, eam praesertim in qua missionarius hospitabatur; huius insuper domus domino oculos eruerunt et linguam exciderunt. Missionarius tantae cladis admonitus in proximam provinciam confugit; indeque Vicarium

Apostolicum certiorem fecit omnium, quae acciderant.

Haec anno 1881 perpetrata sunt, contemptu et violatione flagranti publici iuris etiam nuperrime conventi et constituti inter Sinensium Imperatorem et Europae nationes. Episcopus Vicarius Apostolicus statim facinus detulit iudicibus loci, et Europaeis consulibus, ut pro munere iustitiam facerent et protectionem darent iuxta conventiones vigentes et iura. Insuper toto hoc biennio non destitit *hanc* causam promovere apud eosdem iudices et consules. Qui verba quidem promissionum dant multa, facta vero executionis nulla. Hinc causa haec tam flagrans et late iusta adhuc insoluta manet, imo nec serio inquisita.

Interim illa nostra missionis statio deserta est, eamque adire nequimus, et nostri christiani baptizati et catechumeni, expoliati omnibus, carent etiam missionario, qui eos spirituali aliquo solatio afficiat et in suscepta fide contantes retineat.

Tertio; angustiae quoque illi sunt quaedam civiles rebelliones, quae graviori nunc bello causam praebere videntur. Quibusdam enim in pagis et urbibus illius provinciae continenter rebelliones paganorum in imperiale gubernium suboriuntur. Quarum coercitio molesta et dispendiosa nimium gubernio est; eo quod rebelles nunc subiugati paulo post subiectonis iugum excutiunt. Quare Imperator edictum fecisse dicitur ut eiusmodi populi et urbes prorsus exterminentur. Sperandum quidem est, quod eiusmodi decretum adamussim executioni non detur. Sed si fieri vellet, timendum omnino est, ne tota provincia, qua Vicariatus continetur, exurgat et obstet imperialibus copiis et belli generale incendium excitetur. Quod tam ipsis quam nobis et rei christianae nimiam calamitatem afferret.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

Opera occasione VII Centenarii S. Patris Francisci edita.
(*continuatio*)

1882. Analecta ad Fratrum Minorum historiam: 1. Fr. Nicolai Glasbergeri narratio de origine et propagatione Ordinis e Cod. Ms. primum edita et illustrata. — 2. Quaestiones de Ordinis Conventu Lipsiensi. Scripsit G. F. Carolus Evers, Theologiae et philosophiae Doctor, Pastor in Aede S. Matthaei Lipsiensi. Lipsiae, in Aedibus Georgii Boehme, in 4 p. 65.

1882. Le stimmate di S. Francesco. Poema del P. Giovanni Bonsignori, M. O. scritto in Gerusalemme, stampato ora per la prima volta. Roma, tipografia sociale, Via Larga 3. in 12, p. 468.

Discretus Custodiae Terrae Sanctae et deinceps, eiusdem Praeses anno 1675 extitit P. Ioannes Bonsignori, praelaudati poematis auctor, et in Conventu S. Salvatoris hierosolymitani die 4 Augusti 1680, supremum diem obiit. Cuius opus ab illo tempore manuscriptum remansit in Bibliotheca praefati Conventus, e quo Romam allatum a R. Adm. P. Bernardino a Caprarola, nunc Aracoelitani Conventus Guardiano, occasione Centenarii Seraphici Patris prelo subiectum est.

1882. La Sapienza della Croce ossia nuovo Quadro storico-critico della Vita e delle opere di S. Francesco di Assisi in occasione del settimo Centenario dalla sua nascità presentato agli studiosi imparziali dell' età nostra, dal P. Raffaele da Paterno, Lettore Giubilato, M. O. della Provincia di Salerno. Napoli, Domenico Morano, Strada Quercia, 14. in 8 p. 184. (L. 2.)

In tribus partibus dividitur opus, quarum prima haec est: *S. Francesco d'Assisi fu sostegno della Chiesa e propagatore della dottrina evangelica;* secunda vero: *S. Francesco d'Assisi considerato come civilizzatore dei popoli ed in particolar modo Luce d'Italia;* et tertia: *S. Francesco d' Assisi considerato in relazione colle belle Arti.* In Appendicibus indicantur fontes historiae S. Francisci, Regulae trium Ordinum ab ipso fundatorum, et varia poetica carmina referuntur.

1882. Prospetto dei Vantaggi spirituali e temporali che possano ricavarsi dall' augusto sacrifizio della S. Messa, scritto in Terra santa da un Missionario M. O. per diffonderlo nella ricorrenza del 7. Centenario del Patriarca S. Francesco d'Assisi. Roma, tip. sociale, in 12, (pag. 16.)

1882. S. Francesco di Assisi, Poema latino-italiano di Giacinto Pieralice De-Vecchi. Roma, Monaldi e S. in 8, pag. 118. (L. 1).

Tribus libris constat poema, singulorum argumenta breviter hic indicamus.

Liber I: Invocatio. — Dedicatio poematis. Rmo P. Bernardino Ministro Generali. — S. Franciscus moritur et coelum petit. — Occurrit Archangelus Michael. — Cantus Angelorum in laudem S. Francisci. — Cantus S. Francisci in Lunam cominus prospectam. —

Michael vaticinatur S. Francisco futuram gloriam sui Ordinis. — Ambo ad solium divinum properant.

Lib. II: Loci descriptio. — Michael commonstrat Francisco Optimates sub signis suis militaturos. — Item celebriores regnorum administros, sanctos, martyres, insigniores Evangelii nuncios et theologos. — S. Franciscus grates Deo rependit.

Lib. III: S. Michaeli et Francisco vivendas se offerunt S. Clara, S. Ludovicus Rex, S. Ludovicus Ep., S. Pacificus, etc., etc. Episcopi, Cardinales, Pontifices. — S. Michael evehit Franciscum ad oram Oceani lucis. — Cernitur solium superbi Luciferi humili Francisco reservatum. — Christus vocat ad gloriam Franciscum. — Poeta orat ut haec natalitia celebritas in ejus honorem cedat. — Ordinem commendat, et demum Angelicum Pontificem ex suo Ordine oriturum precibus accelerat sub quo fiet *unum ovile et unus Pastor.*

1882. Graduale et Vesperale Romano-Seraphicum, septimo a die natali S. P. Francisci Seraphici Centenario dedicatum a Provincia Bavarica et editum a *P. Beda Eckert,* eiusdem Provinciae alumno. Ratisbonae, apud Fridericum Pustet.

I. Pars continet Introitus, Gradualia, Offertoria et Communiones ex Missis propriis triplicis Ordinis Seraph. in cantu chorali et maxima ea parte etiam pro 3 et 4 vocibus paribus.

II. Pars continet Antiph. cum suis Psalmis (*in Falso Bordono*) et Hymnos Vesper. diei 4 Oct., 13 Iunii, 12 Aug. nec non Litanias de S. P. N. Francisco et S. Antonio de Pad. atque alias cantiones apud nos usitatas ad 3 et 4 voces aequales. In Appendice, qui etiam a duabus partibus seiungi potest, inveniuntur cantiones ad unam et plures voces aequales cum textu germanico, in devotione s. Viae Crucis, in conventibus tertii Ordinis, in hon. s. P. Francisci, s. Antonii et s. Clarae decantandae.

Approbatum fuit opus ab A. R. P. Ministro Provinciae Bavaricae, et die 23 Augusti proxime elapsi a Reverendissimo P. Ministro Generali.

1882. Der hl. Franziskus von Assisi, Christi Nachbild und des Christen Vorbild (latine: S. Franciscus Assisiensis, Christi imago et Christiani exemplum) Eine Festgabe für alle Kinder und Verehrer des seraphischen Vaters zu seinem sieben-hundertsten Geburtsfeste. Von P. Peter Paul Ausserer, Prov. Tirol. S. Leop., Ex-Poenitentiarius Lateranensis. Innsbruck (Oeniponte) bei Felician Rauch. (L. 1,50).

1882. Compendio della vita di S. Francesco d'Assisi nell' occasione del settimo Centenario della sua nascita, del Padre Viatore Comba, Torino, tipografia e libreria Giulio Speirani e figli.

1882. Il vero Amico del Popolo del P. Anastasio Bocci, M. O. Livorno, in 12 (p. VII-406) L. 3.

Huius operis indicem praebemus:

I. Il prigioniero.
II. Il figlio del mercante.
III. Il fidanzato.
IV. Lo sposalizio.
V. Signoria di Francesco.
VI. La milizia francescana.
VII. La costituzione francescana.
VIII. I lebbrosi.
IX. Poveri e pauperismo.
X. Le conquiste di Francesco.
XI. Le missioni francescane.
XII. Il popolo francescano — Terz'ordine.
XIII. Il Monte Alvernia.
XIV. Testamento e morte di Francesco.
XV. Bozzetti francescani:

Antonio da Padova — Alessandro d'Ales. — Bonaventura — Ruggero Bacone — Giovanni Duns Scoto — Corrado da Piacenza — Edwige e Jagellone — Giacomo Strepa — Roberto Malatesta — Bernardino da Feltre — Giuseppe da Leonessa e Bonaventura da Potenza — Leonardo da Porto Maurizio — P. Gregorio Gerard — Geremia Cosenza — Monsig. Massaia — Monsig. Cosi — P. Lodovico da Casoria — P. Simpliciano della Natività.

Duabus editionibus constat opus, una in eleganti et pretiosa charta, altera vero in charta communi. Qui prioris unum exemplar petierit pro L. 3, duo etiam exemplaria posterioris gratis recipiet.

1882. S. Francesco d'Assisi, del R. P. Leopoldo de Cherancé, Guardiano Capuccino, Traduzione dal Francese di un Religioso dello stesso Ordine, alunno della Provincia Veneta, con correzioni e note dell'autore, aggiunte all'ultima edizione francese, sola traduzione approvata dall' autore. Venezia, Tipografia Emiliana, in 12, p. 464. (L. 2,25.

Dedicatur haec traductio Revmo P. Bernardino, Ministro nostro Generali.

1882. Vita di S. Chiara d'Assisi, fondatrice delle Clarisse e prima abbadessa del Monastero di S. Damiano, (1194-1253), composta dall'Ab. F. Demore, canonico onorario di Marsiglia, Traduzione dal francese di Giuseppe Giusti. Roma, Tip. Monaldi, in 12 pag. VIII-346. (L. 2,25.)

Sequentia S. Patris Nostri Francisci quam P. Carolus a Neapoli Observantis Provinciae Principatus Filius, ad Harmoniam reducens, Rvmo P. Bernardino a Portu Romatino Ordinis Ministro Generali per quam humillime dicat. septima centinaria commemoratione ab ortu S. P. Francisci. Litog. M. Villani Napoli L. 6.

Praedictam musicalem compositionem laudavit Magister Laurus Rossi Director Collegii Musicae Neapolitani.

Nihil obstat
Fr. Bernardinus Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

LITTERAE APOSTOLICAE

quibus quinque nova Officia ad Ecclesiam universalem extenduntur.

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Nullo unquam tempore Romani Pontifices Antecessores Nostri praetermiserunt Sanctorum virorum, qui doctrina, virtute, rerum gestarum praestantia Catholicam Ecclesiam, dum in terris agerent, illustrarunt, memoriam in animis Christifidelium, eorum praesertim, quorum est caeteros exemplo anteire, quo altius possent imprimere. Id autem hac inter alias ratione consequuti sunt, eorumdem scilicet Sanctorum festa sive in Universali, sive in Particularibus Ecclesiis indulgendo, ac vitae et rerum gestarum historiam Breviariis inserendo, ut qui divinas preces recitare tenentur, ab iis virtutum illorum factorumque memoria cum laude quotannis repetatur. Hinc nostris etiam temporibus sa. me. Pius Papa IX Praecessor Noster vota excipiens et preces multorum Sacrorum Antistitum, qui Romam convenerant Oecumenici Concilii Vaticani causa, peculiarem constituit Anno MDCCCLXXIV Sacrorum Rituum Congregationem, cui munus detulit expendendi utrum opportunum esset in Kalendario Ecclesiae Officia inserere nonnullorum Sanctorum, qui Apostolorum opus prae caeteris prosequuti Ecclesiae universae aedificandae ac tuendae, et inter diversas gentes dilatandae impensius adlaborarunt: Officia haec erant Sanctorum Bonifacii Episcopi et Martyris, Iustini Philosophi Martyris, Cyrilli et Methodii Pontificum et Confessorum, Cyrilli Episcopi Alexandrini, Cyrilli Episcopi Hierosolymitani et Augustini Episcopi Cantuariensis. Haec autem peculiaris Congregatio Sacrorum Rituum, omnibus quae ad rem pertinerent accurate perpensis, expedire censuit Officium S. Bonifacii ritu duplici ad universam Ecclesiam extendi, indulgendumque esse illis, qui S. Iustini Officium peterent eodem ritu: de aliis rem differre placuit. Quam sententiam idem Praecessor Noster ratam habuit et confirmavit. Haec tum quidem acta sunt. Anno autem MDCCCLXXX visum est Nobis, Sanctis Fratribus Cyrillo et Methodio Slavoniae gentis Apostolis eiusdem cultus honorem tribuere, S. Bonifacio, ut diximus, a Praecessore Nostro delatum. Porro cum Sacrorum Antistites ac Fideles rogare pergerent, ut pari honore condecorarentur tum S. Iustinus, tum alii inclyti Coelites, de quibus prolata res fuerat, tum etiam S. Iosaphat Episcopus Polocensis Martyr, praeclarum Polonae ac Ruthenae gentis lumen: cumque habenda esse tandem ratio videretur postulationum, quae a Romano Clero Apostolicae Sedi porrigebantur pro inscribendis in Kalendario Urbis festis quorumdam Sanctorum, qui Urbem ipsam suis illustrarunt exemplis et finem laborum suorum ibi assequuti eam propriis nobilitarunt exuviis; idcirco Nos particularem Sacrorum Rituum Congregationem a Praecessore Nostro iam pridem deputatam iterum constituere duximus, eique mandavimus ut opportune expenderet, qua ratione in Kalendario sive Universali sive Cleri Romani Officia praedicta et alia in posterum, si opus esset, inseri possent. Itaque approbantes, et confirmantes, quae a Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardina-

libus aliisque dictam Congregationem componentibus decreta, et per Venerabilem Fratrem Nostrum Dominicum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Bartolinium Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum relata Nobis fuerunt, Auctoritate Nostra Apostolica volumus et praecipimus, ut in Kalendario Universali Ecclesiae sub ritu duplici minori inscribantur Officia: die IX Februarii S. Cyrilli Alexandrini Episcopi Confessoris; die XVIII Martii S. Cyrilli Hierosolymitani Episcopi Confessoris; die XIV Aprilis S. Iustini Philosophi Martyris; die XXVIII Maii S. Augustini Episcopi Cantuariensis Confessoris; die XIV Novembris S. Iosaphat Episcopi Polocensis Martyris; deinde ut in Kalendario Cleri Romani sub ritu item duplici minori inscribantur Officia: die XVI Aprilis S. Benedicti Iosephi Labre Conf.; die XXIII Maii S. Ioannis Baptistae De Rossi Confessoris; die XIX Augusti B. Urbani II Papae et Confes.; die XI Octobris B. Ioannis Leonardi Conf. die XVII Decembris S. Leonardi a Portu Mauritio, Confessoris: affigantur autem in eodem Kalendario Cleri Romani festa S. Cyrilli Alexandrini diei XX Februarii, S. Cyrilli Hierosolymitani diei XX Martii, S. Augustini Cantuariensis diei VII Iunii et S. Iosaphat Polocensis diei XIV Decembris. Quo vero in utroque Kalendario tum Universali tum Cleri Romani habeantur sedes liberae ad nova Officia introducenda eadem auctoritate Nostra volumus ac praecipimus, ut Rubrica Generalis Breviarii Romani tit. X de translatione Festorum hac ratione mutetur; videlicet: « Festa duplicia minora (exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum) et Festa semiduplicia, si occursu Dominicae vel Maioris Festi seu Officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio, cum nona lectione historica, sive una ex duabus aut tribus, si tamen haec eo die fieri possint; secus huiusmodi festa duplicia et semiduplicia eo anno penitus omittuntur, ut de simplici cautum est in rubric. tit. IX num. X, tit. X, num. VIII »: postremo ut praesentes litterae Apostolicae in novis editionibus Breviarii ad calcem Rubricae interim apponantur, donec accurata Rubricae ipsius correctio per Sacrorum Rituum Congregationem perficiatur. Haec praecipimus et mandamus, non obstantibus Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscat. die XXVIII Iulii MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri Anno quinto.

TH. CARD. MERTEL.

DECLARATIO S. R. C.
ET
DECRETUM RVMI P. GENERALIS

FR. BERNARDINUS, etc.

Postquam SS. D. N. divina providentia Leo Papa XIII per suas litteras « *Nullo unquam tempore* » diei XXVIII Iulii anni curr. decrevit, et praecepit, ut in *Kalendario Universali Ecclesiae sub ritu duplici minori inscriberentur* quinque nova officia Sanctorum, dubium subortum est, num ea officia fieri omnino deberent, etiam a Nostratibus, diebus a Summo Pontifice statutis, uti debuimus pro officio SS. Cyrilli et Methodii, vel nobis liceret iuxta rubricas peculiares Nostri Breviarii Romano-Seraphici, ea in aliam diem transferre. Hac de causa sequens petitio S. Rituum Congregationi porrecta fuit:

BEATISSIME PATER.

Fr. Andreas Lupori, Procurator Generalis Ordinis Minorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter exponit:

In Rubricis peculiaribus Breviarii Ordinis Nostri a S. Sede Apostolica in forma specifica approbatis N. 114 praescribitur: « Ubi post confecta perpetua Kalendaria a S. Sede concedatur, ut ubique in Ordine novum aliquod festum recitari debeat: tunc si officio huic a S. Sede dies praescripta sit eamdemque diem in Kalendario Ordinis occupet Officium alterum, seu quod huius natalitia sit, seu quod ipsi fuerit quomodolibet assignata:

serventur omnino occurrentiae leges, et alterutri Officio assignetur prima dies, quae post illam in Kalendario Ordinis impedita non est. »

In Kalendario Ordinis nostri a S. Sede pariter approbato dies a Sanctitate Vestra per decretum d. d. 28 Iulii a. c. pro novis officiis assignati, excepto die 14. Aprilis, per alia Officia aequalis ritus iam occupati sunt. Hinc Orator humillime supplicat Sanctitati Vestrae, ut benigne declarare dignetur, utrum in Kalendario Ordinis nostri quatuor ex *quinque* novis officiis praescriptis iuxta praefatam Rubricam in dies proxime non impeditos respective reponi valeant; scilicet festum S. Cyrilli Alexandrini in diem 15 Aprilis, festum S. Cyrilli Hierosolymitani in diem 17 Aprilis, festum S. Augustini Cantuariensis in diem 18 Iunii et festum S. Iosaphat in diem 20 Decembris. *

Pro qua gratia etc.

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, huic postulato rescripsit: *Affirmative in omnibus*. Die 6 Septembris 1882.

Pro Emo et Rmo Dno Card. D. Bartolinio S. R. C. Praefecto

Camillus Card. Di Pietro, Episc. Ostien. et Velitern.

L. † S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

Nos igitur, declaratione S. Rit. Congregationis innixi, statuimus et assignamus Officio S. Iustini philosophi Martyris diem XIV Aprilis.

Officio S. Cyrilli Alexandrini Episc. Confess. diem XV Aprilis. *

Officio S. Augustini Episc. Cantuariensis diem XVIII Iunii.

Officio S. Iosaphat Episc. Polocensis Mart. diem XX Decembris.

Et ita mandamus ut servent Kalendaristae Ordinis Nostri in conficiendo quotannis directorio

Dat. Romae ex Aracoeli, die 1. Oct. 1882.

Fr. Bernardinus Min. Glis.

De mandato Paternitatis suae Rmae

Fr. Petrus a Monsano

Secretarius Glis Ord.

* **Officio S. Cyrilli Hierosolymitani diem XVII Aprilis.**

DECISIO
S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

—

MINORUM OBSERVANTIUM S. FRANCISCI
SUPER ITINERATIONE IN VIIS FERRATIS

Die 19 Iunii 1863.

Compendium facti. - Cum SSmo D. N. supplex, celato nomine, libellus oblatus esset, in quo Orator inter Religiosos Franciscales ab Observantia nuncupatos adscriptus, abusus in Provincia quadam circa Regulam S. Francisci invectos ac nominatim circa usum calceamentorum lamentabatur, ac praeterea declarationem postulabat, an Fratribus sub purae eiusdem Regulae vexillo militantibus, in itinere faciendo, curribus uti liceret vi vaporis impulsis; Sanctitas Sua supplicem eumdem libellum S. Congregationi Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae remittendum curavit, ut ea de re accurate videret et in Domino super precibus decerneret.

S. C. ante omnia Generalis Ordinis Franciscalis ab Observantia sententiam rogavit, qui circa usum calceamentorum retulit constantem ubique et uniformem regulam non posse praescribi. Quod vero pertinet ad currus vaporiferos pro itinere Fratrum adhibendos votum a Definitorio emissum (1) amplectebatur, nempe recentium eorum curruum usum per Regulam S. Francisci non prohiberi; neque esse illicitum, si iusta causa et sine recursu ad pecuniam usurpetur; non licere autem ex titulo merae

(1) Coacto hac die 20 Novembris 1861 generali congressu sub praesidentia Rmi Patris Generalis Ordinis, in primis praeposita fuit quaestio, an contra Regulam S. Patris Nostri Francisci *de non equitando*, sit iter in hodiernis Vaporiferis (vulgo *strade di ferro*) adeoque Fratribus Minoribus illicitum. Patres igitur Rmi Definitorii Generalis, viso S. Regulae Franciscanae praecepto *de non equitando*, ceterisque articulis eiusdem S. Regulae, paupertatem et spiritum humilitatis et poenitentiae respicientibus, maturo examine consideratis et perpensis, unanimiter in hanc devenerunt sententiam scilicet: « Usum currus vaporiferi *per se* a Regula prohibitum non esse; nullatenus tamen negatur, illum illicitum, et a Regula interdictum fieri, si absque iusta causa ad pecuniam recurrendum sit. Eodem modo nullatenus Fratribus permittitur, ut recreationi suae nimium indulgentes in curribus vaporiferis inutiles itinerationes suscipiant: imo, ne huiusmodi abusus fiant, Superiores invigilare debent, sine quorum licentia ne deambulationes quidem pedestres, et multo minus itinerationes in viis ferreis suscipi possunt. »

recreationis; denique supremis Moderatoribus invigilandum esse, ne sine eorum licentia itinera in viis ferreis suscipiantur. S. Congregatio votum insuper exquisivit unius ex suis Consultoribus, qui itinerationem in viis ferratis a Regula S. Francisci proprie non interdici admittebat: ad praecavendos tamen abusus id praescribi oportere censebat, ut nemo sine venia Superioris loci et iusta causa, ubi loca gratuita non adessent, in illiusmodi viis iter facere auderet. Quare duo S. C. fuerunt proposita infra scripta dubia.

Disceptatio Synoptica.

Ex officio praemittebatur copiosa et erudita iuris expositio ad quaestionis elucidationem. Observabatur enim constare inter omnes, Regulam S. Francisci *in forma* quam dicunt *specifica* ab Honorio III approbatam fuisse in Constit. *Solet,* eamque confirmasse sequiores Pontifices, quorum aliqui eamdem insuper pluribus in rebus declararunt *cap. Exiit. de verb. sign. in 6* in quo etiam discrimen positum est inter capita quae in Regula consilium et quae praeceptum important: atque adeo praecepta ipsa subdivisa sunt inter ea quae formalia et eminentia, quae virtualia, quae vim habentia, quae aequipollentia reputarentur. Iam vero ex eiusdem capitis verbis aequipollentia, veram ac plenam obligandi vim habent; super haec, praeceptum de non equitando inter aequipollentia dissertissime in Clementina *Exivi* recensetur.

Urbanus VIII in Const. *Militantis 1 Iunii 1610* §. *Ne autem,* poenas in eos constituit, ***qui sine manifesta vera gravique necessitate aut infirmitate, et absque licentia Provincialis, vel in casu urgenti, Superioris localis, de consilio et iudicio trium Discretorum Conventus scriptis obtenta, equitare ausi sint.*** Post haec, plura adiiciebantur huic Constitutioni consonantia, quae sancita extant in specialibus constitutionibus Familiarum franciscalium, nec non ea, quae tradunt expositores Regulae S. Francisci, inter quos S. Bonaventura *in expos. Reg. S. Francisci pag. 340 inter eius opp. t. 7* haec habet « Sed pro seclusione « equitationis subdit (regula) *et non debeant* « *equitare,* ac per consequens nec bigare, nec « quadrigare quae maioris sunt sumptus, nisi « manifesta necessitate prolixi vel impediti « itineris vel negotii urgentis vel infirmitate « cogantur, dicit autem *non debeant* pro eo « quod debeant non equitare. » Ceterum expositores docent sub censura Regulae Franciscalis non cadere navigationem. Imo de itineratione in curribus, qui aliter quam ab animalibus impelluntur, censet De Amoeno, *de delictis et poenis t. 3 tit. 9* §. *2* eam a Regula non prohiberi, et recentiores expositores (1) consentiunt usum iter ineundi in viis ferratis per se non esse prohibitum, ex eo quod sanctus Regulae Conditor eum nedum comprehendere, sed nec mente potuit sibi fingere.

Ea quae videbantur peculiariter obstare huic itinerationi. — Hisce praestitutis, animadvertebatur, triplicem esse finem, quem ex communi Expositorum doctrina in equitatione inhibenda lator legis sibi proposuit, nempe ut daret formam sollicitudinis evitandae in procurando pretio equitationis, humilitatis observandae, et austeritatis exercendae. At vero ad iter in viis ferreis suscipiendum requiritur pretium; inceditur more nobilium aut saltem divitum; denique commodius, quam super equo vel curru ab equis educto, iter absolvitur.

Insuper cum quod minus est prohibetur, etiam quod maius esse prohibitum censeri debet, si fini quem lator legis sibi proposuit adversetur; itaque cum bigare et quadrigare maius sit quam equitare, hinc fit quod a D. Bonaventura et Expositoribus sub Regulae franciscalis censura bigatio et quadrigatio cadere communiter tradatur. Atqui ferri ac rapi in ferratis etiam maius est, quam bigis vel quadrigis vehi. Itaque Benedict. XIV. in Const. « *Iniuncti nobis* » dum poenas constituit in eos, qui absque causa utantur cisiis, subdit aeque interdici quodlibet aliud commodum. Quae loquendi formula generica est, ac latissime patet.

Praeterea cum aliquis actus prohibetur, contrarius eius iniunctus intelligitur; sic si prohibeatur otium, occupatio ac labor impositus existimatur. Quando itaque interdicitur equitatio, pedestris itio et incessus iniunctus esse dicetur. Iamvero si pedestris ire debeas, iam nec in curru qualibet ratione dimoto adactoque incedere tibi permissum erit.

(1) P. Canicatti, Albertus a Bulsano, Pater Samuel a Laude Pompeia vulgo *Lodi.*

Tandem observabatur usum curruum vaporiferorum multis incommodis facillimam aperire viam. Nam primo pretium inveniendum est; datur Fratribus occasio vagandi; exponitur Ordo Regularis subsannationibus eorum qui simul in curribus iisdem invehuntur, idque magis hisce temporibus, quibus Regularis habitus infestis oculis conspicitur.

Obiectionum solutiones. — Verum haec obiecta sic diluebantur. Respondebatur enim ad primum, *finem legis non cadere sub legem:* quamvis itaque triplicem illum finem S. Franciscus sibi proposuerit, non idcirco dici debet in equitationis interdictae praeceptum labi ille Frater, qui commode laetanter iucundeque, cum honorifico comitatu iter pedestre conficiat: esto quod ex alia causa peccatum non effugiat. Et in curribus vaporiferis, ubi sedes diversorum graduum distinctae sunt, saltem relate ad alios saeculares, Religiosus triplicem illum finem paupertatis, humilitatis, mortificationis obtinere posse non prohibetur.

Ad alteram obiectionem respondebatur eidem locum esse, cum res maior ad idem genus attinet, ad quam attinet minor: sic bigatio et quadrigatio eiusdem generis est ac equitatio, adeoque minime permissa reputatur. Aliter tamen est, cum res ipsa diversi generis sit; et sane navigatio ad praeceptum de non equitando haud pertinet, adeoque sub huiusmodi praeceptum non cadere communiter docent Expositores.

Tertia obiectio valet, quando inter utrumque actum nil medii est, veluti non est inter otium et laborem: at vero inter equitationem et pedestrem itionem adest navigatio, quae tamen prohibita non est, ut innuimus.

Circa ultimam obiectionem observabatur, nihil esse in rerum natura, quod incommodis et abusibus viam sternere non possit, si debitae cautiones negligantur: hinc provide pro virili curandum est, ut incommoda, si quae sint, reparentur, atque adeo quoad fieri potest praecaveantur.

Dubia

I. « An locus sit alicui providentiae circa » adsertam inobservantiam Regulae in gene» re, ac nominatim super calceamentis in » casu. »

II. « An et quomodo usus curruum in viis » ferratis vaporis impetu adactorum Fratribus » Minoribus Observantibus permissus sit in » casu. »

Resolutio dubiorum. — Sacra Congregatio EE. et RR. die 19 Iunii 1863 respondere censuit ad I. *ad P. Ministrum Generalem qui, quatenus vera sint exposita, procedat iuxta Regulam Ordinis: et quoad calceamenta* Dilata, *et idem Minister Generalis magis praecise referat, audito voto Definitorii Generalis.*

Ad II. *affirmative, ex rationabili causa, de licentia Superioris prout in rhedarum usu, salvo quoad locum spiritu humilitatis.*

—

DECLARATIO S. R. C.

quoad festum S. Ioseph in occursu cum Dominica Palmarum.

CALAGURITAN. ET CALCEATEN.

Rmus Dnus Episcopus Calaguritanus et Calceatensis sacrae Rituum Congregationi sequens dubium resolvendum humillime proposuit, nimirum:

Festum sancti Ioseph, B. M. V. sponsi et Catholicae Ecclesiae patroni, quod ad ritum duplicis primae classis a sa. me. Pio Papa IX elevatum fuit, occurrens a Dominica Palmarum usque ad feriam V in Coena Domini, ita ut festum Annuntiationis Deiparae absque praecepto Sacrum audiendi et a servilibus abstinendi transferatur, estne transferendum iuxta rubricas Breviarii, vel praeponendum festo Annuntiationis?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente Secretario, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Ministris, rescribere censuit: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam partem.* Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 8 Martii 1879.

II.
ACTA ORDINIS

—

EPISTOLA

Rmi P. Ministri Generalis ad Fratres Obs. Provinciae Bosnae Argentinae directa.

Peracta s. visitatione canonica celebratoque Capitulo Provinciali in Obs. Provincia

Bosnae Argentinae (cf. fasc. IX pag. 137) Rmus P. Minister Generalis epistolam encyclicam ad dictae Provinciae Fratres misit, ex qua prooemium tantum quod in laudem eiusdem Provinciae cedit, et modernam eiusdem conditionem exponit excerpsimus, et universo Ordini notum faciendum esse duximus:

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

STRICTIORIS OBSERVANTIAE

SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI

IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROVINCIAE EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
S. R. C. CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS

Plurimum sibi dilectis in Christo Jesu Patribus et Fratribus Obs. Provinciae Bosnae Argentinae salutem et Seraphicam benedictionem.

Discessurus e Bosnia, non possum quin ad Vos has litteras dirigam, Filii charissimi, tum ut mei erga Vos animi sensa aperiam, tum ut quae in Congressu Capitulari Patrum Provinciae communi consensu statuta sunt, et quae praeterea commendata esse volo, Vobis significem.

Primo igitur meritas laudes Vobis reddo, quod filiali reverentia ac pietate Ministrum Generalem receperitis, eique dociles et ad omnia, quae ipse praecepturus foret, paratos Vos exhibueritis.

Deinde Vobiscum ex animo gratulor, quod permultas antiquiores et veneratione dignas consuetudines, caeremonias, a primaevis Ordinis Patribus traditas, adhucusque in Provincia servastis, atque ut etiam in posterum fideliter servetis enixe commendo.

Tertio demum maximopere Vos omni laude dignos, omnemque gratiam promeritos praedicare non desinam, quos per quatuor et ultra saecula neque haeretica pestis inficere, neque graecum schisma ad suas partes trahere, neque ferrum, aut ignis, aut depraedatio, aut cujusque diei minaces Turcarum irae flectere aut frangere, valuerunt. Quinimo *circumeuntes in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terrae,* in id semper adlaborastis, ut catholicus populus sollicitudini Vestrae unice commissus, qui nonnisi Vos pastores, tutores ac patres habebat, firmus, medius inter persecutiones et seductiones, in fide et pietate persisteret. Et revera, quae tunc temporis misera conditio vestra fuerit, ostendunt antiquiores vestri Conventus, quos verius rusticorum tuguria quam Religiosorum claustra appellabimus; et quis laborum vestrorum fructus, idem iste populus, etiam tacens, enarrat, quo nescio an alius magis fidelis et pius existat.

At nunc, Filii charissimi, rei publicae in Bosnia et Hercegovina conditione mutata, necesse est, ut et Vos, ad eumdem semper finem vestrae et aliorum sanctificationis perfectius assequendum, alia atque alia media adhibeatis.

Hactenus politicis quandoque negotiis Vosmet immiscere necessitas compellebat, saltem ut contra turcarum judicum praepotentiam defensionem catholicorum susciperetis; nunc autem, civili gubernio constituto, a politicis abstineatis oportet.

Hactenus ipse oppressionis et persecutionis status, in quo gemebatis, energiam Vobis addebat, atque authoritatem et gratiam apud catholicas nationes comparabat; nunc nonnisi virtute et scientia vestri nominis praestigium conservare et augere licebit.

Hactenus cum infidelibus et schismaticis tantum Vobis res erat, ut nempe populum vestrum in fide catholica constantem servaretis; nunc contra indifferentismum luctandum Vobis est, et contra errores practicos, qui modernam societatem ubique locorum pervadunt, eoque tendunt, ut ipsum Deum et Dominum Nostrum Jesum Christum, ejusque sanctam Ecclesiam omni ex parte excludant; et idcirco sagaciori arte Vobis adnitendum est, ne populus iste simplex perversis hujusmodi doctrinis in fide et moribus corrumpatur.

Hactenus, ad regularem vitam quod attinet, permulta forte erant quae eam impediebant; nunc impedimentis remotis, perfectius, Vobis ipsis fatentibus et optantibus, instaurari potest . . . .

Dat. e nostro Conv. S. Spiritus Fojnicae, die 10 augusti 1882.

FR. BERNARDINUS, *Min. Glis.*

AD FRATRES DISPERSOS

Incitamenta Seraphica.

(Continuatio)

—

IV.

Summarium

Declarationum S. Sedis Apostolicae concernentium Regulares hisce temporibus suppressos.

—

Prout iam in praecedenti fasciculo innuimus, S. Sedes ab anno 1866, quo deploranda suppressio Religiosorum ad omnes Italiae Provincias extensa fuit, tum per Tribunal S. Poenitentiariae, tum per S. Congregationem Episcoporum et Regularium, varias publicavit declarationes, ut Religiosi suppressi scirent, quomodo in istis difficillimis rerum adiunctis sese gerere deberent. Dictas declarationes deinde ad Religiosos anno 1875 in Borussia et anno 1880 in Gallia suppressos S. Sedes extendit. Harum declarationum Summarium sive Compendium, et praesertim illarum quae immediate et proxime ad vitam religiosam spectant, hoc loco in *Acta Ordinis* inserendum censuimus.

In sequentibus paragraphis exhibemus textum declarationum, subinde abbreviatum et secundum decisionem SS. D. N. Leonis PP. XIII. d. d. 2. Aprilis 1879 modificatum. Textui hinc inde breves notas apposuimus, minoribus characteribus impressas.

a. Curandum est pro viribus, ut Regulares expulsi a propriis Conventibus in alios Conventus collocentur et recipiantur (1).

Non pauci utique Religiosi optimum et ab omnibus suppressis sane imitandum dederunt exemplum, dum aut in alias vere observantes Provincias commigrare petierunt, aut ad alias regiones fugientes novos Conventus ibi fundarunt.

b. Curandum est, ut Regulares a propriis domibus expulsi, quatenus in aliud coenobium recipi nequeant, in peculiarem aliquam domum, a Superioribus suis designandam, conveniant ibique Regulam, quam professi sunt, meliori quo fieri potest modo observare non omittant, facta unicuique, absque debita licentia, discedendi prohibitione (2)

(1) S. Poenit. 28. Iun. 1866 n. 5.
(2) Ead. S. Cong. 18 April. 1867. n. 1.

Hortamur et nos, ut in eiusmodi domibus Religiosi vitam communem perfectam, ad mentem Sanctae Sedis agere conentur.

c. Quatenus vero et hoc fieri nequeat, concurrentibus gravibus iustisque causis, super quibus conscientia Superioris Generalis graviter onerata remanet, ipse Superior Generalis Apostolica auctoritate eisdem indulgere potest, ut manere valeant extra claustra sub obedientia Ordinarii loci tamquam saecularizati ad tempus, et ad nutum S. Sedis ac ipsius Superioris, et in habitu religioso, ac etiam, quatenus ita ferat necessitas, in habitu presbyteri saecularis quoad Sacerdotes, et in habitu laicali modesti coloris quoad Laicos seu Conversos, retento tamen interius aliquo signo habitus religiosi, servatis quantum fieri potest substantialibus votorum, ac relaxatis regulis, quae cum novo eorum statu minime fuerint compatibiles (1).

Concurrentibus gravibus iustisque causis Regularibus suppressis saecularizatio ad tempus permitti potest. Cessantibus ergo istis causis, Regulares ad Conventum redire tenentur. Quamobrem Confratres in saeculo degentes consulant conscientiae suae, et in casibus dubiis conditionem suam Superioribus maioribus sincere exponant eorumque sententiae atque iudicio omnino se submittant.

d. Omnibus Superioribus Regularibus Sacra Poenitentiaria declarat, ipsorum jurisdictionem in proprios subditos supressos, etiam extra claustra degentes, minime cessasse. Nam licet quisque Regularis degens extra claustra quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam ab iurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, attamen quoad disciplinam regularem, et obligationes, quae ex religiosa professione promanant, et cum novo eius statu sunt compatibiles, propriis Superioribus subesse eisque obedire tenetur (2).

Hinc Superiores responsabiles manent pro animabus suorum subditorum etiam extra claustra degentium et pro viribus curare debent, ut isti obligationes status religiosi, meliori quo fieri potest modo, adimpleant.

e. Religiosi suppressi et tamquam saecularizati ad tempus in saeculo viventes a suis Superioribus ad claustra revocati obedire tenentur. Illi autem qui Praelatorum suorum iussa neglexerint, et S. Poenitentiariae privilegiis fulti ad regularem, quam professi solem-

(1) S. Poenit. 28. Iun. 1866. n. 6.
(2) S. Poenit. 18. April. 1867. n. 2.

niter sunt, observantiam in praedictis domibus resumendam acciti, restiterint, quia eos piget adeptam in saeculo libertatem amittere: noverint, se exemptione, gratia, privilegiis, facultatibus, sive datis a S. Poenitentiariae litteris, sive peculiaribus Sanctitatis Suae atque Apostolicae Sedis rescriptis. ultro concessis vel obtentis, ipso facto privari. Neque enim congruit nec expedit, Apostolicae Sedis ditari muneribus, qui non Ecclesiae, uti se sponte dicaverant, at suis malunt vivere commodis (1).

Qui ergo, quamvis possent ac deberent, ad Conventum redire renuunt, in saeculo remanere non possunt sine speciali saecularizationis Indulto ab Apostolica Sede obtento, et illico Ordinis privilegiis, facultatibus etc. privati remanent.

f. Regulares suppressi in Italia, qui levitate forsan animi atque inconstantia propositi, intemperanti quoque commoditatum desiderio hac illac omnes fere Italiae peragrant provincias, in exteras usque regiones migrant redeuntque, sine ulla erga Superiores Regulares observantia, et sine obedientia erga Ordinarios locorum, qui eos ignorant: infra sex menses a die 5. Augusti 1872 labendos in una quaque dioecesi de licentia Ordinarii cum Apostolica Sede gratiam et communionem habentis, sedem ponere debent, unde nisi ob probatam causam, et facta sibi in scriptis ad congruum tempus tum ab ipso Ordinario tum a Superiore Regulari discedendi facultate, abesse minime audeant; secus *a divinis suspensi* ad beneplacitum S. Congregationis Episcoporum et Regularium existunt. Qui absque Superiorum suorum licentia extra fines Italiae, vel etiam in transmarinas oras perrexerint, eos Sacra eadem Congregatio apostatis accensendos decrevit (2).

g. Praefatae domus, (de quibus supra sub *b.*,) dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum convenerint Regulares, quorum unus ad minus sit Sacerdos, iurisdictioni Ministri Provincialis sunt subiectae, eaeque regendae sunt per peculiarem Superiorem ibi constituendum.

Sic constituti Superiores gaudent omnibus privilegiis et facultatibus, quibus gaudent Praesides Conventuum vel Hospitiorum.

(1) S. C. Ep. et Reg. 5. Aug. 1872.
(2) S. Poenit. 18. Apr. 1867. n. 3.

h. In iisdem domibus, dummodo in eis quatuor saltem degant Sacerdotes Regulares, erigi potest, servatis de iure servandis, privatum Oratorium, a Ministro Provinciali, sive ab alia idonea persona ab eo deputanda visitandum prius et approbandum, ita, ut in eo Missa a Sacerdotibus Regularibus celebrari, Sanctissima Eucharistia asservari et a Religiosis atque Oblatis dumtaxat S. Communio sumi et praecepto de audiendo Sacro satisfieri possit (1).

i. Indulgentiae in suppressorum Conventuum ecclesiis, quamdiu iisdem ecclesiis aliquis Sacerdos eiusdem Ordinis legitima auctoritate praepositus fuerit, perdurare, ut antea, omnino censeantur (2).

k. Regulares suppressi, qui in numero ternario simul habitantes ecclesias et domos sui Ordinis tenent, eadem immunitate gaudent a iurisdictione Ordinarii, qua antea fruebantur (3).

l. Licet Regularibus suppressis titulo compensationis pro damnis illatis sibi a Gubernio debitae, percipere pensiones ab eodem Gubernio, (ut fit in Italia,) assignatas; ea tamen lege, ut quamdiu in Communitate cum aliis Regularibus vixerint, pensiones apud Superiores suos pro bono totius Communitatis deponere teneantur (4).

Valde errarent Fratres, si in Conventu aliquo, cum aliis Fratribus in Communitate viventes pensionem sibi reservare et pro particularibus necessitatibus expendere vellent. Hoc Rmus P. Minister Generalis declaravit in Epistola Sua Encyclica diei 25. Decembris 1881. (Cf. *Acta Ordinis* fasciculo I. pag. 8).

m. Superioribus Regularibus integra manent privilegia, quibus hactenus quoad peculiares proprii Ordinis benedictiones usi sunt, ac insuper integrae omnibus et singulis Regularibus, etiam in saeculo de legitima licentia viventibus, manent Ss. Indulgentiae personales a S. Sede eisdem concessae et non revocatae. (5).

n. Regularibus suppressis, etiam extra praefatas domos degentibus, licet persolvere horas

(1) S. Poenit. 18. April. 1867. n. 3. et S. C. Ep. et Reg. 2. Apr. 1879.
(2) S. Poenit. 18. Apr. 1867. n. 5.
(3) S. Poenit. 12. Sept. 1872. ad. 1.
(4) S. Poenit. 28. Iun. 1867. n. 3.
(5) S. Poenit. 28. April. 1867. n. 6.

canonicas iuxta proprii Ordinis Calendarium, et non obstante defectu tituli sacri, suos Ordines exercere, Missamque in quacumque ecclesia, de licentia Ordinarii loci celebrare iuxta ritum ecclesiae, in qua celebrare contigerit: servato tamen proprii Ordinis ritu, si celebrent in propria ecclesia, cuius custodia alicui saltem ex suis Confratribus legitime demandata sit, aut in aliquo ex praefatis sui Ordinis Oratoriis. (1)

Sacerdotes nostri in saeculo degentes quoad Missae celebrationem observare debent regulas pro celebrantibus in ecclesia aliena praescriptas.

o. Nihil obstat, quominus ipsi Regulares suppressi uti valeant facultate sibi iam ab Ordinario loci concessa, audiendi sacramentales Christifidelium confessiones; dummodo eadem facultas exspirata, aut ab ipso Ordinario revocata non fuerit, et dummodo ea utantur iis tantum in locis, pro quibus approbati fuerunt (2).

p. Religiosi suppressi et in saeculo viventes, obtenta prius ad hoc licentia Ministri Generalis aut Provincialis, durantibus praesentium temporum circumstantiis, quemcumque sive Regularem sive saecularem, ex approbatis tamen ab Ordinario loci, Confessarium sibi eligere valeant, a quo etiam, quatenus opus sit, a casibus et censuris in proprio Ordine reservatis absolvi, et super irregularitate, ex violatione earumdem censurarum quomodocumque contractarum, dummodo occulta remaneat, dispensationis gratiam recipere in foro tantum conscientiae possint (3).

q. Regularibus suppressis, sive in aliqua domo, (prout sub *b.*) commorantibus, sive extra domos religiosas tamquam saecularizati ad tempus degentibus, licet confessiones suas sacramentales apud Confessarios proprii Ordinis legitime a suo Praelato approbatos peragere (4) (In hoc ultimo casu sufficit maiorum Praelatorum Ordinis iurisdictio)

r. Superioribus Generalibus indultum est, ut perdurantibus pariter praesentium temporum circumstantiis, et usque dum aliter S. Sedi visum fuerit, expleto Superiorum inferiorum officio, eos de consilio Definitorum suorum in ipso denuo confirmare, iisdemque alios substituere valeant, prout magis in Domino expedire iudicaverint (1).

(1) S. Poenit. 18. April. 1867. n. 10.
(2) S. Poenit. 18. April. 1867. n. ii.
(3) S. Poenit. 18. April. 1867. n. 12. et S. C. Ep. et Reg. 2. Apr. 1879. n. 5.
(4) Poenit. 18. April. 1867. n. 13.

s. Clericis Regularibus iam solemniter professis concessum est, ut ad titulum paupertatis, aut ad alium titulum proprii Instituti, ad ordines ab Ordinario loci, in quo domicilium habent, aut ab alio Episcopo cum dimissoriis litteris ab eo datis, de consensu proprii Superioris Regularis, et servatis de iure servandis, promoveri et in Ordinibus sic promoti ministrare valeant, donec a proprio Ordine legitima de causa dimissi non fuerint (2).

Regulares solemniter professi capellanias, aut unum dumtaxat beneficium ecclesiasticum, etiam residentiale, vel cum cura animarum, de consensu et ad nutum Ordinarii loci, ac annuentibus Superioribus suis, in administrationem assequi et retinere legitime possunt, quod tamen dimittere tenentur statim ac ab iisdem Superioribus ad claustra revocati fuerint (3).

t. Facultas concessa est Superioribus Generalibus indulgendi sive per se, sive per idoneas personas ab eis subdelegandas respectivis subditis in Italia suppressis, ut, attentis peculiaribus circumstantiis iisque perdurantibus, non obstante solemni paupertatis voto, bona sibi legitimo iure spectantia, ac etiam haereditates, salvo tamen iure Tertii quaesito, recipere, adire, ac retinere deque iis, per actus sive inter vivos sive causa mortis, in favorem sui Ordinis disponere possint et debeant (4).

S. Poenitentiariae declaratio d. d. 18. April. 1867 n. 17, secundum quam Religiosi suppressi de bonis sibi spectantibus in pios honestosque usus, ac praesertim in favorem sui Ordinis nec non in grati animi significationem per actus sive inter vivos sive causa mortis disponere potuerunt, per decretum S. Congregationis super statu Regulari d. d. 4 Sept. 1876 et decisionem S. C. Episc. et Regul. d. d. 2. April. 1879 modificata fuit, ita ut nunc praedicti Religiosi bona sua personis extraneis relinquere non valeant, sed disponere debent de iis in favorem sui Ordinis.

(1) S. Poenit. 18. April. 1867. n. 14.
(2) S. Poenit. 18. April. 1867. n. 14.
(3) S. Poenit. 18. April. 1867. n. 16.
(4) S. Poenit. 18. April. 1867 n. 17. et S. C. Ep. et Reg. 2. Apr. 1879 n. 7.

u. Regularibus suppressis indultum est, ut pecunias legitimo titulo acquisitas, *de licentia Superiorum suorum* in honesto et licito investimento sive nomine proprio sive per interpositas personas caute collocare possint, ea tamen lege, ut Regulares in Communitate viventes titulos ac redditus earumdem pecuniarum eidem Communitati tradere teneantur, neque de illis ullo modo absque licentia eorumdem Superiorum disponere valeant (1).

v. Curandum est, ut Regulares, qui extra claustra et praefatas domos, tanquam saecularizati ad tempus, vivere coguntur, in sua vocatione permaneant, votaque solemnia, quibus se Deo consecrarunt, meliori quo fieri potest modo persolvant (2).

w. Fratres Minores suppressi uti possunt dispensatione pro tempore Quadragesimae ab Ordinariis concessa nec non dispensatione, quam iam ab aliquibus annis Minister Generalis pro ieiunio sacri Adventus a S. Sede petere solet, ita tamen, ut opera ab ipso praescripta in compensationem peragere debeant (3)

x. Fratres Minores dispersi (et extra communitatem viventes) pecuniam recipere et expendere possunt, tum pro propriis, tum pro aliorum necessitatibus, cum restrictionibus tamen sub *t* et *u* notatis (4).

y. Fratres Minores dispersi itinera in via ferrata, in curru et equo facere solummodo possunt ex iusta et rationabili causa (5).

z. Quoad alios casus, qui evenire possunt, et qui non continentur in supracitatis dispensationibus, et qui concernunt solummodo praecepta Regulae, Minister Generalis habet facultatem commutandi et dispensandi, et etiam hanc facultatem aliis Religiosis, licet suppressis, delegandi (6)

Praefatas dispensationes S. Sedes benigne concessit Religiosis suppressis, ut, durante suppressione, eorum conscientiae prospiceret. Mens autem S. Sedis est, ut a dictis Religiosis, quantum fieri potest, Ordinis regulae observentur. Iustis his votis S. Ecclesiae omnes Fratres suppressi pro viribus satisfacere studeant. Precemur autem quotidie clementissimum Deum, ut Provincias nostras adhuc integras a suppressionis flagello praeservare, suppressas autem Provincias ad pristinum florentem statum benigne revocare dignetur.

(Continuabitur)

(1) S. Poenit. 18. April. 1867. n. 18.
(2) S. Poenit. 18. April. 1867. n. 2.
(3) S. C. Ep. et Reg. 2. April. 1872 n. 6.
(4) S. C. Ep. et Reg. 2. April. 1872. n. 8.
(5) S. C. Ep. et Reg. 2. April. 1872. n. 9.
(6) S. C. Ep. et Reg. 17 Ian. 1867. et 2. April. 1872. n. 10.

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1882 celebrata

IX.

Collegium S. Mariae Angelorum civitatis Tarija in Bolivia (Americae meridionalis)

Die 24 Maii, praesidente A. R. P. Alexandro Maria Corrado, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII

A. R. P. Dionysius Guerrini.

DISCRETI COLLEGII

A. R. P. Zephyrinus Muzzani.
R. P. Iacobus Mecchi.
R. P. Alexander M. Corrado.
R. P. Maximus Pierazzoli.

Ad istud Collegium pertinent sequentes 8 Missiones inter infideles:

Itau, S. Michaelis Archangeli.
Chimeo, B. Mariae V. de Guadalupe.
Aguairenda, S. Rochi.
Tarairi, B. Mariae V. Purissimae.
Pilcomayo Oriental, S. Francisci Solani.
Machareti, B. Mariae V. Misericordiae.
Tigüipa, S. Ioseph.
Caiza, B. Mariae V. de Carmine.

X.

Obs. Provincia SS. Redemptoris in Dalmatia.

Die 26 Iunii in Conventu B. Mariae Virginis Signi, praesidente A. R. P. ~~Benigno~~ Remi Buselli, Ob. Provinciae Thusciae, Commissario Terrae sanctae, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Joseph Paić.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. ~~Ioannes Simic.~~ Vincentius Janović

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Simeon Milinovic.
R. P. Ioannes Gliboto.
R. P. Michael Bronic.
R. P. Stephanus Bosoncic.

Ad istam Provinciam sequentes 12 Conventus pertinent:

Almissa, *Il Carmine.*
Brazza, S. Martini.
Carino, Immaculatae Conceptionis.
Imoski, S. Francisci.
Knin, S. Antonii Paduani.
Makarsca, S. Mariae.
Sebenico, S. Laurentii.
Sign, *Le Grazie.*
Spalato, *Pozzo buono.*
Visowaz, B. Mariae V.
Xivogosta, S. Crucis.
Zoostrogh, Assumptionis B. M. V.

—

XI.

Obs. Provincia Bononiensis. (Bologna)

Die 6 Iulii in Conventu SS. Annuntiationis Parmae, praesidente A. R. P. Andrea a Graecio, Obs. Provinciae Seraphicae, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Aloysius a Parma.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Archangelus a Vado, Ex-Min.

DEFINITORES PROVINCIAE:

A. R. P. Ioannes Bapt. a Cotoniola.
R. P. Marius a Monzone.
R. P. Bonaventura a Castellatio.
R. P. Seraphinus a Frixonaria.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 21 Conventus pertinebant:

Bologna, Annuntiationis B. M. V.
Brisighella, SS. Angelorum.
Busseto, SS. Angelorum.
Carpi, S. Nicolai.
Castel-Lauro, Annuntiationis B. M. V.
Conto, S. Petri.
Cervia, S. Antonii.
Cotignola, S. Francisci.
Cortemaggiore, S. Francisci.
Ferrara, S. Spiritus.
Fiorenzuola, S. Ioannis Bapt.
Forlì, *Valverde.*
Guastalla, S. Francisci.
Montiano, Ss. Crucifixi.
Parma, Annuntiationis B. M. V.
Ravenna, S. Apollinaris.
Reggio, *La Ghiara.*
Rimini, *Le Grazie.*
Rimini, S. Bernardini.
Sassuolo, B. Mariae V.
Savignano, S. Crucis.
Sagliano, S. Crucis.

III.
MISSIONES

—

STATUS

Collegii B. Mariae Angelorum de Tarija in Bolivia (America merid.) mense Maji 1882.

—

Baptizati	infantes parent. christ.	1694
	infideles	6003
Benedictiones nuptiarum		333
In schola	Pueri	420
	Puellae	413

Insuper ex informatione quam Visitator deputatus misit Rmo Patri Ministro Generali die 12 Iunii 1882, haec notatu digna resumimus.

In primis ipsam missionariorum familiam benedictione pacis in Domino frui, in observantia regularum fideliter, Deo iuvante, permanere. Eorum vero apostolicos labores, ultimo ab altera visitatione decurso triennio, uberiores et præstantiores fructus, Deo benedicente, attulisse, non solum ob ingentem numerum conversionum infidelium Indorum ad fidem, ut ex prospectu status missionis apparet, verum etiam, et praesertim ob civilem institutionem quam in nostris scholis adolescentes utriusque sexus suscipiunt. Etenim pueri, præter catechismum, et legere ac scribere discunt. Cum autem adoleverint artes quoque colunt, quæ maxime indigentiis et commoditati humanæ vitæ necessariæ sunt. Interim etiam ad cantum et sonum exercentur, ita ut ab eis ecclesiastici ritus laetiores fiant, et pietas fidelium augeatur. Puellae vero ad ea omnia manuum opera instituuntur, quæ sexui et earum conditioni conveniunt. Verum quod maxime præstat, tum istae cum illi in eiusmodi scholarum disciplina detinentur et permanent, donec ad eam ætatem perveniant, qua matrimonium contrahere possint, sicque honestati et innocentiae morum prospicitur.

Dein eodem ultimo triennio restaurata est, vel potius renovata *Chimeæ* Ecclesia; altera vero quæ *Caizae* est Ecclesia, tertia quoque perpulchra Deiparæ immaculatae dicata, quam *Tarairi* habemus perfectionem acceperunt; nec non congesta est materia, qua opus est, ut alia Ecclesia construatur S. Francisco Solano in *Puomarsio* dicanda. Tandem tria coemeteria, tres pro missionariis domos, quatuor satis aptae scholae, tria diversoria pro itinerantibus, et unum nosocomium constructa fuerunt.

Adde his indumenta satis decentia, dono data nostrarum scholarum alumnis 833, nec non multis pauperibus et senibus; subsidia medicinarum et alimentorum suppeditata infirmis omnibus totius missionis; charitatem quoque hospitalitatis peregrinis advenis præstitam.

Hæc omnia ingentem pecuniae summam important, quae tribuenda est sollicitudini, privationibus et arctæ vitæ rationi missionariorum in bonum eorum neophitorum. Sint laudes et gratiarum actiones illius Collegii confratribus, quos Deus remunerabit.

—

VICARIATUS APOSTOLICUS
HOU-PÉ OCCIDUO SEPTENTRIONALIS

Status Animarum ac Spiritualis Administratio Anni 1881.

	Christianitates	84
	Christiani in Catalogo descripti	5686
Baptizati	Adulti	177
	Fidelium infantes	240
Infantes infidelium	Baptizati	3600
	Collecti	79
	Aliti	195
	Mortui	2439
	Confirmationes	463
Confess.	Annuales	3371
	Devotionis	10802
Commun.	Annuales	3163
	Devotionis	11691
	Matrimonia benedicta	42
	Extremae unctiones	103
	Vita functi	133
Divini verbi prædicat.	Ad fideles	1558
	Ad paganos	990
	Missiones	84
	Sacella ad Vicariatum pertinentia	20
Missionarii	Europæi	8
	Sinenses	7
Alumni	Seminarii	18
	Collegii	20
	Scholarum	278
Orphanotr. S. Infantiæ	Tertiariæ S. Francisci	15
	Inservientes mulieres	4
	Puellae	49
	Pueri	30
	Vetulæ	10
	Apud nutrices	63

Fr: Ezechias Banci
Vic. Ap. Hu-pè Occid. Sept.

Ex epistola Rmi Vicarii Apostolici die 18 Augusti c. a. ad Rmum P. Ministrum Generalem directa sequentia excerpimus.

Baptismate multos Gentiles ipse abluit et ad ovile Iesu Christi reduxit, simulque non paucos ad cœlum cantaturos Domini laudes misit infantulos, quinimmo tempore visitationis ad magnum incrementum fidei inter paganos duas novas ecclesias in duobus locis erigere potuit; amplius utique fecisset nisi media necessaria ei defecissent nec non occurrisset horrenda calamitas quam ducimus describendam.

Sexto Kalendas Iulii, 8ª hora pomeridiana, dum nox inducere terris umbras pararet, involverunt subito apothecam S. Infantiae, Episcopi residentiae adiunctam in *Kia iuen-Kou,* globi flammarum crepitantes ac brevi tempore maximam episcopalis domus partem igneo turbine perflarunt; pars vero altera ad ignem domandum penitus destructa fuit. Ast proh dolor! nil, prorsus nihil, conservari potuit, sed omnia, mobilia scilicet, panni, provisiones, vasa necnon ornamenta sacra, bibliotheca.... etc.... devorantibus usta sunt flammis et nonnulla incendio erepta, in oborta confusione, latronibus praeda evaserunt. Veras porro tantae cladis causas Rmus Antistes adhuc ignorat. Attamen iam multi horrendum clamant hoc incendium veluti ipsorum latronum scelus, qui flammas subiecerint ad facilius securiusque depraedandum. De hoc tamen certitudo non habetur. Certum autem omnino est, quod graviter afflicti fractique desolatione, Missionarii vitam in omnimoda egestate procul ab omni tecto, necessariis carentes trahunt, illorumque fama coram vulgo deleri valde periclitatur. Hinc ad Christifidelium animos firmandum ad paganorum derisiones vitandas sicque ad

salvandum divinae Nostrae Religionis decus Rmus episcopus paullatim quidem conatus est, quamquam in extremis constitutus angustiis, aedificia hic et nunc necessaria rursum erigere. Damna etenim huius incendii ad 80,000 francos æstimantur. Venerabilis autem Episcopi pectora crudelius anxerunt terror, fletus, clamoresque orphanorum seminariique alumnorum, supplices ad illum palmas tendentium. Quis talia legendo non temperet a lacrymis et pro viribus tantae ruinae subvenire non conetur?

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

MONITA

Monentur Confratres nostri, ut opera in *Actorum* bibliographiâ enunciata a relativis bibliopolis, non autem a Curia Generalitia, quae libros tantum in *Actorum* tegmine inscriptos procurare potest, directe petant.

Rogantur Provinciales Ministri aliique Conventuum Superiores, ut ad nos trasmittere faveant:

1. Panegyricos sermones occasione Centenarii P. N. S. Francisci pronunciatos ac typis editos;

2. Litteras pastorales ab Episcopis publicatas occasione Epistolae Encylicae Leonis papae XIII « *Auspicato concessum* » de S. Francisco et Tertio Ordine propagando.

—

Opera occasione vii Centenarii S. Patris Francisci edita.
(*continuatio*)

1882 Il breviloquium super libros sententiarum di frate Gherardo da Prato dell'Ordine de' Minori, pubblicato per la prima volta e corredato di alcuni studi, dal Padre Marcellino da Civezza, Minore Osservante. Prato. Tipografia Giachetti. 1882. Un vol. in 8. (10 francis.)

Opus hoc latinum a praeclaro editore primario vulgatum, auctorem habet Fr. Gerardum Ord. s. Franc. Prato Toscanae oriundum, qui aetate s. Bonaventurae proximus, cuius et discipulus fuisse coniicitur, vixit. Totum in quatuor libros dividitur, quorum *primo* agitur de Deo uno et trino, ac eius proprietatibus; *secundo*, de Creatione huius universi, angelorum, hominisque, et dein horum lapsu ac sequelis; *tertio:* de Incarnatione Jesu Cristi, item de gratia et virtutibus; *quarto*: de Sacramentis. Praefaminis instar operi praemittitur italice scripta digressio de Scholasticismo et schola franciscana; ad singulos vero libros additi sunt eadem lingua eruditi commentarii.

La summa de anima di frate Giovanni della Rochella dell'Ordine dei Minori, pubblicata per la prima volta e corredata di alcuni studi, dal Padre Teofilo Domenichelli Min. Osserv. sotto lá direzione del Padre Marcellino da Civezza. Prato, Tipografia Giachetti in 8 (7. franc.)

In hoc opere pariter latino quod Fr. Ioannes de Rupella Gallus, ac dimidio saeculi XIII egregius Parisinae Universitatis Magister conscripsit, nunc typis descripto, tractatur 57 paragraphis de anima quoad substantiam, et 47 de viribus animae. Editor praefatur de Philosophia et Schola franciscana, et in fine addit commentarios quatuor capitibus complexos.

Istoria memorabile del principio dell'eresia di Ginevra, per suor Giovanna di Jussie, Monaca Francescana, testo italiano pubblicato per la prima volta dal P. Marcellino da Civezza Min. Osserv. (3 francis.) *Latine:* Historia initii haereseos in civitate Genevensi scripta per sororem Ord. s. Francisci Iohannam de Jussie, nunc primum italice edita a P. Marcellino etc.).

1882. Il mistico e sacro aroma della civiltà cristiana nel corso de' secoli, Panegirico di S. Francesco d'Assisi, nel settimo centenario dalla nascita miracolosa di Lui, del P. Alessandro Baroni, M. O. Firenze tip. Cenniniana, in 16. pag. 121. (L. 1.)

1882. Works *of the Seraphic Father* St. Francis of Assisi translated by a Religious of the Order. (Latine: Opera Seraphici Patris S. Francisci translata per Religiosum Ordinis) R. Washbourne, 18 Paternoster Row, London, 12°, pag. 283.

Continet in prima parte epistolas S. Francisci, in secunda primam et secundam Regulam Fratrum Minorum, Regulam secundi et tertii Ordinis; in tertia admonitiones et conferentias monasticas S. Patris; in quarta ejusdem cantica et orationes nec non testamentum; in quinta parte Colloquia S. Francisci. In Appen-

dice adduntur 10 sermones breves, de quibus dubitatur, utrum S. Francisco adscribi debeant.

1882. GESCHICHTE des hl. FRANZISKUS und der FRANZISKANER (Latine: Historia S. Francisci et Franciscanorum) von P. Pamfilo da Magliano O. M. R. Aus dem Italienischen übersetzt und bearbeitet von P. Quintianus Müller, Franziskaner — Priester der sächsischen Provinz vom h. Kreuze und Mitarbeiter im Collegium des h. Bonaventura zu Quaracchi bei Florenz. München (Bavaria) Stahl's Verlagshandlung.

Historiam S. Francisci et Franciscanorum a P. Pamphilo a Magliano in italica lingua praeclare conscriptam P. Quintianus Müller, Prov. Saxoniae S. Crucis filius ac collaborator in Collegio S. Bonaventurae Quaracchii prope Florentiam occasione septimi Centenarii Seraphici Patriarchae germanice reddidit et illustravit. Tomus primus continens historiam Ordinis ab anno 1182 usque ad mortem S. Bonaventurae anno 1274 nec non compendiosam illius periodi historiam secundi et tertii Ordinis haberi potest apud bibliopolam Stahl, Monachii (München) in Bavaria pro L. 6,25.

1882. S. FRANCESCO E L'ORDINE FRANCESCANO. Appunti, citazioni e date. Per F. B. D. S. C. Quarta edizione rifusa e migliorata. S. Agnello di Sorrento, tipografia all'insegna di S. Francesco d'Assisi. in 8° pag. 73. (L. 1)

INDICE

Ragione di questo opuscolo. I. S. Francesco d'Assisi. II. Virtù e potenza del Seraphico Padre. III. delle reliquie del seraphico Padre. IV. Opuscoli di S. Francesco. V. Luoghi e monumenti che ricordano il Santo. VI. Fonti della storia del Santo e dell'Ordine. VII. Poesia ed Arte in onore di S. Francesco.

L'Ordine francescano.

VIII. Prim'Ordine. IX. Second'Ordine. X. Terz' Ordine francescano. XI. Cronologia dei Generali e Stato dell'Ordine com'è in presente.

Le glorie francescane.

XII. Papi francescani. XIII. Cardinali francescani. XIV. Patriarchi, Arcivescovi e Vescovi francescani. XV. Nunzii, Legati apostolici e Regi, lettori e predicatori apostolici ed impiegati in altre cariche presso la sede Apostolica. XVI. Scienziati letterati ed Artisti francescani. XVII. Propagazione della fede e predicazione cattolica. XVIII. Santuari francescani XIX. Opere pie istitute dai francescani. XX. Persone d'alta e regia dignità appartenenti ai tre Ordini francescani. XXI. Indulgenze concesse ai benefattori dei francescani.

Conclusione.

1882. *Nel VII Centenario della Nascita gloriosa del Patriarca S. Francesco di Assisi.* Inno Serafico « DECUS MORUM » posto in musica dal R. P. Vincenzo Comas, M. O., Organista di S. Salvatore in Gerusalemme Autografia dei Padri Francescani in Gerusalemme (pag. 32.)

1882. ALBO SACRO POETICO in honore di San Francesco d'Assisi, nel settimo centenario della sua nascita. Modena, Tip. Pontificia ed Archivescovile dell'Imm. Concezione, in-8° (pag. 31.)

1882. PROSPECTUS almae Seraphicae Custodiae TERRAE SANCTAE septimo vertente Centenario ab ortu Seraphici Patriarchae S. Francisci Assisiatis cura Rmi P. Custodis T. S. editus. Hierosolymis, typis Franciscalibus, 8° pag. 71.

Continet brevem historiam omnium Custodiae Conventuum et Hospitiorum necnon Sanctuariorum, et statum paroeciarum, quae a Custodiae Patribus administrantur.

1882. SOLEMNES CULTOS RELIGIOSOS Y ACTOS LITERARIOS que con motivo del septimo centenario del nacimiento del insigne y esclarecido Patriarca de Tres Ordenes, San Francisco de Asis, en testimonio de amor, veneracion y gratitud, celebrerá la provincia de la Regular observancia de N. P. S. Francisco de Cartagena, en Espana, en la santa iglesia de su convento de la ciudad y diocesis de Orihuela, en los dias, 2, 3 y 4 de octubre de 1882. Tipografia catolica. Barcelona. (pag. 15.)

1882. LA CHIESA ED IL CONVENTO DI S. FRANCESCO D'ASSISI DELLA MIRANDOLA, notizie del Sac. Felice Ceretti. Ricordo del VII Centenario di S. Francesco d'Assisi celebrato nella Mirandola. — Miranda. Tipografia di Gaetano Cagarelli. in 4°, (pag. 32.)

1882 La Basilica di S. MARIA DEGLI ANGELI presso la città d'Assisi da Cesare Guasti. Firenze, tipogr. di Ricci in 12°, (p. XV-144).

1882. SULLA GENEALOGIA DI S. FRANCESCO D'ASSISI, ovvero se il serafico Patriarca sia oriundo Lucchese Cenni storici, pel Canonico Almerico Guerra. Lucca, Tip. Arcivescovile S. Paolino, in 8° pag. 82. (L. 0,50).

Probat auctor S. Franciscum Assisiensem ex avo

paterno Bernardo Moriconio, cive Luccensi, originem trahere.

1882. Francisciados libri xiii, Francisci Mauri, Minoritae, tradotti in altrettanti endecasillabi, dal P. Ireneo Riva da Busseto, M. O. Let. Giub. già Definitore Generale dell'Ordine, e socio di più accademie. Omaggio di venerazione e di amore al glorioso Patriarca S. Francesco d'Assisi, nella fausta ricorrenza del suo settimo centenario. Bologna, Tipog. Mareggiani Vol. I in 8° pag. XXXIII — 351. et vol. II. pag. 449. (L. 5.)

Francisci Mauri, qui saeculo decimo sexto floruit, (1500-1572) et *Virgilius sacer* cognominari meruit, epicum poëma totidem versibus italicis reddidit R. adm. P. Irenaeus a Busseto, simulque textum latinum italumque typis mandavit.

1882. Inaugurazione di un monumento rappresentante san Francesco d' assisi, con dante, giotto e c. colombo, in Napoli, nel VII Centenario della sua nascita, Tip. editrice degli accatoncelli, in 8° pag. 37. (L. 1.)

In hoc libello evulgatur oratio Rmi Archiepiscopi Capuani, occasione inaugurati monumenti in honorem S. P. Francisci pronuntiata, et publicantur inscriptiones ad basim ejusdem monumenti appositae.

1882. Serto poetico in onore di s. francesco d'assisi nella settima secolare ricorrenza del suo natale, dedicata a sua Eminenza Rma D. Giovanni Battista Cardinal Pitra, Vescovo di Frascati. Frascati, tip. Tuscolana in 8° pag. 38.

1882. Panegirico in onore di s. Francesco d'assisi recitato nella chiesa de'Minori Riformati in Monselice il giorno IV Ottobre 1882 dall'Arciprete ed Abbate mitrato Evangelista de Piero. (id est: Oratio panegirica in honorem s. Francisci Assisiatis dicta per Archipresbyterum et Abbatem infulatum Evangelistam de Piero, Monselice in ecclesia Minorum Reformatorum die IV Octobris.)

1882. notizie storiche dell'abito di san Francesco d'assisi che si conserva nella chiesa d'ognissanti in Firenze. *Latine* (Notitiae historicae de habitu s. Francisci Assisiensis qui conservatur in ecclesia Omnium Sanctorum Florentiae.)

Reverendissimus Dnus Canonicus Florentinus Ristori eruditum hoc opusculum anecdotis documentis munitum in memoriam septimi centenarii magni s. Patriarchae publicis typis describi curavit. Nos pauca eius libello decerpta lectoribus communicamus.

Habitus ipse existit ex panno consutus. Pannus vero est opera textoria confectus, et quidem, ex uno filo albo, et altero laneo non tincto, sed coloris naturalis id est subnigri. Porro est petiis repetiatus et in iis partibus, quas stringebat circumducta chorda, indicia panni attriti apparent. Pars quae superest longa est 1. metro et 25 centim., lata vero 1 met. et 15 centim.

Caputium vero habet tantum illam partem, quae non raro sensu stricto cuculus dicitur, quave caput tegi posset. Ipsum est formæ quadratae.

Habitu hoc indutus fuit s. Franciscus, dum in monte Alverniae anno 1224 sacra stigmata divinitus recepit, quem dein eodem anno adhuc vertente, s. Pater in pignus gratae memoriae Comiti Barbalani filio suo spirituali, nam tertii Ordinis membro, in castello Montis Acuti donavit.

Pretiosissimam hanc reliquiam postmodum in altari capellae memorati castelli per annos 278 conservatam, ob varia, quae evenerant, prodigia, Cardinales, Episcopi, multique alii pii ac devoti, impense venerabantur; verum, ut in humanis, Deo permittente, quando quidem assolet fieri, exortis dissensionibus ac demum disturbiis inter Aretinos et Florentinam rempublicam, sacra reliquia ex castello Montis Acuti Florentiam translata ac in ara ecclesiæ Fratrum Observant. sanctissimi Salvatoris prope Florentinam urbem ad portam s. Miniatis sitae reposita est die 29 Januar. 1502.

Postmodum quum Observantes ex diversis eius temporis causis ecclesiam et conventum s. Salvatoris relinquere compulsi in ipsa urbe Florentina, conventu vero omnium sanctorum, sedem fixerint annuente Magno Duce Cosma 1°, dictam reliquiam anno 1571, 6ª Maii illuc magna pariter cum pompa praesente capitulo generali Fratrum Minorum delatam arcula aenea includi et in ara maiori immurari fecerunt.

Anno vero 1612, quando fuit ecclesia omnium sanctorum resraurata tertio sacer habitus in nova theca repositus est uti hodie quoque inscriptio in eadem ecclesia testatur quæ est sequens « *Hac theca habitus S. P. Francisci clauditur, qua dum a Jesu Christo stigmata recepit indutus erat. Hic fratres posuere anno Domini 1612 3 novembris.* » Ab hoc tempore rarius aperiebatur theca et quidem tantum in gratiam magnae auctoritatis personarum videlicet annis: 1621, 1665, 1686 et 1882 die 24 septembris ad votum Reverendissimi P. Ministri Generalis actualis.

—

1882. Il Novizio dei Minori Riformati istruito nella Regola del Serafico padre S. Francesco, per cura e studio del P. Mariano da Firenze, Lett. Theol. Prov. Toscana. Prato, R. Guasti. (L. 0, 40)

1882. L'emmaus evangelico dimostrato e difeso sessanta stadi da Gerusalemme, dal M. R. P. Remigio Buselli M. O. Commissario

per la Terra santa in Toscana. Risposta ad un anonimo. Livorno, Gius. Meucci.

In hoc opere demonstratur, castellum *Emmaus*, de quo S. Lucas in suo Evangelio narrat, cap. 24, 13, esse in eo loco, ubi nunc habetur Conventus Franciscanorum.

1882. BRECTAN, sepsal P. Flor. Ferd. Brezina, O. S. F. Prov. Bohemiae. (L. 0,25).

Poëmata 24, et quidem 10 in honorem Iesu Christi et 14 in honorem B. M. V.

1882. INSTITUTIONES LOGICAE ET METAPHYSICAE auctore P. Wenceslao Pieralisi ab Aesio Ordinis Minorum Reformatorum. Pisauri ex typis Federici, in 8 pag. 705 (L. 5)

A duobus theologis Ordinis examinatas has *Institutiones*, Rmus P. Generalis approbavit die 27 Aprilis 1882 et typis edere permisit.

Qui petium miserit quinque exemplarium *sex* recipiet. Si quis eiusdem auctoris *Ethicam* simul habere optaverit, obtinebit eius *secundae Editionis Italae* volumen huic simile pretio L. 4 50).

V.
NECROLOGIA

—

Adm. R. P. Hannibal Fantoni a Bugellis in Pedemontio Observant. Provinciæ S. Thomæ Apostoli alumnus, et per viginti et amplius annos Pro-Vicarius Vicariatus Apostolici *Xantum* in Imperio Sinensi.

De illo ad confratres Missionarios Vicariatus inter alia hæc scribit P. Petrus Paulus de Marchi, absente Rmo Eligio Cosi Episcopo Prinensi et Vic. Aplico, Superior Missionis: « Neminem latet quot ærumnas sustinuit a primo sui adventu in Sinarum Imperium, quot pericula obivit, quo zelo et sedulitate operam navavit ad Dei gloriam et animarum salutem procurandam, spatio 33 annorum, quo in hoc Vicariatu, Missionarii munus exercuit. »

Post duos menses gravissimæ infirmitatis patienter toleratæ, et Ecclesiae Sacramentis sæpius confortatus, die 11 Iulii hujus anni 1882, hora septima pomeridiana, anno ætatis suæ 63 extremum diem obiit in osculo pacis, in Residentia *Hu-Kia-Chuam*.

Adm. R. P. Gratianus De Carli a Feltria Provinciæ Venetiarum Strictioris Observantiæ; Pro-Vicarius Illmi et Rmi D. Alexii Mariæ Filippi Episc. tit. Paneadensis et Vic. Aplici *Hu-pè* meridionalis, in Sinarum Imperio.

Feltriæ ex honestis parentibus natus die 2 Aprilis 1839, et Seraphicum Ordinem in Veneta strictioris Observantiæ Provincia amplexus die 29 Sept. 1855, mense Februario anni 1866 Sinas Missionarius adivit. Ob eiusdem virtutes, omnisque generis animi dotes, mox ab Illmo et Rmo D. Zanoli Episcopo tit. Eleutheropol. et Vicario Apostolico *Hu-pè*, Pro-Vicarius designatus fuit; et anno 1870 vastissimo Vicariatu in tres diviso, ipse in novum Vicariatum *Hu-pè* merid. secessit, eumdemque Illmus et Rmus Episcopus Filippi Pro-Vicarium instituit. Pro animarum salute nullo unquam labori pepercit, novamque ipse in *I-tchang* Christianitatem fundavit. Ad morbum vitæ suæ insidias parantem curandum, anno 1880 in Italiam redux, Missiones Sinenses, suam præcipue in ore et corde continuo habens, utilissima quæque ad earum conservationem et incrementum proponere sategit. Valetudine utcumque restituta, Sinas remeavit, Apostolicos labores magnanimiter reassumpturus, eosque alacriter prosecutus est, graves corporis, quibus afficiebatur, languores, ceu leviora incommoda despiciens. Ast die 2 Augusti hujus anni, Christifidelium Confessiones excepit; sermonem de occurrente Portiunculæ Indulgentia ad populum habuit, et Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebravit; ipse etiam, cum antea nequiverit, pro Indulgentia consequenda hora 3 post meridiem sacramentaliter confessus est R. P. Aloysio Perex Ord. S. August., *I-tchang* ob sua negotia adventanti; et mirum dictu! hora 4 apoplexia correptus, hora 9 ejusdem diei *I-tchang* placidissime animam reddidit Creatori suo, lucrata Indulgentia Portiunculae, Extremæ Unctionis Sacramento, et Benedictione Papali munitus. Ejusdem corpus ad Residentiam *Kin tcheou-fou* translatum, ibidem in Coemeterio honorifice sepultum fuit.

Nihil obstat
FR. BERNARDINUS MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM S. R. ET UNIVERSALIS
Inquisitionis die 19 Julii 1882.

—

Suprema S. Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium in tota Republica christiana contra haereticam pravitatem Inquisitorum Generalium, in Feria IV die 19 Julii 1882, damnavit et proscripsit atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit opusculum cui titulus:

Riproduzione di un discorso recitato da Monsignor Genuardi, Vescovo di Aci-Reale, con note dedicate all' Illustrissimo e Reverendissimo Monsig. Guarino, Arcivescovo di Messina. Catania, stabilimento tipografico Bellini Largo Spirito santo, 15. — 1882

Datum Romae etc.

Fr. Vincentius Leo Sallua, O. P., Archiep. Chalcedonen., Commissarius Generalis S. R. et universalis Inquisitionis.

—

DECRETUM S. C. INDICIS
Feria II die 10 Iulii 1882.

—

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 10 Iulii 1882, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Borelli Giambattista. Studi Filosofici Sociali. I. La sola possibile Religione dell'avvenire. II. Appunti sociali sul matrimonio e sulla famiglia. *Seconda edizione* con Appendice. III. Studi sulla prostituzione. Roma, 1881.

Mamiani Terenzio. Delle Questioni Sociali e particolarmente dei Proletari e del Capitale, libri tre. Roma, 1882.

Renan Ernest. L'Ecclésiaste traduit de l'Hébreu avec une étude sur l'âge et le caractère du livre. Paris, 1882.

Gregorovius F. Atenaide, storia di una Imperatrice Bizantina. Versione dal tedesco di Raffaele Mariano. Roma etc. 1882.

Auctor (Chaillot J. L.) *Operis cui titulus:* Pie VII et les Jésuites d'après des documents inédits: prohib. Decr. 3 Aprilis 1882, *se subiecit.*

Itaque nemo etc.

Datum Romae die 10 Iulii 1882.

Fr. Thomas M. Card. Martinelli.
Praefectus.

Fr. Hyeronimus Pius Saccheri, Ord. Praed., S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

—

DECLARATIONES

S. Poenitentiariae Apostolicae quoad eos, qui a lege ieiunii dispensantur ratione aetatis, laboris et affectae valetudinis.

Die 14 Febr. 1819, sacro Tribunali S. Poenitentiariae Apostolicae propositum fuit enodandum sequens

DUBIUM

« An Fideles, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, licite possint in Qua-

dragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis, vesci carnibus et lacticiniis, per idem indultum permissis, quoties per diem edunt. »

Sacra eadem Poenitentiaria sub die 24 Februarii 1819, re ponderata, censuit respondere: *Posse*:

Episcopus Salfordien., prae oculis habens praelatam resolutionem, eidem S. Tribunali S. Poenitentiariae sequens proposuit

DUBIUM

« An ii qui ratione affectae valetudinis a lege ieiunii dispensati sunt, possint iis diebus, quibus per indultum esus carnium concessus est, saepius per diem carnibus vesci? »

Sacra eadem Poenitentiaria, mature ac diligenter perpenso proposito dubio, sub die 16 Martii 1882 respondendum censuit: *Fideles, qui ratione affectae valetudinis a lege ieiunii seu unicae comestionis eximuntur, licite posse, iis Quadragesimae diebus, quibus esus carnium per indultum permissus est, toties carnibus vesci, quoties per diem edunt.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 16 Martii 1882.

—

LITTERAE
Emi Cardinalis Secretarii Status de Tertio Ordine

—

Emus Dnus Cardinalis Iacobini, a Secretis Status Ss. D. N. Leonis Papae XIII, Epistolae encyclicae *de S. Francisco et de Tertio Ordine propagando* ad Italiae praesertim Episcopos plura exemplaria tum latina, tum vernacula transmittens et enixe eisdem commendans sub die 22 Septembris 1882, inter aptiora Tertii Ordinis propagandi media Parochorum cooperationem innuit. Dein subiungit:

« Cum agatur modo de Catholicis italis impellendis ad nomen suum Tertio Ordini dandum et simplices eiusdem regulas observandas, bonum erit si multis in locis instituantur qui Tertio Ordini fideles adscribendi facultatem habeant.

« Ordinaria facultas penes varias Franciscalium Familias extat; ast ubi Franciscalium Conventus desunt, Rme Dne, recurre ad Ministros Provinciales, vel Generales Ordinis ut huic necessitati prospiciant, sive aliquem Religiosum ad Ecclesias Parochiales mittendo ut inibi Fideles, si qui desiderant, ad Tertium Ordinem recipiat; vel ipsosmet Parochos delegando, eisque opportunas facultates communicando.

« Ab huiusmodi porro facultatem habentibus quavis trimestri novorum adscriptorum catalogum ad te transmittendum curabis, quem postea mihi communicare digneris. »

Cardinalis autem Urbis Vicarius eadem fere omnibus Romani Districtus Parochis inculcat Litteris datis 30 Sept. et in fine addit: « Ipse (Summus Pontifex) enim vult singulatim informari de hac re, quam pro animarum salute magni momenti esse existimat ».

II.
ACTA ORDINIS

—

EPISTOLA ENCYCLICA RMI P. MINISTRI GENERALIS

—

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
totius Ordinis Minorum Minister Generalis et humilis in Domino servus.

Venerabilibus et in Christo Iesu dilectissimis Patribus, Fratribus, Monialibus et Sororibus Nostrae iurisdictioni qualibet ratione subiectis, pacem, salutem et seraphicam benedictionem.

Periucundum et, ingenue fateor, supra quam in hisce temporum adiunctis sperare liceret, accidit mihi videre et audire quam magnifice, quam devote, Vobis praeeuntibus, mira cleri populique conspiratione, ubique locorum, septimum a nativitate S. P. N. Francisci Centenarium commemoratum et celebratum fuerit.

Quapropter, dum in Basilica Sanctae Mariae Angelorum prope Assisium sollemnia festa peragebantur, potius quam laudes Seraphici nostri Patriarchae, officii mei esse duxi laudes Omnipotenti Deo dicere, omnesque invitare ad cantandum Deo *canticum novum, quia mirabilia fecit.* Profecto, si nunquam alias, at ea die gavisus sum mihi Generale Ordinis Ministerium tenere, quo possem e sacra cathedra, Vestro etiam nomine omniumque franciscalium, Vobis ipsis per os meum prae-

dicantibus, auctoritate Patris et Praelati, qui pro suis filiis et subditis loquitur, publicas et sollemnes gratiarum actiones exultanti animo sacrosanctae et individuae Trinitati iterare; illa verba usurpans: *laudamus Te, benedicimus Te, gratias agimus Tibi propter magnam gloriam tuam*, quia scilicet complacuit Tibi tam magnifice Temetipsum glorificare in famulo tuo Francisco et in filiis eius per tot saeculorum decursum.

Nunc vero et Vobis, Dilectissimi, gratias ago, quia, exhortationibus meis anno elapso ad Vos datis pronas aures adhibendo, eleemosynas collegistis et misistis, quibus et in hac nostra Aracoelitana Ecclesia, et in Assisiensibus, maiori magnificentia, prouti decebat et factum est, triduana festa in honorem Seraphici Patriarchae celebrarentur.

Praeterea gratulor Vobis, meritamque laudem tribuo, quod in quolibet Conventu, et etiam, ubi Conventus ablati Vobis fuerunt, in aliena ecclesia Fratres quoque dispersi coaluerunt, et fratres ac sorores tertii ordinis saecularis sibi socios adiunxerunt, ut honestius sancti Patris memoriam recolerent.

His quoque qui editis libris, academiis, musicis compositionibus, vel alia qualibet ratione, ad augendum honorem Dei et Ordinis decorem concurrerunt, gratias ago, Deumque rogo ut pro meritis retribuat.

Omnibus demum, sed potissimum Sanctimonialibus et Sororibus Franciscalibus, quae levantes puras manus suas orationibus et obsecrationibus nocte ac die institerunt apud Deum, ut primum mihi in itineribus, quae hoc anno ad remotas Provincias confeci, adsistere dignaretur, deinde ut in festis S. P. N. Francisci omnia cum pace et prospere succederent, grati ac penitus devoti animi mei sensa precor ut significentur.

Quas quidem pias animas per amorem Domini Nostri Iesu Christi etiam atque etiam obsecro et obtestor ne preces suas intermittant, sed orare pergant, ut fervor iste seraphicus qui hac occasione sese exseruit, non tepescat, neque in exterioribus desinat, sed profunda cordis et medullas ossium occupet, ibique magis ac magis foveatur, et inde dignis virtutum operibus praesentiam suam manifestet. Certe, occasione festorum quae celebravimus, omnes, etiam tales de quibus vix sperabamus, recordati sunt se esse franciscanos, et Patrem suum recolere studuerunt. Optimum quidem honorare Patrem: at non sufficit, nisi simul quis satagat mandatis Patris obtemperare, eiusque exemplis se conformare. Et hoc est, Filii dilectissimi, quod toto corde Vobis commendo, ad quod in charitate Christi Vos urgeo; ut sic quae vovistis Deo reddatis, et salvas faciatis animas vestras. Post encyclicas litteras, quas elapso anno in festo Nativitatis Domini ad Vos dedi, aliquid boni fructus, Deo adiuvante, retulimus: sed heu! etiam hoc anno aliqui mortui sunt, de quibus timendum est ne eorum pecunia eos in perditionem aeternam pertraxerit! Cavete, cavete: et *Incitamenta Seraphica*, quae in *Actis Ordinis* inseruntur, attente perlegite, non solum *Fratres dispersi*, quibus directe inscribuntur, sed etiam Fratres qui in claustris degitis: multa enim sunt quae Vos quoque attingunt, ad vitam vere religiosam et franciscanam instituendam.

Demum, instantibus sollemniis Nativitatis D. N. Iesu Christi, novoque anno adventante, cuncta in Domino felicia Vobis omnibus, Patres, Fratres, Sanctimoniales, Sorores, Tertiarii et Tertiariae, gratias ago, pacem exopto, seraphicam benedictionem impertior.

Dat. Romae, ex Aracoeli, die 12 decembris 1882, in festo Inventionis Corporis S. P. N. Francisci.

Servus vester per Iesum
FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

De mandato P. S. Rmae
Fr. PETRUS A MONSANO
ex-Min. Provlis, Secret. Gen.
Ordinis.

AD FRATRES DISPERSOS
Incitamenta seraphica

(Continuatio)

V

De obligatione tendendi ad perfectionem, qua omnes Religiosi manent adstricti.

« Quisquis debet versari in saeculo, memor sit vocationis suae, eiusque sit tenax disciplinae et vitae regularis, cui se pridem descripserit.

Vota solemnia, quae semper firma semperque immota permanebunt, custodiat et servet. »

Hoc Pontificium oraculum a SSmo Domino Pio PP. VI. prolatum, legentes et animo recolentes Fratres nostri exules, incitari debuerunt ad vota, quae Domino nuncuparunt, fideliter servanda et vitam Religioso dignam semper et ubique ducendam.

Quo autem maiori sollicitudine hanc rectam viam sequantur, operae pretium est, ut de ipso fine Religionis et de praecipua omnium Regularium obligatione, tendendi scilicet ad perfectionem, quaedam dicamus et simul ostendamus, Religiosos extra coenobia versantes ab hac obligatione minime esse exemptos.

Omnes Theologi conveniunt, Religionem significare statum perfectionis seu perfectae caritatis, et hunc sibi finem praefixisse Salvatorem, dum eam instituit, iuxta haec evangelica verba: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me* (Math. XVI. 24); *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me* (Matth. XIX. 21.)

Angelicus Doctor (2. 2. qu. 186.) totus in eo est ut hanc veritatem ostendat et simul doceat, Religiosum vi suae professionis teneri totis viribus magnoque studio perfectionem procurare.

« Religio, ait, nominat statum perfectionis ex intentione finis. (Ibid. art. 1. ad 3.). »

« Dicendum quod Religionis status principaliter est institutus ad perfectionem adipiscendam per quaedam exercitia quibus tolluntur impedimenta perfectae caritatis (Ibid. ad 4.). »

« In hoc perfectio hominis consistit, quod *totaliter* Deo inhaereat. Et secundum hoc religio perfectionis statum nominat. (Ib. art. 1.). »

Qualiter autem in conscientia teneatur Religiosus ad perfectionem tendere et aspirare, sequentibus verbis expressit: (2. 2. qu. 186. art. 2. in corp.) « Status autem Religiosi est quaedam disciplina, vel exercitium ad perfectionem perveniendi: ad quam quidem aliqui pervenire nituntur exercitiis diversis, sicut etiam medicus ad sanandum uti potest diversis medicamentis. Manifestum est autem, quod ille, qui operatur ad finem, non necesse convenit, quod consecutus sit finem; sed requiritur, quod per aliquam viam tendat ad finem: et ideo, qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam caritatem: *sed tenetur ad hoc tendere, et operam dare, ut habeat caritatem perfectam.* »

Ex his angelici Doctoris verbis manifestum est, finem status religiosi esse *perfectam* caritatem *quae excludit omne illud quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum* (1), et Regulares ad eam tendere in conscientia teneri.

Quum autem agatur de re gravissima quam voverunt Religiosi et in qua consistit substantia huius status, unanimiter docent Theologi, eos sub gravi peccato ad hanc perfectionem procurandam esse obligatos, necessaria et opportuna ad id media adhibendo.

Hinc, ut recte advertit Scaramelli (2), quivis Religiosus sub gravi obstrictus est ad servanda tria vota, paupertatis, castitatis et obedientiae, utpote quae tamquam ipsa consilia, a Christo Domino in sacro Evangelio pro perfectione adipiscenda nobis suppeditata ille votis solemnibus amplexatus est; et sub eadem obligatione tenetur ad observantiam suarum regularum, cum hae sint media illa, quorum ope in emissa professione sese ad perfectionem eluctaturum promisit. Ita docet S. Thomas: (2. 2. qu. 186. art. 2. in corp.) *Similiter etiam non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa, quae sunt ei determinate taxata per regulam quam professus est.*

Quamvis autem huiusmodi obligatio tendendi ad perfectionem in Religiosis probabilius non sit distincta ab obligatione servandi vota et observantias regulares, sed sit eadem cum illa, peccat tamen mortaliter Religiosus contra hoc praeceptum procurandi perfectionem, juxta Lezana (3) et alios, *primo*, quando contemnit ea, quibus venitur ad perfectionem; *secundo*, quando transgreditur Regulam (etiamsi ad venialem solam, vel ad nullam culpam obligaret) *eo fine* ut impediat perfectionem; *tertio*, quando firmiter statuit apud se, nullo modo curare de perfectione sui status; *quarto*, quando in ani-

(1) 1. 2. 4. 184. art. 2. in corp.

(2) Direct. ascet. tract. 1. art. II. cap. II.

(3) *Quaest. Regul.* cap. 1.

mum inducit non progredi ad vitae perfectionem, ita ut apud se statuat et dicat: *nolo ad perfectionem tendere; quinto,* quandò eius pravo exemplo alios induceret ad depravatam vitam vel relaxationem Regulae.

Tandem recte observant Salmanticenses (1), dictam obligationem consistere in continuo quodam motu tendendi ad perfectionem, ita ut Religiosus nunquam in hoc motu et progressu quiescat nec dicat: satis est; sed semper ad altiora aspiret; quia in via Dei non progredi, regredi est, iuxta ilud S. Bernardi (epist. 341): *Non proficere, sine dubio deficere est. Nemo proinde dicat: Satis est, sic volo manere: sufficit mihi esse sicut heri, et nudiustertius.*

Haec sunt de obligatione tendendi ad perfectionem principia theologica, iuxta quae omnes Regulares vitam suam dirigere et instituere debent. Utinam ea omnes iugiter prae oculis haberent, et quae vocationis suae sanctitas requirit, omnibus viribus et summa cura prosequerentur!

Si Regulam nostram seraphicam attente consideramus, videbimus, nos ad excelsam perfectionem, evangelicam scilicet, esse vocatos, eam super omnia a nobis esse desiderandam, illamque unicum esse finem ad quem omnia religiosae vitae exercitia aut opera tendere debeant et inservire. Ad hanc proinde comparandam continua nostra studia dirigantur; de hac sola simus solliciti, caetera omnia pro nihilo ducentes, si ad profectum nostrum spiritualem conducere non videantur. Ad hoc enim Deus ineffabili sua bonitate nos ad seraphicam Religionem vocavit, ut vitia et defectus studiose vincamus, sublimes Christi virtutes imitemur, eiusque semitas crucem perferendo arctius sequamur, ut illis inhaerendo ad evangelicam perfectionem pervenire possimus.

Evangelica ista perfectio, ait S. Bonaventura (2), est conformitas viatoris ad Christum, per illum virtutis habitum quo supererogatorie declinantur mala, efficiuntur bona et adversa perferuntur. Hanc perfectionem Salvator noster monstravit in semetipso tamquam in monte sublimi, qui totius est perfectionis splendor, speculum et exemplar, iuxta quod Ipse testatur in Luca (VI, 10): *Perfectus discipulus erit si sit sicut Magister eius.* Et ideo in eius designationem, cum hanc docere voluit, in montem conscendit, non turbas imperfectas alloquens, sed discipulos suos quos ad perfectionis culmen exaltare decreverat et quibus propterea octo beatitudines proposuit servandas, ut per has inordinatae concupiscentiae perfecte vincerentur, et ad apicem sanctitatis possent pervenire. Et haec est perfectio, uti eodem loco docet S. Bonaventura, ad quam Beatus Pauperum Patriarcha Franciscus Fratres suos perducere voluit, dum in primo capite Regulae, fundamentum ponens sanctitatis, eos ad triplicem concupiscentiam perfecte declinandam voto adstrinxit, et in capite decimo, evangelicam perfectionem enixe commendans, vehementer eos hortatur, ut attendant, quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde et habere humilitatem et patientiam in persecutione et infirmitate; et diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt et arguunt; quia dicit Dominus: *Diligite inimicos vestros: et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum; qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Haec est igitur perfectio ad quam Fratres Minores vi suae professionis aspirare et pro viribus tendere debent, media ad id necessaria et opportuna adhibendo iuxta illud S. Thomae (22. 9. 184. art. V): *Ad statum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ea quae sunt perfectionis;* quod etiam hoc communi principio confirmatur: *qui tenetur ad finem tenetur ad media.*

Media porro efficacia in virtutibus evangelicis proficiendi sunt exacta votorum, Regulae et Statutorum observantia, necnon illa adiumenta seu adminicula quae a magistris vitae asceticae traduntur tamquam necessaria ad perfectionem assequendam.

Quod ad votorum observantiam attinet, per ea, ut supra dictum est, removentur illa per quae posset homo impediri ne totaliter eius affectus tendat in Deum, et simul etiam perpetuum Deo offertur holocaustum, dum Religiosi, relictis iam omnibus, se totaliter man-

(1) Tract. XV. *de Statu religioso*, cap. 1. Punct. II.
(2) *Apologiae pauperum, responsionis optimae* cap. III.

cipant divino servitio. Horum autem votorum observantia eo efficacius ad perfectionem conducit, quod in sua integritate impleri non possunt sine exercitio aliarum virtutum moralium, uti docet angelicus Doctor. (2. 2. qu. 186. art. VII. ad 1. et 3).

Quid autem dicemus de Regula nostra Seraphica?

Quantum emolumentum praebeat acquirendis et perficiendis virtutibus, ex solis encomiis quae S. P. N. Franciscus illi tribuit, sufficienter constat. De hac enim loquens dicebat: « Fratres mei et Filii charissimi, praeclare nobiscum actum est in concessione huius Regulae. Haec enim quae nobis proponitur, liber est vitae, spes salutis, arrha gloriae, medulla Evangelii, via crucis, status perfectionis, clavis paradisi, pactum aeterni foederis. »

Quod etiam Episcopus Silvensis his verbis declarat: « Nulla observantia evangelica ista Francisci purior esse potest, nec sibi in perfectione evangelica aequari, unde dicit Decretalis *Exiit* de professoribus istius Regulae: *Christi semitas arctius quam caeteri elegerunt.*

Nullum igitur est dubium, quin pura observantia Regulae nostrae ad perfectionem evangelicam recte conducat, praesertim si eius sectatores praeter praecepta etiam consilia in ea contenta et in quibus proprie loquendo perfectio consistit, sequi conantur; alias enim eveniet quod recte notat Gerson: *Raro fiet, ut homines praecepta strenue compleant, quin quodammodo supererogent et misceantur consiliis.*

Qui ad perfectionem aspirat, pari studio Ordinis Constitutiones et Statuta servet necesse est, cum illa vel ordinant quae necessario facienda aut vitanda sunt pro pura votorum aut Regulae observantia vel pietatis aut virtutum exercitia praescribunt, quibus facilius et tutius perfectio obtineri potest.

Praeterea Constitutiones et Statuta, quae a Superioribus emanant, nulla ratione negligi aut parvipendi possunt, quin ipsius Dei ordinationi resistatur et consequenter a via perfectionis declinatur.

Religiosus proinde sic profectus spiritualis sollicitus in minimis observantiis conabitur esse fidelis, ut tali ratione ostendat, quantum Deum amet, quem in nullo deliberate vellet offendere aut contristare.

Alia pariter adminicula perfectionis, quae a magistris vitae spiritualis traduntur adhibenda sunt inter quae praecipuum est sincerum desiderium in virtutibus proficiendi, uti et strenua voluntas hoc sanctum opus prosequendi iuxta illud S. Bernardi: *Indefessum proficiendi studium et iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.* (Epist. 753.)

Avida proinde mente auctores saepe legamus, qui sanctitatis fama gaudentes, solida doctrina tutam perfectionis viam ostendunt eiusque desiderium in aliis efficaciter accendunt.

Haec sunt quae de obligatione tendendi ad perfectionem et de praecipuis mediis eam acquirendi scribenda iudicavimus, id unum optantes ut per ea omnes Fratres incitentur ad Deo magis placendum et aliquem in vita spirituali profectum consequendum, ut tandem ad evangelicam perfectionem possint pervenire.

Hoc sanctum desiderium in seipsis nutrire et excitare non cessent, tum consideratione felicis sortis fervidorum Religiosorum, tum cogitatione malorum quibus iam in terris illi affliguntur, qui in statu monastico tepide vivunt, regulares observantias et obligationes sine scrupulo perfringunt ac de profectu suo spirituali parum aut nihil solliciti esse videntur.

Recogitent tales id quod doctissimus Navarrus asserere non dubitavit, dum animo volvebat communem sententiam Theologorum de necessitate tendendi ad perfectionem. « Ista veritas, dicit (1), est terribilis multis Religiosis, qui neque actu, seu actualiter, nec virtute, seu virtualiter, habent animum se in dies magis proficiendi in charitate, neque curant plusquam boni clerici saeculares vel laici, ad eam tendere. »

Simile iudicium profert Ludovicus Blosius in epistola quam, simul cum opusculo vere aureo inscripto « *Brevis regula tyronis spiritualis,* direxit ad quemdam iuvenem, nomine Clementem, qui in eo erat ut statum religiosum amplecteretur. His verbis eum alloquitur:

« Propositum animi tui, carissime Clemens quo decrevisti collum iugo sacrae religionis subdere, commendo plurimum, et gratias ago Domino Deo, qui illud tibi inspiravit. Sed perpende diligenter, quantam vitae puritatem atque integritatem requirat Ordo monasticus.

(1) *in cap. quia portio* 11. *qu.* 1. *num.* 10.

Nam quotquot religioni per professionem sese adstringunt, obligati sunt totis viribus ad perfectionem contendere, licet non sint obligati ad eam pervenire. Religiosus vel monachus qui sibi mundoque perfecte mori, et Deum vero sinceroque amore prosequi non studet, suae professioni non satisfacit. Heu quam multi hodie se misere fallunt, qui monastico habitu suscepto vota religionis vovent, quum tamen parum aut nihil de perfectione vitae cogitent. Creaturis tenaciter adhaerent, et in eis delectationem inordinate quaerunt; externas consolationes avidissime appetunt: sese totos absque timore foras effundunt: mente vagi, moribus incompositi, sensibus incustoditi, verbis garruli ac vani sunt: atque in sua negligentia suisque vitiis ad mortem usque perseverant. O quam acerbae poenae manent tales post hanc vitam! Tu vero, mi Clemens, vide ut non habitu tantum, sed maximo sancta coelestique conversatione sis Religiosus. Cogita quanta sit insania, modo ita prava desideria sua voluntatemque propriam sequi, ut postea necesse est indicibilibus tormentis cruciari. Nonne praestaret brevissimae vitae huius tempore per strenuam sui mortificationem et abnegationem, per veram humilitatem atque charitatem sese aptum reddere ad capessendam beatitudinem aeternam? Haec crebro meditare. Mitto brevem regulam, ad quam tu et ego vitam moresque nostros sedulo erigere debemus. » Ita devotissimus Blosius. *(Continuabitur)*

—

Ex actis Definitorii Generalis

—

Quum adm. R. P. Aurelius a Decimo, iam Secretarius Generalis Reformatorum, propter infirmam valetudinem Romam deserere officioque suo renuntiare coactus fuerit, eius loco, in Congressu Definitorii Generalis diei 21 Novembris nuperrime elapsi, suffectus fuit R. adm. P. Irenaeus a Torcenio, Provinciae S. Vigilii Filius, et S. Teologiae Lector.

Item in eodem Congressu electi fuerunt: *Annalista Ordinis* ad continuationem celeberrimi Operis P. Wadingi, cui titulus *Annales Ordinis Minorum*, Adm. Rev. P. Eusebius Fermendzin, Definitor Generalis:

Chronologus Ordinis, ad continuationem operis: *Chronologia historico-legalis*, Adm. Rev. P. Irenaeus a Torcenio, Secretarius Generalis Reformatorum.

—

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1882 celebrata

—

XII.

Collegium S. Ioseph Civitatis Tarata in Bolivia, Amer. Merid.

Die 20 Iunii, praesidente A. R. P. Commissario Generali, P. Hugolino Gorleri, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

Guardianus Collegii

A. R. P. Gregorius Faraut.

Discreti Collegii

R. P. Paschalis Bianchi

R. P. Josephus Gianelli

R. P. Vigilius Federici

R. P. Carolus Matiauda.

Ad istud Collegium pertinent duo Hospitia, alterum scilicet S. Crucis *de la Sierra*, et alterum Cochabambae; nec non quatuor florentes Missiones inter Infideles, *de Guarayos* dictos, scilicet de *Urubichá*, de *Ascension*, de *Yotaú*, de *Yaguarú*.

—

XIII.

Obs. Provincia S. Hieronymi in Dalmatia.

Die 12 Iulii in Conventu S. Francisci Iaderae, praesidente A. R. P. Benigno Buselli, Obs. Provinciae Thusciae, Commissario Terrae sanctae, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

Minister Provincialis:

A. R. P. Hieronymus a Pharia.

Custos Provinciae:

A. R. P. Seraphinus a Castris.

Definitores Provinciae.

R. P. Donatus a Pago.

R. P. Ioannes a Vegla.

R. P. Alexander a Mutina.

R. P. Ioseph a Tergeste.

Ad istam Provinciam sequentes 15 Conventus pertinent:

Arbe, S. Bernardini.

Capodistria, S. Annae.

Cattaro, S. Clarae.

Curzola, Assumptionis B. M. V.

Crappano, S, Crucis.

Lesina, *Le Grazie.*

Ossero, S. Francisci.
Pago, Assumptionis B. M. V.
Pasmano, S. Domni.
Pod-Prag, S. Francisci.
Spalato, Assumptionis B. M. V.
Traci, Assumptionis B. M. V.
Ugliano, S. Hieronymi.
Veglia, Annuntiationis B. M. V.
Zara, S. Francisci.

—

XIV.

Ref. Provincia Bononiensis (Bologna)

Die 20 Iulii, praesidente A. R. P. Canuto a Plebe S. Stephani, Praefecto Collegii Incontri, Mutinae rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:
A. R. P. Cyprianus a Cataranea.

CUSTOS PROVINCIAE:
A. R. P. Petrus Damianus a S. Archangelo.

DEFINITORES PROVINCIAE:
R. P. Pius a Maccaretulo.
R. P. Ioannes Augustinus a Loiano.
R. P. Onuphrius a Varignano.
R. P. Odoricus a Massa Garfagnonae.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 15 Conventus pertinebant:

Bologna, S. Pauli.
Piacenza, S. Maria *di Campagna.*
Villa di Verucchio, S. Crucis.
Cesena, Annuntiat. B. M. V.
Faenza, S. Hieronymi.
Borgonovo, S. Bernardini.
Imola, S. Michaelis.
Massa Lombarda, S. Antonii.
Parma, S. Petri de Alcant.
Modena, S. Cataldi.
Mirandola, S. Francisci.
Correggio, S. Francisci.
Medicina, SS. Crucifixi.
Forlimpopoli, B. Mariae V.
Bondeno, S. Ioannis Bapt.

—

XV.

Ref. Custodia Lucensis (Lucca) S. Ioseph.

Die 20 Iulii, praesidente A. R. P. Epiphanio a Cleravalle, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

CUSTOS REGIMINIS:
A. R. P. Philippus a Gualdo.

CUSTODIAE DISCRETI:
A. R. P. Raphael a Vioregio.
R. P. Stephanus a S. Columbano.
R. P. Eustachius a Plebecamaioris.

Ante suppressionem ista Custodia habebat sequentes Conventus:

Borgo a Mozzano, S. Francisci.
Camaiore, Immacul. Concept.
Viareggio, S. Antonii.
Lucca, S. Spiritus.

—

EPISTOLA CATHOLICORUM GERMANIAE

ad Superiores Generales Seraphici Ordinis.

Viri catholici ex omnibus Germaniae partibus Francofurti ad comitia generalia gerenda congregati, festis saecularibus, quibus dies natalis agitur Seraphici Patriarchae Francisci, exsultantes applaudunt Vobisque, reverendissimi Praesules, tanquam familiae Franciscanae summis capitibus libentissime laeta omnia faustaque precantur. Cordi enim habent, quanta sibi redundarint coelestium gratiarum dona ex beatissimi Patriarchae familia, quae simul atque orta est, velut lux splendens has quoque septentrionales regiones collustravit uberrimosque omnium virtutum fructus elicuit.

Etenim Seraphici Patris humiles filii paupertati tamquam sponsi iuncti, quum pauperibus evangelizare in deliciis haberent, mirum est quot animas inde a familiae primordiis ad haec usque tempora Christo lucrifecerint, quot ab haeresi defenderint, quot a vitiis revocaverint, quot denique ad veram poenitentiam vitaeque sanctitatem verbo et exemplo promoverint.

Haec igitur summa beneficia catholici Germaniae viri grato animo recolentes unanimiter decreverunt, Vobis, reverendissimi Praesules, intimos quibus erga Seraphicum Patriarcham eiusque insignem familiam affecti sunt pietatis ac venerationis sensus solemni modo testificari ac proloqui.

Ad exequendum hoc decretum ego, supradictorum comitiorum auctoritate negotiorum curator constitutus, has Vobis litteras mittens, Vestras pro patria nostra afflicta et pro me ipso preces benedictionesque, Reverendissimi

Praesules, summa in Vos veneratione affectus expeto.

Heubaci, festo S. Francisci 1882.

CAROLUS Princeps de LOEWENSTEIN.

—

RESPONSUM RMI P. GENERALIS.

Excellentissime Princeps

Assueto iam ab annis suspicere catholicum Germaniae populum, mundo universo praeclarissima exempla praebentem christianarum virtutum miraeque fortitudinis in tuendis Ecclesiae iuribus, haud novum inopinatumque mihi accidit, quod Tu, Excellentissime et optime Princeps, nomine catholicorum Virorum ex omnibus Germaniae partibus Francofurti ad comitia generalia congregatorum, amplissimis Litteris die S. Francisco Assisinati sacra ad me datis, mihi significare dignatus es. Nemini enim, minus vero mihi, dubitare fas erat, catholicum Germaniae populum ab usitato christianae operationis studio fuisse defecturum, dum, movente sapientissimo Ecclesiae Capite, evotos Christi fideles cerneret sese undequaque excitare et quasi certatim accurrere ad celebrandum inclytum Pauperum Patriarcham B. Franciscum, septimo ab eius nativitate exeunte saeculo. Nec id unum agere arbitrati sunt laudati catholici Viri, sed in grati animi testimonium erga Beatissimi Patris familiam, quam bene de eorum patria meritam profitentur, Generalibus eiusdem franciscanae Familiae Praesulibus laeta omnia atque fausta adprecari voluerunt.

Huius tam eximiae erga Fratrum Minorum Ordinem humanitatis et piae benevolentiae cum non possim dignas Tibi caeterisque praefatis Viris rependere grates, Deum potius enixe precabor meosque subditos precari faciam, ut per intercessionem S. P. Francisci dignetur patriae tristitiam in gaudium convertere, Vobisque conferre praestantis Vestrae sollicitudinis copiosam retributionem.

Dum autem gratissimum hoc officium ob mei ab Urbe absentiam aliquanto serius, adimpleo, libenter petitam benedictionem Tibi, Excellentissime Princeps, impertior, et insimul gaudeo me posse hac occasione peculiarem meam existimationem et observantiam profiteri.

Romae, ex Aracoeli, die 29 Novembris, Festo omnium Sanctorum Trium Ordinum S. P. Francisci anni 1882.

FR. BERNARDINUS Min. Gen.

Excellentissimo Pincipi
CAROLO DE LOEWENSTEIN.

—

MISSIONES ET EXERCITIA SPIRITUALIA

Patrum Ref. Recessuum Incontri et Montiscalvariae anno 1881.

		(Missiones)	(Comuniones)
In Dioecesi	Florentina	7	4610
»	Fesulana	15	11660
»	Pisana	2	8600
»	Pistoriensi	7	2850
»	Senensi	1	666
»	Colle	2	2500
»	Castello	2	2796
»	Arezzo	22	15910
»	Modigliana	13	13510
»	S. Sepulchri	5	2510
»	Sarzana	6	7290
»	Città di Pieve	3	2720
»	S. Mignato de Ted	1	650
»	Spoletana	13	4294
»	Rieti	2	450
»	Norcia	1	430

Exercitia spiritualia

In Seminariis 5
Religiosis Communitatibus. 10

—

FRUCTUS MISSIONUM

per Patres totius Provinciae S. Stephani reg. Ord. Minor S. P. Francisci strictior. obs. in Transsylvania, a 1 Augusti A. 1881, usque ultimam Iulii A. 1882 auxiliante Deo comportati.

1	Infantes e christianis parentibus baptizati	504
2	Sacramentum poenitentiae administratum sanis	28,804
3	» infirmis	142
4	Sacramentum Eucharistiae administr. sanis et infirmis	29,346
4	» infirmis per mod. viatici	677
6	Sacramentum Extremae unctionis administratum	617

7	Adsistentia matrimoniis catholicis	161
8	Conciones productae . . .	1,694
9	Catecheses	1,615
10	Sepulturae mandati	570
	CONVERSI	
1	E Calvinismo	4
2	E Lutheranismo	2
3	E Schismate	1
4	Ex Arianismo	1

Datum et signatum in V. Conventu nostro Vojdakunyodensi ad B. M. V. in Coelos assumptam, die 8 Augusti anno Domini 1882.

Fr. Iucundianus Simon, Min. provlis.
Praeses Congregationis.

—

ADNOTATIONES LABORUM SPIRITUALIUM

Per Alumnos Provinciae Reformatae Bavaricae per decursum anni currentis Capitularis 1881-82

1. Exercitia spiritualia in diversis Monasteriis: 14.
2. Exercitia spiritualia, vulgo Missiones internae sic dictae, in variis Parochiis per 8-10 dies habita: 4.
3. Conciones ex Cathedra: 809.
4. Homiliae et Catecheses: 2460.
5. Confessiones in Eccl.: 392000.
6. Commnniones: 407000.
7. Haeretici ad fidem conversi: 3.
8. Assistentiae morientium: 2034.
9. Viae S. Crucis solemniter erectae: 57.
10. In III. Ord. induti: 487.
11. » » professi: 302.

Monachii in Conventu ad S. Annam die 10 Iulii 1882.

Fr Franc. Xav. lohbauer, Mnr Provlis.

III.
MISSIONES

—

MISSIONES PROVINCIAE AMAZONUM
in Imperio Brasiliensi.

(ex relatione R. P. Iesualdi Machetti, Min. Obs., earumdem Praefecti).

Totam illam Amazonum regionem plurima et maxima percurrunt flumina, quae locum viarum ferme tenent, et navigationi late patent. Prope stationes ad naves excipiendas, et commercium exercendum Indi conveniunt et consistunt, quorum praesertim curam Missionarii gerunt: hinc etiam stationes Missionum secus flumina constituta sunt.

Secus flumen *Vaupès* sunt novae Missiones, quas P. Venantius Zilocchi a Placentia nuperrime fundavit. Qui hoc flumen ascenderit itinere decem dierum, primam Missionem inveniet, quae S. Bernardini nomine insignitur, et fideles bis centum complectitur. Parum ab hac distat (Leuc. 6.) altera, quae a Sanctissimo Patriarcha nostro Francisco nuncupatur et Christianos numerat quadrigentos: utramque nunc regit P. Mattheus Canioni.

Item itinere octo vel decem dierum eiusdem fiuminis pervenitur ad aliam Missionis stationem, quae *Panarè* dicitur et animas habet quingentas. Item secus flumen, quod in ipsum *Vaupès* immittitur, idem P. Venantius alias quatuor Missionum Stationes fundavit, parum altera ab altera distante, nempe circiter trium dierum itinere. Dictum flumen ascendenti prima occurrit Missio, quae a Sancta Elisabeth nominatur; habet animas bis centum quinquaginta: deinde altera, nempe nostrae Dominae a Nazareth cum animabus quadrigentis quinquaginta; tertia S. Ioseph cum animabus sexcentum; quarta S. Petri de Alcantara habet animas quadringentas. Quatuor has Missiones unus idemque P. Venantius regit; sed alios, saltem duos socios exoptat et quaerit. In snguli hisce nuperrimis fundationibus Sacellum constructum est, et domus pro Missionario, nec non alia domus pro hospitibus, nempe negotiatoribus, qui illuc adventitant, et certe de Missionibus non bene merentur.

In eadem regione vel secus idem flumen *Vaupès* alii bene multi coetus Indorum reperiuntur, et inter eos quidam christiani. Missionarius enim ex Ordine Carmelitarum ante annos circiter 45, per dictum flumen ascendens regiones illas evangelizavit, multosque Indos baptizavit; quorum aliqui adhuc extant. Hinc Pater noster Venantius etiam apud eos sacella alicubi construxit, ut cum contigerit aliquem Missionarium per eos transire, decentius Sacramenta conficere et ministrare possit. Extant etiam non pauci apud flumen *Nigrum* christiani,

quondam baptizati a P. Samuele Mancini vel a P. Villa, aut aliis Missionariis: Populus regionis de qua loquimur, certe hominum 12,000 excedit: imo quidam Mercator aetate longaevus qui saepius ad haec flumina excurrit populum omnem ad 30,000 dicit ascendere. Indi isti bonae indolis et docilis sunt, et facile ad fidem converterentur, si Evangelii praedicationem audirent; sed quomodo audient, sine praedicante? praedicatores vero, qui mittantur, ubi sunt, cum Sacerdotes ubique deficiant? P. Venantius Zilocchi et P. Mattheus Caioni, quos supra diximus, ab anno 1879 ad annum 1881 baptismate abluerunt animas 3,850. Omnes nunc Christiani, quos illic habemus sunt 5,000.

Secus flumen *Nigrum* a Civitate, quae dicitur *Manaos*, usque ad rempublicam Venezuelanam viginti ferme hominum congregationes seu pagi numerantur: sex horum pagorum habent unusquisque suam Paroeciam canonice institutam; sed omnes vacant ab immemorabili tempore, praeter unam, quae suum excepit rectorem anno 1874. Missionarii nostri per illa loca transeuntes, bona spiritualia, ut possunt, illis derelictis animabus impendunt. Cum naves praetereuntes aliquantulum in portibus subsistunt, si Christiani comperiant in navi Missionarium adesse statim Ecclesias aperiunt, campanas pulsant, et Missionarium rogant ut eorum natos baptizet, et matrimonia rite benedicat. Si nox sit et navis diu non subsistat, in navim pueros deferunt baptizandos: res supra fidem videbitur, sed vera omnino est, et mihi quoque transeunti saepius accidit. Ita P. Iesualdus harum rerum relator. Episcopo de *Pará*, sub cuius iurisdictione regiones istae sunt, sicut omnis Amazonum provincia, non est clerus sufficiens, non modo ut provideat amplissimis Amazonum regionibus, sed neque pro ipsa de *Pará* provincia.

Etiam iuxta fluvium *Salimas*, quod Hispani *Maragnon* appellant, Missionem habuimus, quam P. Angelus Fratteggiani fundavit, et post eum P. Ioseph Dallorto rexit; sed Christiani, quos fecimus, mercatorum praesertim promissis et invitationibus, locum deseruerunt, quapropter Missio tandem sublata est.

Flumen quoque *Uccayale*, quod peruanum est, nostras missiones habet, eosque Missionarii quinque vel sex ex collegio Sanctae Rosae de *Ocopa* regunt et administrant in spirituale et civile bonum praesertim Indorum. Sed cum Missioni Gubernium non faveat, et Missionarii nimium pauperes sint, mercatores veniunt, et Indis, christianae religionis moribus excultis, maiora promittunt quam eis Missionarius suppeditare valeat; sicque eos in proprium mercaturae servitium abducunt.

Quam ab causam Missiones illae languescunt et prope pereunt. Hoc flumen peruviani regni praecipuum est, eius cursum ferme omnes Indi frequentant: facile omnino esset in eorum coetus Missionarios immittere, eorumque saluti prospicere si Gubernium faveret, et Missionariorum copia adesset: praesertim cum illuc christianae religionis nomen et bonum non ignoretur. Olim enim secus illud flumen plures erant paroeciae: ultimis vero temporibus duo adhuc parochi remanserant, quorum unus mortuus est; alter vero alio abiit: sicque omnis illa regio derelicta est, et christiani, qui supersunt, sine sacramentis aliisve religionis auxiliis vivunt et obeunt. Secus flumen *Purùs* sunt incolae satis exculti numero ferme 5,000, qui comeatum praeparant vel exercent. Apud eos, ab anno 1873 constituta est Missio Protestantium; quae quamvis abundet subsidiis ab Anglia missis, tamen non proficit, et nonnisi barbarorum filios numero circiter 20 hucusque colligere potuit. Nos totam fluminis regionem duabus paroeciis complectimur et tribus Sacellis; sed unus tantum Sacerdos tantam populi multitudinem curat. Episcopus de *Pará* omnium regionum illarum administrator, vellet ut missiones illic augeremus. Sed Episcopi desiderium et nostrum, defectu Missionariorum, hucusque adimplere nequivimus.

Secus flumen *Madera* R. P. Theodorus Portararo Missionem fundavit, atque annis duodecim ita fideliter feliciterque excoluit ut gens illa satis civilis evaserit et instituta sit in omnibus, quae ad vitam honeste et commode agendam, sufficere possunt. Verum Missionarius ille laborum assiduitate confectus poposcit, atque mense maio proxime elapso, obtinuit aliquantulum requiescere in Hospitio, quod in *Manaos*, principe Civitate provinciae Amazonum, habemus. Interim opus eius, prospere coeptum, P. Illuminatus Coppi, in Tuscia natus, prosequitur.

Quot animae Salvatoris nostri pretioso San-

guine redemptae in praefatis regionibus viventes petunt panem, et non sunt, qui frangat eis? Rogemus propterea summum animarum Pastorem ut multos nostrorum Sacerdotum ad istas Missiones benigne vocare velit, qui opus inceptum prosequi valeant ad maiorem Dei gloriam, animarum salutem et Ordinis nostri honorem!

—

VICARIATUS APOSTOLICUS HOU-PE OCCIDUO-MERIDIONALIS

Status Animarum ac spiritualis

ADMINISTRATIO ANNI 1880-1881

	Christianitates	58
	Christiani in Catalogo descripti	3842
Baptizati	(Adulti	753
	(Fidelium Infantes	104
Infidelium Infantes	(Baptizati	7386
	(Collecti	82
	(Aliti	82
	(Mortui	836
Confirmationes		86
Confessiones	(Annuales	2680
	(Devotionis	8676
Communiones	(Annuales	2101
	(Devotionis	7185
Matrimonia benedicta		10
Extremae Unctiones		47
Vita functi		84
Praedicationes	(ad Fideles	765
	(ad Paganos	825
Missiones		46
Sacella ad Vicariatum pertinentia		17
Missionarii	(Europaei	7
	(Sinenses	5
Alumni	(Seminarii	10
	(Collegii	12
	(Scholarum	120
Tertiariae S. Francisci		6
Orphanotrophia	(Inservientes mulieres	3
Sacrae Infantiae	(Pueri	23
	(Puellae	38

✠ Fr. A. M. Filippi *Vic. Ap.*

—

STAT. AMERICAE FOEDERATI

In civitate Montereiensi *(Monterey)* foederationis americanae detectum nuper est sepulchrum Patris *Iuniperi Serra* M. O., fundatoris missionum Californiae, qui obiit anno 1784. Is, cum sibi mortem praesenserit imminere, voluit in Ecclesiam deferri: ibi una cum populo versiculum *Tantum ergo* cecinit, et Eucharistiam, Viatici ritu, sumpsit. Memoria Patris *Serra* illis in missionibus valde venerabiliter perennat — (Ex Ephem. *Museo delle missioni* n. 3 ann. XXV.)

V.

BIBLIOGRAPHIA

—

OPERA OCCASIONE VII CENTENARII S. P. FRANCISCI EDITA.

(Continuatio)

Doctoris Seraphici S. Bonaventurae, S. R. E. Ep. Cardinalis, Opera omnia, Iussu et auctoritate Rmi P. Bernardini a Portu Romatino totius ordinis Minorum S. P. Francisci Ministri Generalis edita, studio et cura PP. Collegii a Sancto Bonaventura, ad plurimos codices mss. emendata, anecdotis aucta prolegomenis scholiis notisque illustrata. Vol. I. Distributio I.

Ad commendandum tam praeclara opera Rmus Minister Generalis omnibus Ordinis Patribus sequentem scribit epistolam:

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS

ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS

VENERABILIBUS PATRIBUS ET FRATRIBUS SIBI SUBIECTIS

SALUTEM ET SERAPHICAM BENEDICTIONEM

« Nunc tandem ecce, Deo adiuvante, nova « editio omnium Operum Seraphici Doctoris « nostri S. Bonaventurae (de qua alias in hisce « *Actis* sermo factus est) in lucem prodire in- « cipit exordiendo a Commentario in quatuor « libros Sententiarum Petri Lombardi. Egregii « huius Commentarii textus, adhibitis circiter « triginta codicibus antiquitate praestantibus et « sex prioribus editionibus, a pluribus mendis « purgatus, integritati suae restitutus, multisque « notis et scholiis theologicis illustratus, quatuor « tomis comprehendetur. Hac vero tantum vice « non integer primus tomus publicatur, sed « media solummodo pars Commentarii in I. li-

« brum Sententiarum. Recurrente enim septimo « a nativitate S. P. N. Francisci saeculo, de- « cere rati sumus hac occasione ad pedes Pa- « triarchae nostri ea quae hactenus impressa « sunt devote deponere, reliqua quam citius « fieri poterit daturi. Continet autem haec « prima distributio (pag. LXXXVIII — 416) « Praefationem Generalem, Acta Apostolica « Sixti IV. et V., Prolegomena in I. librum « Commentarii, et ipsum Commentarium in « Distinctiones I—XXIII ».

Haec Confratres nostri Editores scribebant *in Programmate Associationis*. Conditiones vero quae sequuntur proponebant.

1. Omnia Opera Seraphici Doctoris prodibunt in 4°. maiore, charta manufacta, et characteribus, uti in *Programmate* et adiecto specimine.

2. Pretium cuiusque voluminis computabitur iuxta numerum foliorum, quibus constabit, ratione 20 cent. libellae pro unoquoque folio, absque ulla pretii reductione. Praesens volumen, quod constat 64 foliis, venit fr. 13 non computato pretio expeditionis.

(*Singulis Sacerdotibus, sive saecularibus sive regularibus, necessariis cautelis adhibitis, dari poterit* franco, *pro celebratione decem Missarum*).

3. Quibus placitum fuerit hanc editionem sibi comparare, scribant: Al Signor *Alessandro Mareggiani, Direttore della Tipografia di S. Bonaventura* (Toscana) FIRENZE — BROZZI — QUARACCHI;

Aut ad CURIAM R.MI P. MINISTRI GENERALIS. — ROMA — Araceli.

Porro Nos enixe commendamus Vobis, Patres et Fratres charissimi, ut hanc nostram editionem, qua latius datum fuerit, notam facere et diffundere adnitamini, non modo ut exemplarium venditione enormibus impensis fiat satis, sed etiam ut studium tanti Doctoris apud omnes promoveatur. Nec quisquam Vobis obiiciat, uti aliquando Nobis obiectum fuit, alienum videri a mente Summi Pontificis, qui nunc sapientissime aeque ac prudentissime regit Ecclesiam Dei, alius Doctoris quam S. Thomae Aquinatis vestigiis insistere: nam primo, doctorum virorum, qui sine partium studio res perspiciunt, sententia est, Angelicum et Seraphicum in substantialibus mire concordare: secundo, idem Summus Pontifex Leo Pp. XIII in suis encyclicis *Aeterni Patris* utrumque pari laude exornavit: tertio, idem SS. Dominus Noster, cum ante paucos dies primum volumen Operum Seraphici nostri Doctoris Illi obtulimus, benignissime accepit, gratulatus est quod amborum Doctorum editiones *pari gressu* procederent, de Collegio Patrum Editorum notitiam quaesivit, iisque et eorum laboribus amplissima dignatione benedixit.

Nolite igitur timere, Flii charissimi; sed diligenter et amanter Opera S. Bonaventurae diu noctuque versate, quarum attenta lectione illustratur intellectus et inflammatur affectus. Et praeterea orate ut magnum hoc inceptum, quod Ordini nostro decus addere, et Ecclesiae universae utilitatem afferre certissime potest, ad felicem exitum, Deo auxiliante, S. P. N. Francisco intercedente, Vobis etiam opportune providentibus, perduci valeat.

Dat. Romae, ex Aracoeli, die 4 dec. 1882.

Fr. BERNARDINUS Min. Gen.

1882. ALBO PER LE FESTE CENTENARIE di S. Francesco d'Assisi IN IMOLA. Imola. Tip. d'Ignazio Galeati e figlio, Via del corso 35. (pag. 41).

1882. FRANCESCO D'ASSISI E IL PROGRESSO MORALE E CIVILE per P. Francesco Antonio da S. Giov. Rotondo, lettore emerito M. R. e professore di filosofia nel Seminario di Troia (pag. 28).

1882. EL SIMULACRO VIVO DE CRISTO LLAGADO, ó sea Semejanza entre nuestro Senor Iesu Cristo, y el seraphico Patriarca S. Francisco, por el reverendo padre fr. Francesco Manuel Malo, lector jubilado, comisario provincial de la Cartagena de la regular observancia. Madrid, imprenta de F. Marolo Calle de pelayo 34. in 8. (Pag. 67).

1882. S. FRANCESCO D'ASSISI RE, panegirico nel Settimo Centenario della sua nascita detto il di 4 Ottobre 1882 nella chiesa dei PP. MM. Rifor. del Calvario presso Pistoia. Prato, Ranieri Guasti Editore libraio. In 12. (pag. 31).

1882. HOMENAGEM AD INCLITO PATRIARCHA S. FRANCISCO DE ASSIS, POLYANTHEA SERAPHICA por occasiao do septimo centenario de

seu nascimento. Rio de Ianeiro, typ. Montenegro in 8. (pag. 40).

1882. Gli Ordini religiosi nel secolo decimonono, Discorso apologetico detto li 8 ottobre 1882, da Mons. Pietro Cappellari, Vescovo titulare di Cirene, celebrandosi il settimo centenario della nascita di S. Francesco d'Assisi, in Genova. Genova tip. Bonanni. In 12 pag. 30. (L. 0, 15).

1882. Ossequio letterario di alcuni giovani Francescani al loro Seraphico Padre, nel settimo centenario della sua nascita, per cura di Fra Ermenegildo da Chitignano Min. Rif. seconda edizione. Prato, Ranieri Guasti, in 8. p. 167.

1882. Compendio della Regola e degli Statuti del Terz'Ordine secolare del N. P. S. Francesco, con un piccolo Rituale. Roma, Tip. Monaldi, in 16, pag. 51. (L. 0, 20)

1882. Specchio della vita Contemplativa ovve via e cammino della mente dell'uomo in se medesimo, composto per l'Eccellentissimo Dottore Frate Bonaventura Cardinale dell'Ordine dei Minori, pubblicato per la prima volta col testo latino a fronte, dal P. Lorenzo da Volturini, Min. Oss. Prato, Tip. Giachetti. in 8. p. 124. (L. 1, 50).

1882. San Francesco di Assisi e la sua Missione all'ombra di Betlem e del Calvario, per le feste del VII Centenario dalla sua nascita solennemente celebrate nella Ven. Chiesa di Aracoeli in Roma e di Santa Maria degli Angeli presso Assisi; Orazione panegirica di Monsig. Francesco M. Imparati, Vescovo di Venosa. Roma, Tip. Monaldi e Comp. in 8. p. 45,

1882. Filotea Serafica ossia Manuale di pietà pei Francescani compilato dal Padre Candido Mariotti da Gaglioli M. O. Venezia, tip. dell'ancora, 1982. Un Vol. pagg. 986, prezzo L. 2.

2882. Esercizio quotidiano e ammaestramenti per far le opere con maggior perfezione, Operetta della Ven. Maria di Gesu di Agreda, pubblicata per la prima volta dal Molto Rev. P. Ramon Buldù provinciale del l'Ordine Francescano, prima traduzione dall'originale Spagnolo dal Can. Teol. Silvio Villoreci. Napoli, Tip. degli Accattoncelli, in 15. pag. 330. (L. 1, 50).

1882. Bozsné Srdce Pana (Divinum Cor Domini). Auctore P. Henrico Náhlik, Ref. Provinciae SS. Salvatoris in Hungaria. Brunnae in typogr. Benedictinorum, (88 pag).

Continet brevem historiam de origine et evolutione Cultus SSmi Cordis Iesu cum adnexa doctrina pro sodalibus, nec non varias devotiones erga illud. Est primus liber qui slavico idiomate prodiit de hoc argumento.

1882. Reminiscenze d'un Pellegrino ai Santuarii di S. Francesco d'Assisi nel VII Centenario dalla sue nascita, *del P. Ambrogio Mariani, M. O.* Firenze alle Librerie di Cesare Bettazzi, Piazza del Duomo, e di Egisto Cini, Via Ghibellina. (L. 2).

1882. Breve Cronologia nella quale secondo la tradizione della chiesa cattolica si mostra l'anno vero della morte di Gesù Cristo, con un appendice intorno le cinque sole Pasque pubblicata da P. Giovanni Bartomioli di Osimo, M. O. nell'anno del Signore 1882, tertio Centenario della Correzione Gregoriana del Calendario. Ascoli, tip. Bardi Fascicul. in 4 pag. 15. (L. 0, 50).

Probat auctor annum mortis D. N. J. C. esse 35 aerae vulgaris, non autem 29.

PETITIO

Cum approbatione Ministri Generalis, Confrater noster R. Adm. P. Raphael a Paterno, Lector Iubilatus, Collectionem parare iam coepit omnium operum, sermonum panegyricorum, carminum, scriptorum academicorum, descriptionumque solemnitatum, quae occasione septimi Centenarii S. P. Francisci typis edita fuerunt, quae quidem Collectio sub hoc titulo evulgabitur: « *Omaggio del Mondo Cattolico a S. Francesco*, nell'occasione del VII Centenario 1882. » Ideo rogat auctor omnes Provinciales et Superiores, ut praedicta documenta vel publicas ephemerides, quae de centenariis solemnitatibus aliquo modo tractarunt, ad ipsum transmittere velint: *Napoli, Vico dei Rocci al Duomo 8.*

1865. Corso di lezioni di filosofia razionale, ossia sistema psich. e ontologico del Professore Padre Antonino Maugeri Min.

Oss. ec. Catania, vol. 3 in 8° grande; prezzo, (L. 15.)

1869. Elementi di filosofia ad uso del Seminario Arcivescovile di Catania, del Padre Antonino Maugeri. Min. Oss. ec. Catania, un vol. in 8° prezzo, (lire 4.)

1879. Elementi di filosofia fondamentale cristiana per Monsignor Fr. Benedetto La Vecchia Guarneri, Min. Oss. Arcivescovo di Siracusa. Siracusa, un vol. in 8° prezzo (lire 3.)

1878. Elementi di fisica razionale cristiana per Monsignor Fr. Benedetto La Vecchia Guarneri, Min. Oss. Arcivescovo di Siracusa. Siracusa, un vol. in 8° prezzo, (L. 3.)

1876. Novisimo catechismo de teologia mistica, ò camino abreviado de la perfecion, por el P. Francisco Manuel Malo, Lector Iubilado ec. Menor Observante. Quinta edicion. Santiago, un vol. in 16.°

1880. Defensa del venerable Doctor subtil y Mariano, Fr. Juan Duns Escoto; contra sus modernos detractores, por el P. Francisco Manuel Malo, de la Regular Observancia, ec. Madrid, in 8.°

1880. Sermon panegirico de la Concepcion immaculada de Maria santisima, por el Rev. P. Fr. Antonio Gomez y Zamora, Lector de sagrada teologia Menor Observante. Madrid, in 8.°

1880. Il positivismo e il razionalismo, ossia missione della scienza in quest'ultimo decennio 1870-1880, pel Padre Antonino Maugeri, Min. Oss. Professore di filosofia razionale nella Regia Università di Catania, etc. Catania, un vol. in 8° grande; prezzo, (L. 4.)

V.
NECROLOGIA

Adm. Rev. Pater Paschalis ab Aversa M. O., Lector Iubilatus de numero, Praedicator generalis, Examinator synodalis Archidioecesis Neapolitanae, semel et iterum Minister Provincialis, ex apoplexia correptus decessit e vita die 18 Iulii 1882, aetatis 75.

Vir fuit insignis tam morum integritate quam animi eruditione. In scientiis philosophicis et theologicis apprime versatus, ita in arte dicendi lucidus et facilis erat, ut omnibus audientibus proficuum se praeberet. Per viginti et quinque annos, in diversis Italiae ecclesiis cathedralibus Dei Verbum, in Quadragesima praesertim, summa cum laude et animarum profectu annuntiavit. Dum Ministri et Vicarii Provincialis munus gereret, regularem disciplinam et studia sacra cum tanto zelo et caritate promovit, ut exinde maxima commoda statim Provincia experta sit. Durante primo Provincialatus triennio ecclesiae, Sanctae Mariae Novae Neapoli restaurationem alacri voluntate et eximia pietate perfecit.

Adm. R. P. Ignatius Zanetti, xv kal. Ianuarii an. 1810 Tridenti natus, Grammaticae, Rhetorices, ac Philosophiae in Cas. Reg. Lycaeo Tridentino studiorum curriculo absoluto; anno 1832 XVI Kal. Novembris in franciscana reformata S. Vigilii Provincia, Ordinem est ingressus, ac novitiatu pie, riteque peracto, solemnibusque votis nuncupatis, quatuor Theologiae cursus laudabiliter persolvit. Regularis disciplinae zelo, necnon singulari prudentia praeditus, Superiorum ita sibi devinxit animum, ut mature Vicarii et Guardiani officiis fungendo dignus censeretur. Personarum minime acceptor qua Superior sic se gessit, ut subditos, quacumque ipsi dignitate fulgerent, paterna charitate prosequeretur, cum opus esset illos ad resipiscentiam revocare. Quibus virtutibus Provinciae Definitor, ac novitiorum Magister electus, sua munia triennio explevit, famam sibi parans prudentis pii, ac tenacis propositi viri. Quid agendum priusquam perficeret diutius perpendebat, a mendacio, subdolisque loquendi modis semper abhorrens, nemini verba dabat: quapropter confratres diligens, defendens, ac miserans, eorum aestimationem et amorem sibi conciliavit. Iterum ergo Definitor electus, dein Custos ac Clericorum Moderator; prudentia et animi aequitate ita excelluit, ut prae caeteris aptus, dignusque haberetur, qui Provinciae regendae munus susciperet. Nec electorum, subditorumque spem fefellit, nam Provinciam sibi demandatam ita gubernavit, ut quater usque Provinciali Ministerio functus sit. Quo in officio,

quamvis aegra plerumque valetudine, subditorum expectationi satisfecit, et aequitatis, prudentiae et fraternae charitatis imitanda exempla successoribus reliquit. Tandem quarto Ministerii sui triennio ad finem vergente, gravi acerbissimoque morbo quem patienter valde tulit, probatus; Idibus Octobris an. 1882, aetatis anno 72 in osculo Domini placide obdormivit.

VI.

VARIA

—

DIE VIII DECEMBRIS 1882.

LAUS

IN IMMACULATAM B. M. V. CONCEPT.

Praevia Domini itineribus,
Praevia sanctis suis operibus,
Virgo sancta gignitur:
Non attacta, non polluta
Labe nostra, sed induta
Interiori gloria:
Non sanata, sed servata,
Non mundata, sed ornata
Gratiae plenitudine:
Pater opes dat potentiae,
Filius opes dat Sapientiae,
Dat amoris Spiritus.
Caro et anima innocentes
Simul haerent se amplectentes
Mutuo pacis osculo.
In ea locus non est veniae,
Tota pulchra primigeniae
Decore iustitiae.
Mors est animae devicta:
Surgit Virgo benedicta,
Luci solis aemula.
Manet innocens natura,
In se Christi susceptura
Corporis mysterium.
Deus, qui cuncta creat et regit,
Eam elegit et praeelegit
Rerum primogenitam:
Posuit fines suos pacem,
Posuit cordi amoris facem,
Posuit prodigia.
Indeficiens fecit lumen,
Gloriam gentium, velut flumen,
Contulit in gremium.
Soli Deo noscenda datur,
Cum immersa videatur
Inaccesso lumine.
O felicis nuntia sortis.
Lux iucunda, nostrae mortis
Separata a tenebris;
Sancto Spiritu creata,
In Te pax est reparata,
Omnis pugna tollitur.
Nulla mali in Te proclivitas;
Tu praecincta David Civitas
Nostrae fortitudinis:
Nova Eva, paritura
Novum Adam, sponsatura
Crucis in doloribus:
Vere diceris et crederis
Arcà Sacra novi foederis,
Incorrupta permanens:
Templum Verbo aedificatum,
Sacrificio dedicatum
Sacrosancti Corporis:
Candelabri lux accensa,
Praeparata Christo mensa,
Ara Thymiamatum:
Hortus, ubi lilium fulget,
Hortus, ubi Rosa indulget
Fusa Christi sanguine:
Fons irriguus gratiarum,
Quo dulcescit omne amarum
Abditum in lacrymis:
Heri et hodie et in aeternum
Caput conteris infernum
Maledicti Daemonis.
Nos tua gens: qui lingua et calamo
De virgineo tuo thalamo
Tot triumphos egimus:
Nos tui filii, Tu patrona,
Nostri et Ordinis corona,
Benedicta in saecula!

Nihil obstat
FR. BERNARDINUS MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

TABULA MATERIARUM

PERIODICI

ACTA ORDINIS MINORUM

ANNO 1882

III.
MISSIONES

IV.
BIBLIOGRAPHIA

V.
NECROLOGIA

VI.
VARIA

ERRATA CORRIGE

Pag. 12, 2.ª col. lin. . *P. Elphidius;* lege: *Elpidius.* —— Pag. 16, lin. 48. 19 *Novembris;* lege: *19 Decembris.* —— Pag. 37, *1.ª* Col. lin. 15. *persaeque;* lege: *persaepe.* —— Pag. 48, 2.ª Col. ultima lin. *Compositas;* lege: *Compositae.* —— Pag. 59, 2.ª Col. lin. 6. *archiepiscopus in Achaia;* lege: *Archiepiscopus Corinthi in Achaia.* —— Pag. 152, 2.ª Col. lin. 33. *vocatis*; lege: *vocati sumus.* —— Pag. 170, 2.ª Col. lin. 33. *P. Benigno;* lege: *P. Remigio.* —— Pag. 170, 2.ª Col. lin. 40. *P. Ioannes Simic;* lege: *Vincentius Janovic.* —— Pag. 184, 1.ª Col. lin. 6. *Traci;* lege: *Traù.* —— Pag. 188, 2.ª Col. lin. 6. OCCASIO; lege: OCCASIONE.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EPISTOLA SUMMI PONTIFICIS

Episcopis qui Assisium convenerunt occasione Centenarii S. P. Francisci

—

DILECTIS FILIIS NOSTRIS DOMINICO TITULO S. MARCI S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI BARTOLINI ET LUCIDO MARIAE TIT. S. SIXTI S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI PAROCCHI, NEC NON VV. FF. ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS, QUI ASSISIUM AD SAECULARIA SOLEMNIA S. FRANCISCI PATRIS LEGIFERI CONVENERUNT

LEO PP. XIII.

Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. Gratae Nobis extiterunt litterae quas ad Nos dandas unanimi affectu censuistis, cum ex Assisiensi urbe discederetis, ubi S. Francisci Patris legiferi saecularia solemnia ob memoriam diei natalis eius celebrastis. Plenae enim illae erant pientissimi studii vestri erga Seraphicum Patrem, qui splendidam Christi imaginem in se referens tam praeclaram operam dedit igni illi fovendo, quem Christus ipse in terram invexit, plenae dilectionis et obsequii erga Nos, qui coelitis incliti honores promovendos curavimus et congruentes omni ex parte votis Nostris ac illi fiduciae, quam in coelesti Patrono apud Deum potentissimo merito collocavimus. Non enim quidquam Nobis optabilius esse potest quam si studium venerationis et amoris erga sanctissimum virum, hac tempestate impensius ubique excitetur, et eos fructus quos Vos vehementer optatis videamus, nempe ut illa admirabilis fides caritati coniuncta reviviscat inter homines huius saeculi, quae in insigni illo Christi discipulo loculenter effulsit, eumque parem ad magna et gloriosa opera, quae omnium saeculorum admirationem habent, effecit.

Nihil etiam Nobis accidere iucundius potest quam si sacra illa militia tertii Ordinis late propagetur, quae sacri illius ducis et magistri vestigia sectando magna remedia malis huius saeculi opponit, et praeclara tum publicae tum privatae utilitatis bona mundo pollicetur. Quapropter Nos magnopere gaudemus, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, Vobis cordi fuisse, non modo pietate praesentiae Vestrae solemnibus quae acta sunt splendorem adiicere, et ostendere, quo in honore sanctimoniam et merita Assisiensis herois habeatis, sed etiam fervidis precibus contendere, apud Deum interpositis servi Eius deprecationibus, ut communia vota nostra utilitatem ac salutem generis spectantia feliciter et cumulate impleantur. Confidimus Deum Clementissimum, supplices voces vestras benigne excepturum et daturum hoc misero tempore, quo magna pars hominum inter fluctus humanarum cupiditatum tot acerba et luctuosa experiuntur, ut lucem tandem auspiciant, et in semita iustitiae ac in disciplina christianae sapientiae dies quaerant prosperitatis et pacis. Hoc et Nos votis Nostris a Deo clementissimo enixe postulamus, ac interea pium officium Vestrum gratissimo animo prosequentes Vobis omnia coelestis benignitatis munera adprecamur ex corde, et Apostolicam Benedictionem praecipuae Nostrae dilectionis testem, Vobis singulis universis, nec non et gregibus, quibus Vos Venerabiles Fratres, praesidetis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 28 Octobris 1882, Pontificatus Nostri An. Quinto.

LEO PP. XIII.

DECRETUM
S. C. INDICIS
Feria VI die 15 Decembris 1882

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 15 Decembris 1882 damnavit et damnat, proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Gregorovius F. Nelle Puglie. Versione dal tedesco di Raffaele Mariano con noterelle di viaggio del traduttore. Vol. unico. — Firenze, G. Barbèra editore, 1882.

Instruction morale et civique. L'Homme — Le Citoyen, à l'usage de l'enseignement primaire. Ouvrage redigé conformément au programme officiel etc., par Jules Steeg Député de la Gironde, Paris, 1882.

Eléments d'instruction morale et civique, par Gabriel Compayre, Député, professeur aux écoles normales supérieures d'instituteurs et d'institutrices. Paris.

Instruction morale et civique des jeunes filles, par M.me Henry Gréville. Paris, 1882.

Paul Bert, Député, Membre de l'institut. L'instruction civique à l'école. Ouvrage adopté pour les écoles de la ville de Paris. Paris, 1882.

« Riproduzione di un discorso recitato da Monsignor Genuardi Vescovo di Arcireale con Note dedicate all'Illustrissimo e Reverendissimo Mons. Guarino Arcivescovo di Messina. » Catania, 1882, prohib. *Decr. S. Off. die 19 Iulii 1882. Auctor huius Opusculi* (qui fuit Sacerdos Salvator Mauro) *laudabiliter se subiecit et illud reprobavit.*

Itaque nemo etc.

Datum Romae die 15 Decembris 1882.

Fr. THOMAS M. Card. MARTINELLI
Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri, Ord. Praed., S. Ind. Congr. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

DECRETUM

—

Calaritana, Canonizationis Beati Salvatoris ab Horta, Laici Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia.

Quum Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII, per Decretum Sacrae Rituum Congregationis sub die 11 Septembris proxime praeteriti indulserit, ut in Ordinario Sacrae ipsius Congregationis Coetu expenderetur supplex libellus a Rmo Patre Fr. Bernardino a Cryptis Castri, Sacerdote Professo et Postulatore Generali Causarum Beatificationis Servorum Dei et Canonizationis Beatorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia porrectus, ad obtinendum ut Causa praefati Beati Salvatoris ab Horta resumi posset in statu ac terminis, quo eadem modo reperitur; Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parrochi eiusdem Causae Ponens in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hac die habitis, eiusmodi supplicem libellum retulit. Emi porro et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re accurate perpensa, auditoque S. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt. *Resumatur Causa in statu et terminis.* Die 9 Decembris 1882.

Hoc autem Sacrae Congregationis Rescriptum, per infrascriptum Secretarium eidem Sanctissimo Domino Nostro relatum, Sanctitas Sua ratum habuit et confirmavit, die 14 iisdem mense et anno.

D. Card. BARTOLINIUS, S. R. C. Praef.
Laurentius Salvati, S. R. C. Secr.

—

DECISIO
S. Congregationis Episcoporum et Regularium

—

MINORUM OBSERV. S. FRANCISCI SUPER CALCEAMENTIS

—

COMPENDIUM FACTI. Generalis Minister Ordinis Minorum Observantium S. Francisci mandatis obsecutus a S. C. Ep. et Reg. eidem datis in resolutione ad primum dubium in causa *Min. Obs. S. Francisci super itineratione in viis ferratis diei* 19 *Iunii* 1863, quam retulimus, ut ad monitum Eminentissi-

morum Patrum magis praecisam relationem super calceamentis, audito voto Definitorii, suppeditaret, suas partes esse duxit litteras die 5 Martii anni 1864 Sacro Concilio rescribere, quibus de sententia Definitorii pluries desuper auditi significabat, *quod* in Regulae praecepto deprehendi nequeat prohibitio cuiusque materiae ad cooperiendos pedes idoneae, ubi id necessitas non exigeret; *quod* iuxta vim praescriptionum Apostolicarum, doctrinae Expositorum, ac traditionis ad ea usque tempora non posset admitti usus sandaliorum eo sensu, ut maior pedis pars superius detecta et nuda maneat: *quod*, quoniam de re agitur, quae maximam latitudinem recipit, non sit mirandum, si aliqualis opinionum atque usuum difformitas extiterit; *quod* periculosum ac difficillimum sit perfectam ubique uniformitatem aequalitatemque inducere. Denique, tametsi *aliqui fortasse* invecti fuerint abusus, nihilominus cum iam declarationes ad eos avellendos editae existant, concludebat magis expedire si nihil innovatum foret, ac potius in id insisteretur, ut Superiores pontificiarum sanctionum observantiam promoverent, unaque invigilarent ne exoriantur abusus, et exorti statim extirpentur.

Disceptatio synoptica.

Generalis Administri litterae cum in plenario auditorio S. C. Ep. et Reg. referendae essent, a re alienum non esse existimatum est, si super hoc Franciscalis Regulae capite, quod est de calceamentis, aliqua pro more exponerentur. Patriarcha Seraphicus in suae Regulae *Cap.* 2 *circa finem* ita statuit - *et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta* S. M. Urbanus VIII. in Const. *Sacrosanctum* 1 Octob. 1623 *Bull. Mag. tom. V. pag.* 362 declaravit, quod Fratres iuxta suorum Decessorum praescriptionem - *calepodiis seu sandaliis apertis dumtaxat incedere teneantur, neque alio operimento pedum panneo seu alterius cuiuscumque materiae existat, absque expressa licentia uti possint.* - Ad similem declarationem si non ipsis verbis, at iuxta eamdem sententiam edidit Innoc. XI. in Const. *Sollicitudo* 20 *Nov. Bull. Mag. Tom.* 8 *pag.* 119. Post haec recitabatur huius, de quo agimus, capitis expositio a D. Bonaventura tradita *in Expos. Reg. Oper. Tom.* 7 *pag.* 337, *Romae Typis Vatican.* 1696. Subinde textus Statutorum, quae hodie in familia Fratrum Minorum de Observantia vim et vigorem obtinent, circa pedum cooperimentum referebatur, *Cap.* 2 § 10 *n.* 147. Ibi porro memoratae Urbani VIII et Innocentii XI. Constitutiones allegantur, et ea quae ab ipsis ibi disposita sunt, repetuntur et confirmantur. Addebatur insuper dispositio *Cap. IV* Regulae, quae sic se habet: - *Pro necessitatibus infirmorum et aliis Fratribus induendis, per amicos spirituales Ministri tantum et Custodes sollicitam curam gerant, secundum loca ac tempora, et frigidas regiones, sicuti necessitati viderint expedire.*

Dubium.

« An locus sit alicui providentiae super calceamentis in casu. »

Resolutio dubii. Sacra Congregatio EE., et RR. die 8 Iulii 1864 rescribere censuit: *Ad P. Ministrum Generalem, qui curet servari Regulam et Constitutiones Ordinis iuxta declarationes Summorum Pontificum, remotis si qui sunt abusibus.*

Ex hac et antecedenti causa quae Seraphicum Ordinem respiciunt, nihil utilius inferre posses, quam praeclaram austeritatis humilitatisque virtutem, quae in Seraphico Ordine iugiter splendescit: quam virtutem frustra quaereres, tum extra catholicam veramque Christi Domini Ecclesiam, tum apud eos qui licet catholici vulgo appellentur, integram tamen gloriam felicitatemque reponunt in humanarum rerum usu artiumque inventis; adeo ut *pervertentes propriam rerum creatarum existimationem*, inepti redduntur ad haec virtutum exempla ut par est aestimanda, prouti Ecclesia semper aestimat et legibus promovet.

—

NOVUS EPISCOPUS
Ordinis Nostri.

Ss. D. N. Leo PP. XIII, per Breve Apostolicum, Rmum P. Danielem Tempesta a S. Donato, Ref. Provinciae S. Bernardini in Aprutiis filium, creavit Episcopum titularem Suranum, eumque deputavit Auxiliarem Episcopi Sorani. Die 31 Decembris 1882 Emus

ac Rmus D. Cardinalis Bilio, Ordinis nostri Protector, laudato Confratri nostro episcopalem contulit consecrationem in ecclesia S. P. N. Francisci ad Ripas Tyberis.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES DISPERSOS
Incitamenta Seraphica.

—

(Continuatio)

VI.

Si gravissima verba Navarri et Ludovici Blosii studiose perpendimus, et simul agendi rationem consideramus tot Religiosorum, qui tepide viventes, evagationi, sensualitati, turpi otio vel vanis colloquiis nimium sunt dediti, aut qui scientiis mere profanis, rebus saecularibus vel publicis nuntiis plus aequo et avidius intenti (1), parum spiritualibus occupantur, et modicam tantum curam impendunt extirpandis vitiis et defectibus, ac virtutibus acquirendis et perficiendis, non possumus quin id etiam amare defleamus, et cum S. Bonaventura de talium conversatione loquente fateamur, *hoc maxime esse dolendum et cordis lacrymis incessabiliter esse lamentandum* (2).

Dum enim ad hoc venerunt ad Religionem ut unice Deo viverent et spirituales homines fierent, id quod maxime cordi habere deberent penitus quasi negligunt, jacturam sic facientes tot gratiarum sanctae suae vocationis quibus paucis annis et magnum in virtutibus facere profectum ac meritorum pondus sibi possent comparare.

Quid autem de illis Religiosis dicemus qui non modo nullam de perfectione procuranda sollicitudinem habent, sed ipsa vota et Regulae praecepta non raro transgrediuntur, ac Ordinis statuta disciplinamque regularem, sine quae essentialia vitae religiosae vix servari possunt, pro nihilo habere videntur? Quid praesertim de Superioribus judicandum qui, tales abusus cognoscentes, ad eorum extirpationem omnibus mediis et totis viribus non incumbunt, et quae Ordinis Moderatores ad eorum emendationem praescribunt vanis praetextibus aut obstinata potius voluntate renuunt implere?

Recolant tales quae diximus de necessitate instaurandi primaevam Ordinis observantiam, nec diutius audeant Spiritui Sancto et conscientiae stimulis resistere, ne terribilis illius dicti veritatem experiri cogantur: *Iudicium durissimum his qui praesunt fiet* (1).

Dum haec advertimus pro Religiosis in coenobiis commorantibus, multum abest ut Fratres nostros expulsos et alios qui legitima de causa extra monasterium versantur ab obligatione tendendi ad perfectionem exemptos esse credamus, cum econtra sustinemus eos majori sollicitudine quam claustrales sanctificationi suae intentos esse debere.

Quid opus est ostendere illos aeque ac coenobitae ad perfectionis studium teneri, cum de hoc nullus unquam theologus dubitaverit, et indistincte pro omnibus Religiosis professis haec obligatio a Concilio Tridentino sequentibus verbis fuerit declarata (Sess. 25. de regul. c. 1.): « Regulares, tam viri quam mulie-
« res, ad Regulae quam professi sunt prae-
« scriptum, vitam instituant et componant, *atque*
« *imprimis, quae ad suae professionis perfectio-*
« *nem*, ut obedientiae, paupertatis et castitatis,
« ac si quae alia alicujus Regulae et Ordinis
« peculiaria vota et praecepta ad eorum respe-
« ctive essentiam necnon ad communem vitam,
« victum, et vestitum conservanda pertinentia,
« fideliter observent: omnisque cura et diligen-
« tia a Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis
« Generalibus et Provincialibus, quam in eorum
« visitationibus, quae suis temporibus facere non
« praetermittant, ut ab illis non recedatur: cum
« compertum sit, ab eis non posse ea, quae
« ad substantiam regularis vitae pertinent, re-
« laxari; si enim illa, quae bases sunt et fun-
« damenta totius regularis disciplinae, exacte

(1) S. Thomas 2. 2. qu. 188 art. V. ad 3. sequentia tradit de studiis Religiosorum:

« Religiosis competit principaliter intendere studio litterarum pertinentium ad doctrinam quae secundum pietatem est, ut dicitur ad Titum primo. Aliis autem doctrinis intendere, non pertinet ad Religiosos, quorum tota vita divinis obsequiis mancipatur, nisi in quantum ordinantur ad sacram doctrinam. »

(2) In Prologo *ad Mysticam Theologiam:*

(1) Sap. VI. 6.

« non fuerint conservata, totum corruat ae« dificium necesse est. »

Hanc Ecclesiae declarationem in suis litteris prae oculis habuerunt et ita confirmarunt Romani Pontifices, signanter Pius VI, Pius IX et Leo XIII, dum decreverunt, Regulares expulsos ad obligationes quae ex religiosa professione emanant adstrictos manere, inter quas sane praecipua est ea, tendendi scilicet ad perfectionem, cum sit essentialis status religiosi.

Quid plura? Obligatio tendendi ad perfectionem non tam deducitur a vita coenobitica quam ducunt Religiosi, quam ex professione seu emissione votorum quibus Religiosus se Deo in perpetuum holocaustum obtulit, se et omnia sua Illi totaliter dicavit, ut Ipsi soli vivat, juxta illud D. Thomae jam antea citatum: *Professi Religionem mortui sunt mundo et vivunt Deo: unde non sunt ad vitam humanam revocandi occasione cuiuscumque eventus.* (2. 2. qu. 88. art. XI. ad 1.)

Hoc ipsum docet S. Doctor (2. 2. qu. 186, art. VI. *in corpore*): « Dicendum, inquit, quod ad Religiosos pertinet quod sint in statu perfectionis, sicut ex supradictis patet. Ad statum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea quae sunt perfectionis, *quae quidem Deo fit per votum.*

Manifestum est autem ex praemissis quod ad perfectionem christianae vitae pertinet paupertas, continentia, et obedientia. Et ideo religiosus status requirit ut ad haec tria aliquis voto obligetur. »

Quod autem per haec sola vota, si rite observantur, ad perfectionem perveniri possit, sequenti articulo VII. declarat S. Thomas dicens: *Religionis status, secundum quod est exercitium tendendi ad perfectionem charitatis, ex tribus illis votis integratur.*

Et hoc quidem tribus rationibus probat S. Doctor. Prima est, quia illa tria consilia seu vota sufficiunt ad removendum omnia quae fervorem charitatis impediunt. Secunda ratio est, quia illa etiam tria consilia sufficiunt ad excludendam animi inquietudinem et nimiam sollicitudinem saecularem, quae perfectionis progressum impedire maxime solent. Tertia vero D. Thomae ratio est, quia religiosus status maxime postulat ut homo in eo se et omnia sua totaliter offerat Deo: hoc autem sufficienter per illa tria consilia fit: nam per paupertatem bona omnia externa, per castitatem proprium corpus, per obedientiam propriam animam Religiosi offerunt Deo. In his autem omnia bona continentur.

Haec igitur tria vota simul cum Dei et Ecclesiae mandatis, ad quae certo certius Religiosi etiam expulsi manent adstricti, abunde sufficiunt ut quis ad perfectionem charitatis protendere possit, et eo ipso ad omnes actus virtutum, quarum mater est charitas, iuxta illud (1. ad Corinth. XIII:) *charitas patiens est, benigna est,* etc. Ad omnes enim actus virtutum, puta humilitatis, patientiae et huiusmodi ordinantur pariter tria vota Religionis sicut ad finem, uti bene reflectit s. Thomas *loco citato ad 1.*

Hic tamen rite advertant omnes Religiosi quod ipsa vota substantialia servari minime possint sine quibusdam adminiculis et cautelis, quae pro maxima parte in Ordinis Constitutionibus praescribuntur et quorum proinde *substantia* a Religiosis etiam extra coenobia degentibus iure divino observari debet.

Ob hanc rationem omnes magistri vitae spiritualis exactam Statutorum observantiam adeo necessariam esse ducunt, ut sine hac Regula ipsa cum suis votis et praeceptis salva manere non possit.

Audiamus hac de re Doctorem Angelicum (2. 2. qu. 186. art. VII. ad 2.): « Dicendum, ait, quod omnes aliae Religionum observantiae ordinantur ad praedicta tria principalia vota. Nam si quae sunt instituta in Religionibus ad procurandum victum (puta labor, mendicitas, vel alia huiusmodi), referuntur ad paupertatem ad cuius conservationem Religiosi per hos modos victum suum procurant. Alia vero, quibus corpus maceratur, sicut vigiliae, jejunia, et si quae sunt huiusmodi, directe ordinantur ad votum continentiae observandum. Si quae vero in Religionibus instituta sunt pertinentia ad humanos actus, quibus aliquis ordinatur ad Religionis finem, scilicet ad dilectionem Dei et proximi (puta lectio, oratio, visitatio infirmorum, vel si aliquid aliud est huiusmodi), comprehenditur sub voto obedientiae: quod pertinet ad omnia tria vota tanquam signum obligationis. Unde habitus regularis simul datur vel benedicitur cum professione. »

Ex his sequitur, votorum observantiam sartam tectamque manere non posse, nisi ea adhibeantur media quae a maioribus nostris Ordini tanquam Statuta praescripta fuerunt, quod inter alios etiam perspicue intellexit et declaravit Seraphicus Doctor S. Bonaventura in celebri Prologo ad Statuta generalia in Capitulo Narbonensi confecta sequentibus verbis: « Quoniam, ut ait Sapiens, *ubi non est sepes, diripietur possessio,* necessarium est volentibus regni coelestis possessionem praeclaram, in quam per spiritum paupertatis intratur, custodire illaesam, sepem illi circumdare disciplinae: Nequaquam enim superfluunt observantiae regulares, quae non solum ad spiritualis vitae concordiam, decorem et custodiam suffragantur, *verum etiam, ut in pluribus, intra perfectionis et puritatis Regulae promissae substantiam includuntur* (1).

Videtis igitur confirmatum quod diximus, ipsam scilicet Regulam in sua puritate observari non posse, nisi muniatur variis pietatis et mortificationis exercitiis, uti et prudentiae et vigilantiae cautelis aliisque multis adminiculis quibus Ordinis Constitutiones sapienter providerunt, et quorum *substantia* ab iis etiam servari debet, qui extra monasteria versantur, ut essentialia votorum et Regulae valeant custodire.

Et quis de hoc, quaesumus, dubitare posset? Quomodo enim castitas posset servari, sine spiritu orationis, meditationis exercitio, sine mortificatione interna et externa, fuga personarum alterius sexus, quae quidem cautelae in Statutis praescribuntur? Quomodo sine his et aliis mediis haberi et conservari possent illa animi promptitudo, spiritualis ille fervor, sanctus Dei timor, et terrenarum rerum contemptus, quae necessaria sunt ad vota Religionis servanda?

Patet igitur quod Fratres in saeculo dispersi ad illa virtutum exercitia et ad illas Ordinis Constitutiones, quae intra perfectionis et puritatis Regulae promissae substantiam includuntur, aut ad eam servandam necessaria ducuntur, maneant adstricti; et propterea talem interne et externe vivendi modum assumere et sibi praefigere debeant, quo et vota sua exacte, sicut claustrales, custodire, et ad perfectionem charitatis, quae ex eorum observantia sequitur, possint protendere.

Ad quod praestandum quanta opus sit fortitudine et sollicitudine, quanta jam acquisita virtute, nemo non videt, cum sibi ipsis sufficere debeant, eaque omnia propria et constanti voluntate peragere, quae coenobitae sub disciplina claustrali et Superiorum vigilantia constituti exercere tenentur. Nisi tamen hanc viam velint inire, eamque sibi vim inferant, innumeris animae periculis exponuntur, uti omnibus patere debet et clare deducitur ex quaestione minime otiosa a S. Thoma proposita et discussa, quam hic subiiciendam esse duximus, et ex qua varias eruemus conclusiones practicas pro Religiosis extra monasterium versantibus.

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1882 celebrata

—

XVI.

Ref. Provincia Bavarica S. Antonii Paduani in Germania.

Die 24 Iulii in Conventu Monacensi (*München*) ad S. Annam, praesidente A. R. P. Gaudentio Guggenbichler, Definitore Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Franciscus Xaverius Lohbauer.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Petrus de Alc. Hötzl.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Casparus Gamper.

(1) Citatis in textu iis quae ad argumentum nostrum pertinent, placuit hic adiungere reliqua Prologi huius verba: « Et has potissime explicare oportet, ne per caliginem ignorantiae, in transgressionis foveam incidatur. Nullus igitur de professione virtutis glorietur in corde, si dissipator est sepis in conversatione. *Si quis enim: teste Scriptura, putet se Religiosum esse, non refraenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Oportet igitur ore et caeteris sensibus et actibus, et gestibus et moribus, sepem circumdatam per honestatem regularium statutorum a viris perfectis non destrui sed servari, ne dum sepem dissipant, mordentur a colubro secundum sententiam Sapientis. Non enim absque periculo parvipendi potest, quod cum tanta difficultate, tot laboribus et periculis, tot et tantis deliberationibus pro salute animarum a Generali statuitur Capitulo, apud quod praecipua residet auctoritas Ordinem gubernandi. »

R. P. Helanus Mayerhofer.
R. P. Ivo Link.
R. P. Bertrandus Egger.

Ad istam Provinciam sequentes 27 Conventus et Hospitia pertinent:

München, S. Annae.
Bamberg, S. Jacobi Ap.
Ingolstadt, B. Mariae V.
Landshut, B. Mariae V. Lauretanae.
Pfreimd, S. Ioannis Bapt.
Dettelbach, B. Mariae V. dolorosae.
Tölz, SS. Trinitatis.
Miltenberg, B. M. V. Immacul..
Lechfeld, B. Mariae V. Auxiliatricis.
Mariaweiher, B. Mariae V. Auxiliatricis.
Eggenfelden, S. Antonii Pad.
Hammelburg, B. Mariae V. Auxiliatricis.
Neukirchen, S. Catharinae V. M.
Dietfurt, S. Ioannis Ev.
Kreuzberg, S. Crucis exaltatae.
Gössweinstein, B. Mariae V.
Louisville (in statibus foederatis Americae septentr.), S. Martini Ep.
Füssen, S. Stephani M.
Engelberg, S. Michaelis Archang.
Dingolfing, B. Mariae V. Immacul.
Volkersberg, S. Crucis inventae.
Amberg, B. Mariae V. Auxiliatricis.
Berchtesgaden, Annuntiationis B. M. V.
Freystadt, S. Mariae Angelorum.
Berching, Ss. Trinitatis.
Graffrath, S. Rassonis.
Vierzehnheiligen, ad Ss. Auxiliares.

—

XVII.

Recoll. Provincia ss. Cordis Iesu in Statibus foederatis Americae septentrionalis.

Die 26. Iulii in Conventu civitatis S. Ludovici (*St. Louis*) ad S. Antonium Paduanum, praesidente A. R. P. Ubaldo Webersinke, Ex-Custode Ref. Custodiae Cincinnatensis S. Ioannis Baptistae, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt

Minister Provincialis:

A. R. P. Vincentius Halbfas.

Custos Provinciae:

A. V. P. Ferdinandus Bergmeyer.

Definitores Provinciae:

A. V. P. Nazarius Kommerscheid.
A. V. P. Michael Richards.
A. V. P. Gherardus Becker.
A. V. P. Liborius Schaefermeyer.

Ad istam Provinciam sequentes 20 Conventus et Hospitia sive Misssiones pertinent:

St. Louis, S. Antonii Paduani.
Teutopolis, S. Francisci.
Teutopolis, Collegium S. Ioseph.
Quincy, S. Francisci Solani.
Quincy, Collegium S. Francisci Solani.
Cleveland, S. Ioseph.
Memphis, B. Mariae V.
Hermann, S. Georgii M.
Iordan, S. Ioannis Bapt.
Chicago, S. Petri Ap.
Indianopolis, Ss. Cordis Iesu.
Columbus, S. Bonaventurae.
Montis, S. Mariae Angelorum.
Ioliet, S. Ioannis Bapt.
Chilicothe, S. Columbani.
Bayfield, Pauperis Pueri Iesu.
Chaska, Ss. Angelorum Custodum.
Rhineland, S. Martini Ep.
Radema, S. Michaelis Archang.
St. Bernard, S. Bernardi C. D.
Keshina, S. Michaelis Archang.
Superior - City, S. Francisci.

—

XVIII

Obs. Provincia Bosniae Argentinae.

Uti jam enarravimus, die 3 mensis Augusti proxime elapsi, in Conventu Foinicensi, Rmus Pater Generalis auctoritate apostolica ei specialiter super re delegata utens, proprio decreto ad electiones devenit, nominans et instituens:

In Ministrum Provincialem:

R. P. Eliam Cavarovic, actualem Definitorem.

in custodem:

R. P. Marcum Barac Parochum Ovcarevo.

in definitores:

R. P. Andream Buzuk, Parochum Saraievii.
R. P. Angelum Curic, Parochum de Vidosi.
R. P. Michaelem Batinic, Secretarium Provinciae.
R. P. Stephanum Cicak, Parochum et Guardianum Conventus Plehani.

Ad hanc Provinciam sequentes Conventus et Residentiae pertinent:

Sutinska, ad S. Ioannem Baptistam.

Fojnica, ad S. Spiritum.
Kresewo, ad S. Catharinam Virg. et Mart.
Livno, ad Ss. Ap. Petrum et Paulum.
Guciagora, ad S. P. N. Franciscum.
Plehan, ad S. Marcum Evang.
Tolissa, ad B. M. V. Assumptam.
Residentia de Petricevac, ad SS. Trinitatem.
Jajce, ad B. V. M. Natam.
Rama, ad B. V. M. Assumptam.
Insuper habet Parochias universim N.ro 94.

—

XIX

Ref. Provincia Tridentina S. Vigilii.

Die 3. Augusti, praesidente A. R. P. Basilio a Neirone, Ref. Prov. Genuae, in Conventu Tridentino rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt

Minister Provincialis:

A. R. P. Epiphanius a Pineto.

Custos Provinciae:

R. P. Bonaventura a Tridento.

Definitores Pprovinciae:

R. P. Petrus Regalatus a Coredo.
R. P. Venantius a Fundo.
R. P. Seraphicus a Vallearsia.
R. P. Constantinus a Cimbria.

Haec Provincia habet sequentes 8 Conventus:

Trento, S. Bernardini Sen.
Arco, S. M. Gratiarum.
Borgo, S. Francisci.
Pergine, Stigmatum S. P. N. Francisci.
Roveredo, S. Rochi.
Cles, S. Antonii Pad.
Mezzolombardo, B. M. V. Imm.
Cavalese, S. Vigilii.

—

XX.

Ref. Custodia Cincinnatensis S. Ioannis Bapt. in America septentrionali.

Die 9. Augusti in Conventu Oldenburgensi ad S. Familiam, praesidente A. R. P. Damaso Rüsing, Ex-Definitore Rec. Provinciae Ss. Cordis Iesu, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt

Custos provincialis:

A. R. P. Lucas Gottbehoede.

Custodiae Discreti:

A. R. P. Otho Jair, Ex-Custos, Vic. gen. Archidioec. Cincinn.
A. R. P. Ubaldus Webersinke, Ex Custos.
R. P. Hieronymus Kilgenstein.
R. P. Petrus Bapt. Englert.

Ad istam Custodiam sequentes 19 Conventus et Residentiae pertinent:

Oldenburg, S. Familiae.
Cincinnati, S. Francisci.
Louisville, S. Bonifacii.
Cincinnati, S. Ioannis Bapt.
St. Bernard, S. Clementis.
Hamilton, S. Stephani.
Lafayette, S. Bonifacii.
Detroit, B. M. V. Immaculatae.
Corryville, S. Georgii.
Detroit, Ss. Cordis Iesu.
Chatham, S. Ioseph.
Minonk, S. Patritii.
Reynalds, S. Ioseph.
Hamilton, S. Ioseph.
Emporia, ss. Cordis Iesu.
Hamburg, S. Annae.
Bloomington, B. Mariae V.
Cincinnati, S. Bonaventurae.
Louisville, S. Ioseph.

—

INSTRUCTIO

DE STATIONIBUS S. VIAE CRUCIS ERIGENDIS.

—

1. Brevem, quam hic publicamus, instructionem e documentis authenticis depromptam in eum elaboravimus finem, ut confratres juniores facili labore addiscere queant, quae de praestantissimo hoc Ordinis nostri Seraphici privilegio magis scitu necessaria videantur, tum praesertim, ut illi, quibus Stationum erigendarum officium incumbere contigerit, ad manus habeant synopsim conditionum, quae ad validam Stationum S. Viae Crucis erectionem requirantur. Plura quidem eaque praeclarissima de hoc devotionis exercitio conscripta reperiuntur a confratribus non solum, sed etiam ab extraneis ab Ordine nostro; saepe saepius autem, sin minus sedulo studio, saltem prolixa lectione plurimaque dictorum inter se collatione opus est, ut ex iis perspecta habeantur, quae validitatem Stationum S. Viae Crucis attingunt.

2. Ut propositum nobis finem assequamur, de his, quae sequuntur, singillatim agemus:

I. De auctoritate erigendi Stationes S. Viae Crucis;

II. De conditionibus requisitis ad validam Stationum erectionem;

III. De quibusdam, quae afficiunt validitatem S. Viae Crucis iam erectae;

IV. De conditionibus necessariis ad lucrandas indulgentias S. Viae Crucis exercitio adnexas;

V. Adiungemus principaliora de benedicendis crucifixis cum applicatione indulgentiarum S. Viae Crucis.

Animadvertimus autem, nos non esse in ea opinione fore, ut *omnibus*, quae de praefatis fieri possunt, quaestionibus faciamus satis; speramus tamen nos daturos ea omnia, quae hactenus in documentis authenticis decisa inveniuntur, studebimusque, ut variis, quae ad nos transmitti contigerit, dubiis, quantum in nobis fuerit, privato studio, vel (quatenus expedire visum fuerit) auctoritativis requisitis declarationibus respondeamus.

3. Antequam supramemorata puncta tractanda suscipiamus, utile nobis videtur praemittere, saltem allegando et principaliora excerpendo, documenta quaedam generalia, quae materiam nostram respiciunt, ac cum posterioribus decisionibus, a S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita emanatis, basim constituunt totius huiusce instructionis. Sunt autem:

a) Constitutio EXPONI NOBIS d. d. 5 Septembris 1686 (Ferraris, in editione Cassinensi, 15 Maii 1688) Innocentii PP. XI, in qua laudatus Pontifex confirmavit privilegiorum communicationem inter personas Ordinis Seraphici, non exclusis indulgentiarum concessionibus relate ad visitationem S. Viae Crucis ab ipsis erectae: et Breve AD EA d. d. 6 Novembris 1686, quo expresse concessit quasdam gratias spirituales *ad septennium* iis omnibus, qui operam dant « orationi mentali, « sive (ut dicitur) Viae Crucis exercitio. »

(Haec documenta inserta habentur in Chronologia historico-legali Ordinis, tom. III part. I pag. 279 et 424; Breve EXPONI NOBIS legitur etiam apud Ferraris, Verb. *Indulgentia*, Art. V. n. 34.)

b) Uterque hic favor Innocentii XI notabile accepit incrementum ab eiusdem nominis successore Innocentio XII; in primis enim hic Pontifex suis Litteris Apostolicis, perpetuis temporibus valituris, d. d. 24 Decembris 1692, plene confirmavit Breve AD EA citatum; deinde per alias Litteras Apostolicas SUA NOBIS d. d. 16 Decembris 1696 (Ferraris, in cit. editione, 1695) idem Pontifex, ad removenda dubia nonnullorum de valore comprehensivo Brevis EXPONI NOBIS Innocentii XI, novum robur adjecit decreto S. Congregationis S. R. E. Cardinalium Conc. Trident. Interpretum (emanato die 12 Novembris 1695 et a se approbato die 15 eiusdem mensis), quo declaratur « pia loca Viae Crucis, seu Calvarii ad reco« lendam, seu meditandam Christi passionem a « praememoratis personis seu Ordinibus ad in« star Stationum Calvarii Montis iuxta diversa « etiam privilegia Sanctae Sedis erecta » - « com« prehendi in saepe dictis Litteris Innocenti XI « Praedecessoris Nostri ac proinde frui, et gau« dere posse indulgentiis, et privilegiis in iisdem « Litteris contentis, et expressis. »

Ex concessione igitur Innocentii XI solemniter confirmata ab Innocentio XII privilegium habendi Stationes Viae Crucis et fruendi indulgentiis commune evasit universae Familiae Franciscanae dependenti a Ministro Genli Totius Minorum Ordinis. (Praefata documenta videsis apud Ferraris, Verb. *Indulgentia*, Art. V. n. 17 et 24.)

c) His accessit Benedicus XIII, inclyti Ordinis Praedicatorum alumnus, qui publicavit sub die 3 Martii 1727 (Ferraris, in cit. editione, 1726) constitutionem INTER PLURIMA, in qua desiderans, « ut omnes Dominicae Pas« sionis memoriam saepe animo repetant, et sa« lutarem illius fructum percipiant, » confirmatis de novo concessionibus factis in Litteris utriusque Innocentii XI et XII, indulgentias visitationi Stationum Viae Crucis adnexas declaravit « etiam animabus in Christi charitate de« functorum applicabiles, » easque extendit in perpetuum « ad quoscumque Christi fideles « utriusque sexus Ministro Generali nullo modo « subiectos, qui exercitium Viae Crucis... eis« dem modo et forma, quae a Fratribus et « personis praedictis peraguntur, pie ac devote « penes Fratres dicti Ordinis, privative quoad « alios quoscumque, peragent et implebunt. » (Cit. Const. legitur apud Ferraris, Verb. *Indulgentia* Art. V. n. 59).

Ex praedicta igitur benigna concessione Benedictina omnes utriusque sexus Christifideles una cum filiis Seraphici Pauperis Asisinatis participes facti sunt pretiosissimarum spiritualium gratiarum S. Viae Crucis. Adhuc tamen eaedem, vi clausulae Constitutionis memoratae, limitabantur ad visitantes Stationes « penes Fratres dicti Ordinis privative quoad « alios quoscumque ».

d.) At Clemens XII supplicibus votis Ipsi ex parte Ordinis humiliter oblatis benigne annuens, desiderio devotorum Passionis Dominicae plenissime satisfecit Brevi Exponi Nobis die 16 Ianuarii 1731 edito, in quo idem Pontifex expressis verbis decernit et declarat ac, quatenus opus sit, de novo concedit et indulget, « quod praedicta loca Viae Crucis seu « Calvarii in ecclesiis, oratoriis, monaste- « riis, hospitalibus, et aliis itidem piis locis « ipsi Ministro Generali non subiectis, nec ab « eo dependentibus, per fratres dicti Ordinis « nunc erecta, et in posterum erigenda, iisdem « indulgentiis ac privilegiis fruantur et gau- « deant, quibus fruuntur et gaudent erecta in « ecclesiis, et in locis Ordinis praefati, » hac tamen conditione, quam Pontifex ibidem expressit, « ut quoad illa sic deinceps erigenda, modus, « et forma serventur, quibus eiusmodi ere- « ctiones in ecclesiis, et locis Ordinis prae- « dicti hactenus fieri consueverunt, et accedat « licentia Ordinarii loci, ac consensus Parochi, « et Superiorum ecclesiae, monasterii, hospi- « talis, et loci pii, ubi de iis pro tempore eri- « gendis agi contigerit. » Has Litteras Apostolicas, et in iis contenta quaecumque, supplicante S. Leonardo a Portu Mauritio, S. Viae Crucis promotore ferventissimo, Aplica auctoritate approbavit et confirmavit, illisque Apostolicae firmitatis robur adjecit, ac sine ulla interpretatione et restrictione omnino in posterum servari mandavit Benedictus XIV per aliud Breve Cum tanta d. d. 8 Augusti 1741; ac praeterea in iisdem Litteris Pontifex facultatem tribuit « cuicumque parocho, ut, prae- « via proprii Ordinarii seu Antistitis in scriptis « obtinenda licentia, sub directione cuiuslibet « Fratris eiusdem Ordinis Minorum sive Ob- « servantium, sive Reformatorum, sive Recol- « lectorum, vel ad excipiendas sacramentales « Christifidelium confessiones approbati, vel « praedicatoris Verbi Dei, de quocumque con- « ventu, sive proximo, sive remoto, ad Pa- « rochi arbitrium, de suorum tamen Superio- « rum consensu ac permissu, Viam Crucis « seu Calvarii, ut praemittitur, sive in propria « parochiali ecclesia, sive alibi in eiusdem pa- « rochialis ecclesiae districtu erigendi ».

(Citatum Benedicti XIV Breve, in quo insertum habetur supramemoratum Breve Clementis XII, in extenso legitur apud Ferraris Verb. *Indulgentia* Art. V. n. 60.)

e). Tandem veniunt quaedam monita *(Avvertimenti)*, quae ad bene instituendum devotum exercitium Viae Crucis, mandante Clemente XII, publicavit S. C. Indulg. die 4 Aprilis 1731; quae monita ex ordinatione Benedicti XIV cum quibusdam adiunctis (praesertim sub n. X appositis) eadem S. Congregatio promulgavit die 10 Maii 1742, quae videsis apud Ferraris Verbo *Indulgentia,* Art. V. n. 61.

Animadvertendum tamen, ex decreto S. C. Indulg. d. d. 14 Maii 1871 s. m. Pium Pp. IX derogasse limitationi positae in praefatis monitis jussu Benedicti XIV promulgatis n. X (quo clarius explicatur clausula restrictiva per verba *Volumus* etc. in cit. Brevi eiusdem Benedicti inserta), ac Aplica auctoritate indulsisse, « ut Stationes Viae Crucis « cum adnexis indulgentiis, etiam in locis ubi « conventus praefati Ordinis Minorum sive Ob- « servantium, sive Reformatorum, sive Recol- « lectorum existunt, quamvis in eiusdem Or- « dinis ecclesiis, sacris aediculis, piisque locis « erectae reperiantur, nulla habita superius ex- « pressae limitationis ac distantiae ratione, « servatis tamen aliis de jure servandis, erigi « possint et valeant. »

(Cfr. Decreta authentica S. Congr. Indulg. Sacrisque Reliquiis praepositae edita jussu et auctoritate SSmi D. N. Leonis PP. XIII 1883 (1) n. 429. Supplementum ad Prinzivalli, Decreta authentica ejusdem S. Congregationis ab anno 1862 edita, n. XL.)

(Continuabitur).

(1) *Ratisbonae* etc. sumptibus, chartis et typis *Friderici Pustet*

Prostant etiam *Romae*, apud librariam de *Propaganda Fide* et *Ant. Saraceni*, via vulgo Universitatis, 13.

SOLEMNIS TRANSLATIO CORPORIS B. IULIANI A VALLE IN ISTRIA

Ordinis Minorum

die 16 Octobris an. 1882 peracta

—

B. Iulianus a Valle in Istria, sacerdos Ordinis Minorum, in coenobio suae patriae circa annum 1350 ad coelum vocatus, statim coepit in patria publico cultu honorari, prout noster Pisanus in libro *de Conformitatibus etc.* an. 1395 absoluto, his verbis testatur: Locum... *Vallis, in quo iacet sanctus Frater Iulianus: de quo fit ibi festum.* Et alibi: *In Provincia Dalmaciae* (sic) *in Valle iacet fr. Iulianus, de quo fit ibi festum* (pag. LXXV vers., et CVXIV vers. edit. princip. Mediol. 1510).

Porro cultus nostro B. Iuliano ab immemorabili praestitus et numquam intermissus, hucusque perseverat; quin imo non parum incrementi novissime eidem accessit ex solemni translatione Corporis ipsius Beati. Siquidem sacrae eiusdem exuviae, quae a tribus saltem saeculis in Ecclesia parochiali suae patriae super altare in eius honorem dicatum compositae quiescebant, anno 1879 die 17 septembris, occasione instantis demolitionis veteris Ecclesiae parochialis, interventu Cleri ad hoc congregati, magnoque populi concursu, ac Rmo D. Ioanne Nepomuceno Glavina Episcopo tunc Parentino-Polensi, ad cuius dioecesim castrum Vallis pertinet, pontificante, a quatuor Sacerdotibus nostri Ordinis vicini coenobii Rubinensis delatae, processionaliter ad Capellam S. Spiritus eiusdem castri Vallis translatae fuerunt.

Die autem 15 octobris anni 1882, novam a fundamentis extructam parochialem Ecclesiam idem Dnus D. Ioannes Nepomucenus Glavina ad sedem Tergestino-Iustinopolitanam nuperrime translatus, in honorem B. Mariae Virginis ad Elisabeth, et nostri etiam B. Iuliani in contitularem assumpti, solemniter dedicavit. Ad cuius rei perpetuam memoriam haec inscriptio, marmore sculpta, in fronte novae Ecclesiae legitur: *D. O. M. In honorem S. M. Virg. Elisabeth visitantis, et B. Iuliani Vallensis Confessoris, quo loco a primaeva Ecclesiae aetate templum excitari, terque renovari Patres curaverant, aere Ecclesiae et Communitatis, incolis vero sponte operam praestantibus, trium annorum labore funditus erectum an. Dom. 1882 dedicatum.*

Altera vero die, nempe 16 octobris, eodem Rmo Episcopo pontificante, clero saeculari tum loci, tum aliunde accito, honor. viro Thoma Bembo Potestate loci, et tota Deputatione Communali Vallis, magnaque populi exultantis multitudine comitantibus, a quatuor sacerdotibus nostri Ordinis ex praedicto Conventu Rubinensi, leviticis vestibus indutis, sacrum B. Iuliani corpus e praefata Capella S. Spiritus eductum, per praecipuas vias castri processionaliter fuit delatum, et inter alternatos cantus hymni *Iste Confessor*, et festivos nolarum sonitus ac mortariorum iteratos ictus, ad novam Ecclesiam translatum fuit, ubi Rmus Vicarius Capitularis in Sede vacante, adsistente praedicto Rmo Episcopo, Missam solemniter celebravit de translatione B. Iuliani, cuius sacrae Reliquiae interea, floribus et cereis ardentibus circumornatae, in Ecclesiae meditullio fidelium venerationi patebant.

In sero autem eiusdem diei, post solemnes Vesperas, eaedem sacrae exuviae cum hymnis et canticis delatae fuerunt in cryptam sub ara maxima ad hoc affabre extructam, quam sequenti die 17 octobris idem Rmus Episcopus in honorem B. Iuliani pari solemnitate consecravit.

—

MONASTERIA

SECUNDI ORDINIS IN GALLIA EXISTENTIA (1)

—

I.

MONASTERIA *Clarissarum Colettinarum*

(Locus)	*(dioecesis)*	*Num. Monial. in Clausura*	*Num. Sor. inserv. extra Cl.*
Alençon	Sagiensis	38	10
Amiens	Ambianensis	30	5
Arras	Atrebatensis	23	2
Bastia	Aiacensis	23	4
Béziers	Monspelliensis	35	4
Cambrai	Cameracensis	26	3

(1) Licet per Decreta 29 Martii 1880 Monialium Monasteria suppressionis periculo subiicerentur, salva tamen, protegente Dei Providentia, adhuc permanserunt.

Châteauroux	Bituricensis	19	4
Crest	Valentiae	30	3
Evian-les-bains	Aneciensis	9	4
Grenoble	Gratianopolitanae	8	1
Le Puy	Aniciensis	32	6
Lourdes	Tarbensis	17	3
Lyon	Lugdunensis	23	9
Milhau	Ruthenensis	16	3
Marseille	Massiliensis	43	5
Montbrison	Lurgdunensis	26	7
Nantes	Nannetensis	45	7
Orthez	Baionensis	21	3
Paray-le-Monial	Augustodunensis	21	5
Paris	Parisiensis	17	6
Péronne	Ambianensis	22	3
Perpignan	Elnensis	30	3
Poligny	S. Claudii	26	5
Romans	Gratianopolitanae	30	3
Toulouse	Tolosanae	9	2
Valence	Valentiae	58	3
Versailles	Versalliensis	26	4

II.

MONASTERIA *Clarissarum Urbanistarum, Regulam scilicet ab Urbano Papa IV approbatam sequentium.*

Aurillac	Sti Flori	39	4
Gourdon	Albiensis	24	3
Lavaur	Albiensis	50	9
Limoges	Lemovicensis	18	3
Mur de Barrez	Ruthenensis	12	2
Périgueux	Petrocorensis	23	2
St. Omer.	Atrebatensis	36	

III.

MONASTERIA *Monialium Annuntiationis (Les Annonciades) A B. Ioanna Valesia et B. Gabriele Maria fundatarum..*

Villeneuve-sur-Lot.	Aginnensis	29
Boulogne-sur-Mer.	Atrebaten. (1)	32

IV.

MONASTERIA *Monialium Cappuccinarum.*

Aix	Aquis sextiis	35
Lorgues	Forojuliensis	20
Marseille	Massiliensis	40

(In alio fasciculo Tertii Ordinis Regularis Monasteriorum, in eadem natione existentium elenchus publicabitur).

(1) Hujus Ordinis duo adhuc extant alia Monasteria, scilicet *Tirlemont* et *Gheel* in Belgio.

III.
MISSIONES

—

EPISTOLA MINISTRI GENERALIS
AD OMNES ORDINIS PROVINCIALES

—

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROVINCIAE EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
S. R. C. CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS

*Dilectis Nobis plurimum in Christo
Adm. Reverendis PP. Ministris Provincialibus
Ordinis Nostri
nec non Commissariis Nostris Generalibus
in America deputatis salutem plenamque
in Spiritu Sancto consolationem*

—

Profecto nostis, Adm. RR. Patres, Nobis in Christo dilectissimi, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Divina Providentia Papam XIII in sua Epistola Encyclica incip. SANCTA DEI CIVITAS, data die 3 Decembris 1880, Catholico orbi universo enixe commendasse tria illa celeberrima christianae charitatis Instituta, seu pias Societates, in Gallia hac nostra aetate fundatas, quae a PROPAGATIONE FIDEI, a SACRA IESU CHRISTI INFANTIA, et a SCHOLIS ORIENTIS PROVEHENDIS nuncupantur.

Nos vero, quibus supremi regiminis Nostri Franciscani Ordinis, pedibus Sanctae Romanae Ecclesiae semper subiecti, onus incumbit, ipsa officii Nostri ratio compellit verba Apostolicae Encyclicae, ad Vos mittere, vobisque firmiter inculcare ut vox coelitus inspirata, quae e summitate Sacrae Vaticanae arcis insonuit, per Vos, veluti per totidem praecones, ubique gentium resonet.

Quapropter harum Nostrarum litterarum tenore Vos in Domino vehementer rogamus, Adm. Reverendi Patres Ministri Provinciales Ordinis Nostri, nec non Commissarii Nostri

Generales in America, (1) pro tempore existentes, ut cunctis Religiosis, qui vestrae iurisdictioni immediate subsunt, praesertim vero Missionariis, Concionatoribus, Confessariis, Tertii Ordinis Rectoribus, memorata tria charitatis Instituta, quae Summus Pontifex nuper commendavit, et Vos commendare non desinatis, ut et ipsi praedictarum Societatum incrementum inter fideles populos promovere, et per corrogatam stipem necessaria sustentationis media eisdem procurare satagant.

Quod sedulo diligenterque curandum putamus non solum ob eam, qua erga S. Apostolicam Sedem eiusque placita tenemur, reverentiam ad omnimodam subiectionem, sed etiam in Nostri grati animi significationem et testimonium erga praefata tria Instituta, quae Missionibus nostris, praesertim Sinensibus, hisce postremis temporibus fame vel bello et epidemica lue dire vexatis, beneficia permulta praestiterunt et hodiedum praestant, quorum memoria animum nostrum magis magisque devincit. Quapropter dum charissimi Fratres nostri incrementum piarum Societatum, quarum sermo est, promovebunt, pauperibus etiam nostris Missionibus, speciatim Sinarum, Albaniae, Superioris Aegypti, Tripolis Barbariae, aliisque quae in Orientis partibus institutae sunt, fraterna charitate indirecte favebunt, et pro memoratis tribus Institutis subsidia a fidelium pietate corrogantes, eodem tempore et actu necessitatibus Missionariorum Ordinis occurrent.

Spes Nobis affulget fore ut mandato Apostolico et Nostro filiali corde, et prompto animo obsequentes in utilitatem piarum Societatum, quas antea memoravimus, Religiosi Ordinis Nostri egregiam operam navent; et hac fiducia freti omnibus et singulis eorum Seraphicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, ex Aracoeli, die 8 Aprilis an. 1881.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

De mandato Pat. Suae Rev.mae
Fr. Mauritius a Venetiis,
Secr. Gen. pro Missionibus Ordinis.

(1) In America praesertim, ubi vix quidem praelaudata Instituta noscuntur, eorumdem propagationem et diffusionem peroptamus et enixe commendamus.

Nuperrime ad nos scribens *S. Infantiae* zelantissimus Director speciali modo cupiebat ut in Statibus Americae Foederatis, in Republica Mexicana et in variis Americae meridionalis ditionibus pium opus Missionariorum nostrorum cura, diffunderetur. Quot animae infantium salvari et in coelum transmitti sic possint, facile conspicitur ex sequentibus informationibus ab eodem Directore nobis communicatis:

Anni	pueri educati	infantes baptizati
1852	3,735	192,300
1862	13,538	390,738
1868	54,642	396,696
1878	78,889	425,608

DUO MONITA
S. C. de Propaganda Fide

Cardinalis Praefectus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide publicavit epistolam die 24 septembris anni 1882 in qua denuntiat et cavendos monet, sicut etiam praeteritis temporibus non semel monuit, quosdam orientalis ritus ecclesiasticos, vel etiam laicos homines, qui per Europam circumeuntes collectas faciunt titulo praetextu vel novae ecclesiae construendae, vel scholae pro catholicis alumnis instituendae, et sustentandae, vel similium; seque dictitant missos cum officio et facultate collectorum a propriis praesulibus, hoc est Patriarchis, quorum exhibent epistolas commendationis. Istae vero epistolae falsae atque adulteratae plerumque compertae sunt una cum sigillis, quibus munitae videbantur.

Itaque cum eiusmodi abusus et fraudes non remittant, ut ex recentioribus querelis patet Praesulum catholicorum et etiam civilis reipublicae gubernatorum, hinc eadem Congregatio iterum monet esse observandas antiquas ordinationes, praesertim Innocentii IX et Clementis XII, quae adhuc vigent et auctoritatem habent, quibus disponitur quod eiusmodi collectores non admittantur, neque eis collectas facere permittatur nisi habeant et exhibeant facultatem ab hac ipsa Congregatione obtentam. Haec vero facultas debet authentica forma constare et esse recenter data.

MONITUM ALTERUM.

Idem Cardinalis Praefectus eiusdem Congregationis alia epistola data 29 octobris eiusdem anni, primum enarrat pleraque ab eadem Congregatione, praeter finem sibi proprium et

praecipuum, nempe Fidei christianae propagandae, etiam in bonum civile societatis; deinde hortatur, ut alias et saepius fecit, omnes Vicarios Apostolicos, Praefectos Missionum, aliosque religiosos administratores rei christianae in locis iurisdictioni eiusdem congregationis subiectis ut quaerant et recenseant omnia quae poterunt invenire, atque utilia censuerint, ad describendam exactius regionum illarum geographiam, necnon ad illustrandam illorum gentium historiam, artes, errores, usus et praesertim religionum; insuper quidquid noverint adnecti exordio et progressui earumdem gentium in civilem vivendi modum. His addant quidquid videbitur pertinere ad uberiorem notitiam historiae naturalis regionum, nempe ad botanicam, minerologiam, zoologiam. Haec omnia mittant huic Sacrae de propaganda fide Congregationi cum primum eis opportuna occasio adfuerit. Quoties vero ipsis occurrerit aliquid magni momenti emendum plurimi, toties certiorem faciant ipsam Congregationem, quae in singulis casibus quid agendum sit decernet.

—

COLLEGIUM SERAPHICUM IN ALBANIA

—

Proponentibus Missionariis Albaniae, consentiente et probante Ministro Generali Ordinis cum suo Definitorio, obtenta facultate Apostolicae Sedis, mediante Congregatione de propaganda fide, tandem Collegium Seraphicum Probandorum pro iuvenibus indigenis eiusdem provinciae constitutum est apud hospitium missionis *Trosciani,* ad hunc finem auctum et aptatum.

Die sacra Doctori Seraphico Sancto Bonaventurae elapsi anni adolescentes duodecim, inter multos qui exoptabant, albanensis regionis delecti sunt, qui franciscali habitu induti novo collegio exordium dedere. Collegium eiusmodi faustis ominibus initiatum est, adstante Illmo et Rmo Domino Episcopo Sappensi, cuius iurisdictioni subest Troscianensis paroecia una cum plurimis utriusque cleri sacerdotibus, multoque populo plaudente.

Scopus Collegii est ut alumni studiis minoribus imbuantur, et interim probentur an ad statum religiosum, Deo vocante, apti sint. Quod si constiterit, mittentur, auctoritate Ministri Generalis, in unam ex vicinioribus provinciis ad novitiatum religiosum peragendum; cum vero professionem emiserint, studia quoque maiora complebunt. Tandem sacerdotali honore insigniti ad suas Albaniae regiones remittentur ut missionarios adiuvent, suorumque contribulium spiritualem curam gerant.

—

NOMINA RELIGIOSORUM

qui Anno proxime elapso (1882) ad exteras Missiones Apostolicas Ordinis nostri destinati sunt.

—

I. *Ad Missiones Terrae Sanctae*

P. Albertus Ritner, Sacerdos prof. Recoll. Provinciae SS. Cordis Iesu in Statibus Foederatis Septentrionalis Americae.

P. Coelestinus Traia, Sacerdos prof. Min. Obs. Aplici Collegii de Compostella.

P. Emmanuel Veiega, Sacerdos prof. Min. Obs. Aplici Coll. de Compostella.

Fr. Iacobus de Recanati, laicus prof. Obs. Provinciae Marchiae.

Fr. Bonaventura a Vestena nova, laicus prof. Ref. Provae Venetiarum.

—

II. *Ad Sinenses Missiones Vicariatus Aplici de Xan-tum*

P. Anselmus M. a S. Salvatore, Sacerdos prof. Obs. Provae S, Ludovici in Gallia.

P. Caesarius a Cappel, Sacerdos prof. Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

—

III. *Ad Sinenses Missiones Vicariatus Aplici de Xen-si*

P. Athanasius Goette, Sacerdos prof. Recoll. Provae SS. Cordis Iesu in Statibus Foederatis Septentrionalis Americae.

—

IV. *Ad Sinenses Missiones, Vicariatus Aplici de Hu-pè Orientali*

Fr. Gabriel Maurice, Clericus Prof. Ref. Provinciae S. Bernardini in Gallia.

—

V. *Ad Sinenses Missiones Vicariatus Aplici de Hu-pè Meridionali*

P. Laurentius Fuchs, Ref. Provinciae Tirolensis S. Leopoldi Sacerdos prof.

—

VI. ***Ad Missiones Tripolitanae Praefecturae Apostolicae.***

P. Carolus ab Abbadia, Sacerdos prof. Ref. Provinciae Longobardiae.

Fr. Samuel a Melita, laicus professus Custodiae Minor. Obs. Melitae.

—

VII. *In Rempublicam Chilenam.*

Fr. *Antonius a Camerano,* laicus professus Obs. Provinciae Marchiae.

Fr. Iosephus de Vivaro, laicus professus Obs. Provinciae Venetiarum.

—

MINISTERIA SPIRITUALIA

—

Ref. Custodiae *Buffalensis in America Septentrionali* Immaculatae *Conceptionis B. M. V. anno 1882.*

Infantes baptizati	2158
Conversi	22
Benedictiones nuptiales . . .	558
Ad primam Communionem admissi	599
Ad Sacr. Confirmationis admissi	715
Pueri et puellae in Dominicali catechesi	1670
Diriguntur Tertiarii saeculares .	1015
Studentes in Collegio	95
Studentes in Seminario . . .	57

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

CHRONOLOGI ORDINIS PETITIO
ad Adm. RR. Ministros Provinciales.

—

Ut muneri mihi a Superioribus demandato, continuandae scilicet Chronologiae historico-legalis Ordinis Nostri satisfacere queam, hanc precem humillime Adm. RR. PP. Ministris Provincialibus exhibeo.

Etsi enim pleraque Documenta a meritissimo Chronologo A. R. P. Mauritio a Brixia († 1865) collecta fuerint; et alia insuper addita ab A. R. P. Alexandro a Crechio - nunc Bovinensium Episcopo - nonnulla tamen magni etiam momenti adhuc deesse comperi; ad haec autem reperienda nullum aptius medium videtur quam prae oculis habere indices Documentorum quae in singulis Provinciis asservantur; ex quibus si alicubi Documentum aliquod inveniatur, quod in iam parata collectione desit, facillime eiusdem apographum obtineri poterit; sicque Chronologia typis evulganda minoribus lacunis scatebit.

Porro Provinciales Ministros rogo ut ad me Romam infra mensem Maii huius anni mittere velint *Indicem ordine chronologico confectum* huiusmodi Documentorum ad Chronologiam historico-legalem spectantium, ab anno 1766 usque ad praesens.

Talia Documenta sunt e. g. *Acta* Capitulorum, Congregationum, et Congressuum Generalium - Ministrorum Generalium Epistolae et Decreta - Ss. Congregationum Decreta ad Ordinem, vel ad aliquam Provinciam spectantia - Statuta particularia: - Provinciarum item Privilegia forsan peculiaria alicui Provinciae a S. Sede vel a Generali Ministro concessa.

Hanc petitionem exauditam iri confidit
Romae, mense Ianuarii, 1883.

Fr. Irenaeus a Torcenio
Ord. Chronologus.

—

Opera occasione VII Centenarii S. P. Francisci edita. *(continuatio)*

1882. Introductio ad vitam seraphicam, pro Novitiis, Clericis et iunioribus Patribus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, auctore P. Fr. Gaudentio, Ordinis Minorum S. Francisci Definitore Generali, cum approbatione Rmi P. Ministri Generalis totius Ordinis. Friburgi Brisgoviae sumptibus Herder. in 12. pag. XXIV-784. (L. 5, 50)

Praefatum librum « etiam atque etiam potissimum Novitiis, Clericis et iunioribus sacerdotibus Ordinis nostri » commendavit Minister Generalis. Operis utilitatem satis patefacienda praecipui materiae tituli, quos ex indice decerpimus: .

Proemium — *De educatione et institutione Juventutis seraphicae.*

PARS PRIMA

De Institutione iuventutis Seraphicae ad perfectionem religiosam.

Tractatus I. *De perfectione christiana.*
Tractatus II. *De fundamentis vitae claustralis.*
Tractatus III. *De Ordine Fratrum Minorum S. P. Francisci.*
Tractatus IV. *De exercitio virtutum et de extirpatione vitiorum.*
Tractatus V. *Regulae vitae apostolicae servandae.*
Tractatus VI. *De meditatione sive oratione mentali.*

PARS SECUNDA

PRECES AC PIA EXERCITIA AD USUM QUOTIDIANUM. *Preces matutinae — Preces vespertinae — S Missae Sacrificium — Preces pro confessione sacramentali — Preces ante et post S. Communionem — Preces pro Visitatione SS. Sacramenti — Cultus SS. Trinitatis — Cultus SS. Nominis Jesu — Cultus SS. Cordis Jesu — Preces ad Spiritum Sanctum — Cultus B. Mariae Virginis — Cultus SS. Angelorum — Cultus SS. Joseph, Joachim et Annae — Cultus S. P. N. Francisci — Cultus S. Antonii Patavini — Responsoria in honorem principaliorum SS. Ordinis — Exercitium S. Viae Crucis.*

PARS TERTIA

MEDITATIONES S. PETRI DE ALCANTARA.

1882. BEATI FR. BERTHOLDI A RATISBONA SERMONES AD RELIGIOSOS XX, ex Erlangensi codice una cum sermone in honorem S. Francisci e duobus codicibus Monacensibus, in Centenarium septimum Familiae franciscanae, edidit Fr. Petrus de Alcantara Hoetzl, Ord. Fr. Min. Ref. Prov. Bav. Monachii, typis et sumptibus instituti litterarii Dr. Max Huttler in 4. magn. pag. VIII-110.

B. Bertholdus inter praecipuos Germaniae Praedicatores habetur; aliquando octoginta millibus auditorum praedicasse narratur. Saeculo XIII floruit et anno 1272 e vita migravit.

Hic est index horum viginti Sermonum:

Sermo in honorem S. Francisci de triplici cruce, videlicet de Cruce Christi, latronis boni, latronis mali et de quadruplici poena cuiuslibet crucis.

Sermo I. De decem capitulis regulae perfectae sanctitatis.

Sermo II. De tribus libris scholae religiosae.

Sermo III. De tribus generibus Religiosorum et de tribus modis quibus gratia adhaerendi Deo acquiri potest.

Sermo IV. De duplici gratia et de tribus generibus Religiosorum.

Sermo V. Quod ad profectum spiritualem sex sunt necessaria.

Sermo VI. Quod Dominus gratiam consolationis quandoque subtrahit et praecipue propter quinque.

Sermo VII. Do quatuor cavendis ut gratia obtineatur.

Sermo VIII. De duplici vita in Religione activa et contemplativa.

Sermo IX. Quod quilibet in activa vita sex observare debet.

Sermo X. Quod tres sunt status Religiosorum bonorum.

Sermo XI. De duabus viis in religione lata et arcta.

Sermo XII. De avibus immundis et mundis et quod duo genera avium Deo sunt maxime dilecta, turtures et columbae.

Sermo XIII. De triplici iustitia Religiosorum.

Sermo XIV. Quod recidivare periculosius est Religiosis quam saecularibus.

Sermo XV. De tribus benedictionibus.

Sermo XVI. De quatuor libris in magna schola Christi.

Sermo XVII. De culina Regis coelestis.

Sermo XVIII. De arca Religionis.

Sermo XIX. Quod quinque sponsam sponso dilectam reddunt.

Sermo XX. De vita eremitica et coenobitica.

1882. ENTUSIASMO SACRO, in occasione del VII Centenario della nascita di S. Francesco di Assisi festeggiato in Tivoli dal 14 al 17 Dicembre per cura del P. Angelo da Subiaco. M. O. Tivoli, Tip. Maiella.

1882. Per la settima Centenaria ricorrenza della nascita del Patriarca S. Francesco d'Assisi, PANEGIRICO detto dal M. R. P. Filomeno da Sarno Let. Giub. M. O., nella Chiesa di S. Maria degl' Angeli di Nocera il dì 4 Ottobre. Prato, tip Giachetti, in 8° (pag. 31).

1882. CONFERENZE SULLE MISSIONI FRANCESCANE IN ITALIA, nella fausta ricorrenza del VII Centenario di S. Francesco d'Assisi celebrato nella chiesa dei Min. Oss. di Messina addì 8 Ottobre 1882, del M. R. P. Antonino Maugeri, M. O. Catania, tip. Elia, in 8° (pag. 51).

1882. IL MIO PELLEGRINAGGIO IN ASSISI in occasione del settimo Centenario della nascita di S. Francesco per G. Olmi. Genova tip. Arcivescovile, in 8° (pag. 55).

Optime describuntur in hoc opusculo triduanae solemnitates Assisii celebratae in basilica S. Francisci, in ecclesia cathedrali, S. Mariae Angelorum, S. Clarae et Ecclesiae novae.

Rmus Dnus Alexander Cantoli a Crecchio, Min. Obs., Episcopus Bovinensis, sequentia opera publicavit:

1871. Cenno storico sulle INONDAZIONI DEL TEVERE. Roma tipogr. Menicanti.

1872. Scelta di PROVERBI MORALI ITALIANI offerta a' saggi estimatori del senno antico. Bovino, tipogr. Diocesana.

1873. ISTRUZIONE da farsi nei dì festivi in tutte le chiese dei paesi e nelle cappelle rurali mentre si celebra la S. Messa. Bovino, tipogr. Diocesana.

1882. SAGGIO INTORNO ALLE PREROGATIVE DEL ROMANO PONTEFICE, VICARIO DI GESÙ CRISTO, scritto in Roma, durante il Concilio Vaticano, dal P. Alessandro Cantoli da Crecchio, dell'Ordine serafico, Consecrato vescovo di Bovino, a dì 27 Dicembre 1871. Terza edizione, Bovino, tip. di Ferrante in 8° (p. 129).

1875. GUIDA PRATICA per la visita delle chiese nel giubileo del XXI anno santo proclamato il dì 24 Dicembre 1874 da Papa Pio Nono. Bovino, tipogr. Diocesana.

1877. REGULA primi Ordinis Seraphici P. N. S. Francisci ab Innocentio III approbata et ab Honorio III confirmata, cui accedit eiusdem Testamentum et Catalogus hagiographicus Seraphicae Familiae. Bovini ex typogr. Dioecesana.

1880. CATECHISMO ad uso della Diocesi di Bovino, tipogr. Diocesana.

1881. SACRA NOVENA della Vergine Immacolata nostra Signora santa Maria di Valleverde con corona delle sue sette allegrezze. Bovino, tipogr. Diocesana.

1881. PASTORALE del Vescovo di Bovino per il sacro giubileo dell'anno 1881. Bovino, tipogr. Diocesana.

1876. Della vera forma primitiva ed attuale del SEPOLCRO DI GESU CRISTO. Dissertazione del P. Cipriano da Treviso M. O., Commiss. di Terra Santa. Venezia, tipogr. Merlo.

1877. I SELVAGGI D'AMERICA o breve Memoria della nuova missione francescana nel Nord del Brasile. 2. edizione riveduta e corretta dall'Autore P. Fr. Gesualdo Machetti da Montalcino M. O. Miss. Apost. Siena, tip. all'ins. di S. Bernardino. (pag. 58).

1878. ZYWOT BLOG. IANA Z DUKLI... napisany przez X. Norberta Golichowskiego Raplana zakonu OO. Bernardynów lwowskich. (Latine: *Vita beati Ioannis de Ducla....* quam *(polonice)* conscripsit P. Norbertus Golichowski sacerdos Ord. Patrum Bernardinorum - Ord. s. Francisci Provinc. Gallicianae in imperio Austriaco - nunc eiusdem Provinciae Minister.)

1879. The PRESENCE OF GOD translated from the french of P. Simon de Bussières O. S. F. (Latine: Praesentia Dei. Cf. *Acta,* fasc. I. pag. 13.) London, Burnsand Oaths. 16. pag. 40.

1880. ZABAVNO-POUCNE PRIPOVIEDKE, sakupio i svomu narodu prikazao Roberto Kauk franjevac ucitelj sv. bogoslovja. Svezcic I. U. Baji. Lingua croatica. (Latine: *Morales enarrationes quas collegit et suis popularibus dedicavit* P. Rob. Kauk, ftanciscanus, s. Theologiae Lector. Fascisc. I. Bajae in Hungaria.)

1880. O SAMUEL PIASECKI Wspomnienie posmiertnc. (Latine: *Memoria defuncti P. Samuelis Piasecki,* ab eod. ibid.)

1880. The MONTH OF NOVEMBER dedicated to the holy souls in Purgatory. (Latine: Mensis Novembris dedicatus sanctis animis Purgatorii) London, Burns and Oaths. 16. pag. 65.

In hoc opusculo pro quolibet mensis Novembris die habetur brevis meditatio ac exemplum historicum et indicatur alicuius virtutis praxis.

1880. VITA DEL P. LORENZO LOMBARDI DA MONSANO M. O., morto con fama di santità in Osimo ai 6 maggio 1797, scritta dal Dottore D. Carlo Onofri, edito dal P. Luigi Vassi M. O. Fabriano, tip. G. Crocetti, 1880 pagg. 274, prezzo L. 1, 25.

1881. BREVILOQUIUM PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE ad usum Fratrum studentium Ordinis Franciscalium reformatae Provinciae Genuensis, ex operibus Divi Bonaventurae desumptum studio et labore P. Basilii a Neirone, Lectoris S. Theologiae et eiusdem Provinciae Ministri. Genuae, ex typographia Archiepiscopali, in 8, pag. 543 (L. 5)

1881. LE BONHEUR DU CÉLESTE AMOUR, poème par un Franciscain de l'Observance, 2. édition. Bourges, imprimerie Pigelet, 15 rue Joyeuse, in 8. (pag. IX-61).

1881. MORTIFICATION practised on all occasions. (Latine: Mortificatio in qualibet oc-

casione practicata) London, Burns and Oaths. 16. pag. 40.

Versio operis a R. P. Simone de Bussières in Gallica lingua scripti. Cf. *Acta*, fasc. I. pag. 13.

1881. The WAY of the CROSS, the Queen of devotions. (Latine: Via crucis, regina devotionum) London, Burns and Oaths. 16. p. 47.

Continet septem methodos visitandi viam S. Crucis.

1881. COMPENDIO DELLA VITA DELLA SERVA DI DIO SUOR MARIA AGNESE CHIARA STEINER DEL COSTATO DI GESÙ, Monaca Professa in Assisi, nel Ven. Monastero delle Terziarie francescane riformate, dette volgarmente Capuccine, e Fondatrice delle Clarisse della prima Regola mitigata nel Ven. Monastero di San Giov. Battista in Nocera-Umbra. Scritto dal già suo Confessore R. P. Francesco da Reus, spagnuolo, Mis. ap., Min. Osservante, 2. ediz. Foligno, F. Campitelli editore (L. 2, 50)

Clarissima haec Monialis, nata est in Tyrolio germanico, die 29 Augusti 1813, et in suo Monasterio Nucerino ex hac vita migravit, die 24 Augusti 1862, multis exornata virtutibus et charismatibus. Annuente Summo Pontifice Leone XIII, qui Dei Famulam noverat, processus Ordinarii pro beatificatione incepit anno 1881.

1882. LA RÈGLE DU TROISIEME ORDRE DE S. FRANÇOIS D'ASSISE, appelè Ordre de la Pénitence à l'usage des frères des sœurs soumis à l'obetissance du Ministre Général de l'Observance publiée au Canada, avec l'approbation du Ministre Général de tout l'Ordre Séraphique et extraite presque textuellement de la 6. edition de la Sèraphique règle du T. R. P. Léon (Paris 1881) par le R. P. Frédéric de Ghyvelde, franciscain, Missionaire Apostolique, Vicaire Custodial de Terre-Sainte. Québec, I. A. Langlois, libraire-éditeur 177, rue S. Joseph, S. Roch. (Pag. 653).

1882. SERMONEN over de waarheden van den katholiken Godsdienst (latine: *Sermones de veritatibus catholicae Religionis*) door P. F. Archangelus Vendrickx (Ex-Min. Prov. Recoll. Belgii) secunda editio. 10 tomi in 12. et 16. (L. 15.)

1882. ETUDE SUR LA VIE ET LES ŒUVRES DE ST. BERNARDIN DE SIENNE, Franciscain de l'Observance, par le P. Apollinaire, du même Ordre, Paris, Oudin, éditeur, 51, rue Bonaparte; in 8. (Fr. 2, 25.)

Decurrit opus per tres partes, quarum prima vitam S. Bernardini compendiosam enarrat; secunda, de eiusdem scientia et influxu tractat et sancti pariterque doctissimi Italiae Apostoli opera omnia seorsim examinat; tertia tandem S. Bernardini peculiarem doctrinam ostendit de sanctissima Familia Iesu, Maria et Ioseph.

Scopus huius operis in eo versatur ut demonstretur S. Bernardinum Doctoris Ecclesiae dotibus esse ornatum et legitime pro ipso hunc titulum apud Sanctam Sedem postulari posse.

1882. ST. ELISABETH-BUCH oder Anleitung zur Nachfolge und Verehrung der lieben heiligen Elisabeth. Ein Lehr-und Gebetbuch von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leop.) pag. 444 Lienz, Schuster's Buchhandlung.

In 24 capitibus primae partis huius operis narratur vita S. Elisabeth. In secunda parte variae exhibentur devotiones.

1882. DIE WALLFAHRT zum heiligen Antonius in Kaltern. Geschichte des Gnadenbildes nach authent. Quellen, mit einem Anhange von Gebeten. Von P. Philibert Seeböck O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leop.) pag. 80 Bozen, Wohlgemuth.

In hoc libello exibetur brevis vita S. Antonii Paduani et narrantur miracula coram prodigiosa imagine dicti Sancti Caldarii (Kaltern) in Tyrolio patrata. Adiunguntur variae devotiones erga S. Antonium.

1882 FIGURA IEROSOLIMAE tempore Iesu Christi D. N. existentis illustrata et in carta speciali adiecta delineata a P. Leonardo M. Wörnhart O. S. F. Prov. Tirol. S. Leopoldi. Friburgi Brisgoviae *(Freiburg i. B.)* sumtibus Herder.

1882. LA CUSTODIE FRANCISCAINE DE TERRE SAINTE, par le R. P. Victor Bernardin de Rouen, M. O. Ex-Définiteur de la Prov. Commissaire Général de Terre Ste. Paris, Imprimerie Levé Rue Cassette, 17. (Fr. 0,25.)

In hoc opusculo, quod inveniri etiam potest apud R. P. Commissarium *Terrae Stae, 83, rue des Fourneaux Paris*, agitur de fundatione, statu, laboribus, necessitatibus Custodiae Terrae sanctae et gratiis spiritualibus a S. Sede concessis huius missionis benefactoribus.

1882. TREATISE ON THE WAY OF SORROWS, followed by a pratical method of blessing,

erecting and solemny performing the stations of the way of the Cross, by F. Alexis Bulens, O. S. F. of the Monastery West Gorton Manchester. R. Wasbourne, 18 Paternoster Row, London. in 12. pag. X-187. (*Latine:* Tractatus de via dolorum.)

1882. Il trionfo delle Opere di Dio nel mondo. Raccolta di fatti edificanti e religiosi, pel P. Guglielmo del Carmelo, Miss. Apost. Alcantarino. Seconda edizione accresciuta e migliorata. Napoli, tipogr. di Giovanni Testa. (*L.* 0,35.)

1882. Breve metodo di Canto ecclesiastico ad uso dei giovani alunni della Custodia di Terra santa composta in forma di Dialogo dal P. Mariano da Candia di Ancona, Min. Oss., Corista in S. Salvatore di Gerusalemme. Roma tipogr. della S. C. di Propaganda Fide. in 4. pag. 54.

1882. Il B. Carlo da Sezze, Laico professo dei Minori riformati. Tre panegirici recitati nella Ven. Chiesa di S. Francesco a Ripa nei giorni 16, 17 e 18 Giugno 1882 dagli Illmi et Revmi Monsignor Luigi Canonico Grimaldi, Padre Basilio da Neirone, minore riformato, e Cardinale Lucido Maria Parrocchi. Roma, per cura dell'Eco del Pontificato, recapito, via del Fico N. 6, p. 1. (pag. 56).

1882. Veneravel Ordem Terceira de S. Francisco da Cidade. Contas e documentos dos annos de 1870-71 a 1881-1882. Lisboa, imprensa nacional (pag. 15).

1882. Flowers from the Garden of St. Francis for every day of the year. From the French. (Latine: *Flores ex horto S. Francisci pro quolibet anni die.* Versio ex gallico) London, Burns and Oaths. 16. pag. 96.

1882. maria immaculata cuius in fronte purissima pretiosam auro coronam gemmisque fulgentem Doctor posuit angelicus. Opusculum a P. Iosepho Maria Portugal, S. Patri nostro Leoni XIII dicatum, et de approbatione ac expresso mandato Ilmi D. Iosephi Mariae del Refugio Guerra episcopi de Zacathecas, scriptum et editum. Asientos, Typ. Mariana. in 8.° (pag. XXXIX).

V.
NECROLOGIA

—

A. R. P. Eugenius Schoenherr, Ss. Theologiae Lector, Provinciae Tirolensis S. Leopoldi bis Exminister et Custos actualis. Natus in pago Fliess (in Tyroli) anno 1819, habitu indutus seraphico 1838, sacerdos ordinatus 1822, ab anno 1825, quo studia theologica absolvit, indesinenter pro Dei gloria et animarum salute laboravit. Anno 1846 Lectoris et Juvenum Magistri munus suscepit; dum autem iuniores Confratres scientia et pietate imbuere conabatur, etiam in confessionali et in sacro pulpito peccatores ad poenitentiam, bonos ad perseverantiam inducere studebat et diu noctuque aegris et afflictis consolationem, morientibus assistentiam paratissimus praestabat. Sacrae Regulae observator exactissimus et alios, praecipue qua Minister Provincialis, paterne monebat, ut S. Regulae et Statutorum praecepta diligenter custodirent. Confratres summa confidentia ad eum accedebant, quotiescunque in re alicuius momenti consilio et adiutorio indigebant, quoniam vere paterno affectu omnes diligebat et fovebat. Transacto tandem bino triennio in Provincialatus Ministerio ad Lectoris et Magistri Juvenum officia rediit. Haud praetereunda sunt insignia benevolentia et servitia spiritualia et temporalia, quae tum Sororibus tertii Ordinis in asceterio Kalensi, tum filiabus S. Vincentii de Paulo prope idem oppidum praestitit. — A plurimis ergo tamquam pater, ab omnibus ut verus amicus habebatur in honoribus, et ob firmam eius valetudinem cuncti sperabant, multo se adhuc tempore tali patre et amico fruituros. Attamen mors inexorabilis nullo valore vincitur. Contracto namque per nimium in exequendis suis laboribus zelum morbo brevi consumptus die 14 Aprilis 1882 nobis ereptus est. Exequiis eius, non obstante adversa tempestate, numerosa hominum multitudo ex dissitis etiam locis interfuit.

R. P. Innocentius Widmann, Provinciae Tirolensis S. Leopoldi Ex-Custos et Ex-Definitor, Guardianus actualis in Conventu Bulsanensi, obiit die 25 Iunii 1882. An-

no 1819 Bulsani natus in iuvenili aetate bonis moribus et praecipue filiali devotione erga parentes eminebat. Habitu seraphici Ordinis 1837 suscepto eandem devotionem in Superiores suos transtulit, sub quorum disciplina in pietate et scientia plurimum profecit. Iam a primis annis erat observantissimus s. Regulae zelator et in adimplendis officiis sibi iniunctis exactissimus. Postquam in gaudio spiritus 1840 sacram professionem emiserat et 1842 sacerdos ordinatus erat, mox ob ingenii dotes a Superioribus ad professuram in gymnasio destinatus est, quod munus per 36 annorum spatium egregie implevit tum affabilitate et comitate, tum clara in explicandis scientiis methodo iuvenes studiosos sibi devinciens, ab eisque ob doctrinae soliditatem summi habitus. — Praeterea et aliis muneribus in Provincia praefuit ac profuit. Per multos annos qua Iuvenum Magister iuniores Confratres egregie ad mores religiosos informabat. Bis Custodis, saepius Definitoris Provinciae munus ei delatum fuit; bis in Conventu Bulsanensi Guardianatum gessit. Hocce in munere praecipue omnium sibi amorem adscivit proba in omnes caritate et summa prudentia agens. Erat vir tenerrimae conscientiae, vere innocens, sibi ipsi severus, in alios mitis et benignus, orationis amans et praecipuus cultor B. M. V. Immaculatae ac Ss. Angelorum Custodum. Hinc maximus erat dolor Confratrum cum dilectus Guardianus, qui usque dum inconcussa valetudine vigebat, viribus destitui videretur, et multo magis, cum ventriculi degeneratione consumptus spiraret animam.

R. P. Maximilianus Holaus, Provinciae Tirolensis S. Leopoldi Definitor actualis, originem traxit e pago Hippach in Tiroli 1823. Praeviis litterarum studiis egregio cum successo absolutis anno 1842 Salisburgi indutus est. Religiosae vitae studium cum scientifico conamine coniungens maxime in utroque proficit, tum laboris et orationis assiduitate, tum animi gravitate coaevis suis exemplar. Studio philologiae graecae et latinae absolutis et transacto examine publico professor et 1863 director institutus est in gymnasio Halensi, quod ipso potissimum agente, cum antea nonnisi sex classibus constaret, septima et octava auctum est, ita ut perfectum iuxta scholarum in imperio Austriaco institutionem gymnasium repraesentet. Interim continuo labore scientiarum thesaurum in seipso auxit; quare non tantum graecorum et Romanorum rebus egregie versatus, sed et linguis Italica, Gallica et Hispanica, earumque litteris haud parum instructus apparuit. Professor et praecipue director extitit plane strenuus, qui iusta severitate timorem incussit, sed paterna solicitudine omnium etiam amorem sibi comparavit. Unde celebre factum est gymnasium Halense ita ut P. Director Maximilianus titulo Caesarii Regii scholarum Consiliarii honoraretur et ipse Augustissimus Austriae Imperator Franciscus Iosephus I. in itinere per Tirolim Halae istius gymnasii directionem laudibus commendaret. — Inter confratres humilis et caritativus tempore recreationis diversis facetiis, lepide dictis et actis alios exhilarare solebat. Sed et boni religiosi exemplo eos aedificabat, sacram Regulam adamussim observans, choro et caeteris claustralis vitae exercitiis religiosissime interveniens ac praecipue orationem devotissime exercens. — Quem ileus per aliquot menses patientissime toleratus nobis eripuit die 19. Aug. 1882.

R. P. Aegidius Spada a Valderio Custodiae Reform. Taurinensis in Pedemontio alumnus et Lector Emeritus; pius, solitudinis ac studii amantissimus; ab officiis et honoribus appetendis semper alienus, obiit Cunei iu Conventu S. Mariae Angelorum die 26 Novembris 1882, anno aetatis suae 74, Religionis vero 57. Inibi jam a plurimis annis erat Director Tertii Ordinis, omnis generis hominibus tam fratribus quam saecularibus charus. Numquam adduci potuit ad Custodiatum, vel Guardianatum acceptandum, vix ad Definitoriatum semel, etsi inter digniores profecto extiterit R. I. P.

Nihil obstat
Fr. Bernardinus Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

DECISIO S. C. INDULG.

De Absolutione generali et Benedictione papali pro Regularibus Ordinibus et Tertiariis ad eos pertinentibus.

Tres Ministri Generales Ordinum S. Francisci, Conventualium nempe, Minorum Observantium et Capucinorum, sub quorum uniuscuiusque directione Fratres et Sorores adsunt, ad uniformitatem quoad Tertiarios universos sub qualibet directione constitutos inducendam, consilium inierunt unicum conficiendi Manuale quod omnibus foret commune. Illud a Fr. Nicolao a S. Ioanne (1) exaratum quatuor constat partibus, quarum prima notiones generales totius tertii Ordinis exponit, aliae vero et Regulas tradunt, caeremonias recensent et indulgentias. Pars vero, quae indulgentias recensebat, huic S. Indulgentiarum Congregationi exhibita fuit pro facultate obtinenda illam evulgandi. Imo supplex quoque libellus porrectus fuit pro novis gratiis et privilegiis favore Tertiariorum impetrandis.

Ex parte quoque Praesidis generalis Societatis S. Francisci Salesii expositum fuit, Societatem hanc per Rescriptum Summi Pontificis sub die 1 Maii 1873 participem factam fuisse privilegiorum quibus gaudent Chordigeri S. Francisci, ac proinde quaerebatur, utrum inter haec privilegia reperiretur illud quoque Absolutionis Generalis, et quatenus *Negative*, enixe flagitabatur ut facultas elargiendi Absolutionem Generalem quater saltem in anno concederetur.

Interim dum Sacra Indulgentiarum Congregatio haec omnia ad examen revocabat, in primis animadvertebat, diversas formulas impertiendi tum Generalem Absolutionem per annum tum in articulo mortis, et Benedictionem Papalem, quae sive in exhibito Manuali pro Tertiariis, sive in Summariis indulgentiarum et privilegiorum iisdem concessorum legebantur, haud levem facessere difficultatem. Quae quidem difficultas pro formulis Generalis Absolutionis eo magis aucta est, quod a nonnullis locus factus est controversiae potissimum de virtute et efficacia Absolutionis Generalis. His vero accesserunt aliae quaestiones a confessario Monialium Ordinis S. Francisci dioecesis Viterbiensis et Tuscanensis propositae, quae pariter ad generalem Absolutionem referebantur.

Quare haec Sacra Indulgentiarum Congregatio haud cunctandum esse censuit, ut desuper his suum depromeret iudicium; auditoque Consultoris voto, manifestius patuit ex litterali et obvio sensu formularum interpretationem erui veritati non consonam, et doctrinam quoque dogmaticam indulgentiarum haud leviter laedentem. Ad quas proinde quaestiones dirimendas utpote dogma respicientes, quum haec Sacra Indulgentiarum Congregatio ex sui institutione incompetens foret, res tota ad Supremam Universalis Inquisitionis Congregationem delata est, quae de his omnibus maturo examine peracto, detectos errores reprobavit, veramque doctrinam proponens iuxta eam corrigenda mandavit quae minus recta fuerant scripta et vulgata. Verum Suprema Universalis Inquisitionis Congregatio, in tuto positis quae ad dogma pertinebant, reliqua

(1) Aliud opus deinde exaratum fuit et specialis cuiusdam Commissionis examini traditum.

quae proprius rectam Indulgentiarum administrationem attingebant, huic Sacrae Congregationi definienda reliquit.

Quare sequentia dubia resolvenda proposita sunt:

1. An et pro quibus praescribenda sit sub poena nullitatis formula unica pro Absolutionibus Generalibus impertiendis?

Et quatenus affirmative:

2. Quaenam formula sit iniungenda?

3. An pro impertienda absolutione in articulo mortis Tertiariis saecularibus Franciscalibus debeat formula Benedictina adhiberi; vel sit eadem sub poena nullitatis praescribenda?

Et quatenus negative:

4. An sit sub eadem poena iniungenda formula a Fr. a Cipressa tradita? (1)

Et quatenus negative:

5. An formula quae nunc adhiberi solet sit servanda, vel potius et quomodo reformanda?

6. An pro impertienda Tertiariis Franciscalibus Benedictione Papali obligatio adsit formula benedictina utendi; vel sit eadem praescribenda?

Et quatenus negative:

7. An formula qua nunc iisdem Tertiariis Franciscalibus Benedictio Papalis impertiri consuescit, sit servanda, vel potius et quomodo reformanda?

8. An pro iisdem sit et quatenus Benedictinae observantia iniungenda quoad regulas ab eadem quoad Benedictionem Papalem praestitutas?

9. An pro indulgentia adnexa Absolutioni Generali sit servanda etiam quoad Tertiarios Franciscales saeculares responsio data 12 Martii 1855; vel, attentis praesentibus adiunctis, addenda indulgentia pro vivis quoad festa etiam pro quibus fertur concessa a Leone X?

10. An Absolutioni Generali adnexa sit indulgentia pro defunctis?

Et quatenus negative:

11. An sit concedenda Tertiariis Franciscalibus saecularibus?

(1) Vide Manuale cui titulus: *Regula sive Modus vivendi Fratrum de Poenitentia Tertii Ordinis saecularis S. Francisci*, iussu Rmi P. Generalis eiusque Definitorii dispositus per P. Antonium de Cipressa, Obs. Romae 1865, typ. Guerra.

12. An Absolutiones Generales dari debeant, aut possint intra vel extra Sacramentum Poenitentiae?

13. Utrum Chordigeri S. Francisci Assisinatis ac Sodales S. Francisci Salesii gaudeant privilegio Absolutionis Generalis et Benedictionis Papalis?

Et quatenus negative:

I. Utrum possit atque expediat ipsis concedere privilegium Absolutionis Generalis, et quoties in anno, vel potius huius privilegii loco iisdem elargiri communicationem indulgentiarum et bonorum operum et cum qua formula?

II. Utrum expediat Chordigeris et Salesianis concedere privilegium Absolutionis plenariae in articulo mortis, et quoties in anno illud Benedictionis Papalis?

14. An constet de authenticitate gratiae Absolutionis Generalis Monialibus O. S. F. dioecesis Viterbiensis et Tuscanensis a Clemente VIII concessae?

Et in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 18 mensis Martii anni 1879, EE. PP. rescripserunt:

Ad 1. Consulendum SSmo, ut ad uniformitatem inducendam et ad falsas interpretationes vitandas praescribere dignetur sub poena nullitatis unicam Absolutionis Generalis formulam pro Regularibus cuiuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus; pro Tertiariis vero saecularibus ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum eisdem vel cum Regularibus habentibus, unicam pariter dignetur praescribere formulam Benedictionis cum indulgentia plenaria, loco Absolutionis Generalis hucusque usitatae. (1)

Ad 2: Provisum in primo.

Ad 3: Formula Benedictina est praescribenda sub poena nullitatis pro omnibus indiscriminatim, facto verbo cum Sanctissimo.

Ad 4 et 5: Provisum in tertio.

Ad 6: Ut in tertio.

Ad 7: Provisum in sexto.

Ad 8: Regulas a Benedicto XIV praescriptas esse adamussim observandas.

(1) Quod quidem revera factum est et iam provisum in Decreto *Quo universi*, diei 7 Julii 1882. Confer *Acta Ordinis* anni elapsi, pag. 129.

Ad 9: Quoad Tertiarios saeculares provisum in primo.

Ad 10: Consulendum Sanctissimo, ut concedat ad cautelam indulgentiam pro defunctis.

Ad 11: Provisum in primo.

Ad 12: Servetur pro Regularibus consuetudo.

Ad 13: Negative ad utrumque.

Ad I. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam, facto verbo cum Sanctissimo pro concessione indulgentiae plenariae quater in anno diebus a Summo Pontifice designandis, et pro communicatione bonorum operum pariter quater in anno, iuxta formulam praescriptam in decreto Sacrae Indulgentiarum Congregationis diei 25 Februarii 1739.

Ad II. Ad primam partem, gaudeant impetratis; ad secundam, Chordigeris et Salesianis concedendum esse privilegium, si Sanctissimo placuerit, Benedictionis Papalis semel tantum in anno.

Ad 14: Non esse interloquendum.

His vero editis ab EE. PP. resolutionibus, Sacrae huius Congregationis Indulgentiarum Cardinalis Praefectus, quo initum consilium de unico conficiendo Manuali pro universis Tertiariis facilius et tutius assequi posset, proponendum censuit, ut specialis seligeretur Commissio constans ex Secretariis, vel ex personis ab eisdem designandis, trium Sacrarum Congregationum, videlicet Episcoporum et Regularium, S. Rituum, et Indulgentiarum, quae videat, utrum et aliae animadversiones faciendae sint in exhibito Manuali, easque proponat in peculiari Patrum Cardinalium Congregatione a Sanctissimo deputanda. Quod propositum EE. PP. unanimiter probaverunt.

Facta autem de iis omnibus relatione Sanctissimo D. N. Leoni PP. XIII, in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 22 Martii 1879, Sanctitas Sua praefatas resolutiones benigne approbavit et confirmavit: et resolutiones quoad priora octo dubia executioni mandari praecepit per decretum S. Rituum Congregationis.

A. Card. Oreglia a S. Stephano Praef.

A. Panici, Secret.

DECRETUM

S. R. C. quo conceditur Sacerdotibus saecularibus Tertio Ordini adscriptis facultas se conformandi Breviario et Missali Fratrum Minorum.

I. An sacerdos saecularis adscriptus Tertio Ordini S. Francisci, etiam curam animarum habens, sed choro nullo obligatus, possit in quacumque die, ac pro libito suo, se conformare Calendario edito in usum Fratrum Minorum Ordinis Observantiae S. Francisci, sive quoad officium et Missam, sive quoad alterutrum tantum ex ipsis, semper vero exceptis obligationibus particularibus, quae eis incumbere possint ratione occurrentiae Patroni principalis dioeceseos, vel Titularis, aut Dedicationis propriae ecclesiae?

II. Et quatenus affirmative, an recurrente, e. g., in Calendario Ordinis S. Francisci aliquo Officio iam recitato iuxta Calendarium Dioecesanum, possit in hoc casu se conformare Calendario Minoritico, ac denuo recitare Officium translatum ibidem occurrens?

S. Rituum Congregatio respondit:

Ad I. *Affirmative* quoad Officium et Missam.

Ad II. *Affirmative.* Die 2 Maii 1880.

—

BREVE

Quo conceditur omnibus et singulis Tertiariis Regularibus, etiam ad alios Ordines Regulares pertinentibus, facultas lucrandi omnes indulgentias Tertio Ordini concessas, Ecclesiam vel sacellum respectivae Congregationis vel Ecclesiam respectivi Ordinis visitando, quum Ecclesia I vel II Ordinis franciscalis visitanda esset.

Pius PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quae ad spirituale Christifidelium bonum facilius consequendum facere possunt, ea cum a Nobis postulantur libenti animo concedere solemus. Quare cum dilectus filius hodiernus Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Nobis exponendum curaverit, praescriptum esse ad consequendas Indulgentias Tertiariis Franciscalibus concessas, ut Ecclesia primi vel secundi Or-

dinis visitetur (1), idque non sine magno eorum Tertiariorum incommodo fieri, qui vitae communitatem habent, ac propterea supplices Nobis preces adhibuerit, ut in hac re opportune providere dignaremur, Nos huiusmodi precibus, quantum in Domino possumus, benigne annuendum esse censuimus. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, atque SS. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus e Congregationibus tertii Ordinis S. Francisci Regulam observantibus, et ab Ordinariis locorum, aut a Superioribus Ordinis Franciscalis approbatis, itemque omnibus et singulis utriusque sexus ex aliis Regularium Ordinibus Christifidelibus tertio Ordini S. Francisci rite aggregatis, ut omnes et singulas, tam plenarias quam partiales Indulgentias, Tertiariis Franciscalibus concessas ab hac S. Sede, Ecclesiam vel Sacellum respectivae Congregationis, aut Ecclesiam respectivi Ordinis visitando, cum Ecclesia primi vel secundi Ordinis visitanda esset, licite et libere consequi possint, dummodo cetera, quae ad illas Indulgentias lucrandas iniuncta sunt, pietatis opera, pie in Domino praestiterint, tenore praesentium concedimus et elargimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae praemunitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 7. Aprilis 1876, Pontificatus Nostri anno trigesimo.

T. Card. Asquinius.

—

DECRETUM

S. R. C. de Litaniis cantandis in Festo S. Marci et in Rogationibus.

Ordinis Minorum S. Francisci de Observ. *Die 8. Aprilis 1865.*

« Quum in una Tridentina diei 12 Martii 1836, interrogata Sacra Rituum Congregatio « num Litaniae Sanctorum iuxta praescriptum Rubricarum pro Fratribus Ordinis « Minorum Sancti Francisci, ex Indulto Apostolico rite dispositae, sint modo ab iisdem « de praecepto recitandae in Festo S. Marci « et in Rogationibus ». *Affirmative* respondisset; accidit, ut responsio haec, anxietates et perplexitates pareret Religiosis animarum curam habentibus, et Religiosis illorum Conventuum qui adnexam habent ecclesiam parochialem. Ad omnem itaque anxietatem et perplexitatem removendam, R. Pater Theophilus Boghetti, Custos minoriticae familiae de Observantia in Hetruria et Parochus Ecclesiae SSmi Salvatoris loci nuncupati Sancti Francisci *di Pietra-santa* in Archidioecesi Pisana, sequentia SS. Rituum Congregationi enodanda proposuit

Dubia

I. « In illis Conventibus in quibus religiosus Parochus solus cum populo adsistit « processionibus, Litaniae Ordinis, an potius « communes Ecclesiae erunt vel cantandae vel « recitandae? »

II. « Et quatenus cantandae, vel recitandae « erunt Litaniae communes, satisfacitne suae « obligationi Parochus has recitando, vel potius repetere debeat litanias Ordinis? »

III. « In Conventibus in quibus Religiosi « omnes ex laudabili consuetudine processionibus intersunt, si populus Litanias Ordinis « nollet recitare, debebit ne eadem religiosa « familia Litanias Ordinis vel in alia processione vel in choro recitare? »

Et sacra eadem Congregatio in Ordinario coetu ad Vaticanas aedes sub infrascripta die coacto, re mature diligenterque perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Recitandas esse Litanias communes.*

Ad II. *Affirmative, satisfacit.*

Ad III. *Negative.* Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 8 Aprilis 1865.

C. Ep. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini, S. R. C. Secretarius.

—

MONITUM

—

Rmus P. Generalis, praesertim post promulgatam Encyclicam *Auspicato* « De Tertio Ordine propagando », Episcopis petentibus

(1) Hic sermo est de indulg. quae eccl. Francisc. conceduntur in festis nonnullorum Sanctorum Ordinis.

concedere solet speciales et ampliores facultates, quas hic communicare opportunum iudicamus, ut Provinciales Ministri ceterique Superiores easdem cognoscant, et, data occasione, insinuent Episcopis, qui iuxta voluntatem Summi Pontificis Tertium Ordinem S. P. Francisci propagare peroptant.

Exemplar facultatum Episcopis petentibus concessarum

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO ETC.

Rmo Dno Dno.

Potestatem facit quatenus, intra limites suae Dioeceseos, iis exceptis locis in quibus existunt Ordinis Nostri domus cuiuscumque Familiae, sive Observantium aut Reformatorum aut Recollectorum aut Alcantarinorum, sive Conventualium, sive Capuccinorum, Christifideles per se, vel per alios sacerdotes praesertim parochos, quoad respectivam dumtaxat paroeciam, ad habitum et ad professionem Tertii Ordinis S. P. N. Francisci admittere, admissisque benedictiones cum indulgentia plenaria statis diebus impertiri legitime possit et valeat. Praeterea, ut praefatos Tertiarios, sicubi eorum numerus sufficienter excreverit, in Congregationes coadunare valeat, et unicuique Congregationi ipsum Parochum loci, seu alium Sacerdotem sibi benevisum, qua Directorem praeficere, cui facultates opportunas ex nunc conferre intendimus.

Placeat tamen eidem nomina singulorum Directorum Congregationis Tertii Ordinis ad proximiorem P. Ministrum Provincialem Ordinis nostri, ut supra, quotannis transmittere, et cuilibet praedictorum Directorum iniungere ut, ad mentem Constitutionum Apostolicarum, de erecta Congregatione, deque eius statu ac membrorum numero, eumdem P. Ministrum Provincialem certiorem faciat, cum eoque ea quae ad maiorem Tertiariorum utilitatem conducere possunt communicet.

Dat. Romae, ex Aracoeli, die an. 188

II.
ACTA ORDINIS

—

VI.
AD FRATRES DISPERSOS

Incitamenta Seraphica.

(Continuatio)

Quantis periculis exponantur Regulares extra coenobia viventes.

Probatum cum sit Fratres in saeculo dispersos adstrictos manere obligationi tendendi ad perfectionem, difficile non erit ostendere, hunc religiosae vocationis finem magis anxia ab eis sollicitudine et maiori animi fortitudine quam a claustralibus esse prosequendum, si prae oculis habeantur et magna pericula quibus eorum exponitur conditio, et emolumenta vitae coenobiticae quibus manent privati.

Assertioni huic probandae claram lucem et certum fundamentum praebebit doctor Angelicus, uti iam innuimus, et quidem in quaestione quam (2. 2, qu. 188 art. VII.) proposuit et elucidavit circa Statum Religiosorum in solitudine viventium, qui olim in Ecclesia permittebantur, sed iam diu ab ea fuerunt abrogati et prohibiti.

Inquirit S. Thomas utrum eorum status sive modus vivendi sit perfectior quam eorum qui in coenobiis commorantur? Et respondet *perfectiorem esse Religionem solitariam vitam ducentium quam in communi simpliciter viventium,* et hoc iuxta doctrinam S. Augustini, qui illos sanctiores esse dicit, qui a conspectu hominum separati nulli ad se praebent accessum, viventes in magna intentione orationum (1).

Pro conclusionis huius intelligentia rite advertendum est id quod S. Thomas ibidem reflectit, solitudinem scilicet non competere nisi viris in doctrina sanctitatis apprime versatis, et in omnibus virtutibus ita exercitatis, ut non iam inter incipientes aut proficientes, sed inter perfectos reputentur, et adeo sibi et mundo sint mortui, ut unice Deo et rebus coelestibus facile possint vacare.

De perfectis igitur solitariis loquendo, decernit, illorum conditionem perfectiorem esse quam coenobitarum; si autem talibus dotibus praediti non essent, eorum vivendi modum periculosissimum fore declarat.

Haud inutile erit ipsa verba S. Doctoris, quamvis sat prolixa, ex integro referre, cum fundamentum contineant eorum quae a nobis dicenda venient circa Regulares extra coenobia viventes. Considerandum est, ait, quod id quod est solitarium, debet esse per se sufficiens. Hoc autem est cui nihil deest, quod pertinet ad rationem perfecti. Et ideo solitudo competit contemplanti, qui iam ad perfectum pervenit.

(1) Lib. de operibus Monachorum, cap. 23.

Quod quidem contigit dupliciter. Uno modo ex solo divino munere, sicut patet de Ioanne Baptista, qui fuit repletus Spiritu Sancto adhuc ex utero matris suae. Unde, cum adhuc puer esset, erat in desertis, ut dicitur Lucae primo. Alio modo per exercitium virtuosi actus, secundum illud ad Hebraeos quinto: *Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.*

Ad exercitium autem huiusmodi iuvatur homo ex aliorum societate dupliciter. Uno modo quantum, ad intellectum, ut instruatur in his quae sunt contemplanda. Unde Hieronymus dicit ad Rusticum Monachum: « Mihi placet ut habeas sacrum contubernium nec ipse te doceas. » Secundo quantum ad effectum, ut scilicet noxiae affectiones hominis reprimantur exemplo et correctione aliorum, quia, ut dicit Gregorius, trigesimo Moralium super illud: *Cui dedi in solitudine domum:* quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? ». *Et ideo vita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis.* Solitudo autem competit iam perfectis. Unde Hieronymus dicit ad Rusticum Monachum: « Solitariam vitam reprehendimus minime, quippe quam saepe laudavimus, sed de nido monasteriorum huiusmodi volumus egredi milites, quos eremi rudimenta dura non terreant, qui specimen conversationis suae multo tempore didicerunt. Sicut ergo id quod iam perfectum est praeeminet ei quod ad perfectionem exercetur, ita vita solitariorum, si debite assumatur, praeeminet vitae sociali. *Si autem absque praecedenti exercitio talis vita assumatur, est periculosissima, nisi per divinam gratiam suppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur, sicut patet de Beatis Antonio et Benedicto.* »

Conclusio igitur S. Thomae ad solos referri potest solitarios perfectos; pro aliis autem multum abest quod solitudo perfectior aut saltem proficua censeri possit, ut econtra periculosissima sit habenda de mente ipsius S. Doctoris, nisi per divinam gratiam, et proinde per singulare devotionis studium et summam vigilantiam emolumentis vitae coenobiticae suppleatur, ut periculis obvietur.

Unde rectissime Salmanticenses hanc doctrinam Doctoris Angelici sequenti modo dilucidant (1): « Cum solitaria vita sit perfectorum, debite non assumeretur, nisi speciali Spiritus Sancti instinctu, nisi a viro religioso diutius in coenobio exercitato, et cum debita subordinatione proprii Superioris, per quem fit transitus a statu incipientium ad statum proficientium, ut sic deveniatur ad statum perfectorum. Et hinc fit periculosissimum esse, ut dixit S. Thomas, vitam solitariam immediate aggredi, idest, non prius transeundo per coenobiticam et socialem: ob idque talis modus vivendi non immerito fuit ab ecclesia sublatus: cum e contra utilissimus sit status religionis in vita communitatis; cum in eo adsit, quasi continuus obedientiae fluxus, et aliorum Fratrum adiutorium, per exemplum, correctionem et alia opera charitatis; multiplex occasio exercendi omnes virtutes, et maior opportunitas ad omnes defectus evitandos; ob idque merito dixit Suarez (2), quod humano modo loquendo modus vivendi omnino solitarius immediate assumptus non cadit sub humano consilio, nec potest dici simpliciter melior: sed solum cum addito: *nisi interveniat specialis instinctus Spiritus Sancti.* »

Per se igitur periculosissimus censendus est status solitariorum, tum quia carent magnis emolumentis vitae coenobiticae, quibus ad bonum excitentur et a noxiis cupiditatibus retrahantur, tum quia sibi relicti nec sibi sufficientes, si non fuerint perfecti, facile possunt contemplationis et mortificationis exercitia relinquere, ut turpi otio, occupationibus terrenis aut sensualitati se dedant, aut, clanculo vel aperte solitudinem deserentes periculosa quaerere consortia et sic in abyssum ruere peccatorum. Quod, quam frequenter acciderit, satis notum est ex Annalibus vitae solitariae, propter quod sancta mater Ecclesia talem vivendi modum prohibendum iudicavit.

Si haec principia et fata status solitariorum prae oculis habeantur, facile quisque intelligere poterit quid sit sentiendum de conditione Religiosorum qui in saeculo versantur.

Si periculosissimus dicendus est status solitariorum ob rationes allatas, nonne sub aliquo saltem respectu idem iudicium ferendum est

(1) Tract. XV de Statu Religioso, Cap. 1. Punctum I. n. 15.

(2) De Religione Tract. IX. lib. 1. Cap. 2. n. 16.

circa Religiosos, qui in saeculo manent a Fratribus segregati? Nonne potius plangendi sunt, quia innumeris exponuntur periculis, si non fuerint perfecti aut saltem sanctitatis acquirendae studiosi aemulatores, cum desint illis adminicula vitae claustralis ad quam fuerant vocati, et cui vix eos supplere continget?

Absque dubio et ipsi sibi relicti facile possunt sua abuti libertate, religiosae vitae exercitia relinquere, otio et sensualitati se dare, ac saecularia, suspecta vel illicita frequentare consortia, quibus non solum a perfectione, sed ab *ipsa* votorum et Regulae observantia miserum deflectitur in modum. Maioribus etiam quam ipsi solitarii non raro exponuntur periculis, cum in medio mundo pravo atque perverso versentur, ubi undequaque occurrunt laquei et insidiae; ubi nec aer ipse, qui respiratur, purus est; ubi ex omni parte circumstant obiecta quae virtutem tentationi exponunt, exempla quae ad peccatum trahunt, et tot ac tanta inveniuntur salutis obstacula ut merito Scriptura dicat: *(I. Ioan. V.) Mundus totus in maligno positus est.* Et alibi: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitae.* (*1. Ioan. II-16*). Ob quam causam etiam tot milliones hominum eum reliquerunt, monasticam vitam amplectentes, ut pericula, quae in saeculo timebant, evitarent, et animas suas salvas facerent.

Utinam, dilectissimi Fratres, pericula quae generatim recensuimus, deflenda non probarentur experientia! Sed, eheu! si fervidos Religiosos excipiamus, qui in vita conventuali nullo stimulo indigebant, sed, prae charitate *qua* flagrabant, disciplinam regularem et devotionis ac mortificationis exercitia in deliciis habebant, quam paucos alios invenies qui gradum virtutis et fervoris in coenobio acquisitum conservarunt in saeculo, aut in obligationibus sui status fideles permanserunt! Quam multi ad teporem declinarunt, et felicitatem vitae claustralis adeo oblivioni dedisse videntur, ut ad eam non modo non aspirent, sed libentius in saeculo manere quam ad conventum redire desiderant! Nonne etiam tales, si ad Claustra fuerint revocati, difficilius disciplinae regulari se denuo assuefacere possunt, et Confratribus suis potius sunt offendiculo quam aedificationi, potissimum in iis quae humilem submissionem, et perfectam vitam communem concernunt?

Tandem nonne aliquos reperies, qui non solum tepidam vitam in dispersione ducere convincuntur, sed triste insuper fecerunt naufragium multis transgressionibus contra vota monastica et Regulae praecepta, et qui, attestante et amare deflente Rmo P. Ministro Generali, corde durato aut mente obcaecata in via damnationis ambulare non horrescunt!

Horum omnium malorum si praecipuam et primariam causam nosse desideras, scias esse neglectum exercitiorum spiritualium, ad quem Religiosi sibi relicti nec sibi sufficientes tam facile perducuntur. Ex hoc enim fit, ut, spiritu vacuo et corde arido sine hoc sancto subsidio relictis, a desiderio rerum coelestium ad terrenas cupiditates trahantur, fervidorum fugiant consortia et inter familiares sibi seligant aut personas saeculares aut tepidos sacerdotes, quorum agendi modum et mores naturali propensione sequuntur, ac ita religiosum spiritum sensim sine sensu penitus amittant.

Videte quantis periculis exponantur Religiosi extra coenobia viventes, si spiritu non fuerint ferventes, et quanta propterea diligentia et sollicitudine ab eis essent servanda devotionis exercitia quae in conventibus praescribuntur, uti oratio, meditatio, lectio pia et examen conscientiae, ut contra tot et tanta salutis obstacula se possent praemunire, et in tantis periculis firmi consistere. Quomodo enim sine hoc sacro subsidio quis aspernabitur vanas mundi delicias? quomodo cordis proprii corruptionem ad terrena semper inclinantem superabit ac vincet, nisi continua oratione divinum promereatur auxilium? nisi continua divinae legis meditatione alte animo suo insculpta habeat mandata Altissimi, et ad vivum praesentes sibi sistat aeternas fidei veritates et gravissimas obligationes status sui religiosi?

Nisi igitur, in his sanctis exercitiis permanserint fideles, in magno versantur periculo ipsa vota solemnia et Regulae praecepta graviter violandi et sic animae salutem aeternam indubio exponendi discrimini.

(Continuabitur).

INSTRUCTIO
de
STATIONIBUS S. VIAE CRUCIS ERIGENDIS.

(Continuatio)

DE AUCTORITATE ERIGENDI STATIONES S. VIAE CRUCIS.

4. Auctoritas suprema et absoluta relate ad erectionem S. Viae Crucis residet in Pontifice Romano, Christi in terris Vicario, et in Sacris Romanae Curiae Congregationibus, quibus haec auctoritas ab Ipso fuit commissa.

5. Auctoritas ordinaria est penes Ordinem nostrum Seraphicum, seu penes corpus regularis et strictioris Observantiae S. P. N. Francisci (Observantium nempe, Reformatorum, Recollectorum et Discalceatorum), militans sub *immediato* regimine Ministri Generalis totius Ordinis S. Francisci, cui ratione concreditae Terrae Sanctae et diutinae custodiae sacrorum Redemptionis locorum ea auctoritas ex speciali privilegio fuit concessa *privative quoad alios quoscumque* a S. Sede sive immediate sive mediate non delegatos. Cf. *Monita* (Avvertimenti) S. C. Indulg. d. d. 3 Aprilis 1731 sub n. 1. *Decr. auth.*, Editio nova, n. 100; Prinzivalli n. LXVII.)

6. Haec vero S. Viae Crucis erigendae auctoritas Ordini concessa competit primario Superioribus, secundario, ex Superioris commissione, aliis Religiosis, qui tamen sint aut concionatores, aut saltem confessarii approbati. Cfr. *Monita* cit.

Superiorum autem nomine intelliguntur *omnes* et *soli*, qui ex canonica electione ac confirmatione vel legitima iuxta Ordinis statuta suffectione aut Rmi P. Ministri Gen. delegatione *actualiter* praesunt vel toti Ordini vel eius sectioni aut parti; scilicet:

a) Rmus P. Minister, Vicarius, et Delegatus (ad universalitatem causarum) *generalis;*

b) Adm. Rdus P. Minister, Vicarius, Commissarius *provincialis,* necnon Custodes regiminis; quibus accedunt Commissarii a Rmo P. Ministro Generali in aliquibus locis constituti cum Superioris potestate, ac Praefecti Missionum nostrarum immediate ab Ordine dependentium exercentes guardianalem auctoritatem in Missionarios, et etiam aliarum exterarum Missionum Praefecti, quibus, uti suis Commissariis, Minister Generalis Superioris regularis auctoritatem in ipsorum Missionarios delegavit (1);

c) Guardiani ac Praesidentes sive conventuum sive residentiarum, in capitulo vel congregatione legitime electi, aut extra capitulum vel congregationem rite iuxta Ordinis statuta in locum Superioris ordinarii suffecti; necnon eorumdem Vicarii, qui *absentis* (2) Guardiani vel Praesidentis vices canonice obeunt. Excluduntur vero Patres, quibus forte contigerit, ratione gradus vel antianitatis, Superiorum legitimorum absentium uno alterove die vices gerere, quum hi Superiores legales nulla ratione dici possint.

7. Non autem in omnibus aequalis est praefata Superiorum auctoritas; enimvero hoc inter eos intercedit discrimen, ut *Superiores Generales* facultatem erigendi Viam Crucis non tantum committere possint Ordinis alumnis, sed etiam eamdem delegare sacerdotibus saecularibus ac aliorum Ordinum et Congregationum religiosarum filiis; Superiores vero caeteri Stationes erigendi licentiam suis subditis tantum concedere valeant. Insuper Superiores Generales concedere possunt auctoritatem *subdelegandi,* sicuti concedi solet Ordinariis locorum eam a Ministro Generali postulantibus. Huiusmodi autem delegatio, commissio seu licentia ex ordinatione S. Sedis *scripto* concedatur necesse est, et quidem sub poena nullitatis, uti magis explicabitur inferius, ubi agetur *de conditionibus requisitis ad validam Stationum erectionem.*

8. Ut autem intelligatur quousque se extendat praefata auctoritas Ordini concessa, varia distinguenda sunt erectionis loca, ac

a) primo loco veniunt ecclesiae, publica oratoria, coemeteria, et alia loca publica: quibus in substrata materia omnino aequiparantur oratoria etiam interna aliaque communia loca decentia conventuum, conservatoriorum, hospitalium, aliorumque locorum itidem piorum.

(1) Cfr. *Acta Ordinis Minorum* Anni 1882, fasc. VIII p. 123 col. 1.

(2) Non sufficit autem absentia *qualibet,* sed requiritur talis, quae *rationabiliter* prohibeat, quominus expectetur reditus ipsius Guardiani vel Praesidentis ad Viam Crucis erigendam vel concedendam.

In praedictis locis Stationes Viae Crucis erigendi facultatem habent *omnes* Superiores, et ex eorum delegatione etiam caeteri Fratres concionatores vel confessarii approbati.

b) In oratoriis privatis seu domesticis *ex Indulto Apostolico erectis* (1), idest gaudentibus privilegio in iis celebrandi Missam, *solus Minister* (Vicarius, Delegatus) *Generalis* S. Viam Crucis erigere ac erigendi facultatem tum intra tum extra Ordinem delegare potest.

c) In oratoriis vero *non habentibus praefatum privilegium*, destinatis scil. *dumtaxat* ad *orandum*, necnon in *cellis domesticis* nulla Ordini competit auctoritas erigendi Viam Crucis. Ut igitur pro iis Stationes concedi valeant, requiritur indultum S. Sedis, quae tamen ordinarie remittit preces ad Rmum P. Ministrum Generalem Ordinis cum facultatibus necessariis et opportunis.

9. Notandum:

a) Quamquam ex verbis Brevis *Cum tanta* Benedicti XIV (supra n. 3 sub lit. *d* citatis) parochus quicumque possit eligere ex quolibet conventu, sive proximo, sive remoto, ad ipsius parochi arbitrium, quemlibet Fratrem Ordinis, ad excipiendas sacramentales Christifidelium confessiones approbatum, vel praedicatorem Verbi Dei, qui praevia Ordinarii seu Antistitis loci in scriptis obtinenda licentia, et de sui Superioris consensu ac permissu Viam Crucis erigat in parochiali ecclesia, sive alibi in eiusdem parochialis ecclesiae districtu, tamen ad vitandam confusionem pacemque servandam Rmus P. Minister Generalis hortatur Superiores, ne in concedendo huiusmodi consensu ac permissu limites Provinciae vel Guardianatus respective transgrediantur, nisi forte in aliquo casu speciali circumstantiae aliter suadeant.

b) Si agatur de erigenda Via Crucis in locis extra ecclesias vel oratoria, vel (ex rescripto S. Sedis) in cellis domesticis, curent Superiores, ut prius quam Stationes pro praedictis locis concedant, diligenter inquirant, num huiusmodi locus, ubi erectio facienda erit, sit *vere decens et irreverentiis minime obnoxius* (sicuti requiritur sub n. 3 in citatis *Monitis* d. d. 3 Aprilis 1731). Hinc erigi non possunt Stationes in cubiculis, vel locis alteri cuipiam usui domestico aut profano destinatis.

Iuvabit ex integro hic referre casum particularem S. C. Indulg. propositum, ut ex data resolutione inferri possit, quibus principiis S. Sedes in materia, de qua hic, procedat. Est autem qui sequitur:

« In monasterio N. Via Crucis erecta reperitur in quatuor distinctis locis; sed in uno ex iis necessitatis tempore non solum collocant Moniales aegrotas, verum etiam recreationes instituunt, Via Crucis tamen in praedictis circumstantiis ablata, ibique postea denuo reposita

« Quaeritur igitur;

« *An dictae Moniales visitantes in praefato loco Viam Crucis gaudeant indulgentiis?*

« SSmus D. N. Clemens Pp. XIII die 4 Augusti 1767 commisit confessario praedicti monasterii, onerando ipsius conscientiam, ut Viam Crucis ex loco, quo Moniales ad profanos usus hucusque usae sunt, omnino amoveat, et ibidem nunquam in futurum collocari permittat; visitet deinde tria alia distincta loca eiusdem monasterii, in quibus Via Crucis erecta reperitur, et videat, an decenter in ipsis servetur, et cum pari devotione pium eiusdem Viae Crucis exercitium in iis peragatur, ac stricte iniungat Monialibus, ne ullo anni tempore eadem loca ad alios usus convertant ». (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 236, Prinzivalli n. CCCII, paucis tamen aliis verbis).

c) Nihil obstat, quominus pro conventibus, monasteriis, conservatoriis etc. plura concedantur S. Viae Crucis exercitia ad maiorem visitantium commoditatem; et ratio ex S. Leonardo est, quia nec Brevibus Pontificiis, nec in citatis *Monitis* ullo modo innuitur S. Viam Crucis restringi ad unam tantum; imo potius contrarium erui potest ex n. 4 in saepe citatis *Monitis*. Ita erigi possunt, praeterquam in ecclesia, in *choro* pro Religiosis privatim vi-

(1) Sufficit Indultum Apostolicum *mediatum*; hinc non sunt excipienda illa oratoria, quae gaudent privilegio in iis celebrandi Missam ex concessione Episcopi, prout contingit in aliquibus dioecesibus, praesertim in Gallia. Qui ergo a Ministro Generali fuit delegatus ad erigendam Viam Crucis in oratoriis *ex Indulto Apostolico erectis* eamdem erigere valet etiam in oratoriis praefatis, quum supponi non possit Episcopum eiusmodi privilegium concessisse absque facultate a Sede Apostolica obtenta.

sitantibus, ne e choro egredi et cum populo commisceri teneantur, in *cappellis* aliisque locis internis (irreverentiis tamen minime obnoxiis) pro senibus et impotentibus, in *valetudinariis* pro infirmis et convalescentibus, in *hortis*, *viridariis* ac *nemoribus* coenobiorum pro solitudinis amatoribus, ad *moenia* conventuum in commodum saecularium de nocte visitantium, in *clivis* conventuum et alpestrium montium ad imitandas Stationes Montis Calvarii.

10. Haec de auctoritate Ordini nostro concessa. Quoad *extraneos* vero ab Ordine, dicendum, eos nihil omnino posse relate ad Stationes erigendas, nisi speciale obtineant indultum sive a S. Sede sive ab Ordinis Superiore Generali, prout inter alia documenta authentica patefacit haec, quae sequitur, S. C. Indulg. decisio: supplicata enim pro « solu« tione dubii sequentis: *An indulgentiae Viam « Crucis peragentibus a S. Sede concessae etiam « ad Vias Crucis erectas a non subiectis Ministro « Generali Ordinis S. Francisci de Observantia « extensae intelligantur?* Sac. Congregatio die « 25 Aprilis 1735 respondit: *Negative* » (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 108, a Prinzivalli autem non refertur); quam declarationem practice applicat eadem S. Congregatio in casu aliquo particulari ipsi mense Octobri eiusdem anni proposito; species autem facti erat haec: Archipresbyter loci Policastri, Dioecesis S. Severinae, sub praetextu facultatis obtentae in quadam ecclesia saeculari Viam Crucis erexerat. Itemque in terra Petraliae, Messanensis Dioecesis, P. Seraphinus Montis Regalis, absque ullo Superiorum suorum indulto in ecclesia matrici eiusdem terrae alteram Viam Crucis constituerat. Quum autem quaesitum fuerit, « *An sit confirmanda erectio Viae Cru« cis in casu?* Sac. Congregatio die 1 Octo« bris 1735 respondendum censuit: Quoad « Vias Crucis Petraliae: *suspendendas esse in« dulgentias*. Quoad vero Viam Crucis Poli« castri: *nullis frui indulgentiis* ». (*Decr. auth.* Ed. nova n. 112, a Prinzivalli similiter non relat.) Decisio haec specialem aliquam meretur considerationem, quum in ea non obscure innuatur discrimen, quod intercedit inter nostrates et extraneos relate ad erigendas Vias Crucis. Ex eo enim quod declaratur, *suspendendas* esse indulgentias Stationum absque Superiorum commissione erectarum a dicto Ordinis alumno, deducitur easdem non fuisse *omnino* seu *essentialiter* invalidas, ideoque nostrates possidere erigendi facultatem, ut ita dicam, *in actu primo*, quae tamen non est expedita nec effectum proprium producit, nisi accedat consensus sive commissio Superioris; de Via Crucis autem constituta ab Archipresbytero dicitur, eam *nullis frui indulgentiis*, utpote quae *essentialiter* est vitiata, ex defectu nempe *omnis* erigendi auctoritatis in erigente.

11. Quoniam vero exterorum facultas, si qua iis fuerit delegata, *totaliter* fundatur in obtento indulto, patet eandem restringi intra terminos eiusdem, exclusa qualibet interpretatione quae dicitur *extensiva*, uti constat ex decreto S. C. Indulg. in *Tornacen.* diei 14 Decembris 1857, quo eadem S. C. declaravit, per formulam rescripti, qua facultas erigendi Viam Crucis limitatur ad « ecclesias « seu publica vel privata oratoria de Dioecesi « locorum, in quibus Ordo Min. Observ. « S. Francisci Assisiensis non existit, » *censeri prohibitum, quominus Via Crucis erigatur extra ecclesias, vel oratoria sive publica sive privata, ex. gr. in coemeteriis vel in claustris.* (*Decr. auth.* Ed. nova, n. 382 ad 3; Prinzivalli n. DCLXXIII.) Notandum vero occurrit:

a) nomine *ecclesiarum publicarum* in huiusmodi concessionibus intelligenda esse etiam oratoria auctoritate Episcopi instituta, et per viam publicam ingressum habentia (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 365 ad 1; Prinzivalli n. DCL).

b) per *loca, in quibus Ord. Min. Observ. S. Francisci Assisiensis non existit*, intelligenda esse in casu civitatem, oppidum, pagum cum respectivis suburbiis, sive locis iis adiacentibus, non vero paroeciam vel universam dioecesim, aut aliam quamlibet dioecesis sectionem, seu partem. (Decr. S. C. Indulg. in *Tornacen.* cit. ad 1 et 2.)

c) delimitationem facultatis ad *loca, ubi Ordo Min. Observ. S. Francisci non existit*, et *ad ecclesias et oratoria tantum* eiusmodi locorum apponi sub poena nullitatis, ita ut Via Crucis ab extraneo ab Ordine nostro in locis, in quibus laudatus Ordo exstat, vel extra ecclesias seu oratoria erecta, denuo erigenda sit. (Decr. cit sub lit. b ad 4.) Idem ob paritatem rationis dicendum de aliis clausulis restrictivis,

si quae in indulto obtento appositae habeantur.

12. Tandem animadvertendum ex declaratione S. C. Indulg. diei 5 Februarii 1841 (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 286 ad 2; Prinzivalli n. DVI.), facultates ab Apostolica Sede (ideoque et a Ministro Generali Ordinis) obtentas exhibendas esse Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum rescriptis, et haec obligatio est distincta ab obligatione obtinendi licentiam Ordinarii loci, ac consensum parochi ac Superiorum Ecclesiae etc., ubi de *Via Crucis* erigenda agi contigerit (de qua re agetur inferius). *Regularibus* autem exteris sufficit testimonium sui Praelati mentionem facientis rescripti delegationis, ut Episcopus eis Stationes erigendi licentiam dare possit. Praedicta tamen valent de extraneis ab Ordine tantum; nostratibus enim, utpote qui *jure ordinario* Vias Crucis erigunt, nulla incumbit obligatio praesentandi Superioris deputationem, nec ullo iure exigere id valet Ordinarius (nisi forte rationabiliter suspicetur, Religiosum esse apostatam, suspensum etc.), excepto forsan casu erectionis faciendae ex speciali indulto S. Sedis in cellis domesticis ac oratoriis privilegio in iis celebrandi missam non gaudentibus, in quibus ex dictis nec Ordo ullam ex semet possidet erigendi Viam Crucis auctoritatem.

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1882 celebrata.

—

XXI.

Recoll. Provincia Hiberniae.

Die 9 Augusti, praesidente A. R. P. Rogerio Verbiest, Custode Rec. Provinciae Belgii, in Conventu Dublinensi rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Alphonsus M. Iackman.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Josephus Cleary.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Aloysius Murtagh.
R. P. Vincentius O' Connor.
R. P. Ludovicus Cassidy.
R. P. Laurentius Browne.

Haec Provincia habet sequentes Conventus:

Dublin
Multyfarnham
Wexford
Waterford
Drogheda
Athlone
Thurles
Ennis
Carrick-on-Suir
Clonmel
Cork
Limerick
Galuay
Waverley (in Australia)
Romae, Collegium S. Isidori
Capranicae, Colleg. S. Mariae.

—

XXII.

Ref. Prov. Genuae S. Antonii

In Conventu Genuensi die 17 Augusti, praesidente A. R. P. Canuto a Plebe S. Stephani, Praefecto Recessus Incontri, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Petrus a Riparolio

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Basilius a Neirone

DEFINITORES PPROVINCIAE:

R. P. Augustinus a Begato.
R. P. Augustinus a Stella.
R. P. Seraphinus a Sarzana
R. P. Octavianus a Savona.

Ante suppressionem haec Provincia sequentes habuit Conventus:

S. Fruttuoso prope Genova, S. Mariae *del monte.*
Genova, S. Mariae pacis.
Voltri, S. Mariae Angelorum.
Levanto, Annuntiationis B. M. V.
Sarzana, S. P. N. Francisci.
Spezia, S. P. N. Francisci.
Pietra Ligure, S. Mariae Lauretanae.
Rivarolo Ligure, Nostrae Dominae a misericordia.
Vernazza, S. P. N. Francisci.
Albisola, S. Mariae pacis.

(Continuabitur)

III.

MISSIONES

—

STATUS

Missionis de Hu-nan Merid. anno 1882.

Missionarii Europaei simul	3
Sacerdotes Sinenses	9
Studentes Theologiae et Philosophiae	9
» Grammaticae	14
Scholae doctrinales puerorum et puellarum	8
Alumni	145
Christiani	3607
Christianitates	65
Virgines	56
Tertiarii et tertiariae S. Francisci	62
Ecclesiae	10
Capellae	14
Residentiae	8
Sermones ad infideles circa	916
» ad fideles	1870
Adulti baptizati	281
Catechumeni	487
Baptismi puerorum e Christianis	178
Confirmationes	182
Confessiones annuales	3307
Communiones annuales	3140
Communiones de devotione	9784
Extremae Unctiones	59
Matrimonia	64
Defuncti	172

Relatio S. Infantiae

Pueri infirmi ex infidelibus baptisati	4087
Puellae expositae susceptae	239
Pueri suscepti adhuc viventes	436
Orphanotrophia	3
Puellae	109
Pueri	65

† *Fr. Eusebius M. Semprini*
Vic. Apost.

—

STATUS

Custodiae Terrae Sanctae mense Octobri 1882

Conventus	9	42
Hospitia	33	
Ecclesiae et capellae		60
Sanctuaria		75
Conventus studiorum		6
Novitiatus		1
Schola Seraphica pro Postulantibus		1
Collegium		1
Scholae elementares		37
Orphanotrophia		3
Typographia		1
Aliarum artium officinae		16
Catholici, quorum curam habent Patres T. S.		55,398
Iuvenes exteri in artium officinis occupati		50
In schola	pueri	1726
	puellae	880
Magistri scholae	Religiosi T. S.	36
	Saeculares	34
	Moniales	8
	Saeculares	8
Defuncti		1080
Matrimonia		306
Baptizati		1405
Orphani expensis Cust. educati		143
Pauperes, qui victum etc. a Cust. accipiunt		2448
Eleemosynae pauperibus elargitae		98971

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

Cutin lio sciuo cepu sciu sce chizeti ta tienchiu zan tienti tau tienzu tianscian na sutien gnenliti scetin *(Latine*: Compendium Veteris Testamenti, quod comprehendit spatium 4000 annorum a creatione mundi usque ad Incarnationem Domini). Praelo editum in Zinanfu ab illustrissimo et Reverendissimo Eligio Cosi, Ordinis Minorum de Observantia, Vicario Apostolico Provinciae Scianton, in Imperio Sinensi, anno Domini 1875.

Sciamu scianue (*Latine:* Mensis marianus), Praeloeditus, ut supra anno Domini 1880, editio secunda.

Lienu scianue (*Latine:* Mensis Purgatorii). Praelo editus, ut supra, anno Domini 1878.

Haec pietatis opuscula composuit et scripsit Reverendissimus supradictus Eligius Cosi pro fovenda in imperio Sinensi fide christiana. Postea eadem vertit in linguam Sinensem, qua in versione duos sibi discipulos

associavit, nempe Paulum Siu et Hieronymum Scian, utpote qui perfecte idiomatis illius naturam cognoscebant, quique tertio Ordini Sancti Francisci sunt adscripti.

Nunc autem Prati in Tuscia curat editionem novae Grammaticae eiusdem linguae Sinensis iuxta novam methodum a se inventam.

Opera edita

R. P. Vincentii Mariae Gredler, Ord. S. Franc. Ref. Prov. Tirol. S. Leopoldi, Directoris Gymnasii priv. Bulsanensis.

A. *Opera.*

1. Die Kaefer von Tirol (*Latine*: *Coleoptera* Tirolens.) nach ihrer horizontalen und verticalen Verbreitung; I. Pars 1863; *II.* 1866. Bozen. Ferari.

2. Die Kaefer von Passeir (*Latine*: Coleopt. Passariae). I. II. Zeitschrift des Ferdinandeum's 1854 — 1857.

3. Tirol's Land-und Süsswasser-Conchylien (*Latine:* Conchylia Tiroli) I. Pars. 1856; II. 1859. Verhandl. d. zoolog. botan. Ver. in Wien.

4. Ethische Naturbilder (*Latine*: Imagines ethicae ex hist natur.) Brixen. 1876. Weger.

B. *Opuscula et dissertationes.*

5-10. Nachlesen zu den Kaefern von Tirol. (*Latine:* Spicilegia ad Coleopt. Tirolens.); I.-IV. in Harold's - Coleopter. Heften; V. und VI. in der Zeitschrift des Ferdinandeum's.

11. Zur Kaeferfauna Centralafrica's (*Latine*: ad Faunam Coleopt. Africae centralis). Verhandl. d. K. K. zoolog. botan. Ges. in in Wien, 1877.

12. Beitrag zur Kaeferfauna Oberegiptens, (*Latine:* Collectan. ad Coleopter. Faunam *Egypti* superioris). Ibid. 1881.

13. Zur Kaeferfauna des Möll-und Gailthales in Kaernthen (*Latine:* ad Coleopt. Faunam Carinthiae). Iahrb. d. naturhist. Landesmuseum's für Kaernthen 1867.

14-16. Nachlesen zu Tirol's Land-und Süsswasser-Conchylien (*Latine*: spicilegia ad Conchylia Tirolens.): zoolog. botan. Gesellsch. 1869, II. und III. Nachrichtsbl. 1872, 1879.

17. Conchyliologisches aus dem Nordosten Tirol's (*Latine*: Conchyliologica ex Tirolo septr.). Verh. d. zoolog. bot. Ges. 1860.

18-23. Kritische Fragmente (*Latine:* Fragmenta critica). I. - VI. Nachrichtsbl. der deutsch. malacol. Ges. 1874-1879.

24. Zur Mollusken-Fauna der Herzegowina (*Latine:* ad Molluscor. Faunam Herzegowinae), Nachrbl. d. deutsch. malacol. Ges. 1879.

25-28. Zur Conchylienfauna von China (*Latine:* ad Conchyl. Faunam in China); 4 Stück mit 2. Taf. Abbild. Iahrb. d. deutschen mal. Ges. 1878-1882.

29. Uebersicht der Binnenschnecken von China (*Latine:* Conspectus Conchyl. terrestrium in China). Malacolog. Blaetter, Kassel. 1882.

30. Verzeichniss der Conchylien. Tirol's (*Latine:* catalogus Conchylior. Tirolens.): Bericht d. naturw. mediz. Ver. in Innsbruck, 1879.

31. Tirol's zoologische Literatur (*Latine*: Litteratura zoologica Tirol.). Seit dem Iahre 1850 bis 1880 alle Quinquennien (6 Exempl.) Zeiteschr. d. Ferdinandeum's.

31. Kleine Erzaehlungen aus dem Thierleben (*Latine:* Narratiunculae ex vita animalium); Zoolog. Garten. 1878. 1879. 1881.

C. Tractatus.

32-35. Beitraege zu den monstroesen Erscheinungen thierischer Organe; I. - IV. Regensburg. Corresp. 1858, 1869, 1875. 1877.

36. Eine coleopterologische Excursion auf die Stamser Alpe,. Ibid. 1863.

37. Excursion auf Ioch Grim. Topographisch-faunistische Skitze. Innsbruck. Wagner, 1866.

38. Excursion nach Vallarsa. Nachrichtsbl. d. deutsch. malac. Ges. 1880.

39. Excursion in's Ampezzothal. Ibid. 1882.

40. Rhynchota Tirolensia. Verhandl. d. K. K. zoolog. botan. Ges. 1870. cum spicilegio; Ibid. 1874.

41. Herpetologische Beobachtungen aus Tirol. Regensbg. 1882.

42. Herpetologische Correspond. Zoolog. Gart. 1875.

43. Leucismen und Melanismen von Vögeln (und Säugethieren). Ibid. 1873.

44. Ueber Albinismus, Melanismus, und Leuco-Melanismus. Mittheil. d. ornit. Ver. in Wien.

45. Die Alpenkaefer und die Eiszeit. Zeitschr. d. naturw. Ver. in Hermannsstadt. 1856.

46. Der Seiseralpen-Gletscher der Vorzeit. Corresp. v. Regensburg, 1873.

47. Ueber die um Lankowitz vorkommenden Conchylien. Verh. d. zoolog. botan. Ver. 1856.

48. Beitrag zu einem zoologischen Idioticon. Deutsche Mundarten v. Fromman. 1856.

49. Zur geographischen Verbreitung der Ameisen in Oesterreich. Verh. d. zoolog. bot. Ges. 1859.

50. Naturbilder. Bozen 1862.

51-53. Die Thiere des Feigenbaumes; VI. Bericht d. naturforsch. Ges. von Bamberg; die Thiere des Kastanienbaumes, IV. Ber. Ibid.; die Thiere des Rebstockes, X. Ber. Ibid: (Monographien).

54. Zum Hypnotismus der niedern Thierwelt. Zoolog. Gart., 1873.

55. Conchylien aus Centralafrica. Nachrbl. d. deutsch. malac. Ges. 1875.

56. Der Steinehandel Tirol's laengs der Brennerbahn. « Andr. Hof. » 1879.

D. *Programmata Gymnasialia.*

57. Die naturwissenschftlichen Zustände Tirol's, I. Prg. Bozen. 1851.

58. Bemerkungen über einige Conchylien der Gattungen Pupa und Pomatias. III. Prg. 1853.

59. Die Ameisen von Tirol. (mit Bestimmungs-Tabellen). VIII. Prg. 1858.

60. Erster Beitrag zur Dipterenfauna Tirol's. Prg. 1861.

61. Die Urgletscher-Moraenen aus d. Eggenthale. XVIII. Prg. 1868.

62. Fauna der Kriechthiere und Lurche Tirol's XXII. Prg. 1872.

Insuper idem Auctor collaboravit pluribus auctoribus, et edidit ultra centum dissertationes et tractatus in variis periodicis scientificis, ephemerid. materiae historiae naturalis, criticae, artificialis, gymnasialis, agriculturae, litteraturae, biographiae, etc.

1880. La Vita spirituale della B. Battista Varani dei Duchi di Camerino, scritta da essa. (*Latine:* Vita spiritualis B. Baptistae Varano, e ducibus Camerinensibus, ab ipsamet scripta.) Camerino, Tip. Savini, in 18. — (Fr. 0, 60 et pro decem exemplaribus Fr. 5, in favorem expensarum Causae canonizationis).

1882. Orazione Panegirica, che in occasione del settimo Centenario della nascita di S. Francesco d'Assisi diceva il M. R. P. Antonio Maria da Genzano, Lettor Generale di Eloquenza sacra, ed ex-Ministro Provinciale dei M. Riformati di Basilicata, nella chiesa parrochiale di Banzi, archidiocesi di Acerenza, (in 8 pag. 23.)

1882. S. Francesco d'Assisi e il suo apostolato religioso e civile. Orazione panegirica di Giacoboni D. Pietro, Canonico della cattedrale di Piacenza.

Voghera, tipog. successori Gatti, in 12. pag. 29.

P. Robertus Kauk Lector s. Theologiae in Provincia s. Joannis Capistrani, Austriae edidit:

Evangjelite - Za sate nedeli, etc. (Latine: Pericopas Evangeliorum etc.) lingua Bulgarica. Temesvar.

Zabavno - pucke - Pripoviedke (Latine: Enarrationes populares). Baia 1880. lingua croatica.

Gorha Muka i tezka smrt Gospodina Isu-Irsta Ovkupiteljo nasega. (Latine: amara passio et mors Dni J. Christi etc.) Baia 1882, lingua croatica.

Juditha ili Vjera i Domovina (Latine: Juditha seu Fides et Patria.) Baia 1883. lingua croatica.

V.
NECROLOGIA

Admodum Reverendus Pater Bernardus Maria de Gypso, provinciae et archidioecesis Theatinae in Aprutio citeriori honestis ortus parentibus Nicolao de Liberato et Maria Josepho Troilo die 2 Januarii anno huius saeculi primo, pueritiam domi et extra sub avunculi Ecclesiastici viri, disciplina transegit ad annum usque 1818; quo tempore seraphicum induit habitum in Conventu S. Angeli prope Archiepiscopalem Auxani civitatem, ubi etiam Sancti Bernardini almae observantis provinciae filius evasit solemni peracta regulae professione mense maio sequentis anni 1819.

Cum esset autem ingenio et moribus optimae spei adolescens, Perusiam in seraphica provincia missus, philosophicis theologicisque studiis ita operam navavit, ut in principe Ordinis Coenobio Romae, praevio concursu, Lector utriusque facultatis fuerit institutus, easque in Aquilano studio generali primae classis nostratibus tradidit: quo in loco inter suos alumnos illos aliquando habuit, quos deinde Episcopos recordatus est, alterum Fodianum, alterum Bovinensem.

Ipse autem laurea donatus, et virtutibus *adprime* fulgens omnibus etiam fere inclaruit Instituti honoribus; onera siquidem laudabiliter gessit Definitoris, Custodis, Ministri Provincialis, Visitatoris generalis, Capituli Praesidis. In omnibus porro regularis observantiae zelo fervuit, optimumque nomen apud confratres et apud fideles semper tenuit. Duabus occasionibus tamen eius virtus magis apparuit; tum scilicet expulsione e conventu Lamae in Pelignis anno 1864, et detrusione in carcerem per quadraginta dies una cum Fratribus, quas *non minus* innocenter quam laetanter sustinuit; tum amissione visus anno 1867, qua in tribulatione Deo gratias agebat, quod mentis lumen ei bene servasset. Quibus purgatus tribulationibus, die 23 Februarii elapsi nuper anni 1882, post unam tantum diem languoris (die siquidem 21 celebravit, et celebrasset etiam die 22, nisi confessarius aliter consuluisset) feliciter Deo spiritum reddidit apud suos consanguineos, magno concivium dolore, qui affectu eum omnino insueto honestarunt. Ipsius vero memoriam semper in benedictione habebunt omnes, non solum quia praedicator fuit faciens ac docens, animarumque director pius et prudens; verum praeterea, quia omnibus affabilis et venerandus, omnibusque acceptus et charus erat. Cuius anima benedicta, per misericordiam Dei, requiescat in pace, nostrique memor existat.

—

Die 13 Maii anno 1810, Amastrae in Civitate honestis natus est parentibus ADMODUM R. P. JOANNES BAPTISTA AB AMASTRA. Pueritia probe transacta, pubertatem attingens Ordini Minorum Reformatorum nomen dedit. Studiorum curriculo tam passive quam active laudabiliter confecto, Provinciae Vallis Daemonis secretarius bis electus, Definitor ac Minister Provincialis evasit et tandem Ordinis Definitor Generalis, multarumque Provinciarum consiliis Praeses Generalis, et postremo in Pactensi, Herbitensi et Iaciensi Dioecesibus Examinator Synodalis. Ingenii acumine, doctrina et vera eruditione clarus solidarum se praebuit exemplar virtutum.

Quacumque remota ostentatione, temporibus ac necessitatibus sapienter et admirabili rectitudine inserviebat absque ulla simulatione humillimus. Morum gravitatem vitaeque continentiam, in adversis invictam doloribusque patientiam, atque insignem in prosperis temperantiam semper ostendit. In Beatissimam Virginem singulari devotione tenerrimus laudes concinne composuit; magnoque praedicavit fervore eius protectione usque confisus. In SS. Eucaristiae adoratione, in Missae celebratione, omnibusque huius Mysterii sermonibus, se verae pietatis formam dedit conspiciendum.

Quintum supra quadragesimum praedicationis quadragesimalis cursum perfecit, necnon et spiritualia exercitia saepe dedit sacerdotibus; vitae reliquum vel in confessionibus audiendis, vel in librorum lectione et scriptione insumebat; et has dedit productiones: 1. *Il Papa o sul trono o sulla croce.* Quo quidem opere Pius Papa IX doctorali in Accademiae sapientiae munere auctorem decoravit. 2. *Sul programma demagogico - Libera Chiesa in libero stato - concetto erroneo, mendace e subdolo.* - 3. *Il Verbo divino centro di unità.* - 4. *Esame critico di un discorso di Filippo Errante.* 5. - *S. Bonaventura e il secondo concilio di Lione.* - 6. *L' ontologismo e la questione inedita del Serafico Dottore.*

Huiusmodi vero opuscula licet egregia, parvi facienda, si cum postremo illo compararentur, quod inceptum assiduis duorum annorum laboribus perficere, praeveniente morte, non potuit, eruditissimum scilicet de exercitiis spiritualibus clero dandis tenerrimum opus.

Die septima mensis Maii anno 1882 longum ac poenosissimum perpessus patientissime morbum, sacramentis rite munitus, imagini Beatissimae Virginis Mariae, quam veluti matrem semper coluit, fixis continenter oculis, serenus aspectu et revere exultans obdormivit in Domino, Aci Catenae, ubi diu commorabatur.

Admodum Rev. P. Theodorus Maria a Cariniano. Die 3 elapsi mensis Decembris magnam iacturam subiit Minorum Observantium Pedemontana Provincia, quae mortis adm. R. P. Theodori Mariae a Cariniano, S. Theologiae Lectoris Jubilati, iam Ministri Provinciae et Generalis Definitoris, inopinate nuntium accepit. Doluit enim ac dolet in defuncto virum praestantem ingenio et scientia, Religiosum sibi valde charum, addictissimum ac in praesenti calamitate vere necessarium fulcimentum.

Ortus Cariniani die 3 mensis Februarii an. 1821, seraphico indutus habitu die 27 Martii 1836, eadem die et mense sequentis anni solemnem emisit professionem.

Vix inter Consodales professos cooptatus multarum virtutum, praesertim vero humilitatis, despectus sui, pietatis et Regularis Observantiae specimina dedit.

Philosophiae ac Theologiae studiorum curriculo emenso, hanc et illam multa cum laude et plaudentibus Taurinensis S. Collegii Doctoribus publice defendit.

Provinciali postmodum Taurini indicto concursu, Philosophiae edocendae Cathedram facile obtinuit. — Mox huius triennali expleto Lectoratu, Vipisium profectus ad S. Theologiae Cathedram evehendus, omnium primam promeruit.

Eloquio facilis, in rebus praebendis iisque communicandis speciali mentis acie et dicendi claritate ditatus natura et aucta studio, quo cum discipulorum profectu tum Philosophiam tum Theologiam tradiderit, ultro et grati adhuc ipsi eius testantur Alumni. Quod vero prae tot egregiis dotibus maxime illi conciliabat amorem aeque ac reverentiam, comitas fuit, affabilitas, humilitas, quae Virum sapientem comitabantur, quaeque omnibus acceptissimum reddidere.

Post adeptam Sacrae Theologiae Jubilationem in Ministrum Provinciae assumptus, singulari plane zelo disciplinam et Regularem Observantiam promovit, ac in pluribus instauravit.

Provinciali ministerio functus laudabiliter, pro eo quo flagrabat, divinae gloriae amplificandae studio, et animarum salutis promovendae, Verbo Dei praedicando se totum dedit, et alacriter omne pene praedicationis genus complexus est, et complevit semper cum populorum magna frequentia et multo animarum fructu ex ipsa Episcoporum omnium confessione, qui Eum concionantem adscivere, et quibus proinde ita fuit acceptus, ut et ipsi eius obitum corde lamentati sunt.

Post invectam in Regionibus nostris domorum Religiosarum civilem suppressionem, singularis eius in regularem observantiam amor et studium praecipue enituit. Nam e coenobio S. Bernardini Salutiis ubi et studio et orationi intentius vacabat, exturbatus, non saeculum vel dimisso vel retento habitu repetiit, cui aliquando valedixerat; sed domi cum sociis paucis dono habitae se recepit, in eaque meliori quo poterat modo Regulam observando mansit, donec in Seminarium Clericorum saecularium praeceptor adscitus, munus edocendae Theologiae, suo adhuc indutus habitu, resumpsit.

Quo interim tempore, habitis Romae Generalibus Comitiis, in iisque Generalis Definitor electus, adeoque illuc a Rmo Ministro Generali accitus, quo studio, quave animi constantia rebus Ordinis gerundis, aegra licet valetudine, incubuerit, norunt Curiae generalis socii officiales. Exinde porro in Dalmatiam missus pro sacra generali Visitatione, quo zelo et quali dexteritate officium commissum impleverit cum illius Provinciae utilitate, ex habitis relationibus sat potest constare.

Id tandem adhuc mirandum, ac memoratu dignum, studium nempe et labores ab eo impensi, ut huic Provinciae, quam pene emortuam aut vix renatam post eius a Roma reditum invenit, suppetias ferret, et eius necessitatibus subveniret. Licet enim iam pene laboribus fractus, haud tamen renuit gravius in pietate et scientia iuvenum instituendorum onus suscipere, illudque ferre ad mortem usque; eo gravius, inquam, quo maiori patientia opus erat eo ferendo ac generosiori.

Obiit in nostro Coenobio S. Mariae Cretae Montisferrati, annos natus 62.

Nihil obstat
Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM

S. R. C. pro approbatione Officii B. Hugolini Conf., T. O.

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI (1).

Quum ab anno 1856 confirmatus fuerit cultus publicus ecclesiasticus, quo ab immemorabili tempore fruebatur Beatus Hugolinus Magalotti, Eremita, Confessor Tertii Ordinis Sancti Francisci, Rmus Pater Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis Ordinis Minorum, expetivit ut ab Alumnis totius Ordinis, cui praeest, Festum de hoc ipso Beato quotannis die 20 Decembris peragi valeat sub ritu duplici minori et cum Officio et Missa de Communi Confessoris non Pontificis, additis Oratione et Lectionibus secundi Nocturni propriis, quas una cum Elogio in Martyrologio Ordinis inserendo Sacrorum Rituum Congregationis approbationi subiecit.

Quum itaque Emus et Rmus Dnus Cardinalis Franciscus Ricci Parracciani huius Causae Ponens eiusmodi preces retulerit in Ordinario Sacrae ipsius Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum omnium examen, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Pro gratia, et ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei.*

Quare a praefatis Cardinale Ponente et Sanctae Fidei Promotore requisita revisione peracta, sacra eadem Congregatio propositas Orationem et Lectiones secundi Nocturni, una cum Elogio Martyrologii, approbavit, atque in usum Alumnorum Ordinis Minorum Sancti Francisci, in Festo supradicti Beati Hugolini iuxta preces celebrando, benigne concessit. Die 9 Decembris 1882.

Loco ✠ Sigilli.

D. Cardinalis BARTOLINIUS,
S. R. C, Praefectus.

Laurentius Salvati, S. R. C. Secret.

(1) Quamvis primum, uti ex hoc S. R. C. Rescripto liquet, Officium B. Hugolini sub ritu duplici minori die 20 Decembris celebrandum concessum fuerit, postea tamen, accedente eiusdem S. Congregationis indulto, quod infra dabitur, mutari debuit. Quapropter decernimus et mandamus ut Officium B. Hugolini inseratur in Calendario Ordinis die 22 Decembris sub ritu *semiduplici ad libitum et simplici de praecepto.*

Dat. Romae, ex Aracoeli, die 14 Februarii 1883.

Fr. BERNARDINUS, Min. Gen.

—

RESCRIPTUM S. C. DE PROPAGANDA FIDE

Quo ad aliud decennium prorogantur facultates Missionariis nostris tam indigenis quam exteris concessae.

Beatissime Pater

Fr. Bernardinus a Portu Romatino Franciscanorum Generalis Minister ad S. V. pedes provolutus humiliter exponit:

Summus Pontifex fel. rec. Pius IX supremo suo Autographo d. d. 26 Ianuarii 1863 ad decennium concedere dignatus est, et confirmavit deinde alio suo Authographo d. d. 16 Iunii 1873 pro *Missionariis indigenis* Oratoris

iurisdictioni subiectis, facultatem benedicendi Crucifixos, coronas precatorias, numismata etc. eisdem consuetas indulgentias adplicando tempore Missionum vel Exercitiorum spiritualium; et in ultima concione impertiendi Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria.

Deinceps Pontificio Rescripto d. d. 10 Augusti 1873, cuius conforme apographum hisce adnectitur, praelaudata Sanctitas Sua easdem gratias et facultates extendere dignabatur ad omnes Missionarios Franciscanos *extra Italiam* ubicumque fuerint, dummodo Oratoris iurisdictioni subsint.

Modo cum utriusque Rescripti decennium proxime ad finem vergat, humillimus Orator Sanctitatem Vestram rogat ut supradictas facultates prorogare dignetur pro Missionariis Franciscanis tam indigenis, quam non indigenis, scilicet pro Sacerdotibus Ordinis Concionatoribus qui Exercitiorum vel Missionum cursibus dandis vacant, sancte pro animarum salute laborantes, *durante talium Exercitiorum vel Missionum tempore.*

Quod Deus etc.

Ex Audientia SSmi diei 25 Februarii 1883.

SSmus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, benigne annuere dignatus est pro gratia prorogationis ad aliud decennium, in forma et terminis (1) transactae concessionis.

Datum Romae ex Aed. dictae S. Congregationis die et anno ut supra.

† D. Archiep. TYREN. Secr.

—

RESCRIPTUM

S. C. Indulg. quo conceditur Tertiariis facultas lucrandi Indulgentias Tertii Ordinis, dummodo infra octo dies antecedentes confessi fuerint et in gratia Dei perseveraverint.

Beatissime Pater

Tres Franciscalium Generales S. V. humillime supplicant ut sequentes gratias concedere dignetur:

(1) Prioris concessionis textum in extenso dederunt *Acta Ordinis* anni elapsi 1882, pag. 21.

I. Ut ad Indulgentias, quae Confessionem requirunt, lucrandas, Tertiariis saecularibus sufficiat confessos fuisse intra octo dies immediate praecedentes (etsi nec usum habeant semel in hebdomada Confessionem peragere, nec in loco sit Confessariorum penuria), dummodo tamen, eo die quo Indulgentia occurrit, contriti sint et in statu gratiae.

II. Ut iidem Tertiarii qui morbo impediti Ecclesiam visitare nequeunt die (vulgo) *del Perdon d'Assisi,* Indulgentiam eiusmodi tamen *toties quoties* consequi possint, loco Visitationis Ecclesiae, praeter Confessionem et Comunionem, aliud pium opus a S. V. praescribendum peragendo.

III. Ut Sacerdos a Superiore, vel ab Ordinario, pro Monialibus respective subiectis facultatem habens, dum publice Absolutionem Generalem, vel Papalem Benedictionem impertitur; si Frater Minor vel Tertiarius sit, eo ipso quo caeteris impertitur, omnes adnexas spirituales gratias ipsemet quoque consequatur.

Quod Deus etc.

Ssmus Dominus Noster Pius PP. IX in Audientia habita die 18 Iunii 1876 ab infrascripto Card. Praefecto Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisq. Reliquiis praepositae, ad Secundum respondit *Negative;* ad Primum et Tertium *benigne annuit pro gratia,* servatis reliquis conditionibus pro unaquaque Indulgentia lucranda requisitis, necnon caeteris de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis, die 18 Iunii 1876.

I. Card. FERRIERI, Praef.

L. S.

Dominicus Sarra, Substitutus.

II.

ACTA ORDINIS

—

DECRETUM

Rmi P. Ministri Generalis concernens
Calendarium Ordinis
in posterum disponendum.

—

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROVINCIAE EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
S. R. C. CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS

DECRETUM

Ex variis Ordinis nostri Provinciis anno elapso quamplurimas accepimus litteras, in quibus Ministri Provinciales vel Calendaristae Nobis exposuerunt, ob nova officia recitanda magnas difficultates in conficiendo annuo Calendario ortas esse, et ob penuriam dierum in Calendario Ordinis vacuorum in non paucis locis Calendarium annuum secundum Rubricarum regulas deinceps confici non posse. Quae difficultates adhuc augebantur ob quinque nova Officia a S. Sede pro Ecclesia universa praescripta necnon ob Officium B. Hugolini Confessoris tertii Ordinis nuper a S. Sede Ordini nostro concessum.

Praefatis difficultatibus ut opportune occurreretur, de adhibendo remedio pro muneris Nostri debito serio cogitavimus, ac propterea totum negotium in pleno congressu Definitorii Nostri Generalis deliberandum proposuimus. Hac re diu et mature perpensa atque discussa, Patres unanimiter convenerunt in sententiam implorandi Apostolicum Indultum, quo supramemoratae difficultates amoverentur, quin tamen tales mutationes in Ordinis Breviario fieri deberent, quae usum impressorum Breviariorum difficilem aut inutilem redderent. In hunc finem pronum erat petere facultatem, qua Festa perpetuo impedita in dies a Festis semiduplicibus occupatos fixe reponere et de ipsis semiduplicibus sub ritu simplici agere possemus. Verum rescientes ex una parte, S. Rituum Congregationem tale privilegium nobis vix fore concessuram, eiusque intentionem potius esse, ut aliqui ex Beatis Ordinis nostri ad ritum simplicem redigerentur; et ex altera parte Festa nostra, in quantum fieri posset, conservare cupientes: supplices preces sequentis tenoris S. Rituum Congregationi porreximus, et hoc Rescriptum obtinuimus:

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI

Rmus Pater Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis totius Ordinis Minorum, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII humiliter exposuit: Praeter festa in Calendario praefati Ordinis descripta, ab Alumnis eiusdem Ordinis varia alia Officia praeceptive sunt celebranda, v. g. de Titulo sive Patrono Ecclesiae Cathedralis, de Patrono civitatis, de Dedicatione Ecclesiae Cathedralis, de Patrono tum Provinciae regularis, tum propriae respective Ecclesiae. In multis locis insuper alia Officia celebrari debent ex speciali Sanctae Sedis mandato vel privilegio. Hinc fit ut, ob perpetuam dictorum Officiorum occurrentiam cum festis in Calendario descriptis, alterutrum eorum in alium diem fixe reponi debeat. In Calendario autem Ordinis ipsius nunc duo tantum dies liberi extant, in quibus eiusmodi Festa perpetuo impedita fixe reponi possunt, et isti duo dies pro multis Ordinis Provinciis minime sufficiunt, ut omnia Festa perpetuo impedita fixe reponi valeant. Propterea in conficiendis Calendariis annuis fere ubique non paucae oriuntur difficultates. Hac re ab Oratore in pleno congressu Definitorii Generalis proposita, et omnibus diu matureque perpensis atque discussis, Patres unanimiter venerunt in sententiam implorandi insequentia Apostolica Indulta, nimirum:

1) Ut Festa primae et secundae classis, quae ob occursum alterius Festi altioris ritus, vel Dominicae, Feriae, aut Octavae privilegiatae proprio die accidentaliter vel perpetuo celebrari nequeunt, die proxime sequenti post eiusmodi Festum, vel post dictas Octavas privilegiatas, Festo primae vel secundae classis similiter non impedito, celebrari liceat, et de Festo eo die occurrente fiat ad instar simplicis.

2) Ut Festa duplicia maiora et minora in die aliqua octava (non tamen diebus octavis Fe-

storum Domini et Beatae Mariae Virginis) perpetuo occurrentia eo die celebrari valeant, et de ipsa die octava in casu fiat ad instar simplicis.

3) Ut Festa Beatorum ac Beatarum in exhibito elencho descriptorum, quae hactenus sub ritu duplici minori fiebant, deinceps celebrari possint et debeant in toto eodem Ordine (exceptis tamen illis Provinciis, quarum filii et filiae respectivi Beati vel Beatae in vita fuerunt) ritu *semiduplici ad libitum et simplici de praecepto;* ita ut de ipsis fiat officium, si aliud festum sive occurrens sive translatum non adsit; secus autem de ipsis fieri debeat ad instar simplicis, prout in Calendario universalis Ecclesiae praescriptum est pro Festo S. Remigii Episcopi et Confessoris, quod occurrit die 1ª Octobris.

Huiusmodi porro postulata quum Sacra Rituum Congregatio, de mandato eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII, post exquisitum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris votum, mature expenderit, sic decernere rata est:

Ad I. *Affirmative, seu pro gratia.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative, seu pro gratia, quoad omnes beatificatos beatificatione aequipollenti.* Die 17 Januarii 1883.

Quibus per infrascriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratam habere ac confirmare dignata est, die 25 eiusdem mensis et anni.

L. ✠ S.

D. Cardinalis Bartolinius,
S. R. C. Praefect.
Laurentius Salvati, S. R. C. Secr.

Cum vero dubium subortum esset num responsio ad III obligationem induceret; eadem S. R. C. in Congressu die 12 Februarii a. c. habito, respondit: *Possunt sed non tenentur uti impetrata facultate quoad singulos beatificatos beatificatione aequipollenti.*

Nos igitur vigore huius facultatis Nobis concessae decernimus, praecipimus et mandamus omnibus et singulis iurisdictioni Nostrae subiectis, ut ab anno proxime advenienti 1884 Divinum Officium ad normam praefati Rescripti faciant, et Calendaristis, ut iuxta idem Rescriptum Calendarium annuum deinceps disponant; nimirum:

1) Festa primae et secundae classis, quae ob occursum Festi altioris ritus, vel Dominicae, Feriae aut Octavae privilegiatae proprio die accidentaliter vel perpetuo celebrari nequeunt, transferantur in diem immediate sequentem post huiusmodi Festum vel post dictas Octavas privilegiatas, qui occupatus non sit alio Festo primae vel secundae classis, et de occurrente Festo fiat ad instar simplicis; scilicet cum commemoratione in utrisque Vesperis, Laudibus et Missis ac nona Lectione historica ex tribus composita, in quantum Rubricae hoc permittunt.

2) Quo sufficiens numerus dierum pro Festorum translatione, praesertim perpetua, in omnibus Provinciis habeatur, Festa Beatorum ac Beatarum Ordinis nostri, inferius recensenda, de quibus hucusque sub ritu duplici minori fiebat, deinceps sub ritu *semiduplici ad libitum et simplici de praecepto* celebrentur in toto Ordine nostro, exceptis tamen illis Provinciis, quarum filii aut filiae respectivi Beati vel Beatae in vita fuerunt, in quibus respectiva Festa etiam deinceps eodem ritu quo hactenus celebrabuntur. Hos vero, auctoritate Nobis facta a S. R. C. utentes, inter coeteros beatificatos beatificatione aequipollenti, scilicet per adprobationem cultus immemorabilis, designavimus, pro quibus minor probabilitas adest, ut mox ad ulteriora gressus fieri valeat pro solemni eorum canonizatione obtinenda, et in quorum Festis aliae commemorationes Festorum simplicium faciendae non occurrunt. Sunt autem qui sequuntur:

Die XXVII Februarii: B. Eustochium Virgo II Ordinis.

Die XIII Martii: B. Rogerius, Confessor I Ordinis.

Die XVI Martii: B. Petrus Senensis, Confessor III Ordinis.

Die XXVI Martii: B. Rizzerius a Mucia, Confessor I Ordinis.

Die XXVII Martii: B. Peregrinus a Falerone, Confessor I Ordinis.

Die XXXI Martii: B. Marcus Fantutius a Bononia, Confessor I Ordinis.

Die VI Aprilis: B. Bentivolius de Bonis, Confessor I Ordinis.

Die VII Aprilis: B. Antonia a Florentia, Vidua II Ordinis.

Die XIX Aprilis: B. Conradus ab Asculo, Confessor I Ordinis.

Die XV Maii: B. Benvenutus a Recineto, Confessor I Ordinis.

Die XXII Maii: B. Humiliana de Cerchis, Vidua III Ordinis.

Die VIII Iunii: B. Bartholomaeus Pucci Franceschi, Confessor I Ordinis.

Die VI Septembris: B. Vincentius ab Aquila, Confessor I Ordinis.

Die XXIX Octobris: B. Paula a Mantua, Virgo II Ordinis.

Die XXX Octobris: B. Liberatus a Lauro, Confessor I Ordinis.

Die XXXI Octobris: B. Thomas a Florentia, Confessor I Ordinis.

Die VI Novembris: B. Felix Meda, Virgo II Ordinis.

Die IX Decembris: B. Ioanna a Signa, Virgo III Ordinis.

Die XIX Decembris: B. Conradus ab Ophyda, Confessor I Ordinis.

Die XXII Decembris: B. Hugolinus Eremita, Confessor III Ordinis.

De istis ergo Beatis, respectivis eorum diebus, Officium in posterum fiet sub ritu semiduplici, nisi aliud Officium in eos dies accidentaliter transferri aut perpetuo assignari contingat. Quum enim ista Beatorum Festa sint semiduplicia *ad libitum*, eorum dies, quoad translationem accidentalem et perpetuam assignationem, tamquam vacui habendi sunt; ac propterea Festa accidentaliter transferenda in hos dies reponi, et Festa perpetuo impedita illis fixe assignari possunt et debent. Quibus in casibus de dictis respectivis semiduplicibus fiet ad instar simplicis ad normam Rubricae peculiaris n. 124, scilicet cum commemoratione in primis Vesperis, Laudibus ac Missis, et nona lectione historica ex tribus coniuncta, in quantum per Rubricas hoc est permissum.

Dat. Romae, ex Aracoeli,
die 14 Februarii an. 1883.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

De mandato P. S. Rmae,
Fr. Petrus a Monsano
Ex-Min. Prov. et Secr. Gen. Ord.

AD FRATRES DISPERSOS
Incitamenta Seraphica.
(Continuatio)

VII.

Qualiter vota solemnia a minus fervidis Religiosis violari contingat in saeculo.

Maxime plangendi sunt Regulares expulsi eo quod salutaribus adminiculis coenobiticae vitae privantur, sine quibus tam facile a spiritus fervore et perfectionis studio deflectunt, nisi fuerint iam antea in scientia sanctorum versati et in solidis virtutibus diu exercitati.

Sed utinam minus perfecti substantiam saltem votorum solemnium semper illaesam custodirent in saeculo! sed tristis docet experientia, haec etiam magnis exponi periculis et facile ab eis violari qui nonnisi tepidam vitam ducunt et de obligationibus sui status parum aut nihil sunt solliciti.

Si enim de obedientiae voto agatur, nullum est dubium quin Fratres violenter suppressi ad illud servandum adstringantur, sicut saepius dictum fuit et expressis verbis iam relatis declaravit S. Poenitentiaria in suo Decreto anni 1867, ubi legitur. « Omnibus Superioribus regularibus S. Poenitentiaria declarat, ipsorum iurisdictionem in proprios subditos suppressos, etiam extra claustra degentes minime cessasse. Nam licet quisque regularis degens extra claustra quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam ab iurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, attamen quoad disciplinam regularem et obligationes, quae ex religiosa professione promanant, et cum novo eius statu sunt compatibiles, propriis Superioribus subesse, eisque obedire tenetur ».

Idipsum declaravit S. Congregatio super Disciplina Regulari in suo Decreto anni 1872, ubi decernit, « Religiosos suppressos subiectos manere non modo Superioribus propriae Provinciae, sed etiam inspectioni et iurisdictioni territorialis Provincialis, si alibi eos degere contigerit, eosque posse in ipsa Provincia *Filiationis* pro regulari communi observantia ad claustra vel aedes revocari ».

Manet igitur pro eis in suo robore obedientiae votum sive vinculum, vi cuius Superiori-

bus suis regularibus obedire tenentur in omnibus quae non sunt contraria animae suae et Regulae nostrae; quemadmodum et superiorum conscientia remanet onerata quoad ea omnia praestanda quae subditorum incolumitati et saluti opportuna visa fuerint aut necessaria.

Ipsorum proinde est, iuxta verba S. Francisci fratres sibi subditos, in quantum fieri potest, visitare et monere atque humiliter et charitative corrigere. Ad hoc tenentur tam iure divino naturali quam iure humano positivo. Cum enim ipsi sunt veri Praelati Fratrum suorum, licet dispersorum, et animarum pastores dati non in utilitatem et commodum proprium, sed ovium sibi commissarum de quibus et rationem reddituri sunt coram tremendo Iudice Supremo, ius naturae dictat quod teneantur commissum sibi gregem ab omni exteriori damno internique animi imminentibus periculis tueri et custodire.

Sicut ergo patres familias filios suos absentes quandoque visitant, de eorum vivendi modo solliciti, et sicut pastores ovium saepius gregem suum invisunt, lustrant et numerant, ne quid eorum incuria pereat, ita Praelati fratres suos, licet dispersos jugiter mente et corde praesentes habere debent, et paterna sollicitudine saepius visitare eorumque saluti et incolumitati monitis, et consiliis sapienter et paterne consulere.

Quod Fratres e claustris exturbati invigilandi sint a propriis Superioribus, claris verbis indicatur in Decreto S. C. super Disciplina Regulari, in quo vel ipse Superior territorialis de moribus et consuetudine Fratrum extraneorum quotannis respectivo Provinciali referre praecipitur.

Imitentur igitur Praelati piissimum Tobiam qui cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captivitate positus, viam veritatis non deseruit, et in eadem quoque continere volens fratres suos filios Israel, *pergebat ad omnes qui erant in captivitate, et monita salutis dabat eis* (1).

Hae sunt et manent graves obligationes Superiorum, quibus secundum Deum et conscientiam satisfacere tenentur, sed quas, eheu, nimis facile quidam ex eis negligere videntur non sine magno animae propriae damno et detrimento suorum subditorum. Hi autem recordentur quod non secus ac caenobitae Praelatis suis obedire teneantur. Si igitur vivendi modum eis prascribunt, aut rationem bonorum temporalium, sive dati et accepti exigendam existimant; si eos a locis, personis aut occupationibus damnosis amovendos iudicant, aut ad se vocare, vel in privata domo cum aliquot fratribus collocare, sive ad ipsum conventum repristinatum eos volunt revocare, in his omnibus superioribus suis obtemperare tenentur. Firmiter enim praecipitur eis, ut obediant suis Ministris in omnibus que promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animae suae et Regulae nostrae.

Et tamen quot querelae ad Ordinis moderatores et ad ipsam Sanctam Sedem pervenerunt de perversa agendi ratione quorumdam Religiosorum suppressorum! Non enim desunt qui Superioribus regularibus obedire detrectant eo quod, qua expulsi e conventibus, se ab omni vinculo disciplinae et obedientiae solutos esse falso praetendant; et qui ab altera parte ipsorum ordinariorum statutis politiam ecclesiasticam concernentibus obtemperare renuunt, hoc insani ducti praetextu, quod qua Regulares ab Episcopi iurisdictione sint exempti. Quod quam falsum sit ex declarationibus S. Sedis manifestum est. Et de hoc Ipse Sanctissimus Dominus Leo PP. XIII coram Rmo Definitorio Generali gravissimis verbis nuper conquerendum iudicavit, summopere desiderans ut tanto malo remedium apponeretur.

In quanto proinde descrimine salutis tales Religiosi versentur nemo non videt; sed nec minus pro eis periclitatur votum altissimae paupertatis.

Nihil est in quod Religiosus praesertim Franciscanus facilius impingere potest, quam in hoc votum, quod Ordinis nostri fundamentum merito vocatur. Novimus quidem a Sede Apostolica sat largas concessas fuisse facultates, quibus Religiosi expulsi, durante suppressione, non obstante solemni paupertatis voto, de licentia superiorum Generalium, bona sibi legitimo iure spectantia ac etiam haereditates, salvo tamen iurii Tertii quaesito, recipere, adire ac retinere, deque iis per actus sive in-

(1) Tobias I, 15.

ter vivos sive causa mortis, in favorem sui Ordinis disponere possint et debeant. Verum enim vero, multum abest ut hisce concessionibus in substantia huius voti dispensare voluerit, aut Religiosos a spiritu paupertatis deflectere permiserit, cum e contra omnem veram proprietatem sat manifeste prohibuerit, et usum sive bonorum sive pecuniae sub quibusdam tantum conditionibus permiserit, non in aliorum etiamsi consanguineorum sed in proprias necessitates expendendae, idque durante solum suppressione, qua cessante, omnia Conventui restitui debeant.

Et tamen quanti abusus et quot scandala ex hac benigna et pro circumstantiis necessaria concessione orta sint, novimus ex Litteris Rmi P. Ministri Generalis anno 1881 ad Ordinem datis, ex quibus sequentia quae huc spectant referenda iudicamus: » Heu, heu, exclamat Rmus Pater, quantam animarum ruinam suppressio ac dispersio Religiosorum congessit! Permulti fuerunt et sunt qui, e claustris exturbati, saeculo tenacius adhaeserunt, et professionis suae oblili, sibimetipsis illudentes libertati et commoditati propriae indulgentes, carnis et sanguinis affectibus illigati, cumulandae pecuniae desiderio ac studio abrepti, perdiderunt et perdunt animam suam et in infernum descenderunt ac descendunt! Mementote, filii charissimi, religionis vota, quae olim Deo nuncupastis, etiam nunc, quamvis dispersos et extra claustrum, praeter voluntatem vestram, commorantes vos obligare: mementote, pecuniarum affectum, qui omnibus christianis interdicitur, vobis potissimum, qui sanctam paupertatem in Seraphico Ordine nostro professi estis, severius esse interdictum, et esse principaliorem causam perditionis multorum ».

Quis non horrescit haec legendo, et quis umquam sanae mentis credidisset, talia posse perpetrari a filiis Divi Francisci, qui sanctam paupertatem tam ardenter amabat eamque suis discipulis tamquam pretiosissimam haereditatem reliquit dicens: » Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos charissimos Fratres meos, haeredes et reges regni caelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus autem sublimavit. Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium. Cui dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub coelo habere velitis ».

O coelestia verba, iugi meditatione dignissima, quae medullas cordis nostri penetrare, et altissimae paupertatis amorem ac desiderium in toto Ordine Seraphico ardenter accendere et ubique conservare deberent.

Haec sunt S. Patriarchae nostri monita paterna quae maximo affectu in aedificationem populorum semper secuti sunt veri Minoritae qui in variis perturbationibus e conventibus exulare debuerunt. Videbas eos paucis contentos, nihil sollicitos quid manducarent aut biberent vel quo cooperirentur; sed, iuxta Regulae spiritum, a Divina Providentia omnia expectantes, quae numquam eis aliquid deesse permisit, paternaque sollicitudine semper eorum necessitatibus providit.

In humili quamvis honesto vestitu, modesto domicilio et simplici supellectili vitam ducebant vere seraphicam, et crimen sibi duxissent ab ea recedere. Sicut in vita coenobitica omnem pecuniae usum detestabantur, et nonnisi cogentibus circunstantiis eam tantum accipiebant aut honesto labore sibi procurabant, *in quantum urgebat necessitas aut invitabat utilitas, quin cupiditas eos seduceret,* sicuti primis Ordinis missionariis et in posterum aliis Apostolica dispensatione sub his clausulis fuit concessum (1).

Talis esse deberet agendi modus omnium Fratrum suppressorum. Sed, incredibile dictu! multi ex illis, quo magis ob seraphicum suum Institutum a temporalibus rebus et praesertim a pecunia congreganda alieni esse deberent, prae aliis turpius concupiscentia oculorum seducuntur, et acquirendis denariis ardentius intendunt. Ad hoc seipsos impendere et superimpendere conspiciuntur, nullis laboribus quantumvis difficilibus, quos in conventu recusassent, parcendo, et non raro mediis illicitis pecuniam procurando. Et in quem usum eam impendunt? An in proprias necessitates vel potius ut consanguineis eam relinquant contra declarationes Apostolicae Sedis? An non in vanum luxum, evagationes inutiles aut frequentiores vel lautiores commessationes eam consumunt? Nonne

(1) Cfr. Waddingum ad ann. 1226, n. LXIV, ubi hoc indultum Honorii III adducitur.

in illos quadrat vehemens obiurgatio quam S. Bonaventura suo tempore in Religiosos quosdam proferebat, qui pecuniam, nostri Ordinis paupertati super omnia inimicam, avide petebant, et incaute recipiebant et incautius contrectabant (1)?

Quam timendum est, plures ex eis iam in ipso conventu hac peste fuisse coinquinatos dum, indulto utendi pecunia infeliciter obtento, denariis congregandis potissimum allaborabant, alias servitia Ordini sine tali emolumento vix dispositi praestare (2).

Coram Deo se tales infelices serio examinent, et recogitent quantum ob solum affectum inordinatum ad pecuniam timendum habeant pro sorte sua aeterna, iuxta id quod S. Apostolus Paulus discipulo suo Timotheo scribebat, dum ei sanctam paupertatem et divitiarum contemptum commendabat dicens: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, haec fuge; sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem* (3).

(Continuabitur)

INSTRUCTIO
de
STATIONIBUS S. VIAE CRUCIS ERIGENDIS.

(Continuatio)

DE CONDITIONIBUS REQUISITIS AD VALIDAM STATIONUM ERECTIONEM.

13. Plures in authenticis documentis praescriptae leguntur conditiones ad legitimam S. Viae Crucis constitutionem requisitae. Ut autem in iisdem recensendis explicandisque ex ordine procedamus maiorique, qua nobis licuit, cum claritate, eaedem ad tres revocamus classes. Ad primam classem pertinent illae conditiones, quae actum erectionis praecedere debent; ad secundam vero, quae respiciunt S. Viae Crucis materiam erectionisque formam; ad tertiam demum classem referimus conditiones, quae actum erectionis sequi debent. Animadvertimus etiam, omnes et singulas conditiones a nobis enumerandas esse *essentiales,* et quidem eo modo, quo a nobis explicabuntur (nisi expresse aliter notetur), ita ut, una ex iis deficiente, Stationum erectio dicenda sit *invalida,* nec valeat ad lucrandas indulgentias a S. Sede pio S. Viae Crucis exercitio adnexas (1).

14. Supposita *debita facultate*, sive ordinaria sive delegata, in *idoneo erigente, antecedenter* ad S. Viae Crucis constitutionem requiritur inprimis *licentia Ordinarii loci*, ubi de Stationibus erigendis agi contigerit (cfr. Breve EXPONI NOBIS Clementis XII, et Breve CUM TANTA Benedicti XIV, cit. n. 3. sub lit. *d*), *nec sufficit*, ut eiusmodi licentia seu consensus sit *generice praestitus* pro erigendis Stationibus in certo numero ecclesiarum vel oratoriorum, sine specifica designatione loci, sed *requiritur in singulis casibus pro unaquaque Stationum erectione (Decr. auth.*, Ed. nova, n. 445 ad 3).

Excipiuntur ab hac lege ecclesiae et loca Ordinis, iurisdictioni scil. Rmi P. Ministri Generalis *iure ordinario* subiecta, nec non loca, saltem interna, caeterorum Ordinum exemptionis privilegio gaudentium; (2) excipienda vero non videntur oratoria domestica aliaque loca decentia domorum privatarum; ratio est quia

(1) Cfr. litteras S. Bonaventurae anno 1257 ad omnes Provinciales directas.

(2) Inde deducas quam necessarium sit ut vita communis perfecta ab omnibus in conventibus servetur.

(3) 1. Timot. VI.

(1) Ne igitur fideles pium S. Viae Crucis exercitium peragentes indulgentiis frustrentur, ac praesertim ne animae in purgatorio degentes hisce Ecclesiae militantis validissimis suffragiis privatae existant, auctoritate Rmi P. Ministri Generalis monemus omnes, qui Stationes invalide erectas sciant, ut suos Superiores de hac re certiores reddant, qui ad nos referant, addendo tamen invaliditatis causam, ut a S. Sede opportunum remedium supplicare possimus.

(2) Ex dubio a S. C. Indulg. die 28 Augusti 1752 resoluto *(Cfr. Decr. auth.*. Ed. nova, n. 194 ad 2; Prinzivalli CCVI) concludendum videri posse, licentiam Ordinariorum requiri in *omnibus* erectionibus, *quae fiunt extra ambitum conventuum FF. Ordinis S. Francisci;* putamus autem id intelligendum sensu exposito in supplici libello, nempe de *licentia Ordinariorum......... in quorum iurisdictione Viam Crucis erigi contigerit.*

nec illa ab *omni* Episcopali visitatione sunt exempta (cfr. Ferraris Verb. *Oratorium* n. 26), nec quoad haec negari posse videtur, Episcopum habere ius inquirendi et iudicandi de huiusmodi locorum decentia, eoque magis, quod ex dictis n. 8 *c*. Ordini ex semet nulla competit auctoritas in iis erigendi S. Viam Crucis.

15. Requiritur praeterea *consensus* (vel postulatio, quae consensui aequivalet) *Parochi et Superiorum* ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi Stationes S. Viae Crucis erunt constituendae (Breve cit. Clementis XII). Animadvertimus autem, ex decisione S. C. Indulg. d. d. 21 Iunii 1879 praefatum Parochi consensum non necessario requiri in casu erectionis faciendae in hospitalibus, ecclesiis, cappellis ac domibus Congregationum Sororum, de iure haud exemptis a parochiali iurisdictione, sed de facto (iuxta morem in Gallia vigentem) administratis independenter a parocho per cappellanum nominatum ab Episcopo. (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 445 ad 1.)

16. Huiusmodi vero respectivi Ordinarii vel Antistitis, et Parochi, necnon Superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi S. Viae Crucis erectionem fieri contigerit, licentia et consensus, ac INSUPER *sacerdotis erigentis deputatio ac Superioris localis consensus* debent expediri *in scriptis et non aliter*, et quandocumque opus fuerit, exhiberi, *sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae*. Ita praescribendum censuit S. C. Indulg. die 30 Iulii 1748, quod S. Congregationis votum Summus Pontifex benigne approbavit die 3 Augusti eiusdem anni. *(Decr. auth.*, Ed. nova, n. 175; Prinzivalli CLXVIII. Cfr. etiam n. 194 ad 2,294; Prinzivalli CCVI,DXVIII). Imo in declaratione postremo loco cit. praescribitur, ut omnia ac singula, quae erectionem Stationum Viae Crucis respiciunt, *scripto fiant*, nempe non solum erectionis eiusdem concessio, sed etiam *postulatio* (1).

17. Ad ipsam S. Viae Crucis constitutionem quod attinet *ex parte materiae* requiruntur *cruces quatuordecim* ad repraesentandas quatuordecim stationes Ierosolymitanas. Cfr. *Monita* d. d. 5 Aprilis 1731 sub n. 3 (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 100; Prinzivalli LVII.) Porro cruces tam necessario requiruntur, ut omnino invalida habenda sit S. Via Crucis constituta sine ipsis, utpote quibus *solis* indulgentiae sunt adnexae. (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 261 et 270 ad 2; Prinzivalli CDLXXIV et CDLXXXVI.) Cruces autem ex praescripto Ritualis Romani *debent esse ex ligno*, exclusa alia materia quacumque, et quidem *sub poena nullitatis* (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 442 ad 1.), nec huic praecepto sufficienter satisfit, etiamsi ad partem adversam crucium ferrearum (vel ex alia materia non lignea confectarum) apponantur totidem cruces ligneae, quae tamen sunt coram adstantibus invisibiles (ibid. ad 2.)

Praeterea ad materiam S. Viae Crucis pertinent ex antiqua et generali consuetudine *imagines* seu tabulae, sive pictae sive sculptae, quae tot sint numero quot cruces, nempe *quatuordecim*, repraesentantes *eadem Passionis mysteria*, quae stationes S. Viae Crucis Ierosolymitanae (1). Et licet hae imagines seu ta-

(1) Num vero haec postulatio praescribatur *scripto* facienda sub poena nullitatis decidere non audemus, praesertim quum S. C. Indulg. declaratio (relata a Prinzivalli sub n. CDLXX ad 2), quae dubium praedictum in partem negativam resolverat, fuerit omissa in *Decr. auth. Ed. nova*, quamvis ex altera parte in S. C. resolutione hic in textu postremo loco cit., quae de *postulatione scripto facienda* expressam facit mentionem, non addatur poena nullitatis, nec in resolutione ibid. primo cit. numeretur *postulatio* inter ea, quae S. C. *in scriptis* expedienda, et exhibenda sub poena nullitatis praescripsit.

Praeterea notamus, in quadam resolutione, quam ceu emanatam a S. C. Indulg. refert Prinzivalli sub n. CDLXX ad 1 et 3, non obscure innui defectui deputationis, licentiae, consensus *in scriptis* (de quibus in textu) suppleri posse, positis conditionibus in eadem expressis, per novas literas deputationis, licentiae ac consensus. Sed ex eo quod praefata resolutio non invenitur in *Decr. auth. Ed. nova*, eadem ut non existens in praxi est habenda. Nam, uti audivimus ex quodam officiali eiusdem S. C. Indulg., licet S. C. decreta in nova editione omissa non expresse declaraverit non esse authentica, tamen tutum non est huiusmodi decisiones practice sequi.

(1) Quamvis S. C. Indulg. declaratio hanc assertionem confirmans (cfr. Prinzivalli n. CDLXXXVII, 2) omissa fuerit in *Decr. auth. Ed. nova*, minime tamen de ea dubitandum videtur, saltem quantum ad *liceitatem*; indubium enim est, Ordinis consuetudinem semper fuisse erigendi et instituendi pia loca Viae Crucis *ad instar Stationum Montis Calvarii*; modum autem et formam erigendi in Ordine consueta servanda praescribit tum Clemens XII in Brevi EXPONI NOBIS (cit. n. 3, d.) tum S. C. Indulg. in saepe cit. *Monitis* n. 3.

bulae non sint *de necessitate*, (*Decr. auth.* Ed. nova, n. 258, 275, ad 1; Prinzivalli CDXCIV) tamen non est cur in praxi absque rationabili causa recedatur a praefata consuetudine addendi huiusmodi imagines seu tabulas, maxime quum eaedem plurimum valeant ad facilius excitanda corda et devotionem fovendam erga patientem Redemptorem. Imaginibus huiusmodi cruces sunt *superponendae* (1), et quidem ita *ut ab omnibus conspici possint* (cfr. *Decr. auth.*, Ed. nova, n. 261, 442 ad 3; Prinzivalli CDLXXIV), adeo ut cruces, utpote essentiales et Viae Crucis constitutivae, principem locum occupent, minus principalem vero imagines, qua accessoriae et supererogatoriae.

18. *Formam* S. Viae Crucis *constitutivam* constituunt crucium ac tabularum (si adsunt) benedictio, erectio, (2) et affixio.

Praeprimis *benedictio crucium de necessitate* est facienda (*Decr. auth.* Ed. nova, n. 270 ad 2; Prinzivalli CDLXXXVI.), nec sine ea valet Viae Crucis institutio, vel consequi possunt indulgentiae; hinc S. Sedes in defectu crucium benedictarum, concessa etiam convalidatione Stationum sine iis erectarum, suppleri mandat cruces saltem *privatim benedicendas* (cfr. *Decr. auth.* Ed. nova, n. 261, 442 ad 1; Prinzivalli CDLXXIV.) Non autem *necessario* benedicendae sunt imagines sive tabulae, utpote quae ex dictis non pertineant ad materiam *essentialem*. Accedit quod in declaratione S. C. Indulg. d. d. 30 Ianuarii 1839 ad 2 (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 270; Prinzivalli CDLXXXVI) expressis verbis dicitur, *solas cruces esse benedicendas*. Nihil tamen obstare videtur, quominus conservetur antiqua Ordinis praxis benedicendi etiam huiusmodi imagines sive tabulas, si eaedem crucibus addantur (1). Utriusque huius benedictionis formula legitur in Rituali Romano.

19. Notandum vero hic occurrit

a) non sufficere, ut cruces privatim domi benedicantur, eaeque sic benedictae deinde Parocho vel alteri sacerdoti in designato loco affigendae committantur; sed requiritur, ut sacerdos benedicens sit moraliter praesens in loco, in quo S. Via Crucis erit constituenda, prout clare deducitur ex Brevi *Cum tanta* Benedicti XIV (cit. n. 3 *d*.), in quo idem Pontifex cuicumque Parocho, suppositis supponendis, tribuens facultatem erigendi Viam Crucis in ecclesia parochiali etc. addit: sub *directione* cuiuslibet Fratris etc. (2) Notamus

(1) Num *necessario*, nostrum non est decidere; tacent autem documenta authentica. Certocertius vero *de necessitate* requiritur talis positio, quae easdem reddat visibiles visitantibus S. Viam Crucis.

(2) Variis adhibetur significationibus vocabulum *erectionis;* aliquando enim sumitur pro Viae Crucis concessione ac benedictione, saepius pro crucium imaginumque collocatione seu affixione. « Post diu voluta tata Brevia, responsa et opuscula inferre tandem « posse putavi » (verba sunt Cl. Confr. Rogerii Abbanii, in opere iam cit, annot. 1 in Cap. IV.) « erectionem « mediam intercedere inter benedictionem cruciumque « affixionem, adeo ut sit vera benedictio eiusque sy- « nonima, cum erectio unitur benedictioni; aequivaleat « purae affixioni, quum erectio tabularum et affixio cru- « cium fit seorsim a benedictione. » Forsan *erectio* (canonica) magis proprie definitur, ut sit benedictio peracta ab erectore moraliter praesente in loco, in quo S. Via Crucis hic et nunc est erigenda. Hoc enim requiri ex dicendis patebit, et aliunde S. C. decreta videntur distinguere erectionem tum a benedictione, (cf. *Decr. auth.* Ed. nova n. 328; Prinzivalli DLXIV.) tum etiam ab affixione, quam fieri posse concedunt (uti inferius dicetur) ab alio quocumque, privatim sine caeremoniis, et etiam alio tempore, quod sane de erectione (canonica) dici nequit.

(1) Leguntur quidem apud Prinzivalli quaedam S. C. Indulg. declarationes, quibus benedictio imaginum videri posset *prohibita* (cfr. n. CDLXXVIII ad 4, CDLXXXVI ad 2, DXLI in fine). Animadvertimus autem declarationem ultimo loco cit. non legi in *Decr. auth. Ed. nova;* textum declarationis cit. loco secundo aliter legi in dicta *Ed. nova* (cfr. n. 270 ad 2); declarationem autem primo loco cit. (quae etiam habetur in Ed. nova n. 264 ad 4) explicandam videri sensu in textu proposito, quum imagines benedicendi formula in Rituali Romano (Editio 1880, posterior ergo cit. declaratione) adhuc apposita legatur his verbis: *Benedictio tabularum pictarum si adsunt.*

(2) Huc pertinent, quae refert cl. Confr. Rogerius Abbanius (opere cit. annot. 12 ad Cap. IV): « Romae paucis abhinc mensibus commoranti mihi nunciatum fuit, quemdam presbyterum Gallum ad erigendas Stationes dolorosas delegatum, perplura exercitia erexisse non ex loco erectionis, sed benedictis « crucibus in ecclesia sua, eas deinde consignare solitum fuisse Rectoribus, ut inde ad suas ecclesias allatas affigerent. Dubitans an id fieri posset rem contulit cum Pontifice Pio IX. Prospiciens sagax Pontifex « id alienum esse a Benedicti XIV et Clementis XII « decretis, eidem praecepit, ut avulsis crucibus a locis « praefatis, iterum canonice erigeret vel per semet, vel « saltem erectioni praesens.... Sic retulit vir S. Congregationi intime addictus... » Verba *saltem erectioni prae-*

vero (ex *Monitis* n. 8), si agi contigerit de erigenda Via Crucis in aliquo Sanctimonialium monasterio, opus non esse erigentem ingredi clausuram, sed sufficere, ut cruces benedicat ad crates. Hinc etiam exegimus praesentiam *moralem*.

b) Pro validitate crucium Stationum Viae Crucis non requiri, ut benedictio detur *ante ipsarum affixionem*, sed sufficere, ut *post affixionem* impertiatur. Ita ex declaratione S. C. Indulg. d. d. 21 Junii 1879 (*Decr. auth*. n. 447). Hinc dubitari amplius nequit, quin Stationum Viae Crucis erectio et benedictio legitime et valide ita fiat, ut ante caeremoniam, vel etiam die praecedenti, quatuordecim cruces cum tabulis pictis, si quae sint, suspendantur in locis praefixis, et earum benedictio fiat a sacerdote ad eas ante aram converso. Consulitur autem, ut ad maiorem solemnitatem etiam imaginum, si commode fieri possit, vel saltem crucium suspensio vel affixio fiat durante caeremonia, ne secus omitti contingat processionem in solemni Viae Crucis erectione fieri solitam.

20. Demum necessaria est crucium *affixio*, ita ut, sicuti nihili valeret affixio sine benedictione, sic nec ad lucrandas indulgentias sufficeret crucium benedictio, si ipsae non affigerentur, earum ope determinatis stationibus itinerisque ambitu. Si enim ex decisione S. Congregationis (*Decr. auth*., Ed. nova, n. 223 ad 2; Prinzivalli CCXLIX.), ad tempus ablatis et remotis ab ecclesia Stationibus et crucibus, indulgentiae non acquiruntur ab iis, qui in dicta ecclesia, tamquam si Stationes et cruces extarent, exercitium devote peragerent, a fortiori indulgentiae lucrari non poterunt, si numquam fuerint affixae.

Requiritur etiam pro consequutione indulgentiarum in erectione Viae Crucis *aliqualis distantia* inter unam et aliam stationem, quamvis non *aequalis* Viae Crucis Ierosolymitanae, nec *determinata* (*Decr. auth*. Ed. nova n. 194 ad 1,119; Prinzivalli CCVI, LXXXVII, apud quem tamen non legitur vocabulum *determinata*, prout additum reperitur in Ed. nova.) Nulla vero existit lex, qua praecipitur, ut Stationum iter incipiat *a parte Evangelii* termineturque *in parte Epistolae*, uti putant nonnulli. Optime quoad hoc servatur mos loci populique usus.

Modus vero affigendi cruces imaginesque *varius* esse potest. Fieri enim potest affixio vel in actu erectionis canonicae ab ipsomet erectore vel ab alio nomine erectoris praesentis ac cum adstantibus visitantis, vel etiam alio tempore ab altero quocumque, privatim sine caeremoniis, (*Decr. auth*., Ed. nova, n. 311 ad 1 et 2 (1); Pinzivalli DXLI.) sive *post* (ibid.) sive *ante* (*Decr. auth*., Ed. nova, n. 447) factam benedictionem.

21. *Post* legitime constitutas S. Viae Crucis Stationes confici debet peractae erectionis documentum (processus verbalis) ab erigente propria manu subscribendum, addito (ita ad pleniorem firmitatem faciendum *consulitur*), si habeatur, proprii officii sigillo. (*Decr. auth*., Ed. nova, 294, Prinzivalli DXVIII.) Hoc autem documentum conficiendum praescribitur, ut de valida S. Viae Crucis constitutione posteris constet; hinc licet non sit *determinatum* tempus ad illud conficiendum, ratio tamen per se patet, ut quam citius hoc fiat, ne dubium in posterum oriatur circa praedictam ca-

sens non esse intelligenda de praesentia in actu *affixionis* ex dicendis patebit.

(1) Ex citatis responsis aliqui deducere voluerunt, ad valorem Viae Crucis sufficere (contra ea, quae superius diximus), ut solae cruces (tabulae ad essentialem materiam non spectant) *mittantur* ad Superiorem alicuius conventus Ordinis nostri, vel ad alium legitime delegatum, et *ab ipso benedicantur*, et deinde cruces sic benedictae cum vel sine tabulis ab ipso Parocho vel patrono loci, ubi erigendae sunt, per se vel per quemlibet alium absque ullis caeremoniis *erigantur* seu *affigantur*; quam infirmo autem iure patet ex hoc Rmi D. Prinzivalli, tunc temporis S. C. Indulg. Substituti, privato licet responso, quod latine redditum ex regesto Procurae Generalis Recoll. et Disc. exscribimus:

« Quantum ad tertium dubium, quod respicit re- « sponsa data a S. C. die 22 Augusti 1842.... ex ipsis « non mihi videtur descendere consequentia, cruces be- « nedici posse in uno loco et erigi in alio; nam si « ita foret, S. Sedes non concederet etiam faculta- « tem sacerdotibus saecularibus *ubi Ordo Min. non* « *existit*, quoniam, ubicumque foret, Religiosus Fran- « ciscanus eas (cruces) benedicere posset, et deinde « easdem mittere ad locum, in quo Via Crucis erecta « desideratur; hinc *non excluditur praesentia Religiosi* « (vel alterius habentis facultatem) ad easdem benedi- « cendas et erigendas, sed supradictis responsis decla- « rare intenditur, *non requiri operam materialem Reli-* « *giosi ad affigendas Stationes parieti ecclesiae vel alte-* « *rius loci....* »

nonicam erectionem (1) (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 325; Prinzivalli DLXI). Hoc erectionis documentum una cum caeteris iuxta dicta n. 16 *in scriptis* expediendis tradi debet concessionario custodiendum ac, quandocumque opus fuerit, exhibendum, ne secus privilegium Viae Crucis amittat.

Praeterea in decisione S. C. Indulg. d. d. 25 Septembris 1831 (*Decr. auth.* Ed. nova, n. 294; Prinzivaili DXVIII.) praescribitur ut tam S. Viae Crucis postulationis, quam erectionis eiusdem concessionis instrumentum in codicibus seu in actis Episcopatus remaneat. (2) Monemus vero, in praefata decisione nihil addi de poena nullitatis secus incurrendae.

Nota. Mens nobis est in fine praesentis instructionis publicandi, schematis instar, modum, quo in praxi plenissime fieri videtur satis S. Sedis ordinationibus relate ad documenta in S. Viae Crucis erectionibus scripto expedienda. *(Continuabitur).*

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1882 celebrata.

—

XXIII.
Obs. Provincia Galiciana Immac. Conceptionis.

Die 28 Augusti in Conventu Calvariensi, praesidente Rmo P. Ministro Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:
A. R. P. Norbertus Golichowski.
CUSTOS PROVINCIAE:
A. V. P. Rudolphus Waga.
DEFINITORES PROVINCIAE:
R. P. Marcellus Korzeniowski.
R. P. Julianus Slosarz.
R. P. Polycarpus Rapacz.
R. P. Lucas Dankiewicz.

Ad istam Provinciam sequentes 16 Conventus pertinent:

Alvernia, Ss. Stigmat. S. P. N. Francisci.
Brzezan, S. Nicolai.
Calvaria, S. Mariae Angelorum.
Christinopol, S. Spiritus.
Krakau, S. Bernardini Sen.
Dukla, B. Joannis de Dukla.
Gwodzec, Immac. Conceptionis.
Lwow (Lemberg), S. Andreae Ap.
Leszniov, S. Matthiae Ap.
Prevorsk, S. Barbarae V. M.
(Bzersóv) Pressoviam, Assumptionis B.M.V.
Sambor, Assumptionis B. M. V.
Sokal, B. M. V. Consolatricis.
Tarnow, S. Crucis.
Zbaraz, S. Antonii Pad.
Lezajsk, Annuntiationis B. M. V.

—

XXIV.
Collegium S. Josephi Pacense (La Paz) *in Bolivia, Americae Meridionalis.*

Die 2 Octobris 1882, celebratum fuit capitulum Guardianale et electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII:
R. P. Ludovicus Fernandez.
PRAEFECTUS MISSIONUM
R. P. Caesarius Fernandez.
DISCRETI COLLEGII
A. R. P. Raphael Sans.
R. P. Blasius Borras.
R. P. Joseph Comas.
R. P. Joannes Bernat.

In Collegio adsunt 24 sacerdotes, 1 Clericus et aliqui Laici. Dirigit inter infideles septem Missiones, in quibus numerantur 3, 777 animae. Sed jam deficiunt operarii evangelici et novi Missionarii etiam atque etiam exoptantur.

—

(1) Notamus in *Decr. auth. Ed nova* fuisse omissam S. C. Indulg. decisionem (relatam a Prinzivalli sub n. CDLXX. 3.) qua innuitur documenti huiusmodi defectui suppleri posse per novas literas institutionis seu confirmationis ab Ordinario conficiendas, dummodo constet aliunde de sequuta erectione. Cfr. annot. ad n. 17.

(2) Forsan haec S. C. ordinatio in id tendit, ut, quando ab Episcopo virtute delegationis sive a S. Sede sive a Superiori Generali Ordinis sibi factae concedatur facultas erigendi Viam Crucis, huius subdelegationis decreto a Curia Episcopali expedito, oratoris literae supplices reponantur in archivio Episcopatus, addito eisdem concessionis factae minuto instrumento, sicuti in expediendis rescriptis etiam observatur in SS. Rom. Congregationum secretariis. Exposito sensu, qui cit. S. C. decreto omnino conformis videtur, si idem intelligi debeat, ad S. Viae Crucis concessiones et erectiones a nostralibus factas idipsum non respicere patet. Caeterum valde desiderandum videtur, ut conformiter ad hanc S. C. ordinationem etiam in conventualibus Ordinis archiviis habetur regestum, in quo scribantur omnes S. Viae Crucis concessiones nec non erectiones a respectivi conventus Superioribus et Patribus factas.

XXV.

Ref. Provincia Insubriae.

Die 5 Decembris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio ad aliud triennium in officio confirmati sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Clemens a Parona ex-Defin. Generalis.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Desiderius a Castronovo.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Caietanus a Burgomainerio.
R. P. Lucas a Massino.
R. P. Bartholomaeus a Majorano.
R. P. Bonaventura a Silvano.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes Conventus pertinebant:

Ameno	S. P. N. Francisci
Orta Novarese	S. P. N. Francisci.
Voghera	SS. Annuntiatae.
Canobbio	B. M. V. Immaculatae

—

MISSIONES
ET EXERCITIA SPIRITUALIA
Patrum Reformatorum Provinciae Venetae
anno 1882.

In dioecesi	Adriensi	1.
»	Goritiensi	1,
»	Patavina	4.
»	Parentino-Polensi	2.
»	Tarvisina	2.
»	Tergestino-Justinopolitana	1.
»	Utinensi	1.
»	Venetiarum	1.
»	Veronensi	2.
»	Vicetina	12.

—

MONASTERIA
TERTII ORDINIS REGULARIS
S. P. FRANCISCI
IN GALLIA EXISTENTIA (1).

(Explicatio sequentium numerorum)

Numerus romanus titulum Congregationis vel Instituti ordine fundationis chronologico designat.

(1) In proxime elapsi Ianuarii fasciculo Monasteriorum secundi Ordinis indicem publicavimus.

Numerus 1 indicat locum domus principalis et eiusdem dioecesim.

Num. 2 designat numerum domorum.

Num. 3 numerum Fratrum vel Sororum, anno 1882 existentium.

Num. 4 scopum Congregationis.

A. S. S. approbationem S. Sedis saltem per Breve laudativum, et A. O. approbationem Ordinarii significat.

I.

Patres Tertii Ordinis Regularis. (1863) A. S. S.

1. *Notre Dame de la Drèche,* in dioc. Albiensi.

2. Domus 5, scilicet: *N. D. De la Drèche, N. D. de l'Oder-Ambialet,* et *Albi, in* dioecesi Albiensi; *La Livinière,* in dioec. Monspelliensi, et *N. D. de Belpech,* in dioec. Tutelensi.

3. Sacerdotes 17, Fratres Laici 10.

4. Missiones Dioecesanae et instructio iuventutis.

II.

Fratres Agricolae S. Francisci Assisiensis. (1864) A. O.

1. *Saint-Antoine Des Bois,* in dioec. Rupellensi.

2. Domus unica.

3. Fratres 27.

4. Agricultura et puerorum educatio.

III.

a) Sorores Sanctae Elisabeth. (1604) A. S. S.

1. *Paris.* (rue Turenne 60.)

2. Monasterium unicum, licet allaboret fundationi alterius in loco *Monsoult,* Dioec. Versallien.

3. Sorores choristae 30, Conversae 20, Novitiae 5.

4. Educatio puellarum.

IV.

b) Sorores S. Elisabeth. (1615)
(sub eadem Regula ac praecedentes)

1. *Lyon* (rue Saint-Pothin, 23).

2. Monasterium unicum.

3. Sorores Choristae 32; Conversae 6, externae 8.

4. Oratio et educatio puellarum.

V.

Monasterium S. Mariae Angelorum.
(1630) A. S. S.

1. *Tourcoing,* in dioec. Cameracensi.

2. Monasterium unicum.
3. Sorores choristae 47, Conversae 16.
4. Educatio puellarum.

VI.

Sorores de Poenitentia dictae Capucinae. (1614) A. SS.

1. *Bourbourg,* in dioec. Cameracensi.
2. Monasterium unicum.
3. Sorores 18; postulantes 3.
4. Vita contemplativa.

VII.

Sorores Franciscanae S. Mariae Angelorum. (1820) A. O.

1. *Lille,* dioec. Cameracensis, (*56, Façade de l'Esplanade).*
2. Domus 7, omnes in dioec. Cameracensi, scilicet: *Lille, Moulins-Lille, Lesquin, Lys, Provin, Aix, Genech.*
3. Sorores 61.
4. Educatio puellarum.

VIII.

Sorores Franciscanae Immaculatae Conceptionis. (1836) A. O.

1. *Champfleur,* in dioecesi Cenomanensi.
2. Monasterium unicum.
3. Sorores 38.
4. Oratio et puellarum educatio.

IX.

Sorores Sancti Francisci. (1839) A. O.

1. *Lyon (rue Saint-François d'Assise, 17).*
2. Domus 34, quarum 11 in dioec. Lugdunensi, 8 in dioec. Gratianopolitana, 9 in dioec. Foroiuliensi.
3. Sorores 143.
4. Instructio et opera charitatis.

X.

Pauperes Sorores S. Francisci. (1839) A. O.

1. *Avignon. (rue du Portail Maguanen.)*
2. Domus 8, *Avignon, Carpentras, Orange, Apt,* in dioec. Avenionensi; *Saint-Remy d'Aix* et *l' Isle,* in dioec. Aquensi.
3. Sorores 98.
4. Infirmorum cura et visitatio, atque puellarum educatio.

XI.

Parvae Sorores Iesu Franciscanae. 1850. A. S. S.

1. *Saint-Sorlin,* in dioec. Lugdunensi.
2. Domus 5, scilicet: *Saint-Sorlin,* in dioec. Lugdunen.; *Aromas,* in dioec. S. Claudii; *Beaupont,* in dioec. Belliciensi; *Veyre,* in dioec. Claromontensi; *Auxerre,* in dioec. Senonensi.
3. Sorores 129.
4. Orphanorum cura.

XII.

Franciscanae dictae *de Calais.* (1852) A. S. S.

1. *Calais,* in dioec. Atrebatensi.
2. Domus 40, quarum 25 in dioecesi Atrebatensi; *Langeac,* in dioec. Aniciensi; *Royat,* in dioec. Claromontensi; *Dol-de-Bretagne,* in dioec. Rhedonensi; *Corbie,* in dioec. Ambianensi; *Lyon* (Lugdunensi); *Saint-Laurent-en-Royans,* in dioec. Valentiae; *Saint-Germain-en-Laye* et *Versailles,* in dioec. Versalliensi; *Villaupuy,* dioec. Tornacensis in Belgio, et *6* domus in Portugallia.
3. Sorores 617 circiter.
4. Opera misericordiae; hospitia et scholae.

XIII.

Franciscanae SS. Sacramenti. (1854) A. S. S.

1. *Troyes* (dioec. Trecensi).
2. Monasterium unicum in Gallia, aliud *Lemberg* in Polonia austriaca.
3. Sorores 32, et *Lemberg* 19.
4. Adoratio perpetua SS. Sacramenti et gratiarum actio.

XIV.

Sorores Franciscanae Immaculatae Conceptionis. (1857) A. S. S.

1. *Lons-le-Saunier,* in dioec. S. Claudii.
2. Domus 22, scilicet: in dioec. S. Claudii: *Lons-le-Saunier* duae, *Saint-Claude, Salins, Courtefontaine.*

In dioec. Gratianopolitana: *Grenoble, Chatanny, Allevard, Virieux.*

In dioec. Virodunensi: *Bar-le-Duc, Les Merchines.*

In dioec. Valentiae: *Montélimar, Taulignan.*

In dioec. Rupellensi: *La Rochelle, Saint-Jean d'Angély, Rochefort.*

In dioec. Lingonensi: *Saint-Bon.*

In dioec. Catalaunensi: *La Borde.*

In dioec. Anneciensi: *Thonon.*

In Belgio: *Malines* et *Namur.*

In Mesopotamia et Vicar. ap. Mossoul: *Mardin.*

3. Sorores 155.
4. Opera misericordiae et speciatim Orphanorum cura.

XV.

Sorores Sancti Francisci. (1858) A. O.

1. *Saint-Philbert de Grand-Lieu,* in dioec. Nannetensi.

2. Domus 10 circiter, omnes in dioec. Nannetensi: *Saint-Philbert, La Limaizinière, La Bernerie, La Chevrolière, Saint-Cyr, Saint-Donatien,* etc.

3. Sorores 96.

4. Puerorum educatio et infirmorum cura.

XVI.

Sorores Tertii Ordinis,
Ancillae Jesu nuncupatae. (1859) A. O.

1. *Seillon,* prope *Bourg-en-Bresse,* in dioec. Belliciensi.

2. Domus 4: In dioec. Bellicien. *Seillon.*
In dioec. Burdigalensi; *Crabitey-Portets.*
In dioec. Aginnensi; *Lacèpède-Saint-Cirq.*
In dioec. Carnutensi: *Chateaudun.*

3. Sorores 65.

4. Orphanorum cura et educatio.

XVII.

Sorores Sancti Francisci. (1862) A. O.

1. *Rodez,* (dioec. Ruthenensi).

2. Domus 5. In dioec. Ruthenensi: *Rodez, Mur-de-Barrez, Entraygues, Laissac.*
In dioec. Montalbanensi: *Valence d'Agen.*

3. Sorores 45.

XVIII.

Franciscanae S. Mariae Angelorum. (1862) A. O.

1. *Condrieu,* in dioec. Lugdunensi.

2. Domus 2: *Condrieu* et *Saint-Just-en-Doizieux.*

3. Sorores 17.

4. Vita contemplativa.

XIX.

Sorores Franciscanae Tertii Ordinis
Regularis Observantiae. (1863) ASS.

1. Vichy, in dioec. Molinensi.

2. Domus 6. In dioec. Molinen. *Vichy.*
In dioec. Aginnensi. *Villeneuve-sur-Lot.*
In dioec. Baionensi: *S. Palais.*
In dioec. Albiensi: *Castres.*
In dioec. Rothomagensi: *Blèville.*
In dioec. Burdigalensi; *Bordeaux.*

3. Sorores 88.

4. Puellarum educatio et infirmorum cura.

XX.

Franciscanae Tertii Ordinis Recollectorum.
(1868) A. O.

1. *Perrou,* in dioec. Sagiensi.

2. Domus 3: *Perrou; Deauville,* in dioec. Baiocensi, et *Villedieu,* in dioec. Constantiensi.

3. Sorores 106.

4. Orphanorum et infirmorum cura.

XXI.

Franciscanae parvae Familiae S. Cordis Iesu.
(1870) A. O.

1. *Alais,* in dioec. Nemausensi.

2. Domus 5: *Alais, Bessèges, Saint-Privat, Saint-Florent,* in dioec. *Nemausen. et Sainte-Croix* in dioec. Mimatensi.

3, Sorores 68.

4. Infirmorum cura et puerorum derelictorum educatio.

XXII.

Sorores Franciscanae. (1874) A. O.

1. *Amiens* (dioec. Ambianensi).

2. Domus 3. In dioec. Ambianen. *Amiens* et *Gamaches,* et in dioec. Bellovacensi, *Grandvilliers.*

3. Sorores 16.

4. Infirmorum pauperum cura.

XXIII.

Franciscanae a Missione dictae. (1875) A. O.

1. *Bussières,* in dioec. Claromontensi.

2. Domus unica.

3. Sorores 21.

4. Sacra paramenta et praesertim hostias conficere, et ex huiusmodi laboris beneficio procurare missionum et exercitiorum praedicationes pro ruricolis.

Nonnulla alia Instituta Sororum Tertii Ordinis Regularis in Gallia existunt, sive pro infirmorum sacerdotum cura vel puellarum instructione, et 12 vel 15 conventus constituunt; sed documenta petita non recepimus.

In hoc elencho non computantur multa Monasteria ad alias Congregationes Regulares pertinentia, et Tertio Ordini S. Francisci adscripta, inter quae praesertim annumerantur pleraque Coenobia *Ursulinarum,* quae Sanctam Angelam a Mericia fundatricem suam imitantes, Ordini de Poenitentia et ipsae nomen dederunt.

III.

MISSIONES

—

GUBERNIUM ITALICUM ET SCHOLAE FRANCISCALES IN MISSIONIBUS.

—

Ex ipsamet Relatione (1) facta ab Administro Italico pro externis negotiis sequentes passim decerpsimus citationes, et latine transtulimus, ex quibus apparet utilitas Missionariorum et bonum ab ipsis in exteris nationibus peractum. Miranda et caeca hominum contradictio! Apud exteras regiones laudare coguntur Religiosos Ordines quorum in patria suppressionem et persecutionem moliuntur.

« Inter scholas catholicas seu latinas, pluribus de causis merito laudandae sunt eae quae a Patribus Franciscalibus Scodrae in Albania diriguntur.

« Franciscanus Ordo primus in regione Albaniae Superioris Missiones instituit ac illos populos instruere aggressus est, ita ut asseri possit Franciscanos uno tempore missionariorum et educatorum munere functos fuisse. Permultas enim instituêre scholas non solum in civitatibus, sed etiam inter aspera montium, ubicumque necessitas sese offerret. Non pauca, exempli gratia, exponenda nobis erunt de scholis *Ipek, Iacova, Prisrendi, Jaguevo* etc., quae non solum innumeris pene difficultatibus superatis sunt institutae, sed etiam nunc gratuito existunt, ita ut aperte dici possit eas totidem esse luculenta exempla et monumenta quae zelum ac virtutem illorum Missionariorum testantur.

« Sed ubi Franciscalibus maiora occurrerunt obstacula quae nihilominus ab eis splendide devicta sunt, haud dubio *Scodrae* fuit. Eorum scholae praesertim indigentibus pueris praesto sunt, quibus suppeditantur scholastici libri, necnon charta, calami et atramentum. Proventus vero haud necessitati respondunt ac saepissime coacti sunt opem implorare a charitate catholica non solum Italiae, sed Galliae et Austriae.

« Scholastici anni 1878-79 lapsu Franciscalium scholae a tercentis pueris circiter frequentatae sunt. Eae in quatuor classes dividuntur, quibus praeparatorius cursus praemittitur. Methodus autem edocendi quippe quae a Fratribus Italicis elaborata, haud dissimilis ab ea est quae in scholis nostri Regni viget.

« Adest etiam schola pro puellis quae quidem Franciscanorum zelo debetur. Anno 1875 hi Religiosi quasdam indigenas puellas in Italiam miserunt, ut edocendi artem ediscerent; quae anno 1879 *Scodram* reverterunt una cum quatuor Sororibus a SS. Stigmatibus quarum pio Sodalitio illae nomen dederant. Omnes vero regulari diplomate ab Italico *Gubernio* collato praeditae sunt.

« Sunt etiam Dyrrachio tres scholae memoratu dignae e quibus duae Graecae atque una catholica. Haec a magistro laico Italico dirigitur qui nostro idiomate docet et posita est sub immediata iurisdictione Rmi Archiepiscopi D. Ambrosio e Franciscana familia.

« Quoad multas vero scholas in Superiori Albania a Franciscalibus directas de praecipuis tantum pauca dicamus.

« Scholae Franciscanae in Prisrendi subvenit Gubernium Austriacum flor. 420 annuis, Episcopus idoneum locum in suo palatio cessit. Italica lingua docetur, sed methodo quae in scholis Austriacis viget. Magister est laicus, et parochus qui semper ex Franciscana familia eligitur scholam invigilat. Quadraginta circiter pueri eam frequentant.

« Scholis *Jacovae* et *Ipek* subvenit pariter Austriacum Gubernium flor. 240 annuis: ambae a Franciscalibus diriguntur. Prior 30, posterior 25 pueros enumerat. Magister *Jacovae* Italus est, *Ipek* Dalmata qui tamen Romae institutionem suscepit.

« *Jaguevo*, parva civitas *Pristinam* prope, habet etiam scholam quae florentissima omnino est inter eas Orientalis partis Albaniae Superioris. Huic Austriacum Gubernium 240 florenos annuos assignavit, et sicut maxima pars catholicarum scholarum Franciscanae Missioni affidata est.

« Permulta autem sunt Instituta quae non solum Italicis, sed et alienigenis pueris primariam ac secundariam instructionem impertiunt, et quorum pars maxima a Religiosis diri-

(1) *Relazione al Parlamento sulle scuole italiane all' estero.* Roma, Tipogr. del Ministero degli Affari Esteri 1880.

guntur. Inter quas notanda sunt Collegia de Terra Sancta in *Aleppo* et *Maraasc*.

« Collegium istud tantummodo Italicam linguam completa et perfecta methodo docet. Octo magistros adnumerat quorum labores et conatus morali civilique puerorum progressui maxime prosunt, quibus tamen Italicum Gubernium haud sufficientem opem afferre potest.

« Hoc autem Collegium oeconomice haud male se habet. Modicum salarium alumnorum, subsidium annuum aurearum libellarum *3200* ab Italico Gubernio attributarum, necnon totius aedificii libera possessio, instructionis necessitatibus suppetunt. Causae autem praecipuae huius Collegii prosperitatis sunt certe doctrina atque intelligentia magistrorum, qui inter aptiores totius Ordinis magistros seliguntur. In hoc Collegio alumnis indigentibus Franciscales Patres libros, chartam, calamos et atramentum, ac non raro etiam, si opus sit, modicam victus portionem suppeditant. Quoad Italicam linguam libris utuntur qui ab Italici Gubernii programmate praescripti sunt. Quoad studium vero Turcicae, Arabicae ac Gallicae linguae, Religiosi curam habent seligendi eos tractatus qui maiori commendatione ac laude digni sunt. Italice demum Historiam, Geographiam, Arithmeticam, atque elementa scientiarum naturalium explanant.

« Italicum Gubernium pluribus abhinc annis Franciscalium opera in schola Italica Tripolitana utitur. Instructio est elementaris ac gratuito impertita. Mille libellae annuae a Gubernio suppeditantur. Anno 1870 haec schola viginti quinque alumnos recipiebat qui non solum Italicam sed et Gallicam linguam edocebantur. Adest etiam schola puellaris a Franciscalibus erecta, quae anno 1870 a 32 puellis frequentabatur.

« In Rhodi insula late pervulgatum est Italicum idioma ob historicas traditiones quae maxime aluntur a scholis Franciscalium qui constanti ac nobili magisterio exterorum immissiones impedierunt. Regio tamen illa indigentissima est, ac Religiosi haud necessitati respondentes proventus habent, ita ut eorum scholae quamvis zelo ac constanti amore alitae, miseram tamen existentiam ducant. Hae scholae usque ab anno 1720 a Franciscalibus Italicis fundatae sunt Gratuito semper instructio impertita est.

« *Tripoli* in Barberia duae scholae elementares gratuitae existunt pro pueris indigentibus familiarum Italicarum ibi residentium, altera puerorum, altera vero puellarum, atque ambae ad Franciscanam Missionem pertinent. Adsunt vero etiam duae scholae in quibus stipendium exigitur. Scholae puerorum a Missionariis ipsis, puellarum vero a Sororibus S. Iosephi diriguntur.

« Gubernium Italicum subvenit in *Cairo* scholae puellariae a Sororibus Franciscalibus Tertii Ordinis directae, quae quidem bonorum operum copiam producunt. Pluribus iam ab annis eae Sorores ex Italia profectae Aegyptum petierunt eo consilio, ut erigerent scholas pro puellis Italicis atque indigenis. In *Cairo* scholam constituere coeperunt ac bonus huius exitus eas impulit ad paria Instituta aperienda in *Cairo* veteri, in *Bolaco*, atque inde in Inferiori Aegypto, *Mansurae*, *Damiatae*, *Zafr-Zaiat* atque *Ismailiae*. Edocentur lingua Italica, Arabica ac Gallica, Arithmetica, Geographia, ac muliebria pensa. Atque ut quisquis aequam de utilitate harum scholarum existimationem concipiat, sufficit dicere anno 1878 puellas quae scholam *Cairi* civitatis frequentarunt 240 fuisse, e quibus decem stipendio; in *Cairo veteri* 40 omnes gratuito, *Mansurae* 150 e quibus 90 gratuito, *Zafr-Zaiat* 35 e quibus 20 gratuito.

« Anno 1879 princeps domus *Cairi* recepit 280 puellas e quibus 200 gratuito; schola *Bolachi* 40 e quibus 30 gratuito, schola *Cairi Veteris* 50, gratuito, schola *Mansurae* 150 e quibus 90 gratuito, schola *Damiatae* 70, e quibus 40 gratuito, schola *Ismailiae* 70 e quibus 40 gratuito et tandem schola *Zafr-Zajat* 20 e quibus 10 gratuito. »

Et in Relatione recentiori (1), anno 1882 facta, legimus: « Ea quae Eq. Alberici Consul Italicus nuper nobis retulit de scholis et Collegiis Terrae Sanctae in Aleppo, iudicium iam de his latum confirmant necnon opportunitatem pecuniarii subsidii ab Italico Gubernio eis attributi. Progressus alumnorum anno schola-

(1) *Le scuole italiane all'estero, 1880-1881*. Roma, tip. del Ministero degli affari esteri, 1882.

stico 1880-81 expectationem omnino superavit, et 12 adolescentes Italici qui Regio subsidio fruuntur amplas benemerentiae attestationes consecuti sunt. Director scholarum P. Fidelis a Graecio ut quam maximum incrementum atque impulsum instructioni daret ex Ordine Terrae Sanctae expostulavit atque obtinuit duos alios Italicos magistros. Collegium, comparatione facta cum praecedenti anno, multo magis ab alumnis frequentatum est, ita ut horum numerus a 70 ad 150 ascenderit. Et quia vetus aedificium non amplius continere poterat alumnos, altera spatiosa domus Collegio contigua empta est. Pater autem Innocentius excellens musicae artis magister concertum instituit. Studia etiam Historiae Naturalis foventur ac solerti cura exemplaria colliguntur quibus Museum formari possit. Tantum denique est zelum tantaque abnegatio Franciscalium Fratrum in instructione provehenda ut eorum Collegio merito primum locum adsignari possit inter ea quae in Aleppo existunt.

—

ARMENIA

Ex epistola Rev. P. Prosperi Mariae de Marennis, Min. Obs. Prov. Sti Ludovici in Gallia et Missionarii in *Aintab* (Armeniae) sequentia decerpsimus:

« .... Antequam hanc epistolam concludam operae pretium esse existimo tibi enarrare quod die 25 Novembris elapsi anni 1882 mihi accidit.

Una cum Fratre Donatiano deambulatum ibam, et viam quae ad *Maraasch* ducit carpseram, quum, vix aliquo spatio per agros percurso, rectum iter rursus capere volui. Occurrerunt tunc nobis tres viri, qui pyroballistis, hastis et duplici gladio armati a nobis petierunt quo iremus et unde venissemus. Quumque nos inermes inspexissent, minis territos depraedati sunt. Aliquantulum restitimus, sed hastis et gladiis offensi, eis cedere debuimus. Tunc illi horologium rapuerunt Fr. Donatiano, et quum apud me nihil invenissent, nobis imperarunt ut eos sequeremur, quod maxima animi tranquillitate fecimus, cum eis sermonem habentes. Nos autem deduxerunt in medium sylvae a via remotae, ibique a nobis pecuniam petierunt quam nobis haud habentibus, duo ex illis qui horologium rapuerant Fratri Donatiano, nihil dixerunt. Tertius vero furore percitus eo quod nihil lucratus esset, habitum nostrum exuere jussit, accurate nostras vestes inspexit, tunicas rapuit, meque cum Fratre Donatiano colligavit fune quem ego gestabam.

Abierunt tandem, tunicam interiorem solummodo ac femoralia nobis relinquentes. Nos autem facile nosmet vinculis exuere potuimus, atque iter rursum aggredientes, hora post solis occasum domum reversi sumus.

Magna fuit in civitate commotio, et inquisitiones a gubernatore peractae ad reos detegendos ab omnibus laudatae sunt, praesertim quod saepe hujusmodi aggressiones inultae dimissae sunt.

Et ecce pericula latronum evasimus. Utinam aliquando martyrii honorem et gratiam non effugiamus! »

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

1882. VITA DELLA BEATA BATTISTA VARANI, fondatrice del Venerabile Monastero di S. Chiara in Camerino, descritta dal M. R. P. Anton Maria Marini, M. O., Lettor Giub., Cronologo nell' Osservante Provincia del Piceno, ora la prima volta pubblicata con alcune aggiunte e correzioni. Camerino Tipog. Savini in 8°. pag. VII-452, L. 1, 50.

1882. NOTIZIE INTERESSANTI sulla Provincia delle Amazzoni nel Nord. del Brasile, pel P. Gesualdo Machetti, M. O. Roma, Tip. editrice Romana in 12°. pag. 16.

Idem P. Iesualdus, Praefectus Missionum Provinciae Amazonum, jam anno 1877 aliam relationem typis evulgaverat, sub hoc titulo: *Breve Memoria della nuova Missione francescana nel Nord del Brasile.*

1882. MES DE MARIA DE LAS ALMAS INTERIORES, o sea la vida de la Santisima Virgen propuesta por modelo a las almas interiores, traducido de la cuarta edicion francesa

por el P. Fr. Iuan M. Marquina, Menor Observante, Rector del Colegio de Misiones para Tierra Santa y Marruecos de la ciudad de Santiago. Madrid, en 8°, (lire. 2).

1882. Sacerdos devote celebrans SS. Missae Sacrificium, sive preces et meditationes ante et post oblationem SS. Sacrificii Missae, quas ex variis probatissimis auctoribus collegit et in singulos dies mensis distribuit P. F. Archangelus Vendrickx, Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum Belgii. Mechliniae, H. Dessain. (L. 2).

1882. Nella ricorrenza del VII Centenario della nascita di S. Francesco d'Assisi. Orazione sacra di Fra Michele da Pietraperzia, Min. Rif. ora Rosario Arciprete di Blasi, Parroco di detto comune, Esaminatore sinodale della diocesi. Piazza Amerina. Tip. Pansini, in 8. pag. 26.

1882. De heilige Kruisweg (latine: *S. Viae Crucis*) Twaalf oefeningen om den hl. Kruisweg met vrucht te doen, door P. F. Archangelus Vendrickx, uit het Orden der Minderbroeders-Recollecten van België. Sint-Truiden (St. Trond) Schoofs-Herman. (L. 0,50).

Continet 12 methodos Viae S. Crucis exercitium cum fructu peragendi.

1882. Compendio della Vita di S. Antonio di Padova dell'Ordine dei Minori con Appendice di Novene e della divozione dei Martedì, per cura di un Sacerdote dello stesso Ordine. Udine, tip. del Patronato. (L. 0, 20).

1882. San Francisco de Asis (Siglo XIII) por Emilia Pardo Bazan. Madrid, Libreria de D. Miguel Olamendi, Paz. 5. (2, vol. in 12.)

Tomus I haec capitula continet: Introduccion: La edad media y el siglo XIII. I. Primeros años. — II. Aurora de la Orden. — III. El apostolado franciscano. — IV. S. Francisco en España. — V. La Orden se constituye — VI. Primer corona. — VII. Pasion. — VIII. Agonia, muerte, resurreccion.

Tomus autem II continet sequentia Capitula: I. La Orden Tercera. — II. La indulgencia de las Rosas. — III. San Francisco y la mujer. — IV. San Francisco y la naturaleza. — V. La pobreza franciscana y las herejias comunistas. — VI. La inspiracion franciscana en las artes. — VII. La inspiracion franciscana en la ciencia. — VIII. Los filosofos franciscanos. — IX. San Francisco y la poesia. Canto XI del Paradiso de Dante. Versione castellana — Oficio parvo de S. Francisco.

1882. Sul Beato Pacifico da Ceredano, nella sua quarta festività centenaria. *Panegirico* del M. R. P. Basilio da Neirone, ex Provinciale e Lettore Teologo dei Minori Riformati. Genova, Tipog. Arcivescovile, in 8. (pag. 16.)

1882. Per il proseguimento della nuova chiesa di S. Stefano protomartire in Genova. Ragionamento del M. R. P. Basilio da Neirone, Min. Rif. Genova, Tip. Arcivescovile, in 8. (pag. 18).

1882. Ricordo delle triduane solennità per la ricorrenza sette volte secolare della nascita del Serafico Patriarca S. Francesco d'Assisi, celebrate nella Chiesa dei Padri Minori Riformati al Cimitero di Verona, — Verona, tip. Merlo, in 8°. pag. 51.

1882. Cantata en honor del Doctor Mariano y sutil, universal maestro de la escuela franciscana, V. P. Fr. Juan Dunsio Escoto. Letra del M. R. P. Ramon Alvarez Lugin, Definidor de la Provincia de Cartagena. Musica del maestro D. I. I. Santesteban.

1882. Il Giglio del Montenero ossia la B. Osanna da Cattaro, Terziaria dell'Ordine Domenicano, del P. Bonaventura da Masèr, Minor Riformato della Prov. di Venezia. — Monza, tip. dei Paolini in 32, pag. 40.

1883. De humanae cognitionis ratione anecdota quaedam Seraphici Doctoris sancti Bonaventurae et nonnullorum ipsius discipulorum, edita studio et cura Patrum Collegii S. Bonaventurae. — Ad Claras aquas (Quaracchi) prope Florentiam, ex typographia Collegii S. Bonaventurae. in 8. maiori (pag. 250) (L. 4 pro Italia et 5 pro exteris regionibus)

Ex indice huius operis sequentes depromimus articulos:

Dissertatio Patrum editorum.

Opuscula seraphici doctoris s. Bonaventurae

Quaestio disputata: Utrum rationes aeternae sint rationes cognoscendi in omni certitudinali cognitione

Quaestiones disputatae *Fr. Matthaei ab Aquasparta.*

Quaestio disputata *Fr. Ioannis Pechami.*

Quaestiones disputatae *Fr. Eustachii.*

Quaestio disputatae *Fr. Rogerii Anglici*

Quaestio disputata *Fr. Richardi a Mediavilla.*

V.

NECROLOGIA

—

Illmus et Revmus Leopoldus Angelus Santanchè, Archiepiscopus-Episcopus Fabrianensis et Mathelicensis, natus in loco vulgo *Acquasanta*, Asculanae Provinciae, die 3 Octobris 1818, in Domino obiit die 10 Februarii 1883. Vigesimo primo aetatis anno, die scilicet 15 Octobris 1839, Ordini Seraphico in Reformata Picena Provincia adscriptus, eamdem multifariam illustravit. Etenim per plures annos in propria Provincia Pisauri et alibi S. Theologiae Lector, doctrina ac pietate discipulorum animos imbuit, donec, Deo vocante, anno 1856 ad Orientales Missiones Constantinopolim profectus, ibidem Perae ad S. Mariae paroeciam regendam destinatus fuit. In Parochi munere multa pro Dei gloria fecit, multa et pertulit; inter quae illud memoratu dignum quod die 2 Ianuarii anni 1868 a nefariis hominibus fuste caesus ac semivivus relictus fuerit, eo quod cuiusdam sectarii, quem ad fidem Deumque converterat, emblemata ac signa massonica eisdem reddere noluisset.

Cum autem fel. rec. Pius IX Ablegatum mittere decrevisset ad Ecclesiae pacem procurandam, eiusque iura tuenda, nec non ad componenda dissidia inter perturbationes Rerum publicarum S. Dominici, Haiti, et Venezuelae in America, P. Leopoldum ex Oriente Romam accitum illuc primo misit nulla dignitate insignitum; ut sic facilius ac propius, omni suspicione remota, rerum statum cognosceret, et viam ulterioribus tractatibus aperiret. Quae cum illi felicissime successissent, Summus Pontifex die 3 Martii 1871 illum Acridensem Archiepiscopum renunciavit, et Archidioeceseos S. Dominici Apostolicum Vicarium nec non pro Rebuspublicis Haiti et Venezuelae S. Sedis Delegatum nominavit.

De hac vero Praesulis nostri Delegatione Apostoli verba (2 Cor. VI 26) usurpari possunt; fuit enim, « *in itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum.... periculis in civitate, periculis in solitudine, in labore, in aerumna, in vigiliis.* » Inter alia autem nonnisi speciali Dei providentia aliquando intentatam sibi mortem effugit. Cum enim impius quidem eum odisset et eiusdem necem meditaretur detestanda perfidia pacem simulat, ac in pignus simulatae pacis Delegato poculum offert, qui nil de insidia suspicatus sumit, et veneno inficitur, quod sanitatem viresque suos ita labefactavit, ut exinde semper infirmae valetudinis fuerit.

Quatuor fere annis in America transactis, Romam revocatus est a Summo Pontifice, qui eum ad Vicariatum Apostolicum Constantinopolitanum destinaverat: sed cum maligni homines huic designationi per summam calumniam sese opponerent, Pontifex illum adregendas sedes unitas Fabriani et Mathelicae transtulit, quas septennio pie sapienterque gubernavit, donec diutini ac molestissimi morbi doloribus patientissime toleratis, omnibus Ecclesiae Sacramentis munitus, Fabriani in pace Christi quievit.

—

Ex America ad nos pervenit infaustum nuntium mortis Illmi et Rmi Mamertis Esquiù, Episcopi Cordubensis in Republica Argentina. Praeclarissimi Praelati Confratris nostri necrologiam in alio fasciculo trademus.

—

A. R. P. Dionysius Ababth, Ex-Custos Provincialis Ref. Custodiae Cincinnatensis S. Ioannis Baptistae. Natus die 6 Iunii 1823 in Schleis in Tyrolio septentrionali, anno 1842 Ordinem nostrum ingressus est in Ref. Provincia S. Leopoldi. Anno 1855 venit in Americam septentrionalem, ubi anno 1865 Custodiae Cincinnatensis, quae a praefata Provincia originem ducit, Custos Provincialis electus est. Qua Custos Concilio plenario Baltimorensi interfuit. Post multos ac magnos labores pro animarum salute exantlatos die 20 Novembris 1882 Ludovicopoli in Conventu S. Bonifacii placidissime in Domino obiit.

Nihil obstat
Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECISIO

S. C. Episcop. et Regularium, super interpretatione an nonnullae resolutiones quoad emolumenta et funera applicari possint Melitae in casu consimili.

COMPENDIUM FACTI. In una *Caven. et Sarnen. Funerum et emolumentorum,* diei 17 Septembris 1880, quatuor resoluta fuere dubia, a quodam Patre Provinciali Minorum Observantium proposita huic S. Congregationi. In lectorum commodum heic describimus dubia ista et resolutiones tunc editas: (1)

I. *An et cui ius competat comitandi cadavera ab Ecclesiis Regularium, quo collata fuere ad explenda funebria, ad commune coemeterium, ubi sepeliri debent.*

II. *An parochi ius habeant percipiendi emolumenta quae ab haeredibus dantur Sacerdoti ista comitanti cadavera ad coemeterium.*

III. *An Religiosi in associatione cadaverum, de quibus agitur, accersere debeant Parochum pro comitandis defunctis ad coemeterium.*

IV. *An Regulares incedere possint cum stola et cruce conventuali usque ad sepulchrum, sive autem utrumque Signum deponere debeant in transitu per paroecias, resumendum postea in coemeterio?*

Sacra Congr. Ep. et Reg. sub die 17 Septembris 1880 censuit respondere:

Ad I. *Affirmative favore Regularium.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

(1) Cfr. *Acta Ordinis* anni 1882, pag. 83-85.

Ad IV. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, sine pompa et recto tramite.*

Quum haec dubia et resolutiones nonnullis innotuerint Parochis melitensibus, recursum habuerunt apud eamdem S. Congregationem Ep. et Reg, ut certiores fierent an resolutiones praedictae sibi quoque applicari deberent, nonnulla exhibent, ut evincerent easdem resolutiones illos non pertingere. Et primo attulerunt dispositionem Gubernii civilis diei 10 Maii 1869, quae sic se habet: cuilibet personae, aut Congregationi Romanae Ecclesiae, unam aut plures possidentibus sepulturas, gratis concedetur locus, si expetatur, in coemeterio extra civitatem extructo. Hinc asseruerunt parochi iidem, cadaverum elationem, de consensu ecclesiasticae auctoritatis, a loco mortis ad ecclesiam pro funeribus explendis designatam, et ab hac ecclesia ad coemeterium, vel ad alium sepulturae locum, fieri solitam fuisse a proprio Parocho vel ab alio sacerdote delegato usque ad ultimum tempus.

Commune enim dictum coemeterium semper habitum est ceu iurisdictioni parochorum obnoxium; aiente Episcopo, parochos posse inibi exercere actus iurisdictionis veluti in paroecia. Ius hoc praeterea ipsum recognovit gubernium civile, a quo aliquid rependitur Parochis, pro qualibet associatione ad coemeterium, absque exceptione quoad laicos aut saeculares. Et quamvis PP. Cappuccinis concredita sit coemeterii custodia, tamen Ordinarii iussu, emolumenta a funeribus provenientia parocho cedere debent; ex quo inferunt quod parochus ipse cadavera resumens ab Ecclesia Funerum, ut ad coemeterium comitetur, resumit ut eadem ducat ad locum, qui fictione iuris habetur veluti pars districtus paroecialis, et in quo absurdum iuridice foret, alios exer-

cere iurisdictionem. Animadvertunt insuper parochi iidem, huiusmodi iure perfruitos fuisse, etiam ante novi coemeterii erectionem.

Quum quaestio haec pertractari deberet plenis comitiis, iter ad iuridicam disceptationem paratum fuit per duos consultores, ad id deputatos.

DISCEPTATIO SYNOPTICA

VOTUM PRIMI CONSULTORIS. Notiones quasdam canonicae iurisprudentiae praemisit ille, ut applicationem casui inde perageret. Imprimis ait: ex iure certum est quod unusquisque sit sepeliendus ubi sacramenta debet percipere: quia utrumque est ius parochiae, scilicet et sacramenta administrare et mortuos sepelire; *cap. ex parte* et *cap. in nostra de sepulturis.* Bonifacius VIII. autem in *cap. 1 de sepulturis in 6.* « Si religiosi, vel clerici parochianos « alienos praesumpserint sepelire, ad restitu- « tionem tam sepultorum corporum, si petan- « tur, quam etiam omnium quae occasione « sepulturae illorum pervenerint, quomodoli- « bet ad eosdem infra decendium integraliter « faciendam ipsos obligatos esse censemus. »

Et S. Congr. Con. in *Derthonen. Spolii, manutentionis ac reintegrationis die 24 Martii 1821,* et in *Camerinen.* Funerum 23 Iunii 1821 constituit: *consonum constanti S. C. Concilii doctrinae, post excitatas coemeteriorum constructiones, parochorum ius, circa emolumentorum perceptionem, sartum tectumque servandum esse.*

Ex eo autem quod Ecclesia Regularium ius habeat explendi funus, haud descendit, quod iidem Regulares frui debeant etiam iure tumulandi; S. C. C. in *Ariminen.* Funerum diei 16 Iunii 1827 admisit *quod latum intercedit discrimen inter ius funerandi et ius sepeliendi; nec unum est alterius accessorium.* Haud obliviscendum est, adiecit Consultor, in materia funerum magni ponderis esse consuetudinem pacificam, et optimae observantiae: et sacras Congregationes passim innuere multum esse deferendum consuetudini in materia funerum. Notandum etiam venit, familias religiosas aliquando privilegiis frui pontificibus, vi quorum excipiuntur a iurisdictione parochiali quoad funera confratrum, et quoad sepulturas in ecclesiis suorum ordinum.

Ex quibus praenotatis collegit consultor, ius absolutum pro parochis manet quoad associationem, funera, et tumulationem cadaveris, quoties invocari nequeat privilegium, consuetudo, vel peculiaris petitio. In casu autem, praeter ius, pro parochis existens, adest consuetudo, observantia roborata, et ideo favore parochorum concludo, ait Consultor, ut manuteneantur in suo iure, donec regulares privilegia aut consuetudinem contrariam adducant; nihil obstans resolutio S. Congregationis diei 17 Septembris 1880, quae respicit tantum casum peculiarem examini subiectum.

VOTUM SECUNDI CONSULTORIS. Animadvertit hic contra, quod etsi resolutiones sacrae Congregationis diei 17 Septembris 1880, de quibus sermo est, emissae fuerint in casu particulari, tamen vim exerunt etiam in aliis similibus casibus; ita ut normam constituant generalem. Sunt enim declarationes communium regularum, seu dispositionum iuris canonici quoad ius Regularibus inhaerens sepeliendi fidelium cadavera; quatenus in ipsis Religiosorum Ecclesiis sepulturam sibi iidem fideles elegerint. Quod ius sepeliendi in coemeterio exercetur, si ecclesiae suffectum fuerit coemeterium publicum; ceu pluries haec et Concilii S. Congregatio declararunt « Ecclesia quae « ius habebat tumulandi in propriis sepulturis, « nunc ius istud exercet in publico coemete- « rio; erectione coemeteriorum locus sepul- « turae materialiter tantum mutatus est, ius « vero sepeliendi integrum mansit. » Omnia haec, et alia quae omittimus, innuunt, resolutiones redditas ab hac S. Congregatione sub die 17 Septembris 1880, normam constituere generalem, etiam Melitae applicabilem.

Duo, ait Consultor, esse rationum momenta, quibus innixi parochi autumant, resolutiones praefatas applicari non posse Melitae:

1. Publicum coemeterium semper habitum fuit uti subiectum parochorum iurisdictioni; et *fictione iuris* ceu pars districtus parochialis: hinc absurdum foret, alios inibi exercere actus iurisdictionis. Respondit Consultor ita argumentum retorquendo: relate ad sepulturas Ecclesiarum Regularium publicum coemeterium, iuxta Ss. Congregationum resolutiones, *fictione iuris* considerari debet veluti obnoxium Regularium iurisdictioni, et ceu pars districtus

exempti. Igitur iuridice absurdum foret, quod parochi ibidem exercerent iurisdictionis actus. Dispositiones vero tum gubernii civilis, tum Episcopi nil in themate prosunt, eoquod cedere debeant dispositionibus Apostolicae Sedis. Praeterea si probe expendantur dispositiones gubernii civilis, et Ordinarii haud excludunt hoc ius, sed includunt.

2. Ratio adducta a Parochis melitensibus est quod ius comitandi cadavera ab Ecclesiis Regularium ac coemeterium, nunquam anteacto tempore in dubium revocatum fuit. Hanc, respondit Consultor, esse eamdem rationem adductam a Parochis Cavensibus: nam isti excipiebant cadavera ad portas Ecclesiarum, ut ad coemeterium ducerent: et ius hoc recognitum fuit a Guardianis pro tempore, usque ad annum anteactum. Hisce non obstantibus, Emi Patres die 17 Septembris 1880 rescripserunt favore Regularium. Sic eadem deductio haud obstat quod resolutio ipsa applicari possit etiam Melitae, postquam certum est, parochos sibi tribuisse ius proprium Regularium.

Hisce praenotatis EE. Patrum iudicio submissum fuit enodandum sequens

DUBIUM

An resolutiones huius S. Congregationis in Caven. et Sarnen. seu Ordinis Minorum Observantium, Funerum et emolumentorum, diei 17 Septembris 1880 applicari possint Melitae?

RESOLUTIO. Sacra Congr. Ep. et Reg. re perpensa, sub die 22 Septembris 1882, censuit respondere:

Affirmative.

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Sacras Congregationes de mandato et nomine R. Pontificis agentes enucleare et determinare quodnam sit ius pro omni casu consimili, quando iudicant de postulatione aut de facto particulari.

II. Quamobrem, iuxta saniorem DD. sententiam, resolutiones Ss. Congregationum, etsi redditas pro casibus singularibus, vim legis generalis habere, et pro casibus consimilibus obligare.

III. Huiusmodi sententiam firmari per resolutionem in casu datam; nam decernitur resolutionem redditam in *Caven.* et *Sarnen.* applicari debere casui Parochorum melitensium, primo consimili.

IV. Proinde coemeterium publicum considerari, *fictione iuris,* posse ceu partem districtus paroecialis quoad illos, qui propriam sepulturam non habent; non vero quoad sepulturam habentes in Ecclesiis exemptis: nam etiam pro istis coemeterium publicum fit, fictione iuris, pars districtus Ecclesiae exemptae; et Regulares solummodo ius habent comitandi cadavera ab eorum Ecclesiis ad coemeterium publicum, absque parocho.

—

RESCRIPTUM

S. C. Indulg., quo conceditur facultas subdelegandi Religiosum Confessarium ad benedicendam chordam S. P. *Francisci Superioribus Conventuum, ubi canonice erecta existit Confraternitas Chordae.*

Beatissime Pater

Fr. Antonius M. Adragna, Minorum Conventualium Vicarius Generalis, ad Pedes Sanctitatis vestrae provolutus humillime exponit: quod fel. rec. Sixtus V. (Constit. *Ex Supernae* ann. 1585) concessa Minorum Conventualium Generali *pro tempore* facultate erigendi Chordigerorum Confraternitates in Ecclesiis Franciscanis tam Conventualium, quam Observantium ac Capucinorum: et (Constit. *Divinae Charitatis* ann. 1587) eadem facultate itidem Generali *pro tempore* Minorum Observantium concessa pro Ecclesiis sui Ordinis; in duabus supradictis Constitutionibus statuit chordam benedicendam esse (in qua chordae benedictione Chordigerorum adscriptio consistit) a Superioribus, intelligendo per Superiores etiam Guardianos et Praesidentes.

Porro interdum accidit, ut tam Guardianus, quam Praesidens vel Vicarius impediti sint vel ad chordam benedicendam, vel ad Indulgentiam Plenariam impertiendam Christifidelibus in Articulo mortis constitutis, antea iam Chordigeris adscriptis.

Orator idcirco petit ut Superiores locales Minorum Conventualium et Minorum Observantium, in casibus personalis impedimenti ut

supra, facultatem habeant, alium ex propria Communitate delegandi ad effectum S. Chordae benedicendae, vel Indulgentiae Plenariae in *Articulo mortis* impertiendae Christifidelibus, antea iam inter Chordigerorum numerum adscriptis.

Quod Deus etc.

Ssmus D. Noster, Pius PP. IX in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 23 Aprilis 1876 Oratorum precibus annuens clementer indulsit ut Superiores locales utriusque Ordinis nempe Minorum Conventualium et Minorum Observantium, videlicet Guardiani et Praesidentes, in casu tantum legitimi impedimenti, quemlibet Religiosum ex familia sibi benevisum, qui tamen ad audiendas Confessiones sit adprobatus subdelegare possint, tum ad benedicendam chordam pro Christifidelibus Societatem Chordigerorum ingredientibus, tum ad absolutionem et benedictionem iisdem Chordigeris in Articulo mortis constitutis impertiendam, iuxta Privilegia a Summis Pontificibus iisdem praefatis Ordinibus collata, servata in reliquis forma et tenore primaevarum concessionum, et caeteris de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 23 Aprilis 1876.

L. S.

I. Card. Ferrieri, Praef.
Dominicus Sarra, Substitutus.

—

DECRETUM

S. C. Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae, quo determinantur paroeciae in Bosnia, sive ad Archiepiscopum Vhrbosnensem, sive ad Patres Franciscanos pertinentes.

—

Cum inter R. P. D. Archiepiscopum Vhrbosnensem et Missionarios ex Ordine S. Francisci a diuturno iam tempore in Bosnia existentes de collatione Paroeciarum oborta esset quaestio, Sacra Congregatio Ecclesiasticis Negotiis extraordinariis praeposita die X. Decembris anni MDCCCLXXXI Decretum edidit, (1) quo iisdem Franciscalibus Religiosis fiebat potestas specialia sua iura apud Apostolicam Sedem deducendi. Interim ut res amice componeretur, Archiepiscopus cum Sodalibus S. Francisci tractationem iniverunt in qua Praepositus Provinciae triginta duas Paroecias cedendas obtulit; sed cum de hoc paroeciarum numero et de ratione cessionis inter se non convenirent, praelaudatam Sacram Congregationem iterum adivere; quae omnibus mature perpensis, praedicti paroeciarum numeri cessionem ratam habuit, adiecta insuper paroecia de Banialuka, et duabus aliis, collatis utrinque consiliis determinandis, atque ea quae sequuntur sancienda et declaranda esse iudicavit.

I. Praedictae Paroeciae ad numerum triginta quinque, a Religiosis Franciscalibus Archiepiscopo cedendae, evadent in posterum liberae Ordinarii collationis, eaeque erunt viginti quatuor in Archidioecesi Vrhbosnensi, nempe: Golobrdo, Brcki, - Uzdol, - Rastovo, - Morancani, - Gorice, - Zepce, - Derventa, - Travnik, - Koricani, - Brod, - Dzelilovac, - Garevo, - Gradacac, - Vidovice, - Gromiljak, - Pecine, - Otinovci, - Radunice, - Sokolovakula, - Zabljak, - Pecnik, - Bezlja, - et Saraievo. — Novem in Dioecesi Banialucensi, nempe Paroecia de Banialuka, - Gradiska, - Stara-rieka, - Popovici, - Listani, - Grahovo, - Glamoc, - Varcar, - et Liskovac, quibus addi debebunt aliae duae paroeciae utrinque ut supra determinandae. Reliquae Parochiae in Dioecesibus Vrhbosnensi et Banialucensi erunt regulares et ad Religiosos Franciscales spectare pergent.

II. Cum in paroeciis liberae collationis parochus saecularis succedet regulari, hic suppellectilem domesticam tradere non tenebitur. Quod si Ordinarius aliquas ex his Paroeciis Presbyteri Regularis administrationi velit committere, hic idem tributum, quod nunc praestare solet, suo Conventui solvere debebit, et a Provinciali Ordinis proponetur ita, ut iuxta Constitutionem Apostolicam « *Firmandis* » ad nutum tum Ordinarii, tum Praefecti Regularis sit amovibilis.

III. In nominandis, transferendis et removendis rectoribus paroeciarum regularium ea

(1) Cfr. *Acta Ordinis* anni elapsi 1882, pag. 105.

omnia serventur, quae in praedicta Constitutione « *Firmandis* » et in Instructionibus S. C. de Propaganda Fide diei 23. Iulii 1787, et 3. Octobris 1852, pro Bosnia et Hercegovina statuuntur.

IV. Quod attinet ad paroeciarum regularium territorium dismembrandum, et ad praeficiendum rectorem novae paroeciae ex dismembratione constitutae, ea erunt servanda quae in Constitutione Apostolica « *Romanos Pontifices* » pro Anglia et Scotia praescribuntur.

Sanctissimus Dominus Noster Leo divina providentia Papa XIII in audientia die 13 Martii infrascripto Secretario eiusdem S. C. Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae concessa, haec omnia probavit, mandavit hoc edi Decretum et in Acta huius S. C. referri. Contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae e Secretaria praedictae S. C. die 14. Martii 1883.

Aloysius Pallotti, Secretarius.

—

EPISTOLA SUMMI PONTIFICIS

Ministro Provinciali Bavariae, qui Sanctitati Suae obtulerat exemplar operis SERMONUM BEATI FR. BERTHOLDI, (1) *occasione VII Centenarii Seraphici Patris editorum.*

—

Dilecto filio fr. Francisco Xaverio Lohbauer, Ministro Provinciali FF. Minorum Reformatorum, Monachium.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dum nobili festoque ritu catholicus orbis passim recolebat memoriam saecularem sexta iam vice recurrentem ortus Seraphici Patriarchae Francisci, qui, vivens imago Divini Salvatoris, mundo a cupiditatibus vitiato et pessum ruenti, datus fuit, ut eum a praecipiti retraheret et inclinatum erigeret, non ope tantum evangelicae doctrinae, sed efficacia quoque exempli paupertatis, humilitatis, obedientiae, asperitatis vitae Iesu Christi; peropportune prorsus in Sancti Patriarchae gloriam Fr. Petrus de Alcantara Hoetzl, Custos Bavaricae Provinciae Reformatae, in lucem prodidit e codicibus sermones ad Religiosos Fratris Bertholdi a Ratisbona, celebratissimi olim in istis regionibus Concionatoris. E continua namque et diutissime protracta serie evangelicorum operariorum Franciscalium, ex quibus aliqui adhuc, licet illustres, saeculorum decursu pressi delitescunt, luculentius semper effulget perennis virtus et operositas sanctissimi eorum Parentis. Nos igitur, etsi multiplicibus occupati curis et anxietatibus versare nondum potuerimus oblatos Nobis sermones, quos acceptissimos habuimus, commendamus tamen studium eruditi editoris, qui sic et flosculum addidit coronae Patris in die laetitiae, et alterum e familiae eius ornamentis ab oblivione vindicavit. Ominamur illi, ut dexteritatem suam in religionis provectum et Franciscalis familiae decus impendere pergat; tibique, Dilecte Fili, et ipsi, necnon universae Franciscali Reformatae Familiae istius Provinciae, cui praees, Apostolicam Benedictionem divini favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 18 Decembris 1882. Pontificatus Nostri Anno quinto.

LEO PP. XIII.

(1) Vide Fasc. I huius anni, pag. 16.

II.

ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES DISPERSOS

Incitamenta Seraphica.

(Continuatio).

VII.

Qualiter vota solemnia a minus fervidis Religiosis violari contingat in saeculo.

Ne putes, pie Lector, haec sola esse pericula quibus Religiosorum vota in saeculo exponuntur; dantur enim et magis damnosa et magis timenda, ea scilicet quibus castitas promissa labefactari contingit ab eis qui laqueos illos solerter non devitant et, mediis necessariis adhibitis, coelestem illam virtutem summa sollicitudine illabatam servare non student iu-

xta illud Apostoli ad Timotheum: *Te ipsum castum custodi* (1).

Quanta aemulatione virtutem castitatis prosecutus sit S. P. N. Franciscus, non modo constat ex virginali eius vita, sed etiam ex variis de hac habitis collationibus nec non ex eo quod illam iniungens Fratribus suis, absque omni maculae suspicione purissimam esse voluerit et gravissimis praeceptis munierit.

Virgineae enim illius puritatis Amator, castitatem, quam in se divina dig-atione servaverat, in Fratres suos derivare contendens, praeter votum omnibus Religionibus commune, tria alia iniunxit praecepta, quibus insuper quidquid speciem vel suspicionem aliquam mali ingerere posset, a suis fratribus sub praecepto ad peccatum mortale obligante removeret; primum quidem, *ne haberent suspecta consortia* (2); secundum, *ne ingrederentur monasteria Monacharum;* tertium, *ne fierent compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur.*

Quinimo dici potest, fere omnia, quae in Regula Seraphica continentur, directe vel indirecte eo tendere ut haec angelica virtus posset servari. Ea inter alia sunt quae de spiritu orationis et devotionis fovendo, de modo laborandi, de ieiuniis, de paupertate, de ruditate vestimentorum, de admonitione et correctione Fratrum et praesertim, ut dictum est, de suspectis consortiis vitandis aut praescribuntur aut commendantur.

Noverat enim noster S. Patriarcha, hominem quemque ad malum esse proclivem, carnem adversus spiritum concupiscere, et nonnisi continua luctatione, iugi carnis mortificatione, occasionum fuga ac praesertim humili prece et auxilio gratiae aliquem castum posse manere.

Perspectum habebat id quod docet S. Augustinus (3) « Inter omnia christianorum certamina, sola duriora esse praelia castitatis, ubi quotidiana est pugna et rara victoria. »

Haec S. P. N. Francisci praecepta et monita prae oculis habentes Familiae seraphicae Praelati, a primordiis Ordinis tales Constitutiones edi curarunt, quibus evangelica castitas illibata posset servari et contra varia eius pericula praemuniri.

Huc spectant continua illa pietatis exercitia, mortificationes et ieiunia, quae vitia comprimunt, mentem elevant, virtutem largiuntur et praemia, et potissimum variae illae cautelae praescriptae, quibus vel minima familiaritas sub poenis prohibetur eiusque removetur occasio.

Deo sint laudes, hisce praesidiis muniti coenobitae, hostem domesticum, carnem scilicet rebellem, adiuvante superna gratia, ita vincere possunt, ut nonnisi rariores lapsus in conventibus defleantur, et quidem, ut plurimum, ab iis commissi qui tepidam vitam ducunt, aut qui praescripta statuta parvipendunt vel imprudenti levitate transgredi praesumunt.

Si autem in ipsa vita monastica talia lugenda nonnumquam occurrunt, quidni timendum est pro Religiosis in saeculo degentibus, qui, adminiculis coenobiticae vitae orbati, tot occasionibus, tot periculis, tot incentivis luxuriae exponuntur?

Et profecto, quis haec enumerabit puritatis servandae obstacula? quis pugnas et inimicos quibuscum luctandum est?

Quamvis etiam coenobita domare debeat concupiscentiam carnis et pravas tentationes superare, multo tamen difficilius hoc erit Regularibus in mundo dispersis, qui, sine alieno stimulo, et propria bona voluntate ducti, necessaria illa media et arma spiritualia assumere deberent, quae claustralibus indies suggeruntur et subministrantur ad debellandam corruptam naturam.

Quanta fortitudine, quanta animi constantia eis opus esset, ut ad exemplum fervidorum Religiosorum vigilando et orando stimulo carnis iugiter resisterent.

Si autem considerentur externa luxuriae incitamenta quae in saeculo inveniuntur, quanto magis apparebit periculosissimam esse sortem Religiosorum expulsorum, si non fuerint piissimi simul et vigilantissimi.

(1) I. Tim. 5, 22.

(2) Quae sint signa suspecti consortii speciatim recenset et exponit R. A. P. Gaudentius, Definitor Generalis in egregio opere inscripto: *Introductio ad vitam Seraphicam*, quod ad primaevam observantiam in toto Ordine promovendam conscripsit, et quod proinde ab omnibus legi et attente perpendi deberet. Utinam omnes Ministri Provinciales quidquid possint in hunc finem praestarent, ut hac ratione spiritum ac zelum instaurationis vere seraphicae efficaciter suscitarent!

(3) Serm. 250 de Temp.

Apud omnes in confesso est, curam ventris per opiparas mensas et excessum in potu non modo viam spurcitiis sternere, verum et concupiscentiam provocare et sopitam accendere. Unde dicit S. Hieronymus (Lib. I contra Iovin.): « Si quis existimat posse versare in deliciis et deliciarum vitiis non teneri seipsum decipit. » Et alibi: « Venter enim mero aestuans despumat in libidinem. » Quod S. Bonaventura confirmat dicens: « Luxuria nutritur a ventris ingluvie (1). » Et revera quantas strages etiam in clero hoc vitium producat, iis praesertim in locis ubi dominatur, satis nec dici nec lugeri potest. Quam facile tamen eo contaminari possint Religiosi in mundo degentes, si sobrii non fuerint et cauti, ex eo deducitur quod tot occasiones fovendae crapulae occurrant sive apud saeculares sive apud Sacerdotes qui eos ad talia importune non raro invitant, ad quae declinanda si prudentes et fortes non fuerint, facile pervertentur, et luxuriae spiritu paulatim dominabuntur.

Alia cooperatrix ad exterminium castitatis est otiositas, quod ipsis paganis innotuit. Eapropter seraphicus noster Institutor otium, tanquam malarum omnium cogitationum sentinam, docebat summopere fugiendum, exemplo demonstrans rebellem carnem et pigram disciplinis continuis et fructuosis laboribus esse domandam. Scriptum est enim: *Haec fuit iniquitas Sodomae, otium ipsius* (Ezech. 16, 49). E contra « Cedet libido operibus, » ut dicit S. Isidorus (2).

Huic animae inimico in coenobiis resistitur variis et continuis occupationibus sive corporis sive mentis. Quantis autem periculis exponuntur Religiosi e claustris exturbati qui officia continua explenda non habent et alio modo tempus utiliter transigere non curant! Experientia quippe docet, fere omnes, qui desidiose vitam agunt et simul sensualiter vivunt, carnalia sapere eisque indulgere. Quapropter, ut a tanto malo liberentur qui vitae activae se dare non possunt, contemplationis viam sequi deberent, ordinem sibi praefigendo pro exercitiis spiritualibus quibus se totos devoveant, aut saltem studiis sacris gnaviter incumbere, iuxta exemplum et monitum S. Hieronymi dicentis? « Facito ut te semper diabolus inveniat occupatum. » Sed quis est hic et laudabimus eum?

(1) De profectu Relig. lib. 2 c. 52.
(2) De contemptu mundi.

Tandem quod conditionem Religiosorum expulsorum periculosissimam reddit, est consortium mulierum, ad quod facile pertrahuntur.

Quod in hoc maximum reperiatur perversionis periculum, tam alte proclamant Libri sacri, Sancti Patres, auctores ascetici et ipsa experientia, ut de hoc nullus sanae mentis possit dubitare.

Hoc in primis testatur Spiritus Sanctus; legitur enim in libro Ecclesiastici: *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decoro illius* (cap. IX, 5.) *Propter speciem mulieris multi perierunt: et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* (Ibid. v. 9.) *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.* (cap. XIX, 2.) *In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* (XLII, 12-13.)

Insuper Davidis, Sâmsonis et Salomonis seductionem per mulieres in Sacris Litteris consignavit, ut nullus non tremiscat, nullus non paveat a mulierum consortio aut aspectu. De Salomone loquens ait: *Cumque esset senex, depravatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur deos alienos.* (3. Reg. III.)

Nec alio modo loquuntur sancti Patres.

« Sine ulla dubitatione, ait S. Augustinus (1), qui familiaritatem non vult vitare suspectam, cito labitur in ruinam. » Et alibi: « Sermo brevis et rigidus cum his mulieribus (devotis) habendus est; nec tamen quia sanctiores sunt, ideo minus cavendae; quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt (2). »

« Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam (3). »

Eodem sensu dicit S. Cyprianus: « Impossibile est flammis circumdari et non ardere. »

Et S. Bernardus: « Cum femina frequenter esse, et feminam non tangere, nonne plus est quam mortuos suscitare? » (4).

Mirum proinde non est, quod omnes auctores ascetici fugam mulierum adeo inculca-

(1) Serm. 1 in Dom. 29.
(2) In Psalm. 80.
(3) Serm. 350 de Temp.
(4) Serm. 26 in Cant.

rint tanquam praecipuum medium servandae castitatis.

Et an tristis experientia haec omnia dicta non confirmat? Nonne omnia scandala Sacerdotum, quae unquam in Ecclesia evenerunt, familiari conversationi cum mulieribus praecipue tribuenda sunt?

Quomodo ceciderunt sicut Lucifer de coelo? Certe ob tepidam vitam, ob crapulam et superbiam, sed potissimum propter imprudens consortium cum feminis, quod Ordinariis dioeceseon nimis, eheu, perspectum, nimis probatum est.

Negari quidem non potest, sacerdotes curam animarum gerentes, Confessarios, sicut et missionarios nostros, pro officio suo quandoque coactos esse conversationem cum mulieribus habere, et toties in earum aspectum necessario occurrere. Verum, ubi ad hoc urget necessitas, aut pastoralis officii exigit sollicitudo, procul dubio, Deus eis assistet et praecavebit ne ruinam incurrant, dummodo conversatio sit gravis, nec ultra necessariam temporis moram protrahatur, nec aliquid misceatur quod levitatem redoleat. Si autem absque necessitate feminarum consortium frequentare praesumunt, eveniet ipsis quod dicit S. Hieronymus: « Prima tentamina clericorum sunt mulierum frequentes accessus. » Hoc semper manet verum, licet sint piae, sint verecundae, sint pudicae mulieres quas frequentas; illa ipsa earum virtus non raro subtilius allicit animum: quo securius agere te putas, eo latentius saepe insidiatur inimicus, et quod spiritu coeptum erat, non raro carne consummatur.

Haec sunt pericula quae Fratres nostri segregati quotidie sibi obvia habent. Quantum proinde sibi attendere debent, et quanta vigilantia, fortitudine et prudentia se contra tot laqueos praemunire tenentur, ne ipsimet experiantur quod, dum in conventu morabantur, toties plangentes cogitarunt et dixerunt, Sacerdotem scilicet saecularem in magno discrimine salutis versari, nisi sit pietate conspicuus et summa vigilantia et prudentia in omnibus procedat.

Quis tamen ignorat et ipsos claustrales in hunc laqueum incidere posse, et, familiari cum mulieribus agendi ratione, ruinam spiritualem incurrere? Quantum proinde cavendum est ne absque necessitate ab eis visitentur, aut in locutorio conventus admittantur, vel diutius in confessionali detineantur, cum ex his causis sensualis affectus tam facile nasci et nutriri contingat.

Quapropter, dilectissimi Fratres, sive in saeculo sive in coenobiis degentes, attente auscultemus et sedulo semper sequamur monita paterna quae de fuga feminarum Seraphicus noster Patriarcha ad filios suos direxit dicens:

« Mulierum familiaritates, colloquia et aspectus, quae multis occasio sunt ruinae, eo sollicitius evitare debemus, Fratres charissimi, quo saepius per huiusmodi videmus debilem frangi et fortem spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis nisi probatissimum virum, tam facile iudico, quam iuxta Scripturam in igne ambulare et non comburere plantas. Non enim securum puto earum formarum introrsus haurire imagines, quae possunt aut edomitae carnis resuscitare igniculum aut pudicae mentis maculare nitorem. Frivolum profecto est quodcumque mulieris colloquium, excepta sola confessione vel instructione brevissima, iuxta quod saluti expedit vel congruit honestati. Quae sunt, quaeso, cum muliere Religioso tractanda negotia, nisi cum sanctam poenitentiam vel melioris vitae consilium religiosa petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cavetur hostis, et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito excrescere facit in trabem. Nec enim solum mortificari debent vitia carnis aut eius incentiva fraenari, verum etiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam, summa vigilantia decet custodiri (1). »

(Continuabitur).

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1881.

Obs. Provincia S. Fidei de Bogotà.

Die 29 Ianuarii 1881 in Conventu Purificationis B. M. V. de Bogotà, praesidente A. R. P. Gregorio Pinilla, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

(1) Collatio VI.

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Iesus Castillo.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Marianus Banos.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Franciscus Perez.
R. P. Michael Gonzâlez.
R. P. Guglielmus Gaitan.
R. P. Marcellinus Bernal.

Ad istam Provinciam sequentes Conventus pertinent:

Bogotà, Purificationis B. M. V.
Tunja, S. Mariae Magdalenae.
Bogotà, S. Didaci.
Pasto, S. Antonii.
Monga, B. Mariae V.

—

Obs. Provincia Corsicae.

Die 2 Iunii 1881 in Conventu S. Mariae Gratiarum, praesidente A. R. P. Remigio Buselli, Obs. Prov. Thusciae, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Petrus a Vulpajola.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Donatus ab Aretio.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Ambrosius a Levatorio.
R. P. Odoricus a Solerio.
R. P. Aloysius a Barettali.
R. P. Raymundus a Pusterula.

Ad istam Provinciam sequentes 8 Conventus pertinent:

Lavasina, S. Mariae Gratiarum.
Sartenne, S. Francisci.
Marcani, S. Spiritus.
Oletta, S. Francisci.
Pino, S. Francisci.
Alesani, S. Francisci.
Nioli, S. Francisci.
Insula Rubra, Misericordiae.

—

Anno 1882.

Collegium Apostolicum S. Didaci in Salta in Republica Argentina.

Die 14 Octobris 1882, praesidente A. R. P. Ioachimo Remedi, Commissario Generalì, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII:

R. P. Benjaminus Cenci.

DISCRETI COLLEGII

R. P. Leonardus Bianchi.
R. P. Melchiades Bertocchini.
R. P. Daniel Michelini.
R. P. Massaeus Massaei.

PRAEFECTUS MISSIONUM

R. P. Ludovicus Venturini.

—

PECULIARES INFORMATIONES

R. P. FLAVIANUS ORGLER.

Augustissimus Austriae Imperator Franciscus Iosephus I, imperiali decreto 18 Martii a. c., Franciscanorum Gymnasii Halensis in Tirolo Directorem, *P. Flavianum Orgler*, in recognitionem diuturnae aeque ac meritoriae eiusdem in munere Professoris publici industriae atque indefessi laboris, titulo Caesarei Regii scholarum Consiliarii honoravit.

—

R. P. MICHAEL SLEUTJES,

Recoll. Provinciae Germaniae Inferioris filius, Secretarius Procurae Discalceatorum et Recollectorum, emenso in Lyceo Seminarii Pontificii Romani legitimo studiorum curriculo, die 1 Iulii 1882 *Doctor Iuris Canonici* fuit renuntiatus. Et cum in utroque examine orali et scripto ad Doctoris lauream assequendam suffragiorum plenitudinem retulerit et iudicum expectationi apprime satisfecerit, singulari praemio dignus iudicatus, aureo numismate cohonestatus est.

—

INSTRUCTIO
de
Stationibus S. Viae Crucis erigendis.
(*Continuatio*)

De quibusdam, quae afficiunt validitatem S. Viae Crucis iam erectae.

22. Varii casus particulares, qui relate ad validitatem S. Viae Crucis iam erectae S. C. Indulg. fuerunt propositi et ab eadem resoluti, ad duplex genus commode revocari posse videntur, quorum alterum refertur ad Viae dolorosae materiae renovationem, alterum respicit crucium seu stationum remotionem temporalem vel translationem a loco, ubi primum fuerunt canonice erectae et affixae.

23. Ad prioris generis casus quod attinet, generale principium exhibet S. C. decretum in *Camerinen*. d. d. 16 Decembris 1760 ad 1 (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 223; Prinzivalli CCXLIX), in quo ad propositum dubium, « an in ecclesia, ubi canonice erecta est Via « Crucis, si stationes et cruces renoventur vel « mutentur, cessent indulgentiae; ac proinde « opus sit nova erectione seu approbatione? » Sac. Congregatio respondit: *Negative iuxta modum; et modus est quod si renoventur et mutentur salva substantia, negative simpliciter, ut supra; si non salva substantia, negative pariter, sed in hoc casu novae cruces denuo benedicantur ad formam Constitutionum.* Huius principii magis definitam explicationem proponit S. Congregationis decretum in *Cameracen*. d. d. 13 Novembris 1837 (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 258; a Prinzivalli non refertur); en eiusdem verba: « Cum ad lucrifaciendas in- « dulgentias, quae pro stationum Viae Crucis « visitatione conceduntur, minime requiratur « tabularum erectio, sed crucium, proinde si « ob vetustatis causam ipsae tabulae remo- « veantur, ac in earum locum, etiam absque « Pontificia facultate, novae tabulae substituan- « tur, indulgentiarum concessio perseverat; « imo etsi cruces ipsae, quae solae necessario « requiruntur, ob eamdem rationem, vetustate « scilicet labentes renovari debeant, dummodo « earum non sit maior pars, nec nova ere- « ctione opus est, nec indulgentiarum benefi- « cium amittitur. »

24. Ex praefato principio prono alveo profluunt hae, quae sequuntur, conclusiones, confirmatae insuper posterioribus S. C. Indulg. explicitis resolutionibus:

a) Validitatem S. Viae Crucis iam erectae nullimode offendit *tabularum renovatio vel remotio*, sive ex toto renoventur vel removeantur sive ex parte tantum; (cfr. *Decr. auth.*, Ed. nova, nn. 311 ad 3 et 328; Prinzivalli DXLI et DLXIV.) neque nocet indulgentiarum subsistentiae, cum cruces a vetustis tabulis ad novas transferuntur, non immutato tamen substantialiter (prout explicabitur in sequentibus) loco erectionis. (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 332; Prinzivalli DLXX.)

b) Pariter non invalidatur S. Via Crucis, ideoque indulgentiae perseverant, si *cruces* primitus benedictae *pereunt vel tolluntur ex minori parte,* et in hoc casu crucibus perditis vel sublatis aliae substitui possunt *absque ulla nova erectione et benedictione* (*Decr. auth.*, Ed. nova, nn. 270 ad 5 et 275 ad 2; Prinzivalli CDLXXXVI et CDXCIV.)

c) Invalidatur autem Via Crucis, si cruces primitus benedictae *pereunt vel tolluntur omnes,* vel saltem *tot* ex iis, *ut non perseverent in maiori numero* (1); quo casu ad acquirendas indulgentias requiritur nova erectio et benedictio peragenda ab eo, qui Viae Crucis erigendae facultatem habet sive ordinariam sive delegatam. (Cfr. *Decr. auth.*, Ed nova, nn. 270 ad 5, 275 ad 2 et 328; Prinzivalli CDLXXXVI, CDXCIV, DLXIV.)

25. Ad alterum casuum particularium genus quoad spectat, inprimis consideranda venit crucium imaginumve remotio temporalis a loco erectionis. Ex pluribus autem S. C. Indulg. declarationibus patet, remotionem huiusmodi, salva tamen manente materia substantiali, prout dictum est, non obesse S. Viae Crucis validitati, nec proinde hoc in casu opus esse nova erectione vel benedictione ad indulgentias lucrifaciendas (Cfr. *Decr. auth.*, Ed. nova,

(1) Dicendum igitur videtur amitti indulgentias S. Viae Crucis adnexas, si ex crucibus *primitus* benedictis pereunt vel tolluntur *ad minus septem,* sive *simultanee* hoc fieri contingat, sive *successive;* etenim cruces primitus benedictae non perseverarent in *maiori* numero, quod tamen requiri ex authenticis declarationibus docemur.

nn. 264 ad 4, 270 ad 5 et 275 ad 1; Prinzivalli CDLXXVIII, CDLXXXVI et CDXCIV.) Decreti postremo loc. cit., prout legitur in *Ed. nova,* haec sunt verba: « Indulgentiae « Viae Crucis crucibus tantum sunt adnexae, « minime vero imaginibus, quae necessariae « non sunt. Hac posito, si cruces, vel ima- « gines quatuordecim stationum Viae Crucis « aut partim, aut integre e loco suo movean- « tur ad tempus, ut denuo eidem loco resti- « tuantur, indulgentiae non pereunt. » Animadvertendum autem, eo tempore quo *simul omnes cruces* e loco erectionis remotae existunt, Viae Crucis indulgentias lucrari non posse a fidelibus pium exercitium ibidem peragentibus, tamquam si cruces et stationes exstarent. (Cfr. *Decr. auth.* Ed. nova, nn. 257 ad 1 (1) et 223 ad 2; prius decretum a Prinzivalli non refertur, posterius legitur apud ipsum n. CCXLIX.) Idem dicendum videtur, si crucium *maior* vel *media* pars fuerit remota, quum *hoc* in casu ex dictis n. 24 *c* salva non sit S. Viae Crucis substantia. Non autem indulgentiarum acquisitioni obesse videtur, si una vel altera tantum crux a pariete ecclesiae vel alterius loci ad tempus, v. g. ad eam dealbandam, remota existit. (Cfr. *Decr. auth.*, Ed. nova n. 257 ad 1 cit.)

Quoad remotionem etiam prae oculis habendum quod dicetur inferius n. 27.

26. S. Viae Crucis translatio seu mutatio de loco in locum duplex distinguitur; agitur de translatione in locum *diversum* a loco primitivae erectionis, vel de meliori dispositione *in eodem loco.* Translatio priori sensu accepta invalidat S. Viam Crucis (si nempe de *crucibus* sit sermo) et nova requiritur erectio canonica *(Decr. auth.*, Ed nova, n. 270 ad 3 et 4; Prinzivalli CDLXXXVI.); nulla autem generali regula *omnibus* casibus applicabili determinari potest, quandonam locus *diversus* sit dicendus. Spectat huc S. C. Indulg. decretum in *Camerinen.* d. d. 16 Decembris 1760, in quo S. Congregatio interrogata, « an si dictae « stationes et cruces remotae, ut supra, appo- « nantur in parietibus sacrarii seu oratorii sub « diverso tecto, vel alterius ecclesiae, lucren- « tur indulgentias pium peragentes exercitium « ante easdem stationes in praedictis locis ad « tempus repositas? » respondit: *Negative quoad diversas ecclesias; in reliquis recurrant in casibus particularibus.* Quod vero spectat ad crucium meliorem dispositionem seu mutationem in eadem ecclesia vel in eodem loco, eadem secum non importat cessationem indulgentiarum Viae Crucis adnexarum, uti pluries declaravit S. Congregatio (Cfr. *Decr. auth.*, Ed. nova, nn. 275 ad 3, 311 ad 4 et 328; Prinzivalli CDXCIV, aliis tamen verbis ac in *Ed. nova,* DXLI et DLXIV.)

27. Tandem hic in mentem revocamus, quae supra n. 9 sub lit. *b* iam innuimus, cessare nempe S. Viae Crucis concessionem, si decursu temporis loca, in quibus erecta fuerit, minus decentia, Superiorum iudicio, evaderent; imo indulgentias amisisse iudicanda videtur Via Crucis erecta in oratoriis aliisque locis domesticis, si praefata loca ad usus profanos converterentur, etiam ad tempus tantum et Via Crucis interim ex erectionis loco remota. Legatur S. C. decretum, quod in cit. numero ex integro retulimus.

(Continuabitur).

(1) En huius decreti verba: « Non amittuntur be- « nedictio et indulgentiae, si una vel altera tantum « crux removeatur a pariete ecclesiae ad illam deal- « bandam; sed si simul omnes cruces removeantur, ut « postea iterum ponantur in dicta ecclesia, fideles eo « tempore lucrari nequeunt indulgentias, si in aliam « ecclesiam vel oratorium translatae sint cruces sine « Apostolica facultate. »

MONASTERIA ET DOMUS
Secundi et Tertii Ordinis Regularis in Provincia S. Antonii Venetiarum.

I.

Monasteria Clarissarum primae Regulae
Venetiis:

1. Ad S. Mariae Redemptoris Matris.	Num.	43
2. Ad Omnium Sanctorum. .	»	35
3. Ad Ssmi Nominis Iesu . .	»	32
4. Ad Ssmae Trinitatis . . .	»	29

II.

Monasteria Clarissarum Urbanistarum
Veronae:

1. Ad S. Mariae Magdalenae Poenit.	Num.	50
2. Ad S. Clarae Assis. . .	»	24

III.

Domus Sororum Tertii Ordinis Regularis.

	Num.	Scopus
1 Patavii, ad S. Bonaventurae Doct . .	37	Educatio Puellarum.
2. Veronae, ad S. Elisabeth Hung. Reg.	30	Educatio Puellarum.
3. Patavii, ad S. Iosephi Sponsi B.M.V. 4. Venetiis, ad S. Mariae de Refugio . 5. Noventae, in Vicetina Dioecesi . .	185	quarum est, tum cura et educatio infantium sive intra Claustra, sive in Asylis, tum visitatio et cura infirmorum sive in Nosocomiis, sive in asylis charitatis.
6. Glemonae, in Utinensi Archidioecesi	50	Educatio puellarum, praesertim in locis Missionum.

—

DOMUS II. ET III. ORDINIS REGULARIS S. P. N. FRANCISCI

In ditione Provinciae Tirolensis D. Leopoldi.
anno 1882.

—

Clarissarum monasterium unum est Brixinae, in quo vivunt 50 Sorores.

Fratres Tertiarii in ambitu huius Provinciae nusquam habentur.

Sorores Tertiariae, quae omnes puellarum institutioni incumbunt, in septem Dioecesibus, sequentes locos inhabitant.

In Dioecesi Salisburgensi:

Hallein 27 Sorores;
Salisburgi 4 Sorores;
Uttendorf 4 Sorores;
Abtenau, 4 Sorores;
St. Gilgen (pagus S. Aegidii), 2 Sorores.

In Dioecesi Linciensi
(in Austria superiori):

Voeklabruck, 54 Sorores (in duabus domibus);
Braunau, 5 Sorores;
Ried, 11 Sorores;
Schaerding, 4 Sorores;
Voeklamarkt, 4 Sorores;
Mondsee, 8 Sorores;
Waizenkirchen, 5 Sorores;
Peuerbach, 4 Sorores;
Puchheim, 8 Sorores;
Ebensee, 5 Sorores;
Frankenberg, 3 Sorores;
Hallstadt, 3 Sorores.

In Dioecesi Secoviensi:
(in Styria).

Algersdorf, 49 Sorores;
Graecii, 9 Sorores;
Sckwanberg, 5 Sorores;
Ad S. Georgium, 4 Sorores;
Groebming, 4 Sorores;
Haus, 4 Sorores;
Schladming, 4 Sorores.
Marburg, 30 Sorores (in duabus domibus).

In Dioecesi Gurcensi:
(in Carinthia).

Doellaeh, 5 Sorores;
Ad S. Paulum, 2 Sorores;
Ad S. Vitum, 4 Sorores.

In Dioecesi Brixinensi:

Brixinae, 23 Sorores;
Windischmatrei, 4 Sorores;
Mühlbach, 12 Sorores;
Schwaz, 10 Sorores;
Hall, 12 Sorores;
Thaur, 2 Sorores;
Kronburg, 21 Sorores.

In Dioecesi Tridentina:

Bauzani, 25 Sorores;
Gries, 3 Sorores;
Ad S. Genesium, 2 Sorores;
Castrirupti, 2 Sorores;
Caldario, 15 Sorores;
Appiani, 7 Sorores;
Girlan, 4 Sorores;
Auer 4 Sorores;
Salurn, 3 Sorores.

III.

MISSIONES

—

MISSIO SUPERIORIS ÆGYPTI

P. Dominicus a Casalvieri Minor Reformatus, Rmo Patri Bernardino a Portu Romatino Totius Ordinis Minorum Ministro Generali, sequentia scribit: « Epistolae meae, diei 10 Decembris, nulla mora interposita rescripsisti, Reverendissime Pater, et mihi tot negotiis obruto dulce praebuisti solatium. De nova statione *Fidemin* vix eram tibi locutus, cum huiusce regionis Dux me ut illuc pergerem invitavit; sed ex gravi causa, quae hic explicabitur, *Cairum* petere debui. *Saddani*, Beduinorum Provinciae *Faium* Dux, in bello adversus Anglos coactus a seditioso *Arabi*, duo circiter hominum millia collegit, et erat ex-

pectans discedendi mandatum. Ex hac copiarum praesentia, Christianos et Musulmanos invasit terror; ast *Saddani*, ne quid mali his accideret, extra urbem posuit castra, et militibus suis mortem minatus fuit, si cives vexare auderent. Aliquot post dies transiit in *Cafr-el-Zaiat*, ubi erat P. Hugolinus, Hispanus, Sorores Franciscanae, cum aliis omnium nationum Europaeis. Musulmanorum furor in Christianos, praesertim Europaeos, iam in *Cafr-el-Zaiat* ad necem usque increverat; tribus vero, vel quatuor europaeis necatis furor deferbuit; nam *Saddani* statim edixit, ut Beduini civitatis *Faium* Europaeos omnes ensibus tuendos, defendendosque susciperent, et insuper in domum suam, quae a *Faium* distat spatio unius horae, septuaginta prope excepit Europaeos, quibus per quinque et viginti dies tectum suppeditavit, atque victum.

Bello confecto, *Saddani* Familia, quae *Arabi* partes defenderat, eiusque fidem fuerat secuta, in publica coniecta fuit vincula, e quibus P. Hugolinus eam eximere potuit excepto Saddani, qui adhuc asservabatur in carcere. Quapropter praedictus P. Hugolinus venit ut eum in libertatem vindicaret, et Europaeorum comitante colonia adivimus *Mudir* (Praefectum), cui enixas fudimus pro *Saddani* libertate preces. Hic respondit, se nihil efficere posse, quum commercium epistolicum inter *Arabi* et *Saddani* Suae Excellentiae *Wilson*, Praesidi pro reis politicis iudicandis, *Cairum* iam fuerit missum. Tunc petitionem ab omnibus subscriptam misimus ad *Wilson;* sed parum ex ea sperabamus, quoniam dicebatur, *Saddani* capite vel perpetuo exilio et bonorum proscriptione esse damnandum. Cum id scivisset eius Filius, in Conventum venit, rogavitque, ut *Cairum* Superiori meo pro genitoris salute scriberem. Promisi, me libenter hoc facturum, et una nocte novem litteras gallico sermone exaravi directas P. Venantio, et variarum nationum Consulibus, quos precabar, ut omnem adhiberent operam pro salute Viri de Europaeis optime meriti. Postridie tres alias litteras gallica et arabica lingua conscriptas, et ab omnibus, etiam a Coptis et eorum Episcopo subsignatas, misi Proregi, Ministrorum Praesidi, atque Ministro pro rebus exteris; ast nihil profeci. Tandem *Cairum* petii, et una cum P. Venantio et P. Hugolino apud europaeos et aegyptiacos optimates multum adlaboravi. Consules omnes hac in re omne collocarunt studium, et praesertim Consul Austriacus se verum exhibuit Missionis defensorem, cuius opera res ad Ministrorum Consilium, et postea ad Proregem fuit delata. A quo audientia per Consulem Protectorem obtenta, postridie pervenimus *Abdin*, et decima ante meridiem hora fuimus humaniter excepti. P. Venantius de *Saddani* benevolentia in Europaeos apte et breviter allocutus, obsecrationes addidit humiles, ut Prorex illum absolutum dimitteret. Statim Prorex quaesivit, qua custodia detineretur *Saddani*, et, responso accepto, hunc esse in *Faium* vinculis constrictum, haec verba protulit: « Estote laeto animo, ite in Conventum vestrum, et ibi oraculum expectate. » Re quidem vera, paucis elapsis diebus sententia de *Saddani* libertate lata fuit, sed mille *ghineas* aegyptiacas, pares sex et viginti italicarum libellarum millibus, apud Gubernium deponere obstrictus fuit. Per totam eius Tribum haec fama pervolavit. P. Hugolinus, amici, ac filii ex *Cairo* rediere *Faium,* et e Statione ad carcerem advolarunt, ut eum in libertatem redeuntem exciperent. Verbis enucleare nequit, quas *Saddani* gratias nobis egerit, et quam libenti animo suum nobis famulatum detulerit. Postera die ad domum suam, quae sita est ad celebrem lacum in parte septentrionali oppidi *Faium,* ducti fuimus.

Ad stationem quinquaginta Beduinos invenimus armis instructos, et equis insidentes, qui nos salutantes, manumque osculantes duos obtulerunt equos pretiosis stragulis ornatos cum tribus famulis unum ad habenas, et ad stapedes duo. In itinere Beduini domibus suis egressi comprimebant equos, ut nostris figerent oscula manibus, et pro liberatione Ducis debitas nobis solverent grates. Mulieres vero laetis concentibus gaudium exprimebant, dum alii sclopeta laetanter per aëra exploderent. Cum ad palatium pervenissemus a Beduinis circumdatum, in aulam magnifice ornatam introducti fuimus, in qua post salutationes, et manus osculum ad coenam lautissime paratam recubuimus. Peracta coena, collocuti fuimus de via ineunda die altero per *Casr-Harino* (palatium Aaron) quod abest spatio horarum

quinque cum dimidia. Quamobrem servi primo mane equos parare iussi sunt. Hora praefixa ientaculo refecti ascendimus equos, filio Ducis *Saddani* ac duodecim Beduinis armatis praeeuntibus. Tandem pervenimus ad palatium, seu potius, urbem dirutam et historicis ac viatoribus incognitam, quum nemo eam memoret. Erat exstructa magnis lapidibus quadratis, et in medio apparebat aedificium fere integre conservatum, quod fortasse templum fuit. Architectura videtur esse sicut omnium altioris Aegypti monumentorum, sed nullas inscriptiones, nullaque praesefert hieroglyphica. Hinc ex nomine Aaron, quo vocatur, inferri potest, quod sit vetus Hebraeorum civitas.

Saddani eiusque filii promiserant, se vinculis exsolutos agrum in *Fidemin* mihi daturos, domum aedificaturos, eamque donaturos Missioni per syngrapham. Quum pluries id asseverassent coram P. Venantio, Consule, aliisque viris, credo, fore ut sua dicta non retractent, quia Beduini fidem fallere nunquam solent. Interea habitavimus domum, quam Dux *Fidemin* mihi per syngrapham et gratis pro uno anno concessit. Penes me est haec syngrapha, usquedum aliam meliorem domum, ut dixi, Beduini parent, quia eorum Dux *Fidemin* cum *Saddani* familia affinitate coniunctus est.

Heri *Saddani,* et Dux *Fidemin* in Conventum venerunt, et a me petierunt quare scholam non aperuerim. Respondi me timere, ne Copti nos male acciperent, sicut anno praeterito evenerat Protestantibus, qui fuerunt a *Fidemin* expulsi lapidibus, igneisque balistis. Instantiam fecerunt, dicentes Protestantes non vocatos illuc advenisse et blasphemasse Virginem Mariam « quam vos, dixerunt, tanto amore prosequimini, et quam etiam nos diligimus, quia libri nostri asserunt illam fuisse mulierem prae caeteris praestantem, Copti igitur scientes vos Virginis Mariae amore flagrare, vos amant et bene excipiunt. Caeterum si Musulmani aut Copti aliqua vos afficient iniuria, illico id nobis significate, et eorum domos cum habitatoribus flammis dabimus. »

Cum ob varia negotia huc bis venisset optimus noster P. Hugolinus, et perspexisset, quid boni in his vastis regionibus efficere possit Religiosus, qui arabicum callet sermonem, fassus est, se optare ut huic Missioni adscribatur; sed de venia a Te, Reverendissime Pater, obtinenda dubitat, ideoque ut hanc illi licentiam praestes Te obsecro. Nam huic nostrae Missioni plurimum afferre posset bonum, cum varias linguas, nempe arabicam, italicam, gallicam et hispanicam calleat. Demum manum tuam, Reverendissime Pater, humillime deosculatus, rogo ut mihi seraphicam Benedictionem impertias. *Faium,* die 12 Ianuarii anni 1883.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

FRANCISCANAE EPHEMERIDES.

Omnium foliorum a Franciscanis in toto orbe editorum vel de rebus franciscalibus tractantium syllabum praebere operae pretium duximus. Ex sequenti enumeratione constat in Italia 10 inveniri huiusmodi periodica; in Gallia 4; in Belgio 2; in Germania 1; in Hispania 1; in America septentrionali 2; in America meridionali 1.

Quamvis forsan unum alterumve periodicum nobis haud innotuerit, luculenter patet ex eodem syllabo Franciscanorum zelus in scientia sacra ac praesertim christiana pietate promovenda, non obstante temporum nequitia et omnigena persecutione. Non omnibus ministerium verbi datum est; sed etiam scriptis apostolatus hodie exerceri potest.

IN ITALIA

LA CARITÀ, rivista religiosa, scientifica, letteraria. Anno XX, vol. XXXIII.

LA CARITÀ Neapoli originem habuit, cura egregii P. Ludovici a Casoria, Min. Ref., et Fratrum Tertii Ordinis Regularis vulgo *Biggi* nuncupatorum fundatoris; a Patribus eiusdem Tertii Ordinis praesertim continuatur.

Singulis mensibus per fasciculos 80 vel 90 paginarum in 8° venit in lucem, et pro associationis annuae sumptibus solvendi sunt Franci 13 pro Italia et extra Italiam cum additione expensarum pro transmissione.

Sicuti pro *Orfanello,* de quo infra, scribendum editori *Napoli, San Raffaele a Mater Dei.*

1. L'ORFANELLO, consacrato al Sacro Cuore di Gesù. Napoli, tip. degli Accatoncelli, Anno XIII.

Singulis editur mensibus et solvuntur Fr. 4 pro annua associatione. Scribendum editori, *Neapoli, San Raffaele a Mater Dei.*

Curantibus P. Ludovico de Casoria et Tertiariis Regularibus vulgo *Biggi* in lucem venit haec publicatio.

3. GLI ANNALI FRANCESCANI, Periodico Religioso dedicato ai Fratelli e alle Sorelle del Terz' Ordine, per cura di alcuni Padri Cappuccini. Milano, tip. Boniardi-Pogliani, Via Unione 20. 1883. Anno XIV.

Pretium associationis est Fr. 4 pro interno et 5 pro exteris regionibus. Petitur associatio a Redactione *degli Annali francescani,* in Conventu PP. *Cappuccinorum*, *fuori di Porta Venezia. Milano.*

Bis in mense publicatur hoc folium a Patribus Cappuccinis Provinciae Mediolanensis.

4. LETTURE FRANCESCANE, periodico mensile religioso, dedicato ai Figli Terziarii di S. Francesco d' Assisi. Cuneo (Piemonte) presso l' editore libraio Giacomo Stellino, Via Mondovi. Anno XIII.

Ut apparet ex titulo, singulis mensibus publicantur praelaudatae *Lectiones franciscanae;* in eis disputatur de Tertio Ordine, de Sanctis et Beatis ejusdem, etc.

Pretium associationis pro Italia est fr. 1, 50; extra Italiam 2, 50, vel superadditis transmissionis sumptibus.

A pio quodam saeculari sacerdote inceptae sunt et diriguntur; sed Patrum nostrorum non paucos articulos continent.

5. IL TOMITANO, periocico religioso-politico-letterario, ed ECO DEI MONTI DI PIETÀ.

Folium istud a B. Bernardino Feltrensi, qui ex illustri *Tomitanorum* familia oriundus erat, et montium pietatis propagator, nomen assumpsit. Feltriae editur, a quibusdam viris saecularibus, die 1 et 16 cuiusque mensis, et singuli fasciculi 8 paginas duabus columnis divisas continent. Ad annum XII nunc pervenit.

Haec est associationis conditio: Pro Italia fr. 4. Extra Italiam, fr. 5.

6. ECO DI S. FRANCESCO D' ASSISI. Rivista sacro-francescana illustrata, benedetta dal Santo Padre Pio IX e da Leone XIII. Anno XI.

Bis in mense, die scilicet 15 et 30, publicatur. In singulis fasciculis pag. 36, in 8. duae incisiones franciscanae reperiuntur. A Patribus Cappuccinis neapolitanis haec publicatio in lucem profertur.

Pro associatione annua Fr. 10 solvuntur in Italia, et 14 extra Italiam. Scribendum editori in *S. Agnello di Sorrento.*

Ab iisdem editoribus publicatur Hebdomadarium periodicum cui titulus: STELLE E FIORI, pro Fr. 4 annuae associationis.

7. RIVISTA MARIANA, ossia l' Immacolata di Lourdes in Sardegna. Publicazione mensile benedetta da S. S. Leone XIII. Anno III. Cagliari, Tip. del Corriere.

Cura P. Iusti Serra, Min. Obs., publicatur hoc periodicum singulis mensibus et pretium annuae associationis aequivalet 3 fr. seu libellis italicis.

Petitur associatio a P. Editore, *S. Rosalia, in Cagliari (Sardegna).*

8. ANNALI DELL' ORDINE DEI FRATI MINORI CAPPUCCINI, scritti ed illustrati dal Rmo P. Pellegrino da Forlì, definitore Generale Cappuccino. Un bel fascicolo mensile. In 8. grande.

Pro associatione annua fr. 12, scribendum P. Aegidio a Mediolano, *Piazza Barberini, Roma,* vel editori *via S. Calocero 9. Milano.*

Opus dici potius debet haec publicatio quam periodicum, quippe quae historiam Fratrum Minorum Capuccinorum tantummodo tradit, sed per fasciculos mensibus pag. 64 in lucem prodibit. Fasciculus I. mense Ianuarii 1882, Mediolani editus fuit, et iam primum volumen evulgatum est.

9. LO SVEGLIARINO FRANCESCANO di Caltanisetta. (Sicilia).

Parvum istud folium a Patribus Capuccinis Siciliae publicatur, et tantummodo 50 centesimis annua associatio habetur.

10. IL SETTIMO CENTENARIO DELLA NASCITA DI S. FRANCESCO D' ASSISI., periodico pubblicato per cura del Comitato promotore. Assisi, Tip. Sensi. Anno V.

Sicuti patet ex titulo, haec publicatio occasione saecularis solemnitatis septima vice redeuntis a nativitate Seraphici Patriarchae typis evulgata est, et cum mense Decembri anni elapsi 1882 finem habuit. Durantibus quinque annis, mensibus singulis edita fuit et pro associatione annua Fr. 4 solvebantur pro editione vulgari, 8 vero pro elegantiori charta. (1)

IN GALLIA

1. ANNALES FRANCISCAINES, bullettin mensuel Librairie Poussielgue, 15 rue Cassette, Paris année.

A Patribus Ordinis Minorum Cappuccinorum Provinciae Galliae dirigitur haec publicatio, praesertim in favorem Tertii Ordinis.

Associationis pretium est Fr. 3 pro Gallia et 4 extra Galliam. Scribendum editori ut supra.

2. L'ANNÉE FRANCISCAINE, Chronique des Pères Franciscains et Annales du Tiers-Ordre de St François d'Assise, bullettin mensuel

(1) Aliud periodicum cui titulus *La Riforma sociale* anno elapso Bononiae in lucem prodiit, in favorem Tertii Ordinis promovendi; sed, ut nobis dictum est, nunc cessavit.

honorè de la bénédiction de N. S. P. le Pape Pie IX et du Révérendissime Ministre Général. Caen, (Calvados) E. Valin, éditeur, Imprimeur des Rév. Pères Franciscains, rue au Canu, 1883 XXI année.

L' Année Franciscaine, anno 1862 initium sumpsit, curantibus Patribus Observantis Provinciae Sti Ludovici Episcopi, qui eiusdem directionem servarunt usque ad annum 1870. Tunc Minores Observantes periodicum *La Revue franciscaine* ediderunt, et Patres Reformati Provinciae S. Bernardini publicationi folii l'*Année Franciscaine* incumbere coeperunt.

Singulis mensibus editur l'*Année franciscaine* et associationis pretium (fr. 3 pro Gallia) editori transmitti debet.

3. REVUE FRANCISCAINE, bulletin mensuel du Tiers-Ordre de St François, publié par les Franciscains de l'Observance, avec l'approbation dn Ministre Général de l'Ordre, XIII année, nouvelle série. (1)

Patres Observantis Provinciae S. Ludovici in Gallia hanc publicationen edunt, in favorem praesertim Tertiariorum sibi subditorum. Pro associatione, sic dirigendae sunt litterae: *M. Blavignac, 266 route de Bayonne,* Bordeaux (Gironde).

Pretium annuum solvendum 3 Fr. pro Gallia aequivalet, additis extra Galliam transmissionis sumptibus

4. L'UNION ECONOMIQUE, organe du Crédit mutuel et populaire, et de l'œuvre du placement gratuit, paraissant le 1er de chaque mois. 4. année. Paris, rue des Lombards, 23.

A R. P. Ludovico, Ordinis Minorum Cappuccinorum, et oeconomiae popularis apostolo, originem habuit haec mensilis publicatio, quae a saecularibus tamen viris praesertim dirigitur. Associationis annuae conditiones sunt pro Gallia Fr. 5, et extra Galliam adduntur transmissionis expensae.

—

IN BELGIO.

1. NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE, ou série d'articles et de consultations sur le droit canon, la liturgie, la théologie morale, etc. publiée sous la direction du R. P. Piat de Mons, de l'Ordre des Frères Mineurs Capucins, avec l'approbation de l'Archevêché de Malines. Seconde série, tom. III. De la Collection, Tome XV.

(1) Ab eisdem Patribus singulis annis pro Tertiariis et Chordigeris publicatur Calendarium sub hoc titulo: ALMANACH DU TIERS-ORDRE *pour l'année 1883 à l'usage des membres du Tiers-Ordre et de l'Archiconfrérie du Cordon de St François, sous la direction des PP. Franciscains de l'observance — 8. année. — (Pretium: Fr. 0, 30.)*

Associationes peti possunt sive Parisiis, *rue Bonaparte 66,* sive Lipsiae *Querstrasse 34,* sive Tornaci, apud editorem Casterman.

2. LE MESSAGER DE SAINT FRANÇOIS D'ASSISE, Revue mensuelle du Tiers-Ordre, publiée par les Pères Récollets de Belgique et dédiée au Sacré Cœur de Jésus. Saint-Trond, Imprimerie E Schoofs-Herman, 8 Grand Place. VIII. Année.

Die 15 cuiuslibet mensis in lucem venit haec publicatio cum 24 pag. in 8. Pretium associationis est Fr. 2. pro Belgio; 2,50 pro Hollandia; 3 pro Gallia, Italia, Anglia, et Germania.

Scribendum sive editori, ut supra, sive Redactori R. P. Servatio Dirks in Conventu Recollectorum, *St. Trond (Belgique).*

Eiusdem periodici habetur etiam editio altera in lingua flandrica.

(Continuabitur).

NECROLOGIA

—

ADM. REV. P. MARIANUS A VELITRIS, ex-Minister Observantis Romanae Provinciae. Fuit vir in omnibus religiosus, et Guardianus in principalioribus Provinciae suae Conventibus. Anno 1867, dum Guardiani munus ageret in Conventu Viterbiensi, extra moenia existenti, ad S. Mariam Paradisi, a Garibaldinis captus et ad apostolicum eiusdem urbis Delegatum missus, ut de oppidi redditione peroraret, in urbem, apud ipsum delegatum, ingressus, nullo modo ad hostes remeavit, quum de re indigna et ex omni parte odiosa tractaretur. Minister Provincialis anno sequenti 1868 renunciatus, per quinquennium in difficillimis temporibus praelaturam gessit. Eius solertiae tribuendum est complementum Ecclesiae et Clausurae Conventus Centumcellarum *(Civitavecchia),* cuius molitio ab anno 1864 inceperat. Obiit Velitris, apoplexia correptus, die 5 Aprilis currentis anni, dum Monialium Clarissarum eiusdem urbis Confessarii ordinarii munus gereret.

Nihil obstat
FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

RESCRIPTUM S. R. C.

concernens Festa primaria ritus duplicis maioris in concursu cum festis secundariis Passionis.

Rmus Dominus Isidorus du Rousseaux, Episcopus Tornacensis, a S. Rituum Congregatione insequentis dubii resolutionem efflagitavit, nimirum: « An festa primaria ritus duplicis maioris sint praeferenda, in concursu, Festis secundariis Passionis Dominicae, quae sunt etiam ritus duplicis maioris? »

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, sic rescribendum censuit: *Negative, iuxta Decreta de concurrentia* in Panormitana diei 12 Aprilis 1823, in Mechlinien. diei 22 Maii 1841, et Meliten. diei 6 Septembris 1845.

Atque ita rescripsit ac declaravit 25 Septembris 1882.

Pro Emo ac Rmo Dno DOMINICO Card. BARTOLINI S. R. C. Praef.
CAMILLUS Card. DI PIETRO Episc. Ostien. et Veliternen.
Laurentius Salvati S. R. C. Secr.

—

DECLARATIO

S. R. C. concernens illuminationem ex gaz ad altare.

NOVARCEN.

Usus invaluit in Dioecesi Novarcensi, ut super Altaria, una cum candelis ex cera confectis, lumina ex gaz accendantur, ad maiorem splendorem obtinendum. Dubitans porro hodiernus Episcopus Novarcen., utrum hoc liceat, a Sacra Rituum Congregatione exquisivit: An super Altari, praeter candelas ex cera, tolerari possit, ut habeatur etiam illuminatio ex gaz, vel an usus praedictus prohiberi debeat? Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii eiusdem, dubio rescribendum censuit: *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.* Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 8 Martii 1879.

Ita reperitur in Actis et Regestis Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis. In quorum fidem etc. Ex eadem Secretaria hac die 13 Aprilis 1883.

Pro R. P. D. LAURENTIO SALVATI S. R. C. Secretario.
Ioannes Can. Ponzi Substitutus.

—

DECISIO

S. Poenitentiariae Apostolicae respiciens tempus medium quoad ieiunium naturale servandum et divinum officium recitandum.

Die 29 Novembris 1882.

Hac sub die S. Tribunali S. Poenitentiariae Apostolicae sequens propositum fuit

Dubium

« Utrum, ubi horologia adhibentur, tempori medio accomodata, ipsis sit standum, tum pro onere divini officii solvendo, tum pro ieiunio naturali servando; vel debeat quis, aut saltem possit, uti tempore vero? »

Sacra Poenitentiaria huic dubio respondit: *Fideles in ieiunio naturali servando, et in officio divino recitando, sequi tempus medium posse, sed non teneri.*

—

RESCRIPTA

S. C. Indulgentiarum, quibus pro sequentibus orationibus Indulgentiae conceduntur.

I.

Die 18 Martii 1882.

Beatissime Pater,

Antonius Espinosa Vicarius Generalis Bonearensis Sanctitatis Tuae pedibus in spiritu provolutus ad specialem impetrandam Indulgentiam in favorem Societatis a S. Iosepho haec supplex exponit.

Societas a S. Iosepho in Urbe Bonearensi Meridionalis Americae canonice instituta, S. Petri obolo corrogando praeest, et quovis mense conciones catholicae veritati declarandae tuendaeque aptas in Aede Metropolitana aliisque Templis habendas curat, tum sacras expeditiones inter indigenas fovet, praesertim in Patagonia, scholas catholicas in Patagonia ipsa, in Urbe, in pagis omni ope auget, piorum librorum evulgatione, Christianae Catechesi, spiritualibus exercitationibus, publica Sacramenti Augusti quadraginta horarum adoratione, ipsisque etiam sacris aedibus reficiendis, ornandis, religionem amplificare, pietatem fovere, procurandae proximorum saluti, pro viribus adlaborare studet.

Huius piae Societatis omnibus in universum et singulis speciatim sociis nuper Sanctitas Tua Apostolicam Benedictionem impertire dignata est: nunc vero Societas eadem Sanctitatis Tuae pedibus fidenter provoluta, aliquam Indulgentiam expostulat pro recitatione sequentis invocationis in honorem s. Iosephi:

Fac nos innocuam, Ioseph, decurrere vitam, sitque Tuo semper tuta Patrocinio.

Pro qua gratia etc.

Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII. in Audientia habita die 18 Martii 1882 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito praefatam invocationem in honorem S. Iosephi devote recitaverint, Indulgentiam tercentum dierum semel tantum in die lucrandam benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 18 Martii 1882.

Al. Card. Oreglia a S. Steph. Praef.
P. Delicati Secretarius.

II.

Die 17 Februarii 1883.

Beatissime Pater,

Fr. Maria Bernardus Abbas Lirinensis et Vicarius Congregationis de Senanque, ad pedes S. V. provulutus, postulat ut presbyteri tum saeculares, tum regulares adscripti Piae Sodalitati *Nostrae Dominae de Presbyteris*, recitantes ante Missam orationem sequentem:

O Mater pietatis et misericordiae, Beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu et precor pietatem tuam; ut sicut dulcissimo Filio tuo, in cruce pendenti, adstitisti, ita et mihi misero peccatori et sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus, clementer adsistere digneris, ut tua gratia adiuti dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Lucrari valeant Indulgentiam centum dierum.

Et Deus. etc.

Sanctissimus Dnus N. Leo Papa XIII, in Audientia habita die 17 Februarii 1883 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne indulsit, ut nedum Sacerdotes de quibus in precibus, sed omnes tum Saeculares tum Regulares, propositam orationem, corde saltem contrito, ante celebrationem Missae, devote recitantes, lucrari valeant Indulgentiam centum dierum. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 17 Februarii 1883.

Al. Card. Oreglia a S. Steph. Praef.
F. Della Volpe Secret.

II.

ACTA ORDINIS

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1883 celebrata.

I.

Obs. Custodia SS. Nominis Iesu de Guatemala (America centralis).

Die 14 Ianuarii Guatemalae in Conventu S. Francisci rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

CUSTOS PROVINCIALIS:

A. R. P. Michael Caffeceres.

CUSTODIAE DISCRETI:

R. P. Didacus Aquilar.
R. P. Petrus Pacheco.
R. P. Dominicus Mazariegos.
R. P. Raymundus Rivera.

—

II.

Obs. Collegium SS. Crucifixi in Guatemala (America central.)

Die 14 Ianuarii rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII:

A. R. P. Iosephus a Iesu.

COLLEGII DISCRETI:

R. P. Bernardinus Samayoa
R. P. Aloysius Castillo
R. P. Bernardinus Accituno.
R. P. Antonius M. Arroyo.

—

III.

Collegium S. Caroli in San Lorenzo Republicae Argentinae (America merid.)

Die 14 Ianuarii in Collegio S. Caroli, praesidente A. R. P. Ioachimo Remedi, Commissario Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII:

R. P. Paulinus Piccirilli.

DISCRETI COLLEGII:

R. P. Franciscus Tavolini.
R. P. Ieremias Petrelli.
R. P. Marcellus Venanzetti.
R. P. Bernardus Trippini.

—

IV.

Ref. Custodia Ss. Recessuum S. Bonaventurae.

Die 24 Ianuarii 1883 in Conventu S. Bonaventurae Urbis, praesidente Rmo P. Ministro Generali, rite celebratum est Capitulum Custodiale, in quo electi sunt:

CUSTOS REGIMINIS:

A. R. P. Antonius a Cantalupo.

DISCRETI CUSTODIALES:

R. P. Joachimus a Scajis.
R. P. Franciscus a Roma.
R. P. Ignatius ab Ulmeta.

Ad istam Custodiam ante suppressionem sequentes Conventus pertinebant:

Roma, S. Bonaventurae.
Ponticelli in Sabina, S. Mariae Gratiarum.
Vicovaro, Ss. Cosmae et Damiani.
Pofi, S. Petri Ap.
Vallecorsa, S. Mariae Gratiarum.

—

INSTRUCTIO
de
STATIONIBUS S. VIAE CRUCIS ERIGENDIS.

(Continuatio)

DE CONDITIONIBUS NECESSARIIS AD LUCRANDAS INDULGENTIAS S. VIAE CRUCIS EXERCITIO ADNEXAS.

28. Indulgentiae S. Viae Crucis exercitio ex concessione Sedis Apostolicae adnexae eaedem sunt, quae lucrari possunt personaliter visitando Stationes Viae Crucis in Ierusalem; declarat enim Benedictus PP. XIII in Constitutione INTER PLURIMA (cit. n. 3. c.) « Fratres, Moniales ac personas superius memoratas, exercitium Viae Crucis huiusmodi « peragentes, de privilegiis et indulgentiis etiam « plenariis sub generali, mutua et reciproca « communicatione per Sedem Apostolicam « concessis, vere communicare et participes « fieri, propptereaque frui et gaudere indulgentiis ac privilegiis, quae Romani Pontifices « locis sanctis ac illorum stationibus intra et « extra Hierusalem largiti fuerunt, perinde ac

« si exercitium praedictum ibidem peragerent. » Certus autem ac determinatus indulgentiarum huiusmodi numerus exhiberi nequit, eo quod, uti docet cl. Confr. Rogerius Abbanius, « per« multae oretenus concessae fuerint, et reli« quarum concessionum bullae breviaque Pon« tificia incendio cremata ac igne fuerint con« sumpta ». Hinc et S. Congregatio Indulg., ne indulgentiarum veritas alteretur et confundatur cavit, ut non publicetur ex pulpitis aut alia forma certus et determinatus numerus indulgentiarum (cf. *Monita* saepius cit., sub n. 9.)

29. Conditiones necessario requisitae ad lucrandas indulgentias S. Viae Crucis exercitio adnexas (praeter statum gratiae, veram cordis contritionem (1) ac intentionem saltem generalem indulgentias lucrifaciendi) ad tres revocantur, quarum prima est, *meditatio Passionis D. N. I. C.;* sic enim legitur in saepe cit. *Monitis* S. C. Indulg. sub n. 6: « .... non « est necesse recitare sex *Pater* cum *Ave* ad « singulas stationes, ut putant nonnulli, sed « sufficit meditari, quantumvis breviter, Pas« sionem Domini, *quod est opus iniunctum ad « lucrandas sacras indulgentias,* et iuxta morem « iam inductum recitari unum *Pater* cum *Ave* « ad singulas cruces, actumque contritionis « elicere » Praefata autem recitatio unius *Pater* cum *Ave,* sicut et recitatio sex *Pater* cum *Ave* post absolutam Stationum visitationem, non est *necessaria* conditio ad indulgentias lucrandas; ita respondit S. C. Indulg. in *Bituricen.* die 2 Iunii 1838: « Recitatio Orationis Do« minicae et Angelicae Salutationis tam pro « unaquaque Viae Crucis statione, quam sexies « easdem preces iterare post absolutas omnes « stationes est tantum laudabilis consuetudo a « nunnullis inducta, minime vero necessaria « conditio ad lucrifaciendas Viae Crucis indul« gentias, uti clare aperteque declaravit S. Con« gregatio indulgentiis proposita in admonitio« nibus servandis pro Viae Crucis exercitio « peragendo, iussu et approbatione editis tum « Clementis XII sub die 3 Aprilis 1731, tum « Benedicti XIV sub die 10 Maii 1742 » *(Decr. auth.,* Ed. nova, n. 259, Prinzivalli CDLXXII; cf. etiam n. 257 ad 2 in *Ed. nova.*) Idem etiam dicendum videtur de actu contritionis, qui ex consuetudine ad singulas stationes eliciendus memoratur in superius adducto S. C. monito; nulla vero *expressa* existit hac de re S. C. declaratio.

(1) Non requiritur necessario confessio et S. Communio.

Quod attinet ad dubium, utrum sufficiat meditari *in genere* Passionem Domini, an vero requiratur contemplatio mysteriorum Passionis, quae consuetis quatuordecim Stationibus repraesentantur, nihil de eo decidere audemus, non existente documento *indubie* authentico; siquidem S. C. Indulg. declaratio d. d. 16 Februarii 1839 (Prinzivalli n. CDLXXXVII), qua dictum dubium fuerat decisum, non reperitur in *Decr. auth. Ed. nova* (cf. annot. ad num. 16.)

30. Altera conditio ad lucrandas indulgentias requisita est *motus localis de una statione ad aliam;* haec conditio eruitur in primis ex pluries cit. *Monitis;* in iis enim sub n. 7 dicitur, ubi nullum adsit impedimentum, *singulas* stationes *singillatim* esse visitandas. Huiusmodi monitum confirmavit et clarius exposuit eadem S. C. Indulg. in decreto *Ditionis Helveticae* diei 26 Februarii 1841; proposito enim dubio, « an Christifideles in magno populi concursu, « maxime cum ecclesia repleta et compressa sit « devotis, (1) possint sine corporis motu de loco « in locum indulgentias Viae Crucis lucrari? » S. Congregatio respondit: *Negative absque speciali indulto. Singula enim Summorum Pontificum decreta affirmant, inter alias conditiones pro acquirendis stationum Viae Crucis indulgentiis, necessario requiri aliquem corporis motum, ut clarius declaratum est ab hac Sacra Congregatione, nempe: Che si passi da una stazione all' altra per quanto permette o la moltitudine delle persone, che la visitano, o la ristrettezza del luogo dove sono erette!* (2) *(Decr. auth.* Ed. nova, n. 287; Prinzivalli DVII.)

Hoc autem requisitum non est intelligendum ita, ut *nunquam* sine praedicto motu locali

(1) « Si Via Crucis erecta fuerit in ecclesia, ab ea « peragenda abstineant fideles tempore divinorum of« ficiorum, Missae, uti etiam quando talis sit in eccle« sia populi concursus, ut ea peragi nequeat absque « tumultu et perturbatione... S. C. Indulg. in *Monitis* « sub n. 7.

(2) En versionem latinam: Transeundum esse ab una statione ad aliam, in quantum sinit aut multitudo personarum, quae eas visitant, aut angustia loci, ubi sunt erectae.

indulgentiae pio S. Viae Crucis exercitio adnexae lucrari possint, sicuti patet ex S. C. Indulg. decreto diei 6 Augusti 1757 ad 1 *(Decr. auth.*, Ed. nova, n. 210; Prinzivalli CCXXXVI) in quo eodem decreto ad 2 mentem suam explicans eadem S. Congregatio sequentem praescribendam censuit methodum, « ut nimirum « pro publico exercitio Viae Crucis, *quando per-« turbatio excitari potest,* observetur methodus « a P. Leonardo a Portu Mauritio proposita, « ut videlicet, unoquoque de populo suum « locum tenente, sacerdos cum duobus cle-« ricis sive cantoribus circumeat, ac sistens « in qualibet statione, ibique recitans pecu-« liares consuetas preces, ceteris alternatim « respondentibus; pro privato autem tribua-« tur Episcopis facultas praescribendum tem-« pus pro peragendo dicto exercitio oppor-« tunum. »

Relate igitur ad hanc alteram conditionem sequentes conclusiones statui posse videntur:

a) In *privato* S. Viae Crucis exercitio ad lucrandas indulgentias *semper* requiritur transitus ab una statione ad aliam.

b) Idem dicendum de exercitio *publico* casu quo ex praedicto transitu *excitanda* NON *timetur perturbatio.*

c) Si vero in *publico* exercitio ex eiusmodi transitu *perturbatio excitari potest,* sufficit, ut observetur memorata methodus a S. Leonardo a Portu Mauritio proposita. Animadvertimus autem, in hoc casu saltem consulendum videri, ut populus vertat se ad singulas stationes, uti addit idem S. Leonardus, necnon ad easdem genuflectat ac erigat se cum Sacerdote caeterisque circumeuntibus.

31. Tertia denique conditio ad lucrifaciendas indulgentias pio S. Viae Crucis exercitio adnexas est, *ut quatuordecim stationes visitentur uno tractu,* non interposito inter stationes, temporis intervallo, uti habetur ex declaratione S. C. Indulg. d. d. 22 Ianuarii 1858 *(Decr, auth.*, Ed. nova, n. 385 ad 1; Prinzivalli DCXXVI.) Haec autem declaratio non est intelligenda eo sensu, ut *quaevis,* etiam *modica* interruptio indulgentiarum acquisitionem impediat; sufficit enim, ut exercitium non interrumpatur *notabiliter* et *moraliter,* uti iampridem S. Congregatio resolverat in *Camerinen.* diei 16 Decembris 1760 ad 4. En huiusmodi resolutionis tenorem ex *Decr. auth. Ed. nova* n. 223. (1) « An qui exercitium Viae Crucis peragunt et « illud ad modicum tempus interrumpunt, puta « ad audiendum Sacrum, ad sumendam Eu-« charistiam, ad Confessionem faciendam etc., « indulgentias lucrentur si illud prosequantur, « vel ad indulgentiarum acquisitionem opor-« teat in iis casibus illud ab initio reassumere? » S. Congregatio respondit: *Affirmative ad primam partem, dummodo notabiliter et moraliter exercitium non interrumpant; negative quoad secundam, et ideo non oportet in his casibus illud ab initio reassumere.*

32. Tandem notamus indulgentias pio S. Viae Crucis exercitio adnexas a fidelibus obtineri etiam posse *noctis tempore,* opera iniuncta adimplendo, uti declaravit S. Congregatio indulgentiarum sequenti decreto *Urbis et Orbis* diei 1 Martii 1819: « Quum Sacrae « Indulgentiarum Congregationi dubium re-« latum fuerit: *Utrum indulgentiae Viae Cru-« cis adnexae, uti caeterae possint noctu obti-« neri, opera iniuncta adimplendo?* eadem Sac. « Congregatio rebus ad trutinam redactis ma-« tureque per Consultorum vota perpensis, « ipsas indulgentias aeque diei ac noctis tem-« pore lucrifieri posse definiit, atque ad per-« petuam rei memoriam in propriae Secreta-« riae regesta praesens decretum inserendum « esse mandavit » *(Decr. auth.,* Ed. nova, n. 245; Prinzivalli CDXI, brevioribus tamen verbis).

(Continuabitur).

—

ARCHICONFRATERNITAS

S. Mariae Angelorum
canonice erecta ad altare sacrae Capellae de Portiuncula.

In sacra Capella S. Mariae de Portiuncula, quam Seraphicus Patriarcha S. Franciscus *Caput et Matrem Ordinis Minorum* esse voluit, in decursu saeculorum innumerabiles gratiae dispensatae sunt et adhuc dispensantur, ita ut haec Capella in veritate vocari valeat *Fons gratiarum.*

(1) Notanda discrepantia huius textus a textu relato a Prinzivalli sub n. CCXLIX; cfr. annot. ad n. 16.

Quo ex gratiarum fonte ut etiam Fideles in dissitis regionibus degentes uberius haurire possent, saepius desideratum fuit, ut canonice erigeretur aliqua Congregatio in praefata sacra Capella in honorem S. Mariae Angelorum. Huic autem pio desiderio satisfacere volentes Rmus P. Minister Generalis et Fratres huius praeclarissimi Sanctuarii custodes ad altare dictae S. Capellae Confraternitatem sub glorioso titulo *S. Mariae Angelorum* fundarunt, cuius canonicam erectionem per sequens Decretum episcopale obtinuerunt:

NOS PAULUS DE COMITIBUS FABIANI
Episcopus Assisiensis.

Magnum quidem ornamentum et praesidium huic Nostrae Seraphicae Dioecesi ex dispensatione Divina donatum arbitramur venerationem atque cultum beatissimae Mariae Virgini Angelorum, quae communiter de *Portiuncula* nuncupatur. Siquidem in hac Ædicula *seraphicus Patriarcha Pauperum sanctus Franciscus* concivis Noster, adiutus patrocinio beatissimae Virginis Mariae, cuius opem imploraverat, obtinuit a Domino Iesu, qui una cum Matre ibi apparuerat, *maximam illam atque perpetuam indulgentiam* a Summorum Pontificum diplomatibus exinde approbatam atque sancitam, totoque Orbe Catholico quotannis celebratam. Hic persaepe Servum suum Franciscum aspectu Suo Deipara recreavit, et miris apparitionibus Angelorum Choris stipata locum istum sacravit, unde *sanctus et porta coeli* merito diceretur. Tantaque veneratione percrebuit, ut super Aediculam, in honorem beatissimae Mariae Virginis haec perinsignis Basilica molis ingens extrueretur, et continuo concursu fidelium honoraretur. Maxime itaque decet, et in votis habendum, ut Cultus et Devotio in Sanctam Mariam Angelorum magis magisque augeatur, praesertim hisce temporibus tam Fidelibus quam Ecclesiae adversis. De Ipsa namque dictum est: *Cunctas haereses sola interemisti in universo Mundo* et rursus: *Ipsa tenente non corruis, Ipsa protegente non metuis, Ipsa duce non fatigaris, Ipsa propitia pervenis* (S. Bern.). Quapropter exultanti animo excepimus preces A. R. Fr. Bernardini a Castroplano Ord. S. Francisci Min. Observ. Superioris in Coenobio S. Mariae Angelorum, quibus enixe postulat facultatem erigendi Confraternitatem, seu Piam Christi — fidelium Unionem sub Nomine *sanctae Mariae Angelorum*, cuius munus praecipuum sit, ut omnes adscripti uno corde et spiritu Deum omnipotentem maximum per beatam Virginem Mariam adprecentur pro bono Catholicae Ecclesiae et conversione peccatorum. Nos itaque, cum ab hac Pia Institutione maiorem confidamus beatissimae Virgini Mariae venerationem obventuram, et quamplurimum spirituale bonum Christi — fidelibus accessurum, auctoritate Nostra ordinaria facultatem facimus eidem R. Fr. Bernardino Superiori, ut possit et valeat legitime et formaliter erigere et constituere praefatam Confraternitatem sub Titulo *Sanctae Mariae Angelorum*, cuius Moderator et Rector in perpetuum esse debeat Superior pro tempore eiusdem Coenobii.

Datum Assisii ex Nostra Residentia die 23 Ianuarii 1875.

Loco ✠ Sigilli.

PAULUS EPISCOPUS ASSISIENSIS.

I. B. Cofanelli Subst. Cancell. Epis.

Facta canonica erectione huius Fraternitatis statim permulti Fideles eidem nomen dederunt et quotidie crevit numerus adscriptorum. Rmus P. Minister Generalis cum magno gaudio haec animadvertens pro maiori adscriptorum emolumento rogavit et obtinuit sequens Breve Apostolicum:

PIUS PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam. Supplices admotae Nobis sunt preces, ut Confraternitati sub invocatione *Sanctae Mariae Angelorum* in Aedicula perinsignis Basilicae honori eiusdem Deiparae V. I. praefato titulo praeditae et de *Portiuncula* communiter nuncupatae Dioecesis Assisiensis canonice, ut asseritur, institutae, omnes et singulas Indulgentias communicare de Apostolica Nostra Auctoritate dignaremur, quibus gaudet pia Congregatio sub titulo *Deiparae ab Angelo salutatae*, quae vulgo *prima — primaria* nominatur erectaque existit in Aedibus Collegii Romani Clericorum Regularium Societatis Iesu. Cum itaque propter demandatum Nobis a Deo munus ad augendam fidelium pietatem ac spirituale eorum bonum procurandum, quantum in Domino possumus, animum intendamus, hisce precibus, quibus

aeternae Animarum saluti prospicitur, obsecundare volumus. Quapropter de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius Auctoritate confisi, omnibus et singulis e praefata Confraternitate utriusque Sexus Christi — fidelibus nunc et pro tempore existentibus, dummodo quae ad eas consequendas iniuncta sunt pietatis opera rite in Domino praestiterint, et, ubi orandum sit, preces quoque pro peccatorum conversione adiecerint, omnes et singulas tam plenarias quam partiales gratias, quibus Congregatio sub titulo *Deiparae ab Angelo salutatae* a Nobis antedictae Almae huius Urbis Nostrae ditata est, tenore praesentium communicamus in perpetuum, seu de novo tribuimus et elargimur. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Iunii MDCCCLXXVI. Pontificatus Nostri anno Trigesimo.

Pro Domino Card. Asquinio
D. Iacobini Substitutus.

Loco ✠ Sigilli.

Vigore istius Indulti Apostolici Confraternitati S. Mariae Angelorum communicatae fuerunt omnes et singulae Indulgentiae et spirituales gratiae, quibus gaudet Congregatio *Prima-Primaria* Collegii Romani.

Accepto hoc gaudioso nuntio permulti Fideles Confraternitatis Moderatorem rogarunt, ut pro dicta Confraternitate gradum et titulum *Archiconfraternitatis* a S. Sede petere vellet, ita ut eiusdem Moderator pro tempore existens alias Congregationes in quocumque loco canonice erectas sive erigendas huic Confraternitati S. Mariae Angelorum legitime aggregare eisque gratias eidem concessas communicare posset. Quamobrem Moderator petiit et, intercedentibus Rmo Episcopo Assisiensi et Rmo P. Ministro Generali, etiam obtinuit sequens Breve Apostolicum:

PIUS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam. Renunciatum est Nobis, in sacra Aedicula celebri, quae a Portiuncula nominata in medio insignis Basilicae apud Assisium in honorem Beatissimae Mariae Angelorum extollitur, Sodalitatem ab ipso Sanctae Mariae Angelorum nomine dictam canonice institutam esse. Praecipuum huiusce Sodalitatis est pro Catholicae Ecclesiae necessitatibus, et pro peccatorum conversione orare, eidemque Sodalitati plura Fidelium millia brevi tempore nomen dederunt. Quo autem satisfieri possit votis Fidelium, qui alias Sodalitates cognomines concordesque aggregari in praedictam Sodalitatem cupiunt, a Sacerdote Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia hodierno memoratae Basilicae Praefecto, qui supradictae Sodalitatis Rector est et Moderator, Nobis supplicatur, ut Sodalitatem hanc nomine ac iure Archisodalitatis honestare et augere velimus, eidemque potestatem faciamus communicandi cum aliis tum sibi concessas, tum alias Indulgentias, quarum ipsa est particeps ex communicatione cum Urbano Sodalitio Marianae Congregationis Primae-Primariae. Nos igitur omnes et singulos, quibus Nostrae hae Literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Sodalitatem *Sanctae Mariae Angelorum* in insigni Basilica cognomine apud Assisium canonice institutam in Archisodalitatem cum omnibus iuribus, honoribus, praeeminentiis solitis et consuetis Apostolica Auctoritate Nostra, tenore praesentium, perpetuo erigimus et constituimus. Archisodalitatis praeterea sic erectae Moderatori pro tempore ac proceribus, ut alias eiusdem invocationis et instituti Sodalitates, ubique locorum existentes, eidem Archisodalitati, servatis tamen forma Constitutionis Clementis VIII. Praedecessoris Nostri, ceterisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis, aggregare, illisque omnes et singulas tum ipsi concessas, tum quibus ex aggregatione Marianae Congretioni Primae-Primariae Urbis fruitur, Indulgentias et peccatorum relaxationes, quae tamen communicabiles sint, communicare libere ac licite possint et valeant, Apostolica item Auctoritate Nostra perpetuum in modum concedimus et indulgemus. Decernentes has Lite-

ras Nostras semper firmas validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; et illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari ac definiri debere, et irritum atque inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, supradictae Sodalitatis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum pro hac vice dumtaxat specialiter expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XI Augusti MDCCCLXXVI. Pontificatus Nostri anno Trigesimo.

Loco ✠ Sigilli.

F. Card. Asquinius

Scopus generalis istius Archiconfraternitatis est, ut ipsius membra speciali modo ponantur sub potentissimo patrocinio Beatissimae Virginis Mariae ad peccata facilius evitanda et virtutes exercendas.

Scopus peculiaris eiusdem est, ut gratiae agantur SS. Trinitati pro eximia sanctitate, quam B. Virgini Mariae pro salute humani generis conferre voluit, et ut laudetur ipsa nostra dulcissima Mater, quia est maxime benedicta inter omnes mulieres, plena gratia et potentia et dignissima Domina et Regina Angelorum. Insuper invocantur Ss. Angeli, ut adiuvent nos, quatenus digne valeamus glorificare Mariam eiusque benevolentiam magis magisque impetrare.

Ad hoc consequendum Associatis *commendatur:* 1. ut portent semper secum numisma vel imaginem S. Mariae Angelorum et recitent quotidie novies Salutationem Angelicam cum addito: « S. Maria Angelorum ora pro nobis et pro tota Ecclesia militante; » 2. ut offerant quotidie S. Mariae Angelorum omnia bona opera, orationes, eleemosynas, mortificationes aliaque pietatis et poenitentiae opera eamque rogent, quatenus ista opera suis meritis unita praesentare dignetur dilectissimo filio suo; 3. ut studeant se servare mundos corpore et anima; 4. ut saepe, et ad minus semel quolibet mense et in praecipuis festis Domini et B. M. V., cum debita dispositione accedant ad SS. Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae; 5. ut qualibet Dominica intersint piae congregationi in sacra Capella Portiunculae; 6. ut saepe implorent Divinam Maiestatem et B. Mariam V. pro Romano Pontifice, pro sancta matre Ecclesia, pro concordia principum christianorum, extirpatione haeresum et conversione peccatorum; 7. ut quolibet mane devote recitent actus virtutum theologicarum et petant benedictionem maternam Mariae sanctissimae, et quolibet vespere faciant examen conscientiae, actum contritionis et propositi necnon gratiarum actionis pro receptis beneficiis; 8. ut studeant, quantum fieri potest, quotidie assistere S. Missae sacrificio; 9. ut transeuntes imaginem B. Mariae Virginis eam salutent, et ut ad solitum campanae signum *Angelus Domini* devote recitent.

Festum principale istius Archiconfraternitatis est festum S. Mariae Angelorum, quod celebratur die 2. Augusti. Patronus secundarius est Seraphicus Patriarcha Pauperum S. Franciscus Assisiensis, cuius festum celebratur die 4 Octobris. Valde convenit, ut omnes Associati dictis diebus recipiant ss. Sacramenta.

Associati fiunt participes omnium orationum, functionum et Missarum, quae in decursu totius anni in Basilica S. Mariae Angelorum, et praecipue ad altare sacrae Capellae de Portiuncula et in Capella S. Francisci, in qua Seraphicus Pater animam suam Deo reddidit et in qua ipsius cor asservatur, celebrantur. Lucrare possunt pariter omnes Indulgentias aliasque spirituales gratias huic Archiconfraternitati concessas, quarum Summarium hic communicamus:

SUMMARIUM

Indulgentiarum aliarumque spiritualium Gratiarum a SS. D. N. Pio Papa IX. Archi-

sodalitati titulo Sanctae Mariae Angelorum in Portiuncula insignis Basilicae cognominis apud Assisium canonice erectae, et ceteris Sodalitiis sub eodem titulo erectis ac erigendis in perpetuum concessarum, dummodo eidem Archisodalitati per eiusdem Moderatorem pro tempore sint aggregata cum communicatione earumdem Indulgentiarum aliarumque spiritualium Gratiarum iuxta facultatem ipsi ab Apostolica sede elargitam Brevi diei 11 Augusti 1876.

I. *Indulgentiae plenariae pro omnibus utriusque sexus christifidelibus.*

1. Quicumque Sodales, aut qui sunt extra Sodalitatem Christifideles utriusque Sexus, vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti, Ecclesiam seu Cappellam vel Oratorium in die Festivitatis, seu Tituli Sodalitatis eiusdem, a primis Vesperis usque ad occasum Solis eiusdem Festi, pie visitaverint, et ibidem pro Reipublicae Christianae conservatione et augmento, pro haeresum extirpatione, Principum Christianorum mutua et universali pace, ac Romani Pontificis prosperitate oraverint, vel alias preces pro sua quisque devotione ad Deum effuderint, *Indulgentiam plenariam* consequuntur.

2. Si Sodalitium alium Titulum, seu alium Patronum habuerit praeter beatissimam Virginem, eo die quo eiusdem Festum celebrabitur, eodem modo *Indulgentia plenaria* concessa est. Si talis Titulus non adsit, Sodalitii Moderator potest singulis annis, de licentia Ordinarii, eligere quem voluerit.

3. Pariter de licentia Ordinarii utraque Festivitas ad alium diem infra annum, etiam ad diem Dominicum transferri possit, et tunc praedictae Indulgentiae eo die, quo celebratur Festum, concessae sint, etiam si incidisset eo die Festum duplex, quo casu *una Missa Votiva solemnis* de huiusmodi Festo translato celebrari poterit.

II. Indulgentiae plenariae pro solis sodalibus.

4. Quo die in sodalitatem quispiam recipitur, si vere poenitens et confessus fuerit, eodemque die sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserit in Ecclesia, ubi praedicta Sodalitas fuerit, vel ubi poterit, *plenariam* peccatorum suorum *Indulgentiam* et remissionem consequitur.

5. In Mortis quoque articulo eisdem Sodalibus, qui, poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti vel quatenus facere nequiverint, saltem vere poenitentes Nomen Iesu ore si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, *plenaria* similiter omnium peccatorum suorum *Indulgentia* et remissio concessa est.

6. Item Sodales, qui Festis diebus Nativitatis et Ascensionis D. N. Iesu Christi, Annuntiationis, Assumptionis, Conceptionis et Nativitatis beatae Mariae Virginis vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint in Ecclesia, ubi praedicta Sodalitas fuerit, vel ubi poterint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, *Indulgentiam Plenariam* consequentur.

7. Item *Plenariam Indulgentiam* semel in hebdomada in iis diebus, in quibus, iuxta huiusce Archisodalitatis, seu aliarum Sodalitatum eidem aggregatarum, vel pro tempore aggregandarum, Statuta vel consuetudines, Sodalium conventus haberi solent, Sodales, qui eisdem conventibus interfuerint, et, vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, Ecclesiam seu Cappellam vel Oratorium Sodalitatis visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione oraverint, consequentur. Quoties tamen in eadem hebdomada bis aut ter conveniunt Sodales, dies pro *Indulgentia Plenaria* consequenda erit ad singulorum arbitrium. Monentur tamen Sodales, a Moderatorum directione in his et in omnibus dependere.

8. In Sodalitiis in quibus Sodales vespere, noctu, seu alia quacumque hora post meridiem convenire solent, dies pro *Indulgentia Plenaria* consequenda, vel eadem, vel subsequens esse potest, ad eorum arbitrium.

9. Moderatores eiusdem Sodalitatis Presbyteri, dummodo semel saltem pro semper ab Ordinario licentiam obtinuerint, quoties Sodales infirmos visitaverint, eosque spiritualibus monitis, sive ad morborum incommoda patienter toleranda, sive ad mortem de manu Domini libenter acceptandam adiuverint, et coram aliqua Crucifixi Salvatoris nostri Imagine *ter* saltem *Orationem Dominicam* et *Sa-*

lutationem Angelicam iuxta Pontificis et Sanctae Matris Ecclesiae mentem, ab ipsis recitari curaverint, quo die iidem Infirmi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, *Indulgentiam Plenariam* ipsis applicare possunt.

10. *Indulgentiam plenariam* semel in hebdomada concessam, bis in anno lucrari possunt Sodales, etiamsi Locum ipsum Sodalitii non visitaverint, dummodo aliam Ecclesiam visitent, in qua sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumant, et generalis Confessio, vel totius anteactae vitae vel ab ultima generali praecedat.

III. Indulgentiae septem annorum,
quas sodales consequuntur toties quoties.

11. Qui Corpora Sodalium, vel aliorum Christifidelium ad ecclesiasticam sepulturam prosequuti fuerint.

12. Qui per Campanae signum de extremo alicuius Fidelis agone, aut transitu admoniti, Deum pro Infirmi salute, aut eius felici transitu, vel pro Defuncti requie fuerint deprecati.

13. Qui Coetibus tam publicis, quam privatis, vel divinis Officiis, vel spiritualibus colloquiis et exhortationibus,

14. Aut piis Officiis, etiam in Sodalium, vel aliorum Christifidelium defunctorum suffragium, de Moderatorum consensu approbandis,

15. Qui Missae Sacrificio diebus feriatis interfuerint.

16. Qui conscientiam suam diligenter examinaverint vespere, antequam cubitum eant.

17. Qui pauperes infirmos tam Sodales, quam alios in hospitalibus, seu domibus privatis,

18. Qui carcere detentos visitaverint.

19. Qui pacem inter inimicos conciliaverint.

Declaratio. — Has omnes Indulgentias consequi poterunt Sodales, ubivis locorum commorantes, si apud Ecclesiam eorumdem Locorum, aut alibi, ut poterunt, opera praestabunt, quae sunt servanda ad huiusmodi Indulgentias consequendas.

IV. Indulgentiae Stationales.

20. Sodales consequuntur omnes Indulgentias Stationum Ecclesiarum Urbis in Missali Romano descriptas, si diebus Quadragesimae, et aliis anni temporibus, ac diebus Stationum huiusmodi, Ecclesiam, seu Cappellam, vel Oratorium proprium, si ibi fuerit, alioquin aliam Ecclesiam, seu Cappellam in Locis, ubi eos pro *tempore* esse contigerit, devote visitaverint, et ibi *septies Orationem Dominicam,* et *septies Salutationem Angelicam* recitaverint. Hae autem Stationales Indulgentiae, ex Decreto Pii Papae VI die 9 Iulii anni 1777, sunt sequentes:

21. In Circumcisione et Epiphania Domini, et in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae, Indulgentia 30 annorum, totidemque quadragenarum.

22. In *Quadragesima.* — In Feria IV Cinerum et Dominica IV, Indulg. 15 annor. totidemque quadragenar.

23. In Dominica Palmarum, Indulgentia 25 annorum, totidemque quadragenarum.

24. Feria V in Coena Domini, *Indulg. Plenar.* vere poenitentibus confessis et sacra Communione refectis.

25. Feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto, Indulgentia 30 annorum, totidemque quadragenarum.

26. In reliquis tam Dominicis, quam Feriis Quadragesimae (inclusis *quatuor Temporibus* eiusdem) Indulgentia 10 annorum, totidemque quadragenarum.

27. *In Paschate Resurrectionis Domini.* — In Dominica, *Indulgentia Plenaria* vere poenitentibus confessis et sacra Communione refectis.

28. In singulis vero Octidui diebus usque ad Dominicam *in Albis* inclusive, quotidie Indulgentia 30 annorum, totidemque quadragenarum.

29. In Festo S. Marci Evangelistae ac tribus Feriis Rogat., Indulgent. 30 annor., totidemque quadragenar.

30. In Ascensione Domini, *Indulgen. Plenar.* vere poenitentibus confessis et sacra Communione refectis.

31. *In Festo Pentecostes.* — In Sabbato ante Dominicam, Indulg. 10 annor., totidemque quadragen.

32. In ipsa vero Pentecostes Dominica, et aliis infra Octavam diebus usque ad Sabbatum inclusive (inclusis *quatuor Temporibus* in hac Octava), quotidie Indulgentia 30 annorum, totidemque quadragenarum.

33. In tribus Feriis *quatuor temporum* Septembris, Indulgentia 10 annorum totidemque quadragenarum.

34. *In Adventu Domini.* — In Dominicis I. II. et IV, Indulgentia 10 annorum, totidemque quadragenarum.

35. In Dominica III. Indulgentia 15 annorum totidemque quadragenarum.

36. In tribus Feriis *quatuor Temporum* Decembris, Indulgentia 10 annorum, totidemque quadragenarum.

37. *In Nativitate Domini.* — In Vigilia, Nocte ac Missa Aurorae, Indulg. 15 annor., totidemque quadrag.

38. In die vero Nativitatis, *Indulg. Plenar.* vere poenitentibus confessis et sacra Communione refectis.

39. In sequentibus tandem tribus diebus, idest S. Stephani, S. Ioannis Evangelistae, et Sanctorum Innocentium, Indulgentia 30 annorum, totidemque quadragenarum.

V. Indulgentiae pro defunctis.

40. Omnes supradictae Indulgentiae applicari possunt in suffragium Animarum Fidelium defunctorum.

41. Altare huiusce Archisodalitatis, et alia etiam Altaria, in quibus canonice sunt erectae Confraternitates eidem Archisodalitati aggregatae, sunt privilegiata, cum extensione ad omnes Sacerdotes, pro Anima quorumlibet ipsorum Sodalium tantum.

42. Ipsi vero Sacerdotes, qui et Sodales sunt, possunt pro Anima suorum pariter Sodalium celebrare Missam, cum eodem Privilegio, ad quodlibet Altare cuiuscumque Ecclesiae.

VI. Alia privilegia et concessiones.

43. Omnibus et singulis Regibus, Principibus, Ducibus et Comitibus supremam potestatem habentibus, eorumque Consanguineis et Affinibus primi et secundi gradus dumtaxat, qui huic Archisodalitati, vel Sodalitatibus eidem aggregatis, vel pro tempore aggregandis, adscribi petierint, etsi absentibus, eadem tamen pietatis opera, ut praemittitur, exercentibus, et aliquam ad eorum commodum et placitum Ecclesiam visitantibus, easdemque, ut supra, Indulgentias remissiones et relaxationes ut consequi possint et valeant, itidem conceditur et impertitur.

44. Insuper ut omnes et singuli Christifideles, qui expositioni SS. Eucharistiae Sacramenti in Ecclesia huius Archisodalitatis, vel in Ecclesiis seu Oratoriis Sodalitatum huic aggregatarum, vel pro tempore aggregandarum, spatio continui Tridui, de licentia tamen Ordinarii peragendi, per aliquod temporis spatium interfuerint, ibique oraverint, ac caetera iniuncta opera praestiterint, Indulgentias, peccatorum remissiones, poenarumque relaxationes, quas consequerentur, si Ecclesias, in quibus expositio Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti per quadraginta continuas horas fieri solet, visitarent, consequi possint et valeant, conceditur.

45. Deinde cum saepe contingat, ut Exercitia spiritualia, quae per octo dies fieri solent, rationabilibus de causis in quibusdam Locis, attenta Personarum, Locorum et temporum conditione, per integros octo dies peragi nequeant, sed ad quinque aliquando, vel sex, vel septem dies dumtaxat perducantur; hinc Indulgentias concessas iis, qui per octiduum tantum illa frequentarent, ab iis etiam, qui vel septem, vel sex, vel quinque saltem continuos dies peregerint, lucrari posse conceditur.

Summarium Indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum etc. supraenunciatum cum sit omnino conforme earumdem elenchis, iam rite adprobatis, pubblicari, ac Typis demandari posse concedimus.

Datum Assisii die 8 Iunii 1877.

Loco ✠ Sigilli.

✠ Paulus Episcopus.

Qui huic Archiconfraternitati nomen dare vel aliquam Confraternitatem eidem aggregari cupiunt, hoc a Moderatore Archiconfraternitatis petere et epistolas sequenti modo inscribere possunt: « Al Reverendo Padre Prefetto della S. Basilica di S. Maria degli Angeli presso Assisi (Italia). »

III.

MISSIONES

MISSIONES AMERICAE MERIDIONALIS

Collegium *de Tarata* in Bolivia.

Ex relatione quam Rmo P. Ministro Generali direxit R. P. Modestus Ceccarelli, Missionum Praefectus Collegii nostri *de Tarata* in Republica Boliviana, sequentia desumimus.

Collegium illud quatuor Missiones sive *Reductiones* habet inter Infideles *de Guarayos* nuncupatos, scilicet:

Missionem	de *Urubichá*	cum animabus	945
»	de *Ascensione*	»	1692
»	de *Jotaú*	»	400
»	de *Jaguarú*	»	1197
	(Summa animarum)		4234

Guarayani bonae sunt indolis, obedientes et labori satis addicti, eorumdem animi dotes, licet debiles, caeterorum Indorum nihilominus intellectum superant.

Singularum Reductionum familiae quotannis multiplicantur et hoc augmentum morum christianorum indicium est. Ut exemplum afferamus, in Reductione de *Urubichá* per quinquennium elapsum nati sunt 270 et mortui sunt 169. Augmentum igitur in hoc quinquennio fuit animarum 101.

Pater Missionarius, qui et *Conversor* vocatur, quia Indorum conversioni ex officio incumbit, omnium rerum tam spiritualium quam temporalium in Reductione sibi concredita curam habet. Puerorum educationi et instructioni in primis vacat. Ad instructionem confovendam et metodi unitatem in omnibus Collegii Reductionibus servandam, P. Ioseph Cardùs, Observantis Provinciae S. Ludovici filius et nostrarum Missionum optime meritus, Catechismum in Hispanico et Guarayano idiomate typis edidit, necnon aliud opus, in quo doctrina christiana fusius in eisdem linguis explicatur, et sic faciliora evadunt tam neophitorum instructio quam P. Conversoris ministerium.

Reductionis fideles contra infidelium tribuum aggressiones non raro defendere debet P. Conversor. Hac de causa neophitos militarem artem docet, et ex eis aptiores quasi duces ad bellum defensivum exercet atque informat, quin tamen ipse arma suscipiat. Sic mense Februarii anni elapsi 1882, in Reductione de Ascensione quaedam bellica expeditio suscepta fuit adversus errantem tribum *de los Syrionos* nuncupatam, qui regionem latitudine 200 leucarum exstensam occupant et in missionem frequentibus invasionibus proditorie invehuntur. In hac expeditione quinque occisi sunt Syrioni, tresque in captivitatem adducti.

Praeter bellicam defensionem, quam per legatos suos tribunos dirigit, administrationis etiam civilis gubernacula tenet P. Conversor, sed potius Patrisfamilias quam rei publicae Principis vices agit. Neophitos, ad consulendum vitae necessitatibus, in diversi generis artibus mechanicis instruit. Iustitiam quoque exercet, et mediantibus populi magistratibus, quorum primus *Cacique* vocatur, delinquentes castigat.

Tristis et ex uniformitate monotona apparet Missionarii Franciscani vita, in hac immensa solitudine, silvis consita, quarum ferae et coleapteria soli habitatores esse videntur.

Per multa passuum millia equitare cogitur Missionarius, priusquam miserrimam alicuius Indorum tribum obviam habeat. Sed maior eiusdem privatio, maiorque animi angor e separatione a Confratribus provenit. Solus in his desertis inter neophytos suos vitam degens, nonnisi raro alium Missionarium adire valet, eiusque consortio consolari ac recreari. Absentia enim P. Conversoris e Reductione per unum tantummodo diem vix protrahi potest, absque fidelium detrimento. Peroptandum exinde foret in singulis Reductionibus duos adesse Missionarios, qui Societatis suae emolumentum sibimetipsis praeberent, et Missionis etiam meliorem, ut experientia patet, curam gererent. Utinam saltem Missionum Praefectus unum alterumve habere possit Missionarium supra numerum, quem ad hanc illamve Reductionem iuxta Patrum Conversorum necessitatem, mitteret. Ideo Dominum messis rogamus ut, operariis evangelicis multiplicatis, levamen nobis

solatiumque afferat, et abundantiorem animarum messem praeparet.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

Franciscanae Ephemerides
(Continuatio)

IN GERMANIA

1. SANCT FRANCISCI GLÖCKLEIN. Monatsschrift für die Mitglieder des III. Ordens des heil. Franziskus. Gesegnet von Sr. Heiligkeit Papst Leo XIII. Approbirt vom hochwürdigsten Ordensgeneral. Redigirt und herausgeben non P. Arsenius Niedrist, Franziskaner-Ordenspriester in Innsbruck. Druck und Verlag von Fel. Rauch in Innsbruck. V. Jahrgang.

St. Francisci Glöcklein (*Campanula S. Francisci*) publicatur singulis mensibus ab A. R. P. Arsenio Niedrist, Ex-Ministro Prov. Tirolensis S. Leopoldi. *(Franziskaner-Kloster zu Innsbruck)* Pretium est 60 crucigeri austr., per postam 75 crucig.

Viginti et quinque millia Associatorum huius publicationis circiter numerantur.

2. FRANZISKUS-BLATT, Marienstatt (Nassau)

IN CROATIA.

CVETJE Z VERTOV SV. FRANCISCA. Mesecni list za verno slovensko ljudstvo, zlasti za ude tretjeg reda sv. Franciska... v. Gorici (Flores ex horto S. Francisci decerpti etc.)

Pagella haec, quae inde ab anno 1880 a quodam Patre Provinciae Croatiae-Carnioliae Lect re singulo mense typis committitur, est fideli populo slovenico imprimis vero III Ord. S. P. N. Francisci membris destinata: et quam fini suo respondeat, vel ex numero associatorum, qui sunt 4,000, metiri licet. Proventus, ut aiunt, puri, sunt promovendae missioni nostrae apud Sinenses addicendi.

IN ANGLIA

2. FRANCISCAN ANNALS and monthly Record of the Third Order, established 1877, honoured with the Blessing and Commendation of Our Holy Father Leo XIII. Anno VI. (in 12.)

A Patribus Capuccinis Provinciae Angliae eduntur praedicti *Annales*. Associationis pretium 4 shill. per anannum R. P. Davidi, transmittendum est: *St. Antony's, East Dulwich London, S. E.*

IN HISPANIA

REVISTA FRANCISCANA publicacion mensùal, destinada a la propagacion de la Vener. Orden tercera de penitencia del Serafico Padre S. Francisco de Asis, dirigida por el M. R. P. Fr. Ramon Buldù, provincial de la Orden, aprobada por los Rmos Comisario Géneral apostolico de Espana y Ministro General de la Orden, y bendicida por Pio IX. Barcelona, Tip. Catolica, calle del Pino 5. Anno XI.

A Patribus Observantis Catalaunensis Provinciae publicatur hoc mensile periodicum et pretium associationis annuae 12 reg. hispanicis vel 3 francis aequivalet.

IN AMERICA SEPTENTRIONALI

1. THE ANNALS OF OUR LADY OF THE ANGELS, published by members of Third Order Regular of St. Francis of Assisi. Rome 1883. Vol. VIII.

The Annals publicantur singulis mensibus a Sororibus Tertii Ordinis Immaculatae Conceptionis. Pretium associationis est pro America 1 Dollar et 25 centesimi, pro Europa 4 Shillings — S. Sacrificium Missae celebratur quotidie pro Associatis. Epistolae dirigendae sunt Romam: *The Secretary of the Annals, 12 Via Alfieri.*

2. DER SENDBOTE des göttlichen Herzens Iesu . Monatsschrift des Gebets Apostolates. Herausgegeben von den Franziskaner - Vätern, Cincinnati Ohio. Ann. X.

Der Sendbote (Latine: *SS. Cordis Nuntius*) publicatur singulis mensibus a Fratribus Minoribus Cùstodiae Cincinnatensis S. Ioannis Baptistae. Pretium associationis in America *2 dollars;* pro Europa 2 dollars et 20 cents. Litterarum directio: *Sendbote, 593 Vine Str. Cincinnati O.*

IN AMERICA MERIDIONALI

1. SEMANARIO CATÓLICO, Bolivia — La Paz. Anno VIII.

Semanario Catolico est quasi continuatio alterius periodici cui titulus erat *Jardincito de Maria.* A Patribus Missionariis Collegii Minorum Observantium Pacensis dirigitur. — Pretium associationis est 4 pesos.

Opera edita.

1874-1876. STORIA COMPENDIOSA DI SAN FRANCESCO E DE' FRANCESCANI per Fr. Panfilo da Magliano, M. O. R. Roma, tip. cattolica di Chiapperini, 2 vol. in 8.°

Vol. I integram vitam S. P. Francisci enarrat, et Primi Ordinis historiam usque ad mortem S. Bonaventurae, necnon huiusce temporis Secundi et Tertii Ordinis historicum compendium continet. (p. 662.)

Vol. II (pag. 655) primi Ordinis historiam continuat a generalatu Fr. Hieronymi ab Asculo, qui deinde

Nicolaus papa IV renuntiatus est, usque ad Concilium Constantiense anno 1415.

Praematura morte peremptus auctor egregium opus suum perficere nequivit, et primi voluminis editio exhausta novam editionem optabilem reddidit.

1874. Di dodici mistici raggi del Santissimo Nome di Gesù. Pie Considerazioni tratte dalle opere di San Bernardino da Siena, dei Frati Minori di S. Francesco d'Assisi. Genova, tip. della Gioventù, in 18° (pag. 64.)

1875. Notizie Storiche della miracolosa immagine del Santo Bambino di Araceli e del Presepio, nuovamente raccolte e compilate. Roma, Tip. Monaldi, Via delle Tre Pile. In 12° (pag. 31.) 0, 25 cent.

1875. Le Santo Bambino, Notice historique sur la statue miraculeuse de l'Enfant Jésus et sur la crêche d'Araceli.

Est gallica versio praecedentis opusculi italici.

1882. Catechismo della prima Regola di S. Chiara compilato dal P. Andrea Delfino da Tortona Lettore giubilato in sacra Teologia, Minore Osservante. Ferrara, Tip. Taddei, in 8,° pag. 230. (L. 2).

1882. Compendio della Vita di S. Antonio di Padova dell'Ordine dei Minori, con Appendice di Novene e della divozione dei Martedì per cura di un Sacerdote dello stesso Ordine. Udine, tip. del Patronato, in 18° pag. 64. (L. 0, 20).

1882. Uspomene o Rami i Ramskom Franjevackom Samostanu, pobiljezio Fra Ieronim. Vladic. Latine: (Memoria Romae ex Conventus Franciscanorum Ramensis, in Bosnia, scripsit fr. Hieronymus Uladic) Zagrabiae, tip. Tiskare in 12° pag. 120.

1883. Vita del Servo di Dio P. F. Nicola di Santa Maria Maddalena, Sacerdote dei Minori Alcantarini, della Provincia di Lecce, raccolta nel 1754, dal P. Fr. Michelangelo di Gesù e Maria Lettore teologo, e già Provinciale della stessa Provincia con brevi annotazioni ed aggiunte del P. F. Giovan Giuseppe di M. Addolorata, Proc. Gen. degli Alcantarini e Recolletti. Napoli, Tip. della pia casa dell'Addolorata, n. 18 pag. 168 (L. 0, 60) Invenitur apud Bibliopolam Laurentium. *Lupegna, Via Trinità Maggiore, 42. Napoli.*

In Obs. Custodia Hercegovinae
sequentia opera edita sunt:

Reverendissimus P. Raphael Barisic, Vicarius Apostolicus in Hercegovina, edidit lingua croatica:

1. Pasa Duhovna (*Pabulum Spirituale*) Romae, 1842.

2. Obrana Svestenstva (*Defensio Cleri*) Dubrovnik, 1853.

Reverendissimus P. Angelus Kraljevic, Vic. Apostolicus ibidem edidit:

1. Razgovor Duhovni (*Colloquium Spirituale*) (ling. croatica.) Romae, 1860.

2. Grammatica Latino-illyrica (i. e. croatica) Romae, 1863.

3. Schematismus Custodiae Provincialis Hercegovinae. Dubrovnik.

4. Govorenja za Svetkovine (*Sermones festivales*). Romae, 1870.

5. Ispovednik Kod Bolestnika (*Confessarius apud Infirmum*). Zadar. 1870.

6. Molitvenik (*Liber precatorius*) Mostar. 1873.

Reverendissimus P. Paschalis Buconic, olim in Conv. Aracoeli Lector Generalis, Episcopus in Hercegovina, edidit:

1. Govor u slavu sv. Cirila i Metoda (*Sermo in honorem sanctor. Cyrilli et Methodii.*) Romae, 1863. lingua croatica.

2. Pastirski List. (*Litterae Pastorales*) l. croatica. Romae, 1879.

3. Un Cenno sui gravamini causa principale dell'Insurrezione delle popolazioni Cristiane.

4. A. R. P. Petrus Bakula Lect. Iubil. edidit:

1. Cenno storico sulla Provincia di Bosna Lucca, 1846.

2. Breve compendio sacro-istorico sulle vicende della Regolare Missionaria Custodia e Apostolica di Hercegovina. Dubrovnik, 1853.

3. Piesma sveto-izkazana etc. (*Canticum*) ling. croat. Dubrwnik, 1863.

4. I Martiri nella Missione Francescana Osservante in Hercegovina. Romae 1862.

5. Hercegovin za 19 godina vezirovania Ali Pase (*Hercegovina 19 annos sub vezjratu Ali Pase*) Romae, 1862. l. croat.

6. Pravo Mudroznanje (*Vera Philosophia*) Spliet. 1867.

7. SCHEMATISMUS Topographico-Historicus Custodiae Provincialis et Vicariatus Apostolici in Hercegovina. Spljet. 1867. 1873.

8. POLITIKA za svakoga conjeka (*Pulitica pro quolibet homine*) Spljet, 1869.

9. BOGALJUBNA BAVLJENJA (*Piae Occupationes*) 1869.

PRISTAMPANJE.... Spljet 1870.

11. ZIVOT I PRODANJE SVET. JOSIPA (*Vita S. Ioseph*). Spljet 1871.

12. CETIRI DIELA GODINE (*Quatuor anni partes*). Spljet 1871.

13. O FRANCUZKOM I PRUSKOM RATU 1870-71 (*De bello gallico-borussico an. 1870-71.*) Dubrovnik. 1873.

P. Franciscus Milicevic euisdem Custodiae filius edidit:

1. PERIVOJ DAROVA NEBESKIH) *Hortulus donorum coelestium*) Zagreb. 1867.

2. SLOVNICA TALIJANSKA (Grammatica italica). Mostar 1877.

3. SKLADNJA (*Syntaxis*) Mostar. 1870.

4. SPOMENIK ZIVOTA KRSCANSKOGA (Monumentum vitae christianae).

V.

NECROLOGIA

—

Rmus D. MAMERTUS ESQUIÙ Ord. Min. Regul. Obs. Episcopus Cordubensis in Republica Argentina Americae meridionalis, cuius necrologiam pag. 56 promisimus, obiit die 10 Ianuarii 1883. Honestis piisque parentibus natus die 1 Maii 1826 in pago *Piedrablanca* prope Catamarcam in Dioecesi Saltensi, infantulus erat tenuae adeo valetudinis ut per tres menses nulla fere vitae eius spes adfuerit; ast cum pia mater eum S. P. Francisco consecrasset, ac seraphica veste induturum vovisset, statim convaluit. Triennis itaque habitum franciscanum gestare coepit, et cum habitu spiritum quoque seraphicum induisse videbatur; nam a teneris annis obedientia, modestia et orationis studio ita excelluit, ut dici potuerit quod *proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines.* Vix dum legitimam aetatem attigit, Ordinem Minorum in Obs. Assumptionis Provincia ingressus, post solemnem professionem, philosophiae ac theologiae studiis incubuit, et, prout erat subtili ingenio et tenaci memoria praeditus, egregius dein Lector et Concionator evasit, ac magnam omnium sibi aestimationem conciliavit ita ut Lacordaire Americae vocaretur. Ipse vero minus timens pericula praedicationis inter barbaros, quam admirationem et laudes quibus eum prosequebantur fideles, recusato Episcopatu de *Paraná,* ut humilitatem servaret patriam deseruit, ac Collegium Missionum, *de Tarija,* in Bolivia contendit. Sed non diu ei Tarijae manere datum est, Platensis enim Archiepiscopus eum ad *Sucre* civitatem Boliviae principem accivit ceu S. Theologiae Professorem in Seminario, ubi etiam et praedicatione evangelica salutem animarum quaesivit, et institutis Ephemeridibus « *El Cruzado* » contra errores et incredulitatem strenue pugnavit. Interea Reipublicae Argentinae Senatus tanti viri fama permotus inscium ad Archiepiscopatum de *Buenos-Ayres* postulaverat; qua de re accepto nuntio Mamertus occasionem arripuit Tarijam repetendi quasi a confratribus illius Collegii consilium capturus, et datis ad Senatum litteris oblatum Archiepiscopatum repudiavit ac veritus ne ad id muneris cogeretur, Superiorum annutu in Peruanis Coenobiis sese abdidit donec Archiepiscopum D. *Aneyros* nominatum fuisse rescivit; et tunc demum laeto animo Tarijam rediit. Anno 1875 desiderio flagrans, S. Palaestinae loca invisendi, ad hoc litteras obedientiales obtinuit a Rmo Generali Ministro, illucque commeavit eo fine, ut inibi ignotus viveret et moreretur, attamen Deo aliter disponente, repatriare debuit.

Mortuo interim Cordubensi Episcopo, Mamertus die 17 Februarii 1880 ad Sedem illam deligitur et Summi Pontificis praecepto coactus, hac vice onus Episcopatus detrectare nequivit. Episcopus porro consecratus, nudis pedibus et franciscali veste indutus Cordubam ingreditur, ac crucem pectoralem exterius, et Christi charitatem interius in corde gestans, brevi omnium animos suis sibi virtutibus devinxit, fuit enim ut Paulus docet *irreprensibilis.... omnibus omnia factus,* nisi quod pauperes, miseros, et peccatores prae caeteris diligere cernebatur. Dioeceseos oppida et pagos praedi-

cando circumiens, missionarii vitam quam Tarijae inceperat Episcopus continuavit donec, ut ita loquar, charitatis martyr occubuit. Maximis enim aestatis caloribus *Rioxam* pacis cujusdam componendae causa profectus, cum prospere processisset eventus, Cordubam redire statuit, et mortem quasi praesentiens ad aram S. P. Francisci solito ardentiori pietate facto sacro, sese commisit itineri; dum autem rediret, morbo correptus, in quodam tuguriolo campestri vulgo *Pozo del Suncho* e vita decessit; et in parva Ecclesia quae non longe distat tumulatus est. Mortis eius nuntius universam Rempublicam moestitia affecit et luctu; et omnis generis Ephemerides tanti viri iacturam lamentatae sunt, ac Nationale Gubernium solemnes exequias pro eo celebrandas decrevit. Mox eius corpus publicis impensis exhumatum, conditum, et Cordubam translatum fuit, memoria autem apud omnes semper in benedictione erit.

Valde optandum est, ut aliquis fusiorem biographiam istius Viri eximii scribat.

—

A. R. P. LEOPOLDUS A CASTELLETO.

Anno MDCCCXX. natus Castelleti, qui est in Monte ferrato pagus, adolescens ecclesiasticam vestem in Derthonensi Seminario sumpsit, ibique Rhetoricae ac Philosophiae non mediocri solertia operam navavit. At Deo ad altiora vocante, vix decimum septimum annum egressus seraphicum in observanti Genuensi Provincia habitum impetravit; inque sacra perfectionis schola virtutem quam semper coluit impensius colere coepit, in dies magis proficiens ita ut exemplum praeberet bonorum operum suis confratribus tum in patria Provincia, tum in Veneta ubi lecturam generalem tenuit. Nefasta lege dissolutionis religiosarum sodalitatum lata, Dioecesim originis repetens, ne in vanum gratiam Dei acceptam haberet, debitis facultatibus munitus non modicam paroeciam regendam suscepit, vineamque sibi concreditam impigre est operatus. Licet in paroeciali munere obeundo suarum ovium, quibus vere pastor bonus extitit, sibi corda dulciter attraxisset, tamen a suis fratribus rogatus pingue beneficium sponte dimisit, atque inter suos gaudens denuo se recepit. A quibus, annuente Rmo Ordinis Ministro, in Provincialem electus et postea confirmatus mirum quantum in Provincia iam fatiscente instauranda adlaboraverit. Fratribus dispersis dulcedine ac comitate potius quam minis accitis Conventus ditavit; novitiatum, quo iam vigesimo sexto abhinc anno Provincia caruerat, adversarii conatibus devictis, anno MDCCCLXXXI aperuit et seraphico adolescentulorum collegio stabilivit; professi clerici ne magisterio carerent, Rhetorices et Philosophiae cathedras sibi imposuit, quin tamen concionibus sacrisque confessionibus, quibus semper assiduus fuit, deesset, pondus sustinens diei et aestus, ut *Provinciae Parens* merito dici possit.

Tot tantisque laboribus spiritu alacer, corpore tamen infirmior sub finem novissimae quadragesimalis praedicationis in morbum incidit, non lethalem quidem; sed ipse suum finem praesentiens brevi se moriturum praenuntiabat; XVIII revera Kal. Maias *bronchitide* inopinato superveniente, mox ad extrema redactus est. Sacramentis, quae ipsemet poposcit, refectus suos filios ad se accitos inter ipsorum lacrymas quos orphanos relinquebat ad Regulae observantiam mutuamque charitatem hortatus est, singulis prout uniuscuiusque conditio ferabat tradens monita vere paterna, moestosque animo erigens solabatur.

Acerrimis licet fatigatus doloribus, unice dolebat humilis Pater, non sufficientem sibi esse fervorem ad tantum transitum; in cuius agone mirum fuit quod, licet ultra quinque horas sensibus fuerit destitutus, tamen si de rebus spiritualibus quis loqueretur, mox sui compos saepius redditus fuerit; immo non raro preces, quae pro se fundendae essent, suggessit.

Placide obdormivit in Domino XVI Kal. Maias post secundam horam matutinam in Conv. Recchi, ubi ob temporum tristitiam sedem fixerat.

Ave, Pater dilectissime, tuorumque memento in coelis regnans, ut merito speramus.

Nihil obstat
FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII
CONSTITUTIO
DE LEGE FRANCISCALIUM TERTII ORDINIS SAECULARIS

—

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Misericors Dei Filius, qui, suavi iugo et levi onere hominibus imposito, omnium vitae et saluti consuluit, Ecclesiam a se conditam non potestatis solum sed etiam misericordiae suae reliquit heredem, ut parta per ipsum beneficia ad omnes saeculorum aetates eodem semper caritatis tenore propagarentur. Propterea quemadmodum in iis, quae Iesus Christus in omni vita vel gessit vel praecepit, mitis illa sapientia et invictae magnitudo benignitatis eluxit, sic pariter in singulis christianae reipublicae institutis mira quaedam eminet indulgentia et lenitas, ut plane vel in hac ipsa re similitudinem Dei, qui *caritas est,* (1) gerere Ecclesia videatur. Illud est autem munus pietatis huius maternae maxime proprium, accommodare sapienter leges, quoad fieri potest, ad tempora, ad mores, et in praecipiendo exigendoque summa semper aequitate uti. Atque huiusmodi consuetudine caritatis simul et sapientiae efficitur, ut immutabilitatem doctrinae absolutam et sempiternam cum prudenti disciplinae varietate Ecclesia coniungat.

Hac Nos ratione animum et mentem Nostram in gerendo Pontificatu conformantes, officii Nostri ducimus eo, quo aequum est, iudicio aestimare naturam temporum, et omnia circumspicere, ne quem difficultas deterreat ab utilium exercitatione virtutum. Et nunc quidem perpendere ad hanc normam placuit sodalitatem Franciscalium *Ordinis Tertii*, qui *saecularis* dicitur, diligenterque statuere num leges eius modice temperari ob mutata tempora oporteret.

Praeclarum istud Francisci Patris institutum vehementer pietati christianorum commendavimus per litteras Encyclicas *Auspicato,* quas die XVII Septembris anno superiore dedimus. Dedimus autem hac voluntate atque hoc unice proposito, ut quanto plures possent ad sanctitatis christianae laudem invitatione Nostra tempestive revocarentur. Origo quippe est maxima et malorum quae premunt, et periculorum quae metuuntur, neglecta christiana virtus: alteris vero mederi, atque altera deprecari non alia homines ratione possunt, quam maturando privatim et publice ad Iesum Christum reditu, *qui salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum* (1). Iamvero in curandis Iesu Christi praeceptis instituta Franciscalia tota sunt posita: neque enim quicquam spectavit aliud auctor sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, diligentius vita christiana exerceretur. Profecto Ordines Franciscales duo priores, magnarum virtutum informati disciplinis, perfectius quiddam diviniusque persequuntur: sed paucorum sunt, nempe eorum quibus Dei munere concessum est ad evangelicorum consiliorum sanctitatem

(1) I. Ioann. IV. 16.

(1) Heb. VII, 25.

singulari quadam alacritate contendere. Verum Tertius Ordo natus aptus est multitudini, et quantum possit ad mores iustos, integros, religiosos, superiorum temporum monumenta et res ipsa declarat.

Auctori autem et adiutori bonorum consiliorum Deo acceptum referre debemus, quod illis cohortationibus Nostris clausae aures populi christiani non fuerunt. Imo vero plurimis ex locis perfertur excitata erga Franciscum Assisiensem pietas, auctusque passim numerus sodalitatem Tertii Ordinis expetentium. Quapropter velut incitamenta currentibus praebituri, illuc decrevimus cogitationem intendere, unde impediri aut retardari aliquatenus posse animorum salutaris iste cursus videbatur. Et primum quidem perspeximus, Regulam Tertii Ordinis, quam Nicolaus IV Decessor Noster probavit confirmavitque Constitutione Apostolica *Supra Montem* die XVIII Augusti MCCLXXXIX, non omnino iis, quibus nunc vivitur, temporibus atque moribus respondere. Hinc cum expleri suscepta officia sine molestia et labore nimio non possint, pleraque legum capita condonare sodalium precibus hactenus necesse fuit: quod quidem sine disciplinae communis detrimento fieri non posse, facile inteligitur.

Deinde alia quoque in eadem sodalitate erat caussa, quae Nostras sibi curas vindicaret. Nimirum Romani Pontifices Decessores Nostri Tertium Ordinem iam inde a natali suo summa benevolentia complexi, Indulgentias complures et satis amplas in expiationem admissorum sodalibus concessere. Quarum ratio effecta est annorum decursu perplexior: atque illud in contentionem saepe veniebat, num de pontificali indulgentia certis in caussis constaret, et quo tempore, quove genere eadem uti fas esset. Certe desiderata non est Apostolicae Sedis hac in re providentia: ac nominatim Benedictus XIV P. M. Constitutione *Ad Romanum Pontificem* die XV Martii anno MDCCLI tollendas priores dubitationes curavit: non paucas tamen, ut fere fit, denuo attulit dies.

Quamobrem huiusmodi incommodorum cogitatione adducti, ex sacro Consilio Indulgentiis sacrisque reliquiis tuendis praeposito aliquot S. E. R. Cardinales destinavimus, qui leges Tertiariorum pristinas cum cura recognoscerent; item Indulgentias et privilegia omnia in commentarium relata examinarent: adhibitoque intelligenti iudicio, hac de re ad Nos referrent, quid retinendum quidve novandum pro temporum conditione censuissent. Transacto, uti imperatum erat, negotio, ii quidem Nobis auctores fuerunt, leges veteres flecti atque accommodari ad has recentes vivendi consuetudines oportere, cum quorumdam capitum immutatione nonnulla. De Indulgentiis vero, ne qui relinquatur haesitandi locus, prohibendique caussa periculi ne quid non iure fiat, arbitrati sunt, Nos ad exemplum Benedicti XIV sapienter utiliterque facturos, si revocatis abrogatisque Indulgentiis omnibus, quae hactenus valuerant, alias quasdam ex integro eidem sodalitio decreverimus.

Ergo quod bonum felixque sit, Dei gloriam amplificet, et pietatis virtutumque ceterarum studia magis accendat, Nos his Litteris auctoritate Nostra apostolica Legem Franciscalium Ordinis Tertii, qui *saecularis* dicitur, eo modo quo infra descripta est, novamus et sancimus. Quo tamen facto nihil demptum de ipsa Ordinis natura putetur; quam omnino volumus immutatam atque integram permanere. Praeterea poenarum remissionibus, seu Indulgentiis, privilegiisque, quae infra in indice recensentur, eosdem sodales uti posse volumus et iubemus, sublatis penitus Indulgentiis privilegiisque universis, quae eidem sodalitio haec Apostolica Sedes quocumque vel tempore, vel nomine, vel forma ante hanc diem concesserat.

LEX
SODALIUM FRANCISCALIUM TERTII ORDINIS QUI SAECULARIS DICITUR.

CAP. I.

DE COOPTATIONE, TIROCINIO, PROFESSIONE.

§ I. Ne quos cooptari liceat, nisi maiores quatuordecim annorum, eosque bene moratos, retinentes concordiae, atque in primis sanctitate professionis catholicae probatos, spectatoque erga Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequio.

§ II. Nuptae, nisi sciente et consentiente viro, ne cooptentur, extra quam si secus vi-

deatur faciendum, auctore sacerdote conscientiae ipsarum iudice.

§ III. Adlecti in sodalitatem *scapulare* parvum unaque cingulum de more gerant: ni gesserint, statis privilegiis iuribusque careant.

§ IV. Qui quaeve Tertium Ordinem inierint, unum ipsum annum tirocinio exigant: mox, Ordinem rite professi, servaturos sese iura Dei, obedientesEcclesiae dicto futuros; si quid in iis, quae professi sunt, deliquerint, satis facturos singuli spondeant.

CAP. II.

DE DISCIPLINA VIVENDI.

§ I. Sodales Tertii Ordinis in omni cultu habituque, sumptuosiore elegantia posthabita, teneant eam, quae singulos deceat, mediocritatis regulam.

§ II. Choreis ludisve scenicis procacioribus, item comissationibus perquam caute abstineant.

§ *III. Pas*tu atque potu utantur frugaliter: neve ante vel accumbant vel assurgant de mensa, quam invocato pie grateque Deo.

§ IV. Ieiunium Mariae Virgini Immaculatae, item Francisco Patri, pridie sacra solemnia, singuli servanto: admodum laudabiles, si qui praeterea vel ieiunium in sextas, vel abstinentiam carnium in quartas quasque ferias servarint, disciplina veteri Tertiariorum.

§ V. Admissa rite expianto per menses singulos: item ad divinum epulum accedant per menses singulos.

§ VI. Tertiarios ex ordine Clericorum, quod Psalmis quotidie dant operam, nihil praeterea hoc nomine debere placet. Laici, qui nec canonicas, neu Mariales preces, vel *Officium parvum B. M. V.*, persolvunt, precationem Dominicam cum Salutatione Angelica et *Gloria Patri* adhibeant duodecies in dies singulos, excepto si per valetudinem non licet.

§ VII. Quibus est testamenti factio, ii suo quisque tempore de re sua testentur.

§. VIII. In familiari vita studeant ceteros exemplo antecedere: pietatis artes, resque optimas provehere. Libros vel diaria, unde pernicies virtuti metuatur, domum suam inferri, ab iisque, qui in ipsorum potestate sint, legi ne sinant.

§ IX. Caritatem benevolam et inter se et ad alienos sedulo tueantur. Componendas, sicubi possunt, discordias curent.

§ X. Iusiurandum ne iurent unquam, nisi necessario. Turpia dictu, scurriles iocos fando fugiant. Excutiant sese vesperi, num tale quidquam temere fecerint: si fecerint, errorem poenitendo corrigant.

§ XI. Rei divinae, qui commode possunt, quotidie intersint. Ad coetus menstruos, quos Praefectus indixerit, conveniant.

§ XII. Conferant in commune pro facultate quisque sua nonnihil, unde vel tenuiores e sodalium numero, praesertim affecta valetudine, subleventur, vel divini cultus dignitati consulatur.

§ XIII. Ad sodalem aegrotantem Praefecti vel adeant ipsi, vel mittant, qui caritatis officia expleat. Iidem, in morbo ancipiti, moneant suadeant, ut quae ad expiandum animum pertinent, aegrotus tempestive curet.

§ XIV. Ad exequias sodalis demortni sodales municipes hospitesve conveniant, simulque Mariales preces instituto Dominici Patris, id est *Rosarium*, tertiam partem ad caeleste demortui solatium adhibeant. Item sacerdotes inter rem divinam, laici, si poterunt, sumpta Euchatistia, pacem fratri defuncto sempiternam pii volentes adprecentur.

CAP. III.

DE OFFICIIS, DE VISITATIONE, DEQUE IPSA LEGE.

§ I. Officia, advocatis ad conventum sodalibus, deferantur. Eadem triennalia sunto. Oblata ne qui sine caussa iusta recuset, neu oscitanter gerat.

§ II. Curator, qui *Visitator* audit, diligenter quaerat; satisne salvae leges. Eius rei ergo, sodalitiorum sedes in singulos annos, eoque crebrius, si res postulaverit, pro potestate circumeat, coetumque habeat, Praefectis sodalibusque universis adesse iussis. Si quem *Visitator* ad officium monendo iubendo revocarit, sive quid, salutaris poenae nomine, in quemquam decreverit, hic modeste accipiat, idemque luere ne abnuat.

§ III. *Visitatores* ex Primo Franciscalium Ordine, vel ex Ordine Tertio Regulari legantur, quos Custodes seu *Guardiani*, si id rogati fuerint, designabunt. *Visitatoris* munere laicis viris interdictum esto.

§ IV. Sodales nec obedientes et noxii iterum et tertium admoneantur officii sui: ni pareant, excedere Ordine iubeantur.

§ V. In his legibus si qui forte qui deliquerint, hoc se nomine culpam suscepturos nullam sciant, exceptis iis quae iure divino Ecclesiaeve legibus alioqui praecipiuntur.

§ VI. Si quae huius capita legis quemquam servare caussa gravis et iusta prohibeat, eum ex ea parte lege solvi, eademve capita commutari prudenter liceat. Cuius rei Praefectis ordinariis Franciscalium et Primi Ordinis et Tertii, item *Visitatoribus* supra dictis facultas potestasque sit.

INDEX
INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM

CAP. I.
DE INDULGENTIIS PLENARIIS.

Tertiariis ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, Indulgentiam plenariam consequendi ius sit, diebus et caussis quae infra scriptae sunt:

I. Die aditiali:

II. Quo die singuli Ordinem primitus profitentur:

III. Quo die ad concionem menstruam seu *Conferentiam* conveniunt, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, remque christianam Deo de more commendaverint:

IV. Die IV Octobris, natali Francisci Patris legiferi: die XII Augusti, natali Clarae Virginis legiferae: die II Augusti, festo Mariae Angelorum Reginae ob Basilicam eius dedicatam: item quo die solemnia anniversaria aguntur Sancti coelitis, in cuius templo sedes est sodalitii constituta, si modo ipsum templum pietatis caussa celebraverint, remque christianam Deo de more commendaverint:

V. Semel per menses singulos, quo die cuique placuerit, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, et aliquandiu ad mentem Pontificis maximi obsecrando perstiterint:

VI. Quoties, potioris vitae studio, per octo dies continuos statis animi meditationibus operam daturi secesserint:

VII. Item morituris, si sanctum salutare nomen Iesu aut voce, aut, si loqui posse desierint, voluntate imploraverint. Iidem eodem iure fruantur, si nec compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint.

VIII. Bis in anno *Benedictionem summi Pontificis nomine* accepturis, si ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquandiu supplicaverint: itemque, hac ipsa supplicandi lege, accepturis quam appellant *Absolutionem,* hoc est *Benedictionem*, per hos dies qui infra scripti sunt: I. Natali Domini Nostri Iesu Christi. II. die solemni Paschatis Resurrectionis: III, die solemni Pentecostes: IV. in festo Sanctissimi Cordis Iesu: V. item Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis: VI. Iosephi sponsi eius die XIX. Martii: VII. Impressionis SS. Stigmatum Francisci Patris die XVII Septembris: VIII Ludovici Regis Galliarum, Patroni coelestis salutaris sodalium ex Tertio Ordine die XXV Augusti. IX. Elisabeth Hungaricae die XIX Novembris.

IX. Item semel in mense, si qui *Pater, Ave* et *Gloria Patri* quinquies pro incolumitate rei christianae, semel ad mentem Pontificis maximi recitaverint, ii iure omni ad expiandas animi labes fruantur, quo fruuntur et qui stativa in Urbe supplicia obeunt, et qui Portiunculam, Hierosolymitana loca sanctissima, aedem Iacobi Apostoli Compostellensem, religionis caussa, celebrant.

X. Quibus diebus stativae supplicationes in Missali Romano designatur, si templum sacrariumve, in quo sedes est sodalitii constituta, adierint, remque christianam Deo de more commendaverint, in eodem templo sacrariove per eos ipsos dies amplissimo iure fruantur, quo in Urbe cives hospitesve fruuntur.

CAP. II.
DE INDULGENTIIS PARTIALIBUS.

I. Tertiariis ex utroque sexu singulis, si templum sacrariumve, in quo est sedes sodalitii constituta, celebraverint, Deoque pro rei christianae incolumitate supplicaverint quo die sacra Stigmata Francisco Patri divinitus impressa sunt, item festo sanctorum Ludovici regis, Elisabeth reginae Lusitaniae, Elisabeth Hungaricae, Margaritae Cortonensis, itemque

aliis duodecim diebus, quos singuli maluerint et Praefectus Ordinis probarit, ea supplicatio septennis septiesque quadragenae satisfactionis instar sit.

II. Quoties Missae aliisve divinis officiis, vel sodalium conventibus publicis privatisve interfuerint: inopes hospitio acceperint: dissidia composuerint, componendave curarint: in pompam rite ductam prodierint: Sacramentum Augustum, cum circumfertur, vel comitati sint, vel, si comitari nequiverint, ad campani aeris signum precationem Dominicam cum Salutatione Angelica semel recitaverint, quinquies precationem et salutationem eamdem recitaverint rei christianae, vel animabus sodalium defunctorum Deo commendandis: hominem mortuum extulerint: devium quemquam ad officium reduxerint: Dei praeceptis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint: aut aliud quippiam ex hoc genere caritatis egerint, toties singulis eorum, harum rerum singularum caussa, tercentos de poenalium dierum numero expungere liceat.

Tertiariis, si malint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis, sive *plenariis* sive *partialibus,* labes poenasque defunctorum expiare liceat.

CAP. III.

DE PRIVILEGIIS.

I. Sacerdotibus ex ordine Tertiariorum ad quodlibet altare facientibus, tribus ex qualibet hebdomade diebus, perlitare fas sit, modo ne similem perlitandi facultatem in alium diem impetraverint.

II. Qui sacrum fecerit animabus sodalium defunctorum expiandis, is ubicumque veniae defuncto impetrandae perlitato.

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus: non obstantibus Constitionibus, Litteris Apostolicis, statutis, consuetudinibus, privilegiis, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras ullo modo, ullave ex parte violare. Si quis autem adversus eas tale quicquam ausit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo octogesimo tertio, III Kalendas Iunias, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

C. Card. Sacconi Pro-Datarius
Th. Card. Mertel

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus
Loco ✠ Plumbi
Reg. in Secret. Brevium
I. Cugnonius.

DECRETUM

S. R. C., quo tria Festa ad altiorem ritum evehuntur.

Saecularia solemnia magno cum Catholici populi gaudio, ob incliti Monachorum in Occidente Patris legiferi, et Assisiensis seraphici Patriarchae memoriam superioribus annis celebrata, plurimorum desiderium excitarunt, ut incrementi aliquid acciperet cultus per annos singulos ab Ecclesia universa impendi solitus his sanctis Coelitibus, ex quibus ingentem quamdam beneficiorum vim in christianam civilemque rempublicam influxisse miramur. Id vel magis hodie convenire merito putaverunt, ne videlicet in posterum, ob immutatam Rubricam de Translatione Festorum, illorum officia, praecipue vero Monachorum praeclarissimi Parentis, saepe saepius ad modum simplicis ritus reduci, aut penitus omitti contingat. Sanctissimus autem Dominus Noster Leo Papa XIII pro sua speciali atque eximia erga utrumque admirabilem Institutorem pietate et religione, accedentibus etiam aliquorum Sacrorum Antistitum postulationibus sibi humillime porrectis, votis hisce prono ac libenti animo obsecundare decrevit. Voluit tamen ab hoc honore minime seiungi Sanctum Dominicum Gusmanum, qui cum Familiae Minoriticae Patriarcha amicitia arcto vinculo in caritate colligatus « integritate coelestium doctri« narum tuebatur, pravosque haereticorum « errores luce christianae sapientiae per eadem « tempora depellebat, quibus ille, ad grandia « ducente Deo, id impetravit, ut ad virtutem « excitaret christianos homines, et diu mul« tumque devios ad imitationem Christi tra-

« duceret. » (*In Ep. Encicl. SSmi Dni Nostri 17 Semptembr. 1882*) Praecepit igitur Sanctitas Sua, ut festa Sanctorum Confessorum Benedicti Abbatis die 21 Martii, Dominici Gusmani 4 Augusti et Francisci Assisiensis 4 Octobris, in Kalendario universalis Ecclesiae hactenus sub ritu duplici minori inscripta, ad ritum duplicem maiorem evehantur. Mandavit praeterea de hoc per Sacrorum Rituum Congregationem praesens edi decretum, quod anno proxime insequente ubivis erit executioni tradendum. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 5 Aprilis 1883.

D. Cardinalis Bartolinius S. R. C. Praef.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

—

DECRETUM

S. R. C. concernens cantum ecclesiasticum.

—

Romanorum Pontificum sollicitudo, quemadmodum in reliquis quae ad Sacram Liturgiam pertinent, in eo etiam excelluit, quod ecclesiasticorum concentuum, maxime vero Gregoriani cantus, decori atque uniformitati semper consuluerit. Quocirca, cum iuxta vota Sanctae Tridentinae Synodi, Pius IV Pontifex Maximus aliquot S. R. E. Cardinales reformationi liturgici cantus praefecisset, omnem hi curam adhibuere, ut cantus eiusmodi ad aptiorem simplicioremque formam reduceretur, et ita ab omnibus divinae psalmodiae operam dantibus recipi adoptarique facile posset. Qua in re perficienda plurimum illos iuvit solers industria atque eximia peritia Magistri Ioannis Petri-Aloysii Praenestini, qui, iuxta recensitas prudentissimas normas, ita Romani Gradualis emendationem perfecit, ut simul proprios, ac genuinos Gregoriani cantus characteres in eo conservaret. Graduale Romanum ita emendatum atque reductum deinceps Paulus V. Pontifex Maximus typis Mediceis Romae imprimi iussit, et Apostolicis Litteris in forma Brevis approbavit. Quo ex tempore in Pontificia Capella, atque in Patriarchalibus aliisque insignioribus Urbis Ecclesiis adhiberi illud coepit. Petri-Aloisii Praenestini aliquot discipuli coeptum ab eo opus, iubentibus Romanis Pontificibus, prosecuti erant. Aetate vero nostra, cum sa.me. Pius IX Pontifex Maximus Romanam liturgiam in omnibus fere Ecclesiis feliciter adoptatam cerneret, etiam in votis habuit quoad cantum liturgicum uniformitatem inducere. Idcirco per Sacram Rituum Congregationem peculiarem instituit Commissionem virorum ecclesiastici cantus apprime peritorum, qui sub eiusdem ductu, auspiciis et auctoritate Graduale Editionis Mediceae Pauli V iterum evulgarent, ceterasque partes, quae deerant eiusdem cantus, ad normam Gradualis perficerent. Huic voluntati obsecuta Sacra Rituum Congregatio, editis per praefatam Commissionem circularibus litteris die 2 Ianuarii anni 1868, nomine *Summi* Pontificis invitavit typographos librorum liturgicorum editores tam nostrates, quam exteros, qui vellent perhonorifico atque saluberrimo huic operi, sub directione Commissionis et auspiciis Sacrae Congregationis, manus admovere. At cum illud gravissimum esse omnes agnoscerent, magnasque expensas, diligentiamque plurimam requirere, unus Eques Fridericus Pustet Ratisbonensis, Summi Pontificis atque Sacrorum Rituum Congregationis Typographus, arduo se huic operi accinxit, ac feliciter, Graduale quod attinet, illud absolvit. Perfecta itaque fuit Romani Gradualis Pauli V Editio maturo studio et cura pradictae Commissionis, ab eaque diligenter revisa, et tamquam authentica declarata, adeo ut merito Romana, et a Sacra Congregatione concinnata dici valeat. Eam Summus Pontifex Pius IX suis Brevibus litteris datis die 3 Maii anni 1873, plurimum laudavit, atque ad unitatem cantus ecclesiastici inducendam Reverendissimis locorum Ordinariis, iisque omnibus, quibus Musices Sacrae cura est, magnopere commendavit: addita hortatione ipsi Editori, ut quae adhuc edenda supererant de Gregoriano cantu volumina, quibus inchoata olim a Paulo V perficitur editio, tandem in lucem proferret. Cum itaque deinceps idem Typographus, pari studio ac diligentia, et iuxta praedictas normas, eam partem edidisset Antiphonarii atque Psalterii quae Horas diurnas complectitur, Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII alias edidit Apostolicas Litteras in forma Brevis die 15 Novembris anni 1878, quibus Praedecessoris sui decreta confirmans, eam Editionem a

Viris ecclesiastici cantus apprime peritis, ad id a Sacra Rituum Congregatione deputatis, revisam approbavit atque authenticam declaravit; adiecta, iisdem verbis, quibus sa. me. Pius IX usus fuerat pro edito Graduali, vehementi Editionis eiusdem commendatione ad Reverendissimos Ordinarios omnesque Musices sacrae cultores, *ut sic cunctis in locis ac dioecesibus, cum in ceteris quae ad Sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia.*

Interea temporis plures ecclesiasticae Musices cultores subtilius inquirere coeperunt, quaenam esset primigenia Gregoriani cantus ratio, quaeque fuerint per subsequentes aetates variae eiusdem phases. Verumtamen plus aequo huius investigationis limites praetergressi, ac nimio antiquitatis amore fortasse abrepti, negligere visi sunt recentes Sedis Apostolicae ordinationes, eiusque desideria pluries manifestata pro introducenda uniformitate Gregoriani cantus, iuxta modum prudentissimo Romanae Ecclesiae usu comprobatum. Scilicet, posthabito hoc iam sapienter constituto tramite, adhuc sibi integrum esse putarunt contendere, ut ad eam, quam ipsi putant, primaevam concentuum formam Gregorianus cantus reducatur, eo etiam sub obtentu, quod Apostolica Sedes cantum Editionis ab se nuper approbatae authenticum quidem declaraverit, et magnopere commendaverit, at minime singulis Ecclesiis imposuerit; quin adverterent, uti oportebat, constantem esse Summorum Pontificum praxim ad nonnullos abusus tollendos persuasione magis quam imperatis uti voluisse; eo vel maxime scientes quod Rmi locorum Ordinarii, eorumque Cleri verba exhortationis Summi Pontificis loco mandati pie et religiose interpretari solent. Quae quidem arbitrandi rationes cum per ephemerides, ac varia edita opuscula vulgarentur, ipsaque Editionis praefatae approbatio in dubium vocaretur, Sacra Congregatio sui officii esse duxerat Apostolicas Litteras sa. me. Pii IX iam editas, authenticas declarare, et eiusdem editionis approbationem iterum confirmare, decreto edito die 14 Aprilis anni 1877.

Nihilominus neque eo decreto, neque subsequentibus Apostolicis litteris Sanctissimi Domini Nostri superius memoratis, illi acquiescere visi sunt: quin imo suas opinationes adhuc validius inculcare perrexere in eo conventu cultorum ecclesiastici cantus, qui, ut Guidoni Monacho solemnes deferrentur honores, superiore anno Aretii habitus est; non sine illorum offensione, qui Apostolicae Sedis auctoritatem, non minus quam in reliquis ad Sacram Liturgiam pertinentibus, in cantus etiam ratione et uniformitate, unice sequendam esse iure merito existimant. Sed, quidquid hac in re improbandum irrepserit, quoniam ii, qui Aretii hac de causa convenerant, nonnulla eadem de re vota, seu postulata Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII. humiliter porrexerunt, eiusdem oraculum exquirentes; idem Sanctissimus Dominus Noster, attenta negotii gravitate, peculiari Sacrae Rituum Congregationis Coetui ab se delecto quorumdam S. R. E. Cardinalium Sacris tuendis Ritibus praepositorum, atque aliquot Praesulum Officialium eiusdem Sacrae Congregationis illud expendendum commisit. Quae peculiaris Congregatio ad Vaticanum infrascripta die adunata, re mature accurateque perpensa, ac resumptis omnibus ad rem pertinentibus, exquisitisque etiam peritissimorum virorum sententiis, ita, si Sanctissimo placuerit, decernendum censuit:

Vota seu Postulata ab Aretino Conventu superiore anno emissa, ac Sedi Apostolicae ab eodem oblata pro liturgico cantu Gregoriano ad vetustam traditionem redigendo, accepta uti sonant, recipi probarique non posse. Quamvis enim ecclesiastici cantus cultoribus integrum liberumque semper fuerit, ac deinceps futurum sit, eruditionis gratia, disquirere quaenam vetus fuerit ipsius ecclesiastici cantus forma, variaeque eiusdem phases, quemadmodum et antiquis Ecclesiae ritibus, ac reliquis Sacrae Liturgiae partibus eruditissimi viri cum plurima commendatione disputare et inquirere consueverunt; nihilominus eam tantum uti authenticam Gregoriani cantus formam atque legitimam hodie habendam esse, quae iuxta Tridentinas sanctiones a Paulo V, Pio IX sa. me. et Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII, atque a Sacra Rituum Congregatione iuxta editionem Ratisbonae adornatam, rata habita est et confirmata, utpote quae unice eam cantus rationem contineat, qua Romana utitur Ecclesia. Quocirca de hac authenticitate et legi-

timitate inter eos, qui Sedis Apostolicae auctoritati sincere obsequuntur, nec dubitandum, neque amplius disquirendum esse. Ut vero cantus, qui in Sacra Liturgia, stricto sensu accepta, adhibetur, uniformis ubique existat, in novis editionibus Missalium, Ritualium ac Pontificalium, eae partes, quae musicis notis designantur, ad normam Editionis praedictae a S. Sede approbatae, utpote continentis cantum liturgicum proprium Ecclesiae Romanae (ut praefert, ipse titulus in fronte cuiusque libri appositus), exigantur, ita ut illius textui sint omnino conformes. De cetero quamvis, iuxta prudentissimam Sedis Apostolicae agendi rationem cum de uniformitate in ecclesiastica liturgia inducenda actum est, praefatam editionem singulis Ecclesiis non imponat, nihilominus iterum plurimum hortatur omnes Reverendissimos locorum Ordinarios aliosque ecclesiastici cantus cultores, ut illam in Sacra Liturgia, ad cantus uniformitatem servandam, adoptare curent, quemadmodum plures iam Ecclesiae laudabiliter amplexae sunt. — Et ita decrevit die 10 Aprilis 1883.

Facta autem de his omnibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis ratum habuit, confirmavit, et publici iuris fieri mandavit die 26 eiusdem mensis et anni.

D. CARDINALIS BARTOLINIUS S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. *Secretarius.*

II.
ACTA ORDINIS

—

CATALOGUS
Sanctorum et Sanctarum totius Seraphici Ordinis

—

1. S. P. N. Franciscus, natus Assisii in Umbria anno 1182. Instituit tres Ordines, scilicet primum *Fratrum Minorum* anno 1209, secundum *Clarissarum* anno 1212, tertium *de Poenitentia* anno 1221. Christi Stigmata recepit in monte Alvernae anno 1224. Obiit in Conventu S. Mariae Angelorum de Portiuncula die 4. Octobris 1226. Gregorius IX eum in catalogum Sanctorum retulit anno 1228. Sacra eius ossa inventa fuerunt sub ara maiori basilicae Assisiensis anno 1820.

2. S. Berardus a Carbio, Proto-Martyr I. O. Palmam martyrii obtinuit una cum quatuor sociis Marochii anno 1220. Quos Sixtus IV anno 1481 in canonem Sanctorum retulit. Socii autem sunt:

3. S. Petrus a S. Geminiano M. 1. O.
4. S. Accursius Tuscus M. 1. O.
5. S. Adiutus Etruscus M. 1. O.
6. S. Otho Tuscus M. 1. O.
7. S. Daniel Fasanella a Blanda M. 1. O.

Martyrio coronatus est Septae in Mauritania anno 1221 una cum sex sociis, qui sunt:

8. S. Angelus a Siphaeo M. 1. O.
9. S. Samuel a Siphaeo M. 1. O.
10. S. Domnus a Castrovillari M. 1. O.
11. S. Leo a Coriolano M. 1. O.
12. S. Hugolinus a Cerisano M. 1. O.
13. S. Nicolaus a Coriolano M. 1. O.
14. S. Nicolaus Pickius a Gorcum M. 1. O., Guardianus Conventus Gorcumiensis, qui una cum decem Confratribus anno 1572 Brielae in Hollandia martyrio coronatus est. Quos Pius IX anno 1867 in canonem Sanctorum retulit. Socii autem sunt:

15. S. Hieronymus Werthensis M. 1. O.
16. S. Theodoricus Emdenus M. 1. O.
17. S. Nicasius Hetius M. 1. O.
18. S. Willehadus Danus M. 1. O.
19. S. Godefridus Mervellanus M. 1. O.
20. S. Antonius Werthensis M. 1. O.
21. S. Antonius Hornariensis M. 1. O.
22. S. Franciscus de Roy M. 1. O.
23. S. Petrus Ascanus M. 1. O.
24. S. Cornelius Wicanus M. 1. O.
25. S. Petrus-Baptista M. 1. O. Martyrii palmam adeptus est apud Nangasachium in Japonia anno 1597 una cum quinque sociis primi Ordinis et septemdecim Tertiariis Franciscanis. Quos Urbanus VIII Beatos declaravit, et Pius IX anno 1862 in catalogum Sanctorum retulit. Socii autem sunt:

26. S. Martinus ab Ascensione M. 1. O.
27. S. Franciscus Blancus M. 1. O.
28. S. Franciscus a S. Michaele M. 1. O.
29. S. Gundisalvus Garzia M. 1. O.

30. S. Philippus a Jesu M. 1. O.
31. S. Paulus Susuqui *M.* 3. O,
32. S. Gabriel de Ize M. 3. O.
33. S. Joannes Quizuja M. 3. O.
34. S. Thomas de Ize M. 3. O.
35. S. Franciscus Medicus M. 3. O.
36. S. Thomas Cosaqui M. 3. O.
37. S. Joachim Saquijor M. 3. O.
38. S. Bonaventura a Meaco M. 3. O.
39. S. Leo Carazuma M. 3. O.
40. S. Matthias a Meaco M. 3. O.
41. S. Antonius Nangasachius M. 3. O.
42. S. Ludovicus Ibarchi M. 3. O.
43. S. Paulus Yuaniqui M. 3. O.
44. S. Michael Cozoqui M. 3. O.
45. S. Petrus Suqueixein M. 3. O.
46. S. Cosimus Raquaja M. 3. O.
47. S. Franciscus Fahelante M. 3. O.

48. S. Fidelis a Sigmaringa M. O. Capuccinorum, qui martyrio coronatus est anno 1662 Sevisii in Rhetia.

49. S. Bonaventura, Episc. Conf. et Eccl. Doct. 1. O. Obiit Lugduni anno 1274 et a Sixto V universalis Ecclesiae Doctor declaratus est.

50. S. Benvenutus ab Ancona, Episc. Conf. 1. O. Obiit anno 1282 et a Martino IV canonizatus est.

51. S. Ludovicus Episc. Tolosanus Conf. 1. O. Obiit anno 1299 et a Joanne XXII in Sanctorum numerum relatus est.

52. S. Antonius de Padua C. 1. O. Obiit anno 1231, canonizatus a Gregorio IX anno 1232.

53. S. Bernardinus Senensis C. 1. O. Obiit anno 1444, et a Nicolao V canonizatus est.

54. S. Joannes a Capistrano C. 1. O. Obiit anno 1456, canonizatus ab Alexandro VIII anno 1690.

55. S. Jacobus de Marchia C. 1. O. Obiit anno 1476, canonizatus a Benedicto XIII anno 1726.

56. S. Petrus de Alcantara C. 1. O. Obiit anno 1562, canonizatus a Clemente IX.

57. S. Franciscus Solanus C. 1. O. Obiit Limae anno 1610, canonizatus a Benedicto XIII anno 1726.

58. S. Petrus Regalatus C. 1. O. Obiit anno 1456, canonizatus a Benedicto XIV.

59. S. Pacificus a S. Severino C. 1. O. Obiit auno 1721, canonizatus a Gregorio XVI anno 1839.

60. S. Joannes Josephus a Cruce C. 1. O. Obiit anno 1734, canonizatus a Gregorio XVI anno 1839.

61. S. Leonardus a Portu Mauritio C. 1. O. Obiit Romae anno 1751, canonizatus a Pio IX anno 1867.

62. S. Didacus C. 1. O. Obiit anno 1463, canonizatus a Sixto V.

63. S. Paschalis Baylon C. 1. O. Obiit anno 1592, canonizatus ab Alexandro VIII.

64. S. Benedictus a S. Philadelpho C. 1. O. Obiit anno 1589, canoniz. a Pio VII anno 1807.

65. S. Felix a Cantalicio C. O. Capucc. Obiit anno 1585, canonizatus a Clemente XI.

66. S. Joseph a Leonissa, C. O. Capucc. Obiit anno 1612, canonizatus a Benedicto XIV.

67. S. Seraphinus a monte Granario C. O. Capucc. Obiit anno 1604, canonizatus a Clemente XIII.

68. S. Laurentius a Brundusio C. O. Capucc. Obiit anno 1619, canonizatus a Leone XIII. anno 1881.

69. S. Josephus a Cupertino C. O. Convent. Obiit anno 1663, canonizatus a Clemente XIII.

70. S. Ludovicus, Rex Galliae, C. 3. O. Obiit 1270, canonizatus a Bonifacio VIII.

71. S. Ferdinandus, Rex Castellae et Legionis, C. 3. O. Obiit anno 1252.

72. S. Ivo, Gallus, C. 3. O. Obiit anno 1303, canonizatus a Clemente VI.

73. S Elzearius de Sabran in Gallia, C. 3. O. Obiit anno 1323, canonizatus ab Urbano V anno 1369.

74. S. Rochus a Monte Pesulano C. 3. O. Obiit anno 1327.

75. S. Conradus a Placentia C. 3. O. Obiit anno 1351.

76. S, Clara Assisiensis, V. 2, O. Obiit anno 1253, canonizata ab Alexandro IV anno 1255.

77. S. Agnes Assisiensis V. 2. O. Obiit anno 1253.

78. S. Catharina de Bonania V. 2. O. Obiit anno 1463, canonizata a Clemente XI.

79. S. Coleta a Corbeia in Gallia V. 2. O. Obiit Gandavi anno 1447, canonizata a Pio VII anno 1807.

80. S. Veronica de Julianis V. 2. O. Obiit anno 1727, canonizata a Gregorio XVI anno 1839.

81. S. Rosa de Viterbio V. 3. O. Obiit anno 1253.

82. S. Hyacintha de Mariscottis V. 3. O. Obiit anno 1750, canonizata a Pio VII anno 1807.

83. S. Angela Mericia V. 3. O. Obiit anno 1540, canonizata a Pio VII anno 1807.

84. S. Maria Francisca a Vulneribus V. 3. O. Obiit anno 1791, canonizata a Pio IX anno 1867.

85. S. Elisabeth Hungariae, Vid. 3. O. Obiit anno 1231, canonizata a Gregorio IX.

86. S. Elisabeth Portugalliae Vid. 3. O. Obiit anno 1336, canonizata ab Urbano VIII. anno 1625.

87. S. Margarita de Cortona, Poenitens, 3. O. Obiit anno 1297, et a Benedicto XIII anno 1708 canonizata est.

—

CAPITULA PROVINCIALIA

—

Anno 1882.

CAPITULUM

Ref. Provincia Immaculatae Conceptionis Longobardiae

Die 21 Septembris 1882, praeside A. R. P. Clemente a Parona, ex Def. Generali et Min. Provinciae Ref. Insubriae, rite celebratum est Capitulum in Conventu S. Petri Apostoli prope Retiatum, in quo electi sunt

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Cyprianus a Meleto.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Archangelus a Mediolano.

DEFINITORES

R. P. Constantinus a Vallecamuna.
R. P. Paulus a Brixia.
R. P. Ignatius a Romano.
R. P. Antonius a Papia.

Ad hanc Provinciam ante suppressionem, sequentes Conventus pertinebant:

Brescia, S. Caietani.
Cividino, S. P. Francisci.
Dongo, B. V. Mariae.
Rezzato, S. Petri Ap,
Sabbioncello, B. V. Mariae.
Serina, SS. Trinitatis.

—

Anno 1883.

V.

Obs. Provincia Genuae.

Ob mortem *A. R. P. Leopoldi a Castelletto,* Ministri Provincialis (cf. *Acta,* an. II. pag. 88), in Congregatione Definitoriali diei 19 Aprilis a. c. electus est Vicarius Provincialis *A. R. P. Aloysius a Morassio,* hucusque Custos Provinciae, et in ejus locum electus est Custos Provinciae *R. P. Constantinus ab Arcegrimalda.*

—

VI.

Ref. Provincia S. P. N. Francisci Tusciae.

Die 4 Junii, praesidente A. R. P. Aloysio a Pedelama, ex Min. Ref. Prov. Seraphicae, rite celebratum est Capitulum in Conventu S. Jo. Baptistae Sargiani, in quo electi sunt.

MINISTER PROVINCIALIS:

Adm. R. P. Dorotheus a Bonistallo.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Samuel a Sinalonga.

DEFINITORES PROVINCIAE:

A. R. P. Damianus a Monte Carolo.
R. P. Leopoldus a Gello.
R. P. Aloysius a Cesa.
R. P. Romulus a Querceto.

Ad hanc Provinciam ante suppressionem sequentes Conventus pertinebant:

Cetona, S. P. N. Francisci.
Chiusi, S. P. N. Francisci.
Fiesole, S. P. N. Francisci.
Incontro, B. V. Mariae.
Lastra a Signa, S. Luciae V. M.
Monte Carlo, S. P. N. Francisci.
Montepulciano, S. Agnetis V. M.
Monte le Croci, S. P. N. Francisci.
Nicosia, S. Augustini Ep. Doct.
Radda, B. V. Mariae.
Rocca S. Casciano, Immaculatae Concept. B. M. V.
San Detole, S. Jo. Baptistae.
Santa Fiora, Ss. Trinitatis.

Sargiano, S. Jo. Baptistae.
Scansano, S. Petri Ap.
Sinalunga, S. Bernardini.
Verna S. Monte, S. P. N. Francisci.
Vertighe, B. V. Mariae.
et Hospitium: Camposanto di Pisa.

—

MONASTERIA II. ORDINIS
ET CONGREGATIONES III. ORDINIS REGULARIS

In Statibus confoederatis Americae Septentrionalis.

MONASTERIA CLARISSARUM.

1. *Omaka* (Nebrasca), 6 Professae, 3 Novitiae et 8 Postulantes.

2. *Cleveland* (Ohio), 8 Professae, 4 Novitiae et 2 Postulantes.

CONGREGATIONIS III. ORDINIS REGULARIS.

Explicatio sequentium numerorum.

1. Titulus Congregationis.
2. Scopus Congregationis.
3. Numerus domorum respectivae Congregationis.
4. Numerus Religiosarum.
5. Numerus infantium, qui instruuntur.
6. Numerus eorum, quorum insuper curam gerunt Sorores.

—

I. *Cincinnati,* Ohio (resp. Aquisgranum in Prussia)

1. Sorores Pauperum S. Francisci.
2. Cura infirmorum.
3. 11 nosocomia.
4. 288 Professae, 40 Novitiae, 30 Postulantes.
6. 9779 infirmi.

—

II. *La Cross,* Wisconsin.

1. Sorores S. Francisci.
2. Adoratio perpetua ss. Sacramenti, et educatio.
3. 33 domus.
4. 144 Professae, 22 Novitiae, 21 Postulantes.
5. 3680 infantes.

—

III. *Joliet,* Illinois.

1. Sorores S. Francisci.
2. Educatio.
3. 21 domus.
4. 100 Professae, 14 Novitiae, 5 Postulantes.
5. 470 infantes.

—

IV. *Jefferson,* Wisconsin.

1. Sorores S. Francisci.
2. Cura orphanotrophii et scholarum.
3. 4 domus.
4. 56 Professae, 7 Novitiae, 2 Postulantes.
5. 300 infantes.

—

V. *Buffalo,* New-York (resp. Heythuizen in Hollandia.)

1. Sorores Poenitentiae et christianae caritatis.
2. Educatio.
3. 5 domus.
4. 65 Professae, 14 Novitiae, 10 Postulantes.
5. 2350 infantes.

—

VI. *Peoria,* Illinois.

1. Sorores S. Francisci.
2. Cura infirmorum et orphanorum.
3. 5 domus.
4. 16 Professae, 13 Novitiae, 14 Postulantes.
5. 35 infantes.
6. 676 infirmi.

—

VII. *Shelbyville,* Kentuky.

1. Sorores S. Mariae Angelorum.
2. Educatio.
3. 3 domus.
4. 15 Professae, 3 Novitiae, 3 Postulantes.
5. 230 infantes.

—

VIII. *Silver Lake,* Wisconsin.

1. Sorores S. Francisci et S. Familiae.
2. Educatio et cura infirmorum.
3. 24 domus.
4. 66 Professae, 22 Novitiae, 7 Postulantes.
5. 1795 infantes.
6. 60 infirmi.

—

IX. *Avilla,* Indiana.

1. Sorores S. Francisci et SS. Cordis.
2. Cura infirmorum et educatio.

3. 8 domus.
4. 29 Professae, 11 Novitiae, 11 Postulantes.
5. 247 infantes.
6. 150 infirmi.

—

X. *St. Louis,* Missouri (resp. Salzkotten in Germania).
1. Sorores S. Francisci et filiae ss. Cordis Iesu et Mariae.
2. Cura infirmorum et puellarum.
3. 6 domus.
4. 30 Professae, 7 Novitiae, 7 Postulantes.
5. 366 puellae.

—

XI. *Tiffin,* Ohio.
1. Sorores S. Francisci.
2. Educatio et cura infirmorum.
3. 4 domus.
4. 30 Professae, 4 Novitiae, 7 Postulantes.
5. 98 infantes.
6. 25 infirmi.

—

XII. *New Cassel,* Wisconsin.
1. Sorores S. Francisci.
2. Educatio.
3. 17 domus.
4. 69 Professae, 46 Novitiae, 24 Postulantes.
5. 1910 infantes.

—

XIII. *Lafayette,* Indiana (resp. Olpe in Germania).
1. Sorores S. Francisci perpetuae adorationis.
2. Educatio, cura infirmorum et orphanorum.
3. 10 domus.
4. 37 Professae, 25 Novitiae, 14 Postulantes.
5. 710 infantes.
6. 600 infirmi.

—

XIV. *Dubuque,* Jowa.
1. Sorores S. Francisci.
2. Educatio.
3. 12 domus.
4. 50 Professae, 21 Novitiae, 10 Postulantes.
5. 1560 infantes.

XV. *Pittsburgh,* Pennsylvania.
1. Sorores S. Francisci.
2. Educatio, cura infirmorum et orphanorum.
3. 10 domus.
4. 65 Professae, 16 Novitiae, 7 Postulantes.
5. 2650 infantes.
6. 350 infirmi.

—

XVI. *Cross Village,* Michigan.
1. Sorores caritatis S. Francisci.
2. Educatio et cura infirmorum.
3. 3 domus.
4. 15 Professae, 1 Novitia, 3 Postulantes.
3. 100 infantes.
6 12 infirmi.

—

XVII. *Springfield,* Illinois.
1. Sorores S. Francisci.
2. Cura infirmorum et orphanorum.
3. 9 domus.
4. 95 Professae, 9 Novitiae, 13 Postulantes.
5. 44 infantes.
6. 1314 infirmi.

—

XVIII. *Syracuse,* New York.
1. Tertiariae S. Francisci.
2. Educatio et cura infirmorum.
3. 12 domus.
4. 80 Professae, 3 Novitiae, 3 Postulantes.
5. 2650 infantes.
6. 400 infirmi.

—

Relationes de aliis Congregationibus tertii Ordinis, quae praeter enumeratas in Statibus foederatis Americae septentrionalis existunt, nondum accepimus.

III.
MISSIONES

—

Missiones a Patribus Collegii Pacensis (*La Paz*) in Bolivia directae.

Septem Missiones inter infideles a Patribus nostris Missionariis Collegii S. Ioseph

in Civitate Pacensi degentibus institutae sunt et adhuc reguntur. In eisdem Missionibus 3877 animae numerabantur, ex ultima relatione die 6 Octobris 1882 exarata.

Ex ipsis tres in Provincia de *Yungas* reperiuntur, scilicet:

1. Missio ad Immaculatam Conceptionem de *Cavendo* dicta, in linea recta 80 leucas a civitate Pacensi distans. In ea inveniuntur 400 animae, quae omnes ad catholicam fidem conversae sunt, et inter eas 80 matrimonia christiano ritu celebrata sunt. Eiusdem curam et regimen sustinet P. Thomas Hermoso, Obs. Provinciae S. Ludovici filius;

2. Missio ad S. Annam *del Veni*, quae 90 leucas a *La Paz* distat, et animas 126 habet cum 33 matrimoniis sub regimine P. Caesarii Fernandez;

3. Missio ad S. Michaelem de *Muchanes*, P. Ludovici Fernandez, Missionum Praefecti, zelo concredita. Haec a *La Paz* distat 100 leucas et in ea 141 animae computantur cum 32 matrimoniis christianis.

Uti iam de Missionibus Collegii de *Tarata* dictum est, harum Missionum neophyti sub regimine P. Conversoris vitam degunt. Doctrinam christianam perfecte callent, et singulis annis non solum paschale praeceptum fideliter adimplent, sed et multi in maioribus anni festivitatibus Pane Eucharistico refici satagunt. Quotidie in mane omnes ad ecclesiam conveniunt, sanctissimum Missae Sacrificium audituri, pariterque singulis sabbatis in sero ad cantandum Antiphonam *Salve Regina*, in honorem immaculatae Virginis Deiparae. Dominicis diebusque festis P. Conversor ad neophytos sermonem habet in respectivo ipsorum idiomate, quod quidem pro Missionibus Provinciae de *Yungas* est idioma *Mosatenum* nuncupatum, pro caeteris vero *Tacanense, Quichuanense*, vel *Cavanense*.

Ebrietatis furtique pestes in hodierna societate tam late grassantes, inter neophytos nostros ignorantur. Alienum dominium ita tuetur sacrumque habetur, ut perdita res quaelibet, etiamsi parvi sit momenti, statim ac inventa fuerit, ad ecclesiae ianuam afferatur, ibidem a legitimo domino recuperanda.

In unaquaque missione, sub directione P. Conversoris adest schola publica, in qua pueri ad legendum scribendumque instituuntur, et Matheseos rudimenta ac musicam addiscunt. Habentur quoque officinae ad efformandos diversi generis fabros, ferrarios, lignearios, etc. Nonnulli ex his sic periti evadunt, ut eorum opera cultarum civitatum industriam artemque attingant. Mulieres vero labori textrino vestibusque conficiendis sunt addictae.

In extirpando otiositatis vitio, inter naturales nostros dominanti, toti fuerunt Patres Conversores, et hodie cuncti neophyti in communi agriculturae incumbunt, ac praesertim his vacant plantationibus, quae sive commercio sive scientiae magis inserviunt.

Harum trium Missionum neophyti indolem gratam docilemque ostendunt, et futurae civilisationis acquirendae, religionisque in vastis illis regionibus propagandae maximam spem exhibent.

Quatuor aliae Missiones a parte septentrionali civitatis Pacensis inveniuntur.

1, Missio ad S. Mariam de Monte Carmelo in *Isiamas*, quae 200 leucas a *La Paz* distat. Ibidem 1860 animae et 315 matrimonia christiana numerantur, sub regimine P. Raymundi Merten, Custodiae S. Elisabeth Thuringiae.

2. Missio ad S. Antonium de *Tumupasa* 180 leucas ab eadem civitate distans, ibique 1400 animae et 350 matrimonia habentur, sub regimine P. Nicolai Armentia, S. Ludovici Provinciae filii.

3. Missio ad S. Iosephum de *Chupiamonas*, 170 leucas distans, cum 300 animabus et 68 matrimoniis, sub regimine P. Bernardi Clerici.

4. Missio ad Iesum et Mariam de *Cavinas* 300 leucas distans, cum 150 animabus et 30 matrimoniis, a P. Iosepho Maria Ciuret directa.

In istis reductionibus spirituale ac materiale regimen idem fere viget, ac in aliis supramemoratis.

Lugendum tamen impedimentum Missionariorum zelo ac sollicitudini opponunt negotiatores, qui apud incautos neophytos non raro pertingunt, ipsosque non modo exactionibus furtisque lacessunt, sed etiam scandali atque moralis ruinae eis occasionem praebent. Ideo ad supremos Gubernii moderatores recurrere debuerunt Missionarii ad protegendos adversus mercatorum cupiditatem neophytos,

qui fidem Deique timorem perderent, iterumque ad pristinos efferosque mores cito redirent.

—

EPISTOLA

Secretarii S. Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis orientalibus ad A. R. P. Custodem Terrae sanctae.

A. R. P. Guidus a Cortona, Custos Terrae sanctae, per Illmum ac Rmum D. Seraphinum Cretoni, Secretarium S. Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis orientalibus, praesentari fecit Sanctitati Suae Album photographicum exhibens principalia sanctuaria, ecclesias, collegia, scholas et officinas Missionis Terrae sanctae, et sequentem ab eodem accepit epistolam:

Rme Pater,

Rma Paternitas Tua mihi committere voluit honorificum officium, ut deponerem ad pedes S. Patris Album photographicum exhibens principalia sanctuaria, ecclesias, collegia, scholas et officinas Terrae sanctae. Modo vero libenti animo P. T. certiorem reddere queo, in Audientia diei 8. c. me obtulisse Sanctitati Suae istam magni momenti collectionem, cuius quaelibet pagina exhibet monumentum apostolici zeli et evangelicae caritatis, quae iam a saeculis exercuerunt filii magni Patriarchae Assisiensis non in Palaestina tantum, sed etiam in toto fere Oriente. Libentiori autem animo omni P. T. asseveratione confirmo, Augusto Pontifici oblationem acceptam fuisse, una cum devotionis, pietatis et filialis dilectionis affectibus, qui eam inspirarunt, ac grati animi pignus Ipsum peramanter P. T. omnibusque istius benemeritae Custodiae Religiosis Apostolicam benedictionem impertitum fuisse. His quae debebam peractis, hanc libenter occasionem arripio manifestandi singularis aestimationis erga Te sensus, quibus me profiteor

Rmae P. T.

Romae, 11. Maii 1883.

Devotissimus et obseq. servus
Seraphinus Cretoni,
Secr. Cong. de Prop. Fide pro negotiis Orientalibus.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

INFORMATIO

de nova editione Breviarii nostri.

Rmus P. Minister Generalis novam editionem nostri Breviarii Romano-Seraphici parandam curavit, novissimis officiis propriae stationi assignatis auctam.

Hoc Breviarium in 16° et minoris formae quam illud, quod anno 1875 Michliniae editum est, continebit 122 folia 16 paginarum, et mense Julio proxime venturo in lucem prodibit.

In hac editione in singulis festis aliorum festorum citationes non occurrunt, excepto dumtaxat festo Cathedrae S. Petri Antiochenae, in quo Cathedra Romana citatur. Quamobrem quilibet Proprium de Tempore et Proprium Sanctorum huius editionis commode in fasciculos ligare poterit.

—

Opera edita

Patres Prov. s. Crucis Croatiae-Carnioliae annis novissime praeteritis sequentes publicis typis descripsere libros, et quidem: P. Ladislaus Hrovat Gymnasii Professor scripsit:

a) 1862. Ksenofontovih spominov na Sokrata (i. e. Xenophon. memoriae Socratis. Claudifori (Celovec) 1862. (L. 0, 75.)

b) Latinska Slovnica za slovensko mladez (i. e. Grammatica latina in usum iuventutis slovenicae) Novomesto 1874 venit (L. 3, 75.)

P. Stanisl. Skrabec exaravit:

Obrazci zivljenja svetih in zvelicanih ki so bili 1867 o sv. Petru v. Rimu slovesno razglaseni (Exempla vitae sanctorum festo s. Petri anno 1867 inter Sanctos relatorum) Ljubljana 1868. (L. 0, 25.)

P. Hugolinus Sattner edidit:

Cerkvena glazba, kakosna je in kakosna bi morala biti (i. e. Musica ecclesiastica qualis nostra aetate est, et qualis esse deberet.) Ljubljana 1880. (L. 0, 75).

P. Angelicus Hribar sequentia musicalia edidit:

a) Zdihleji k Mariji Devici etc. (i. e. Suspiria ad beatam Virginem Mariam quae scriptis reliquit Ioannes Volcic, musicis vero modulis illigavit P. Angelicus) Ljubljana 1875. (L. 3, 00).

b) Oce podpite domu (i. e. Pater pergas domum). barit. solo. (L. 0, 62).

c) Poztni in Velikanocni napevi (Cant. n.) sopr. alt. ten. et bass. (L. 1, 25).

d) Missa pro defunctis. (L. 0. 75).

e) 26. Tantum ergo ad quatuor voces inaequales. (L. 1, 75).

f. Zbirka slovenskih masnih pesni etc. (Collectio canticorum quae sub missae sacrificio canuntur sanctis Slavorum Apostolis Cyrillo et Methodio in memoriam diei 5 Iulii 1881 dedicata. (L. 3. 75).

g) Asperges me, et Vidi aquam ad quatuor voces inaequales vel una voce. L. 50).

e) Napevi pri sv. masi te. (Cant. ad quatuor voces. (L. 1, 25).

f) Venec Mariji Kraljici etc. (Corona canticor. B. Mariae Reginae sine labe conceptae atque Patronae trium Ordinum s. Patr. Francisci, in memoriam septimi ab eius ortu centenarii). (L. 1, 87).

Pomoc dusam v vicah, ali premislevanja in molitve za nase ljube ranjke po P. Ss. Dosenbachu S. J. (i. e. P. Dosenbach Soc. I. Iuvamen animabus in purgatorio etc. ex germanica in slovenicam linguam vertit P. Chrysogonus Majer. Ljubljana 1879. (L. 1, 25.)

Popgledi na uni svet (i. e. Dr. Martini Conrad Prospectus in alteram vitam ex germanico slovenice reddidit idem. Ljubljana 1881. (L. 1, 00).

P. Florentinus Hrovat duas enarrationes populares a Christophoro Schmidt germanice conscriptas in linguam slovenicam transtulit nempe:

a) Josaphat kraljevic (Josaphat regulus) tomul. II. Novomesto 1880. (L. 1,75.)

b) Pridni Janezek (Probus Joannes) tomul. III. ut supr.

Accedunt libri anonymi ab eiusdem Provinciae Patribus editi:

a) Marien-Andacht in Gebeten (i. e. Devotio Mariana precibus et canticis comprehensa additis notitiis historicis de domo b. Mariae Virginis) Viennae. (L. 0, 50).

b) Poduk za manjsi brate seraf. Oceta sv. Franciska t. j. Vodilo in sporuka etc. (Instructio fratrum laicor. ord. s. Francisci, qua continetur Regula, Testamentum eorumque explanatio etc,) Ljubljana 1873. (L. 1, 50.)

c) Osmina serafinska (i. e. Octava seraphica in spiritualem usum Religiosorum Ord. s. Francisci slovenice reddita. Gorica 1881. (L. 0, 75.)

d) Put svetoga Kriza etc. (S. Leonardi a Portu Mauritio *Via crucis* ex italica in croaticam linguam translata) Gorica 1881 Editio 5.) L. 0, 50).

e) Molitvena Knjiga za ude tretjega reda sv. Franciska (i. e. Liber precum etc. pro usu tertii Ordinis s. Francisci membrorum, in memoriam septimi a nativitate s. P. N. Francisci recurrentis centenarii. Ljubljana. 1882.

Liber in duas partes divisus, prima continet consuetas preces matutinas, vespert. etc.; secunda exhibet sacram Regulam, eius explanationem, item tabellam Indulgentiarum et alia ipsis Tertiariis scitu necessaria.

1882. Convento il più antico dei Frati Minori in Dalmazia, per il M. R. P. Donato Fabianich L. Giub. ed ex Ministro Provinciale dell' Oss. Provincia di S. Girolamo. Un Vol. di pag. 175. Prato, tip. Ranieri Guasti.

1883. Il VII Centenario di S. Francesco d' Assisi e la Ven. Chiesa di S. Antonio di Padova in Palermo. Prose e poesie, raccolte ed ordinate per cura del Padre Giuseppe Maria da Marineo, dei Min. Rif. Palermo tip. Antonino Natale, Piazzetta Porta Sant'Agata in 2° pag. 232.

1883. Leven van den H. Antonius van Padua (latine: *Vita* S. Antonii Paduani) door den P. Paulinus, Minderbroeder (Ex-Definitor Recoll. Prov. Belgii) 8° pag. 220. Antwerpen, Drukkery Vanos-Dewolf, Beurzestraat.

1883. La Terra Santa e i suoi Custodi. Prospetto storico statistico. Traduzione dal latino. S. Agnello di Sorrento, tipogr. all'insegna di S. Francesco d'Assisi.

1883. Sermone di S. Bernardino da Siena intorno a S. Giuseppe sposo della BB. Vergine Maria, tradotto dal RR. Canonico Mario Mineo Ianni. S. Agnello di Sorrento Tipogr. all' insegna di S. Francesco d' Assisi.

1883. Il Cordone di S. Francesco d'Assisi e sue Indulgenze preceduto da un cenno storico e seguito da un manuale d'istruzioni per i cordigeri, compilato dal P. Romualdo dell'Addolorata, Ex-Def. e Guard. Alc. della Prov. di Lecce. Napoli, Tipogr. della Pia casa dell'Addolorata. (L. 0,40)

1883. Bbeve Vita del Venerabile servo di Dio Francesco da S. Antonio, Terziario professo dei PP. Min. Alcantarini della Prov. di S. Pietro di Alc. di Napoli, tracciata dal Prof. Salvatore Gaeta di Nicola Avv. di S. Pietro, Terziario Francescano. Stampata a cura del Postulatore Cmo P. F. Mosè da Gesù e Maria del medesimo Istituto. Napoli, Stabilimento tipogr. Raimondi Sanseverino I.

V.
NECROLOGIA

R. P. Raymundus a Pratoveteri, Ref. Prov. Tusciae alumnus, Missionarius Apostolicus in Superiori Aegypto die 25 Febr. 1883 iustorum mortem oppetiit anno aetatis 29, Missionis vero 4. phtisi consumptus; qui tam brevi tempore, iam 56 haereticos ad Catholicam fidem adduxerat.

S. Regulae servandae studiosissimus fuit, valetudinis etsi tenuis curam negligens, quippe qui mortem optaret magis quam timeret. Ultimis praesertim vitae suae diebus, saepius S. Viatico recreatus eo animi ardore coelestem patriam appetebat, ut inter graves morbi molestias nil eum magis confortaret et solaretur quam ei mortem cito imminentem dicere; sed hoc desiderium divinae voluntati submittens *volo tamen*, ajebat, *mori, quando Deus vult*. Animam agens, intermortua voce Praefecto valedixit, et mox oculis in Ss. Cordis et S. Familiae imagines diutius defixis obdormivit in Domino. R. I. P.

R. P. Michael a Petrapertia Ref. Provinciae Vallis Nethi in Sicilia iam S. Theologiae Lector, et post suppressionem Petrapertiae Parochus et Provincialis Ministri Secretarius, in pace Christi quievit die 7 Aprilis 1883 annos natus 46. Doctrina et virtute clarus inter Synodales Examinatores Dioecesis Platiensis recenseri meruit; populo et clero suae Paroeciae acceptus fuit, imo eiusdem cleri cura typis edita est *Oratio Sacra* quam P. Michael habuit occasione Centenarii S. P. Francisci.

R. P. Mathias Hiltermann, Rec. Provinciae ss. Cordis Iesu in statibus foederatis Americae septentrionalis. Natus erat die 11 Februarii 1812 in Iburg in Dioecesi Osnabrugensi in Germania. Clero saeculari adscriptus et anno 1835 S. Presbyteratus Ordine initiatus, per 22 annos in praefata Dioecesi pro animarum salute sedulo laboravit. Deinde maioris perfectionis desiderio ductus anno 1857 Ordinem nostrum ingressus est in Rec. Provincia Saxoniae S. Crucis. Anno 1862 Superiores eum in Americam septentrionalem miserunt, ut qua Commissarius Provincialis ibi illos Conventus regeret quos dicta Provincia ibi fundaverat et ex quibus excrevit postea nova Provincia Ss. Cordis Iesu. Officio Magistri Novitiorum per duodecim annos magno cum fructu functus est. In cura animarum, et praesertim in praedicandis exercitiis spiritualibus et missionibus, semper indefesse laboravit et praecipuo zelo piam sodalitatem *S. Infantiae* propagare studuit. Postquam Provincia ss. Cordis plures Missiones apud tribus Indianas ad lacum superiorem *(Lake superior)* dirigendas susceperat, P. Mathias, non obstante aetate sua iam provecta, saluti pauperum Indianorum procurandae per plures annos totum se dedit. Erat vir orationis ac magnae humilitatis. Tandem missionem praedicans gravi morbo correptus est et plenus meritis ex hac vita migravit die 25 Aprilis a. c. in Conventu civitatis S. Ludovici (*St. Louis*). Eius memoria apud Confratres suos, tum in Provincia ss. Cordis tum in matre-Provincia, et apud innumerabiles fideles, quibus verbo, exemplo atque precibus profuit, semper in benedictione erit.

Nihil obstat
Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

EPISTOLA

Summi Pontificis ad Rmum P. Ministrum Generalem in qua Acta Ordinis Minorum *laudantur.*

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Religiose Vir,
salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum magni aestimemus piam eorum industriam, qui Christianae pietati fovendae, et Religionis rationibus adserendis suam operam impendunt. grata habuimus volumina quae ab Alumnis Tui Ordinis edita nuper Nobis offerenda curasti, quorum alterum (1) menstruas Scriptiones in honorem Deiparae, quae Lapurdi in Gallia colitur, alterum pia (2) opera et monumenta Franciscalis Ordinis, ut ex titulo novimus, menstrua pariter rerum scriptione enarrata, complectitur. Cum his voluminibus aliud quoque latine exaratum excepimus cui titulus: *Acta Ordinis Minorum*, in quo ea continentur quae ad utilitatem totius Seraphici Ordinis singulis mensibus tua auctoritate evulgantur. Peculiari prorsus laude dignum putavimus, Dilecte Fili, consilium quo horum Actorum collectio atque editio suscepta est; ex ea nempe fit ut gravia et utilia documenta, ea praesertim quae ab hac Sancta Sede dimanant, per singulas Ordinis vestri Provincias ad commoditatem potissimum Sacerdotum religiosae vestrae familiae propagentur, atque ea sacra vincula inter Vos magis magisque obstringantur, quae universum Ordinem cum suo Praeside conjungunt. Dum Nos gratum animum, Dilecte Fili, pro tuo erga Nos officio declaramus, optamus vehementer ut per religiosarum virtutum et necessariae doctrinae cultum in dies magis luceat lux vestra coram hominibus, et sancti vestri ministerii fructibus ac fecunditate bonorum operum divini Nominis gloria provehatur. Gaudemus interim, Dilecte Fili, Te in hunc finem tuas curas non intermisso studio conferre, ac minime dubitantes quin iis religiosa virtus eorum, quibus praesides, ut ipsorum muneris et temporum ratio omnino postulat, strenue alacriterque respondeat, Tibi et universo tuo Ordini coelestium gratiarum amplitudinem adprecamur a Domino, et Apostolicam Benedictionem paternae Nostrae dilectionis testem, tibi cunctisque queis praees, peramanter et ex corde impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 5 Junii, An. 1883, Pontificatus Nostri anno Sexto.

LEO PP. XIII.

Dilecto Filio Religioso Viro
Bernardino a Portu Romatino
Ordinis Universi Fratrum Minorum Ministro

(1) *Rivista Mariana,* ossia l'Immacolata di Lourdes in Sardegna. Cfr. *Acta Ordinis,* Anno II p. 71.
(2) Eco di S. Francesco d'Assisi, Cfr. *Acta* ibidem.
Harum publicationum volumina, supplicantibus earumdem directoribus, Summo Pontifici insimul cum *Actis Ordinis* oblata fuere; singulis vero operibus Apostolicam Benedictionem impertiens, cuncta Pontifex in suo Rescripto complectitur.

CONSTITUTIONIS

SS. D. N. Leonis divina Providentia Papae XIII *De Lege Franciscalium Tertii Ordinis saecularis*

TEXTUS ITALICUS.

Ipse Summus Pontifex Constitutionem suam *Misericors Dei Filius* in linguam italicam vertit atque in typographia Vaticana imprimendam curavit. Propterea hanc versionem authenticam et textus latini nonnunquam sensum explicantem, in *Actis Ordinis* inserendam censuimus, ad utilitatem et commodum Fratrum nostrorum praesertim in Italia degentium.

—

COSTITUZIONE APOSTOLICA SULLA REGOLA DEL TERZ' ORDINE SECOLARE DI S. FRANCESCO.

LEONE VESCOVO
SERVO DEI SERVI DI DIO
A PERPETUA MEMORIA

Il misericordioso Figliuolo di Dio che imponendo agli uomini un giogo soave e un peso leggiero provvide alla vita e alla salute di tutti, lasciò la Chiesa, da lui fondata, erede non solo della potestà ma altresì della misericordia sua, affinchè i benefici da lui arrecati si propagassero con invariato tenore di carità a tutte le generazioni dei secoli. Per la qual cosa come in tutto ciò che Gesù Cristo nella sua vita mortale fece o prescrisse, rifulse sempre mite sapienza e grandezza d'invitta benignità: così in ogni istituto della Chiesa riluce tal maravigliosa indulgenza e mitezza, da far vedere che Essa ritrae anche in questo l'immagine di Dio ch' *è carità* (1). Di tal materna clemenza peculiarmente è proprio l'accomodar sapientemente le leggi, fin dove si possa, ai tempi e ai costumi, e usar sempre nel comandare e nell' esigere somma discrezione. Onde avviene che la Chiesa con siffatto temperamento di carità insieme e di sapienza congiunge l'immutabilità assoluta e sempiterna del domma con la prudente varietà della disciplina.

(1) Ioan. IV, 6.

A questa ragione confermando Noi l'animo e la mente nell' esercizio del Sommo Pontificato, stimiamo debito del Nostro ufficio librare su di equa lance la natura de'tempi, e tutte considerare le circostanze, non forse abbiavi difficoltà che rattenga alcuno dalla pratica di salutari virtù. E ora ci è piaciuto ragguagliare a questa norma il Sodalizio Francescano del Terz' Ordine Secolare, e ponderare diligentemente se sia mestieri temperarne alcun poco, per i mutati tempi, le leggi.

Noi già quest'esimio Istituto del Patriarca san Francesco alla pietà de'fedeli caldamente raccomandammo mercè la Nostra Enciclica *Auspicato*, pubblicata il 17 settembre dell'anno scorso. E la publicammo col desiderio e con l'unico intento di richiamare in tempo opportuno col Nostro invito quanti più si potessero all' acquisto della santità cristiana. Origine in vero precipua e dei mali che ci premono, e dei pericoli che ci minacciano è la negletta osservanza delle virtù cristiane. Ma rimediare a que' mali, e scongiurar questi pericoli per altra via gli uomini non potrebbero, che affrettando il ritorno degl'individui e della società a Gesù Cristo; *il quale puó salvare in perpetuo quanti per suo mezzo si accostano a Dio* (1). Ora all'osservanza appunto dei precetti di Gesù Cristo mirano gli istituti di S. Francesco: imperocchè nient'altro il santissimo lor fondatore si propose, che aprire in essi come una palestra in cui la vita cristiana con maggior diligenza si esercitasse. Certamente i primi due Ordini Francescani, addestrandosi alla scuola di grandi virtù, tendono a qualche cosa di più perfetto e divino. Ma questi due Ordini sono accessibili a pochi, vale a dire, a quelli solamente a cui per ispecial grazia di Dio è conceduto di aspirare con alacrità singolare alla santità dei consigli evangelici. Il Terz'Ordine però è nato fatto pel popolo; e quanta efficacia esso abbia a formar costumi buoni, integri, pii, è chiaro per la cosa in sè, e pel testimonio dei tempi andati.

Dobbiamo riconoscere dall' Autore e Aiutatore de' buoni consigli Iddio, che alle Nostre esortazioni le orecchie del popolo cristiano non rimasero chiuse. Anzi sappiamo da moltissimi luoghi, come si raccese la pietà verso

(1) Hebr. VII, 25.

il Patriarca d'Assisi, e si accrebbe via via il numero dei chiedenti ascriversi al Terz' Ordine. Laonde quasi per dar di sprone a chi corre, Ci risolvemmo di svolgere il Nostro pensiero colà, onde codesto felice corso degli animi potesse sembrar impedito comechesia o ritardato. Prima di tutto esaminammo la Regola del Terz' Ordine, che dal Nostro Antecessore Nicolò IV venne approvata e confermata con la Costituzione Apostolica « *Supra montem* » del 18 Agosto 1289, e la vedemmo non rispondere appieno ai tempi e ai costumi d' oggi giorno. Di qui, non si potendo adempier gli accettati obblighi senza troppa molestia e fatica, bisognò finora, ad istanza degli ascritti, passar sopra a molti di quelle leggi; e ciò come non avvenga mai senza scapito della comune disciplina, è facile intenderlo.

Di poi v'era anche nello stesso Sodalizio un' altra cagione che richiedeva le Nostre cure. Vogliamo dire che i Romani Pontefici Nostri Antecessori, avendo accolto il Terz'Ordine fin dal suo nascere con somma benevolenza, largirono ai Terziari Indulgenze molte ed ample assai in espiazione delle colpe. Delle quali Indulgenze l'indole e la ragione divenne col corso degli anni ambigua e perplessa, onde soventi volte si fece questione, se in taluni casi l'indulto papale fosse certo, e in qual tempo e in qual misura se ne potesse far uso. Certamente la provvidenza dell'Apostolica Sede non si lasciò desiderare al bisogno, e notantemente Benedetto XIV P. M. con la sua Costituzione « *ad Romanum Pontificem* » del giorno 15 Marzo 1751 tolse i primi dubbi che erano insorti. Non pochi tuttavia ne sorsero, come suole avvenire, in appresso.

Per la qual cosa Noi mossi dalla considerazione di tali incommodi, tra i Cardinali di S. R. Chiesa appartenenti alla S. Congregazione delle Indulgenze e sacre Reliquie ne deputammo alcuni con l' incarico di rivedere con ogni cura la primitiva Regola de' Terziari, e similmente, redatto l' elenco di tutte le Indulgenze e Privilegi, di prenderli ad esame e di riferire a Noi, dopo maturo giudizio, che cosa stimassero doversi giusta la condizione de' tempi, ritenere od innovare. Fatto quanto avevamo ordinato, i Cardinali suddetti Ci proposero doversi piegare e accomodare all' odierna maniera di vivere le antiche leggi, modificandone alcuni capi. Intorno poi alle Indulgenze, per non lasciar luogo ad esitazioni, e per evitare il pericolo che alcuna cosa non vada a dovere, giudicarono che Noi saviamente e utilmente faremmo, se ad esempio di Benedetto XIV, richiamate ed abrogate le Indulgenze tutte che fin qui furono in vigore, altre di nuovo al Sodalizio stesso ne concedessimo.

Adunque, che torni in bene, che aumenti la gloria di Dio, ed accenda ognor più l'amore della pietá e delle altre virtù cristiane, Noi con questa Costituzione e con la nostra Apostolica Autorità la Regola del Terz' Ordine secolare di S. Francesco nel modo che siegue rinnoviamo e sanzioniamo. Con che niuno pensi venga punto tocca l'intima natura dell' Ordine medesimo, la quale anzi vogliamo che rimanga inalterata ed intera. Vogliamo inoltre e comandiamo che tutti i Terziari godano delle Indulgenze e privilegi che qui appresso si troveranno notati nell' elenco, annullate del tutto le Indulgenze e i Privilegi qualunque, che allo stesso Sodalizio siano stati da questa Sede Apostolica in qualsivoglia tempo, o nome, o forma fino a quest' oggi concessi.

REGOLA
DEL TERZ'ORDINE SECOLARE DI S. FRANCESCO

CAPO I.

DELL'ACCETTAZIONE, NOVIZIATO, PROFESSIONE

§ I. Non si accetti nel Terz' Ordine alcuno che non abbia passato l' età di quattordici anni, e non sia di buoni costumi, amante della concordia, e specialmente di provata fede nella professione cattolica e di provato ossequio verso la Chiesa Romana e la Sede Apostolica.

§ II. Le maritate non si ammettono senza che il marito lo sappia e vi acconsenta, eccetto il caso che il Confessore giudichi doversi fare diversamente.

§ III. Gli ascritti al Sodalizio portino il piccolo scapolare e il cingolo secondo il co-

stume: se nol portano, restino privi dei privilegi e diritti concessi.

§ IV. I Terziari e le Terziarie, accettati che sieno nell' Ordine, passino nel noviziato il primo anno: ammessi poi giusta il rito alla professione dell'Ordine stesso, promettano di osservare i comandamenti di Dio, di obbedire alla Chiesa, e se in alcun punto della loro professione mancheranno, di esser pronti a farne ammenda.

CAPO II.

DELLA DISCIPLINA

§ I. I Terziari e le Terziarie si astengano in ogni cosa dal lusso e dalla raffinata eleganza, tenendosi a quel giusto mezzo, che si conviene alla condizione di ciascuno.

§ II. Stiano lontani con somma cautela dai balli e dagli spettacoli pericolosi e da ogni gozzoviglia.

§ III. Siano frugali nel cibo e nella bevanda e non si assidano nè si levino dalla mensa senza aver piamente invocato e ringraziato il Signore.

§ IV. Nella vigilia della Immacolata Concezione di Maria e del Patriarca S. Francesco ciascuno osservi il digiuno; assai lodevoli, se inoltre digiuneranno ogni venerdì e si asterranno dalle carni ogni mercoldì, secondo l'antica pratica dei Terziari.

§ V. Si accostino ai Sacramenti della Confessione e della Comunione in ciascun mese.

§ VI. I Terziari Ecclesiastici, da che ogni giorno debbono recitare le ore canoniche, per questa parte non hanno altro obbligo. I laici che non recitano nè l' ufficio divino nè l'ufficio piccolo della B. Vergine, dicano ogni giorno dodici *Pater Noster, Ave Maria*, e *Gloria Patri* salvo che non siano impediti da infermità.

§ VII. Quelli che per legge lo possono, dispongano per tempo con testamento delle cose loro.

§ VIII. In famiglia abbiano cura di esser di esempio agli altri, promuovendo esercizi di pietà ed opere buone. Non permettano che entrino loro in casa libri e giornali da cui possa temersi danno alla virtù, e ne interdicano la lettura ai loro soggetti.

§ IX. Abbiano cura di mantenere tra loro e con gli altri caritatevole benevolenza. Dove possano, si adoperino ad estinguere le discordie.

§ X. Non faciano mai giuramenti, se non in casi di vera necessità. Fuggano ogni sconcio parlare, ogni scurrilità ed ogni lazzo. Facciano ogni sera l'esame non forse abbiano commesso alcun fallo; avendone commesso, si pentano ed ammendino l'errore.

§ XI. Coloro che il possono, assistano ogni giorno alla S. Messa. Ad invito del Ministro intervengano ogni mese all'adunanza.

§ XII. Mettano in comune, giusta la possibilità di ciascuno, alcun che per *sollevare*, massime nelle malattie, i confratelli bisognosi, o per provvedere al decoro del culto.

§ XIII. A visitare i Terziari infermi i Ministri o vadano essi stessi, o mandino a compiere i dovuti uffici di carità. E se la malattia è pericolosa, ammoniscano e persuadano il malato ad acconciare in tempo le cose dell'anima.

§ XIV. Ai funerali dei confratelli defonti i Terziari del luogo e i forestieri che vi si trovino, si radunino, e recitino insieme una terza parte del S. Rosario a suffragio del trapassato. I Sacerdoti nel divin sacrificio, i laici accostandosi, se possono, alla santa Comunione, preghino pii e volonterosi al defunto confratello l'eterna pace.

CAPO III.

DEGLI OFFICI, DELLA VISITA, DELLA REGOLA STESSA.

§ I. I vari offici si conferiscano nelle adunanze dei confratelli. Gli offici durino tre anni. Nessuno senza giusta causa ricusi o eseguisca con oscitanza l'officio deferitogli.

§ II. Il Visitatore diligentente indaghi se la Regola viene osservata. A questo fine una volta l'anno, o più spesso se bisogna, visiti d'officio i sodalizi, convochi in generale adunanza i Ministri e i confratelli. Se il Visitatore ammonendo o comandando richiamerà alcuno al dovere, o se imporrà alcuna penitenza salutare, questi docilmente l'accetti e non ricusi di farla.

§ III. I Visitatori si scelgano tra i Religiosi del Primo o del Terz' Ordine Regolare

Francescano; e sieno designati dai Guardiani quando ne sieno richiesti. L'officio di Visitatore è interdetto ai laici.

§ IV. I Terziari insurbordinati e di mal esempio vengano ammoniti per l'obbligo loro la seconda, e la terza volta: se non obbediscono, sieno espulsi,

§ V. Se nelle prescrizioni di questa Regola alcuno viene a mancare, sappia di non incorrere per questo titolo in verun peccato, purchè la mancanza non offenda le leggi di Dio e i precetti della Chiesa.

§ VI. Se alcuno per grave e giusta causa non può osservare qualche prescrizione di questa Regola, sia lecito dispensarlo per quella parte o fargliene prudentemente la commutazione. E su ciò i Superiori ordinari dei Francescani del Primo e del Terz'Ordine, come pure i Visitatori abbiano pieno potere.

ELENCO

DELLE INDULGENZE E DE' PRIVILEGI.

CAPO I.

DELLE INDULGENZE PLENARIE

Tutti i Terziari dell'uno e dell'altro sesso, confessati e comunicati, potranno lucrare l'Indulgenza Plenaria nei giorni e per i titoli che seguono:

I. Nel giorno dell'aggregazione.

II. Nel giorno della professione.

III. Nel giorno che intervengono all'adunanza o Conferenza mensuale, purchè visitino devotamente qualche tempio od Oratorio pubblico, e preghino secondo l'usato per i bisogni di santa Chiesa.

IV. Nel giorno 4 Ottobre festa del Patriarca S. Francesco; nel giorno 12 Agosto festa della Madre S. Chiara d'Assisi; nel giorno 2 Agosto festa della Sagra di S. Maria degli Angeli; nella festa del Santo Titolare della Chiesa in cui è eretto il Sodalizio de'Terziari, purchè visitino quella Chiesa e quivi preghino secondo l'usato pei bisogni di santa Chiesa.

§ V. Una volta al mese, in quel giorno che a ciascuno piacerà, purchè devotamente visitino qualche Chiesa o pubblico Oratorio e ivi per qualche spazio di tempo preghino secondo l'intenzione del Sommo Pontefice:

§ VI. Ogni volta che all'uopo di migliorare sè stessi si ritireranno a fare gli Esercizi Spirituali pel corso di otto giorni continui:

§ VII. In punto di morte, se invocheranno col labbro, o, avendo perduta la parola, col cuore, il santissimo nome di Gesù. Godano dello stesso favore anche quelli che non potendo nè confessarsi, nè comunicarsi, si pentiranno con perfetto dolore delle loro colpe.

§ VIII. Due volte l'anno quelli che riceveranno la Benedizione Papale, se pregheranno per qualche tempo secondo l'intenzione del Sommo Pontefice: egualmente, con questa condizione medesima, coloro che riceveranno quella che chiamano *Assoluzione*, ossia *Benedizione*, nei giorni che seguono: I. Il Natale di Nostro Signor Gesù Cristo: II. la Pasqua di Resurrezione: III. la Pentecoste: IV. la festa del SSmo Cuore di Gesù: V. dell'Immacolata Concezione: VI. di S. Giuseppe Sposo di Maria Vergine ai 19 di Marzo: VII. delle Stimmate di S. Francesco ai 17 di Settembre: VIII. di S. Luigi Re di Francia Patrono celeste de'Terziari ai 25 di Agosto: IX. di S. Elisabetta di Ungheria ai 18 di Novembre.

§ IX. Egualmente quelli che reciteranno cinque *Pater, Ave* e *Gloria* per i bisogni di S. Chiesa ed uno secondo la mente del Sommo Pontefice, acquisteranno una volta al mese le stesse Indulgenze e remissioni che sono concedute a chi visita devotamente le stazioni di Roma o fa divoto pellegrinaggio alla Porziuncula, ai Luoghi Santi, a S. Giacomo di Compostella.

§ X. Nei giorni delle Stazioni designati nel Messale Romano ogni Terziario che visiti il tempio o l'Oratorio del proprio Sodalizio, e quivi devotamente preghi secondo l'usato per i bisogni di santa Chiesa, goda in quel tempio o in quell'Oratorio e nei suddetti giorni delle stesse grazie e favori spirituali di cui godono in Roma i Romani e i forestieri.

CAPO II.

DELLE INDULGENZE PARZIALI

§ I. A tutti i Terziari dell'uno e dell'altro sesso che visiteranno il tempio o l'Oratorio

in cui è eretto il Sodalizio, e quivi suppliche-ranno a Dio pe'bisogni della Chiesa, si concede Indulgenza di sette anni e di altrettante quarantene nelle Feste della prodigiosa Impressione delle Sacre Stimmate del Patriarca S. Francesco, di S. Lodovico Re di Francia, S. Elisabetta Regina di Portogallo, di S. Elisabetta di Ungheria, di S. Margarita da Cortona, e in altri dodici giorni a scelta di ciascuno coll'approvazione del Ministro del Sodalizio.

§ II. Tutte le volte che i Terziari assisteranno alla Messa o ad altri divini uffici, o interverranno alle adunanze pubbliche o private de' confratelli: daranno ospizio ai poveri; comporranno discordie o procureranno sieno composte: andranno alle sacre processioni: accompagneranno il SSmo Sacramento, o non potendolo accompagnare, reciteranno al segno della campana, un *Pater noster* e un *Ave Maria:* diranno cinque *Pater* e *Ave* pei bisogni di S. Chiesa, o in suffragio dei confratelli defonti: seguiranno alla sepoltura i morti: ridurranno al buon sentiero qualche traviato: istruiranno alcuno nei divini precetti e nelle altre cose necessarie a salute, o faranno altre simili opere di carità, potranno lucrare ogni volta e per ciascuno di questi titoli l'indulgenza di trecento giorni.

I Terziari, se vogliono, potranno applicare tutte e singole le sopraddette indulgenze, sia plenarie sia parziali, in suffragio de' fedeli defunti.

CAPO III.

DEI PRIVILEGI

I. I Sacerdoti ascritti al Terz'Ordine, dovunque celebrino, godano personalmente dell' Altare privilegiato, tre giorni di ciascuna settimana, purchè non abbiano ottenuto simile privilegio per altro giorno.

II. Quando i medesimi Sacerdoti celebreranno in suffragio delle anime de' Terziari defunti, l'altare sia per essi sempre e dovunque privilegiato.

E tutte e singole queste cose nel modo che sono state sopra decretate, così vogliamo restino ferme, stabili e rate in perpetuo; non ostante le Costituzioni, le Lettere Apostoliche, gli statuti, le consuetudini, i privilegi, le altre regole Nostre e della Cancelleria Apostolica e qualsiasi altra cosa in contrario. A nessuno pertanto sia lecito di violare in alcun modo o in alcuna parte le presenti Nostre Lettere: chiunque ciò osi, sappia che incorrerà l'indignazione di Dio Onnipotente, e de' beati suoi Apostoli Pietro e Paolo.

Dato a Roma presso S. Pietro, l'anno dell'Incarnazione del Signore 1883, ai 30 di Maggio anno sesto del Nostro Pontificato.

C. CARD. SACCONI PRO-DATARIO
T. CARD. MERTEL

VISTO
DE CURIA G. DELL'AQUILA VISCONTI
Luogo del Sigillo
Regist. nella Segret. de' Brevi
I. CUGNONI

SUMMUS PONTIFEX LEO XIII ET SUPERIORES GENERALES ORDINIS SERAPHICI

Die 7 Julii ad sacram Audientiam Summi Pontificis admissi sunt Superiores Generales Seraphici Ordinis, ad gratias Vicario Christi agendas pro Ejus erga Tertium Ordinem benevolentia.

Sanctitas Sua dixit imprimis affectum suum erga S. Patriarcham et Tertium Ordinem Seraphicum. « Jam a teneris annis, inquit, S. Franciscum Assisiensem amore complector. Certe vos filiali amore tantum Parentem prosequimini; sed Ego etiam non minori devotione et affectu eumdem veneror.

« Tempus jam opportunum advenerat, sollicitantibus non paucis Orbis praesulibus, Regulam Tertii Ordinis aliquantulum temperare, juxta praesentes societatis circumstantias. Ideo jejunia moderati sumus, et pro iis qui Officium divinum recitare nequeunt duodecim *Pater*, *Ave* et *Gloria* tantum praefinivimus, quinque scilicet pro Matutino, unum pro Laudibus, unum pro singulis ex quatuor horis Prima, Tertia, Sexta et Nona, et duo tandem pro Vesperis et Completorio.

« In praesentibus certe temporum adjunctis, crescente labore et humanae vitae solli-

citudinibus, refrigescente vero fervore christiano, necesse fuit antiquam Tertii Ordinis disciplinam flectere, ut plures ad evangelicum S. Francisci spiritum allicerentur ».

Quum Summo Pontifici tunc humiliter ab uno ex Rmis Generalibus peteretur an sublata sit pro Tertiariis Clericis facultas utendi Breviario Seraphico: « Nequaquam, respondit Pontifex, semper viget haec facultas, quae tamen nemini imponitur. »

Et prosequens inceptum sermonem hoc adjunxit Sanctitas Sua: « Testamentum meum erga S. Franciscum scribere volui, ut illi devotionem meam exhiberem, et exinde protectionem ejus in vita, ejusque tutelam ante tribunal Christi promererer.

« Aliqui existimarunt, post recentem Constitutionem *Misericors Dei Filius*, Tertium Ordinem ad simplicem Confraternitatem et sodalitium fuisse revocatum. Talis non est mens nostra, sed, uti declaravimus, ejusdem instituti natura ac essentia perseverant, et non simplex Congregatio, sed verus Ordo remanet.

« Ad vos pertinet, Patres Observantes, Conventuales, Capuccini et Tertiarii Regulares, hunc Ordinem Poenitentiae per Sacerdotes Ordinis ac Visitatores, et ubi non sint Religiosi vestri, per delegatos Directores promovere, ut scopum a S. Francisco et a Nobis intentum, ad societatis bonum et pietatis christianae incrementum attingere valeatis. »

Denique Summus Pontifex Rmis Patribus omnibusque Religiosis eisdem commissis Apostolicam Benedictionem benigne impertiebatur.

Quum autem Summo Pontifici grati animi sensa manifestarentur pro elevatione episcopi franciscani Angolensis, Rmi Dni Sebastiani Netto, ad Sedem Patriarchalem Ulyssiponensem, benevolus Pontifex eximii hujus Praelati virtutes, humilitatem ac zelum laudavit, ac de ejus electione ecclesiae Portugalliae valde profutura, gratias Deo reddidit.

—

BREVE APOSTOLICUM,

quo Indulgentiae pro festo vel octava S. P. N. Francisci, necnon pro novendiali supplicatione vel piis exercitiis infra mensem Octobrem conceduntur.

—

LEO PP. XIII.

Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ad augendam Fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui quamlibet Ecclesiam seu publicum Oratorium die festo S. Francisci, vel uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus, cujusque Fidelium arbitrio sibi eligendo, singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex hisce diebus id egerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem Christifidelibus corde saltem contritis, quoties vel novendiali supplicationi, vel piis exercitiis per mensem in honorem S. Francisci celebrandis adfuerint, tercentum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctas ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse indulgemus atque elargimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad Decennium tantum valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis

praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XI Iunii MDCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

(L. S.)

Th. Card. Mertel.

INFORMATIO PECULIARIS.

Summus Pontifex festum S. Leonardi a Portu Mauritio per Decretum diei 28 Julii 1882 pro Clero Urbis praescripsit, et S. Rituum Congregatio praecepit, ut nova oratio et novae lectiones secundi Nocturni in dicto festo a Clero Romano recitandae etiam novo nostro Breviario insererentur, quod et factum est. Eadem autem S. Congregatio benigne permisit, ut illi qui novum Breviarium nondum habent, orationem et lectiones secundi Nocturni hucusque a nobis usitatas etiam deinceps licite recitare possent.

II.
ACTA ORDINIS

AD FRATRES DISPERSOS
Incitamenta Seraphica.

(Continuatio)

VIII.

Considerationes ex praecedentibus deductae.

Votis Rmi P. Ministri Generalis obtemperantes, dilectissimi Fratres, ostendere conati sumus, quam lugenda sit conditio Religiosorum, qui, e claustris exturbati dispersi manent in saeculo: atque imprimis quidem quia felicitate et salutiferis emolumentis vitae coenobiticae, ad quam infinita Dei bonitate fuerant vocati, privati existunt.

Ideo magis deflendum esse monstravimus quod Regulares expulsi et adminiculis monasticae disciplinae orbati, adstricti tamen maneant observantiae votorum solemnium et praeceptorum Regulae, quae, in circumstantiis in quibus versantur, possunt servari, uti et obligationi tendendi ad perfectionem, quod ad ipsam substantiam religiosae professionis omnium consensu novimus pertinere.

Tandem, uti fusius probavimus, Fratres dispersi non solum mediis perfectionis, quae coenobium tam abunde suppeditat, carere coguntur, sed innumeris insuper exponuntur insidiis et perversionis periculis, quibus eos tam facile illaqueari contingit, nisi, extraordinariis mediis adhibitis, ab eis se liberare conentur.

Hisce perpensis, facile intelligitur cur sancta Mater Ecclesia violentam dispersionem Religiosorum omni tempore tam amare defleverit, et, quavis nacta occasione, doloris sui acerbitatem Orbi catholico, repetitis etiam vicibus, manifestam reddere judicaverit.

Nec solis gemitibus Ejus sollicitudo se prodit; sed tota semper intenta ut, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, ita etiam dispersos Fratres congreget et a periculis defendat, nullum unquam lapidem non movere non cessat, ut ad coenobium eos valeat reducere, vel in domo a saecularibus segregata coadunare; ac, si neutrum fieri posset, quam efficacissime eos exstimulat ut vitam Religioso dignam in saeculo ducere studeant et apostolicis laboribus, si per circumstantias liceat, se totos impendant.

Hanc Sanctae Sedis sollicitudinem et expressam voluntatem perpendentes Provinciarum Moderatores hoc nomine digni, semper intellexerunt, gravissimum esse muneris sui debitum, vel ab ipso violentae suppressionis initio, omnem operam impendere ut, si possibilitas aderat, Fratres suos expulsos congregatos servarent, sive conventus repristinando sive de novo in aliena etiam terra erigendo, vel saltem curando ut in domibus privatis Fratres simul cohabitarent et normam quamdam religiosae vitae ibidem sequerentur.

Si Ordinis fata et gesta nobis satis essent perspecta, et agendi rationem Provinciarum, in quibus pura Regulae observantia vigebat, notam haberemus, magna animi voluptate considerare liceret, in variis per saecula perturbationibus, permultos semper Religiosos nonnisi maxima cordis tristitia e conventibus suis fuisse avulsos, Superiores muneris sui partes

in hisce calamitatibus maxima sollicitudine implevisse et in congregandis suis alumnis omnem semper operam impendisse. Videre contingeret, innumeros subditos non minori anxietate, uti par erat et debitum, instaurationem conventuum pro viribus promovisse et, quantum fieri poterat, cum Fratribus quibusdam insimul vixisse.

Alii autem quibus prae aestu persecutionis, omnis in unum conveniendi ablata erat facultas, in sancta et vere seraphica conversatione vitam in saeculo ducere studebant et optatum reditum ad conventum expectantes, ad omne opus bonum paratos se exhibebant.

Talis fuit agendi ratio majoris partis Religiosorum nostrorum dispersorum saeculo XVI, dum. inscrutabili Dei judicio, perlugendae surrexerunt haereses Lutheri et Calvini nec non et schisma Henrici VIII in partibus Ultramontanis sive septentrionalibus Europae, et tam universalis atque tam atrox intentata fuit persecutio contra fidem catholicam et praesertim contra vitam monasticam, ut fere omnes conventus, ejectis Regularibus, in variis illis regionibus spoliarentur aut igni traderentur, quin vix ulla relinqueretur eis libertas aut possibilitas alio transmigrandi aut insimul habitandi; quin potius continuis opprobriis, vexationibus aut mortis periculis essent expositi.

In hisce tamen luctuosis adjunctis videre erat quid valeat et efficere possit spiritus vere seraphicus. Notum est enim, tunc temporis fere omnes Ordinis nostri Provincias in laudabili disciplina monastica et pura Regulae observantia fuisse stabilitas per admirabilem reformationem tam feliciter introductam a S. Bernardino Senensi, S. Joanne Capistrano et aliis sanctis et zelosis promotoribus Observantiae regularis. Quo factum est, ut, dum maxima pars catholicorum. nec non innumeri sacerdotes inter quos, proh dolor! et Ecclesiae Prelati, ob mores depravatos, ignorantiam, divitias et luxum aut alias ob causas a fide defecerunt, filii Divi Francisci, paucissimis exceptis, infinita Dei misericordia, stabiles et constantes in fide permanserint.

Illi etiam, quamvis crudeliter dispersi, memores tamen seraphicae suae vocationis cujus est *non sibi soli vivere sed et aliis proficere,* et apostolico zelo, veris Minoritis adeo proprio. accensi, veritatem catholicam palam profitebantur eamque verbo et scripto strenue defendebant, debiles in fide confirmabant, lapsos modis omnibus in viam salutis reducere conabantur, et ad exemplum apostolorum multi ex eis pro Ecclesia sancta Dei Ejusque infallibili doctrina sanguinem suum profundere non dubitabant.

Haec quae summatim indicamus adeo praeclara et gloriosa sunt pro Ordine nostro, et tam apta ad accendendum in nobis omnibus desiderium vitae vere seraphicae, ut quae de eodem argumento modo magis speciali quamvis synoptico scripsit R. A. P. Bernardus Van Loo in opusculo cui titulus *Stimulus seraphicae conversationis,* hic referenda esse judicaverimus.

Postquam laudatus auctor selectos quosdam salutis fructus recensuerit quos Observantium familia, spiritu Seraphico accensa, in Ecclesiae utilitatem et gloriam protulit saeculo XV, sequentia, quae ad scopum nostrum spectant, scitu digna commemorat (1).

« Nec minus, ait, Ecclesiae Dei profecerunt saeculo XVI, dum in Gallia, Germania et Belgio invaluerunt haereses Calvini et Lutheri et dirum schisma Insulas Britannicas invasit. Quanto zelo se illis erroribus opposuerint Franciscani patet ex prodigioso numero illorum qui cunctis rebus fuerunt spoliati, in exilium missi, ergastulis inclusi, crudeli morte affecti.....

« Quia majorem, in religiosis viris regulam zelumque Dei profitentibus resistentiam inveniebant haeretici, impetu majori eos persequebantur vel morti dare procurabant.

« Cum vero Franciscanos prae caeteris omnibus, odio et rabie omnino singulari, internecione delere pro viribus ubique molirentur, Franciscanos fuisse catholicorum singulare patrocinium atque praecipuum contra haereticam perfidiam propugnaculum non dubitamus.

« Omitto viros maximo numero et ingenio praestantes qui doctissimis et solidissimis editis lucubrationibus catholicam veritatem defendere, novatorum errores convellere, catholicos in sancto proposito confirmare, seductos ad ovile Christi reducere non sine commendatissimo

(1) Edit. Rom. p. 194 Edit. Lov. p. 193 seqq.

fructu studuerunt, quorum longissimam seriem edidit Waddingus in Indice scriptorum Ordinis Minorum. Eos autem, qui haereticali rabie, morteque sua contempta, cum proprii sanguinis effusione contra Novatores sese pro domo Dei murum opposuerunt, ultra centum et quinquaginta in Syllabo Martyrum nostri Ordinis Waddingus ipse ex solis Galliae Provinciis dinumerat, qui omnes, paucis exceptis, fuerunt de Observantia Regulari (1).

« Hanc mirabilem constantiam atque in tuenda et defendenda fide catholica indefessum zelum fovebant in eis non solum gloria Dei atque animarum salus, verum etiam regulae quam professi erant perfecta observantia.

« Ordinem sub fidei catholicae Romanae vexillo S. Franciscum instituisse, Regula ipsa Cap. 2. in receptione novitiorum manifeste declarat, dum primam conditionem ingredientis ad Ordinem ponit, ut Ministri candidatos *examinent de fide catholica et ecclesiasticis Sacramentis:* nec illos admittant, nisi *haec,* inquit, *omnia credant et velint ea fideliter confiteri, et usque ad finem firmiter observare,* etiam, ut explicat S. Bonaventura, *usque ad martyrii testimonium et sanguinis effusionem.*

« Hinc fidei catholicae propugnandae haeresibusque extirpandis omni tempore adlaborarunt filii S. Francisci, ii praesertim qui, vero spiritu seraphico repleti, in sancta paupertate rerumque omnium mundanarum contemptu perfecti Regulae suae observatores exstiterunt.

« Dei igitur miremur bonitatem atque providentiam, qui hunc in finem S. Francisci Ordinem saeculo XV ad primaevum revocavit spiritum, ut in omnibus regnis, quae paulo post haeretica lue fuerunt infecta, viri adessent, qui evangelicae vitae exemplo et apostolicae doctrinae efficacia contra haereses dimicarent, catholicos in veritate foverent et consolidarent, seductos populos in semitam veritatis reducere conarentur, atque pro fide Christi sanguinem suum profundere non dubitarent.

« Tales erant tunc temporis Observantes non modo in Gallia, sed et in Belgio, in Insulis Britannicis, in Thuringia, in utraque Saxonia, in Dania, Suetia et adiacentibus regionibus, in tota denique Germania inferiori et superiori, in quibus regnis innumeri erant Observantium conventus.

« Quid iis in locis pro fidei catholicae conservatione vel restitutione gloriose peregerint, qualia toleraverint, quomodo ad mortem usque pro Ecclesia Romana profuso sanguine decertaverint, quomodo doctis voluminibus ad puritatis catholicae defensionem contra impias heterodoxorum novitates sancte laboraverint, testatur horum regnorum historia; ut merito dici possit, conservationem fidei saeculo XVI magna ex parte filiis S. Francisci grato animo tribuendam esse. Hoc historicum argumentum inter alios tractavit Petrus Marchantius in libro, quem suo tacito nomine inscripsit. *Lucerna fidei per Fratres Minores Regularis ac Strictioris Observantiae in Palatinatu et nonnullis Provinciis Germaniae accensa,* in quo ampla et authentica testimonia exhibet Principum, Archisatrapiarum, oppidorum, etc. quibus conversiones totius populi ab haeresi data fide adscribuntur Fratribus Minoribus, et conversiones plurium ministrorum describuntur. Simile fere testimonium dandum esse non dubitamus de Insulis Britannicis, de Belgio et Hollandia, de Variis Germaniae partibus, ubi Franciscani non modo tempore saevientis perpersecutionis generose pro fide ad sanguinem usque decertarunt, verum etiam post conventuum suppressionem continuas et fructuosas missiones non sine vitae periculo illis in partibus conservarunt. »

Haec sunt gloriosa quaedam facta Fratrum nostrorum expulsorum saeculo XVI, praeter alia multa quae memoratus Auctor recenset, dum in suo Opusculo (*Stimulus seraphicae conversationis)* tractat de *Primariis honoribus et egregiis factis* Observantiae Regularis.

Dum haec adduximus in exemplum et stimulum pro Religiosis qui modo sunt suppressi, non possumus quin mentem nostram

(1) A. R. P. Gaudentius actualis Definitor Generalis, in praeclaro opere idiomate germanico conscripto cui titulus:

Der Protestantismus und die Franciscaner, nominat 500 Franciscanos qui ex omnibus Provinciis Ordinis in hoc certamine contra haereticos martyrium subierunt. In dicto opere demonstrantur merita Franciscanorum de conservatione Religionis catholicae in Germania, Belgio, Gallia, Hibernia, in Imperio Austriaco tempore exsurgentis Protestantismi.

Optandum esset ut saltem synopsis egregii huius libri lingua latina in lucem prodiret in utilitatem et aedificationem totius Ordinis Minorum

etiam convertamus ad Provincias per misericordiam Dei adhuc subsistentes quarum futurae sortes in manibus Ejus sunt, et ad omnes Ordinis alumnos sive coenobitas sive dispersos incentiva verba dirigamus quibus idem scriptor tam ardenti zelo pro Ordinis sanctitate et decore repletus praefatam dissertationem conclusit dicens:

« Hi et alii sunt fructus uberrimi, quos Observantes primaevo Ordinis spiritu succensi in horreum Ecclesiae Catholicae congregarunt. Haec sunt mirabilia portenta, quae Deus per eos, utpote sanctitate et doctrina praeditos, in gloriam suam, Ecclesiae splendorem et animarum utilitatem operari dignatus est. Non immerito igitur de Ordinis renovatione saeculo XV peracta, quemadmodum de prima ejus institutione dici potest, eam a Deo fuisse suscitatam, ut contra periculosa tempora novos athletas praepararet, et Ecclesiam praemuniendo fulciret. Atque hoc est quod praesenti documento probare voluimus, quodque omnibus jam manifestum esse putamus. Ast cum opusculi nostri finis primarius alius non sit quam ut Fratres nostri ad Regulae suae observantiam zelandam et meliora semper charismata aemulanda excitentur, hinc praecipuus scopus praesentis tractationis fuit, ut, memorando egregios labores et fructus primorum Observantium, magis magisque simus convicti, Religiosos bene disciplinatos et Regulae suae zelosos observatores, omni tempore apta fuisse in manu Domini instrumenta ad salutem populorum operandam; dum e contra steriles manent labores eorum qui a recto deflexerunt tramite et regularis vitae rigores amplecti recusant. »

« Quid tamen prodesset, hoc perspicuum et exploratum habere, nisi hac persuasione ducti sanctam iniremus viam, et virtutes primorum Observantium generoso corde aemulari et imitari studeremus? »

Vos igitur omnes, Fratres mei per universum mundum dispersi, per viscera misericordiae D. N. Jesu Christi et per stigmata S. P. N. Francisci obsecro et obtestor, ut pro Ordinis sancta renovatione ardentem foveatis zelum. Regulam quam vovimus ad unguem observemus, nec satis nobis sit ejusdem servare praecepta, sed, ad exemplum discipulorum sancti Patris Francisci et primorum Observantium, monita et consilia in ea contenta libenti amplectamur animo; omni denique commodo, amore proprio et honore contemptis, ea omnia media adhibeamus, quibus Observantiae Regularis promotores seraphicum renovarunt spiritum et Ecclesiae Catholicae maximum praebuerunt auxilium atque praesidium.

Porro quaenam sint media quibus Ordo in viridi observantia possit conservari aut in ea renovari, sequentia quae narrat Waddingus ad annum 1456, n. 88. nos docebunt:

« Postquam S. Capistranus vitam suam in reformando Ordine et regulari observantia promovenda consumpsisset, pridie mortis suae Fratres suos ad se accersivit, et, cum totam Religionem Fratrum Minorum, praecipue tamen familiam Fratrum Observantiae lacrymis et mellifluis benedictionibus replevisset, vertens faciem ad socium suum dixit: tria sunt, quae Religionem nostram conservant, tenent et gratam Deo faciunt, videlicet: *zelus Religionis, fervor caritatis, et rigor correctionis*. Quae dulcissima verba ipso jubente, scripta per Fratrem Epiphanium de Stiria, vigilem ipsius custodem et ministrum dari sibi fecit, et ipsemet legit, postea dixit: *Haec servanda sunt in familia nostra, haec tenenda in monasteriis;* ego excuso conscientiam meam; dicite Vicariis nomine meo; haec Vicario Austriae filio meo Fratri Gabrieli Veronensi, haec saepius cunctis Fratribus enarrate. »

(Continuabitur).

III.
MISSIONES

—

Nota

In posterum cunctas Missionariorum epistolas in proprio idiomate, quo ad nos transmissae fuerint, publicabimus. Sic enim exactius historica veritas servabitur, regionum incolarumque indoles clarius patebit, et linguarum studium praesertim apud Ordinis nostri clericos ac juniores sacerdotes fovebitur atque

exercitio facilius evadet. Ut ab omnibus tamen cujusque epistolae argumentum saltem dignoscatur, singulis litteris summarium in lingua latina praeponemus.

—

PROSPECTUS MISSIONUM

inter infideles Collegii S. Rosae de Ocopa in Republica Peruana.

—

Summarium

Quatuor Reductiones inter infideles praedictum Collegium fundavit et conservat. De singulis sequitur brevis relatio: 1o St. Michael *de Cayarìa;* 2o S. Rosa *de Cachhiboya;* 3o Lima - Rosa *de los Piros;* 4o B. Virgo Maria assumpta *de Quillazù*

—

PROSPECTO

de las Misiones de infieles del Colegio de Santa Rosa de Ocopa en la Repùblica del Perù.

Las misiones de infieles del Colegio de Ocopa constan de cuatro pueblos de Conversiones, (*o Doctrinas*) y son los siguientes:

1°. San Miguel de Cayaria — Este pueblo està situado en la derecha del rio Cayarìa tributario del gran rio Ucayali, a distancia de un dia de camino; fuè fundado en 1869 por el R. P. Prefecto Fr. Vicente Calvo, con el objeto de convertir à los infieles Schipibos y Remos que vivian en las orillas del dicho rio. Se compone ordinariamente de unas 20 familias, como en nùmero de 100 almas, cristianos antiguos casi todos. Este pueblo tiende à perderse por consuncion, pues los indios por su caracter inconstante, cambian continuamente de residencia, mas en este pueblo en donde no encuentran la abu dancia de caza y pesca que ellos desean. El objeto que motivó la fundacion de este pueblo ha caducado por completo; pues los indios Schipibos se han retirado del todo, y los Remos se han alejado perseguidos por los mismos Schipibos, qnedando solo las pocas familias de cristianos Antiguos que habian sido traidos de otros pueblos para la fundacion de este.

2°. Santa Rosa de Cachhiboya — Este pueblo fundado en 1861 consta de unas 130 familias con cerca de 800 à 1000 almas. Dista 8 dias del Anterior, y unas 4 leguas del rio Ucayali. Este pueblo y el de Cayarìa constan de cristianos antiquos en disposicion de poder ser entregados al Ordinario Diocesano, pues ya no ofrecen ninguna garantia de mayor adelanto é instruccion.

3°. Lima-Rosa de los Piros — Situado en la orilla izquierda del rio Ucayali.

Para ir de esto pueblo à Cayarìa navegando por el rio se emplean 8 dias y 11 à Cachhiboya, y de regreso 20 y 28 dias respectivamente por navegar contra la corriente. En el año 1879 se trató de reabrir esta conversion reuniendo algunas familias de *infieles* de la tribu de los Piros que vivian desiminadas ya en las màrgenes del Ucayali, ya en lo interior del monte: solo 12 familias accedieron à las indicaciones de los PP. Misioneros, las que volvieron à reconstruir ò refaccionar algunas casas de su antiguo pueblo de Lima-Rosa — Con gran sentimiento de los PP. Misioneros hubo que abandonar esta nueva conversion en Setiembre de 1881; pues los Europeos que trafican en el Ucayali, y ocupan à los indios en su comercio los habian predispuestos contra los PP. — Sin embargo, al principio que el P. encargado de su conversion tenia con que satisfacer las necesidades y exigencias de los indios, no manifestaban repugnancia en sujetarse à lo que el P. Conversor disponia, y aun dieron esperanzas de que se lograria su conversion. Mas tan luego como el P. empezó à carecer de recursos principiaron por emigrar algunos indios, y como los comerciantes no dejaban de regalarles, y aun de infundirles ideas hostiles contra los Misioneros; los indios para deshacerse del P. se negaron en proporcionarle el alimento necesario y algunos de ellos se sublevaron para asesinarle; lo que felizmente no tuvo efecto. Por otra parte, por la gran distancia que separa este pueblo de los dos referidos de Cayarìa y Cachhiboya, no era posible atender con prontitud y facilidad al P. Conversor: Ni aun fué posible mandarle un compañero por la escasez de sujetos.

4°. Nuestra Sra de la Asuncion de Quillazù — Dista este pueblo 8 dias del Colegio de Ocopa. Hace poco que ha sido

reabierto por el infrascrito Prefecto con el consentimiento del Ven. Discretorio de Ocopa. Consta de unas 20 familias separadas en cortas distancias, y muchas mas en otros varios lugares de la misma tribu llamada de los Campas. Esta conversion ofrece muy buenas esperanzas; Los indios han edificado ya un conventillo para los PP. y una Capilla. En estos dias van à salir dos PP. para cultivar esa nueva viña del Senor.

Colegio de Sta. Rosa de Ocopa, 13 de Octubre de 1882.

Fr. Juan Pallàs, *Prefecto.*

EX RELATIONE

Collegii de Caxamarca in Republica Peruana

Summarium

1. Missiones inter infideles 2. inter fideles. 3. Tertius Ordo de Poenitentia. 4. Numerus Missionariorum 5. Observantia legum.

Cajamarca, Diciembre 29 de 1882.

Rmo Padre

1. .... Respecto à las Misiones de infieles este Colegio carece de ellas, tanto por la distancia que lo separa de aquellos, como por la falta de recursos que esperimenta este Colegio para ese objeto. Solo el R. P. Fr. Agustin Alemany miembro de esta comunidad se halla en los infieles.

2. Las misiones entre fieles se conceden en cuanto es posible, atendido el numero reducido de Misioneros que portenecen à este Colegio, habiendose misionado este año entre los fieles de Calluan, Cajabamba, Huamachuco, Sansal, Chanta y encontrandose actualmente desde hacen tres meses dos Misioneros misionando con el Ilmo Fr. José Masia, en diversos punctos. Sin embargo las circunstancias entre esta Republica y Chile no permiten estender mas el beneficio de las misiones, como se hacia en años anteriores.

3. La Tercera Orden de Penitencia està establecida en este Colegio, y regida por el M. R. P. Guardian. El numero de terciarios es de ciento cuaranta y nueve, y con la divina gracia producen los saludables frutos que se propuso N. S. P. S. Francisco.

Del mismo modo la Asociacion de los Sagrados Corazones establecida en nuestra iglesia y cuyo Director es el R. P. Vicario Fr. Pacifico Terrà, da gloria al Señor cumpliendo con el fin de su institucion. En las ciudades de Cajabamba y Huamachuco se ha establecida en este año la Tercera Orden contandose noventa y tres Terciarios entre ambas poblaciones.

4. Trece son los Misioneros petenecientes à este Colegio de Cajamarca.

Son hijos de este Colegio tambien un corista y cinco Hermanos Legos.

Hay tambien en este Colegio algunos jovenes estudiantes, (devotos) y varios hermanos donados. Deseando el Discretorio aumentar el numero, y mirando para el porvenir há encargado al R. P. Fr. Lucas de Garteiz, colectador actualmente por el Colegio de Lima, que con el consentimiento de V. Rma reuna y conduzca para este Colegio de Cajamarca, diez jovenes de *Coro.*

5. En este Colegio se observan con puntualidad el breve de N. S. P. Pio IX y todas las demas leyes, juntamente con la regla de N. S. P. S. Francisco; dedicandose cada uno de sus individuos al fiel desempeño de los cargos que la obediencia les designa.

Esto es Rmo Padre cuanto tienen que comunicarle sus muy reverentes y afmos hijos que B. S. M. y esperan la serafica bendicion.

Fr. Leonardo Mateu
Guardian y Padres Discretos.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

Breviarium Romano-Seraphicum — ex decreto Ss. Concilii Tridentini restitutum. S. Pii V Pontificis Maximi jussu editum, Clementis VIII et Urbani VIII auctoritate recognitum, Officiis trium Ordinum S. P. N. Francisci proprio loco assignatis, et novo Kalendario novisque Rubricis, Lectionibus, Orationibus etc. usque ad SS. D. N. Leonem PP. XIII approbatis locupletatum ac Reverendissimi P. Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis FF. Minorum post Seraphicum Patriarcham Ministri Generalis CI

sollicitudine impressum. Romae ex Typographia Monaldi et Soc. MDCCCLXXXIII.

Magna diligentia adhibita fuit, ut haec Breviarii editio accuratior fieret. Nova Officia propriis suis diebus posita sunt. Prout jam nuper notavimus, in singulis festis aliorum festorum citationes non occurrunt, excepto dumtaxat festo Cathedrae S. Petri Antiochenae, in quo Cathedra Romana citatur. Propterea Proprium de Tempore et Proprium Sanctorum hujus editionis commode in fasciculos ligari poterit; solummodo curandum est, ut dicta duo festa necnon singulae Octavae festorum integrae semper in uno eodemque fasciculo habeantur. Qui Breviarium in fasciculos ligare voluerint, pr majori commoditate sequentem modum sequi poterunt:

In ipso corpore Breviarii ponatur primo Psalterium. Post Completorium ponantur Homiliae Dominicarum post Pentecosten (pag. 811-834 incl.); deinde Commune Sanctorum. Proprium de Tempore in novem et Proprium Sanctorum in undecim fasciculos utiliter distribui poterit, sequenti modo:

Proprium de Tempore:

Fasc.	1)	pag.	133	—	224	incl.
»	2)	»	225	—	304	»
»	3)	»	305	—	386	»
»	4)	»	387	—	452	»
»	5)	»	453	—	528	»
»	6)	»	529	—	606	»
»	7)	»	607	—	688	»
»	8)	»	689	—	752	»
»	9)	»	753	—	810	»

Proprium Sanctorum:

Fasc.	1)	pag.	835	—	912	incl.
»	2)	»	913	—	992	»
»	3)	»	993	—	1072	»
»	4)	»	1073	—	1152	»
»	5)	»	1153	—	1228	»
»	6)	»	1229	—	1296	»
»	7)	»	1297	—	1360	»
»	8)	»	1361	—	1440	»
»	9)	»	1441	—	1524	»
»	10)	»	1525	—	1586	»
»	11)	»	1587	—	1656	»

Pretium est fr. 10 pro volumine non ligato, sed comprehensis transmissionis expensis intra Europam. Qui volumen e Curia ligatum exoptant, nonnisi ligaruram *in-totum* habere poterunt, et pro Fr. 13,50 *franco* pro Europa.

1883. Il Terz'Ordine Secolare di San Francesco D'Assisi, secondo le recenti disposizioni del Sommo Pontefice Leone XIII. Roma, Monaldi in 18 — (L. 0, 30) franco.

Novum hoc Manuale, iubente Summo Pontifice editum, continet Encyclicas litteras *Auspicato*, recentem Constitutionem *Misericors Dei Filius*, novumque Rituale Tertii Ordinis a S. R. C. approbatum.

Omaggio del Mondo cattolico a S. Francesco nella ricorrenza del VII Centenario dalla nascita 1882.

In ultimo fasciculo anni elapsi, pag. 190, sermo iam erat de publicatione omnium operum, sermonum panegyricorum, carminum, scriptorum accademicorum etc, quae occasione septimi Centenarii S. P. N. Francisci typis edita fuerunt, ut hac ratione eiusmodi documenta conserventur et posteritati transmittantur.

A. R. P. Raphael a Paterna, qui, approbante et benedicente Rmo P. Ministro Generali, dictam collectionem evulgabit, nuper scripsit Programma huius publicationis, ex quo sequentia communicamus.

Collectio habebit titulum: O*maggio del mondo cattolico a S. Francesco nella ricorrenza del VII Centenario dalla nascita 1882.*, i. c: Obsequium orbis catholici erga S. Franciscum, recurrente septimo Centenario ab eius nativitate. 1882.

Opus erit divisum in septem partes scilicet:

Pars I. — *Obsequium Hierarchiae catholicae erga S. Franciscum.* Post introductionem generalem et peculiarem communicantur litterae encyclicae Summi Pontificis *Auspicato* in textu latino et italico, et epistolae pastorales Episcoporum, quae ad Auctorem transmissae sunt vel adhuc transmittentur. Ex ista parte apparebit sapientia catholica, quam semper habuerunt Romani Pontifices aliique Ecclesiae Pastores.

Pars II. — *Obsequium Concionatorum erga S. Franciscum.* Communicantur omnes sermones panegyrici occasione Centenarii in honorem S. Francisci pronuntiati, sive iam editi, sive inediti, quos Auctor recepit, vel adhuc recipiet. Nunc habet in promptu quadraginta quinque sermones: alii ipsi sunt promissi. Ex ista operis parte patebit, sapientiam catholicam adhuc inveniri apud sacerdotes Ecclesiae, non obstantibus inimicorum declamationibus de Cleri ignorantia fabulantibus.

Pars III. — *Obsequium Cleri saecularis et regularis atque fidelis populi erga S. Franciscum.* Ista pars erit manifestatio fidei, quam Fideles semper monstrant, quoties ad eam publice profitendam invitantur. Continebit relationes de solemnitatibus ubique terrarum in honorem Seraphici celebratis. Patebit, festa religiosa, summopere hisce temporibus impugnata, esse magnae utilitatis moralis et materialis pro populis, non autem damni, prout hodie saepius declamatur.

Pars IV. — *Obsequium Ephemeridum erga S. Franciscum.* In hac parte referentur quae ephemerides in honorem S. Francisci scripserunt et quae magna ex parte apologiae Religiosorum fuerunt.

Pars V. — *Obsequium poetarum, erga S. Franciscum.* Exhibebit actus publicos academicos Assisii, Florentiae, Neapoli, Panormi, Nethi, et alibi in honorem S. Francisci celebratos ac dein flores poeticos filiorum eius. Demonstrabitur iustum fuisse, ut S Franciscus etiam hoc modo celebraretur, quia primus fuit qui per cantica sua divino amore referta, poesiae italicae dedit incitamentum.

Pars VI. — *Obsequium artium et scientiarum erga S. Franciscum.* Describentur monumenta S. Francisco Neapoli et alibi erecta. Recensebuntur lithographiae, photographiae, oleographiae etc., hac occasione publicatae necnon opera scientifica edita ac recensiones scriptas de iis in foliis publicis.

Pars VII. — *Obsequium caritatis in honorem S. Francisci.* Narrabuntur prandia, quae a Religiosis et benefactoribus in honorem S. Francisci sunt ministrata.

Hoc opus publicabitur in fasciculis (in 8°) 64 paginarum. Singulis mensibus duo fasciculi edentur, die scilicet 15 et 30 mensis. Pretium pro quolibet fasciculo erit *una Lira* (vel *Fr. unum*). Sacerdotes, si maluerint, pro quolibet fasciculo unam Missam applicare poterunt.

Associatio obligat solummodo pro una operis parte.

1882. St. Francis' Manual for members of the Third Order arrunged by a Father of the Order of St. Francis (Province of the sacred Heart) with approbation of His Eminence Cardinal Mac Closkey. New York s, Cincinnati, Fr. Pustet. (Manuale S. Francisci pro sodalibus Tertii Ordinis a Patre Clementino Dreymann Ordinis Sti. Francisci, Provinciae ss. Cordis), cum approbatione Eminentissimi Card. Mac Closkey.

1883. Sui Vizi capitali dell'insegnamento scientifico. Riflessioni del P. Venceslao Pieralisi da Iesi, de' Minori Rif. Pesaro, Tipog. Federici. (L. 2, 50).

1875. La Religione in pratica, corso completo di Istruzioni catechistiche del P. Eugenio Pisatti, Min. Oss., Parroco di S. Tomaso in Torino, 5 vol. in 12. — Torino, libreria ecclesiastica del Cav. Pietro Marietti, Corso Vittorio Emmanuele II n. 104. (L. 20).

Fratribus nostris eadem conceditur pretii reductio quae fieri solet ipsis bibliopolis.

1881. Histoire de Ste Colette et des Clarisses en Bourgogne (Auxonne et Seurre) d'après des documents inédits et des traditions locales, par l'abbé J. Th. Bizouard, ammonier de l'hôpital d'Auxonne, ouvrage orné de trois gravures. Paris, René Haton, éditeur, 33 rue Bonaparte, in 8. pag. 296.

1882. Cristoforo Colombo in Portogallo. Studi critici del P. Prospero Peragallo, Min. Rif. — Genova, Tip. del R. Istituto Sordo muti in 8. (L. 3).

1883. Sacra Novena in onore del Serafico Taumaturgo S. Antonio di Padova. — Torino, Cav. Pietro Marietti in 32. (Cent. 10).

Pretium accipitur in favorem Ecclesiae S. Antonii in civitate Taurinensi aedificandae.

1883. Il Congresso dei Signori e il Terz' Ordine di San Francesco. Discorso del Cardinale Alimonda, tenuto nella chiesa di Donnaregina in Napoli, il 19 Aprile 1883. Napoli, Tip. ed. degli Accatoncelli, S. Raffaele; in 8 pag. 64. (L. 1, a benefizio dell' *Ospizio Marino* per i fanciulli scrofolosi poveri).

Praeclara haec eminentissimi oratoris concio optima est interpretatio Encyclicae *Auspicato*, et eximia cum eloquentia Tertii Ordinis S. Francisci encomium potius canere quam narrare videtur.

1883. Pellegrinaggio spirituale al sacro monte della Verna, per G. Olmi. — Genova, Tip. Arcivescovile, 1 vol. in 18, pag. 110.

V.

NECROLOGIA

—

Illustrissimus et Reverendissimus Dnus Antonius Vincentius Testa, *Episcopus Signinensis*. Natus die 7 Julii 1820 in dioecesi Tiburtina, habitum franciscanum in Conventu Corensi, Observantis Provinciae Romana, induit anno 1833, et solemnem professionem emisit, quum vix aetatem canonicam attigisset. In Religione Fr. Antonius a *Castro madama* nomen habuit.

Philosophiae studio in Conventu Aracoelitano, et theologiae in Conventu Montis prope Perusiam, summa cum laude operam navavit. Praevio concursu iuxta Ordinis Constitutiones, dignus habitus est qui philosophiam primum et deinceps theologiam doceret in Conventu Ferrariensi, et exinde anno 1852 Romam a Superioribus missus est, ad Cathedram Controversiarum tenendam in Conventu S. Bartholomaei.

Quum autem animi cordisque dotes eum magis magisque commendarent, anno 1856 Parochus eiusdem basilicae Sti Bartholomaei

electus fuit, et hoc munere cum zelo et animarum fructu perfunctus est, quin a Magisterio tamen cessaret. Eodem tempore Procurator Missionum Ordinis pro Observantibus renuntiatus fuit, ac simul S. C. Indulgentiarum Consultor.

Deo tandem ad maiora vocante, anno 1875, Pius IX Parochum S. Bartholomaei Episcopum titularem Botrensem creavit simulque Coadiutorem Episcopi Signinensis, cui anno 1877 revera successit. In eximio Praelatorum ordine zelo et virtutibus ita emicuit, ut, ipso defuncto nonnulli Romanae Urbis ecclesiastici viri conclamarent Sedem Signinensem haud facile Praesulem tam industrium tantisque virtutibus praeditum esse in posterum habituram. Dioecesis etenim administrationem renovavit; cathedralis ecclesiae munditiem et ornamentum curavit; monialium disciplinam firmavit, praesertim vero Ecclesiae iura alacriter defendit. Hac de causa multa passus est incommoda et contradictiones, ex quibus forte dies eius breviati sunt. Quum mense Aprili proxime elapso, Romam venisset, animam corpusque aliquantulum inter Confratres, uti aiebat, recreaturus in Conventu S. Bartholomaei repentina febre apoplectica correptus, die 22 eiusdem mensis e vita migravit. Copiosam pecuniae summam Ecclesiae Signinensi reliquit, bibliothecam vero propriam Conventui S. Bartholomaei assignavit.

Quum eius encomium in ecclesia cathedrali Signinensi, celebrarentur, defunti Praesulis caritatem, iustitiamque laudavit orator, et sequentibus verbis indolem expressit: « amabilis fuit absque ostentatione; simplex sine simulatione, et in tantum misericors quantum ejus officio liceret. Attamen, si aliquando sibi videretur bonitatem suam contemni, fortem animo et tenacem propositi virum se ostendebat, dicere tunc solitus: « Officium ego « adimplere cogor; divina Providentia cui exi- « tum commendo, caetera disponat. »

—

Nuperrime Romam pervenit lugenda notitia de morte duorum etiam aliorum Ordinis Praelatorum, qui sunt Illustrissimus et Rmus D. Eustachius Vitus Modestus Zanoli, Vicarius Apostolicus Hupé Orientalis, vita functus die 17 Maii 1883, et Illustrissimus ac Rmus Ludovicus Maria Lembo, Episcopus Cotronensis, in Italia, mense Junio defunctus. Amborum animas Fratrum precibus commendatas volumus, et in proximo fasciculo eorumdem necrologiam publicabimus.

—

A. R. P. Cyprianus a Tarvisio natus est die 17 Julii 1835 et Ordinem nostrum ingressus in Observanti Provincia S. Antonii Venetiarum die 8 Decembris 1852. Ob egregiam ejus indolem Rmus P. Minister Generalis Bernardinus a Montefranco, qui S. Visitationis causa ad dictam Provinciam venerat, eum secum duxit Romam, *ubi in* Conventu Aracoelitano cursum theologicum cum laude absolvit ac deinde, peracto publico concursu, Lector Generalis declaratus, S. Theologiam in Provincia sua nativa docuit usque ad suppressionem Conventuum in ditione Veneta peractam anno 1866. Missus deinde in sacram Custodiam Terrae Sanctae, Hierosolymis per sex circiter annos officio Lectoris S. Theologiae functus est. Dein Commissario Terrae Sanctae tunc temporis Venetiis defuncto, P. Cypriano Commisseriatus officium fuit concreditum, quod ferventi zelo et eximio erga sacra Palaestinae loca amore usque ad mortem laudabiliter et magno cum fructu gessit. Eodem tempore simul Commissarii et Visitatoris Tertii Ordinis officio functus est, multumque in cura animarum, praesertim in praedicandis missionibus adlaboravit. Plura opera egregia publicavit, inter quae eminent *Elucidatio historica, theologica et moralis* P. Quaresmii, quam denuo edidit multis ac doctis annotationibus auctam et illustratam, nec non liber *de vera forma S. Sepulchri*. Ob ejus doctrinam, prudentiam, animarum zelum et cordis suavitatem omnibus carus fuit. Laboribus in praedicatione divini verbi exantlatis fractus ac gravi et diuturno morbo correptus pie in Domino obdormivit, die 28 Julii in Conventu B. M. V. Miraculorum Mottae. Sit in pace locus ejus, et habitatio ejus in sancta Jerusalem.

Nihil obstat
Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

DECRETUM S. R. CONGREG.

quo indulgentur Officia Votiva per annum loco Ferialium Officiorum, et festa Commemorationis S. Pauli apostoli ac SS. Angelorum Custodum ad ritum duplicem maiorem elevantur.

URBIS ET ORBIS

Per Apostolicas Litteras in forma Brevis die 28 Iulii superiore anno editas (1) Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII, sententiam confirmans specialis Sacrorum Rituum Congregationis a se constitutae, cum aliquot Sanctorum atque etiam Beatorum Officia Kalendario universalis Ecclesiae, nec non Kalendario particulari Urbis addidisset; *quo in utroque Kalendario habeantur sedes liberae ad nova officia introducenda,* Rubricam generalem Breviarii Romani *Tit. X de Translatione Festorum* immutandam praecepit, demptis videlicet translationibus Festorum Duplicium minorum (exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum), et Festorum Semiduplicium. Itaque specialis ipsa Congregatio diebus 23 Iunii et 2 Iulii vertentis anni iterum coadunata est ad perficiendam, iuxta praefatam normam, textus Rubricarum correctionem. Nutu autem eiusdem Sanctissimi Domini Nostri, nonnulla insuper perpendere debuit immutatae Rubricae consectaria, quae novam aliquam opportunam dispositionem prorsus requirere censebantur. Compertum quippe est, coarctata translationum serie, superesse quidem, iuxta novae editae legis finem, sedes quamplures omnino liberas ad nova officia in Kalendariis introducenda; interim tamen haud leviter inde augeri onus Officiorum Ferialium; quod, imminuto hodie Cleri numero auctisque aliis eius oneribus, minime convenire existimatur. Quemadmodum praeterea nuper Sanctitas Sua, ad evitandum ne Officia Sanctorum Benedicti Abbatis, Dominici et Francisci Confessorum, vigore immutatae Rubricae, saepe ad simplicem ritum reduci aut penitus omitti debeant, illa, attenta etiam tantorum Fundatorum praestantia, ad ritum Duplicis maioris elevavit; ita pariter censetur providendum quoad Festa Commemorationis Sancti Pauli Apostoli et Sanctorum Angelorum Custodum, perpensa peculiari utriusque Officii qualitate, nec non specialibus Rubricarum privilegiis, quibus ea hactenus gavisa sunt. Tandem animadvertere, hac oblata occasione, licuit, Commemorationem de Octava Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli impediri Festo Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi ritus Duplicis secundae classis, ac Festo Visitationis Beatae Mariae Virginis ad eumdem ritum recenter elevato. Quod aegre ferendum Romae iure merito putatur, quam beatissimi Apostolorum Principes supra omnes mundi civitates tantopere nobilitaverunt, constituto ibi catholicae unitatis centro, supremoque et indefectibili veritatis magisterio.

Sacra igitur specialis Congregatio, hisce omnibus maturo examine perpensis, de singulis, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, ita decrevit:

I. Detur Indultum Generale tam Capitulis et Ecclesiasticorum Communitatibus quibuscumque, quam singulis de utroque Clero, persolvendi Officia Votiva per annum loco Officiorum Ferialium, praeterquam in Feriis,

(1) Cfr. *Acta Ordinis,* ann. I. p. 161.

Quarta Cinerum, totius tempore Passionis, ac Sacri Adventus a die 17 ad 24 Decembris inclusive: quoad choralem quidem recitationem de consensu Capituli seu Communitatis ab Ordinario semel pro semper adprobando; quoad privatam vero recitationem, ad libitum singulorum de Clero. Officia autem huiusmodi Votiva per annum, Missis Votivis in Missali Romano positis fere respondentia, haec pro singulis hebdomadae diebus adsignantur, nimirum: pro Feria II de Angelis, Feria III de Sanctis Apostolis (Romae vero de Ss. Petro et Paulo), Feria IV de S. Ioseph Sponso Beatae Mariae Virginis Catholicae Ecclesiae Patrono, Feria V de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, Feria VI de Passione Domini Nostri Iesu Christi, Sabbatho de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione. Officia ipsa a Sacrorum Rituum Congregatione adprobanda erunt atque edenda. Firmis remanentibus aliis Votivorum Officiorum Indultis quibuscumque iam concessis:

II. Festa Commemorationis S. Pauli Apostoli die 30 Iunii, et Ss. Angelorum Custodum die 2 Octobris, a ritu Duplicis minoris ad ritum Duplicis maioris eleventur pro universa Ecclesia:

III. De festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, die 29 Iunii, Romae agatur Commemoratio singulis Octavae diebus, quocumque Festo occurrente.

Facta autem de praemissis per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII fideli relatione, Sanctitas Sua hoc Sacrae ipsius Congregationis Decretum, indulgendo singula in eo contenta, in omnibus adprobavit et confirmavit, atque evulgari iussit. Die 5 eiusdem mensis Iulii et anni 1883.

D. Card. Bartolinius S. R. C. *Praefectus*

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. *Secretarius.*

DECRETUM SACR. CONGR. INDUL.

Quo conceditur Indulgentia tercentum dierum recitantibus adnexam orationem S. Ignatii.

Beatisssime Pater,

Petrus Beckx, Praepositus generalis Societatis Iesu, ad pedes S. V. provolutus, quam humillime petit, ut infrascriptae orationi *Suscipe* ex sancti Ignatii libello Exercitiorum desumptae, aliquam indulgentiam, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus lucrandam, adnectere dignetur.

Pro qua gratia, etc.

« Suscipe, Domine, universam meam li-
« bertatem. Accipe memoriam, intellectum at-
« que voluntatem omnem. Quidquid habeo vel
« possideo, mihi largitus es: id tibi totum re-
« stituo ac tuae prorsus voluntati trado gu-
« bernandum. Amorem tui solum cum gratia
« tua mihi dones et dives sum satis, nec aliud
« quidquam ultra posco. »

Ssmus Dominus Noster Leo Papa XIII, in audientia habita die 26 Maii 1883 ab infrascripto substituto Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote praefatam orationem recitaverit, indulgentiam tercentum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem sacrae Congregationis die 26 Maii 1883.

Al. Card. Oreglia a S. Stephano Praef.

Iosephus M. Canonicus Coselli *Substitutus.*

DECRETUM S. C. INDULGENTIARUM

quo designantur dies Benedictionis Papalis et bonorum communicationis in anno Chordigeris elargiendae.

Bme Pater

Quum Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita Decreto (1) dato 21 Martii 1879 a SSmo Dno Nostro Leone Papa XIII approbato constituerit Chordigeris loco absolutionis generalis dari solitae alumnis nonnullorum Ordinum vere Regularium, Plenariam Indulgentiam esse concedendam quater in anno diebus a Summo Pontifice designandis et pro communicatione bonorum operum cum Sodalibus Tertii Ordinis S. Francisci Assisiensis pariter quater in anno, Papalis vero Benedictionis privilegium semel in anno tantum,

(1) Cfr *Acta* praesentis anni, pag. 23. ad 13.

Praeses generalis pii operis a S. Francisco Salesio nomen habentis supplex adit S. V. ut dies, quibus praefati Chordigeri, quorum plurimi adnumerantur inter sodales praedicti pii Operis S. Francisci Salesii, gaudere possunt plenaria Indulgentia loco absolutionis generalis nec non privilegio Benedictionis Papalis clementer designare dignetur.

Quam gratiam etc.

Sanctissimus Dnus Noster Leo Papa XIII in Audientia habita die 26 Maii 1883 ab infrascripto Substituto Secretariae S. Congreg. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne indulsit ut Chordigeri praefata Indulgentia nec non communicatione bonorum operum elargienda iuxta formulam praescriptam ab hac S. Congreg. Indulgentiarum decreto diei 25 Februarii 1739 incipiendo ab iis verbis « Communicamus vobis, Fratres, orationes, ieiunia etc. » gaudere valeant diebus festis S. *Francisci* Assisiensis, S. Clarae Virginis, S. *Antonii* Paduani et SS. Stigmatum S. Patris Francisci; privilegio autem Benedictionis nomine Summi Pontificis elargiendae in festo Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis, dummodo vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti per aliquod temporis spatium iuxta mentem SS. pie oraverint. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secreteria eiusdem Sac. Cong. diei 26 Maii 1883.

AL. CARD. OREGLIA A S. STEPHANO
Praefectus
IOSEPH M. Can. COSELLI *Substitutus.*

(Ita reperitur in Regestis S. Congregationis, Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc, Ex Secreteria eiusdem Sac. Congreg. die 30 Iulii 1883.
Iosephus M. Coselli Can. *Substitutus.*)

—

DECRETUM S. C. INDULG.
quo sanantur Viae Crucis erectiones omnes hucusque invalide erectae.

Beatissime Pater,

Fr. Bernardinus a Portu Romatino totius Ordinis Minorum Minister Generalis, ad pedes Sanctitatis Suae provolutus humiliter exponit, ex publicata in ephemeride cui titulus: *Acta Ordinis Minorum* instructione de Stationibus S. Viae Crucis erigendis fuisse compertum, eiusmodi Stationes non semel invalide erectas fuisse.

Quum autem admodum difficile videatur, ut huiusmodi erectiones renoventur, hinc ne fideles visitantes tales Stationes invalide erectas, indulgentiis a S. Sede concessis privati existant, humiliter supplicat Orator, ut Sanctitas Sua omnes S. Viae Crucis Stationes hucusque invalide erectas, convalidare ac ratas habere dignetur.

Quam gratiam etc. etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro Leone Papa XIII tributarum, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita defectus omnes, de quibus in supplici libello, benigne sanavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 31 Julii 1883.

A. CARD. BILIO.

Franciscus della Volpe, Secretarius.

—

NOVI EPISCOPI ORDINIS

In ultimo Consistorio diei 9 Augusti 1883, Illustrissimus et Rmus P. IOSEPHUS SEBASTIANUS NETO, natus in Lagis, dioec. Pharanensis in Portugallia, die 8 Februarii 1841, et a die 22 Septembris 1879, episcopus Angolensis et Conghensis, in Africa, ad sedem patriarchalem Ulyssiponensem evectus est. Rmus D. NETO, in Seminario apostolico Varatoiano, dioecesis Ulyssiponensis, inter Minores ObservantesRegulam S. Patris Francisci iam voverat

In eodem Consistorio, Rmus P. Fr. IOSEPHUS RICO, Minorum Observantium Provinciae SS. Petri et Pauli de Mechoacan in Mexico, iam Novitiorum Magister, Guardianus in Conventu Queretarensi et Minister Provincialis, electus est episcopus de *Sonora* in eadem Republica.

—

II.

ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES DISPERSOS

INCITAMENTA SERAPHICA

IX

Spiritus Seraphicus Provincias suppressas aut devastatas saeculo XVI non dereliquit sed eas potius mirifice collustravit.

Mirati sumus egregia facta Fratrum Minorum tempore persecutionis saeculi XVI, eaque non immerito spiritui seraphico quo fuerunt repleti duximus adscribenda.

Zelus Religionis sive purae Regulae observantia in omnibus fere Provinciis adeo tunc vigebat, et Religiosorum corda tanto ardore penetraverat, ut sicut Apostoli repleti Spiritu Sancto et sacrum conventus coenaculum relinquere coacti, ignem celestem quo ardebant ubique accenderunt, tum sanctae conversationis exemplo tum Verbi Dei fervida praedicatione.

Tam universalis fuit tunc temporis eorum apostolatus tantisque benedictionibus cumulatus, ut de eis dici possit sicut de discipulis Christi: *Illi autem praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* (Marci XVI. 20.)

Nec in sanctis illis laboribus unquam deferbuerunt, sed constantes in eis perseverarunt quamdiu terribilis illa perduravit persecutio; ex quo merito inferemus spiritum seraphicum in illis Provinciis vividum permansisse.

Clarissimus Pater Fortunatus Hueber in suo Menologio Ordinis, *octavo Idus Februarii VI* de hoc argumento tractans paucis sed energicis verbis mirabiles illos labores complectitur. Postquam praeclariores Patres recensuerit qui in variis regionibus Germaniae Superioris et Inferioris salvificum suum ministerium stupendo cum fructu exercuerunt, ita prosequitur:

« Innumeri alii ex Franciscano Ordine fuerunt Patres, Lectores, Praedicatores, Confessarii atque operarii, qui pullulantibus hereticae hydrae capitibus, per omnes aquilonares provincias ac regiones, tota virtute sese opposuerunt. Erat tunc intenso zelo occupatissimus Ordo S. Francisci in succrescentibus Romanae Ecclesiae zizaniis evellendis et perniciosae haeresis radicibus extirpandis de foecundissimo Christianitatis agro. Vix amplius nominata in S. R. Imperio civitas, natio, domus, provincia aut familia prodibunt, quae non ultro agnoscat et fatetur, se a D. Francisci Religiosis in materno avitae Ecclesiae gremio vel fuisse conservatos, vel ab haereticis invasionibus defensos. (1)

Multiplex Francisciadum Martyrum sanguis, fatales persecutiones, cordatae praedicationes, victoriosae disputationes, religiosa conversatio, rigorosa Regulae observantia, exemplaris vita, penetrantia colloquia, indelebilis devotio, insatiabilis animarum zelus, amor et sermo Dei omnipotens, nunquam cessaverunt, S. R. Imperio, sceptris et coronis, provinciis et dominiis, satrapis et subditis, sublimibus et humilibus, denique omnibus omnia fieri, purum salvificae Fidei aurum, viam Dei in veritate docere, oppugnare et expugnare haereses, annuntiare vitia et virtutes, poenam et gloriam. »

Quam gloriosa sint haec pro Ordine nostro, nemo non videt; sed quam verum et exploratum sit, quod praefatus Hueber tuetur, ea Fratrum nostrorum sanctae conversationi et spiritui vere seraphico, adiuvante gratia, esse tribuenda, nullus dubitare potest nisi in rebus fidei plane sit ignarus. Quod enim ad instar testamenti pridie mortis suae Apostolis suis enuntiavit Salvator dicens: *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* (Joan. XV. 5), id pari ratione omnibus Dei ministris dictum esse voluit. His verbis nos edocuit, nullum animarum saluti efficaciter allaborare posse, nisi supremo omnium Pastori Jesu Christo sit coniunctus, non modo fide et charitate, sed et debita cum Ipsius voluntatis conformitate et fideli obligationum suarum adimpletione, iuxta illud: *Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis et fiet vobis.* (*Ibid.* V. 7.)

Id ipsum docet Salvator, (*Matthaei cap. VI*

(1) Sic variis Lutheri aliorumque haereticorum erroribus infecta Bohemia felicitatem suam magna ex parte adscribi Franciscanis, qui seraphico spiritu accensi sub Ferdinando I Imperatore 15 millia, sub Ferdinando II intra quadriennium 10 millia haereticorum et adhuc plures sub Ferdinando III Romanae conciliarunt Ecclesiae.

18...) Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.

Quod igitur magna pars Franciscanorum illius temporis veri permanserint in saeculo Religiosi, Regulae suae et obligationibus sui status addicti, quinimo ferventes in Dei servitio, ex hoc solo deducere licet, quod tam ardenti zelo gloria Dei et animarum salute fuerint accensi, et quod tantum bonum Dominus per eos operari dignatus sit, ita ut de illis dici possit: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (Matth. VII. 20.)

Non est proinde dubitandum quin, in mundo vivere coacti, summis etiam habuerint in votis, vitae coenobiticae quietem repetere et quae vocationis suae erant sub sancta disciplina perfecte adimplere. Nisi enim sinceram saltem voluntatem ad conventum, data occasione, redeundi, habuissent, minime in Deo eiusque gratia permansissent, sed ei potius restitissent. Multum proinde abest quod tales aliquem fructum afferre potuissent, ut e contra hanc gravem Salvatoris vindictam in se derivare fecissent: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum et in ignem mittent et ardet* (1). (Joan XV. 6.)

Absit a nobis tale quid cogitare de Provinciis praefato saeculo devastatis! Dicamus potius eas toto illo tempore seipsas impendisse et superimpendisse pro salute animarum, ut tamquam veri filii S. Francisci obedirent mandato Rmi Patris Pauli Soncinas Ministri Generalis, qui in Capitulo Generali anni 1521 omnibus et singulis Franciscanis mandaverat, ut Luthero eiusque asseclis in publicis cathedris omni modo *usque ad effusionem sanguinis* resisterent et praescriptis precibus eorum conversionem obtinerent; cuius paternum mandatum omnium admiratione tam fortiter et tam constanter explere conati sunt.

Utinam religiosam eorum conversationem tempore suppressionis factis etiam historicis pro voto confirmare possemus! Sed, eheu, de hoc maxime doluit ipse Rmus Franciscus Gonzaga in egregio suo opere: *De origine seraphicae Religionis Franciscanae eiusque progressibus,* dum de provinciis tunc suppressis aut devastatis loquens declarat quod, saeviente persecutione, documentis conventuum combustis aut deperditis, et ipsis Fratribus continuis angustiis et periculis, expositis, vix ullam aliam relationem de statu illarum Provinciarum habere potuerit praeter eam quam de factis eorum heroicis nos ipsi commemoravimus.

Certum interim est quod Religiosi tunc temporis modis omnibus conventus suos servare conati sint et nonnisi summa violentia ex eis fuerint expulsi.

Violenter autem eiecti ad aliud monasterium se recipere non poterant, quod vix suis Fratribus in his angustiis poterat providere et alios recipiendo gravibus exponebatur periculis.

Hoc saepius innuit praefatus Gonzaga, nec ullibi exprobrat Religiosis tunc suppressis quod vagarent in saeculo, cum optime sciret in quibus difficillibus adiunctis versarentur.

Ab altera parte Provinciarum suppressarum aut quae plus minusve erant ab hereticis devastatae, merita extollere non cessat. Sic de Provincia Austriae loquens non modo celebriores Patres eius commemorat, sed in peculiarem laudem huius Provinciae addit: « Reliquorum vero Patrum ac Fratrum, qui sanctitate, generis nobilitate et eruditione hac in Provincia claruere, infinitus est numerus. » Nec minori admiratione loquitur de Provinciis utriusque Saxoniae, videlicet S. Crucis et S. Joannis Baptistae. De devastatione prioris disserens ita gemens exclamat: « Proh dolor, anno Domini 1524 omnes fere Franciscani Fratres a Lutheranis hereticis expulsi, caesi atque miserrime afflicti sunt, et eorum loca occupata fuerunt. Sicque miserrime iacet desolata atque moerore confecta antiquissima, amplissima atque florentissima Saxoniae Provincia. »

Non omnes tamen eius conventus numero 41 simul fuerunt suppressi, sed sensim sine sensu, ita ut anno 1559 ad quatuor essent redacti, dum Provincia S. Joannis Baptistae huic omnino contigua, iuxta Gonzagam, tunc iam extincta habebatur, quamvis adhuc Fratres aliquot dispersos superstites numeraret. Jam vero de his loquens quaedam dicit Rmus Auctor in eorum laudem, quae, uti nobis videtur, de Fratribus suppressis aliorum Provinciarum

(1) Haec terribilia verba serio recogitent Fratres, si quidam adfuerint, suppressi et in saeculo vagantes contra voluntatem Superiorum, a quibus, sicut palmites a vite, separati, non arescere et non perire non possunt.

etiam protulisset, si non timuisset continua horum repetitione taedium ingerere lectoribus. De hac igitur Provincia ita loquitur:

« Cum habeatur extincta nihil de ea dicemus, nisi quod haereticorum tyrannidi atque rabiei, eius Fratribus hinc inde dispersis profligatisque cesserit. Non cessant interim pauperculi ipsi Fratres, qui ex copioso olim numero residui sunt, licet sub caprinis pellibus delitescentes a sacramentorum ministerio: imo quoties in campis vel in saecularium penetralioribus sese occasio offert, vel coram Christi fidelibus et orthodoxis sacra operantur, vel sacras eorum confessiones excipiunt, vel illis aliquid de sacro Evangelio proponunt, vel etiam eorum exanimia corpora sepulturis de christiano more tradunt; quibus denique exercitiis victum atque amictum in proprii vultus sudore acquirunt merenturque. »

Quae de his Fratribus superstitibus narrat Gonzaga, indubie probant spiritum religiosum in eis permansisse, etiam diu postquam fuerant suppressi. Neque aliter iudicandum est de multis aliis Provinciis suppressis (1) Germaniae et Austriae, uti et Bosniae et vicinarum regionum, quae eodem hoc saeculo tot et tanta a Turcis passa sunt et tam heroica fortitudine sub S. Francisci vexillo fidem catholicam contra eos defenderunt.

Verum quod maxime probat spiritum seraphicum in his Provinciis devastatis aut suppressis vividum permansisse easque mirifice collustrasse, est gloriosa earum in integrum restitutio, simul ac persecutionis saevities aliquantulum sedare contingeret.

Superstites illae palmites franciscanae omnem suam vitam conservaverant; unde factum est, ut, amotis obstaculis, brevi tempore viridos suos ramos ubique extenderint et mirabiliter propagaverint. Et vero, quis non mirabitur, si paucis annis post violentam illam persecutionem videat Catalogum Provinciarum quae in dictis regionibus aut fuerunt repristinatae, aut strictiorem vivendi modum sive Reformatorum sive Recollectorum assumpserunt, aut de novo fuerunt erectae!

(1) Hoc intelligas quoad magnum saltem numerum Religiosorum; semper enim fuerunt tepidi et salutis suae incurii praesertim inter Fratres dispersos et in saeculo degentes.

Haec nullus explicare valebit, nisi pro certo habeat ab una parte, Patres tum superstites religiosum animum conservasse et vitae coenobiticae cupidos permansisse, et ab altera parte eos fuisse in magna aestimatione apud populum catholicum propter praeclara virtutum exempla tempore persecutionis eis exhibita.

Hac de re praeclarum habetur testimonium in Prologo ad Statuta Provincialia Almae Provinciae Saxoniae S. Crucis ubi legitur: « Post luctuosam amplissimae ac florentissimae Provinciae Saxoniae S. Crucis deiectionem, quando ab annis circiter septuaginta per *iniuriam invalescentis* haereseos disiecta fuerat (1), Dei tandem Providentia, et seraphici Patris Nostri S. Francisci meritis, nec non pio Patrum Provinciae Coloniensis et animoso labore eadem haec Provincia Saxoniae denuo erecta est, sedente Romano Pontifice Urbano VIII, *applaudentibus omnibus Principibus Catholicis, ad quorum ditiones haec renascens Provincia tunc extendebatur.* »

Idem coniicere licet de aliis Provinciis iam recensitis quae tam mirabili modo fuerunt repristinatae et tantopere floruerunt saeculo XVII, tum exacta Regulae observantia et animarum zelo, tum sacrarum litterarum omnigena cultura.

Tanta gaudebant fama apud Christi fideles veri illi filii S. Francisci, ut summa exultatione iterato eos receperint eisque necessaria ad conventuum instaurationem aut erectionem abunde contulerint. Ita semper experientia comprobatum videmus id quod S. N. Patriarcha Fratribus suis praedixit dicens: « Commercium est inter mundum et Fratres. Debent enim ipsi bonum exemplum, debet eis mundus provisionem necessitatum; quando autem ipsi retraxerunt bonum exemplum, fide mentita, retrahet mundus manum iusta censura. (2) »

(Continuabitur)

(1) Recole, dictam Provinciam iam ab anno 1524 fuisse devastatam, sed anno 1559 adhuc quatuor conventus habuisse.

(2) Collatio V

INSTRUCTIO
de
STATIONIBUS S. VIAE CRUCIS ERIGENDIS.
(Continuatio)

De Benedicendis Crucifixis cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis, necnon de legitimo eorumdem usu.

33. Absolutis iis, quae ex proposito nobis fine in ordine ad Stationes S. Viae Crucis consideranda videbantur, superest ut explicentur leges, quae respiciunt benedictionem Crucifixorum, qui Viae Crucis vulgo dicuntur, necnon eorumdem legitimum usum.

34. Usus Crucifixorum Viae Crucis vulgo nuncupatorum originem sumpsit incipiente anno 1773, postulantibus alumnis Franciscalis coenobii S. Bonaventurae in Urbe ac SSmo Domino Clemente Pp. XIV benigne concedente. Considerantes enim praedicti coenobii Fratres plures impossibilitate visitandi Stationes S. Viae Crucis canonice erectas praepediri, quominus indulgentias pio S. Viae Crucis exercitio adnexas lucrentur, ac de adhibendo remedio solliciti has, quae sequuntur, supplices litteras S. Sedi porrexerunt:

« Infirmi, navigantes, carceribus detenti, « et illi, qui morantur in partibus infidelium, « aut legitime impediuntur, quominus possint « visitare sacram Viam Crucis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, suppliciter petunt « hanc consolationem, ut possint lucrari indulgentias dictarum Stationum, quando reperiuntur in statu dictarum tribulationum, « recitando 14 *Pater* et *Ave* et in fine 5 *Pater* et *Ave* in memoriam divinae Passionis « manu tenentes Crucifixum aereum, benedictum tamen ab aliquo Guardiano, aut Superiore maiori, subdito Reverendissimo Patri « Generali totius Ordinis in conventu Aracoeli. « Quam gratiam etc. » Has preces laudatus Summus Pontifex clementissime excipiens in Audientia diei 26 Januarii 1773 *benigne annuit pro gratia iuxta petita. Contrariis etc* (1).

35. Ex citato igitur documento benedicendi crucifixos cum applicatione indulgentiarum S. Viae Crucis facultatem habent Rmus P. Minister Generalis, Patres Ministri Provinciales aliique Superiores in Ordine maiores, necnon Patres Guardiani conventuum. Quoad Praesides ac Vicarios, quorum facultas hac in re, considerato supra memorato concessionis documento, saltem admodum dubia videri debet exstat specialis concessio s. m. Pii Pp. IX per Breve EXPONENDUM diei 11 Augusti 1863, in quo haec leguntur: « Nos fidelium com« modo, quantum in Domino possumus, con« sulere et piis huiusmodi precibus obsecun« dare volentes, Praesidibus nunc et pro tem« pore existentibus in conventibus Fratrum « Ordinis Minorum S. Francisci, qui Guar« dianos non habent; necnon Vicariis con« ventuum eiusdem Ordinis, qui, absentibus « Guardianis, respectivi Guardiani vices gerunt, « facultatem memoratam, quae ab hac S. Sede « alias Ministro General, Provinciali et cuivis « Guardiano praedicto Ministro Generali subdito « concessa fuit benedicendi cruces cum adnexis « indulgentiis Stationum Viae Crucis seu Calva« riae, dummodo tamen omnia quae praescripta « sunt ab eis serventur, tenore praesentium « auctoritate Nostra Apostolica in perpetuum « concedimus et elargimur. In contrarium fa« cientibus non obstantibus quibuscumque » (1).

Generatim ergo affirmari posse videtur Viae Crucis Crucifixos benedicendi facultatem competere iis omnibus, quos superius n. 6 (huius anni fasc. II) Superiorum nomine intellectos enumeravimus. Notandum tamen est praedictam facultatem aliis concedi non posse a memoratis Superioribus excepto *solo Ministro* (seu Vicario vel Delegato) *Generali*, qui ex facultate Apostolica eamdem facultatem tum intra tum extra Ordinem delegat, ac etiam potestatem subdelegandi concedit.

36. Ad effectum lucrandi indulgentias Viae Crucis benedici non possunt *cruces simplices*, in quibus scilicet non habetur imago divini Redemptoris crucifixi; nec sufficit, ut praedicta imago sit depicta sive impressa; sed requiruntur cruces cum imaginibus Domini Nostri Jesu Christi crucifixi *prominentibus*, prout clare deducitur ex documento concessionis superius n. 34 allato; loquitur enim de *Crucifixis*, quorum nomine non comprehenduntur simplices

(1) Originale huius concessionis asservatur in archivio dicti conventus S. Bonaventurae in Urbe.

(1) Originale habetur in Archivio Curiae Generalitiae Aracoelitanae, et publicatum fuit in *Actis Ordinis*. Cf. ann. I, pag. 152.

cruces sine imagine Christi Redemptoris, nec etiam (in materia saltem indulgentiarum) cruces cum huiusmodi imagine depicta sive impressa.

Crucifixi huiusmodi non nimis parvi esse debent, saltem de congruo; uti enim testatur auctor operis, cui titulus: *Le chrètien èclairè sur la nature des indulgences*, etc, Summus Pontifex Pius IX s. m pluries recusavit benedicere Crucifixos dimidii vel unius pollicis tantum in longitudinem, utpote nimis parvos.

37. Porro hi Crucifixi debent esse confecti ex *aurichalco* (italice: *ottone*, gallice: *laiton, cuivre*) cfr. documentum n. 34 cit.; per verbum autem *ottone* ex declaratione S. Congregationis Indulg. d. d. 8 Aug. 1859 ad 2 (*Decr.* auth., Ed. nova, n. 387, Prinzivalli DCLXXXII) exclusa intelligenda est *dumtaxat materia fragilis*. Animadvertimus vero:

a) Quae de materia huiusmodi Crucifixorum adnotavimus intelligenda videri de *imagine* Christi Redemptoris *dumtaxat*, non autem de *cruce* in quam quum non cadat benedictio, ut infra dicetur, eamdem ex quacumque materia confectam esse posse putavimus.

b) Nomine *materiae fragilis* in re praesenti comprehensa videri etiam *ferrum*, *stamnum*, *plumbum*, ita ut et hae materiae exclusae sint reputandae; nam in elencho indulgentiarum quae Apostolicae dicuntur (qui elenchus a Sac. Cong. de Propaganda Fide una cum concessione facultatis benedicendi coronas precatorias etc. traditur) inter praenotata ita legitur: « Praeterea ab huiusmodi benedictione « Sanctitas sua rejicit... cruces, Crucifixos...., « quae ex *ferro, stamno, plumbo*, vel ex fragili « alia *materia* facilisque consumptionis conficiuntur. »

(Cfr. *Decr. auth.* Ed. nova, n. 249; Prinzivalli CDXX).

38. Ad applicandas indulgentias Crucifixis S. Viae Crucis, non requiritur, ut adhibeatur formula benedictionis, neque ut Crucifixi huiusmodi aspergantur aqua benedicta, nec necessarius est alius ritus quicumque, sed sufficit signum crucis factum a sacerdote habente facultatem praedictos Crucifixos benedicendi, cum intentione applicandi lucrandas indulgentias Viae Crucis (Cfr. *Decr. auth*, Ed. nova, n. 281 ad 5 et 313 ad 2; Prinzivalli D et DXLIV.)

39. Ut quis usu huiusmodi Crucifixorum ab habente facultatem benedictorum lucrifaciat indulgentias S. Viae Crucis, praeter statum gratiae, requiritur:

a) Legitimum impedimentum, sive physicum sive morale, a visitandis Stationibus canonice erectis. Quoniam vero ex adagio juris favores sunt ampliandi, non nimis severe procedendum videtur in admittendo huiusmodi impedimento legitimo; sufficere putamus motivum rationabile, quacumque demum ex causa proveniat, quod impedit quominus quis hic et nunc exercitium Viae Crucis proprie dictum peragere valeat.

b) Ut recitentur, corde saltem contrito ac devoto, *viginti Pater, Ave et Gloria; unum* nempre pro qualibet statione, *quinque* in Sanctorum D. N. Jesu Christi Vulnerum memoriam, ac *unum* juxta mentem Summi Pontificis; quamvis enim, considerato concessionis documento superius n. 34 allato, sufficeret recitatio *novemdecim Pater et Ave*, non additis etiam totidem *Gloria*, tamen juxta formam rescriptorum S. Congregationis Indulg. requiruntur VIGINTI *Pater, Ave et Gloria;* quam Sac. Congnis consuetudinem servandam esse declaratum fuit eiusdem Sac. Congnis decreto URBIS ET ORBIS diei 8 Augusti 1859 (Cfr. *Decr. auth.* Ed. nova, n. 387 ad 1; Prinzivalli DCLXXXII.)

Excipiuntur vero ab implenda hac conditione ii, qui gravi morbo ita afficiuntur, ut recitandis *viginti Pater, Ave et Gloria* impares sint, quibus hodiernus P. Minister Generalis, ex benigna concessione ipsi facta a s. m. Pio Pp. IX litteras in forma Brevis snb die 18 Decembris 1877, indulget, ut eorum loco recitent semel actum contritionis, vel invocationem: *Te ergo quaesumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti*. Denique.

c) requiritur, ut durante recitatione precum praescriptarum Crucifixus benedictus manu teneatur.

40. Ex dictis n. praec. sub littera *b* requiritur juxta formam rescriptorum S. Cong. Indulg. ut preces praescriptae recitentur corde saltem *contrito* ac *devoto*. Animadvertimus vero.

a) Contritionem illam, quam importat clau-

sula *corde saltem contrito,* requiri dumtaxat uti meram dispositionem, nempe ut, quatenus aliquis in statu peccati mortalis reperiatur, ac propterea incapax lucrandae cujusvis indulgentiae, per perfectam contritionem cum proposito confessionis ad statum gratiae restituatur, et capax fiat indulgentias assequendi; hinc ad lucrandam indulgentiam non necessario eliciendus est actus contritionis ab iis, qui in statu gratiae et caritatis reperiuntur. (Cfr. *Decr. auth,* Ed. nova, n. 427.)

b) Ex altera parte clausulae, qua preces recitandae praescribuntur corde *devoto,* saltem enixe consulendum putamus, ut fideles Indulgentias *S. Viae* Crucis adhibito Crucifixo lucrari cupientes, *caeteris curis semotis* se componant pro oratione praescripta facienda. Diximus SALTEM *enixe consulendum*; nam considerato S. Cong. Indulg. decreto *Ordinis Praedicatorum* diei 22 Ianuarii 1858, (quo benigne concessum fuit, ut quando Rosarii preces recitentur in communi ad lucrandas indulgentias sufficiat, ut una tantum persona, quaecumque ea sit ex communitate, Rosarium manu teneat, eoque in recitatione de more utatur), non immerito forsan dicendum putari posset, praedictam, conditionem requiri de necessitate; in hac enim concessione praefatum requisitum additum fuit tamquam *conditio, ut Rosarii indulgentias lucrari queant* (Cfr. *Decr. auth.* Ed. nova n. 384; Prinzivalli, DCLXXV.)

Quoniam vero pro re nostra non habetur lex memoratum requisitum *expresse* praescribens, propositum dubium decidere nostrum non est.

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA
Anno 1883.

—

VII

Collegium S. Francisci Solano in Rio Quarto, (*Republ. Argentina.*)

Die 18 Iunii 1883, praesidente adm. R. P. Ioachim Remedi, Commissario Generali, rite celebratum est Guardianale Capitulum in quo electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII:

Adm. R. P. Ludovicus Quaranta.

DISCRETI COLLEGII:

R. P. Constantinus Longo.
R. P. Aurelius Patrizi.
R. P. Antonius Cardarelli.
R. P. Carolus Leonardi.

—

VIII

Ref. Provincia S. Antonii Venetiarum

Die 14 Iulii curr. anni 1883, Rmus P. Minister Generalis facultate sibi a S. Sede tributa utens, decreto suo dato ex Conventu S. Michaelis in Insula Venetiarum nominavit et elegit Provincialem, Custodem et Definitores Reformatae Provinciae Venetiarum. Nominati autem et electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Thomas a Vallibus Dominorum.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Antonius Maria a Vicetia.

DEFINITORES PROVINCIAE:

A. R. P. Franciscus Antonius a Vicetia.
R. P. Mansuetus a Venetiis.
R. P. Michael a Verona.
R. P. Pacificus a Vicetia.

Haec Provincia sequentes habebat Conventus ante suppressionem in Italia.

Deserto, prope Buranum, Ss. Stigmatum.
Verona, Ss. Redemptoris.
Vicenza, Ss. Viti et Luciae.
Venezia, S. Michaelis Arch.
Ceneda, S. P. N. Francisci.
Spilimbergo, S. Pantaleonis M.
Monselice, S. Iacobi Maj.

Habet autem in Ditionibus Imperatoris et Regis Apostolici Austriae Hungariae:

Conventum Rovigno, S. P. N. Francisci.
Hospitia Cattaro, S. Spiritus.
Castelnuovo, S. Antonii Pat.
Perzagno, S. Nicolai Ep.
Perasto, S. Antonii Pat.

—

IX

Obs. Provinciam Venetiarum

Die 19 Julii vertentis anni 1883, Rmus P. Generalis, facultate utens apostolica sibi concessa, decreto suo dato Venetiis e Con-

ventu S. Francisci ad Vineas, Provincialem Ministrum, Custodem et Definitores instituit. Electi autem fuerunt:

Minister Provincialis:

Adm. R. P. Seraphinus a Bolentina.

Custos Provinciae:

Adm. R. P. Gregorius a Cryptis Castri.

Definitores Provinciae:

R. P. Bernardinus a Verona.
R. P. Paschalis a Varisio.
R. P. Mansuetus a Suapio.
R. P. Ladislaus a S. Vito.

Ante ultimam suppressionem haec Provincia sequentes habebat Conventus:

Venezia, S. Francisci ad Vineas.
Milano, S. Angeli.
Brescia, S. Josephi.
Verona, S. Bernardini.
Barbarano, S. Pancratii.
Vicenza, S. Juliani.
Motta, S. Mariae Miraculorum.
Feltre, SS. Victoris et Coronae, MM.
Gemona, S. Antonii.
Et hospitium in Este, S. Mariae Consolationum.

—

X

Ref. Custodia Buffalensis sub titulo Immaculatae Conceptionis, in Stat. Americae Foederatis.

Capitulum celebratum est in Conventu S, Francisci civitatis Neo-Eboraci, Presidente A. R. P. Rogerio Verbiest, Commissario Visitatore Generali die 19 Iulii anni currentis. Electi fuerunt:

Custos Regiminis:

Adm. R. P. Theophilus Pospisili.

Discreti:

R. P. Iosephus Butter.
R. P. Iulius ab Aquino.
R. P. Carolus a Natiano.

Custodia sequentes habet Conventus:

Allegany, S. Bonaventurae.
Winsted, S. Josephi.
New-York, S. Francisci.
New-York, S. Antonii.
Buffalo, S. Patritii.
Et Hospitium in Boston, S. Leonardi.

III.
MISSIONES

—

VICARIATUS APOST. HU-PE ORIENT.

Status animarum ac spiritualis administratio totius anni 1882.

—

Numerus fidelium	12.021
Sacella publica	55
Baptismata adultorum	398
Baptismata infantium fidelium	379
Confirmationes	308
Confessiones annuales	7.329
Confessiones devotionis	21.879
Communiones annuales	6.762
Communiones devotionis	30.736
Extremae Unctiones	216
Matrimonia benedicta	171
Praedicationes ad fideles	3.147
Praedicationes ad paganos	3.306
Mortui adulti	310
Mortui infantes	225
S. Infantia.	
Baptizantes	118
Infidelium infantes.	
Baptizati	4.592
Collecti	704
Aliti	1.117
Mortui	3.402
Alumni scholares.	
Pueri	398
Puellae	392

In hoc Vicariatu, quem cum tanto zelo regebat Rmus defunctus D. Zanoli, 23 Missionarii infidelium conversioni incumbunt. Sunt autem sequentes:

P. Bernardus Ammirati, Ref. Provinciae Romanae.

P. Didacus Lera, Ref. Boloniae.

P. Bonifacius Oomsels, Recollectae Prov. Belgii.

P. Franciscus Sem, Sinensis.

P. Mauritius Robert, Recoll. Prov. Belgii.

P. Martinus Poell, Recoll. Prov. Germ. Inferioris

P. Honorius Mesini, Ref. Boloniae.
P. J. Baptista Zen, Sinensis.
P. Jacobus Jen, Sinensis.
P. Thomas Fan, Sinensis.
P. Aloysius Sonsini, Ref. Aprutiorum.
P. Joseph M. Kuo, Sinensis.
P. Remigius Goette, Recollectae Prov. SS. Cordis.
P. Joannes Hosman, Recoll. Germaniae Infer.
P. Aegidius Brockman, Recoll. Provinciae Germaniae Inf.
P. Gregorius Hu, Sinensis.
P. Paulus Wam, Sinensis.
P. Joan. Nepom. Tan, Sinensis.
P. Laurentius Siu, Sinensis.
P. Henricus Van Kessell, Recoll. Germ. Infer.
P. Theophilus Ouvens, Recoll. Germ. Inf.
P. Petrus Nie, Sinensis.
P. Ansgarius Braun, Ref. Tyrolii Septentrionalis.

—

EPISTOLA

R. P. Sonsini, Min. Reformati, Mission. in Hu-pè orientali, ad Ministrum Generalem, die 6 aprilis 1883.

Summarium.

Orphanotrophium in quo quadraginta pueri educantur; — 2. Eorumdem educationis fructus; — 2. Orphanotrophii paupertas; — Sex puerorum prima Communio; — 5. Festa centenaria sancti Patris Francisci; — 6. Infirmitas Rmi Dni Zanoli Vicarii apostolici.

1. Della mia missione non avrei molto da dire quello che posso narrare si è, che io mi trovo sempre tra pagani e neofiti; l'anno scorso ebbi la consolazione di battezzare venti adulti. Ho sotto la mia direzione un orfanotrofio di quaranta e più ragazzi, tutti figli di neoconvertiti; da noi ricevono l'istruzione religiosa imparando la dottrina cristiana e le orazioni necessarie, e molti vengono anche istruiti nei principii dell'aritmetica, e in qualche notizia della difficile lettura e scrittura cinese. Ritornando poi alle loro famiglie si rendono quasi istruttori dei loro parenti, e il più delle volte questi teneri fanciulli sono tanti angeli di pace, che apportano la benedizione del Signore nella loro famiglia, col convertire quelli che ancora sono perplessi nella fede, o col far ritornare a miglior vita i freddi e indifferenti.

2. Mi rammento che nella mia missione vi erano cinque o sei famiglie convertite, in cui tutti, all'infuori delle donne, ricevettero il santo Battesimo: queste non potevano staccarsi dalle pratiche superstiziose. Cercammo di avere i loro figli nel nostro orfanotrofio, dove ricevettero la solita istruzione; appena furono di ritorno alle loro famiglie, la fecero da piccoli apostoli, e non solo covertirono le loro madri, ma anche le sorelle e quanti erano ritrosi a conversione. In tal circostanza fui spettatore delle lagrime di una tenera fanciulla, che per essere sposata con un pagano non poteva al momento esser ammessa al Battesimo: pianse, mise per intercessori i suoi genitori, ma noi non potemmo che prometterle il Battesimo in caso che, contratte le nozze con un pagano, dopo si fosse tenuta forte nella fede. Ecco i dolci frutti di un'educazione religiosa che al perfezionamento di sè stesso, accoppia sempre il bene dei suoi simili.

3. Però le sante opere, come la Vostra Paternità Revma può ben conoscere, hanno sempre difficoltà da sormontare: il mantenimento di questi fanciulli alle volte ci mette alle strette, spesso manchiamo del necessario per alimentarli, e pure il loro pasto frugale non consiste che in un poco di riso con poca erba per companatico; i più non hanno vesti da coprirsi, e perciò nei dì solenni, nei giorni di comunione possono presentarsi al loro Signore rivestiti col manto di una santa innocenza, ma l'esterno per nulla risponde ai movimenti interni di una santa letizia.

4. Qualche mese fa, sei di questi fanciulli, dopo essere stati bene istruiti, furono ammessi al santo Battesimo. Oh! che giorno di contento era per loro; la gioia indorava i loro visini, il cuore balzava loro in petto, e con voce argentina rispondevano: « Rinunzio al demonio, alle sue opere e alle sue pompe. » Poveri fanciulli! il mondo non vi degnerebbe di uno sguardo, ma il vostro Padre vero che è in Cielo ascolta i vostri voti, ed al cielo vi chiama.

5. Dirò anche qualche cosa sulla festa centenaria del nostro Padre S. Francesco. Quel

giorno fu per noi di somma consolazione, tutti i nostri Confratelli di ogni nazione si riunirono per festeggiare una sí solenne ricordanza; molti erano distanti alcune centinaia di miglia, ma non mancarono all'invito; convenuti in uno si celebrò una novena, dopo la quale si diede principio ad un triduo solenne in cui oltre la messa cantata si dissero tre orazioni panegiriche, la prima recitata dal R. P. Giuseppe Kuo, sacerdote cinese nella Sacra Famiglia di Napoli, che sceglieva per argomento del suo dire: *S. Francesco mandato dal cielo per riformare il mondo*. La seconda, detta da me, versava sulla vita di S. Francesco nell'opera delle missioni; la terza, recitata dal Padre Bernardino Ammirati che da trent'anni lavora nel campo apostolico, spiegò abilmente e con molta forza il *Vade Francisce, repara domum meam*.

Il nostro Monsignore tra la lieta corona de'suoi figli, nel giorno della festa pontificò solennemente. La grandiosa chiesa di Han-kow era gremita di fedeli, che per lucrar l'indulgenza tutti s'avvicinarono ai sacramenti. Non mancarono spari e musica, ed ogni altra cosa che suole allietare i dì festivi. In fine tra la modesta agape, il rettore del seminario P. Epifanio Carlassare lesse una bellissima ode in latino a lode del Padre san Francesco, ed altrettanto fecero con dolci melodiose poesie il P. Diego Leva segretario vescovile, ed il P. Giuseppe Kuo.

Per poi avere una cara memoria del settimo centenario del nostro Santo Patriarca, i nostri artigianelli eseguirono in fotografia un bel gruppo de'Missionarii Francescani concorsi alla festa. Questo è ciò che, benchè tardi, ho potuto narrare a Vostra Paternità Revma.

6. L'ultima notizia che ha messo in lutto tutta la nostra missione, è che il tanto a noi caro Mons. Vescovo Zanoli versa in malattia gravissima; possa il buon Dio conservarcelo, altrimenti perderemmo in lui un vero Padre, che non visse che per beneficarci. (1)

(1) Ut videre est in Necrologià, Rmus Zanoli in hac infirmitate e vita migravit die 17 mensis Maii.

EPISTOLA

P. Bonifacii Oomsels, Missionarii Franciscani in Hu-Pè Orientali ad R. P. Procuratorem Missionum franciscalium Parisiis.

Summarium

1. Erectio novi Sanctuarii sub invocatione D. N. *de Lourdes*; locus et origo huius Sanctuarii; P. Martini Poell incarceratio ac tormenta. — 2. Favores per intercessionem Virginis Immaculatae impetrati; mulieres ad fidem conversae. 3 — Petitio pro sanctuario perficiendo. — 4. Regionis calamitates ex quibus dira fames subsecuta.

Ta-ïc, 15 mai, 1883

1. Depuis que ma lettre de l'année dernière a été publiée par vos soins dans les *Missions catholiques*, plusieurs petites aumônes me sont successivement parvenues pour mon sanctuaire de Lourdes. Il est donc de mon devoir de vous écrire un mot au sujet de ce petit monument que j'élève à la Mère de Dieu. Mon intention était d'abord de l'ériger au centre de la ville de Ta-ïc; mais certaines difficultés survenues ensuite et surtout l'avis contraire de sa Grandeur Mgr Zanoli, notre digne Vicaire apostolique, m'ont fait renoncer à ce dessein.

En face de la ville. s'élève une montagne haute de plus de 2000 pieds; de belles forêts en bambous en couvrent les flancs et dans ces forêts se trouvent dispersés çà et là plusieurs villages considérables entièrement cachés sous le feuillage. Ces montagnards vivent exclusivement du produit d'ouvrages en bambous qu'ils tressent avec art.

Notre sainte religion n'a commencé à pénétrer parmi eux que depuis une dizaine d'années. Il y a huit ans le nombre des néophites était encore très restreint. C'est alors que mon Confrère le révérend Père Poell eut à subir la rude épreuve des 5 jours de prison pour avoir défendu aux nouveaux chrétiens d'assister aux processions superstitieuses.

Les paiens furieux attribuant à ce Père la cause de la sècheresse qui désolait alors les campagnes le saisirent et l'ayant traîné par les cheveux jusqu'au bas de la montagne, le jetèrent dans une pagode avec l'intention bien arrêtée de le mettre à mort. Le Père Poell

a raconté lui-même combien il avait eu à souffrir de la part de plus de 500 personnes qui le maltraitaient jour et nuit et l'auraient certainement massacré, si un bon vieillard ne fût parvenu à le sauver.

Depuis lors Dieu a opéré des merveilles parmi ces montagnards. Non seulement ils ont reconnu et avoué leurs torts, mais encore il s'est opéré parmi eux un grand nombre de conversions éclatantes. Mgr a l'espoir fondé de gagner à la foi tous ces persécuteurs d'autrefois.

Et c'est pour cela qu'au lieu d'élever la chapelle de N. D. de Lourdes, dans la ville de *Ta-ïc*, Mgr a désiré que je la bâtisse sur ces montagnes. On nous a offert à cet effet un magnifique terrain au sommet même de la montagne dans un site extrêmement pittoresque, d'où l'on découvre la ville de *Ta-ïc*. Tout autour se trouvent de belles campagnes et des lacs immenses. A quelques pas de la chapelle jaillit une fontaine dont les eaux abondantes forment en tombaut des cataractes magnifiques. Enfin le sanctuaire est situé au milieu d'arbres séculaires de plus de deux mètres de diamètre. Le Père Poell en a dressé le plan.

N'ayant que de très minimes ressources je n'ai pu bâtir qu'une chapelle peu brillante et peu digne de porter le nom de sanctuaire de N. D. de Lourdes: elle n'est pas même complètement terminée. J'espère cependant que la sainte Vierge me viendra en aide et daignera y opérer quelques miracles pour émouvoir de plus en plus ces montagnards si bien disposés.

2. Depuis que je me suis mis à bâtir cette église, j'ai déjà à signaler plusieurs faveurs extraordinaires obtenues par l'intercession de notre bonne Mère: ainsi le jour de Noël j'ai eu la consolation de recevoir au catéchuménat 56 adultes. Si cela continue ma nouvelle chapelle sera bientôt trop petite. De plus jusqu'ici on ne comptait pas une seule femme chrétiennne dans ce pays. Plusieurs missionnaires avaient vainement tenté d'en gagner quelques unes à notre sainte foi; mais par suite d'une fausse honte elles avaient opiniâtrément refusé de se convertir, même celles dont les maris et les enfants étaient baptisés depuis longtemps. A peine avais-je commencé à bâtir la Chapelle que tout-à-coup une dizaine de femmes ont vaincu le respect humain et sont venues publiquement assister aux prières quelques-unes sont allées à l'orphelinat de *Han-Keou* pour y apprendre les prières nécessaires et se préparer à recevoir le baptême. De retour dans leurs familles, elles ne manqueront pas d'entraîner par leur exemple un grand nombre de personnes de leur sexe à embrasser également et à pratiquer sans crainte notre sainte religion.

Je ne puis m'empêcher de voir dans ces conversions la main de la sainte Vierge qui veut être honorée dans ces lieux. Grâce a Elle, il y a maintenant sur ces montagnes des familles chrétiennes; les enfants pourront être élevés dans la crainte de Dieu; les mères ne les conduiront plus à la pagode pour y brûler l'encens en l'honneur des idoles, mais elles les mèneront à la chapelle de N. D. de Lourdes pour y adorer le vrai Dieu et répandre leurs prières reconnaissantes devant l'autel de la meilleure des mères.

3. Je vous disais plus haut que faute d'argent je n'avais pu achever ma chapelle: la somme dont je disposais a été à peine suffisante pour élever les murs, le toit n'est pas encore construit. Je comptais pour cela sur des subsides de la part de Mgr; mais l'inondation qui cette année encore a ravagè une grande partie de notre Vicariat, l'a obligé à distribuer ailleurs les secours qu'il m'avait fait espérer.

4. Ainsi dans mon district, une digue du fleuve bleu s'est rompue au mois de juillet dernier; la plaine de *T'ai-p'un-kiao* a été complètement inondée et toute la récolte a été perdue. Depuis l'époque de l'inondation jusqu'au mois d'octobre, il n'est pas tombé une seule goutte de pluie et cette longue sècheresse a fait périr le coton ainsi que la patate qui est la principale nourriture de ces montagnards; de là une misère extrême. Mgr Zanoli, notre digne Evêque, a bien envoyé aux malheureux les secours dont il pouvrait disposer, de son côté le mandarin leur a donné des lettres de recommandation pour qu'ils aillent chercher leur vie dans d'autres provinces; mais cela n'a pas empêché un grand nombre de ces infortunés de mourir de faim l'hiver. Pour comble de mal-

heur, nous n'avons cessé d'avoir pendant les mois de janvier et de février une pluie torrentielle, qui ne permettait pas aux femmes et et aux enfants de sortir pour demander à la charité publique la nourriture dont ils manquaient. A la cessation des pluies, un missionaire chinois mon compagnon, a découvert dans un village à 10 minutes de notre résidence plus de 20 personnes mortes de faim dans leur lit. Exténuèes de fatigue et glacées par le froid, elles s'étaient couchées sans doute en attendant le retour de quelque membre de leur famille sorti pour chercher l'aumône. Elles ne devaient pas se relever; quand on est venu à leur secours il était trop tard; elles étaient mortes.

En face d'une affreuse misère dont je ne saurais décrire les horreurs, il m'a fallu provisoirement renoncer à terminer ma chapelle et distribuer aux infortunés pour les empêcher de mourir de faim, le peu de fonds que j'avais péniblement réunis pour l'achèvement du sanctuaire de N. D. de Lourdes. J'espère que Votre Paternité me trouvera plus tard de quoi continuer l'oeuvre que j'ai tant à coeur de mettre à complète exécution.

En attendant, je vous remercie de tous les bienfaits dont vous m'avez comblé ces dernières années et je vous prie de les continuer afin que je puisse venir au secours de si grandes infortunes.

—

Oblatio neophytorum quorumdam Summo Pontifici

R. P. Stanislaus Simonetti, Min. Obs., Missionarius Apostolicus in Bolivia, die 17 Iulii, nuperrime elapsi, ad pedes Smi PP. Leonis XIII exponebat arcus et sagittas una cum pecuniae summa, quam neophyti sui ex efferis gentibus conversi, filiali cum veneratione offerebant Summo Pontifici; addebat etiam aliam pecuniam ex parte dioecesis Sanctae-Crucis in Republica Boliviana. Sanctitas Sua omnibus his longinquis catholici gregis filiis peramanter Apostolicam Benedictionem impertiebat.

—

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

OPERA PROXIME EDENDA

—

De Continuatione Annalium Minorum *a P. Luca Waddingo,* Tomus xxv.

Gloria Ordinis nostri, quae vel ex heroicis priscorum Confratrum pro utraque republica rebus bene gestis et prudenter administratis, vel ex jugi praeclarae virtutis christianae exercitio et excellenti doctrina elucet, nullo aliomodo posterum memoriae fructuosius tradi potest, nisi publicis typis describatur.

Iam anno 1619 Rmus P. Benignus a Genua, Minister Generalis totius Ordinis, mandavit ut: « insignia quaeque in toto Ordine sanctitatis et doctinae vestigia undequaque colligantur et per suos annos ac saecula distribuantur. » Tanti Patris consilium ingenio suo et solerti labore egregie est executus eruditissimus noster P. Lucas Waddingus insigni certe opere quod *Annales Minorum* compellavit.

Eiusdem labores postmodum prosecuti sunt Patres Ioannes De Luca a Venetiis, Iosephus Maria ab Ancona, Caietanus Michelesi, Antonius Melissanus de Macro et tandem Stanislaus Melchiori de Cerreto, Provinciae Picenae decus.

Huius tamen Patris tomus XXV, qui complectitur res gestas Ordinis ab anno 1612 ad 1622, olim iàm conscriptus, nunc iussu Rmi Patris Bernardini a Portu Romatino denuo revisus et auctus, proxime, si Deus annuerit, typis Collegii S. Bonaventurae ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam committetur.

Deinde etiam tomus XX *Annalium*, qui est adeo rarus ut in majoribus quoque Bibliothecis desideretur, rursum prelo subiicietur.

—

Nunc sub prelo est: *Historia Missionum Ordinis nostri recentiorum* (Continuatio *Missionum* a clarissimo P. Dominico de Gubernatis scriptarum in egregio opere cui titulus: *Orbis Seraphicus*). Quae quidem historia incipit anno 1622 et explicit circa annum 1720; in

ea enarrantur res religionis catholicae per Fratres nostros in Europa, Asia, Africa et America praeclare gestae et posteris, quo ad virtutes antenatorum magis allicerentur, multum commendandae.

Fr. Eusebius Fermendzin
Def. Genlis et Annalista Ordinis

1879. I complici del Regicidio e i cattolici conservatori in Italia. Lettera al Marchese G. Ugo Spinola, pel P. Anastasio Bocci, M. O. Pistoia, tip. Cino dei FF. Bracali (in 12. L. 1.)

Horrendi Regicidii scelus profligatur eiusque causa multiplex indicatur.

1881. La Missione sociale della donna pel P. Anastasio Bocci, Min. O. Terza edizione, Siena, 1881. (in 12. L. 1.)

1882. Principia Theologiae moralis theoretice et practice exposita auctore F. Pio Van der Velden, Ord. FF. Min. Recoll. Provinciae Belgicae, S. Theologiae Lectore. Editio altera a P. Piat Montensi, Ord. Min. Capuccinorum, S. Theologiae Lectore et SS. Canonum in Universitate Lovaniensi Licentiato, emendata ac pluribus adnotationibus locupletata. Tornaci (Tournay) Casterman

1883. Il Patriarca della nuova alleanza S. Giuseppe, contemplato ne'fatti e misteri della sua vita nel mese di Marzo a lui consacrato. Trentadue ragionamenti del P. Marcellino da Civezza, Minore Osservante e Definitore Generale dell'Ordine. Prato, tipografia Giacchetti, Figlio e C. in 12, pag. 244. (L. 2.)

V.
NECROLOGIA

Illmus et Rmus Dnus Vitus Modestus Eustachius Zanoli, cuius mortem p. 120 innuimus, Mombirazzi in Aemilia natus die 18 Maji 1831, Ordinem Seraphicum in Ref. Provincia Bononiensi ingressus est die 20 Nov. 1847, ea conditione ut opportuno tempore ad aliquam Ordinis Missionem destinaretur. Tyrocinio laudabiliter peracto et solemni professione emissa, sedulam Philosophiae ac Theologiae studiis operam navavit, ex tunc jam et promptum ingenium et rectum judicium ostendens. Sacerdos ordinatus anno 1854, a Rmo P. Venantio a Celano obedientiales litteras Romam veniendi obtinuit, ut inibi in Collegio S. Petri de Monte aureo Theologiae Moralis studium absolveret, ac sese ad exteras Missiones pararet. Consueto S. Congregationis de Propaganda Fide tentamine cum laude superato, ab eadem S. Congregatione ad Sinensem Provinciam *Hu-pé* destinatus est, quo post multa itineris pericula anno 1856 pervenit, eodem anno scilicet quo d. d. 2 Aprilis Vicariatus Apostolicus *Hu-quang*, Pontificio Brevi, in duos divisus est, *Hu-nam* nempe, et *Hu-pé*. Illmus Celestinus Spelta Episcopus tit. Tespiensis et Vicarius Apostolicus *Hu-pé*, eumdem statim in Christianitatem quamdam misit, ut citius Sinensem linguam addisceret; sed agnitis mox egregiis quibus praeditus erat animi dotibus, Procurator Missionis ac dein Vicarius Generalis, demum infirmae saepius valetudinis Illmi Spelta Vicarii Apostolici Coadiutor nominatus, anno 1861 Episcopus Eleutheropolitanus consecratus est.

Defuncto, anno 1862, Episcopo Spelta, eidem in Apostolico Vicariatu *Hu-pé* successit; et maximo animi ardore Dei gloriam, Christianorum utilitatem, Paganorumque conversionem in Vicariatu sibi commisso curavit: summas inter difficultates omnes eiusdem *Districtus* visitavit, qua pastorali Visitatione necessitatem Vicariatus in plures dividendi probe comperit, quod tamen serius tantummodo obtinere potuit. — Interea anno 1867 ad Ss. Apostolorum Petri et Pauli centenaria solemnia a S. Sede Romam accitus venit, et magna quidem Vicariatus sui utilitate; redux etenim non modo sex Missionarios Franciscales, sed etiam sex Filias Charitatis *Canossianas* (1) secum adducere potuit, quae modo usque ad 14 accreverunt et in *Han-Kou* magna pro Christo agunt. — Anno 1870 denuo Romam ad S. aecumenicum Concilium venit, et tunc demum Breve Pontificium obtinuit quo magni

(1) *Canossianae* vocantur a Fundatricis nomine Ven. Magdalenae Marchionissae a *Canossa*, Emi Card. Episcopi Veronensis amitae, eorumque leges a f. r. Leone XII adprobatae sunt.

Hu-pè Vicariatus divisio statuta est; quam, statim ac dogmate infallibilitatis definito rediit, perfecit, et hoc in negotio novis Provicariis Apostolicis Patribus (modo Episcopis) Alexio M. Filippi, et Ezechiae Banci praesto fuit, quorum primus Vicariatui *Hu-pè meridionalis* alter *septentrionalis* praefectus est, ipsi vero *Hu-pè orientalis* cura remansit. Hanc porro tum spiritualem, tum temporalem magnopere exercuit; nam laboribus minime parcens crebris vere apostolicis Visitationibus salutem animarum quaesivit; tam Missionariis quam Fidelibus leges sapientissimas dedit, pastorales litteras doctrina et prudentia refertas conscripsit, ex Europa plures evangelicos operarios accivit: Oratoria et Residentias construxit, Cathedralem S. Iosephi Ecclesiam in Portu *Han-Kou* piorum eleemosynis aedificavit, quam ut perficeret tertio Europam anno 1877 contendit ad stipem quaerendam; et domus Procurae Missionis eiusdem sollicitudine perfecta est; tamdemque ad finem perducta videre potuit aedificia tam Collegii Canossiani Filiarum Charitatis in *Han-Kou*, de quo supra, ubi plusquam 300 feminae cuiusvis aetatis et conditionis cibum, vestes, hospitium, christianam civilemque institutionem continuo habent, quam Residentiae *Ou-tschang-fou* quo Vicariatus Missionarii quotannis ad spiritualia exercitia peragenda conveniunt. Alia insuper fecit, quae brevitatis ratio enarrare non sinit, et cum tot tantaque peregisset, valde pauca se fecisse arbitrabatur vir vere humilis. Humilitati prudentiam, comitatem qua omnium sibi animos devinciebat, sed praecipue orationis spiritum adjunxit. Mense Augusti anno 1882 lienis morbo correptus, ad voluntatem divinam se conformans, eiusdem dolores et molestias semper aequo animo tulit usque ad mortem. Die 3 Maji 1883 Illmi D. Filippi manu sacro Viatico refectus, et 15 eiusdem mensis ab Illmo Banci Extrema Unctione munitus, placide obdormivit in Domino die 17, hora 9 vespertina, adstantibus Episcopo Banci, nonnullis Patribus, Clerico fr. Gabriele Maurice, Christianisque aliquot; Missionariis, Seminarii alumnis, Canossianis, praedicto Clerico, omnibusque sui Vicariatus Christianis antea benedictis, ac ultimis illis verbis: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* pronuntiatis. R. I. P.

Adm. R. P. Jacobus a Passione, (in saeculo Jacobus Atauri) die 11 Decembris 1831 in diocesi Calagurritana in Hispania natus, anno 1855 franciscano habitu iudutus est in Conventu Ambianensi, Obs. Provinciae S. Ludovici, in Gallia. Emissa solemni professione, quum in saeculo ecclesiastica studia jam complevisset, philosophiae primum ac theologiae deinde cathetram per decem et septem annos laudabiliter tenuit. Guardiani, Definitoris et eiusdem Provinciae Custodis munera gessit, omnibus praebens Regulae et Constitutionum accuratae observantiae, praesertim vero erga proximum caritatis vigilantissimae exemplum. Ori suo custodiam sic inposuerat ut sibi normam statuisse videretur praeclara S. Jacobi patroni sui verba: « Si quis in verbo « non offendit, hic perfectus est vir » (III. 2) Brevem conscripsit et publicavit enarrationem: « de origine Provinciae S. Ludovici. » Longa tandem phthysi consumptus piissime in Domino obdormivit die 10 Julii 1883 in Conventu S. Paladii, in quo etiam post suppressionem permanere obtinuerat.

Adm. R. P. Ferdinandus a S. Nicandro natus die 5 Augusti 1802, et Ordinem nostrum ingressus in Ref. Provincia S. Angeli in Apruliis die 27 Augusti 1818, absoluto Statiorum curriculo Lector destinatus, doctrina et virtute claruit, ac ad omnia ferme Provinciae officia assumptas eadem cum laude exercuit, et tandem Minister Provincialis eligi meruit. — Post suppressionem, Ecclesiae Conventus Luceriensis Rector et Custos designatus ibidem obiit die 25 Julii 1883, civibus fere omnibus conquerentibus, ac laudibus eum prosequentibus.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII
EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS UNIVERSOS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS UNIVERSIS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Supremi Apostolatus officio quo fungimur et longe difficili horum temporum conditione quotidie magis admonemur ac propemodum impellimur, ut quo graviores incidunt Ecclesiae calamitates, eo impensius eius tutelae incolumitatique consulamus. Quapropter, dum quantum in Nobis est, modis omnibus Ecclesiae iura tueri, et quae vel impendent vel circumstant pericula antevertere et propulsare conamur, assidue damus operam coelestibus auxiliis implorandis, quibus effici unice potest, ut labores curaeque Nostrae optatum sint exitum habiturae. — Hanc ad rem nihil validius potiusque iudicamus, quam religione et pietate demereri magnam Dei Parentem MARIAM Virginem quae pacis nostrae apud Deum sequestra et coelestium administra gratiarum, in celsissimo potestatis est gloriaeque fastigio in coelis collocata, ut hominibus ad sempiternam illam civitatem per tot labores et pericula contendentibus patrocinii sui subsidium impertiat. — Itaque proximis iam anniversariis solemnibus quibus plurima et maxima in populum christianum per Marialis *Rosarii* preces collata beneficia recoluntur, preces hasce ipsas singulari studio toto orbe catholico adhiberi Magnae Virgini hoc anno volumus, quo, Ipsa conciliatrice, divinum Eius Filium nostris placatum et mitigatum malis feliciter experiamur. Has igitur litteras ad Vos, Venerabiles Fratres, dandas censuimus, ut, cognitis consiliis Nostris, populorum pietas ad ea religiose perficienda vestra auctoritate studioque excitetur.

Praecipuum semper ac solemne catholicis hominibus fuit in trepidis rebus dubiisque temporibus ad Mariam confugere et in materna Eius bonitate conquiescere. Quo quidem ostenditur certissima non modo spes, sed plane fiducia, quam Ecclesia catholica semper habuit in Genitrice Dei iure repositam. Revera primaevae labis expers Virgo, adlecta Dei Mater, et hoc ipso servandi hominum generis consors facta, tanta apud Filium gratia et potestate valet, ut maiorem nec humana nec angelica natura assecuta unquam sit, aut assequi possit. Cumque suave Ipsi ac iucundum apprime sit, singulos suam flagitantes opem iuvare ac solari, dubitandum non est, quin Ecclesiae universae votis adnuere multo libentius velit ac propemodum gestiat.

Haec autem tam magna et plena spei in augustam coelorum Reginam pietas luculentius

emicuit, cum errorum vis late serpentium, vel exundans morum corruptio, vel potentium adversariorum impetus militantem Dei Ecclesiam in discrimen adducere visa sunt. — Veteris et recentioris aevi historiae, ac sanctiores Ecclesiae fasti publicas privatasque ad Deiparam obsecrationes et vota commemorant, ac vicissim praebita per Ipsam auxilia partamque divinitus tranquillitatem et pacem. Hinc insignes illi tituli quibus Eam catholicae gentes christianorum Auxiliatricem, Opiferam, Solatricem, bellorum Potentem, Victricem, Paciferam consalutarunt. Quos inter praecipue commemorandus solemnis ille ex Rosario ductus, quo insignia Ipsius in universum christianum nomen beneficia ad perpetuitatem consecrata sunt. — Nemo vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, quantum laboris et luctus, saeculo duodecimo exeunte, sanctae Dei Ecclesiae intulerint Albigenses haeretici, qui recentiorum Manichaeorum secta progeniti, australem Galliae plagam atque alias latini orbis regiones perniciosis erroribus repleverant; armorumque terrorem circumferentes, late dominari per clades et ruinas moliebantur. Contra huiusmodi teterrimos hostes virum sanctissimum, ut nostis, excitavit misericors Deus, inclitum scilicet Dominiciani Ordinis parentem et conditorem. Is integritate doctrinae, virtutum, exemplis, muneris apostolici perfunctione magnus, pugnare pro Ecclesia catholica excelso animo aggressus est, non vi, non armis, sed ea maxime precatione confisus, quam sacri Rosarii nomine ipse primus instituit, et per se, per suos alumnos longe lateque disseminavit. Dei enim instinctu ac numine sentiebat futurum, ut eius precationis ope, tamquam validissimo instrumento bellico, victi hostes profligatique vesanam impietate audaciam ponere cogerentur. Quod reipsa evenisse compertum est. Etenim ea orandi ratione suscepta riteque celebrata ex institutione Dominici Patris, pietas, fides, concordia restitui, haereticorum molitiones atque artes disiici passim coepere: ad haec, plurimi errantes ad sanitatem revocati, et catholicorum armis, quae fuerant ad vim propulsandam sumpta, impiorum compressus furor.

Eiusdem precationis efficacitas et vis mirabiliter etiam perspecta est saeculo decimo sexto, cum ingentes Turcarum copiae Europae prope universae superstitionis et barbariae iugum intentarent. Quo tempore sanctus Pius V Pontifex Maximus, excitatis ad communium rerum tutelam principibus christianis, omni studio in primis egit ut potentissima Mater Dei, per Rosarii preces implorata, nomini christiano volens propitia succurreret. Nobilissimum sane spectaculum per eos dies coelo terraeque exhibitum omnium in se mentes animosque convertit. Hinc enim Christi fideles non procul a Corinthiaco sinu vitam et sanguinem pro religionis patriaeque incolumitate fundere parati, hostem interriti opperiebantur; illinc inermes pio supplicantium agmine, Mariam inclamabant, Mariam ex Rosarii formula iteratis vicibus consalutabant, ut certantibus adesset ad victoriam. Adstitit exorata Domina; nam commisso ad Echinadas insulas navali praelio, christianorum classis, sine magna suorum clade fusis caesisque hostibus, magnifice vicit. Quare idem sanctissimus Pontifex in accepti beneficii memoriam, anniversarium tanti certaminis diem honori Mariae Victricis festum haberi voluit: quem Gregorius XIII titulo Rosarii consecravit.

Simili modo, superiore saeculo, semel ad Temesvariam in Pannonia, semel ad Corcyram insulam nobilis est de Turcarum copiis victoria reportata: idque sacris Magnae Virgini diebus, precibusque pio Rosarii ritu ante persolutis. Quae res Clementem XI Decessorem Nostrum adduxit ut grati animi ergo, solemnem Deiparae a Rosario honorem quotannis habendum tota Ecclesia decreverit.

Igitur cum sacra haec precandi formula tantopere Virgini grata esse dignoscatur, eaque ad Ecclesiae populique christiani defensionem et ad divina beneficia publice privatimque impetranda apprime conferat; mirum non est, eximiis eam praeconiis alios quoque Decessores Nostros efferre atque augere studuisse. Sic Urbanus IV *quotidie per Rosarium christiano populo bona provenire* testatus est. Sixtus IV hunc orandi ritum *ad honorem Dei et Virginis, et ad imminentia mundi pericula propulsanda opportunum;* Leo X *adversus haeresiarchas et gliscentes haereses institutum*, et Iulius III *romanae Ecclesiae decorem* dixerunt. Itemque de eo sanctus Pius V, *hoc*, inquit,

orandi modo evulgato, coepisse fideles iis meditationibus accensos, iis precibus inflammatos, in alios viros repente mutari, haeresum tenebras remitti, et lucem catholicae fidei aperiri. Demum Gregorius XIII, *Rosarium a beato Dominico ad iram Dei placandam et Beatae Virginis intercessionem implorandam fuisse institutum.*

Hac Nos cogitatione exemplisque Decessorum Nostrorum permoti, opportunum omnino censemus solemnes hoc tempore supplicationes ob eam caussam institui, ut invocata per Rosarii preces Virgine augusta, parem necessitatibus opem a Iesu Christo Filio impetremus. — Perspicitis, Venerabiles Fratres, Ecclesiae labores dimicationesque diuturnas et graves. Christianam pietatem, publicam morum honestatem, fidemque ipsam, quae summum est bonum virtutumque ceterarum principium, maioribus quotidie periculis videmus oppositam. Item difficilem conditionem variosque angores Nostros non modo cognoscitis, sed facit caritas vestra ut quadam Nobiscum societate et communione sentiatis. Miserrimum autem est ac longe luctuosissimum, tot animas Iesu Christi sanguine redemptas, quodam aberrantis saeculi veluti correptas turbine, praecipites in peius agi atque in interitum ruere sempiternum. Igitur divini necessitas auxilii haud sane est hodie minor, quam cum magnus Dominicus ad publica sananda vulnera Marialis Rosarii usum invexit. Ille vero coelesti pervidit lumine, aetatis suae malis remedium nullum praesentius futurum, quam si homines ad Christum, qui *via, veritas et vita* est, salutis per Eum nobis partae crebra commentatione rediissent; et Virginem illam, cui datum est *cunctas haereses interimere*, deprecatricem apud Deum adhibuissent. Idcirco sacri Rosarii formulam ita composuit, ut et salutis nostrae mysteria ordine recolerentur, et huic meditandi officio mysticum innecteretur sertum ex angelica salutatione contextum, interiecta oratione ad Deum et Patrem Domini Nostri Iesu Christi. Nos igitur haud absimili malo idem quaerentes remedium, non dubitamus, quin eadem haec a beatissimo viro tanto cum orbis catholici emolumento inducta precatio, momenti plurimum habitura sit ad levandas nostrorum quoque temporum calamitates.

Quamobrem non modo universos christianos enixe hortamur, ut vel publice vel privatim in sua quisque domo et familia pium hoc Rosarii officium peragere studeant et non intermissa consuetudine usurpent, sed etiam INTEGRUM ANNI LABENTIS OCTOBREM MENSEM coelesti Reginae a Rosario sacrum dicatumque esse volumus. — Decernimus itaque et mandamus, ut in orbe catholico universo hoc item anno solemnia Deiparae a Rosario peculiari religione et cultus splendore celebrentur; utque a prima die proximi octobris ad secundam subsequentis novembris, in omnibus ubique curialibus templis, et si Ordinarii locorum utile atque opportunum iudicaverint, in aliis etiam templis sacrariisve honori Deiparae dedicatis, quinque saltem Rosarii decades, adiectis Litaniis Lauretanis religiose recitentur: optamus autem ut ad has preces conveniente populo, eodem tempore sacrum ad altare fiat, vel Sacramento augusto ad adorandum proposito, sacrosancta deinceps Hostia pius supplicantium coetus rite lustretur. — Magnopere probamus, sodalitates a Rosario Virginis solemni pompa vicatim per urbes, accepta a maioribus consuetudine, publicae religionis caussa procedere. Quibus autem in locis id iniuria temporum forte non licet, quidquid publicae religioni ex hac parte detractum est, frequentiore redimatur ad sacras aedes accursu; et diligentiore virtutum christianarum exercitatione fervor pietatis eluceat.

Eorum autem gratia, qui quae supra iussimus facturi sunt, libet coelestes Ecclesiae thesauros recludere, in quibus ipsi incitamenta simul et praemia pietatis inveniant. Omnibus igitur qui intra designatum temporis spatium, Rosarii cum Litaniis publicae recitationi interfuerint, et ad mentem Nostram oraverint, septem annorum itemque septem quadragenarum apud Deum indulgentiam singulis vicibus obtinendam concedimus. Quo beneficio frui pariter posse volumus, quos supplicationibus publicis supra dictis legitima caussa prohibeat, hac tamen lege ut eidem sacrae exercitationi privatim operam dederint, itemque Deo ad mentem Nostram supplicaverint. — Eos vero qui supra dicto tempore decies saltem, vel publice in sacris templis, vel iustas ob caussas privatis in domibus eadem peregerint, et, ex-

piatis rite animis, sacra de altari libaverint, piaculo omni et statis admissorum poenis ad pontificalis indulgentiae modum exsolvimus. — Plenissimam hanc admissorum suorum veniam omnibus etiam elargimur, qui vel in ipsis beatae Mariae Virginis a Rosario solemnibus, vel quolibet ex octo consequentibus diebus, ablutis pariter salutari confessione animis, ad Christi mensam accesserint, et in aliqua aede sacra pro Ecclesiae necessitatibus ad mentem Nostram Deo et Deiparae rite supplicaverint.

Agite vero, Venerabiles Fratres; quantum Vobis curae est et Mariae honos et societatis humanae salus, tantum studete populorum in Magnam Virginem alere pietatem, augere fiduciam. Divino quidem munere factum putamus, ut vel turbulentissimis hisce Ecclesiae temporibus, in maxima christiani populi parte stet ac vigeat antiqua in augustam Virginem religio et pietas. Nunc vero exhortationibus his Nostris excitatae, vestrisque vocibus incensae christianae gentes vehementiore in dies animi ardore sese in Mariae tutelam fidemque recipiant, et adamare magis ac magis insistant Marialis Rosarii consuetudinem, quam maiores nostri non modo uti praesens in malis auxilium, sed etiam nobilis instar tesserae christianae pietatis habere consueverunt. Obsecrationes concordes ac supplices libens excipiet humani generis Patrona coelestis, illudque facile impetrabit, ut boni virtutis laude crescant; ut devii sese ad salutem colligant ac resipiscant; ut vindex scelerum Deus ad clementiam ac misericordiam conversus rem christianam remque publicam, amotis periculis, optatae tranquillitati restituat.

Hac spe erecti, Deum ipsum, per Eam in qua totius boni posuit plenitudinem, summis animi Nostri votis enixe obsecramus, ut maxima qua que Vobis, Venerabiles Fratres, coelestium bonorum munera largiatur: in quorum auspicium et pignus, Vobis ipsis et Clero vestro et populis cuiusque vestrum curae concreditis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 Septembris, A. MDCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

LEO PP. XIII.

RESCRIPTUM SACRAE CONGREG. INDULGENTIARUM

quo concessa est Indulgentia tercentum dierum pueris operam litteris daturis qui recitent orationem adnexam.

BEATISSIME PATER,

Franciscus Cassidii, S. J., Rector Collegii Beaumont (Windsor) in Anglia ad pedes S. V. provolutus, pro sequenti oratione, quae omnibus pueris et iuvenibus, litteris operam daturis, recitanda proponetur, aliquam Indulgentiam humillime petit.

Et Deus etc.

Consecratio studiorum in honorem Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis.

« *Sub patrocinio tuo, Mater dilectissima, et invocato Immaculatae Conceptionis Tuae mysterio, studia mea laboresque litterarios prosequi volo: quibus me protestor hunc maxime ob finem incumbere, ut melius divino honori Tuoque cultui propagando inserviam.*

« *Oro Te igitur, Mater amantissima, Sedes Sapientiae, ut laboribus meis benigne faveas: ego vero, quod iustum est, pie libenterque promitto, quidquid boni mihi inde successerit, id me Tuae apud Deum intercessioni, totum acceptum relaturum. Amen.* » (1)

Sanctissimus Dnus N. Leo Papa XIII in Audientia habita die 18 novembris 1882 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus pueris et iuvenibus, litteris operam daturis, orationem uti supra propositam, corde saltem contrito ac devote recitantibus, Indulgentiam tercentum dierum semel in die lucrandam benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 18 Novembris 1882.

AL. Card. OREGLIA A S. STEPHANO Praef.

Fr. Della Volpe Secretarius.

(1) Hanc orationem Studentibus nostris et Collegiorum seraphicorum alumnis commendamus.

II.
ACTA ORDINIS

AD FRATRES DISPERSOS
INCITAMENTA SERAPHICA.

X.

Spiritus seraphicus Provincias suppressas aut devastatas saeculo XVI non dereliquit, sed eas potius mirifice collustravit. (Continuatio.)

Iniuriam inferre videremur Provinciis saeculo XVI devastatis, de quibus, peculiarem mentionem nondum fecimus, si, quae in laudem aliarum iam protulimus, et istis etiam tribuenda esse negligeremus ostendere.

Dicendum igitur superest de Provinciis Galliae, Germaniae Inferioris, Belgii, Hyberniae, Angliae et Scotiae, quae omnes Regularem Observantiam feliciter admiserant et sub ea, generatim loquendo, religiose militabant, dum ab haeresi aut schismate fuerunt devastatae aut suppressae (1).

Quod ad Galliae Provincias attinet, notandum est cum Rmo Gonzaga (pag. 685) quod Provincia Turoniae Pictaviensis, quae per antonomasiam sancta fuit appellata, eo quod odore et opinione sanctitatis suae Gallos resperserit, caeteris Galliarum Provinciis disciplinae regularis habenas ac reformationem induxerit, ac puriorem illam Regulae Minorum observationem unanimi voto amplexata sit, ut etiam propterea ad S. Synodum Constantiensem, anno Domini 1415, dare litteras supplices non erubuerit. Eius etiam alumni in resarcienda puriori Regulae observatione permultos annos laboraverunt in Galliis, quorum tandem exemplum et reliquae Provinciae imitatae magna laude fuerunt.

Has igitur Provincias, quarum octo existebant, invaserunt Calviniani non modo saeculo XVI sed etiam sub initio sequentis. Quantam autem ferocitatem in eas exercuerint, satis dici nequit, cum non solum conventus spoliaverint aut igni cum omnibus documentis et supellectili tradiderint, sed etiam ipsi Fratres crudelissima quaeque ab eis toleranda habuerint.

Quam strenue Franciscani in hac immani persecutione pro fide Christi decertaverint, satis superque probant et magnus numerus eorum (scilicet circa 200) qui in variis Galliae partibus martyrium subierunt, uti et apostolici viri et eximii scriptores permulti qui miserrimo illo tempore causam Ecclesiae Catholicae tam egregie quam constanter defenderunt. Ex quo illud etiam in laudem harum Provinciarum merito concludere licet, quod earum alumni tempore dispersionis in magno saltem numero spiritum religiosum in saeculo conservaverint.

Hoc potissimum eluxit, dum divina Providentia persecutionis saevities sedare contingeret et libertas quaedam in unum conveniendi Fratribus expulsis redderetur. Tunc enim, teste Gonzaga, non modo videmus multos Religiosos memores sui status, pristinaeque suae franciscanae solitudinis ferventissimos zelatores, coenobii sui reparationi insudare, sed et pios fideles, inter quos multi magnates, omnem opem et operam eiusdem instaurationi impendere. Repristinato autem conventu, devotissimi illi Fratres diurnas ac nocturnas laudes Domino decantabant, atque ibidem fidelissime Deo in pura Regulae observantia famulabantur.

Hoc potissimum locum obtinuit in illis Provinciis in quibus ante suppressionem exactior vigebat Regulae et monasticae disciplinae observantia. In aliis autem superstites Fratres sat magno etiam numero ad conventus suos quidem redierunt, nec ausi fuissent stimulante conscientia dispersi remanere; sed, quod maxime dolendum est, varii ex eis qui diuturniori in saeculo conversatione mundanum pulverem contraxerant et in tepore languerant, iuxta genium suum et pravos suos habitus in coenobio vivere voluerunt cum maximo disciplinae regularis detrimento.

Exinde enim brevi irrepserunt abusus contra Regulam et signanter contra sanctam paupertatem et vitam communem; orationis et devotionis spiritus coepit tepescere, frequentia chori languere, otium foveri, atque inutilia saecularium consortia et incautae cum foeminis familiaritates impune fuerunt admissa; quibus omnibus Provinciae illae in initio Observantiae

(1) Multa et praeclara de his Provinciis narrat adm. R. P. Marcellinus a Civetia, in volumine septimo quod proxime in lucem prodibit egregii sui operis: *Storia universale delle Missioni Francescane.*

Regularis tam ferventes pristinum suum splendorem et sanctitatis decorem amiserunt.

Verumtamen spiritus seraphicus illas penitus non reliquit: benigna enim Dei providentia ubique inveniebantur qui Regulae suae perfecti permanserant observatores et laxatum vivendi modum amare deflebant. Ex his prodierunt spiritu ferventes nonnulli qui tamquam a Deo missi et confortati enervatam disciplinam denuo ad sua principia revocarunt et Ordini seraphico in Gallia primum suum splendorem reddiderunt. Et hoc quidem zelosi illi Fratres praestandum iudicarunt, introducendo quaedam statuta quibus antiquam Observantiam Regularem ab abusibus introductis purgarent et sanctis quibusdam ordinationibus munirent et consolidarent.

Quam ardenti zelo Religiosi Galliae hoc sanctiori vivendi modo Ordinis decorem et perfectionem promoverint, et quam brevi atque quam late se extenderit haec Observantiae Regularis restauratio, facile quis intelliget, si recogitet quod ibidem initium tantum sumpserit anno 1583, dum Rmus P. Gonzaga moram agebat in Gallia (1), et quod anno 1612 iam duae erectae essent huius instaurationis formales Provinciae, et tres aliae ante completum annum 1620, atque tractu temporis octo exstiterint huius vitae florescentes Provinciae, quae ad magnam usque perturbationem Gallicanam intactae permanserunt.

Quam utiliter autem in populoso illo Regno pro haeresis calvinianae extirpatione, hac sancta vivendi forma desudaverint Minoritae, qualiter hac de causa a regibus et episcopis, maximo religionis catholicae profectu, expetiti fuerint et quomodo multiplicatis missionibus et conventibus simul populum Dei electum multiplicaverint, desumi potest ex Dominico de Gubernatis (*Orbis seraphicus* Tom. I. pag. 84 et seq.) ubi mirabilia de eorum zelo et sanctitatis fama narrantur.

Hisce expositis, dicendum est de Provinciis Germaniae Inferioris et Belgii; quae autem huc spectant paucis complectemur, cum eadem fere cum Gallicis earum fuerint sors atque conditio.

(1) Cfr. Arthurum, *Martyrologium Franciscanum*, XXIX Iulii, pag. 336, § 15, ubi fit memoria Patris Francisci Doziechii.

Provincia Germaniae Inferioris quae merito gloriatur de profuso sanguine suorum Martyrum, praesertim Gorcomiensium et Alkmariensium, triginta duobus constabat olim conventibus, quorum aliqui in Belgio existebant. Tempore crudelis invasionis fere omnes illos amisit qui in partibus Hollandiae reperiebantur, cum ibidem principes haeretici, devicta dominatione Hispanica, imperium regni tenere coeperunt et continuarunt, atque in Religiosos et sacerdotes fere ad haec nostra tempora implacabile odium servarunt et omnis generis molestias et persecutiones eis suscitare non cessarunt. Quantam laudem haec Provincia meruerit propter zelum assiduum in primaeva Observantia Regulari in sua perfectione servanda, primum deduci potest ex testimonio Rmi Patris Francisci de Angelis, Ministri Generalis, qui, cum principaliorem conventum, Lovaniensem scilicet, qui tunc ad hanc Provinciam pertinebat, circa annum 1525 visitasset, postquam alias Provincias iam perlustraverat, ad suos reversus, istud praebebat de hoc conventu testimonium: *Lapides conventus Lovaniensis sancti sunt, et nescio quam sanctitatem redolent.* Tantam ibi, dum visitaret, repererat pietatem et humilitatem, tantam religionem, tantum spiritus fervorem, tantam concordiam, ut ad instar aciei ordinatissimae omnibus intrantibus admirabilis hic locus redderetur, ac intuentes in stuporem caperet atque compungeret (1). Nec illud minus idipsum probat quod dum saeculo sequenti rogaretur haec Provincia ut nomen strictioris Observantiae vellet assumere, annuerit quidem, sed declarando quod propterea nihil in suo vivendi modo mutare teneretur, eo quod primaevam vitam Observantium non cessaverit servare, praesertim quoad studium orationis, paupertatem et simplicitatem seraphicam.

His ad exemplum et aedificationem nostram relatis, ad argumentum nostrum redeamus. Tempore igitur violentae occupationis Calvinistarum, conventibus spoliatis aut combustis, Fratres expulsi ad coenobia se receperunt quae haec Provincia habebat in Belgio vel tamquam veri Missionarii in Hollandia cum vitae periculo permanserunt.

Quantus in hoc regno fuerit huius Pro-

(1) Vide Gonzaga *Conventus Lovaniensis* pag. 991.

vinciae zelus in promovenda animarum salute, in confirmandis catholicis et reducendis haereticis, et quanto cum successu per tria saecula simul cum aliis Religiosis conservationis fidei allaboraverit, lucide constat, tum ex numero illorum quos in Religione catholica conservarunt Fratres nostri iis in locis in quibus cum maximis licet molestiis manere aut latere potuerunt, tum ex eo quod ad nostra fere tempora alii vix darentur sacerdotes in civitatibus et oppidis Hollandiae praeter Religiosos, qui tractu temporis fixam ibi sedem cum cura animarum habere potuerunt.

De Fratrum proinde religiosa conversatione in hac crudeli persecutione nihil nisi laude dignum dicendum esse iudicamus, siquidem sub dependentia et obedientia continua suorum Superiorum sive in conventibus sive in missionibus vitam ducebant.

Quae de Provincia Germaniae Inferioris retulimus, dicenda etiam veniunt de duabus Provinciis Belgicis, quae pari crudelitate a Calvinistis fuerunt tractatae, et quarum omnes fere conventus, Religiosis violenter expulsis, aut spoliati aut flammis traditi fuerunt.

Dum haec in variis Belgii partibus patrarentur, Fratres Minores pro fide decertantes exilia et martyria passi sunt et pro domo Dei se murum opposuerunt. Ubique in ea tempestate laborabant in confortandis catholicis, exules fideles ad exteras regiones concomitando, inquilinis, ubique in urbibus et pagis assistendo, ex quibus plures, sanguine per haereticos fuso terram, ne siccitate sterilesceret, irrigarunt. Dum autem in hac sancta militia toti essent occupati, benigna Dei Providentia factum est, ut Geusi sive Calvini sectatores post paucos annos devincerentur, Duce Parmensi feliciter eos oppugnante, et ita Belgium circa annum 1585 ad dominationem Hispanicam rediret. Cessantibus autem armis, in reductione haereticorum tam strenue laborabant Franciscani Observantes ut, Deo sit gloria, ita restitutus sit ager ille Ecclesiae catholicae, ut nonnisi modicum zizaniae inter fortissimas segetes remanserit.

Quod autem religiosum spiritum servaverint tempore violentae suppressionis, satis superque ex eo constat quod, libertate concessa, nihil potius habuerint quam conventus suos etsi laceratos repetere, aut, si fuerint combusti, ad loca ubi exstiterant convenire ut eorum reaedificationi attenderent, prout ex Chronicis harum Provinciarum compertum habemus. Repristinatis vero conventibus, simul exacta regularis disciplina instaurari potuit, et eo quidem facilius quod Superiores invenirentur non minus pietate quam doctrina conspicui.

Quae omnia confirmare videtur Dominicus De Gubernatis (*Orbis seraphicus*, Tom. II. pag. 420 n. 283) dicens: « In Belgio et Germania Inferiori zelum pro puriori Regulae observantia semper viguisse non latet. »

(Continuabitur)

—

CATALOGUS (1)

Beatorum et Beatarum totius Seraphici Ordinis, quibus ecclesiasticus cultus a Sede Apostolica concessus est.

In Japonia ab anno 1617 usque ad annum 1662 quadraginta quinque Martyres primi et tertii Ordinis diversis cruciatibus pro Christo occisi sunt, quos omnes Pius IX anno 1867 Beatorum Albo accensuit. Eorum nomina sunt:

1. B. Apollinaris Franco, Commissarius, Hispanus, M. 1. O. Obiit anno 1622.
2. B. Petrus ab Assumptione, Hispanus, M. 1. O. (1617.)
3. B. Joannes a S. Martha, Hispanus, M. 1. O. (1618).
4. B. Richardus a S. Anna, Belga, M. 1. O. (1622.)
5. B. Petrus ab Avila, Hispanus, M. 1. O. (1622.)
6. B. Vincentius a S. Joseph, Hispanus, M. 1. O. (1622.)
7. B. Franciscus a S. Bonaventura, Japonensis, M. 1. O. (1622.)
8. B. Didacus a S. Clara, Japonensis, M. 1. O. (1622.)
9. B. Franciscus Galves, Hispanus, M. 1. O. (1623.)
10. B. Aloysius Sotellus, Hispanus, M. 1. O. (1624.)

(1) Catalogus Sanctorum Ordinis iam editus est. Cfr *Acta* huius anni, p. 96. Venerabilium autem Servorum Dei quorum causa beatificationis iam introducta fuit, proxime dabimus.

11. B. Aloysius Sosanda, Japonensis, M. 1. O. (1624.)

12. B. Franciscus a S. Maria, Hispanus, M. 1. O. (1627.)

13. B. Bartholomaeus Laurel, Mexicanus, M. 1. O. (1627.)

14. B. Antonius a S. Francisco, Japonensis, M. 1. O. (1627.)

15. B. Antonius a S. Bonaventura, Hispanus, M. 1. O. (1628.)

16. B. Dominicus Nangasachius, Iaponensis, M. 1. O. (1628).

17. B. Hieronymus de Torres, Iaponensis, M. 1. O. (1632).

18. B. Gabriel a S. Magdalena, Hispanus, M. 1. O. (1632).

19. B. Leo Satzuma, Iaponensis, M. 3. O. (1622).

20. B. Aloysius Baba, Iaponensis, M. 3. O. (1624).

21. B. Gasparus Voz, Iaponensis, M. 3. O. (1627).

22. B. Thomas Và, Iaponensis, M. 3. O. (1627).

23. B. Franciscus Cuffioie, Iaponensis, M. 3. O. (1627.)

24. B. Michael Chizaimon, Iaponensis, M. 3. O. (1627).

25. B. Lucas Chiemon, Iaponensis, M, 3. O. (1627).

26. B. Aloysius Matzuo, Iaponensis, M. 3, O. (1627).

27. B. Martinus Gomez, Iaponensis, M. 3. O. (1627).

28. B. Thomas Tzugi, Iaponensis, M. 3. O. (1627).

29. B. Aloysius Maqui, Iaponensis, M. 3. O. (1627) eiusque filius:

30. B. Ioannes Maqui, M. 3. O. (1627).

31. B. Aloysius Nifaci, Iaponensis, M. 3. O. (1628) eiusque duo filii:

32. B. Franciscus Nifaci, M. 3. O. (1628.)

33. et B. Dominicus Nifaci, M. 3. O. (1628).

34. B. Ioannes Tomachi, Iaponensis, M. 3. O. (1628) eiusque quatuor filii:

35. B. Michael Tomachi, M. 3. O. (1628.)

36. B. Dominicus Tomachi, M. 3. O. (1628).

37. B. Paulus Tomachi, M. 3. O. (1628).

38. et B. Thomas Tomachi, M. 3. O. (1628).

39. B. Matthaeus Alvarez, Iaponensis, M. 3. O. (1628).

40. B. Michael Iamada, Iaponensis, M. 3. O. (1628) eiusque filius:

41. B. Laurentius Iamada, M. 3. O. (1628).

42. B. Romanus Iaponensis, M. 3. O. (1628).

43. B. Lucia Freites, Vid. Iaponensis, M. 3. O. (1622).

44. B. Maria Voz, Vid. Iaponensis, M. 3. O. (1627).

45. B. Aloysia Iaponensis, Vid. M. 3. O. (1628).

46. B. Ioannes de Prado, M. 1. O. Anno 1631 pro Christo passus et a Benedicto XIII Beatis adnumeratus est.

47. B. Ioannes a Perusio in Umbria, M. 1. O. Palmam martyrii obtinuit una cum sequenti socio Valentiae in Hispania anno 1231. Quorum cultum approbavit Benedictus XIII.

48. B. Petrus a Saxoferrato, M. 1. O.

49. B. Stephanus Narbonensis, M. 1. O. Martyrio coronatus est cum sequenti socio Avenioneti anno 1242. Eorum cultum approbavit Pius IX.

50. B. Raymundus Carbonerius, M. 1. O. (1242).

51. B. Gentilis a Mathelica, M. 1. O. In Perside pro Christo passus est. Eius cultum Pius VI approbavit.

52. B. Raymundus Lullius, M. 3. O. Passus est anno 1315. Eius cultum Leo X approbavit.

53. B. Iacobus de Strepa, Ep. C. 1 O. Obiit anno 1411. Eius cultum approbavit Pius VI.

54. B. Matthaeus ab Agrigento, Ep. C. 1. O. Obiit anno 1455. Eius cultum approbavit Clemens X.

55. B. Bernardinus de Feltria, C. 1. O. Obiit anno 1494. Innocentius X eum Beatorum Albo adscripsit.

56. B. Nicolaus Factor, C. 1. O. Obiit anno 1583 et a Pio VI Beatis adnumeratus est.

57. B. Sebastianus ab Apparitio, C. 1. O. Obiit anno 1600 et a Pio VI Beatis adscriptus est.

58. B. Iulianus a S. Augustino, C. 1. O. Obiit anno 1605 et a Leone XII Beatis adscriptus est.

59. B. Humilis a Bisiniano, C. 1. O. Obiit anno 1637 et a Leone XIII anno 1882 in Album Beatorum relatus est.

60. B. Carolus a Setia, C. 1. O. Obiit anno 1670 et a Leone XIII Beatis adscriptus est.

61. B. Thomas a Cora, C. 1. O. Obiit anno 1729 et a Pio VI Beatis adscriptus est.

62. B. Benvenutus ab Eugubio, C. 1. O. Obiit anno 1232. Eius cultum approbavit Gregorius IX.

63. B. Bentivolius de Bonis a S. Severino, C. 1. O. Obiit anno 1232. Eius cultum approbavit Pius IX.

64. B. Peregrinus a Falerone, C. 1. O. Obiit anno 1223. Eius cultum approbavit Pius VI.

65. B. Rizzerius a Mucia, C. 1. O. Obiit anno 1236. Eius cultum approbavit Gregorius XVI.

66. B. Rogerius a Tuderto, C. 1. O. Obiit anno 1237. Eius cultum approbavit Benedictus XIV.

67. B. Guidus a Cortona, C. 1. O. Obiit anno 1250.

68. B. Andreas ab Hyspello, C. 1. O. Obiit anno 1254. Eius cultum approbavit Clemens XII.

69. B. Liberatus a Lauro, C. 1. O. Obiit anno 1258.

70. B. Aegidius Assisiensis, C. 1. O. Obiit anno 1262. Eius cultum approbavit Pius VI.

71. B. Ioannes a Pinna, C. 1. O. Obiit anno 1271. Eius cultum approbavit Pius VII.

72. B. Ioannes a Parma. C. 1. O. Obiit anno 1289. Eius cultum approbavit Pius VI.

73. B. Conradus ab Asculo, C. 1. O. Obiit anno 1289. Eius cultum approbavit Pius VI.

74. B. Benvenutus a Recineto, C. 1. O. Obiit anno 1289. Eius cultum approbavit Pius VII.

75. D. Andreas de Comitibus Signiae, C. 1. O. Obiit anno 1302. Eius cultum approbavit Innocentius X.

76. B. Petrus de Monticulo (Treia), C. 1. O. Obiit anno 1304. Eius cultum approbavit Pius VI.

77. B. Raynerius Aretinus, C. 1. O. Obiit anno 1304. Eius cultum approbavit Pius VII.

78. B. Conradus ab Ophyda, C. 1. O. Obiit anno 1306. Eius cultum approbavit Pius VII.

79. B. Franciscus a Fabriano, C. 1. O. Obiit anno 1322.

80. B. Ioannes a Firmo, dictus de Alverna C. 1. O. Obiit anno 1322. Eius culapprobavit Leo XIII.

81. B. Bartholomaeus Pucci Franceschi, C. 1. O. Obiit anno 1330. Eius cultum approbavit Leo XIII.

82. B. Odoricus a Portunaone, C. 1. O. Obiit anno 1331. Eius cultus anno 1755 approbatus est.

83. B. Sanctes a Monte Fabrorum, C. 1. O. Obiit anno 1390. Eius cultum approbavit Clemens XIV.

84. B. Thomas a Florentia, C. 1. O. Obiit anno 1447. Eius cultum approbavit Clemens XIV.

85. B. Herculanus a Plagario, C. 1. O. Obiit anno 1451. Eius cultum approbavit Pius IX.

86. B. Gabriel Ferretti ab Ancona, C. 1. O. Obiit anno 1456. Eius cultum approbavit Benedictus XIV.

87. B. Archangelus a Calataphimo, C. 1. O. Obiit anno 1860. Eius cultum approbavit Gregorius XVI.

88. B. Antonius a Stronconio, C. 1. O. Obiit anno 1461. Eius cultus anno 1689 approbatus est.

89. B. Marcus Fantutius a Bononia, C. 1. O. Obiit anno 1479. Eius cultum approb. Pius IX.

90. B. Pacificus a Ceredano, C. 1. O. Obiit anno 1482. Eius cultum approbavit Benedictus XIV.

91. B. Simon a Lypnica, C. 1. O. Obiit anno 1482.

92. B. Ioannes a Dukla, C. 1. O. Obiit anno 1484. Eius cultum approbavit Clemens XII.

93. B. Iacobus Illyricus a Iadera, C. 1. O. Obiit anno 1490. Eius cultum approbavit Innocentius XIII.

94. B. Petrus a Molleano, C. 1. O. Obiit anno 1490. Eius cultum approbavit Clemens XIII.

95. B. Angelus a Clavasio, C. 1. O. Obiit anno 1495. Eius cultum approbavit Benedictus XIII.

96. B. Marcus a Monte Gallo, C. 1. O. Obiit anno 1497. Eius cultum approbavit Gregorius XVI.

97. B. Bernardinus a Fossa, C. 1. O. Obiit anno 1503. Eius cultum approbavit Leo XII.

98. B. Vincentius ab Aquila, C. 1. O. Obiit anno 1504. Eius cultum approbavit Pius VI.

99. B. Timotheus a Monticulo, C. 1. O. Obiit anno 1504. Eius cultum approbavit Pius IX.

100. B. Ladislaus a Gielniow, C. 1. O. Obiit anno 1505. Eius cultum approbavit Benedictus XIV.

101. B. Franciscus a Calderola, C. 1. O. Obiit anno 1507. Eius cultum approvavit Gregorius XVI.

102. B. Aegidius a Laurentiana, C. 1. O. Obiit anno 1508. Eius cultum approbavit Leo XIII.

103. B. Salvator ab Horta, C. 1. O. Obiit anno 1567. Eius cultum approbavit Clemens XI.

104. B. Andreas Hibernon, C. 1. O. Obiit anno 1601. Eius cultum approbavit Pius VI.

105. B. Benedictus ab Urbino, C. O. Capucc. Obiit anno 1625.

106. B. Bernardus a Corleone, C. O. Capucc. Obiit anno 1667.

107. B. Bernardus ab Ophyda, C. O. Capucc. Obiit anno 1694.

108. B. Angelus ab Acrio, C. O. Capucc. Obiit anno 1739.

109. B. Crispinus a Viterbio, C. O. Capucc. Obiit anno 1750.

110. B. Bonaventura a Potentia, C. O. Conv. Obiit anno 1711.

111. B. Luchesius a Castro Benitio, C. 3. O. Obiit anno 1242. Eius cultum approbavit Pius VI.

112. B. Gherardus a Villamagna, C. 3. O. Obiit anno 1242. Eius cultum approbavit Gregorius XVI.

113. B. Petrus Senensis, C. 3. O. Obiit anno 1289. Eius cultum approbavit Pius VII.

114. B. Cichus a Pisauro, C. 3. O. Obiit anno 1350. Eius cultum approbavit Pius IX.

115. B. Hugolinus Magalossi a Camerino, Eremita, C 3. O. Obiit 1373. Eius cultum approbavit Pius IX.

116. B. Joannes de Pace a Pisa, C. 3. O. Obiit anno 1433.

117. B. Philippa Mareria, V. 2. O. Obiit anno 1236.

118. B. Helena Enselmina de Padua, V. 2. O. Obiit anno 1242.

119. B. Salomea de Cracovia, V. 2. O. Obiit anno 1268. Eius cultum approbavit Clemens X.

120. B. Isabella, V. 2. O. Obiit anno 1270. Eius cultum approbavit Leo X.

121. B. Agnes Pragensis, V. 2. O. *Obiit* anno 1280. Eius cultum approbavit Pius IX.

122. B. Margarita Columna, V. 2. O. Obiit anno 1284. Eius cultum approbavit Pius IX.

123. B. Cunegundis Hungariae, V. 2. O. Obiit anno 1292. Eius cultum approbavit Alexander VIII.

124. B. Mathias de Nazaraeis a Mathelica, V. 2. O. Obiit anno 1300. Eius cultum approbavit Clemens XIII.

125. B. Felix Meda a Mediolano, V. 2. O. Obiit anno 1444. Eius cultum approbavit Pius VII.

126. B. Antonia a Florentia, V. 2. O. Obiit anno 1772. Eius cultum approbavit Pius IX.

127. B. Eustochium a Messana, V. 2. O. Obiit anno 1499. Eius cultum approb. Pius VI.

128. B. Paula a Mantua, V. 2. O. Obiit anno 1514. Eius cultum approbavit Pius IX,

129. B. Baptista Varani, V. 2. O. Obiit anno 1527. Eius cultum approbavit Gregorius XVI.

130. B. Jolenta, Vid. 2. O. Obiit anno 1298. Eius cultum approbavit Leo XII.

131. B. Seraphina Sfortia, Vid. 2. O. Obiit anno 1778. Eius cultum approbavit Benedictus XIV.

132. B. Ludovica a Sabaudia, Vid. 2. O. Obiit anno 1503. Eius cultum approbavit Gregorius XVI.

133. B. Viridiana de Castro Florentino, V. 3. O. Obiit anno 1242. Eius cultum approbavit Clemens VII.

134. B. Joanna de Signa, V. 3. O. Obiit anno 1307. Eius cultum approbavit Pius VII.

135. B. Delphina de Glandives, V. 3. O. Obiit anno 1360. Eius cultum approbavit Urbanus V.

136. B. Lucia a Calatajerone, V. 3. O. Obiit anno 1400. Ejus cultum approbavit Leo. X.

137. B. Elisabeth Bona, V. 3. O. Obiit anno 1420. Eius cultum approbavit Clemens XIII,

138. B. Humiliana a Cerchis, Vid. 3. O. Obiit anno 1246. Eius cultum approbavit Innocentius XII.

139. B. Angela Fulginatensis, Vid. 3. O. Obiit anno 1309.

140. B. Michelina a Pisauro, Vid. 3. O. Obiit anno 1356. Eius cultus approbatus est anno 1737.

141. B. Joanna Maria de Malliaco, Vid. 3. O. Obiit anno 1414. Eius cultum approbavit *Pius* IX.

142. B. Angelina a Marsciano, Vid. 3. O. Obiit anno 1435. Eius cultum approbavit Leo XII.

143. B. Joanna Valesia, Vid. 3. O. Obiit anno 1505.

144. B. Paula Gambara Costa, Vid. 3. O. Obiit anno 1505. Eius cultum approbavit Gregorius XVI.

145. B. Ludovica ab Albertonibus, Vid. 3. O. Obiit anno 1533.

III.
MISSIONES

EPISTOLA

Rmi D. Aloysii Moccagatta, *Vicarii Apostolici de* Chan-si *ad Praesidem pii operis Propagationis fidei.*

Summarium.

1. Finem habuit persecutio in districtu quodam meridionali, ubi per annum efferbuerat. — 2. Ita augetur catechumenorum numerus ut catechistae deficiant; tres catechistae commendantur. — 3. Catechista coecus ad illuminandas infidelium mentes aptissimus. — 4. Alter catechista illitteratus quidem ruricola, sed eloquens evangelista est fidei confessor strenuus. — 5. Tertius Catechista mulier est vidua et apud mulieres fidelis operaria in Evangelio. — 6. Oratoria multiplicantur.

Illustrissimo Sig. Presidente

1. Verso la fine dell'anno scorso per mezzo della Legazione Francese a Pekino, cui avemmo ricorso, ci venne fatto di sedare la persecuzione, che da più d'un anno infieriva in un distretto del mezzogiorno. L'autore della persecuzione dovette pubblicamente riconoscere sua colpa dinanzi al Missionario, neofiti, e catecumeni; ed in pena fu obbligato per tre dì bandire loro un pranzo con musica. In tal guisa fu reintegrata la fama dei neofiti accusati quai ribelli, e fatta palese la trama di quel prepotente gentile, che unitosi ai capi dei paghi circonvicini, e sostenuto dal mandarino, s'era proposto di sterminare perfino il nome di cristiano da quel distretto. I catecumeni, non altrimenti, che fossero campati da una gran bufera, e rientrati in porto, si rinfrancarono, e deposero ogni timore. I gentili onesti concepirono maggior stima di nostra S. Religione, e molti chiesero di abbracciarla, ed iscriversi al catecumenato.

2. Attualmente sono tanti i distretti che chieggono catechisti per predicare ai gentili, che desiderano istruirsi nella Religione cristiana; che io per quanti ne trovi, non arrivo a soddisfare il desiderio dei postulanti. Fra questi catechisti distinguonsi particolarmente un giovine cieco, un vecchio contadino, ed una vedova. Non si meravigli, se al solo intenderne il nome le parranno soggetti poco adatti a predicare il S. Vangelo; poichè è antico costume dell'Onnipotenza divina il servirsi d'istrumenti deboli per operare grandi cose.

3. Il primo divenuto cieco per malattia all' età di sette anni ancor gentile, si stava, come uditore, a scuola nel proprio pago, ove eravi a maestro un dotto e fervoroso cristiano. Questi, vedendo la buona indole, e tenace memoria di cotesto suo allievo, si prese cura d'insegnargli prima i libri classici gentili, che egli apprese tutti a memoria con loro spiegazione; poi passò ad istruirlo nella Religione cristiana, di cui pure imparò a mente il Catechismo, le preci, e qualche libro di controversia. Il maestro quindi morì, ed il cieco poco dopo abbracciò la Religione, di cui si fe' tosto propagatore inducendo prima i parenti

e tutti quei di casa a farsi cristiani, e poi varie altre famiglie, tanto che si formò colà una cristianità. Avendo io inteso la sua abilità e zelo in predicare il Vangelo, stimai bene d'inviarlo a predicare in una città molto ricca e mercantile. V'andò egli condotto da un cristiano, e per attirare gente ad ascoltarlo, prese varie pezze di tela bianca, fe' scrivervi sopra a grandi caratteri le tesi, che si propone di provare: in una. — Vi è un Dio Creatore del cielo e della terra, — nell'altra. — Falsità della Setta di Budda. — etc. etc. Con queste egli va sulle piazze e trivii, e quivi spiegate le sue tele, incomincia a predicare e provare le sue tesi. Come egli è dotato d'una naturale eloquenza e facondia, attira l'attenzione degli uditori, che pendono tutti dal suo labbro. Avvenne, che capitò a passare di là un Laureato, che è stimato il primo talento di quella città, ed insieme sì terribile e capace di vincere liti, che tutti, ed anche il mandarino lo temono, e si guardan bene dal renderselo nemico. Questi sentendo predicare verità a lui affatto nuove, volle ascoltarle attentamente, prima più per curiosità e desiderio di confutarle, che di crederle; ma poi vedendo di non poter ribattere le ragioni incalzanti, chiamò in casa sua il cieco, e quivi per tre giorni continui disputò seco lui proponendogli molti dubbi, che gli vennero tutti sciolti colla maggior facilità e chiarezza: finchè convinto e persuaso non volle contradire alla verità conosciuta, e dichiarossi cristiano. Va ora studiando la dottrina cristiana con tanto contento dell'animo suo, che pargli d'avere trovato un gran tesoro; e va dicendo senza rossore per la città, che un cieco l'ha illuminato. Dopo quella conversione tutti i cittadini concepirono grande stima della Religione Cristiana, le cui verità poterono convincere ingegno sì penetrante, e mutare in un umile e mansueto agnello, un leone sì superbo e terribile, sì diversa è la sua attuale condotta, da quella di prima. Dopo lui un altro laureato con varie famiglie si resero catecumene; ed io comprai un atrio per adunarli ed istruirli. Da quella città il cieco catechista passò quindi a predicare nei paghi dintorno, ove è già percorsa la fama della sua dottrina, e della verità di nostra S. Religione; poichè nelle città commercianti, a motivo della corruzione dei costumi, non si può ottenere gran frutto di conversioni. Ma fu d'uopo incominciare nella città onde i letterati e mandarino sappiano quel che si predica, e non pensino, che si vada fra la bassa plebe a seminarvi false dottrine ed ingannarla.

4. Il secondo catechista è un rustico contadino d'in sui 60 anni, il quale in vita sua non usò mai a scuola. Egli è per giunta un neofito battezzato dieci anni fa, che con grande stento e fatica giunse ad imparare a memoria il catechismo, le preci comuni, ed anche intese spiegare le principali verità della Fede, che sa grossolanamente esporre, e confutarne le obbiezioni. Ma tale ha un'indole schietta e sincera, che chiunque lo tratta, capisce subito, che è uomo incapace d'ingannare, e che parla più col cuore, che colla lingua. Va egli introducendosi nelle case dei conoscenti, e dopo poche parole di cerimonie intacca tosto il discorso di Dio, dell'anima, della necessità della salute, dell'inferno preparato agli adoratori delle false divinità; e tanto fa e dice, che persuade chiunque l'ascolta con cuore docile. Quando poi s'abbatte in qualche persona dotta ed istruita, che gli propone a sciogliere dubbi, e difficoltà superiori alla sua corta intelligenza, allora egli si trae dal seno un libro di controversia, dicendo: prendi, e leggi questo libro, ove troverai sciolte tutte le difficoltà. In questa maniera egli convertì già due laureati, varii maestri di scuola, con molti altri contadini. Il Signore però volle mettere a prova la virtù di questo evangelico operaio. Un catecumeno per principii superstiziosi non ardiva distruggere i paterni Lari, e pregò lui a volerli togliere di casa sua, come fece. Ma uno zio del catecumeno mal sofferendo di veder distruggere gl'idoletti dei suoi avi, andò ad accusare presso un subalterno mandarino il catechista, sborsando denaro affinchè questi venisse punito. Il piccolo mandarino senz'altro fece chiamare a se il Catechista, e senza esaminare il fatto, fece dare 300 schiaffi al catechista con proibizione di più predicare, e così lo licenziò. Questi avrebbe potuto ricevere soddisfazione dell'ingiuria e patimenti sofferti, accusando presso il legittimo mandarino; ma egli preferì sopportare il tutto non solo con pazienza, ma con gaudio, tenendosi

beato d'aver patito per la giustizia. Difatti anzichè sgomentarsi, riprese maggior animo. e va liberamente di porta in porta predicando con frutto la parola di Dio.

5. Il terzo Catechista è una vedova di 40 anni in circa, robusta e d'animo più che virile, che non paventa pericoli, nè s'atterisce a minaccie, dotata di una naturale facondia, fervorosa e zelante, e sufficientemente istruita nella dottrina. Questa fu inviata l'anno scorso in un novello distretto, onde istruire le donne neofite e catecumene nel Catechismo, ed orazioni. È tanto il bene che opera, che ogni cristianità fa a gara per averla presso di loro, ed ovunque conferma i catecumeni, e ne accresce il numero. La sua abitazione è continuamente notte e dì zeppa di donne gentili ansiose di sentire predicare da lei la parola di Dio, e ne converte non poche. La fama di sua virtù e capacità s'è sparsa per tutto il distretto di quella città, tanto che anche la madre vecchia dello stesso mandarino s'invogliò di sentire la verità del Vangelo, e l'invitò ad andare da lei, inviandole il proprio carro. Potrebbe essere, che sia un' astuzia del mandarino per aver campo di spiare da vicino il tenore di vita di quella catechista; ma la sua provata virtù e prudenza disinganneranno l' animo dal mandarino, e riuscirà sempre di vantaggio per la Religione. Poichè il basso popolo vedendo, che anche il mandarino permette ed approva che si predichi il Vangelo, si assicura facilmente, che non vi è inganno e che la dottrina predicata debba esser vera. Ignoro per anco l'esito di questo invito ben raro, perchè avvenne in questi ultimi dì; ma io vo' sicuro, che riuscirà felicissimo.

Io ho fatto particolar menzione di questi tre catechisti, perchè sembrando allo sguardo umano persone molto inabili a tal ministero, fanno più conversioni, che altri più addottrinati. Del resto ovunque si predica con gran frutto la parola di D.o, e non v'ha catechista che non faccia sempre ove più, ove meno nuovi catecumeni.

6. Debbono però considerare, che codesti catecumeni e neofiti non sono uniti in pochi paghi, ma sparsi in molti, quà due, là tre e più famiglie, che si vanno poi moltiplicando, e quando arrivano ad un dato numero bisogna provvedere loro un locale, in cui adunarli alle comuni preghiere ed istruzioni per poterli poi battezzare. Quando fra di loro havvi qualche famiglia benestante, e ben provveduta d'abitazione, si radunano presso di quella; ma essendo d' ordinario poveri senza comoda abitazione, fa d' uopo comprare atrii, o fabbricare alcune camere almeno. Per provvedere a queste necessità, io La rendo certa, che in quest'inverno la Missione ha già sborsato circa 30 mila franchi, e non siamo che al principio; poichè vi sono moltissime altre cristianità sì novelle, che antiche, le quali sono ancor prive di Cappelle, ed abitazione pel Missionario. Questa è la spesa maggiore, a cui va soggetta la Missione, per non dire del mantenimento dei catechisti, Missionarii, ecc. ecc., che le sono come spese comuni ed ordinarie.

Si è perciò, che prego V. S. Illma a voler prendere in considerazione questi urgenti bisogni, e venirci in soccorso per quanto le sarà possibile; mentre coi sentimenti della più alta stima e venerazione, ho l'onore di essere

Di V. S. Illma

Cina, Chan-si 3 Marzo 1883.

Umilissimo Servo

✠ Fr. Luigi Moccagatta *Vic. Apost. dello Chan-si*

MORBUS ASIATICUS
in Missione Aegypti.

Die 2 Augusti vertentis anni R. P. Hermenegildus a Ferentino, (1) Guardianus Conventus Cairensis, notitias transmisit ad Rmum Patrem Generali de asiatico morbo hanc civitatem depopulante. Iam a die 13 Iuli manifeste apparuerat epidemia, quae deinceps de die in diem atrocius saeviit crevitque, neque incolis, neque advenis Europeis, neque conventibus religiosis minime parcens. Inter nostrates lugendi sunt P. Patricius Duggan, Hybernus, sed Obs. Provinciae Thusciae filius, qui eximio cum zelo Capellani ministerium in hospitio militum An-

(1) Ipse P. Hermenegildus paulo post, die scilicet 22 Augusti, e vita migravit, non asiatico morbo sed pertinaci febre correptus.

glorum agebat. Dum officio suo iucumberet, diro morbo captus, et per quinque horas tantummodo cruciatus, animam Deo reddidit, die 30 Iulii, Ecclesiae sacramentis munitus et vere charitatis victima.

Alter post ipsum defunctus est P. Raphael a Melita, qui et ipse contribulibus infirmis laudabiliter adsistebat. Quum per quinque dies infirmitatem tolerasset, invitis omnibus artis medicinae auxiliis animam exhalavit, die 31 Iulii.

Duae pariter Sorores franciscales iam exitiali morbo succubuerant.

Ex aliis relationibus notum est iam die 14 Augusti victimarum numerum in Aegypto *viginti et unum millia* superasse, et in primis huius mensis Septembris TRIGINTA SEPTEM MILLIA attigisse asseritur.

Nullus tamen alius quem sciamus, ex nostris Fratribus usque ad hanc diem (10 Septembris) contagione affectus interiit.

Addamus denique Angliae Reginam decrevisse R. P. Emmanuelem Kenners, Missionarium franciscanum, Cruce honorifica condecorari, in signum gratitudinis propter servitia, contagionis tempore, infirmis praestita.

VI.
BIBLIOGRAPHIA

—

OPERA TYPOGRAPHIAE S. BONAVENTURAE: NOVA EDITIO OPERUM OMNIUM SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURAE

1. Cum primus tomus Operum omnium S. Bonaventurae, qui integrum Commentarium in I libr. Sententiarum Petri Lombardi, continet, his diebus feliciter sit absolutus, secunda eiusdem tomi distributio, quae habet 59 folia, associatis quam primum mittetur.

2. Pretium operis computatur iuxta numerum foliorum, quibus constabit, ratione 20 cent. pro unoquoque folio, non computato pretio transmissionis.

3. *Comprehensis expensis transmissionis* intra Italiam, pretium *secundae* distributionis est fr. 12. 20; pretium *primae* distributionis fr. 13.60; pretium *integri primi* tomi fr. 25.80. Pro associatis extra Italiam commorantibus pretium accrescit pro ratione maiorum expensarum, quas expeditio requirit.

Sacerdotes, qui Missarum stipendia pro solvendo pretio accipere vellent, pro *secunda* voluminis distributione *Missas novem*, pro volumine autem integro *Missas viginti* celebrare curabunt.

4. Pro acquirenda editione scribi potest aut ad directorem officinae nostrae typographicae (Al Signor Alessandro Mareggiani, Firenze, Brozzi, Quaracchi),aut ad Curiam Rmi P. Ministri Generalis, Roma, Aracoeli.

1883. IL NOVELLO CONFESSORE DELLE MONACHE istruito nella pratica del suo ministero e provveduto di scelte materie predicabili per le medesime, raccolte dal P. Bonaventura M. di Palermo, Min. Oss. Lettore giubilato della Provincia serafica. Nuova edizione, 3 volumi in 8. Quaracchi, Tipografia del collegio di S. Bonaventura (L. 7, per postam vero transmissum L. 9.)

Egregium hoc opus, cuius exemplaria jamdiu apud bibliopolas haud amplius inveniebantur, jussu Rmi P. Generalis iterum evulgatum, non modo novis Confessariis sed omnibus etiam Praelatis et ecclesiasticis viris, qui Monialium spiritualem curam gerunt, ipsisque Monialibus perutile dignoscitur, ac regulas probatissimas theologiae tum asceticae tum mysticae tuto praebet.

—

1882. L'ORA DI AGONIA DEL SERAFICO PADRE SAN FRANCESCO D'ASSISI pel teologo Stanislao de Luca, Arcidiacono di Polignano a mare, Missionario Apostolico, Terziario Francescano. Bari, stab. tip. F. Petruzzelli e Figli. In 32, pag. 33 (L. 0,15.)

1883. IL VIAGGIO DOLOROSO DEL CALVARIO ovvero la santa *Via Crucis* con le strofette dell'abbate Pietro Metastasio. Due sacre coronelle, altre divote pratiche ed un breve cenno sull'Indulgenza della Porziuncola con analoghe preghiere proposte dal R. P. Guglielmo del Carmelo, Alcantarino della Prov. di Lecce. Napoli, Tipografia diretta da Giovanni Testa. Vico Rosario di Palazzo, 25. In 18, pag. 79. (L. 0, 25.)

1883. REGOLA DEL TERZ' ORDINE SECOLARE di S. Francesco d'Assisi secondo le recenti disposizioni del Sommo Pontefice Leone XIII preceduta da un Trattato Storico e

seguita dal Direttorio e da altre preghiere pel Rev. P. F. Romualdo dell'Addolorata, Guardiano Alcantarino. Napoli, Tipografia diretta da Giovanni Testa. Vico Rosario di Palazzo, 25. In 18, pag. 218 (L. 0,50.)

1883. Omaggio del mondo cattolico a San Francesco d'Assisi nella ricorrenza del VII centenario dalla nascita pel M. R. P. Raffaele da Paterno, lettore giubilato Min. Oss. Parte I. Omaggio della gerarchia cattolica. Fascicolo I, 30 agosto. Fasc. II, 15 Settembre. Napoli, Officina tipografica di R. Rinaldi e G. Sellitto nell'abolito Mercato a Forcella.

Uti iam notum fecimus, haec collectio bis in mense per fascicula publicabitur. Singula fascicula L. 1 venum ibunt. Associatio pro tota collectione vel tantummodo pro una ex septem partibus quibus constabit, fieri potest. Qui 10 *fr.* praemiserit, *undecim* fascicula recipiet; qui vero *decem* associatos procuraverit, ipse gratis *undecimum* exemplar habebit. Pro associatione, vel documentis transmittendis scribatur: *M. R. P. Raffaele da Paterno, Lett. Giub. M. O. Vico dei Rocci al duomo, 8.* Napoli.

V.
NECROLOGIA

—

ILLMUS AC RMUS D. LEMBO

Inter Episcopos, qui doctrina et splendore virtutum seraphicum ordinem decorabant et quos Deus ad se vocavit, recenseri etiam et maxime debet Illmus ac Rmus Dnus Aloysius Lembo.

Ortum habuit hic vir praeclarissimus die 22 februarii 1806 *in S. Marco La Catola*, Provinciae Dauniae oppido, ex piis honestisque parentibus, qui ei in baptismo Onuphrii nomen imposuerunt.

Quindecim annos natus religiosum habitum, assumpto nomine Aloysii, inter Minores Observantes Provinciae S. Angeli in Apulia suscepit, indolis generositatem, ingenii altitudinem, atque egregiam corporis formam Deo religione consecrare gestiens.

Votis solemnibus die 1 decembris 1823 Deo nuncupatis, et liberalibus disciplinis in sua Provincia absolutis, Fr. Aloysius Lembo superiorum benedictione Perusium contendit, ut in illo seraphico Athenaeo, philosophicis ac theologicis scientiis vacaret. Ibi, tum suavitate morum cum singulari in studiis diligentia et progressu, statim omnium Religiosorum sibi captavit animum. Emenso studiorum curriculo, ac tentamine in Concursibus generalibus superato, illico coepit superiorum iussu alumnos Ordinis sacras rationalesque facultates edocere. Quanti autem in magisterio valeret, testantur et Religiosi viri, qui adhuc superstites sunt, et Seminarium dioecesanum tum Lucerinum tum Fodiense, in quibus ad plures annos theologicas praelectiones habuit.

In evangelica praedicatione eloquentissimus fuit, et in audiendis fidelium confessionibus assiduus. Ob eius in agendis dexteritatem et prudentiam bis Minister Provincialis fuit renunciatus.

Tot meritorum, quibus P. Aloysius clarus evaserat, fama Romam delata, eum immortalis gloriae Summus Pontifex Pius Papa IX anno 1860 die 23 martii ad regendam Ecclesiam pervetustae urbis Cotronensis destinavit.

Quae et quanta operatus sit vir Dei, iam Romae consecratus Episcopus die 22 aprilis anni praememorati, impossibile hic est relatu. Pastor vigilantissimus aberrantes paterna sollicitudine ad salutis tramitem reducere conabatur: optimus consiliarius fluctuantibus lumen in vitae periculis praebebat: pius consolator afflictos ad patientiam et virtutem efficaciter hortabatur: homo vere beneficus, qui superna charitate actus, ibat quaerens indigentes ut eis subveniret, derelictos ut eos solaretur, viduas desolatas ut earum lacrymas tergeret, puellas pauperes ut earum honori et futuro statui provideret.

Zelantissimus, ut erat, cultus divini, nullis pepercit expensis ut decentior ac splendidior evaderet; cathedralem ecclesiam refecit et pulchre ornavit, nec non multis suppellectilibus ditavit. Episcopale palatium Crotonense restauravit, et Insulanum a fundamentis excitavit. Ne sacro cultui et pauperibus obuli christianae caritatis deessent, Illmus Praesul ab omni pompa semper abhorruit, rebus necessariis atque modicissima mensa contentus.

Quamvis autem Venerandus Episcopus tanta fulgeret excellentia virtutum, non defuere tamen malevoli et facinorosi homines

etiam ab ipso beneficiis cumulati, qui animum eius omni repleverunt amaritudine, mansuetissimum Praelatum vel vili procacitate vel insultationibus vel persecutionibus impetentes. Quae omnia, licet, Redemptoris exemplo, ae quo ac forti animo semper sustulerit, non ideo successit, ut infirma humanitas calicis amaritudinem non sentiret ac eius salus detrimentum non pateretur.

Et revera curis oppressus, laboribus defatigatus, et etiam senio confectus, in gravem et obstinatum morbum incidit, et tandem mortem oppetiit die 24 iunii proxime elapsi, omnibus Ecclesiae Sacramentis munitus et apostolica Benedictione Summi Pontificis Leonis XIII confortatus.

Laudes amplissimi Praesulis splendidis sermonibus dixerunt Rmus Canonicus Paschalis Iuzzolini et illustris professor ac Rector Cotronensis Seminarii R. P. Alipertus Franciscus Xaverius Scholarum Piarum.

Adm. R. P. Ioannes Carloni a Castelplanio, Lector iubilatus, ex-Definitor Generalis. Natus die 20 iulii 1805, franciscano habitu indutus est in Conventu Sanctae Mariae Angelorum prope Assisium, die 16 octobris 1820 et anno sequenti solemnem emisit professionem. Postquam sacris Ordinibus initiatus fuisset, philosophiam ac deinde theologiam docendi munus assumpsit, quod quidem per decem et octo ferme annos laudabiliter exercuit. Singula Provinciae officia, Magistri scilicet Novitiorum, Guardiani in diversis conventibus, studiorum Praefecti, Definitoris, semel iterumque Ministri Provincialis obire coactus, prudentia, caritate, affabilitate ac boni exempli ostensione ita emicuit ut omnium amorem venerationemque sibi devinciret. Definitor tandem generalis renuntiatus, praeclaras virtutes quas in propria Provincia ostenderat in Conventu Aracoelitano monstravit. Anno 1881 ad Conventum Sanctae Mariae Angelorum de Portiuncula reversus, ibidem die 15 iulii 1883 apoplexia correptus animam Deo reddidit, annis 78 maior et sexagesimo secundo professionis religiosae anno decurrente.

Die quinta augusti in conventu sanctae Catharinae Astarum, ditionis Pedemontanae, supremum diem clausit Adm. R.P. Firminus Vallero, minister provincialis Provinciae Sancte Thomae.

Vir fuit ex illis in quibus ipsa natura optima virtutis indoles insita est, qui vel a prima iuventutis aetate, bona spe praeditus de seipso feliciter praelusit. Nam, vix adolescens, ordinem Minorum Observantium ingressus in Provincia Taurinensi, a divo Thoma apostolo nuncupata, a religionis officiis numquam declinavit: quin imo, ingenii acie, morum suavitate animique pietate, nec non amore et diligentia studiorum ita aliis condiscipulis anteivit et praeminuit, ut ipse solus, caeteris studiosior, ad *specimen publicum* de rebus philosophicis et theologicis, electus fuerit: et quidem merito, uti eventus postea declaravit.

Nam munus atque ius iuventutem scientias erudiendi, duplici concursu philosophico et theologico, laudabiliter obtinuit, ac per annos tredecim ex cathedra multos alumnos naviter docuit. Exinde negotiis Provinciae definiendis primo adscitus, deinde familiae conventuali gubernandae praefectus fuit.

Insuper a supremo sacri ordinis equestris S. Mauritii magisterio assumptus est ad paroeciam S. Catharinae Astarum regendam; quod quidem officium parochiale per annos ferme viginti tenuit, gratulantibus ipsi suis parochianis, ac saepe honoribus curialibus dioecesis perfunctus fuit, praesertim in discutiendis Levitis adolescentibus ad ordines sacros et ad confessarii munus provehendis.

Demum ad regimen Provinciae iterum nuper electus, secundo vix triennio incepto, annos sexaginta natus, longo diroque morbo consumptus, e vita decessit, sacro nostri Ordinis habitu indutus, quem numquam in tanta temporis adversitate dimisit, ac secum gloriose in coelum sustulit, praemium perseverantiae accepturus tamquam servus fidelis, et prudens.

Pax atque lux aeterna luceat ei, sitque ipse cum Domino semper.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII
EPISTOLA (1)
AD S. R. E. CARDINALES
ANTONINUM DE LUCA
VICECANCELLARIUM S. R. E.
IOANNEM BAPTISTAM PITRA
BIBLIOTHECARIUM S. R. E.
IOSEPHUM HERGENROETHER
TABULARIIS VATICANIS PRAEFECTUM.

Dilectis Filiis nostris S. R. E. Cardinalibus Antonino de Luca Vicecancellario S. R. E, Ioanni Baptistae Pitra Bibliothecario S. R. E, Iosepho Hergenroether Tabulariis Vaticanis Praefecto

LEO PP. XIII

DILECTI FILII NOSTRI

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Saepenumero considerantes, quibus potissimum artibus confidant qui Ecclesiam et Pontificatum romanum in suspicionem invidiamque adducere nituntur, satis cognoveramus, ipsorum conatus multa cum vi et calliditate in historiam christiani nominis esse conversos, maximeque in eam partem, quae res gestas complectitur Pontificum romanorum cum ipsis italicis rebus colligatas atque connexas. — Quod cum nonnulli Episcopi nostrates idem animadvertissent, commoveri se dixerunt non minus cogitatione malorum, quae inde consecuta sunt, quam futurorum metu. Etenim iniuste simul et periculose faciunt qui plus odio romani Pontificatus quam rerum veritati tribuunt, illuc non obscure spectantes, ut superiorum temporum memoriam mendaci colore fucatam novis in Italia rebus servire cogant. — Quoniam igitur Nostrum est non solum iura Ecclesiae cetera, sed ipsam eius dignitatem et Apostolicae Sedis decus ab iniuria vindicare, cum velimus ut vincat aliquando veritas, et itali homines agnoscant unde sibi vis beneficiorum maxima et antea percepta et in posterum speranda sit, decrevimus de re tanti momenti vobis, dilecti filii Nostri, consilia Nostra impertire, eaque sapientiae vestrae ad perficiendum committere.

Incorrupta rerum gestarum monumenta, siqui tranquillum et praeiudicatae opinionis expertem intendat animum, per se ipsa Ecclesiam et Pontificatum sponte magnificeque defendunt. Licet enim in iis institutorum christianorum germanam naturam magnitudinemque intueri: inter fortia certamina inclitasque victorias divina vis Ecclesiae virtusque cernitur, et manifesta factorum fide eminent et apparent collocata a Pontificibus Maximis beneficia in universas gentes magna, sed in eas maiora, quarum in sinu Sedem Apostolicam providentia Dei collocavit. Quamobrem qui Pontificatum ipsum conati sunt omni qua possent ratione et contentione lacessere, consentaneum iis erat haudquaquam parcere testi tantarum rerum historiae. Reapse integritatem eius attentare adorti sunt, idque arte et pervicacia

(1) Eximiam hanc Summi Pontificis epistolam omnibus praesertim Lectoribus, qui in Ordine nostro historiae ecclesiasticae dant operam, meditandam commendamus, ut iuvenibus nostris tam necessariae hodiernis temporibus scientiae studium inculcare satagant.

tanta, ut arma illa ipsa, quae essent ad propulsandas iniurias optime comparata, ad inferendas detorserint.

Istud lacessendi genus tribus ante saeculis usurpavere prae ceteris Centuriatores Magdeburgenses: qui scilicet, cum auctores fautoresque opinionum novarum ad expugnanda doctrinae catholicae praesidia minime valuissent, ipsi nova velut acie, in concertationes historicas Ecclesiam compulerunt. — Centuriatorum exemplum omnes fere scholae, quae a doctrina veteri defecissent, renovarunt: idemque, quod est longe miserius, nonnulli persecuti sunt religione catholici, natione itali. Illo igitur, quo diximus, proposito pervestigata sunt vel minima antiquitatis vestigia: singuli prope tabulariorum tentati recessus: evocatae in lucem fabulae futiles: commenta, refutata centies, centies iterata. Circumcisis saepe vel coniectis astute in umbras iis quae sunt tamquam rerum lineamenta maiora, praeterlabi reticendo libuit gloriose facta et merita memorabilia, intentis acriter animis ad consectandum exaggerandumque si quid esset temere, si quid minus recte gestum: cuius quidem generis cavere singula plus difficultatis habet, quam quod hominum natura patiatur. Immo etiam licere visum est incerta vitae domesticae arcana scrutari sagacitati improba, arreptis inde in medioque positis quae pronae ad obtrectationem multitudini spectaculo simul et ludibrio facilius fore viderentur. Ex Pontificibus maximis vel ii, quorum virtus excelluit, saepe notati vituperatique perinde ac cupidi, superbi, imperiosi: quibus rerum gestarum gloria invideri non potuit, eorum reprehensa sunt consilia: illaque audita millies insana vox, de ingeniorum cursu, de humanitate gentium male Ecclesiam meruisse. Nominatim vero in civilem romanorum Pontificum principatum, libertati maiestatique eorum tuendae non sine divino consilio institutum, eumdemque et iure optimo partum et innumerabilibus benefactis memorabilem, acerrima male dictorum falsorumque criminum tela coniecta.

Iisdem vero machinationibus et hodie datur opera, ut, si unquam alias, certe hoc tempore illud vere dici possit, artem historicam coniurationem hominum videri adversus veritatem. Et sane, renovatis vulgo prioribus illis insimulationibus, serpere audacter mendacium videmus per laboriosa volumina et exiles libros, per diariorum volitantes paginas et apparatas theatrorum illecebras. — Ipsam rerum antiquarum recordationem nimis multi adiutricem ad iniurias volunt. — Recens illud in Sicilia specimen, quod cruentae cuiusdam memoriae occasionem nacti, multa invecti sunt in decessorum Nostrorum nomen, mansuris etiam consignata monumentis agresti immanitate dictorum. Idemque paullo post apparuit cum honores publice tributi sunt homini Brixiensi, quem seditiosum ingenium et infensus Apostolicae Sedi animus insignem posteris reddidere. Tunc enim aggressi iterum sunt incitare populares iras, itemque Pontificibus Maximis ardentes contumeliarum admovere faces. — Siqua vero commemoranda fuerunt omnino Ecclesiae perhonorifica, in quibus omnes calumniarum aculeos manifesta lux veritatis obtunderet, extenuando tamen dissimulandoque data est opera, ut pars laudis meritique quam minima posset ad Pontifices redire putaretur.

Illud vero gravius est, hanc similitudinem tractandi historiam ipsas in scholas invasisse. Persaepe enim pueris commentarii ad ediscendum proponuntur aspersi fallaciis: quibus illi assuefacti, praesertim si accesserit doctorum aut perversitas aut levitas, facile imbibunt venerandae antiquitatis fastidium, rerumque et personarum sanctissimarum inverecundam contemptionem. Primordia litterarum supergressi, non raro in discrimen adducuntur etiam maius. Nam in maiorum disciplinarum meditationibus ab eventuum narratione ad rerum proceditur caussas: a caussis vero exaedificatio legum petitur ad iudicia temere ficta, quae saepius cum doctrina divinitus tradita aperte dissentiunt, et quorum ea omnis est ratio, dissimulare ac tegere quid et quantum instituta christiana in rerum humanarum cursu eventorumque consequentia ad salutem potuerint. Idque a plerisque suscipitur nihil laborantibus quam sibi parum ipsi cohaereant, quam loquantur pugnantia, quot quantisque tenebris eam, quae philosophia historiae dicitur, involvant. Ad summam, ne agamus de singulis, omnem historiae tradendae rationem eo convertunt, ut suspectam faciant Ecclesiam, invisos Pontifices, et illud maxime

persuadeant multitudini, civile romanorum Pontificum imperium incolumitati et magnitudini rerum italicarum obesse.

Atqui nihil dici potest, quod a veritate magis abhorreat, ut permirum videri debeat, accusationes huiusmodi, quae tot testimoniis tanta vi redarguuntur, verisimiles videri multis potuisse. — Profecto sempiternae posterorum memoriae historia commendavit summa Pontificatus romani in Europam merita ac nominatim in Italiam; quae ab Apostolica Sede commoda et utilitates, ut erat proclive factu, una ex omnibus accepit plurimas. In quibus Italos in iis, quae religionem spectant, intactam a dissidiis retinere concordiam: permagnum sane populis bonum, quo qui potiuntur, ii praesidio ad prosperitatem publicam et domesticam firmissimo potiuntur. — Et ut singulare quiddam attingamus, nemo unus ignorat, post afflictas Romanorum opes formidolosis incursionibus barbarorum fortissime ex omnibus restitisse Pontifices romanos; eorumque consilio et constantia effectum esse nec semel, ut, represso furore hostium, solum italicum a caede et incendiis, Urbs Roma ab interitu vindicaretur. Et qua tempestate Imperatores Orientis curas cogitationesque omnes alia derivarant, in tanta solitudine et inopia nusquam rerum suarum tutelam nisi in romanis Pontificibus Italia reperit. Quorum in illis calamitatibus spectata caritas plurimum valuit, aliis accedentibus caussis, ad initia civilis ipsorum principatus. Cuius quidem laus est, coniunctum semper cum summa utilitate communi fuisse: quod enim licuit Apostolicae Sedi omne rectum studium humanitatemque provehere, et ad civiles rationes virtutis suae porrigere efficacitatem, et res, quae habentur in civitate maximae, coniunctim complecti, certe huic caussae non exigua gratia debetur, quod civilis principatus libertatem opportunitatesque praebuit tantis peragendis rebus necessarias. Quin etiam cum decessores Nostros impulerit conscientia officii ut iura imperii sui ab hostium cupiditate defenderent, hoc ipso pluries externarum gentium dominatum magna Italiae parte prohibuerunt. Simile quidquam recentiore est etiam perspectum memoria, quo tempore maximi imperatoris victricibus armis Apostolica Sedes non cessit, et ut sibi omnia principatus iura redderentur, a foederatis regibus impetravit. — Neque minus illa italis hominibus salutaria, quod saepenumero Pontifices romani voluntati principum non iustae libere repugnarint: et quod, Europae viribus foedere icto consociatis, Turcarum, per iterata vulnera imminentium, immanissimos impetus insigni fortitudine sustinuerint. Duo praelia maxima, deletis italici iisdemque catholici nominis hostibus, alterum in agro Mediolanensi, alterum ad Echinadas insulas, opera auspiciisque Apostolicae Sedis et suscepta et pugnata sunt. Expeditiones Palaestinenses, auctoribus Pontificibus initas, vis est et gloria navalis Italorum consecuta: item leges, vitam, constantiam res publicae populares a sapientia Pontificum mutuatae sunt. — Ad laudem Apostolicae Sedis magnam partem pertinet quaesitum italico nomini ingenuis studiis atque artibus decus. Facile interiturae Romanorum Graecorumque litterae erant, nisi reliquias tantorum operum Pontifices et Clerici velut ex naufragio collegissent. In Urbe vero actae perfectaeque res altius loquuntur: veterum monumenta ingenti sumptu adversata: nova condita et summorum artificum operibus exculta: musea et bibliothecae constituta: scholae instituendis adolescentibus apertae: Licea magna praeclare fundata: quibus de caussis ad hanc laudem Roma pervenit, ut communi hominum opinione mater optimarum artium habeatur.

Ex his aliisque multis cum tantum lumen eluceat, nemo non videt, infestum italico nomini praedicare aut Pontificatum per se, aut Pontificum principatum, idem plane esse ac de rebus perspicuis et evidentibus velle mentiri. Flagitiosum consilium scienter fallere, et venenum malum historia facere: multoque magis in hominibus catholicis eisdemque in Italia natis reprehendendum, quos plus quam ceteros gratus animus deberet et religionis suae honos et caritas patriae non ad studium modo sed etiam ad patrocinium veritatis hortari. Cum vero ex ipsis Protestantibus satis multi acri ingenio et aequo iudicio opiniones non paucas exuerint, et compulsi veritatis viribus Pontificatum romanum commendare non dubitarint quod sit humanitatem utilitatesque permagnas in republica efficiens, indignum est quod multi ex nostratibus contra solent. Qui in hi-

storicis adamant adventitia pleraque; et scriptores externos, ut quisque instituta catholica peius vexat, ita sequuntur et probant maxime, fastidiendos rati summos ex nostris, qui cum historiam scriberent, caritatem patriae ab obsequio et amore Apostolicae Sedis disjungere noluerunt.

Interim tamen vix credibile est quam sit capitale malum historiae famulatus servientis partium studiis et variis hominum cupiditatibus. Futura quippe est non magistra vitae neque lux veritatis, qualem esse oportere veteres iure dixerunt, sed vitiorum assentatrix et ministra corruptelae: idque praesertim hominibus adolescentibus, quorum et mentes opinionum implebit insania, et animos ab honestate modestiaque deflectet. Percutit enim historia magnis illecebris praepropera ac fervida iuvenum ingenia: oblatam antiquitatis effigiem et illas imagines virorum, quos velut ad vitam revocatos in conspectu narratio ponit, amplexantur cupide adolescentuli et altius in animo retinent ad diuturnitatem insculptas. Itaque hausto semel a teneris annis veneno, vix aut ne vix quidem ratio quaeretur remedii. Neque enim illa est satis vera spes, futurum ut aetate sapiant rectius, dediscendo quod ab initio didicerint: propterea quod ad historiam penitus et considerate pertractandam pauci sese dedunt: maturiore aetate, in consuetudine vitae quotidianae plus fortasse offendent confirmandis quam corrigendis erroribus loci.

Quamobrem permagni refert huic occurrere tam praesenti periculo, et omnino videre ne diutius in materiam ingentis publice privatimque mali ars historica, quae tantum habet nobilitatis, traducatur. Viri probi in hoc disciplinarum genere scienter versati, animum adiiciant oportet ad scribendam historiam hoc proposito et hac ratione, ut quid verum sincerumque sit appareat, et quae congeruntur iam nimium diu in Pontifices romanos iniuriosa crimina docte opportuneque diluantur. Ieiunae narrationi opponatur investigationis labor et mora: temeritati sententiarum prudentia iudicii: opinionum levitati scita rerum selectio. Enitendum magnopere, ut omnia ementita et falsa, adeundis rerum fontibus, refutentur; et illud in primis scribentium obversetur animo, *primam esse historiae legem ne quid falsi dicere audeat: deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis.* — Est autem in scholarum usum confectio commentariorum necessaria, qui salva veritate et nullo adolescentium periculo ipsam artem historicam illustrare et augere queant. Cuius rei gratia, perfectis semel maiore mole operibus ex fide monumentorum quae habentur certiora, reliquum erit capita rerum ex illis operibus excerpere litterisque mandare dilucide et breviter; caussa quidem minime difficilis, sed quae non minimos habitura est usus, ideoque dignissima, in qua vel excellentium ingeniorum elaboret industria.

Non est autem huiusmodi palaestra intractata et nova: immo vero est summorum virorum non paucis impressa vestigiis. Siquidem rem historicam, sacris quam profanis rebus veterum iudicio propiorem, studiose Ecclesia vel ab initio coluit. Per medias illas quae in exordia christiani nominis incubuere cruentas procellas, complura acta et rerum monumenta incolumia conservata sunt. Itaque cum pacatoria tempora illuxissent, florere in Ecclesia studia historicorum coepere: Oriensque et Occidens doctos labores in eo genere vidit Eusebii Pamphili, Theodoreti, Socratis, Sozomeni, aliorum. Et post imperii romani occasum, quod humanioribus artibus ceteris, id et historicae usuvenit, ut nusquam nisi in monasteriis perfugium, nec fere alios, praeter Clericos, cultores nancisceretur: ita plane ut, si sodales religiosi de scriptitandis annalibus minus cogitavissent, notitiam prope nullam ne rerum quidem civicarum longo temporis intervallo haberemus. Ex recentioribus vero commemorare duos illos satis est, quos nemo superavit, Baronium et Muratorium. Prior enim virtutem ingenii sui subtilitatemque iudicii incredibili eruditione cumulavit: alter vero, quamvis in eius scriptis *multa reperiantur censura digna* (1), tamen ad res vicesque italicas illustrandas tantam vim congessit monumentorum, ut nemo maiorem. Iis vero plures annumerari facile possent et clari et magni, quos inter pergratum recordari Angelum Maium, amplissimi Ordinis vestri decus et ornamentum.

Artem ipsam historiae philosophicam ma-

(1) Benedictus XIV, Epist. *ad Supremum Hispaniae Inquisitorem*, 31 Iulii 1748.

gnus Ecclesiae doctor Augustinus princeps omnium excogitavit, perfecit. Ex posterioribus qui in hac parte quiddam sunt memoria dignum consecuti, Augustino ipso usi sunt magistro et duce, ad cuius commentata et scripta ingenium suum diligentissime excoluerunt. Qui contra a vestigiis tanti viri discessere, eos error multiplex a vero deflexit, quia cum in itinera flexusque civitatum intenderent animum, vera illa scientia caussarum, quibus res continentur humanae, caruerunt.

Igitur si de disciplinis historicis optime omni memoria Ecclesia meruit, mereat et in praesens: praesertim quod ad hanc laudem ipsa ratione impellitur temporum. Etenim cum hostilia tela, uti diximus, potissimum ab historia peti soleant, oportet ut aequis armis congrediatur Ecclesia, et qua parte oppugnatur acrius, in ea sese ad refutandos impetus maiore opere muniat.

Hoc consilio alias ediximus, ut tabularia Nostra praesto essent, quantum potest, religioni et bonis artibus provehendis: hodieque similiter decernimus, ut adornandis operibus historicis, quae diximus, opportuna ex Bibliotheca Nostra Vaticana pateat supellex. — Nihil dubitamus, dilecti filii Nostri, futurum ut vestri auctoritas officii vestrorumque opinio meritorum facile vobis adiungat viros doctos, in historia scribendique arte exercitatos, quibus recte possitis pro singulorum facultate suum cuique assignare opus, certis tamen legibus auctoritate Nostra sanciendis. Quotquot vero studium operamque suam vobiscum in hanc caussam collaturi sunt, erecto bonoque animo esse iubemus, et singulari benevolentia Nostra confidere. Res quippe agitur digna studiis patrocinioque Nostro: in qua sane spem utilitatis plurimam collocamus. Nam firmis ad probandum argumentis cedat necesse est opinionis arbitrium: conatusque adversus veritatem diu susceptos ipsa tandem per se superabit et franget veritas, quae obscurari aliquandiu potest, extingui non potest.

Atque utinam quamplurimi excitarentur veri investigandi cupiditate, et inde utilia ad recordationem documenta caperent. Clamat enim quodammodo omnis historia, Deum esse qui rerum mortalium varios perpetuosque motus providentissime regit, eosque vel invitis hominibus ad Ecclesiae suae incrementa transfert. Item e dimicationibus illataque vi Pontificatum romanum semper evasisse victorem: oppugnatores eius, deiectos de spe, suam sibi perniciem comparavisse. — Neque minus aperte historia testatur quid sit de Urbe Roma iam inde ab origine sua provisum divinitus: scilicet ut domicilium sedemque perpetuo praeberet beati Petri successoribus, qui hinc tamquam e centro universam christianam rempublicam nullius obnoxii potestati gubernarent. Cui quidem divinae providentiae consilio nemo est repugnare ausus, qui serius ocius inania coepta senserit.

Haec sunt quae tamquam in illustri posita monimento intueri licet, undeviginti saeculorum confirmata testimonio: nec absimilia censendum futura quae reliquum afferet tempus. Nunc quidem praevalentes hominum sectae, Deo et Ecclesiae suae inimicorum, omnia in Pontificem romanum hostilia audent, compulso in ipsam eius sedem bello. Qua re hoc contendunt, debilitare vires sacramque potestatem romanorum Pontificum comminuere; immo Pontificatum ipsum, si fieri posset, extinguere. Quae hic post expugnationem Urbis acta sunt, quaeque etiamnum aguntur, nihil dubitare sinunt, quid in animo habuerint qui sese ad novas res architectos et duces praebuerunt. — Ad hos accessere non eodem fortasse consilio plurimi, quos nimirum constituendae augendaeque reipublicae studium cepit. Ita numerus crevit decertantium cum Apostolica Sede, et romanus Pontifex in eam misere conditionem deiectus, quam gentes catholicae concorditer deflent. Illis tamen nihil sane melius incoepta succedent, quam ceteris ante eos eodem proposito, audacia pari. Ad Italos vero quod attinet, vehemens istud cum Apostolica Sede certamen, iniuria et temere susceptum, caput est ingentium domi forisque damnorum. — Ad alienandos multitudinis animos, adversari quidem Pontificatus dictus est rebus italicis; sed incriminationem ac stultam ea ipsa, quae supra commemoravimus, satis convincunt. Idem vero, sicut antea omni memoria, ita in posterum non nisi prosperus et salutaris futurus est italicis gentibus: propterea quod haec eius est constans immutabilisque natura, bene mereri et prodesse in omnes partes. Quam-

obrem non est virorum rationibus publicis bene consulentium maximo isto beneficiorum fonte Italiam prohibere: nec dignum italis hominibus caussam suam cum iis communicare, qui nihil aliud quam Ecclesiae perniciem meditantur. Simili modo nec expedit nec prudens consilium est cum ea potestate confligere, cui perpetuitatis est sponsor Deus, historia testis: quam ut toto orbe catholici religiose verentur, ita eorum interest, esse omni ope defensam: quamque ipsam principes rerum publicarum et agnoscant et plurimi faciant necesse est, his praesertim tam trepidis temporibus, cum fundamenta ipsa, quibus hominum nititur societas, propemodum vacillare videantur. Omnes igitur, in quibus est vera patriae caritas, si saperent et vera viderent, in eo maxime deberent studium curamque ponere, ut amoveantur funesti huius dissidii caussae, et Ecclesiae catholicae tam aequa postulanti ac de iuribus suis sollicitae ea, qua par est, ratione satisfiat.

Ceterum nihil magis optamus, quam ut ea, quae commemoravimus, sicut litterarum monumentis consignata sunt, ita animis hominum penitus adhaerescant. Hanc ad rem vestrum erit, dilecti filii Nostri, quanto maiorem potestis sollertiam industriamque conferre. — Quo autem vester et eorum, qui vobis navabunt operam, magis fructuosus sit labor, caelestis patrocinii auspicem vobis illisque universis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Augusti, A. MDCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Rmi P. Generalis ad omnes Provinciales annuntians Indultum a Summo Pontifice concessum in proxima regulari S. Adventus quadragesima.

Rnde Pater Obsme,

Praesentibus litteris Paternitati Tuae notum facimus SS. D. N. Leonem Divina Providentia Pp. XIII etiam in proxima regulari S. Adventus quadragesima huius anni, omnibus Religiosis utriusque sexus Nostrae iurisdictioni subiectis benigne indulsisse:

I. *Usum carnium* primis quinque cuiusque hebdomadae diebus, in unica tamen comestione, vetita carnium et piscium promiscuitate in eadem refectione, et exceptis feria IV quatuor Temporum, ac vigiliis Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, et Nativitatis D. N. Iesu Christi.

II. *Usum ovorum et lacticiniorum* in omnibus sextis feriis et Sabbatis, in unica pariter comestione, et exclusis semper diebus quatuor Temporum, ac praefatis vigiliis: nisi forte alicubi, etiam in his diebus exceptis, vigeat privilegium vel legitima consuetudo utendi ovis et lacticiniis in ieiuniis ecclesiasticis: tunc enim Religiosi quoque huic indulto seu consuetudini in ieiuniis Regulae sese conformare possunt. (*Vid. Corduba in Expos. Regulae).*

Verumtamen hortamur huius Apostolici Indulti favore usuros, ut, nedum piis compensationibus mortificationem Christi in corpore circumferre studeant, sed singulis quibusque sextis feriis, post mensam in communi, ut mos est, vel privatim, qui tunc sunt impediti, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum devote visitent, et sequentibus precibus, idest: *O sacrum convivium etc.,* sex *Pater, Ave* et *Gloria* ac semel *Salve Regina,* divinae misericordiae, B. V. Mariae intercessione, praesentes Catholicae Religionis et Seraphici Ordinis Nostri neccessitates commendent, ut gratiam et consolationem, quam P. T. et Provinciae Tibi commissae humiliter adprecamur, a Domino tandem recipere possimus.

P. T. R.

Romae, ex Aracoeli, die 26 Augusti 1883.

Humillimus in Christo Servus
Fr. Bernardinus Min. Glis.

N. B. — Rmus P. Minister Generalis exoptat, ut illae Provinciae, quae ejusmodi Indulto hucusque non utebantur, etiam inposterum in sua laudabili observantia maneant.

RESCRIPTUM S. C. INDULGENTIARUM

Quo nonnulla dubia elucidantur circa facultatem benedicendi quatuor scapularia.

BEATISSIME PATER,

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum et Discal-

ceatorum ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit, quasdam Provincias ad praefatam Procuram pertinentes a S. Sede obtinuisse Breve, quo omnibus et singulis earumdem Presbyteris ad decennium concessum fuit, ut quatuor scapularia SSmae Trinitatis, Immaculatae Conceptionis, B. M. Virginis septem Dolorum, ac de Monte Carmelo uno opere coniuncta, dummodo sint confecta ad normam a S. Sede approbatam, sub una tantum formula, qua Congregationis SSmi Redemptoris Presbyteri saeculares, impetrata sibi venia ab Apostolica Sede, utuntur, benedicere cum applicatione indulgentiarum, quae respectivis scapularibus adnexae sunt, eademque fidelibus iuxta normam a praefatis Presbyteris adhibitam imponere libere ac licite possint et valeant.

Praefata facultas memorata quatuor scapularia uno opere coniuncta benedicendi et *imponendi* sub unica formula obtineri etiam *potest* mediantibus Secretaria Memorialium, SS. Rituum Congregatione, necnon Sacra Congregatione de Propaganda Fide.

Quum autem de huiusmodi concessionis extensione exortum fuerit dubium, hinc, ne fideles ex invalida scapularium benedictione et impositione indulgentiis privati existant, orator suppliciter petit ut Sanctitas Tua sequentia dubia declarare dignetur:

1. Utrum huiusmodi concessio mediantibus Secretariis Brevium et Memorialium necnon Sacris Congregationibus de Propaganda Fide ac SS. Rituum obtenta, *sola* sufficiat ad validam memoratorum scapularium benedictionem et impositionem, an vero insuper necessarium sit, ut habeatur, vel obtineatur facultas dicta scapularia benedicendi et imponendi a respectivi Ordinis superiore?

Et quatenus affirmative ad primam et negative ad secundam;

2. An hac sola facultate a S. Sede obtenta memorata quatuor scapularia valide benedici et imponi valeant etiam singillatim, ita scilicet ut unum vel duo ex his scapularibus valide benedici et imponi valeant quin benedicantur et imponantur cetera?

3. An qui dicta quatuor scapularia benedicendi imponendique facultatem obtinuit a respectivi Ordinis superiore, licite ac valide uti possit breviori formula a SS. Rituum Congregatione approbata, non obtenta ad hoc a S. Sede facultate speciali?

Et quatenus ad primum dubium respondeatur negative ad primam partem, affirmative ad secundam;

4. Humiliter supplicatur ut Sanctitas Vestra benigne sanare et ratas habere dignetur praefatorum scapularium benedictiones et impositiones, quae usque nunc peractae sunt et ex bona fide peragentur, *sola* memorata facultate a S. Sede obtenta.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondit:

Ad 1.^m Negative quoad primam partem: affirmative quoad secundam.

Ad 2.^m Ad Sacram Rituum Congregationem (1).

Ad 3.^m Valide quidem, sed non licite.

Ad 4.^m Supplex exhibeatur libellus pro postulatis.

Datum ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 12 Septembris 1883.

A. CARD. BILIO.

Franciscus della Volpe *Secretarius.*

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES DISPERSOS
INCITAMENTA SERAPHICA.
XI.

(Continuatio eiusdem argumenti.)

Quae de variis Provinciis hucusque retulimus, lucide ostendunt id quod probandum assumpsimus, observantiam scilicet regularem et spiritum vere Seraphicum Ordinem nostrum sustinuisse et illustrasse in persecutione saeculi XVI. Id autem magis magisque patebit, si quae in Insulis Britannicis tempore Henrici VIII et Elisabethae reginae Fratres nostri sustinenda habuerunt et laude digna peregerunt paucis etiam verbis ob oculos ponamus.

(1) Scilicet ad Sacr. Rit. Cong. esse recurrendum pro decisione, utrum brevior formula a Sacr. Rit. Cong. approbata possit adhiberi, casu quo unum vel duo ex quatuor consuetis scapularibus benedicuntur.

Tres, uti notum est, exstabant in hac regione Provinciae, Hiberniae, Angliae et Scotiae quae nomine et omine ad Observantiam pertinebant Regularem.

Familiae illae seraphicae occasione diri illius schismatis tam crudeliter fuerunt vexatae et devastatae, ut omnes Religiosi violenter e coenobiis suis expulsi aut immani modo tractati, dum conventus omnes fuerunt spoliati aut combusti, paucis exceptis qui aliquo tempore manserunt illaesi ex magno numero eorum quos Provincia Hiberniae in hac insula habuerat.

Quantam in illis partibus, crudelitatem exercuerint schismatici et haeretici in Franciscanos propter eorum in vera fide constantiam, facile intelligitur si dicatur fere nullibi tantam visam fuisse ferocitatem, nullibi tam horrendas leges in Religiosos latas et non raro executioni mandatas.

Quae fuerit in luctuosis hisce adiunctis religiosa conversatio Fratrum nostrorum, paucis explicabimus incipiendo a Provincia Hiberniae.

Quamvis Rmus Gonzaga de hac Provincia tractans sermonem restringat ad Fratres qui heroica fortitudine sanguinem pro fide fuderunt, non est tamen dubitandum quin alii Religiosi, pro magna saltem parte, in sua vocatione permanserint fideles, praesertim illi qui ferventem in coenobio duxerant vitam.

Hoc enim iam ex eo coniectari licet, quod tantis vexationibus et periculis expositi a fide tamen non defecerint, sed constantes in ea perstiterunt. Dum aquae multae tribulationum non potuerunt fervidorum Religiosorum extinguere charitatem, sed eam magis accenderunt, seraphicum etiam spiritum in eis fuisse servatum et adauctum facile potest concludi.

Id clarius elucet, si sequentia quae referunt Chronologi attente perpendimus: « Hibernica Provincia, etsi destructi essent conventus, nunquam tamen hanc Insulam reliquit sed admiratione praegrandi catholicos in sancta religione confortavit, lapsos ad salubrem poenitentiam erexit, et contra novatorum errores contempto mortis periculo, tum voce, tum atramento, tum sanguine gloriose decertavit. ».

Quid ex his in eius laudem sit deducendum, saepius iam diximus. Hinc dum apostolico muneri Fratres toti essent intenti, non tamen erant alieni a vita coenobitica, sed eam summo in pretio habebant, uti constat tum ex zelo quo ardebant erigendi conventus in regnis catholicis pro novitiis et studiosis, pro informandis missionariis, tum ex numero eorum qui ad alias Provincias convolarunt, ut perfectius Regulam servare et securius animam possent salvare.

Sic videmus ipsorum cura erectum conventum S. Antonii Paduani Lovanii in Belgio iam ab anno 1609 iuxta Haroldum, et postea alios Pragae et alibi, quos in perfecta observantia stabilierunt et ex quibus viri multi exierunt doctrina et pietate praeclari qui spiritum seraphicum in Provincia conservarunt.

Illorum autem qui in patria dispersi aut in simplici residentia manentes ad exteras Provincias se contulerunt, praesertim dum exulare cogebantur, tantus erat numerus ut tractu temporis Capitulum Toletanum anni 1658 Ministris Provincialibus Ordinis mandaverit ut eos benigne et charitative reciperent et post eorum mortem consueta suffragia pro eis sicut pro suis persolverent.

Verum nihil magis contulit decori et praesidio huius Provinciae quam erectio Collegii S. Isidori in Urbe, quae facta est cura eximii Waddingi in favorem praesertim Fratrum Hibernorum. Haec eius in eo fundando fuit intentio, ut non modo Sacris Litteris iuvenes incumberent, sed etiam in solida pietate et perfecta Regulae observantia instituerentur: quod utrumque miro modo obtinuit, adeo ut variae Italiae Provinciae ex hoc celebri Collegio peterent Lectores. Ipsi Ministri Generales, uti refert Haroldus (1), saepius et publice pronuntiarunt, non alibi se scientiam et pietatem arctiori et fecundiori coniugio copulatas reperisse quam in conventu S. Isidori. Et vero Waddingus adeo spiritum orationis et studii suis inculcabat, ut Collegii sui Constitutionum caput, quo studiorum ratio praescribitur sequentibus orsus sit verbis: *Studentes ita studiis incumbant, ut pietati magis; nec devotionis spiritum extinguant; tempus, quod studiis conceditur, iis impendant; orationis vero tempus, orationi et non aliis.*

Mirum proinde non est, tot viros doctos et pios ex hoc seraphico coenobio exiisse, qui

(1) Vita Waddingi, Cap. LIX.

non modo Hiberniam sed totum Ordinem nostrum illustrarunt.

Celandum tamen non est quod haec Provincia maximas passa sit vicissitudines et nonnisi zelantium Religiosorum opera salva manere potuerit. Quum enim nunquam fuerit suppressa et tamen tractu temporis formales conventus non amplius haberet in patria, facile intelligitur, nonnisi ferventiores spiritum seraphicum et puram Regulae observantiam custodire potuisse, dum alii liberioris vitae desiderio ducti saeculares mores non raro contrahebant atque Regulam et Constitutiones Ordinis oblivioni dedisse videbantur. Quod quam arduum et deflendum semper fuerit Moderatoribus Provinciae, et quae ad haec praecavenda praestita fuerint, deduci potest ex iis quae habet De Gubernatis *Orbis Seraphicus, Tom. IV. pag.* 159 *et* 201.

Deo sint laudes, data iam maiori libertate, Superiores Provinciae in ipsa Natione formales conventus cum perfecta Regulae observantia aedificare coeperunt, quod si perficere possent prae bona qua apud populum catholicum gaudent fama atque fiducia, hi Divi Francisci filii non modo propriae perfectioni melius possent intendere, sed etiam fidelibus adeo probatis et afflictis coeleste robur et evangelicum spiritum efficacius communicare valerent.

Haec de Fratribus Hiberniae tempore violentae dispersionis dixisse sufficiat, ut ad Angliae Provinciam gressum faciamus.

Si ratio huius scripti permitteret, multa laudabilia de hac Provincia possent enarrari. Siquidem exposita inveniuntur in egregio libro cui titulus: *Certamen seraphicum Provinciae Angliae pro Sancta Dei Ecclesia, Auctore R. P. F. Angelo a S. Francisco, Conventus Recollectorum Anglorum Duaci Guardiano*, in quo declaratur quomodo Fratres Minores Angli calamo et sanguine pro fide Christi et sancta eius Ecclesia generose certarunt.

Haec Provincia, quam Rmus P. Gonzaga *florentissimam* appellat propter observantiam vere regularem, pietatem et doctrinam suorum alumnorum, penitus destructa fuit, uti iam diximus, tempore Henrici VIII et Elisabethae reginae.

Quantam autem laudem in hac persecutione sibi promeruit, accipe ex sequentibus, quae in memorato opere referuntur.

Narrat ibidem Auctor (p. 8): «Patres huius Provinciae primos fuisse, qui iniquo regi Henrico VIII restiterunt, inter primos qui martyrio obierunt, et primos qui, intactis adhuc aliis Ordinibus religiosis, saevitiam, crudelitatem, persecutionem, ab omnibus suis conventibus eiectionem ac incarcerationem passi sunt. »

Paulo ante in aeternam laudem huius nobilissimae Provinciae exclamaverat: « Si Ecclesiae catholicae athletas, si invictos apostolicae fidei heroes requiras, in ipsa habebis longam profusamque copiam; imo primos, omnes ad unum, nemine illorum pedem ab hoc conflictu referente, qui tempore Henrici VIII, pro tuenda Dei Ecclesia eiusque in terris Vicario strenua ac forti manu ad mortem usque cupide et alacriter pugnaverint ac debellaverint. Porro si gloriosos martyres pro fide Christi agonizantes desideres, inter tot clarissimos viros, qui sanguinem, qui vitam, qui omnem suam fortunam saevissima Henrici VIII persecutione pro Christo deposuerunt, *prope mediam partem haec Provincia sibi adscribet, maxime si quis eos numeret, qui in olidis et strictis carceribus mortem appetiere* (1). Tot tantaque laudum praeconia multis testimoniis confirmat laudatus Pater Angelus a S. Francisco ex quibus, ne longiores simus, sequentia seligimus.

Franciscanos Observantes primos fuisse qui Henrico VIII restiterunt, his verbis declarat R. P. Personius, Societatis Jesu *Lib. I. de 3. conversione Angliae cap. 12*: « Henricus VIII mandarat Decano Herfordiensi, quatenus in concione aliqua coram ipso in Ecclesia Franciscanorum Grenovici, publice contra Papam praedicaret, quod acriter ac caeco furore prosecutus est. Quidam gravis ac religiosus Pater, Elstow dictus, zelo Dei ductus, ex choro seu doxali, ubi sedebat, publice altaque voce ipsum reprehendit; qua de causa in carcerem missus est ».

Addit praeterea: « Et haec fuit prima aperta oppositio contra Henricum in regno suo super hanc controversiam cum Summo Pontifice fa-

(1) Haec prae oculis habeantur, ut nihil detrahatur gloriae Ordini nostro debitae, dum suo tempore, uti sperandum est, agetur de beatificatione Martyrum Angliae, et minor forsan apparere posset numerus Fratrum S. Francisci pro fide occisorum.

cta ». Postea hanc telam pertexens dicit : « Rex iratus Fratribus, nominatim Fratri Elstow, praedicto anno 1534, 11 Augusti, ordinavit quod omnes Fratres qui de Observantia appellabantur, suis conventibus abigerentur ».

Ita etiam Alanus Copi (alias Harspheldius) Dialog. 6: « Nihil, inquit, ego hic de sanctissimis Ordinis Minorum viris, qui religiosi sui instituti observantiores quam plerique alii habentur; quos constat ad unum omnes male fuisse tractatos, et in carcerem coniectos, quod regi ecclesiasticam hierarchiam sibi vindicanti consentire nollent ».

Illud ipsum etiam tradunt Cardinalis Polus *(de unitate Ecclesiae)*, et Laurentius Surius in *Commentariis de rebus in orbe gestis* ad annum 1535.

Sed praecipue Nicolaus Sanderus, cuius testimonium fide dignissimum est et qui aliis multo exactius rem totam declarat, haec habet (1):

« Fratres Minores, qui de Observantia vulgo dicuntur, cum hac iniquitate permoti liberius loquerentur tam in publicis disputationibus quam concionibus sacris, matrimoniumque Catharinae acerrime defenderent (praecipue vero Londini duo Patres doctissimi Elstonus et Paytonus) ob hanc causam totus Ordo in tanto apud Regem odio fuit, ut 3 Idus Augusti Fratres isti ex omnibus Ordinis sui monasteriis pellerentur, variosque in carceres coniicerentur, adeo ut plus quam ducenti eodem tempore in custodiis numerarentur ».

Inferius autem sic ait: « Sciebat (scilicet Henricus VIII) in regno sub tres esse Ordines religiosorum hominum, qui praecipua laude regularis observantiae prae caeteris omnibus florerent, summaque inde auctoritate apud omnes valerent, Carthusianorum nimirum, S. Birgittae et D. Francisci de Observantia; hos ergo primo aggrediendos statuit, ut, illis debellatis, facilior esset de caeteris victoria ».

Alio tandem loco sequentia narrat Sanderus: « Tenebantur in custodiis ab aliquibus iam annis Religiosi multi Ordinis S. Francisci de Observantia, quorum vitam antea notavimus (eousque produxerat Urislaei (2) favor qui regi erat a consiliis); nunc autem cum NULLUS adduci posset ut voluntati regiae subscriberet, nec dubitaretur quin eorum exemplo nonnulli alii constantiores fierent, propositum fuit regi ut aliquid tandem de iis statueret. Ille quamquam omnes perdere cuperet, tamen veritus infamiam quod essent multi, aliquid etiam Urislaei gratiae tribuere volens, ex iis qui remanserant (nam in carcere nonnulli diem suum obierunt) delegit quosdam ad varia supplicia, ex quibus Antonium Brobeum, venerandum sacerdotem, et Thomam Belchianum, virum etiam doctissimum quamvis iuvenem (3). Triginta vero et duo alii eiusdem Ordinis Religiosi, bini et bini emittebantur catenis ferreis invicem colligati, ut in aliis carceribus minori populi querela et murmuratione morerentur ». Hucusque laudatus Sanderus.

Inter alios qui postea martyrium subierunt, praecipuus fuit Ioannes Forestus qui crudelioribus suppliciis affectus fuit, eo quod Serenissimae Catharinae a confessionibus fuerat. Narrat tandem Auctor *Certaminis seraphici*, cui concordat Gonzaga, plures Religiosos huius Provinciae, dum e carcere liberari potuerunt, patriam reliquisse et ad alias Provincias transiisse, praecipue Belgii et, Germaniae Inferioris ubi varii in odore sanctitatis obierunt; dum alii inter gravissimos persecutionum rigores strenue et viriliter in Anglia vineam Domini excoluerunt, ut catholicos confirmarent et schismaticos ad fidem converterent.

Post aliquot annos in exilio, laboribus et saeva persecutione transactos, tandem factum est ut religiosissima haec Provincia perierit atque in nihilum redacta sit. Non ita tamen extinctam dixero, ait Auctor *Certaminis seraphici*, quin ex eadem natione aliqui Patres de Ordine Seraphico semper floruerint. Quin etiam ita Deo placuit tot sanctorum Religiosorum vita, et tantam gloriam Ei dederunt la-

(1) *De origine et progressu schismatis Anglicani Libri tres.* Coloniae 1585, Romae 1586, Ingolstadii 1588.

(2) Cum Urislaeus praecipue amabat Franciscanos, pro eis magno conatu intercedebat apud regem, ne morti traderentur spem faciens eorum nonnullos posse fortasse adduci tempore, ut regis voluntati accommodarent.

(3) Rev. Pater Thomas Cortus, generis etiam nobilitate conspicuus, squallore carceris extinctus est 6 Calend. Augusti 1534. Eodem anno martyrium subierunt P. Hugo Richaeus et P. Richardus Risbaeus Guardiani.

bores et sanguis filiorum Divi Francisci, ut seraphicum nomen in hac regione mirabili Providentia resuscitare, conservare et exaltare voluerit.

Etenim cum res maxime deploratae viderentur, et quasi conclamatum de hac Provincia plane esset, singulari Dei clementissimi beneficio denuo pulcherrimam suam faciem attollere visa est. Nam post decimum sextum saeculum suscitavit Deus virum haud genere ignobilem, quondam in collegio Duaceno in humanioribus probe educatum, in superioribus vero studiis in collegio Anglorum Romano edoctum ac sacri presbyterii gradu decoratum, postea in Anglia missionarium non segnem, Ioannem Gennings dictum, eximii quondam martyris Edmundi Gennings fratrem, qui piissima devotione ac zelo maioris perfectionis ductus, habitum Sancti Francisci a quodam Patre Gulielmo Stannie eiusdem Ordinis Religioso instanter petiit obtinuitque. Nam dictus Pater Gulielmus, cuius pietas et devotio non vulgarem laudem inter catholicos Anglos promeruit, ipsum, habita auctoritate speciali laetus propter zelum quem in eo percipiebat ad Ordinem suscepit, ingeniumque viri optimi prospiciens et maximam spem de bono successu, opera ac industria eius concipiens, illi dedit antiquum sigillum Provinciae Anglicanae non sine specie miraculi, quasi ad illud tempus conservatum, vel successive a Patribus istius Ordinis sibi invicem communicatum, quod a glorioso martyre Rev. P. Iones acceperat.

Neque profecto vana, neque inutilis fuit spes eius. Nam dictus Pater Ioannes Gennings solus quasi relictus et tenuissima spe auxilii humani praeditus, de restituendo huius Provinciae diu extinctae aut dissolutae pristino vigore serio idque in Domino cogitare coepit, et in hunc finem cum magno zelo pietate ac non minimis expensis (quas tenuiter ex variis piorum hominum eleemosynis hic illic corrasit) aliquos iuvenes saeculares ex collegio Anglo Duaceno secum duxit, atque in conventu Iprensi Provinciae S. Ioseph pro patribus Strictioris Observantiae, vulgo Recollectis nuper a R. A. P. Petro Marchant, quem tanquam Patrem specialem in regulari observantia merito haec Provincia Anglicana semper agnovit, erectae collocavit.

Neque adeo multo postea tempore alii ex eodem collegio adhuc ad Ordinem recepti sunt, quos inter palmam praeferebat R. A. P. Hieronymus a S. Bonaventura vir non mediocriter doctus, qui aliquando Minister Provincialis electus est.

Iam autem, parto non spernendo Fratrum numero, non sic cessavit neque feriari voluit noster Pater, sed ut domum seu locum aliquem haberet in quo iidem Fratres una vivere in communi potuissent, omnes suas curas et cogitationes fixit, et Belgium pro patria, ac Duacum (ad hanc nationem tunc temporis pertinentem) pro civitate selegit. In quem finem advocavit Ven. P. Bonaventuram ex conventu Mechliniensi, ipsumque Superiorem seu Praesidem suorum Fratrum iam simul congregatorum et viventium in domo aliqua privata Almae Universitatis Duacenae constituit, et habita facultate a rege Hispaniarum, et ipso magistratu consentiente, conventum a fundo extruere continuo meditatus est, et re proposita Generali Capitulo Salmanticae celebrato anno 1618, Generalis cum toto Definitorio dederunt consensum Litteris sic incipientibus:

« Fr. Benignus a Genua totius Ordinis Minorum Generalis Minister et servus, et Definitores Familiae cismontanae pro inchoanda restauratione Provinciae Angliae olim inter nos et apud nos inter omnes Provincias celebris acceptandum duximus et recipimus locum seminarii habendi pro Fratribus dictae nationis in Universitate Duacensi ».

Anno vero 1624, Pater Gennings P. Franciscum a S. Clara Romam misit pro restauratione Provinciae obtinenda in Capitulo Generali, tunc Romae celebrato, quam etiam obtinuit sub hac restrictione ut, donec numerus Fratrum augeatur superior nomine Custodis tantum frueretur, ut patet ex litteris Rmi P. Bernardini a Senis.

Anno tandem 1630, aucto numero Fratrum, facta est plena restauratio Provinciae ex mandato Rmi Patris Bernardini a Senis, prout patet ex patentibus datis anno praecedenti.

Haec renascens Provincia miro modo prioris sanctitatem et zelum aemulari studuit et imitari, et quidem tanto successu ut per duo saecula spiritum seraphicum conservare potuerit, plures et insignes martyres Ecclesiae de-

derit, (1) apostolicum ministerium in Anglia indefesse et maximo cum fructu exercuerit, atque semper pro pura Regulae observantia tuenda in ipsis residentiis inter medias persecutiones zelosissima exstiterit.

In hoc florentissimo statu permansit Provincia usque ad magnam perturbationem Gallicanam, ita ut anno 1761 adhuc centum Religiosos pro missionibus Angliae numeraret. Ad finem autem saeculi, Duaceno conventu, praecipuo Fratrum seminario, violenter suppresso, omni quidem modo possibili iuvenes novitios in privatis domibus Angliae recipere et educare voluerunt, sed tandem defectu coenobiorum continuandae Provinciae se impares sentientes, summis votis ab Altissimo efflagitarunt, ut lugendae huic conditioni remedia extraordinaria afferre dignaretur. Nec in vanum quidem: dum enim tres tantum aut quatuor Patres superstites remanerent, inter quos doctus et piissimus Pater Hendren, Episcopus Cliffordiensis, mira Providentia ad hanc nationem missi sunt anno 1858 aliquot alumni Provinciae Belgii S. Ioseph, qui, non sine magnis difficultatibus sed evidenti Dei adiutorio, quatuor hucusque conventus in Insulis Britannicis erigere potuerunt, videlicet Mancuniensem, Killarniensem, Glasguanum et Londinensem.

Cum Rev. P. O' Farrell, qui Ordini suo addictissimus semper fuit, ultimus tandem existeret Provinciae Anglicanae alumnus, et laetus perspiceret erectionem horum conventuum, summas Deo gratias agere non cessabat, et ante mortem suam, quae contigit anno 1877, Belgii Patribus completum Archivum Provinciae suae tradidit, uti et illud ipsum sigillum quod Rev. Pater Gennings, uti supra dictum est, olim acceperat a Rev. Patre Stannie.

Tot tantisque prodigiis et beneficiis Deus Opt. Max. remunerare voluit Provinciam quae de Ordine Seraphico et de Ecclesia catholica, tum perfecta Regulae observantia tum animarum zelo et sanguinis profusione, optime promeruit (2).

Cum haec adeo gloriosa sint Ordini nostro, et Provinciis suppressis tam stupendum exemplum tantumque stimulum praebere possint ad repristinandos conventus eosque perfecto modo instaurandos, excusatos nos habeant lectores, quod fusius de hac Provincia simus locuti. Mirentur potius benignissimam Dei Providentiam erga veros filios S. Francisci, et recolere non cessent fervorem et sanctitatem illorum Religiosorum qui in tot tribulationibus versantes Ordinis sui spiritum conservare potuerunt, et in mediis persecutionibus adeo constantes permanserunt, ut parati essent potius mori quam sacrum fidei depositum relinquere aut vita inordinata aliquam maculam ei inferre.

(*Continuabitur*)

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1883 celebrata.

—

XI

In Observanti Custodia Hercegovinae celebratum fuit Capitulum in Conventu Ssmae Assumptionis de Sirokibrig, sub praesidentia Rev. Patris Petri Kordic, die 7 Maii huius anni. Electi sunt:

In Custodem Gubernii:
Adm. R. P. Lucas Begic.

In Discretos:
R. P. Franciscus Dobretic.
R. P. Blasius Jerkovic.
R. P. Augustinus Zubac.
R. P. Stephanus Vuletic.

Huius Custodiae Conventus seq. sunt:

Sirokibrig, SS. Assumptionis.
Ilumac, S. Antonii.
Mostar, Residentia SS. Petri et Pauli.

et paroeciae Ljutidolac, Cerin, Gradnici, Gabela, Veljaci, Klobuk, Ruzici, Drinovci, Gorica, Posusje, Vir, Roskopolje, Grabovico, Zupanjac, Suica, Bukovica, Seonica, Rakitno, Gradac, Goranci, Dreznica, Koujic, Glavaticevo, Kocerin, Rasno.

(1) Inter hos praecipui sunt P. Paulus a S. Magdalena, P. Franciscus Bell, P. Martinus a S. Felice et P. Ioannes Baptista, quorum vita describitur in *Certamine seraphico*, ubi etiam P. Christophorus a S. Clara inter martyres recensendus ostenditur.

(2) Qui plura de hac Provincia noscere desiderat, conferat *Certamen seraphicum* necnon opus inscriptum: *Franciscan Martyrs in England*, Auctore Mrs Hope.

XII

Collegium S. Antonii de Potosi *in Bolivia.*

Die 9 Iunii 1883 celebratum fuit huius Collegii guardianale Capitulum, praesidente adm. R. P. Francisco Saenz, Min. Obs., Commissario Visitatore Generali. Electi sunt

Guardianus Collegii:

R. P. Ioannes Carbini a Montecarotto.

Discreti:

R. P. Theodorus Massa de Calice.
R. P. Bonaventura Capomagi de Osimo.
R. P. Thomas Turchetti de Corciano.
R. P. Franciscus Saenz.

—

XIII

Obs. *Custodia Melitensis* (*Malta*)

Die 19 Iunii 1883, rite celebratum est Capitulum sub praesidentia adm. R. P. Archangeli a Vado, ex-Provincialis Provinciae Bononiensis et Commissarii Visitatoris Generalis. In eo electi sunt:

Custos Regiminis:

Adm. R. P. Samuel a Melita.

Discreti Custodiales:

Adm. R. P. Ioannes Caietanus a Melita.
R. P. Ludovicus a Melita.
Adm. R. P. Antonius a Melita.
R. P. Bonaventura a Melita.

Tria huius Custodiae coenobia haec sunt:
Valletta, S. Mariae a Iesu.
Notabile, S. Mariae a Iesu.
Sliema, N. D. Divi Cordis.

—

XIV

Obs. Provincia Thusciae.

Capitulum Obs. Provinciae S. Bonaventurae Thusciae rite et canonice celebratum fuit die 14 Iulii 1883, praesidente R. adm. P. Andrea a Graecio, ex-Provinciali Provinciae Seraphicae et Commissario Visitatore Generali. In eo quidem electi fuerunt:

Minister Provincialis:

Adm. R. P. Henricus Rosa.

Custos Provinciae:

Adm. R. P. Faustinus Francesconi.

Definitores Provinciae:

Adm. R. P. Pacificus Jacopozzi.
R. P. Bernardinus Olobardi.
R. P. Petrus Zazzini.
R. P. Hilarius Maggi.

Haec Provincia sequentes ante suppressionem 31 Conventus habuit et 3 hospitia:

Bibbiena, S. Laurentii.
Bosco di Mugello, S. Bonaventurae.
Carrara, S. Francisci.
Cortona, S. Margaritae.
Empoli, S. Mariae a Ripa.
Firenze, Omnium Sanctorum.
Fivizzano, S. Francisci.
Fucecchio, SS. Virginis.
Incisa, *Il Vivajo.*
Livorno, *La Madonna.*
Lucca, S. Francisci.
Massa marittima, S. Petri *all' orto.*
Montalcino, *L' Osservanza.*
Montefollonico, S. Sigismundi.
Pescia, *Colleviti.*
Pietrasanta, S. Francisci.
Pieve S. Stefano, *la Madonna dei lumi.*
Pisa, S. Crucis.
Pistoia, *Giaccherino.*
Pontassieve, S. Francisci.
Prato, S. Dominici.
Radicondoli, S. Francisci.
S. Casciano, S. Crucis.
S. Cerbone, S. Cerbonis.
S. Piero in Bagno, S. Francisci.
S. Romano, *La Madonna.*
Sansepolcro, *L' Osservanza.*
S. Vivaldo, S. Vivaldi.
Siena, *L' Osservanza.*
Volterra, S. Hyeronimi.
Villafranca, S. Francisci.
Hospitia: Cascina.
« Greve.
« Pistoia.

—

XV

Ref. Prov. Transsylvaniae S. Stephani Regis Hungariae.

Die 29 Iulii rite celebratum fuit Capitulum in Conventu Csik-Somlyoensi, praesidente adm. R. P. Conrado Piramowicz, Ref.

Provinciae Poloniae Minoris ex Ministro et ex Definitore generali Ordinis, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Polycarpus László.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Iucundianus Simon.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Demetrius Kozma.
R. P. Cornelius Lakatos.
R. P. Eugenius Simon.
R. P. Nicolaus Bodó.

Haec Provincia sequentes habet Conventus:

Csik-Somlyó, B. M. V. Visitationis.
Mikháza, S. Stephani Hung. Regis.
Nagy-Szeben, S. P. N. Francisci.
Esztelnek, S. Georgii Martyris.
Vajdahúnyad, B. M. V. Assumptae.
Kolozsvár,, B. M. V. ad Nives.
Medgyes, B. M. V. Immaculatae.
Szárhegy, B. M. V. Assumptae.
Székly-Udvarhely, S. Petri et Pauli Apost.
Deés, S. Antonii Patavini.
Brassó, S. Ioannis Baptistae.
Fogaras, SSmae Trinitatis.
Szamosujvár, S. Petri de Alcant.

nec non Residentias.

Károlyfehérvár, S. Fabiani et Sebastiani.
Segesvar, S. Ioseph.
Szászváros, S. Elisabeth Hung.
Szászebes, S. Bartholomaei Ap.
Marosvásárhely, S. Emmerici Ducis.
Torda, S. Ladislai Hung. Regis.
Toroczkó-Szentgyörgy, SSmae Trinitatis.
Szék, S. Ioannis Nepom.
Köhalom, S. Annae.

et *Hospitium.* Hátseg.

—

XVI

Reformata Provincia S. Crucis Croatiae-Carnioliae.

Die 22 Augusti 1883 in Conventu ad B. M. V. Annuntiatam Laibaci rite celebratum est Capitulum, praesidente A. R. P. GAUDENTIO GUGGENBICHLER, Definitore Generali, in quo electi sunt

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Bonaventura Sell.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Fridericus Hönigmann

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Ioannes Zibrat
R. P. Callistus Medic
R. P. Pacificus Fister
R. P. Athanasius Krajik

Hac Provincia 12 sequentes habet Conventus:

Laibach, B. V. M. Annuntiatae.
Tersatto, B. V. M. Gratiarum.
Castagnavizza, B. V. M. Annuntiatae.
Rudolphswerth, S. Leonardi Conf.
Stein-Kamnik (*Lithopoli),* S. Iacobi Ap.
Pisino, B. V. M. Visitationis.
Samobor, B. V. M. Assumptae.
Klanjec, B. V. M. Annuntiatae.
Nazareth, B. V. M. Annuntiatae.
Karlstadt, Ss. Trinitatis.
Rann, S. Antonii Patav.
Jaska, B. V. M. Assumptae.

III
MISSIONES

—

VICARIATUS APOSTOLICUS

de Hu-pè Occiduo-Meridionali status animarum ac spiritualis administratio anno 1881-1882.

—

Christianitates	58
Christiani in Catalogo descripti	3753
Baptizati	
Adulti	90
Fidelium infantes	116
Infidelium infantes	
Baptizati	902
Collecti	57
Aliti	48
Mortui	591
Confirmationes	210
Confessiones	
Annuales	2545
Devotionis	7922
Communiones	
Annuales	2300
Devotionis	7655

Matrimonia benedicta	21
Extremae Unctiones	56
Vita functi	107
Divini verbi Praedicationes	
ad Fideles	846
ad Paganos	1862
Missiones	42
Sacella ad Vicariatum pertinentia	18
Missionarii	
Europaei	7
Sinenses	5
Alumni	
Seminarii	10
Collegii	12
Scholarum	216
Orphanotrophia S. Infantiae	
Tertiariae S. Francisci	6
Inservientes mulieres	2
Pueri	26
Puellae	37

✠ Fr. P. M. Filippi
Vicarius Aplicus

Hi sunt Missionarii Franciscani degentes in Vicariatu Apostolico de Hupé-occiduo meridionali in Sinis.

1. R. P. Candidus Bisordi a Rigoli, Ref. Provinciae Thusciae.

2. R. P. Ioannes Franzoni a Botticino, Ref. Provinciae Longobardiae.

3. R. P. Benedictus Francini ab Aretio, Ref. Provinciae Thusciae.

4. R. P. Beniaminus Christiaens, Recoll. Provinciae Belgii.

5. R. P. Dominicus Ofert, discalc. Provinciae Apostolicae in Insulis Philippinis.

6. R. P. Laurentius Fuchs, Ref. Provinciae Tyrolis Septentrionalis.

7. R. P. Basilius Gorges, Recollectae Provinciae S. Bernardini in Gallia.

Missionarii Sinenses sunt 5, quorum nomina non fuerunt nobis indicata.

EX EPISTOLA

PP. Anselmi a S. Salvatore et Caesarii a Cappel, Min. Obs. Missionariorum Vicariatus de Shantong in Sinis, scripta die 23 Iulii 1883.

Summarium.

1. Iter ex Europa ad *Che-foo* et *Zinanfu*. — 2. Regressus ad civitatem *Che-foo;* huius civitatis portus et commercium. — 3. Nova ecclesia in *Che-foo*. — 4. Protestantium conatus. — 5. Brevis status Missionis. — 6. Missionariorum vestes — 7. Provicarii R. D. Anzer supplicium et liberatio.

1. Partis de Rome le 7 Décembre et de Port-Saïd pour la Chine le 13 Janvier dernier, nous sommes arrivés à *Shang-haï* le 7 Février. Après 15 jours d'attente, nous avons trouvé un vapeur pour *Che-foo*. Ce furent encore deux jours et demi de voyage à ajouter aux précédents: mais nous allions enfin toucher cette terre qui sera notre nouvelle patrie et la dernière étape, du moins je l'espère, de notre pèlerinage terrestre.

Nous trouvâmes le *Tiendjudan,* grâce à un Chinois, qui connaissait la *maison du Seigneur du ciel*. Le Père Orsi, vieux missionnaire, nous reçut à bras ouverts, et nous communiqua les ordres du vicaire général qui nous appelait tous les deux, le plus tôt possible, à *Zinanfu* où se trouve la résidence épiscopale. Mais le voyage est long et coûteux: il faut une voiture pour chaque missionnaire, et pendant dix jours entiers on goûte les inexprimables délices des hôtels chinois, sans parler des cahots de la voiture pendant douze heures chaque jour.

Ce fut la veille du Dimanche de Quasimodo que nous pûmes nous mettre en route. Nous étions depuis deux heures à peine installés chacun sur notre char (et quel char!) roulant à travers les montagnes, sur une route telle que l'a faite la nature, quand tout-à-coup l'un de nous se trouve sous son char par suite de l'imprévoyance du cocher endormi. Ce fut un petit accident sans aucune fâcheuse conséquence. Malgré ces fatigues, nous nous sommes toujours très bien portés et sommes restés gais comme des touristes. On nous prenait pour de riches marchands européens et on nous traitait comme des mandarins, dans l'espoir de quelques sapêques de plus (sapêques du *Shantong:* il en faut plus de vingt pour faire cinq cen-

times de notre monnaie de France). Enfin le 9 Avril nous entrons dans la grande ville de Zinanfu, à la double enceinte de murs élevés. La mission a obtenu du gouvernement chinois, d'après le traité de 1860, un espace assez considérable de terrain, en remplacement des trois missions détruites dans la ville au commencement de ce siècle. Ce terrain est couvert de toutes sortes de constructions chinoises, qui nous servent en attendant qu'on puisse les reconstruire. Déjà s'y trouvent une église et un corps de bâtiment nouvellement construit, en style européen. Une école de catéchistes a été établie à *Zinanfu*.

Au moment de notre arrivée se trouvaient à la résidence trois missionnaires européens et quatre chinois; nous formions une petite communauté et nous nous trouvions comme dans un couvent. Les chrétiens sont très-édifiants. Tous ceux qui sont venus ont voulu faire le Kotoü (la prostration) aux nouveaux missionnaires. Nous nous mîmes aussitôt à l'étude du chinois avec la méthode de notre vénéré Prélat, Mgr Cosi, qui vraiment mérite tous les éloges. Seulement il n'y a pas encore de grammaire ni de vocabulaire et le Père chinois, qui peut seul nous donner des leçons, n'est pas bien portant. Cependant avec les ouvrages déjà composés d'après la nouvelle méthode, nous travaillons facilement, et grâce à l'exercice, les sons commencent à frapper distinctement notre oreille.

2. Après deux mois d'étude des coutumes chinoises, je laissai le P. Anselme à *Zinanfu* et je repris le chemin par lequel nous étions venus (1.100 lys de distance, à peu près 600 kilomètres): seulement j'eus un voiturier chrétien et un bon serviteur avec moi, et je pouvais m'exprimer un peu.

Me voici donc à Che-foo depuis le 22 Juin. Cette ville peut compter au delà de 20,000 chinois, et environ 150 européens, tous des marchands ou des employés de la douane. Le port est grand et sûr. Il renferme en ce moment 13 vaisseaux de guerre chinois conduits par des capitaines européens. Tous les jours arrivent des vapeurs marchands qui déchargent et chargent. Il y aurait encore un plus grand commerce, si ce n'était la difficulté des transports à l'intérieur. La plupart des ballots sont transportés à dos de mulet jusqu'à *Zinanfu*. Les chemins sont pendant l'été toujours remplis de voyageurs conduisant des troupeaux de bêtes de somme.

Je profite de mes loisirs pour continuer l'étude de la langue avec l'aide du Père chinois attaché à la mission de Che-foo. En outre j'étudie l'anglais et j'écris des sermons dans cette langue. Le premier dimanche assistèrent à l'office 135 marins anglais. Le commandant d'un vaisseau reçut la sainte communion; j'ai prêché mon premier sermon qui a duré dix minutes: c'était assez long pour moi et, je pense aussi, pour mes auditeurs. Depuis, à cause des évènements, les Anglais sont partis vers le Japon; ils doivent cependant encore une fois passer un dimanche ici, puis descendre vers *Hong-Kong*.

3. La nouvelle église de *Che-foo*, située sur la plus belle place de la ville européenne, au centre, près du port, dans un terrain spacieux, sera le plus beau monument de la ville et même de tout le *Shan-tong*. Elle sera d'un style demi-gothique, en forme de croix bâtie à la manière des Anglais. Elle est en construction depuis dix ans, et a absorbé déjà beaucoup d'argent, car elle est en pierres de taille: de plus, munie d'une grande sacristie, à double étage, avec une tour énorme mais non achevée, l'église possède à l'entrée et dans le transept, comme au choeur, de grandes fenêtres. En ce moment-ci on travaille à la toiture, qui sera couverte en ardoises venues d'Angleterre avec tous les accessoires. Mais maintenant pour les poser il faut que j'enseigne le métier de couvreur aux ouvriers chinois, qui ne connaissent que la petite tuile creuse du pays: il me fandra les surveiller toute la journée. Mais à la gloire de Dieu!

Mgr Cosi a donné un subside pour acheter les bois: c'est tout ce que Sa Grandeur peut faire, ayant de grands besoins dans les autres missions.

4. Les protestants ont dans la ville européenne une église non loin de la nôtre et une chapelle au port: mais il n'y a pas de ministre résidant, il sont tous logés à une certaine distance de la ville. Le Dimanche, les ministres viennent à cheval pour officier tour-à-tour; on en compte dix à douze de différentes sectes,

américains et anglais. Ces protestants ont un collège, un pensionnat de jeunes filles, plusieurs écoles et un hôpital. Vous voyez qu'il nous reste beaucoup à faire pour lutter contre l'hérésie et le paganisme.

5. Le Shan-tong compte à peu près 50 millions d'habitants, et pour ce vaste pays nous sommes en tout 20 missionnaires, en comptant l'évêque, le directeur du séminaire et les invalides. Le Père voisin de Che-foo a pour lui seul un district de 300 kilomètres de long. A peine peut-il paraître une fois par an dans chaque chrétienté. Toute la partie du promontoire où se trouve Che-foo, au sud, n'a pas encore vu de missionaire catholique, et cependant les protestants y ont des collèges et des écoles. Les prêtre chinois qui est ici ne peut sortir à cause de ses infirmités; mais, si Dieu m'en fait la grâce, j'espère visiter certains endroits du district où nous avons beaucoup à espérer. A Che-foo aussi, quand il y aura une église. j'espére attirer quelques païens: lorsqu'ils passent maintenant, ils s'arrêtent souvent longtemps à la considérer. La sainte Vierge, saint Joseph, saint François et saint Antoine, qui seront représentés dans les vitraux, attireront bien quelques brebis au bon Pasteur répresenté aussi dans un vitrail.

Le séminaire de Kungdialu a une vingtaine d'élèves avec un seul missionnaire, le P. Passinetti, qui est supérieur, professeur de théologie, de philosophie, d'humanités, aumônier des orphelinats et curé de la paroisse, ainsi que planteur d'une belle vigne, avec laquelle il espère fournir du vin de messe à toute la mission.

6. Nous avons pris le costume chinois à *Shang-hai* selon les ordres de notre évêque. Depuis, à *Zinanfu*, nous avons revêtu les habits de printemps, des habits seulement doublés de percaline. Maintenant c'est la robe chinoise sans doublure. Pour sortir il nous faut en mettre une de soie (mais soie du *Shantong*, qui ne coûte pas autant que la flanelle en Europe); à la maison c'est une longue robe en percaline bleue sans col et sans ceinture. Les souliers sont toujours les mêmes. J'ai mis de côté mon habit religieux pour en être revêtu à ma mort, si Dieu m'en juge digne.

7. Une partie de notre Vicariat, au sud, a été cédée par Mgr Cosi, poussé par le manque de missionnaires, à des prêtres d'un séminaire allemand établi en Hollande. Ils sont encore très-jeunes (au nombre de trois) et le supérieur Pro-vicaire apostolique, M. Anzer, a eu au mois de Mai une terrible affaire, qui a failli lui coûter la vie. Cet ardent missionnaire voulut ouvrir une mission dans un certain village. Comme les païens s'y opposaient fortement, il s'adressa aux mandarins de la ville voisine, où il se rendit lui-même et resta six jours. Les païens du dit village en profitèrent pour venir l'attaquer. Se voyant en danger, il alla demander des secours au tribunal. On lui promit des gardes qui ne vinrent pas. Il rencontre un mandarin et l'appelle au secours; mais celui-ci ne daigne pas lui répondre. Sur ces entrefaites, la foule hostile s'empare de sa voiture, le traîne hors de la ville, et là des forcenés lui déclarent qu'ils veulent le tuer parce qu'il prêche une mauvaise religion; ils le déshabillent en effet, le lient à un arbre et le frappent jusqu'à ce qu'il ne donne plus signe de vie. Alors ils voulurent l'enterrer; mais un païen de la ville, ému de compassion, les en détourna: « Inutile, leur dit-il, de vous donner cette peine; demain les soldats feront la besogne. » Les assassins se rangent à cet avis; mais ils prennent tous les objets qu'ils trouvent sur leur victime, dévalisent la voiture et frappent les deux chrétiens qui l'escortaient. Pendant ce temps, le païen compatissant alla chercher un chrétien, et tous les deux relevèrent le P. Anzer, lui donnèrent des habits et le portèrent chez des catéchumènes d'un village voisin. Le Père était revenu à lui, mais il avait perdu beaucoup de sang et son pied gauche était disloqué. En apprenant cette émeute, le mandarin eut peur et envoya chercher le missionnaire pour le faire soigner au mandarinat par de bons médecins chinois, car il y allait de sa vie. Dans l'espace de onze jours le P. Anzer fut rétabli et vint à *Zinanfu* pour se faire rendre justice par le vice-roi, qui se montre bien disposé. Depuis je n'ai plus rien su (1).

Je finis, mon Très Révérend Père, en vous demandant pardon pour le décousu de cette lettre, car je suis à chaque instant interrompu.

Veuillez agréer etc.

(1) Ex ultima relatione habita, P. Anzer exulare coactus in Europam profectus est.

IV
BIBLIOGRAPHIA

1881. Storia Universale delle Missioni Francescane dal M. R. P. Marcellino da Civezza, M. O. Definitore Generale. Vol. VII. part. I, in 8, pag. 978.

Ad huius voluminis materiam quasi ob oculos ponendam brevem Auctoris praefationem et quosdam Indicis titulos hic publicamus:

AL LETTORE.

« A differenza dei sei Libri già pubblicati di questa Storia, il presente fu diviso in due Parti, dacchè l'avvenimento del Protestantesimo in Europa aggiungeva un nuovo campo a quello già tanto vasto, che i Francescani percorrevano evangelizzando tra gl' infedeli, eretici e scismatici, per diffondervi o ristabilirvi la vera fede di Gesù Cristo: vogliam dire, una notabile parte della stessa Europa, che la novella eresia disertó e separó dalla Chiesa di Roma. In questa prima Parte si narrano, dunque, que' terribili avvenimenti, e ciò che l'Ordine nostro fece e soffrì in mezzo ad essi, sia per opporsi efficacemente all'eresia, sia per conservare o sparger di nuovo, dov'essa sventuratamente prevalse, i semi della cattolica rigenerazione. È lavoro che ci costa molte e pazientissime fatiche: ma siamo lieti di aver somministrato (se l'amor proprio non c'inganna) alla Storia della Chiesa e dell'Ordine fatti e documenti per empire molti vuoti che in quel periodo s'incontrano, ed anche per correggere parecchi giudizi che non tornano punto ad onore degl'Istituti Religiosi, la cui vera storia in quelle vicende non è fin qui conosciuta. »

Prato in Toscana, Convento di San Domenico, addì 2 di agosto del 1883.

L'Autore

INDICE.

Capo I. — Chi fu Lutero, e in che consiste l'opera sua. — In quali condizioni fossse quivi l'Ordine Francescano all'avvenimento di Lutero. — Come si comportò nella lotta, e qual ne rimase in appresso. — Antiche cronache che lo riguardano, testè edite in Germania.

Capo II e III. — Principio e svolgimento dell'opera di Lutero in Germania, e ciò che fece l'Ordine Francescano dal 1520 al 1550 per opporvisi efficacemente.

Capo IV. — Come il Protestantismo entrò nella Danimarca, nella Svezia, nella Norvegia. — Quando vi si recassero i Francescani e come vi fossero ricevuti. — Condotta tenuta dai Francescani in appresso, durante la persecuzione.

Capo V e VI. — Come all'opera di Lutero in Germania aggiugnesse la sua Calvino nella Svizzera. — L'Ordine Francescano in Svizzera. — Le Clarisse di Ginevra, ed avvenimenti che le riguardano.

Capo VII e VIII. — L'Inghilterra. — I Francescani in Inghilterra. — Alessandro d'Ales, maestro di San Bonaventura e di San Tommaso. — Adamo di Marisco. — Roggero Bacone. — Riccardo di Slickburg ed altri. — Frate Giovanni Duns Scoto. — Guerra indegna contro l'Ordine Francescano. — Enrico VIII.

Capo IX. — I Francescani in Irlanda. — Presenti missioni Francescane in Inghilterra, in Svezia, in Irlanda.

Capo X. — L'avvenimento del Calvinismo in Francia. — Come in quelle vicende si comportasse quivi l'Ordine Francescano. — Le conseguenze dell'eresia del secolo XVI. — La Pulcella d'Orléans, ossia Giovanna d'Arco, Terziaria Francescana.

Capo XI. — I Paesi Bassi. — Di quel che fece in tal tempo e patì l'Ordine Francescano per difesa della cattolica fede. — Presente stato delle Provincie Francescane del Belgio e dell'Olanda.

1883. Aperçu historique sur l'Ordre de S. François, extrait de l'*Auréole séraphique* ou Vie des Saints des trois Ordres de S. François par le T. R. P. Léon, ex-Provincial des Franciscains de l'Observance, ouvrage approuvé par le Ministre Général de l'Ordre. Paris, librairie Bloud et Barral, 4, rue Madame in 12, p. 114. (0,50.)

Sub typis iam est praelaudatum opus *Aureola seraphica*, sive *Vita Sanctorum trium Ordinum S. P. Francisci* et eiusdem operis introductio est *Aperçu historique* quod annuntiamus. *Aureola seraphica* quatuor constabit voluminibus, quorum tres iam in lucem edita sunt.

1883. Vita del beato Giovanni della Verna per Fra Ermenegildo da Chitignano. M. R. Prato per Ranieri Guasti editore libraio in 12 (L. 1,50).

1883. Manuale del Terz'Ordine di San Francesco, compilato secondo le norme della Costituzione di Leone XIII del 30 maggio 1883, per cura del Padre Maria Mastacchi da Monzone, Min. Oss. Commissario di detto Terzo

Ordine. Bologna, Tip. Pontificia Mareggiani, in 18 pag. 144. (L. 0,25 cent. non compresa l'affrancazione.)

1883. Maximas de la divina Sabiduria dirigidas a los padres e hijos de familia por el P. Fray Francisco Maria Compte, misionero franciscano. Con licencia del Ordinario. Quito. Imprenta de la Novedad, por Jose Guzman Almeida. In 18, pag. 25.

1883. Varones illustres de la Orden seraphica en el Ecuador desde la fundacion de Quito hasta nuestros dias, per el P. Fray Francisco Maria Compte, cronologo del colegio de San Diego, de Quito. Con la aprobacion de la autoridad eclesiastica. Quito. Imprenta del gobierno. In 8, pag. 215.

V.
NECROLOGIA

R. P. Iucundus a Montagnano, in dioecesi Aretina natus die 26 Decembris 1798, et Ordinem nostrum ingressus in Ref. Prov. Tusciae die 2 Martii 1822, singulari pietate et regularis observantiae zelo semper enituit. Varia sibi demandata munera Concionatoris, Novitiorum Magistri, Monialium Confessarii et Guardiani praesertim, quod per multos annos tenuit, ita adimplevit ut sanctae orationis spiritum necdum non extingueret, sed vividiorem efficeret, atque dici posset sine intermissione orare. Choro numquam abfuit nisi coactus, et tunc etiam sub media nocte surgebat ac in cella sua divinas persolvebat laudes, lepide asserens se ita agere quia experientia compererat, id valetudini suae valde prodesse. Aliis quocumque modo detrahere nunquam auditus, si verba etiam in minimis charitatem laedentia, eo praesente, proferebantur, vel detrahentem compescebat, vel loco ipsemet abscedebat. In sacro Alverniae coenobio Guardiani munere fungebatur, cum anno 1866 Religiosorum suppressionem in Prov. Tusciae civile gubernium moliretur; et in his gravibus adiunctis communitatis suae praeservationem potius a Deo quam ab hominibus obtinuit. Nunquam curribus, nequidem vaporiferis, neque calceamentis etiam in extrema senectute usus est: et cum, mense Novembri elapsi anni 1882, sacrorum exercitiorum praedicationi in novo Clanciani coenobio incumberet, morbo correptus modestissimo vehiculo trahi cogeretur, relatu impossibile est, qua tristitia, quove animi dolore hac de causa affectus fuerit. Dicere solebat: « Fratres mei, mihi credite, nos ideo deiicimur, quod a sancta Regula non timeamus tria expungere praecepta, quae veros efficiunt Franciscanos, scilicet: non equitare, non uti calceamentis et denariis. » Extrema vitae suae fuerunt quae de hominibus Deo dilectis leguntur. Ecclesiae sacramenta ipse poposcit, ast noluit S. Oleo perliniri, nisi qua statuerat die et hora, eaque appropinquante Superiorem advocavit ut sibi hoc sacramentum ministraret, quo suscepto, compositis ad modum crucis supra pectus brachiis, sensibus destitui coepit, in agonem incidit, et mox placidissime in Domino obiit, annos natus 85, die 15 Februarii 1883 in coenobio Sacri Montis Alvernae, ubi maiorem vitae suae partem transegerat. In aeternum quiescere det ei Dominus, nobis autem eiusdem imitari virtutes.

R. P. Gregorius Faraut, Scarenae, Dioecesis Niciensis, natus die 18 Februarii 1812, seraphicum cucullum anno 1829 induit in Reformata tunc S. Thomae Provincia (dein in duas Custodias regiminis divisa, Taurinensis nempe et Niciensis, quae postrema initium dedit Provinciae S. Bernardini in Gallia). Studiorum curriculo laudabiliter peracto et sacerdos ordinatus, anno 1836 a fel. rec. P. Andrea Herrero inter Americae Meridionalis Missionarios adscriptus est. Post longissimam et tunc temporis molestissimam navigationem Aricam appulit; ast non minores labores et aerumnae eidem tolerandae supererant in terrestri centum leucarum itinere, quo mulo absque ephippio celsissimos montes transire debuit (*las cordilleras de los Andes*) nil habens pro cibo nisi grana subusta, vulgo *maiz* vel *granoturco*. Ad Taratense Collegium destinatus, in quo, bellorum causa fere diruto, quinque tantummodo Missionarii erant aetate et valetudine Apostolico ministerio iam inhabiles redditi, tanto animi conatu hispanicae linguae addiscendae incubuit ut brevi tempore sacras Missiones maximo animarum fructu in Provincia *Mizque* praedicare potuerit.

Mox agnitis P. Gregorii virtutibus animique dotibus Collegii Patres eumdem ad munera quaevis difficilia selegerunt. Bis in Europam Missionariorum Collector missus, semel Missionum Praefectus, ac sexies Collegii Guardianus electus, in omnibus hisce officiis prudentia, rerum agendarum dexteritate, ac zelo pro Collegii et Missionum incremento enituit. Collegii ecclesiam ipse aedificavit, et hospitia in *S. Cruz de la Sierra* et in *Cochabamba* fundavit. Ultimis vero vitae suae annis propriae tantum sanctificationi incumbere satagens cellulam in inferiori claustro sibi selegerat prope hortum quem veluti infimus inter laicos Fratres colebat, quin tamen omnibus communitatis actibus interesse omitteret; imo prior semper eisdem aderat, humiliora officia acolythi in choro et lectoris in refectorio exercens. Patiens semper et humilis, hilari vultu inter multas gravesque Collegii tribulationes dicere solebat: « Deus scit quibus indigemus, haec omnia Deus permittit, benedicta sit semper amabilis eius voluntas; patientia igitur et fiducia, ac semper fiducia et patientia!! » Anno proxime elapso sexta vice Collegii Guardianatum obedientiae praecepto suscipere coactus, statim construendo pro Novitiis apostolicae vitae formandis aedificio manus admovit; sed fabrica ad trium metrorum altitudinem perducta, diro ac periculoso morbo correptus, medici iussu, ut commodius curaretur, Cochabambam translatus est. Morbus mox incurabilis agnitus fuit; ipse autem insigni patientia et animi tranquillitate atrox 63 dierum martyrium sustinuit, donec, appropinquante iam vitae fine, Sacro Viatico, quod humi in medio cellae genibus procumbens suscepit, refectus, ac Extrema Unctione et Papali Benedictione munitus, semper sui compos, commendationis animae precibus fere usque in finem respondit; ac die 20 Iunii 1883 hora 9 matutina placidissime animam Deo reddidit. Demortui cadaver Taratam delatum, atque universo clero et populo bis parentante in parochiali primum ac dein in Collegii ecclesia, inter collaudantium lacrymas sepultum fuit. Det ei Dominus requiem et Collegio viros illi similes.

R. P. Ignatius Bianco a Montegrosso Astensi, Ref. Custodiae Taurinensis in Pedemontio, Cunei obiit die 12 Augusti 1883, anno aetatis 72, religionis vero 53. Multas tribulationes sustinuit a novarum rerum fautoribus ob suam in tuendis Ecclesiae et Romani Pontificis iuribus constantiam, et cum pluribus annis Paroeciam Conventus S. Mariae Angelorum Taurini rexisset, Taurino discedere iussus Cuneum petiit, ibique animarum zelo succensus bonorum et utilium librorum lectionem summa cum laude promovere sategit, ipseque nonnullos libros edidit, inter quos: « *Cronologia dei Papi da S. Pietro a Pio IX* » et « *Un mazzolino di fiori, raccolto nel giardino delle scienze.* » Alia autem manuscripta reliquit, quae a P. Benigno a Cuneo asservantur.

A. R. P. Gregorius a Genua natus anno 1815, quum nondum duodevigesimum aetatis annum explesset, saeculi illecebras fugiens religiosum habitum apud nostrates in Observanti Genuensi Provincia induit. Tyrocinio laudabiliter expleto solemnia vota in Conventu S. Mariae de Oregina magna sui cordis exsultatione nuncupavit. Sacerdos factus desiderio sacra Redemptionis nostrae loca visendi diu exarsit; quod tandem anno MDCCCLVII implevit, ab Ordinis Moderatore impetrata facultate. In insulam Cyprum postea missus, Missionarii Apostolici licet munere decoratus, prima litterarum elementa illius Missionis pueros edocere non erubuit. In Provinciam post tredecim annos rediens, Ministri Provincialis primum, tum Custodis et pluries Guardiani munere, Fratribus semper gratulantibus, honestatus est; sacris audiendis Confessionibus assiduum ad extremum usque vitae suae se exhibuit, quamvis gravibus laborans incommodis. Hydropisia correptus supremum diem obiit, Deo et hominibus amabilis, annos natus 68, in Conventu S. Antonii Pelii, idibus Septembris vertentis anni. *Fiat in pace locus eius, et habitatio eius in Sion.* (Ps. LXXV. 2).

Nihil obstat.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

RMI MINISTRI GENERALIS EPISTOLA ENCYCLICA

DE GENERALI ORDINIS COLLEGIO IN URBE INSTITUENDO

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROV. EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
S. R. C. CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS
Dilectissimis Nobis in Christo Patribus et Fratribus nostrae iurisdictioni subiectis salutem et seraphicam benedictionem.

Ea est humanae naturae indoles, Venerabiles Patres ac Fratres in Christo charissimi, ut quo magis homo vel societas quaeque in sui existentia inimicorum vi concuti se sentiat, eo alacrius ac fortius vires suas exerat, et ad dimicandum se paratam praebeat. Ordinem autem nostrum, sicut caeteros omnes, esse undequaque potentibus circumdatum hostibus, ut eum opprimant et, si fas eis foret, ad nihilum red gant, neminem ex Vobis, Patres ac Fratres dilectissimi, latere potest.

Licet autem inimicorum conamina impium exitum sortita non sint, tamen tot damna ei attulerunt, tot vulneribus sauciarunt, ut dolores et gemitus Fratrum nostrorum fere quotidie ad aures Nostras perveniant. Ideo est quod pluries cum Rmo Definitorio Nostro consilium contulimus et de ratione egimus, qua tantae iacturae in his temporum adiunctis, saltem ex parte, occurrere possimus.

Post longas et maturas discussiones illud prae omnibus mediis optimum visum est, ut in hac alma Urbe, et fere sub umbra Pontificis Summi Christi in terris Vicarii, Collegium erigeretur, ad quod illi alumni nostrarum Provinciarum, cuiuslibet Nationis, mitterentur, qui, passivo studiorum cursu in Provincialibus Conventibus cum laude absoluto, pietate et regularis observantiae zelo probati, ingenio super caeteris praefulgeant: ut in hoc Collegio, sub peritiorum professorum disciplina, iis facultatibus scientiisque exclusive vacare possint ad quas unusquisque magis inclinatum se sentiat, aut, Superiorum suorum iudicio, magis idoneus habitus fuerit. Ita fiet ut successivo tempore viros vere doctos et in singulis disciplinis apprime excultos Ordo habeat, et unaquaeque Provincia hisce Lectoribus et Magistris laetari et frui possit.

Fabricam vero ea amplitudine extruere censuimus, ut apta quoque evadat recipiendis, seorsim ab aliis, et erudiendis tyronibus philosophiae et theologiae illarum Provinciarum quibus dura temporum conditio filios in sinu suo alere et nutrire non concederet. Quin etiam illud insuper prae oculis habere debuimus, si nempe antiqua et venerabili Sede Nostra Aracoelitana exturbati, in hoc Collegium Residentiam Ministri Generalis suaeque Curiae transferre cogeremur. . . .

Et iam, Filii charissimi, consentientibus, adprobantibus, imo et urgentibus Nostri Definitorii Generalis Patribus, spatiosam aream pro Collegio aedificando comparari iussimus secus Viam Merulanam, non longe a Sacrosancta Archibasilica Lateranensi; et in infinitis divinae Providentiae thesauris, necnon in potentissimo seraphici P. N. Francisci patrocinio plene confisi, ad opus quamprimum manum admovebimus.

Oportet autem, Venerabiles Patres et Fratres in Domino dilectissimi, pactum pretium, quod non est quidem leve, pro area iam empta solvere, et necessariam pecuniae summam pro eiusdem Collegii constructione in promptu habere.

Et Nos cum fiducia ad Vos convertimur Fratres charissimi, praecipue vero ad Ministros Provinciales, rogantes ut, pro opere ad necessitatem, utilitatem et decus totius Ordinis concepto, obulum vestrarum Provinciarum, sive in numerata pecunia, sive per gratuitam Missarum celebrationem ad nostram intentionem iteratis vicibus, quamdiu necessitas perduraverit, suppositare velitis. Quinimo, si cui ex nostris Fratribus notus sit aliquis liberalior et in Ordinem nostrum propensior amicus et benefactor, optamus et cum sanctae obedientiae merito concedimus ut eum adeat, eiusque liberalitatem propter amorem Dei et S. P. N. Francisci prudenter sollicitet. Expensae siquidem ingentes erunt, prout magnum pro Ordine nostro et ad servitium S. Ecclesiae speramus futurum fore seraphicae Universitatis fructum.

Rogamus interim misericordiarum Patrem, ut Fratribus et benefactoribus, qui petitionibus nostris obsecundaverint, meliorem et copiosiorem mercedem elargiri dignetur, quibus Nos etiam seraphicam benedictionem ex toto corde impertimus.

Datum Romae, ex Aracoeli,
die 12 Novembris 1883.

Fr. BERNARDINUS Min. Gen.

De mandato Paternitatis Suae Rmae
Fr. PETRUS a Monsano Secr. Glis Ordinis.

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX S. CONG. SANCTAE ROMANAE UNIVERSALIS INQUISITIONIS

Dubia quoad interpretationem Constitutionis « Apostolicae Sedis ».

BEATISSIME PATER,

Episcopus N. ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus exponit, quod super interpretatione celebris illius Constitutionis, quae incipit « Apostolicae Sedis moderationi » die 14 Octobr. 1869 emanatae, in hac Dioecesi aliqua dubia oborta sint, quae apostolica solutione digna esse videntur.

Primo - Ac primum quidem per praedictam Constitutionem excommunicationi latae sententiae, episcopis sive ordinariis reservatae, subiacere declarantur « Clerici in sacris constituti vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis, matrimonium contrahere praesumentes. » Quam censuram aliqui extendi etiam ad eos Clericos defendunt, qui civile, quod vocant, matrimonium contrahere attentant in locis, ubi Decretum - *Tametsi* - *Conc. Tridentini (Sess. XXIV. I. De Reformat. matrim.)* promulgatum et in usu est. Haec vero sententia ab aliis reiicitur.

Quaeritur ergo: utri sententiae sit adhaerendum?

Secundo - Excommunicationi nemini reservatae subiacent, ex Constitutione, de qua quaeritur, ii « qui libros de rebus sacris tranctantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt. » Sed dum aliqui restringendam illam esse adstruunt ad libros sacrarum Scripturarum, nec non eorumdem adnotationes vel commentarios; alii e contra affirmant, libros quoscumque de rebus sacris tractantes in genere, i. e. ad religionem pertinentibus tranctantes, ea censura comprehendi.

Quaeritur ergo iterum utrius sententiae sit adhaerendum?

Tertio - At dubia quamplura exorta sunt circa praefatae Constitutionis sequutionem ex apposita in fine eiusdem generali imo plenissima derogationis formula « non obstantibus

praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, Constitutionibus privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus, quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque. »

Infrascriptus Episcopus orator, ut difficultates haud parvas omittat, quae in exequutione Constitutionis « Apostolicae Sedis » nascuntur, ex eo potissimum quod iura Ecclesiae non sunt plene admissa, legesque et consuetudines variae huic Constitutioni adversae vigeant, principaliora aliqua dubia quoad eius clausulae vim et rationem proferre satagit.

1.) Vi Constitutionis praefatae. « Moniales e clausura exeuntes extra casus et formam a S. Pio PP. V. in Constitut. « Decori » praescriptam, excommunicationi latae sententiae, Romano Pontifici reservatae subiiciuntur. Sed in hac Dioecesi, ut etiam in pluribus aliis omnino ab immemorabili conceditur iisdem egressus ex causis gravibus, ab Episcopo recognitis et probatis, iuxta Concilium Tridentinum, et nulla ratione habita Constitutionis Pianae.

Quaeritur ergo utrum particularis ea ut immemorabilis consuetudo per dictam novam Constitutionem abrogata censeri debeat, an continuari possit?

2.) In eadem Const. excommunicatione Romano Pontifici reservata plectuntur « immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes. »

Hisce vero in regionibus lex asyli ecclesiastici, secundum omnem suam rationem a longissimo tempore in desuetudinem abiit, ita ut vix quisquam, nisi casu ad petendum eius patrocinium animum intendat. Nihilominus movetur quaestio utrum, abrogata contraria consuetudine, lex asyli denuo statuta in his quoque regionibus, sit saltem quoad substantiam servanda nec ne?

3.) Tandem excommunicationi subiacere declarantur alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica, absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis « Ambitiosae » - de rebus ecclesiasticis non alienandis - Ex infaustis vero casibus quibus ab initio huius saeculi bona ecclesiastica affligebantur, aliasve ob causas subortae sunt, vel praetenduntur, consuetudines sacro iuri contrariae, quae nonnumquam privilegiis sat vetustis firmari videntur.

Circa haec igitur sequentia dubia proferri liceat;

(A) An ipsa lex Beneplaciti Apostolici per Constitutionem saepe memoratam, licet haec ad limitandas censuras latae sententiae potissimum tum spectarit, quasi de novo promulgata est, ut sua vi generaliter omnes ligat, atque etiam ligaret si Constitutio illa « Ambitiosae » (quam ceteroquin ratam firmamque declarat) vel alia similis non praecessisset? Et si affirmative.

(B) An vi clausulae derogatoriae, vi novae Constitutionis appositae, revocata censeri debeant privilegia antiqua ab ipsa Apostolica Sede rite obtenta, alienandi, scilicet, absque Beneplacito Apostolico.

(C) An derogatio haec extendi etiam debeat ad consuetudines particulares legi de Beneplacito Apostolico latae contrarias, quamvis immemorabiles?

(D) Utrum cadat lex fundationis alicuius loci pii, vel Instituti ecclesiastici, in quantum circa bona legata Beneplacitum Apostolicum una cum consensu Episcopi seu Ordinarii excludit, vel permittit eorum bonorum alienationem absque tali consensu et Beneplacito (ita quod Monacelli, in suo formulario, ex Cap. - Tua Nos - deduxit); an vero ista lex fundationis stare possit, saltem respectu Institutorum, quae sub immediato regum protectione sunt (Trid. Sess. XXII. cap. VIII. de Reformat.) regio titulo insignita, libertate legali vel facultate a regibus fundatoribus donata fuerint, faciendi de suis bonis quidquid sibi pro suis et Instituti totius necessitatibus decreto communi libuerit?

Haec principaliora sunt dubia quae, ut Sanctitas Vestra gratiosissime solvere dignetur, humillime hisce flagitatur.

Et Deus etc.

Feria IV, die 22 Decembris 1880.

Emi PP. DD. Quoad primam partem instantiae

Ad dubium Primum.

Clericos in sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales post emissum castitatis votum, praesumentes contrahere matrimonium, sic dictum, civile in locis ubi lex Tridentina de clandestinitate viget, incurrere excommunicationem latae sententiae Episcopis seu Ordinariis reservatam.

Ad Secundum.

Censuram nemini reservatam, inflictam iis qui libros de rebus sacris tractantes sine ordinaria approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt, restringendam esse ad libros sacrarum Sripturarum, nec non ad earumdem adnotationes et commmentarios, minime vero extendendam ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, id est ad religionem pertinentibus tractantes.

Quoad secundam partem instantiae

Ad Primum.

Affirmative ad primam partem, *Negative* ad secundam: nempe quoad egressum Monialium a clausura servandam esse Constitutionem S. Pii V. « Decori » contraria consuetudine non obstante.

Ad Secundum.

Affirmative et detur particula instructionis fer. IV, 1 Febr. 1871 ad rem faciens prout extat in V. Cons.

Ad primum dubium sub littera (A). *Affirmative.*

Ad secundum dubium sub littera (B) quatenus privilegia de quibus agitur generalia sint, *Affirmative;* quatenus sint specialia et personalia *Negative.*

Ad tertium dubium sub littera (C) *Affirmative.*

Ad quartum dubium sub littera (D). Per recentem Constitutionem nihil immutatum esse quoad fundationes locorum piorum aliarumque ecclesiasticarum Institutionum, de quibus proinde iudicandum esse prout iudicabatur ante promulgationem huius Constitutionis.

—

EX S. CONG. S. U. INQUISITIONIS

Super Constitutione « Apostolicae sedis » instructio ad quaesita Ordinarii N.

« Ad Supremam hanc Congregationem nonnulla dubia delata sunt ab Amplitudine Tua proposita, quibus Feria IV die 15 Iunii labentis anni 1870 ita responsum est.

» *In quarto dubio,* plura a Te congesta sunt. Et primo quidem anxium Te exhibebas circa magistratus catholicos et Gubernii servos, qui immunitatem asyli ecclesiastici violant, veritus nimirum ne omnes excommunicationi subiaceant, quae in Constitutione *Apostolicae Sedis,* 12 Octobris 1869, est quinta inter excommunicationes latae sententiae R. Pontifici reservatas eaque est tenoris sequentis: — Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes aut ausu temerario violantes — Qua Te anxietate ut eximerent Emi Patres, audito etiam SSmi oraculo, monitum Te voluere in ea formula verba, *ausu temerario,* utrumque membrum complecti (1). Ex quo intelligas eum tantum excommunicationem incurrere, qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens immunitatem asyli ecclesiastici aut violare iubet, aut exsequendo violat, quem porro utpote omnis excusationis expertem excommunicationi subiacere mirum esse non debet.

» Deinde similem aperiebas sollicitudinem quoad eosdem Magistratus et Gubernii servos *trahentes clericos ad suum tribunal propter violationem legis civilis sive* alio modo, quos omnes timebas excommunicatione esse irretitos quae, in dicta Constitutione *Apostolicae Sedis,* est septima inter excommunicationes latae sententiae R. Pontefici speciali modo reservatas. Sed in ea formula attendere debes verbum *cogentes,* quod sane indicat, excommunicationem eos non attingere, qui subordinati sint, etiamsi iudices fuerint, sed in eos tantum esse latam, qui a nemine coacti vel talia vel alios ad agendum cogunt, quos etiam indulgentiam nullam merere facile perspicies.

» Mirum autem visum est, quod tertio loco de iisdem censuris addebas, *an revera excommunicationem incurrunt illi, qui vix ideam habent legum a longo tempore obsoletarum sive in Anglia sive in Gallia.* Agitur enim de Constitutione *Apostolicae Sedis,* quae non a longo tempore, sed die 12 Octobris anno 1869 edita est, et in qua Summus Pontifex expresse monet censuras omnes quae in ea continentur, — non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere —. Non igitur adeo recentis legis, regulariter loquendo, ignorantia obtendi potest, cum fuerit ea Constitutio et pro tota Ecclesia in Urbe

(1) Enunciatus articulus in Constitutione *Apostolicae Sedis,* ita legendus est: « Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes. »

promulgata, et ad omnes Ecclesiae partes reapse propagata et ubique iam celebretur.

» Quarto loco quaerebas, an ii qui praedictas censuras incurrerunt, admonendi sint, quod porro minime constabat, utrum de interno an de externo foro quareres. Sed si de interno res est, licet Theologi doceant, aliquando (hoc est debitis factis exceptionibus, de quibus iidem agunt) dissimulari cum poenitente posse, cum duo haec simul concurrunt, bona fides et indubia praevisio, nullum ex admonitione fructum perceptum iri: heic tamen apertum est, sive ob personarum qualitatem, quae excommunicationi subiiciuntur, sive ob qualitatem Constitutionis eamdem censuram inferentis, quae recentissima est ac plane notoria, difficile dari posse bonam fidem quae admonitionem omitti posse suadeat. Quod si de externo foro sermo sit, distinguendum erit inter pastoralem admonitionem ac iudicialem sententiam, quo reum, de quo agitur, excommunicationem incurrisse declaratur. Sententiam hanc declaratoriam, utrum ferri expediat definiri generatim non potest, sed facti personarumque circumstantiis sedulo expensis dignosci debet. Ad pastoralem vero admonitionem quod attinet, quid Theologi doceant probe nosti, qui, si deficiente probabili spe emendationis ac fructus, prudentique metu gravioris cuiuspiam mali concurrente differri admonendi officium, quod ex proprio munere Pastorem urget, posse consentiunt; nihilominus monent, si scandalum a Pastoris silentio oriatur, intermitti illud non licere.

» Quod denique quinto loco addebas, *utrum habeas facultatem absolvendi a praedictis excommunicationibus*, censuerunt Emi Patres, id a Te quaeri ob clausulas derogatorias, quae in Constitutione *Apostolicae Sedis* leguntur; nam ceteroqui, quid facultatum Tibi datum sit, nosse ipse debes. Itaque decreverunt, ut declaratio circa praedictas clausulas de mandato Sanctitatis Suae ab hac Suprema Congregatione edita Tibi communicetur, quae est tenoris sequentis: « colla detta costituzione il Santo Padre non « ha punto inteso di recare la menoma alte« razione alle facoltà di qualsiasi natura dalla « S. Sede innanzi alla promulgazione della « medesima accordate sieno esse quinquennali « o straordinarie o relative al presente Giu« bileo e vuole che rimangano nel pieno loro « vigore durante il termine nelle rispettive « concessioni od indulti prefinito (1).

» In quinto dubio non satis Te intelligere indicas, cur in Constitutione *Apostolicae Sedis*, sub numero quarto excommunicationum latae sententiae, quae Romano Pontifici reservantur, ea quoque recensetur, quae est « contra non « denuntiantes occultos coryphaeos ac duces « sectae massonicae aut carbonariae aliarumve « eiusdem generis sectarum, quae contra Ec« clesiam vel legitimas potestates seu palam « seu clandestine machinantur, » eaque dubii ratio a Te proponitur, quod *nomina praesidentium et membra cuiusque Logiae publice typis dentur*. Sed ne in re tam gravi, quaeque tanti interest incolumitatis Ecclesiae, salutis animarum publicaeque tranquillitatis, quempiam indormire sinas, persuadere Tibi debes, non sine gravissimis causis Romanum Pontificem e sua specula ex qua totam Ecclesiam omnesque simul circumstantias circumspicit, excommunicationem illam iampridem latam, multo mitioribus terminis cohibitam retinuisse. Quamquam haud difficile cuique erit aliquam per se causam videre iniunctae denuntiationis, licet, ut ais, *praesidentium ac membrorum nomina*, saltem in Secta Massonica et Carbonaria, *publice typis dentur*. Ceteris enim praetermissis, quis sane dicere aut nosse valeat, utrum qui in publicis ephemeridibus apparent, specie tantum ac nomine tenus coryphaei ac duces sint, veri autem machinationum artifices directoresque delitescant? Aut quis etiam divinet, utrum perpetuo et constantes ducum nomina evulgare velint? Vides igitur, non inutiliter neque sine causa praeceptum esse, ut coryphaei saltem qui occulti sint denuntientur.

« At quaeris cui et a quibus fieri eiusdem

(1) Haec declaratio communicata fuerat Patribus Vaticani Concilii, qui id peterent, per Emum Cardinalem Bizzari: eaque responsio data fuit per S. C. de Propaganda Fide atque longe lateque vulgata. Ita autem latine sonat: « Per Constitutionem SSmus Pater « nullatenus intendit, ne minimum quidem, detrimentum « inferre facultatibus cuiuscumque indolis, quae a S. Sede « ante promulgationem eiusdem Constitutionis concessae « fuerint, sive hae quinquennales, sive extraordinariae, « sive respicientes praesens Iubilaeum, atque vult ut « in suo pleno vigore permaneant, tempore perdurante « in dictis concessionibus sive indultis praefinito. »

denunciationes in missionibus debeant. Obscurum esse minime potest, a quibus faciendae sint. Generale quippe est praeceptum omnibus fidelibus iniunctum. Cui vero sunt faciendae manifestum quoque est, nimirum ei, qui pro pastorali officio vigilare et cavere debet, ne oves sibi concreditae in lupos incurrant, neve peste inficiantur; cuiusmodi est quicumque episcopale vel quasi-episcopale munus in Missionibus gerit, Vicarius videlicet vel Praefectus Apostolicus, vel ab eis ad hunc effectum delegatus. »

—

EX S. CONG. U. INQUISITION.

DUBIA

Em. Philippus Deangelis, S. R. E. presbyter Cardinalis et Episcopus Firmanus, sequentia dubia S. U. I. Cong. proposuit.

1. Qua parte Tridentinae censurae Constitutione « Apostolicae Sedis » confirmatae adhuc vigeant? Quod idem est ac quaerere an peccans in materia, quam et Constitutio « Apostolicae Sedis, » et Conc. Trid. attingunt in duplicem excommunicationem incidat alteram Rom. Pontifici specialiter reservatam vi supradictae Constitutionis, alteram simpliciter reservatam vi Conc. Trid.? Et proinde an usurpatores bonorum Ecclesiasticorum duplici innodentur excommunicatione?

2. An qui emant ecclesiastica bona ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem R. Pontifici specialiter reservatam vi articuli XI memoratae Constitutionis?

3. An saltem in excommunicationem R. Pontifici simpliciter reservatam vi cap. XI De Ref. sess. XXII a Conc. Trid. editam?

S. U. I. Congr. die 8 Julii 1874 respondit:

Ad 1. Negative. Videlicet usurpatores bonorum ecclesiasticorum innodari sola excommunicatione R. Pontifici specialiter reservata.

Ad 2. Minime dubitandum, quin ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem Romano Pontifici reservatam: etenim praescindendo a quaestione an supradicta emptio aliquo modo attingatur a Constitutione « Apostolicae Sedis » articulo XI nulli dubium esse potest quin comprehendatur a clarissima dispositione cap. XI De Ref. sess. XXII Conc. Trid.

Ad 3. Provisum in praecedenti.

Ad praefatas instructiones sequens dubium adjungere operae pretium est:

EX S. POENIT. APOSTOLICA.

Dubium S. Poenitentiariae propositum: An Praelati regulares post Constitutionem « Apostolicae Sedis » iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, id est possint necne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Constitutione simpliciter reservatis?

Sac. Poen. die 5 Decembris 1873 respondit: *Negative, salvis illis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis.*

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES DISPERSOS

INCITAMENTA SERAPHICA.

XII.

Provincia Scotiae eiusque destructio saeculo XVI.

Mirum non videatur, integram nos impendere paragraphum descriptioni Provinciae Scotiae et violentae dispersioni eiusdem alumnorum. Cum enim, sermonem dirigendo ad Fratres expulsos, simul Ordinis nostri coenobitis prodesse desideramus, duplici huic scopo assequendo auspicatissimam occasionem nobis offert relatio dictae Provinciae, siquidem et perfectissimum observantiae vere regularis specimen nobis praebet atque exemplum non minus praeclarum seraphicae conversationis, dum eiusdem Fratres e suis claustris fuerunt exturbati.

Quemadmodum Provinciae anglicae fidelis fuit historia conscripta, ita etiam divina disposuit Providentia ut quae ad Scotiae Provinciam spectant ad nostram notitiam pervenirent, et quidem scripto exarato ab alumno seraphicae huius familiae, nomine Ioanne Hayo. qui illud ad Rmum P. Gonzagam transmisisse videtur.

Hoc ipsum chronicon quod Continuator Waddingi ad annum 1559 pro communi Ordinis bono et instructione ex integro publicandum iudicavit, nos ipsi lectoribus Actorum subiiciendum esse duximus, non dubitantes quin grato animo illud sint accepturi et sperantes

in Domino quod, potenti Eius opitulante gratia nonnihil utilitatis sit allaturum ad excitandum ubique spiritum cui B. P. N. Franciscus servivit, ut eodem nos omnes repleti studeamus amare quod amavit et opere exercere quod docuit.

En igitur praefatae relationis fidelem tenorem, adiectis iis quae habet Gonzaga: « Scotiae Provincia, ut ex antiquissimis Annalibus accepimus, anno a partu Virgineo 1224, Beatissimo Patre Francisco adhuc in vivis agente, exordium sumpsit, eoque fecunditatis devenit, ut circa annum Domini 1400 ex quatuordecim Conventibus constiterit. Quorum Patres et Fratres cum et annuos redditus admitterent. possessionesque et praedia possiderent, Iacobus eius nominis primus, Scotorum rex centesimus primus, de christiana religione optime meritus, ut primum audivit novum quoddam Fratrum Minorum examen, duce beato patre Bernardino de Senis, ex Franciscana Religione in Italia felicius prodiisse. atque ad superiores usque Germanos pervasisse, Provinciae Coloniae Patres litteris obnixe rogavit, ut aliquot Patres. qui vel collapsam apud se utcumque Franciscanam Religionem pristino nitori restituerent, mittere vellent. Quod ut reverendus admodum Pater Ioannes Maubertus, totius Ultramontanae Observantis Familiae Franciscanae Generalis Vicarius, rescivit, Venerabilem atque eximia sanctitate praeditum Patrem Cornelium a Zirichzea natione Batarum cum sex aliis sociis, sub Eugenio IV Pont. Max., in Scotiam, tantae regis pietati morem gessurus, transmisit. Illi vero Scotorum littoribus appulsi, tale tantumque suae sanctitatis atque religionis specimen dederunt, ut intra paucissimos annos, tum praefati regis Iacobi. tum quoque reliquorum eius insulae atque regni nobilium auxilio. novem conventus Regulari Observantiae mancipatos erexerint. Ex his igitur novem monasteriis universa Scotiae Provincia constabat, quando nostri Ordinis sigillum atque Ministeriatus sub Leone X Summo Pontifice anno Dni 1517 ad Regularem Observantiam devoluta sunt, imo et quando apud Scotos. de christiana religione olim optime meritos, exorta est pestifera haeresis, et sacra profanis mixta, ac ipsi conventus, pulsis fugatisque eorum Fratribus, vel solo aequati vel combusti sunt. Ea fuit praefatorum sex Patrum, Cornelii scilicet atque sociorum religio, ea denique vitae puritas, austeritas atque sanctimonia, ut omnes Scotos in sui admirationem traxerint, effecerintque ut illi nihil arduum se inconsultis aut attentare aut decernere susciperent. Nec mirum sane, cum humili atque cinericio sacco induti paucissimis essent contenti, sacraeque lectioni, divinorum meditationi, vel divinis persolvendis laudibus perpetuo intenderent, atque saecularium consuetudinem pro viribus vitarent, omnibusque, dum opus esset, pro modulo adessent ».

Agit dein Chronologus de fundatione et descriptione novem praefatorum Conventuum; sed, ne longiores simus, de coenobiis Edimburgensi, quod principatum inter reliqua obtinuit, et Stirlingiensi solummodo dicemus.

De Conventu Minoritico Edimburgi. — « Ut primum praefatus Pater Cornelius a Zirichzea Scotiam ingressus fuit, sacris suis concionibus Scotorum animos ad se traxit, cum iis de Minoritici humilis Conventus aedificatione serius egit. Qui tamen proprio suo ingenio utentes, lautum monasterium Edimburgi, quae totius Scotiae metropolis civitas est, anno sequenti ab eius ingressu, nempe a partu virgineo 1447, tum ex publicis, tum quoque ex privatis facultatibus, magnificentissime extruendum atque amoenissimis hortis exornandum curarunt. Cumque Pater Cornelius, quod regia eius structura Franciscanae Regulae, quae ait: *Libenter maneant Fratres in ecclesiis atque domibus pauperculis et derelictis*, praecepto contradicere videretur, ipsum recipere recusavit (1). Quamobrem, qui tunc S. Andreae Archiepiscopum atque totius regni Primatem agebat, Pio II Pont. Max., qui S. R. C. Cardinalis existens apud Iacobum I Scotorum regem pontificia legatione functus fuerat, supplicavit, ut eum ad huiusmodi conventum acceptandum compelleret. Quod et ille ex animo praestitit. Habitarunt praefato in conventu frequentius 80 Fratres, quorum 60 ex nobilissimis ut plurimum parentibus orti sacerdotio insignebantur. Fama siquidem tantorum virorum, Cornelii

(1) Caveant moderatores Provinciarum ne sub quovis praetextu sumptuosa aut ampliora aedificia construi permittant, cum simplicitas, humilitas et paupertas praecipuum esse debeant Ordinis nostri ornamentum.

scilicet atque sociorum, undequaque diffusa plurimos nobilium filios, scientia praeditos atque etiam scholasticis titulis honestatos, ex Parisiensi atque Coloniensi Academiis in patriam revocavit, illosque ad induendum Seraphicae Religionis habitum impulit. Quorum plurimi cum loci huius alumni effecti essent, id in causa extitit, ut tum philosophiae tum sacrae theologiae studium in ipso floruerit. Sed proh dolor, tantus hic conventus, profligatis eius incolis, mirumque in modum divexatis, furenti haereticorum rabiei anno Dominicae incarnationis 1559 cessit.

De Conventu Minoritico Stirlingii. — « Jacobus IV, ubi primum auno Domini 1494 Stirlingii, quod Scotiae oppidum est, regiam tanta maiestate dignam absolvit, adiecit ut et monasterium, 40 continendis Fratribus accomodatissimum, ex regio aerario non longe ab ea erigeret. Hoc monasterium, ut proprium foetum, praefatus rex summopere dilexit, singulisque diebus Stirlingii agens et sacro atque etiam Vesperis interfuturus frequentavit, et strictioris poenitentiae in hebdomada sancta agendae causa in habitationem delegit. Cuius quoque regis tanta fuit in Deum pietas tantaque in Fratres benevolentia, ut per integram maiorem hebdomadam quolibet anno cum Fratribus in refectorio privatim convesci voluerit, et feria sexta in Parasceves, humi religioso Fratrum more, panem tantum et aquam in potum et cibum cum illis admiserit. Exemplum certe imitatione dignum ».

Quae de caeteris conventibus Chronologus refert praetermittentes, ea quae de interna et externa conversatione Fratrum huius Provinciae, nec non de ratione victus et vestimentis eorum commemorat, hic subiicimus.

De interna et externa Fratrum conversatione. — « Fratres ita dispersi per regnum per varia loca, propter divinum cultum, quem cantando die noctuqne incunctanter persolvebant, semper orationi et lectioni publicae intenti erant, suis et aliorum conscientiis serenandis occupatissimi; a consuetudine et consortio quorumcumque, nisi in re conscientiae, remotissimi. Tanta fuit ratio Fratribus domi manendi, ut nunquam in publicum prodirent, nisi ad praedicandum verbum Dei et audiendum confessiones eorum qui morti proximi erant. Unde diebus non festivis, cum Fratres, oppidi in quo morabantur, viderentur, statim populus attonitus clamabat: *Fratres exeunt, aliquis moritur.* Et quia ipsi reges et principes regnique praelati Fratrum conversationem amabant, ad ipsos Fratres tamquam ad divina oracula, pro consiliis habendis, passim omnes currebant. Nulla publica negotia regni attentata, nisi Patrum consilio; nullae sententiae mortis, etiam nobilissimorum, executioni traditae sunt, nisi prius probatissimorum Patrum consilio et conscientia limitatae fuissent. Ea de causa, si quae lites inter nobiles componendae, si quae matrimonia contrahenda, Patribus tamquam mediatoribus nobiles utebantur. Quo factum est, ut rarissime discordiae, divortia numquam in familiis nobilium invenirentur. »

De ratione victus et de vestimentis Fratrum. — « Cum secundum Regulam B. Patris Francisci triplex sit ratio vivendi Fratribus: aut ex iis quae afferuntur liberaliter aut ex iis quae mendicantur humiliter, aut ex iis quae acquiruntur labore manuum sollicite: prima vivendi ratio Fratribus tam fuit copiosa et abundans, ut rarissime aliis duabus ad vitae necessaria acquirenda usi sint. Unde eis nulla granaria, nulla cellaria fuere: tantum de quotidianis oblatis eleemonsynis a rege, principibus, episcopis, dominis et populo victitarunt, quae in tanta copia dabantur (etiam postremis temporibus quibus religio periclitabatur) omni in loco, ut locorum Guardiani magnam eleemosynarum oblatarum partem ad eos, a quibus acceperant, remittere cogerentur. Nulla cum saecularibus quibuscumque communia, sive prandia in locis Fratrum permissa sunt instrui. Sempiternum in refectorio Fratrum silentium erat, sancta lectione conditum. Vestitus Fratrum humilis et dimissus, coloris cinericii, panni quidem lanei pro interiori exteriorique tunica, non auro vel argento comparati, sed manibus et labore nobilissimarum dominarum confecti: putabant enim ipsae et pro religione habebant imitatrices illarum sanctarum feminarum Docadis et Elisabethae, effectae, magnam sibi fieri gratiam, si possent singulis annis telas panni Fratribus sufficientes suis manibus conficere. Inde sancta contentio subinde inter ipsas nobiles matronas suborta est, quaenam illo anno prior telas panni pro habitibus Fratrum para-

ret; qui denuo a Fratribus contriti ab eisdem dominabus repetebantur, et pro magnis reliquiis, pro sepeliendis et involvendis defunctorum suorum prolium et cognatorum corporibus reservabantur.

Quamobrem pecuniae tactus non solum alienus, detestabilis et incognitus Fratribus, verum ne pecuniae quidem apud syndicos ullus fuit usus, cum omnia Fratribus necessaria liberaliter darentur. Tanta enim fuit ratio administrandi necessaria Fratribus per amicos, ut Fratres ne de pecunia quidem cogitarent. Si quando ad domos et castra nobilium concionandi causa diverterent Fratres, in tanta veneratione sunt habiti, ut ipse Comes aut Baro suis manibus pelvim cum aqua Fratribus pro abluendis manibus offerret, et antequam ulla ad comedendum fercula ponebantur, prius, signo campanae sacelli dato, tota familia comparebat, cibum vitae ab altero Fratre acceptura. Si qui vero nobilissimi, etiam Episcopi, interea ad castrum amicitiae causa accederent, semper is honos mundi contemptoribus et offerebatur et nolentibus tradebatur. Primum in mensis nobilium locum inviti debebant Fratres accipere; ubi non sales, facetiae risu dignae, sed a seniore Fratrum veteris vel novi Testamenti aut probatorum sanctorum patrum historiae, tempori, loco et praesentibus personis accommodatae, in medium adferebantur, quibus saepe assidentium lacrymae perfundebantur. Quid multis immoror? Tam carum omnibus fuit Fratrum contubernium, ut putarent se angelum Dei recepisse aut comitatum fuisse, qui Fratrem aliquem hospitio vel collegissent vel per viam deduxissent ».

Hisce expositis, Chronologus recenset nomina praecipuorum Patrum qui sanctitate et miraculis praeclari regimini Provinciae praefuerunt, et quae videri possunt apud Continuatorem Waddingi ad annum 1559.

Ecce modus vivendi florentissimae huius Provinciae: ecce typus conversationis vere seraphicae, quam Observantiae Regularis Promotores ibidem introduxerunt, ut primaevum S. Francisci spiritum renovarent.

Quam praeclarus esset Ordo Minorum et quanto splendore fulgeret, si omnes Provinciae talem vivendi modum amplecti possent, si illorum imitantes exemplum qui, saeculo XV, sublatis quibuslibet abusibus (1), puram Regulae observantiam introduxerunt, eodem zelo eademque strenua voluntate ad primaevam observantiam et ad veram Unionem a Leone X Pontifice Maximo stabilitam redirent!

Tunc sane opus non esset praeter nomen *Fratris Minoris* simpliciter, vel *Franciscani*, aliud quodvis nomen tenere, quo Ordinis unitas et charitas plus minusve laedi videntur. Neque timendum esset quod de suis rigoribus aliquid remittere deberent meliores Ordinis Provinciae, si ubique executioni mandarentur praecepta et monita S. Bernardini Senensis et S. Ioannis a Capistrano (2), quae Provincia Scotiae tam constanter servavit. Quae enim modo datur Provincia quae huius vitae tenorem teneat aut tali spiritu seraphico imbuatur? Utinam saltem Ordinis Constitutiones fideliter ubique serventur! Fateamur igitur in cordis humilitate et sinceritate nullam fere dari, quae abusus quosdam tollere et perfectiorem observantiam introducere non debeat, praesertim quoad spiritum orationis magis fovendum (3) et seraphicam paupertatem et simplicitatem strictius servandam.

Sanctam vivendi normam mirati sumus Fratrum Scotiae, dum in conventibus morabantur. Quae autem fuerit eorum agendi ratio dum fuerunt violenter expulsi, quisque merito cognoscere cupiet. Hac de re certiores nos reddet idem praefatus Chronologus, dum in fine suae Relationis breviter sed sufficienter nos docet quid de ipsis, destructis conventibus, evenerit, et qualiter se gesserint, ut Regulam suam seraphicam toto vitae tempore illibate possent

(1) Testantur Trudonopolitani Conventus, in Belgio, Chronica quod Fratres Regularem Observantiam tunc temporis amplexantes, non modo annuis redditibus et possessionibus renuntiarent, sed et pretiosa paramenta ecclesiis cathedralibus aut parochialibus relinquerent, atque non modo vestitum, verum etiam quodcumque suppellectile, ut utensilia mensae, ad seraphicam paupertatem et simplicitatem reducerent.

(2) Quis fuerit vivendi modus primorum Observantium deduci potest ex Litteris quas S. Ioannes a Capistrano die 2 Ianuarii 1455 ex Vienna scripsit ad Patres et Fratres Cracovienses et quae referuntur in Annalibus Waddingi ad hunc annum.

(3) Cfr. R. A. P. Gaudentium *Introductio ad vitam seraphicam* pag. 100 et seq. ubi ostenditur quod spiritus orationis sit fulcimentum regularis observantiae et veri Fratris Minoris virtus praecipua.

servare. En eius verba: « Itaque Provincia Scotiae, in observantia regularis vitae per discipulos D. Bernardini stabilita, duravit continuo ab anno 1446 usque ad annum Domini 1559. Si quis causas eversionis fidei et religionis catholicae in Scotia discere velit, habet de origine, moribus et rebus gestis Scotorum libros decem, Ioanne Leslaeo Episcopo Rossensi auctore, ad Gregorium XIII dedicatos et Romae impressos anno Domini 1578 (1), ubi, libro decimo pag. 465 causas ruinae fidei ostendit. Hoc tamen de duobus vel tribus Patribus qui a fide, destructa religione, defecerint dixerim. Cum a fundatae Provinciae exordio nec unus quidem vel suspectus in fide vel haereticus unquam fuerit, subversa Religione et Provincia haereticorum et rebellium iniuria, duo aut ad summum tres Patres observantes, concionatores et Guardiani, qui sub spe praedicandi verbum Dei et audiendi confessiones in castris nobilium haeserunt, habitu saeculari induti, quotidiana consuetudine cum haereticis et blanditiis mundi allecti, et ipsi tandem haereticis rebellibus suscripserunt. Reliqui omnes usque ad 140 Patres Sacerdotes in Germaniam Inferiorem vel in Franciam ad suam Religionem profecti sunt anno 1559, in quibus Provinciis superstites quidam manserunt usque ad diem Ianuarii anno 1586 ».

Hoc est relatio veridica praeclarissimae huius Provinciae, quae non modo vivens et florens stupenda dedit seraphici spiritus exempla, sed in ipsa sua destructione praeclariora reliquit suae sanctitatis testimonia. Dum enim eiusdem alumni violenter e claustris expulsi omnibusque rebus orbati, facile poterant, prae virtutum fama et aestimatione, qua gaudebant apud pios saeculares, refugium et hospitium invenire, ubi abunde et amicaliter de omnibus providerentur, illi non tam vitae commodis et deliciis intenti, quam observandae suae Regulae desiderio flagrantes, monitum S. P. N. Francisci eundi ad aliam terram ad faciendam poenitentiam cum benedictione Dei ad litteram sequi statuerunt. Miremur hos viros omni laude dignissimos qui, nobilitate et doctrina non minus quam pietate conspicui, tanta animi fortitudine patriam et quaeque sibi cara reliquerunt, ut in aliis Provinciis et Regulam suam servare et animam suam securius possent salvare. Plangamus autem sortem paucorum illorum Religiosorum, qui diabolica tentatione devicti inter saeculares Scotiae manere praetulerunt, quamvis animo servandi fidem eamque in aliis confirmandi, et qui tandem, prae humana fragilitate mundanis affectibus seducti, a fide et Ordine defecerunt, et sic propter brevem voluptatem hic in terris habendam, meruerunt poenam in aeternum luendam. Utinam et nostris diebus tales non darentur qui, dum poterant cum Fratribus suis conventualiter vivere et religiosae vitae exercitiis salubriter vacare, in domibus saecularium et praecipue magnatum, maxima animae iactura haerere voluerunt: aut qui praetextu allaborandi saluti animarum, sed potius ut turpi lucro, honoribus aut vitae commodis intendant, inter sacerdotes saeculares sacrum ministerium pergunt exercere, quod rectius, efficacius et minori animae periculo inter Fratres suos obirent, eo quod sint Religiosi ad coenobiticam vitam adstricti, nisi apostolico Rescripto iustis de causis ab ea eximantur.

Prae oculis tales habeant quidquid in eorum exemplum et utilitatem de fervidis Scotiae Fratribus retulimus, atque sicut ipsi terrena quaeque spernentes hoc dictum Salvatoris saepius recolant: *quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* *(Continuabitur)*

(1) Reperitur in Bibliotheca Barberina in Urbe.

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1883 celebrata

XVII.

Discalc. Provincia S. Petri de Alcantara Neapolis.

Die 22 Septembris 1883 Rmus P. Minister Generalis facultatibus a S. Sede concessis utens, Decreto suo dato ex Suburbano Conventu S. Petri de Alcantara Portici, huius Provinciae Provincialem, Custodem, et Definitores instituit: sicque nominati sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Iulius a Iesu et Maria.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Columbanus a Corde Iesu.

Definitores Provinciae:

R. P. Iustinianus a Iesu et Maria.
R. P. Carmelus a Puritate.
R. P. Isidorus a Spiritu Sancto.
R. P. Pacificus a Iesu et Maria.

Haec Provincia ante suppressionem sequentes habebat Conventus.

Napoli, S. Mariae *della Sanità.*
Napoli, S. Luciae ad montem.
Portici, S. Petri de Alcantara.
Torre Annunziata, S. Theresiae.
Piedimonte d'Alife, S. Mariae *Occorrevole.*
Faicchio, Ss. Salvatoris.
Grumo Nevano, S. Catharinae V. M.
S. Maria Capuavetere, S. Bonaventurae.
Marcianise, S. P. Francisci.
Gaeta, Ss. Trinitatis.
Pignattaro Maggiore, S. Crucis.
Airola, Imm. Conceptionis.
Pietramelara, S. P. Francisci.
Atripalda, S. Ioannis Baptistae.
Mirabella, S. Nicolai.
Foggia, S. Paschalis.

—

XVIII.

Recoll. Provincia Germaniae Inferioris (In Hollandia).

Die 23 Septembris in Conventu Venradiensi, praesidente A. R. P. Aloysio Lauer, Definitore Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

Minister Provincialis:

A. R. P. Ioannes Trix.

Custos Provinciae:

A. V. P. Iacobus Petrus Hubertus Hamer.

Definitores Provinciae:

A. V. P. Wilhelmus Laumen.
A. V. P. Ioannes Cornelius Broekmeyer.
A. V. P. Gabriel Hettema.
A. V. P. Benvenutus Franssen.

Ad istam Provinciam sequentes Conventus et Missiones pertinent:

Weert, S. Hieronymi C. D.
Maastricht, S. Bonaventurae Ep. D.
Venray, S. Mariae VII Dolorum.
Megen, S. Antonii Patavini.
Ammerzoden, S. Willibrordi Ep.
Amsterdam, S. Antonii Pad.
Amsterdam, S. Francisci.
Bolsward, S. Francisci.
Bolsward, S. Martini Ep.
Coevorden, S. Willibrordi Ep.
Delft, S. Ioseph.
Franeker, S. Francisci.
Gorcum, Immac. Concept. B. M. V.
Gouda, S. Joseph.
Haag, S. Antonii Pad.
Harlem, S. Antonii Pad.
Hernen, S. Jodoci C.
Lichtenvoorde, S. Bonifacii Ep. M.
Leiden, Immac. Concept. B. M. V.
Nymegen, S. Francisci.
Oudewater, S. Francisci.
Rotterdam, S. Francisci.
Rotterdam, S. Antonii Pad.
Vorden, S. Antonii Pad.
Vragender, S. Martini Ep.
Woerden, S. Bonaventurae Ep. D.
Wychen, S. Antonii Abb.
Zalt-Bommel, S. Martini Ep.

—

XIX.

Obs. Provincia Neapolis et Terrae Laboris.

Die 12 Octobris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

Minister Provincialis:

A. R. P. Paschalis a Forigio.

Custos Provinciae:

R. P. Aloysius a Magdaloni.

Definitores Provinciae:

R. P. Faustinus a Dentecane.
R. P. Ludovicus a Caserta.
R. P. Iosue a Neapoli.
R. P. Cherubinus a Casandrino.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 21 Conventus pertinebant:

Arpaia, *Le Grazie.*
Avella, Annuntiat. B. M. V.
Aversa, S. Dominici.
B nevento, S. Laurentii.
Capua, S. Catharinae V. M.
Carinola, S. Francisci.

Caserta Vecchia, S. Michaelis.
Castel forte, Annuntiat. B. M. V.
Fondi, S. Francisci.
Gragnano, *Il Carmine.*
Marano, SS. Angelorum.
Marigliano, S. Viti.
Massa Lubrense, B. Mariae V.
Montesarchio, *Le Grazie.*
Napoli, *La Nuova.*
Napoli. *L'Infermeria.*
Napoli, *Monte Calvario, ospizio di Terra santa.*
Orta, S. Donati.
Roccamonfina. B. Mariae V.
Sorrento. S. Francisci.
Vitulana, Annuntiat. B. M. V.

—

XX.

Obs. Provincia Taurinensis S. Thomae Ap.

Die 12. Octobris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio vi facultatum a S. Sede concessarum electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Lucas Turbiglio.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Honoratus Corrado.

DEFINITORES PROVINCIAE:

A. R. P. Canutus Fauda.
R. P. Rupertus Brusa.
R. P. Floridus Picco.
R. P. Petronius Ugone.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 19 Conventus pertinebant:

Acqui. B. Mariae V.
Asti, S. Catharinae V. M.
Belmonte. B. Mariae V.
Bene, S. Francisci.
Carignano, *Le Grazie.*
Casale, S. Antonii Abb.
Crea, B. Mariae V.
Cucceglia. B. M. V. Dolorosae.
Fertolla, SS. Rosarii.
Mellea, B. Mariae V.
Montecalvo. S. Marci.
Marra, Annuntiat. B. M. V.
Saluzzo, S. Bernardini.
S. Giorgio, S. Francisci.
Savigliano, S. Francisci.
Torino, *La Consolata.*
Torino, S. Thomae.
Trino, S. Francisci.
Vercelli, B. Mariae V.

—

XXI.

Obs. Provincia Principatus.

Die 12 Octobris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Franciscus M. a Padula

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Philomenus a Sarno.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Bernardinus a Montoro.
R. P. Salvator a Casoria.
R. P. Raphael a Paterno.
R. P. Benedictus a Nola.

Ad istam Provinciam ante suppresionem sequentes 25 Conventus pertinebant:

Acerno, S. Antonii.
Altavilla, S. Francisci.
Cava, S. Francisci.
Cetara, S. Francisci.
Diano, *La Pietà.*
Eboli, S. Antonii.
Gioi, S. Francisci.
Laurino, S. Antonii.
Maiori, S. Francisci.
Montecorvino, *La Misericordia.*
Montoro, S. Angeli.
Napoli, S. Severi.
Nocera de'Pagani, Ss. Angelorum.
Ogliastro, S. Leonardi.
Padula, S. Francisci.
Pisciotta, S. Francisci.
Polla, S. Antonii.
Salerno, *Le Grazie.*
S. Severino. S. Antonii.
S. Angelo, S. Francisci.
Sanza, *La Neve.*
Sarno, S. Francisci.
Tramonti, S. Francisci,
Vatolla, *La Pietà.*
Vico Equense, S. Francisci.

—

XXII.

Ref. Provincia Principatus.

Die 12 Octobris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Franciscus ab Aiello.

CUSTOS PROVINCIAE:

R .P. Franciscus a Monteforti.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Guglielmus a Castromaris.
R. P. Franciscus de Abellino.
R. P. Franciscus a S. Angelo Lombardi.
R. P. Michael a Cassano.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 19 Conventus pertinebant:

Avellino, S. Ferdinandi.
Bracigliano, S. Francisci.
Buccino, S. Mariae gratiarum.
Capaccio, S. Antonii.
Campagna, B. Mariae V.
Castellamare di Stabia, S. Mariae Lauretanae.
Cilento, S. Francisci.
Castelluccio, S. Francisci.
Nocera Superiore, S. Matris Dei.
Montecorvino, S. Mariae de pace.
Montella, S. Mariae *del Monte.*
Oliveto, S. Mariae *del paradiso.*
Prepezzano, S. Antonii.
Pollica, S. Mariae gratiarum.
S. Andrea di Conza, *S. Maria della Consolazione.*
S. Angelo Lombardi, S. Mariae gratiarum.
Salerno, S. Laurentii.
Sanseverino, Ss. Trinitatis.
Serino, S. Francisci.

—

ADNOTATIONES

Laborum spiritualium Patrum Recoll. Provinciae Ss. Cordis Iesu in Statibus foederatis Americae septentrionalis per decursum anni capitularis 1882-1883.

1. Infantes baptizati	1990
2. Conversi ex paganismo et haeresi.	93
3. Neo-Communicantes . . .	934
4. Communiones in ecclesiis nostris	122070
5. Matrimonia benedicta . . .	374
6. Pueri et puellae in scholis nostris	4574
7. Iuvenes in Collegiis nostris educati.	246
8. S. Missiones in variis parochiis.	14
9. Exercitia spiritualia in Domibus religiosis.	25

—

LABORES SPIRITUALES

Provinciae Reformatae Bavaricae per decursum anni currentis Capitularis 1882-83

1. Exerc. spiritualia in diversis Monasteriis.	6
2. Exerc. spiritualia vulgo Missiones internae, in variis parochiis per 8-10 dies habitae.	4
3. Conciones ex Cathedra . .	2498
4. Homiliae et Catecheses . .	2600
5. Confessiones in Eccl . . .	514700
6. Communiones	666231
7. Haeretici ad fidem conversi .	3
8. Assistentiae morientium . .	1849
9. Viae S. Crucis solemniter erectae.	79
10. Ad III. Ord. adscripti . .	1073
11. In III. Ord. Professi. . .	455

Monachii in Conventu ad S. Annam die 17 Sept. 1883.

FR. FRANC. XAV. LOHBAUER, PROVLIS.

III.

MISSIONES

—

VICARIATUS APOSTOLICI HU-PE OCCIDUO-SEPTENTRIONALIS

Status animarum ac spiritualis administratio anni Dni 1882.

—

Christianitates	86
Christiani in catalogo descripti. .	5,752

Baptizati	Adulti	185
»	Fidelium infantes.	219
Confessiones	Annuales . .	3,603
» »	Devotionis . .	10,274
Communiones	Annuales . . .	3,367
» »	Devotionis . .	11,247
Missionarii	Europaei 7 et unus laicus	
» »	Sinenses . . .	8
	Matrim. benedicta	48
	Extr. unctiones.	113
	Confirmationes .	168
	Vita functi . .	177
Praedicationes	Ad fideles. . .	1,777
» »	Ad infideles . .	1,006
	Missiones. . .	86
	Sacella Vicariat .	23
Alumni	Seminarii . . .	15
»	Collegii . . .	16
»	Scholarum . .	232
	SANCTA INFANTIA	
	Medici baptizantes	68
Infantes infidelium	Baptizati . . .	3,280
» »	Collecti in toto	
» »	anno simul . .	87
» »	Aliti hoc in anno	
» »	totaliter . . .	238
» »	Mortui. . . .	2,660
Orphanotrophium	Religiosae indigenae	
Puellarum	3 Ord. S. Francisci Magistrae .	18
» »	Puellae . . .	61
» »	Vetulae paganae	
» »	collectae . . .	14
» »	Mulieres inser-	
» »	vientes . . .	4
Orphanotrophium	Pueri	36
Puerorum	Magister . . .	1
» »	Servi	2

✠ FR. EZECHIAS BANCI
Vic. Ap. Hu-pè Occid. Sep.

Huius Vicariatus Missionarii Europaei sunt sequentes:

R. P. Antonius Fantosati a Trevi Ref. Proc. Seraphicae.

R. P. Felix Siano a Palma, Ref. Provinciae Neapolis.

R. P. Benedictus Francini ab Aretio, Reformatae Provinciae Thusciae.

R. P. Modestus Everaerts, Recoll. Provinciae Belgii.

R. P. Quirinus Henfling, Recoll. Provinciae Belgii.

R. P. Renatus Leuridan, Recoll. Provinciae Belgii.

R. P. Valentinus a Trappola, Ref. Provinciae Thusciae, Laicus.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

1877. AMOR DE JESUS por los hombres en la Eucaristia, ingratitud de los hombres con Jesus en este Sacramento, por el R. P. Fr. Juan Josè de Sta. Teresa, de la Orden de Carmelitas Descalzos portuguès. Traducido por el P. Fr. Roque Claramunt. Madrid, Establecimiento tip. de Labaios, Cabeza, 27.

1883. COMPENDIO ISTORICO-AGIOGRAFICO DI S. LODOVICO RE DI FRANCIA. gran Protettore del Terz'Ordine francescano, presentato ai Terziari dall'Autore, Vescovo di Bovino. Seconda edizione. Bovino, Tipog. diocesana, vendibile presso il tipografo Donato Donatelli in Bovino, in 12, pag. 146. (L. 0,75).

1883. IL VERO AMICO DEL POPOLO, del P. Anastasio Bocci. Seconda Ediz. di 16.500 esemplari, curata e molto accresciuta dall'autore. Siena tip. all'ins. di S. Bernardino, in 12. (L. 1. et pro centum exemplaribus L. 55.)

1883. VITA DEL VENERABILE INNOCENZO DA CHIUSA, Laico dei Minori Riformati, scritta dal P. Anton Maria da Vincenza. Monza, tipog. dei Paolini, in 16 (pag. 170).

1883. MONSIGNORE FR. EUSTACHIO ZANOLI, biografia estratta dagli *Opuscoli Religiosi Letterari e Morali*, Serie IV. fasc. 41 Tom. XIV, scritta dal B. Veratti, pag. 7 in 8.

1883. OMAGGIO DEL MONDO CATTOLICO A S FRANCESCO D'ASSISI nella ricorrenza del VII Centenario dalla nascita, 1882 Parte I: *Omaggio della Gerarchia cattolica.*

Huius collectionis fasciculus III, IV, V et VI in lucem prodierunt; sicuti iam annuntiavimus, pro associatione scribendum est *al M. R. P. Raffaele da Paterno, Lett. Giub. M. O., Vico dei Rocci al duomo, 8 Napoli.* (Cfr. *Acta Ordinis* vertentis anni, pag. 149).

L'Auréole séraphique, Vie des saints et des bienheureux des Trois Ordres de Saint-François, par le T. R. P. Léon, ex-Provincial des Franciscains de l'Observance.

Tome premier: Préambule: Le Culte des Saints. — Bibliographie franciscaine. — Vie de saint François d'Assise. — Aperçu historique sur l'Ordre de saint François. — Janvier. — Février. — Mars. (pag. 790.)

Tome deuxième: Avril, Mai, Juin, (pag. 519).

Tome troisième: Juillet, Août, Septembre, (pag. 519).

Tome quatrième: Octobre, Novembre, Décembre, (pag. 458).

Invenitur opus apud editores: *M. M. Bloud et Barral, rue Madame 4, Paris,* pro 14 *francis* et per postam 16 *fr.*

Satis sit, ad huius operis ideam praebendam, testimonium Ordinis Examinatorum hic apponere;

« L'AURÉOLE SÉRAPHIQUE nous semble un livre « de la plus haute opportunité. Sa Sainteté Léon XIII, « dans sa franciscaine encyclique *Auspicato*, et par d'au« tres actes solennels, a fait un appel au monde ca« tholique pour le presser de suivre les traces de « François d'Assise, qui fut le salut de la société et le « soutien de l'Eglise au XIII siècle. Or l'esprit du Sé« raphique Patriarche, que le Pape souhaite à tous les « enfants de l'Eglise, est cet esprit de l'Evangile, ap« pliqué à la société et infiltré dans les âmes, par la « foi, le détachement des choses d'ici-bas, l'abnégation « des coeurs, l'amour de Dieu s'épanouissant dans la « charité vis-à-vis de prochain et les saintes industries « du zèle.

« Cet esprit, saint François l'a communiqué á ses « enfants, à ceux là surtout que l'Eglise a placés sur « ses autels. Donc, rien de plus utile aux âmes que « de lire et s'assimiler les exemples de tant de héros « magnifiques de l'armée franciscaine, qui imitèrent « François, comme François imita Jésus.

« Cet ouvrage est un livre sérieux, où la clarté de « l'exposition n'est égalée que par la richesse des do« cuments et la mise au jour d'une multitude de dé« tails inédits. On voit que l'auteur de L'AURÉOLE « est allé aux sources, et qu'il n'affirme rien, dans les « questions importantes, sans des autorités à l'appui. « L'auteur fait parler les Saints et donne dans plu« sieurs vies des résumés de leurs ouvrages spirituels, « qui forment ainsi un enseignement complet, où la « doctrine jaillit de l'exemple, déja si éloquent par « lui-même, comme le parfum s'exhale de sa fleur. »

1883. Sermoni per la Quaresima, del P. Lorenzo da Volturino, Min. Oss. Prato, Tip. Giacchetti, figlio e C., in 12 (pag. 314). Lire 3.

Hi sunt sermones in praedicto volumine editi: « Lo spirito del presente cristianesimo. — L'uomo, il mondo e le illusioni. — I pericoli cioè il mondo. — Il destino dell'uomo. — La carità del presente cristianesimo. — Il bel cuore del Cristiano. — La legge di Cristo facilissima. — Se i cristiani debbono essere divoti. — Se tutti i divoti sieno cristiani — La morte dell'empio. — L'egoismo. — La vendetta. — Della dignità dell'uomo. — La fede di Gesù Cristo. — Le sventure. — Le tribolazioni. — Il purgatorio. — La confessione. — L'arte del vivere felice. — Il tempo. — Le divine ispirazioni. — Il sacerdozio. — L'amicizia. — La Eucaristia. — L'educazione de' figli. — La morte del giusto. — La Vergine addolorata. — La Croce. — Il Taborre ».

Eiusdem auctoris proxime in lucem prodire debet aliud opus: *Studi sopra San Giovan Grisostomo rispetto al modo di predicare dignitosamente e fruttuosamente.*

1883. Il Terz'Ordine di S. Francesco d'Assisi, secondo la Costituzione di SS. Leone PP. XIII, del 30 Maggio 1883, per Fr. Basilio da Greccio, dell' Osservante Provincia Serafica, Missionario apostolico, 2 edizione emendata ed accresciuta. Perugia, Tip. di V. Santucci in 18, pag. 256. (L. 0.90.)

Eiusdem Confratris editae sunt sequentes conciones:
Ottavario dei defunti (L. 1).
La divina Provvidenza nelle attuali condizioni della Chiesa (L. 0,40).
S. Francesco d'Assisi apostolo di tutti i tempi. L. 0,50).
Panegirico di S. Benedetto G. Labre. (L. 0,50).

1883. Life of St. Francis Solanus, Apostle of Peru. by a Priest of the Order of St Francis, Province of the Sacred Heart. St. Louis, Mo., Pubiished by B. Herder. — *Latine:* Vita S. Francisci Solani, Apostoli Peruani, auctore Sacerdote (P. Clementino Deymann) Ordinis S. Francisci, Provinciae Ss. Cordis Iesu.

V.
NECROLOGIA

Adm. R. P. Aloysius Martinelli a S. Iusto, Observantis Provinciae Marchiae filius et in Vicariatu Apostolico Xen-si, in Sinis, Missionarius, die 9 Aprilis vertentis anni obdormivit in Domino, aetatis suae anno 72. Ex epistola quam Rmo P. Generali scribebat Rmus Dnus Pagnucci, Coadiutor Vicarii Apostolici de Xen-si, sequentia desumimus: « A viginti annis P. Aloysium novi et affirmare

possum illum per id temporis spatium invenisse in agendi ac loquendi modis evangelicae doctrinae semper consonum et conformem. Amore Christi Iesu flagrans, divinae gloriae zelator extitit, atque in pauperes compatiens, in eloquio hilaris ac affabilis, in tribulatione patiens, erga omnes benignus semper fuit.

In sacra Scriptura, theologia et liturgia eruditus, cuncta sua verba ad promovendam pietatem dirigebat. Iam ab anno 1835 ad Imperium sinense convenerat, et per primum annum in Vicariatu de Hu-pé, tunc temporis Vicariatui Chan-si unito, apostolicum exercuit ministerium. Exinde ad hunc Vicariatum de Chen-si transivit, ac vitam suam sive pro Christianorum sanctificatione, vel Gentilium conversione impendit, ac praesertim incubuit formationi. Cleri, cuius membra omnia, uno tantum excepto, eius sunt discipuli. A viginti annis Vicarii generalis officio simulque Directoris Seminarii per 33 annos functus est. A satellitibus quadam die comprehensus et in carcerem coniectus, ibidem per undecim menses omni privationum genere cruciatus est; ac deinde catenis colligatus, de carcere in carcerem ductus est, donec post longum durumque duorum mensium iter, ad Kuan-tung perductus, Galliae legatis traderetur. Cum tanta laetitia de his cruciatibus pro Christo Iesu toleratis aliquando disserebat, ut audientes exhilararet. Ultimis confortatus sacramentis, placide animam exhalavit, promissam fidei confessoribus palmam quam citius, uti sperandum, recepturus. »

P. R. Aloysius Maria Zanioli, Venetae Reformatae Provinciae Pater, Conventus ad S. Michaelis Arch. in insula Venetiarum per viginti et amplius non intermissos annos Guardianus, iamque saepius eiusdem Provinciae Custos, Definitor et Secretarius, pluriesque Vicarius et Magister Novitiorum, meritis idcirco plusquam diebus plenus, sarcinam mortalitatis deposuit die omnium fidelium defunctorum commemorativa vertentis annis 1883; religiosis omnibus, ecclesiasticis viris et civibus quamplurimis maximo cum dolore parentantibus.

Venetiis, die 6 Iunii 1817, piis parentibus ille ortum habuit; ac in patrio Lyceo studiorum curriculo laudabiliter emenso, Deo se totum mancipare volens, seraphicam Religionem die 27 Septembris 1835 ingressus est, et post triennium, die nempe 28 Octobris 1838, solemnem emisit professionem. Egregiam interim indolem, honestatem suavitatemque morum, qua in saeculo floruerat, religiosis auxit virtutibus; magno praesertim regularis observantiae studio, exactâque monasticae vitae custodiâ. Quum igitur hae animi cordisque dotes eum magis in dies commendarent, mirum non est si prae tempore ad singula Religionis ministeria illum Superiores designarint; maxime autem ad munus seraphicam iuventutem in regulari palaestra erudiendi, et exinde Provinciae negotia definiendi. Plurium insuper Conventuum Guardianatus officium magna cum laude functus est; praecipue vero, et per viginti tres fere indesinenter annos, illius celebris Provincialis Coenobii ad S. Michaelis Venetiarum; in quo, contra huius temporis adversitates, rerumque publicarum perturbationes, regularem vitam et disciplinam, pariter ac habitum religiosum, maxima cum dexteritate, prudentia et comitate servari ab omnibus multum sategit: dignus propterea, ut non solum a piis Religiosis confratribus, verum etiam ab omnibus cuiusque coetus et ordinis saecularibus viris in peculiari habitus fuisset aestimatione et veneratione.

Sed tanti viri nos modo in desiderio et in votis sumus: quia pulmonia praepropere correptus, conquerentibus omnibus, placidus tamen et laetus ipse solum, maturus coelo, licet aetate nondum provectus, inventus est; cumque ecclesiae Sacramentis, religionis praesidiis, ac sui Rdmi Patris Ministri Generalis benedictione seraphica munitus fuisset, *factus est in pace locus eius, et habitatio eius in sancta Sion; cuius memoria in benedictione erit, cuiusque nomen permanebit ad Fratres et filios nostros, cum aliorum venerabilium nostrorum Patrum gloria et laude.*

Nihil obstat.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

DEVOTIO
SUMMI PONTIFICIS LEONIS XIII
In Sacrum Montem Alverniae

Bello per subalpinum gubernium religiosis utriusque sexus familiis indicto, facili victoria e claustris undique per totam Italiam venerandi senes, doctissimi viri, praestantissimae mulieres, primaevo flore virgines, et iuvenes ingenui exturbati sunt: nec cuiquam ultra datum erat sacros inter parietes dulci sanctitatis aura olentes se recipere. Tot tantisque affecta ruinis terra nostra tunc luxit.

Unus tamen ex sanctioribus locis mirabiliter quidem mansit: nam Assisiensis Patriarcha, qui omnino singulari prosequebatur amore sacram Alverniae solitudinem, eam sartam tectamque servari voluit; et iure quidem: ibi enim saepius intimam vocem Dilecti audierat, ibique Amoris sui crucifixi sacra signacula acceperat. De hoc sacro Coenobio mirabiliter servato certior factus Emus S. Romanae Ecclesiae Cardinalis et Perusiae Episcopus, Ioachimus Pecci, (qui nunc tam sapienter sub nomine Leonis XIII universam Ecclesiam gubernat), quippe qui seraphicum Patrem praecipua religione colebat ab adolescentia, maxime est laetatus, et iampridem franciscalibus Umbriae sanctuariis visitatis, in Alvernam se conferre statuit. Asperum montanum iter mense Maii anni 1872 est aggressus, sacrumque Coenobium petiit, non vana curiositate illud visendi, sed piae devotionis causa, et praecipue ut ibi in solitudinem se reciperet et spiritualibus exercitiis vacaret.

Quidam asseruit Eum hac occasione inter sodales Tertii Ordinis adscriptum fuisse, aut professionem emisisse; attamen non ita est; certo enim scimus Emum Virum in Conventu Minorum Observantium ad montem Perusiae Tertio Ordini nomen dedisse.

Porro incredibile est quantam Emus Praesul ex Alvernae solitudine spiritalem consolationem atque aedificationem hauserit, quam magna laetitia religiosam Familiam affecerit, et quam mire istam in sui admirationem attraxerit. Quod multimodis patuit, maxime cum duodecim post dies inde discedere statuit. Tunc coram Emo ac Rmo Dno religiosa Familia obsequentissime adfuit ut eidem valediceret; at Ille grati sui animi sensus aperiens dixit, sibi in votis esse ultimum vale in sacrorum Stigmatum sacello dare et recipere. Quo cum Ipse, religiosis subsequentibus, pervenisset super rupem seraphici Patris sanguine respersam, silentio oravit; deinde surgens ad circumstantes versus testatus est, se cum benedictione Summi Pontificis Pii IX illuc venisse solvendi voti causa: spiritualibus exercitiis vacasse in beata illa solitudine tot sanctorum virorum et praecipue S. Francisci poenitentiis, orationibus, lacrymisque sanctificata; atque ardentiori devotione se preces fudisse illic, ubi seraphicus Pater factus est divinitus sui crucifixi Amoris vera et viva imago. Addebat, se tunc dulci laetitia affici de voto soluto; et se quidem corpore, non tamen mente et corde, ab Alverna discessurum. Sibi enim visum esse Seraphicum Patriarcham illum locum sua speciali protectione texisse, eo quod singulariter dilectum, et etiam quia viderat ibi collectam religiosam Familiam regularis disciplinae et observantiae studiosissimam; his de causis, caeteris Coenobiis undique per Italiam eversis, istud Alvernae incolume evasisse. Hoc vero minime impedire quominus, ad praecipuam

tanti Patris tutelam futuris etiam temporibus captandam, Ipse dicere posset piis Alvernicolis cum Apostolo: *Aemulamini charismata meliora, et perseverantes estote*. « Addidit insuper, se confidere orationibus religiosae Familiae, quibus etiam atque etiam specialissime commendatum peroptabat Summum Pontificem, *cui*, ait, *bene de Alverna loquar cum Romae fuero*.

Tunc P. Prosper a Partina, Guardianus, breviter respondit: Fratres Alvernicolas semper in corde servaturos pergratam et indelebilem memoriam adventus Eminentiae Suae Revmae, cuius salutaria monita prae oculis habentes in ea sequenda totis viribus incumbent. — Demum, data benedictione, Familiam religiosam moerentem relinquens, Ipse Emus moerens discessit.

At hic haud finem habuere Emi Viri singularis benevolentiae significationes. In suo discessu ab Alverna ad Sanctissimum Dnum Pium PP. IX sequentes misit litteras, quas ad integrum referimus:

Bmo Padre

« Nell'atto di lasciare questo sacro Monte dell'Alvernia, ove ho passato alcuni giorni, e far ritorno in diocesi, ricevo dall'esemplarissima famiglia dei Minori Riformati, che qui dimorano, viva istanza, perchè io voglia porla ai suoi santissimi Piedi, ed implorare su di essa dalla sua bontà l'Apostolica Benedizione.

« Secondo questa pia brama con tanta maggior soddisfazione, in quanto sono testimone della divozione intensissima ch'essa professa verso l'augusta e sacra Persona di Vostra Beatitudine, e delle preghiere che nelle attuali tribolazioni in ispecie, non interrottamente innalza al Signore per la di Lei incolumità e prosperità. In conferma di che mi permetto soggiungere, che nella scorsa Domenica sacra alla Santissima Trinità, tutti che compongono questa religiosa Familia (e il numero attualmente si appressa ai novanta) vollero a questo santo fine consacrar la intera giornata, e secondo la intenzione di Vostra Santità i sacerdoti offrirono l'incruento Sacrifizio, ed i fratelli laici ricevettero dalle mie mani con gran pietà la santa Comunione.

« Animato dallo stesso spirito di pietà ad essi volle unirsi il popolo di Pieve santo Stefano ed una gran moltitudine di fedeli con giubilo accorsi dalle vicine borgate e castelli.

« Di più nella devotissima edicola dove al Seraphico San Francesco furono prodigiosamente impresse le sacratissime Stimate, negli antecedenti due giorni e nell' indicata Domenica fu alla pubblica venerazione esposto il Santissimo, ed ivi i buoni Religiosi con umili preci e divoti cantici non cessarono mai giorno e notte dall'implorare le misericordie divine sulla Santità Vostra, venerato Capo della Chiesa.

« Nel supplicarla pertanto del favore di tale Benedizione, che prego estendere anche su me, prostrato al bacio dei SSmi *Piedi coi* sentimenti di filiale rispetto e somma venerazione passo a rassegnarmi; — Della Santità Vostra — Alvernia 27 Maggio 1872 — Umilissimo, Devotissimo, Ossequientissimo Figlio. »

GIOACCHINO CARD. PECCI
Vescovo di Perugia.

Summus autem Pontifex mittere dignatus est rescriptum quod sequitur:

« *Pius PP. XI.*

« Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Iucundo solatii sensu animum Nostrum affecerunt Tuae litterae ex sacro Alverni Montis hospitio a te datae, quibus iuxta vota Tibi expressa a religiosa familia Minorum S. Francisci Reformatorum Nobis eiusdem Familiae filiale obsequium et devotionem significas, simulque exponis quo studio religiosi illi sodales in tanta, quam sustinemus, tribulatione dent operam ut suis precibus divinam misericordiam nobis concilient, quaeque praecipua pietatis officia in hunc finem tum festo die Trinitati augustae sacro, tum praecedentibus diebus praestanda curarint. Grato Nos animo excipimus, Dilecte Fili Noster, officium quo apud Nos peramanter fungi voluisti. Iustum autem reputantes testimonium Nostrae dilectionis praedictae religiosae Familiae sodalibus rependere tibi hisce litteris committimus, ut memoratis sodalibus Nostro nomine nunties eorum pia studia atque opera Nobis consolationem attulisse; ac dum minime dubitamus fore ut suis precibus Nos adiuvare in tantis ne-

cessitatibus constanter pergant, interim in pignus grati animi et benevolentiae quam ob sua in Nos merita ipsis debemus, coelestium munerum ubertatem eis adprecantes a Domino, Apostolicam Benedictionem singulis universis impertimur ex corde. Hac autem occasione libenter utimur, ut tibi denuo testemur et confirmemus praecipuam erga Te dilectionem Nostram, cuius certum argumentum sit Apostolica benedictio, quam Tibi, Dilecte Fili Noster, toto cordis affectu elargimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 12 Iunii anno 1872, Pontif. Nostri anno XXVI. »

Hoc Apostolicum Rescriptum Emus Card. Pecci benignissime dono dedit Alvernicolis Fratribus una cum sua epistola ad R. P. Guardianum sacri Montis, cuius exemplar hic apponimus:

« *Molto Revdo P. Guardiano.*

« Profitto di una particolare occasione che mi offre la gentilezza del Sig. Filippo de' Giudici per trasmettere il presente piego alla P. V. Molto Revda. — Primieramente ho la compiacenza di accluderle un veneratissimo Autografo del S. Padre in risposta alla lettera che io da codesto sacro Monte gli umiliai in nome della religiosa Famiglia; e lo mando in originale anzichè in copia, perchè al S. Convento rimanga viva e perenne la prova del benigno gradimento di sua Santità. La P. V. Molto Revda e cotesti suoi ottimi Religiosi proveranno un santo appagamento nel sentire che le loro preghiere han recato consolazione al paterno cuore del travagliato Pontefice, e riceveranno conforto a perseverare in esse per affrettare il giorno del trionfo della Chiesa e dell'augusto suo Capo. Questa lettera poi sarà conservata dai Religiosi dell' Alvernia come prezioso documento della sovrana benevolenza di S. Santità verso di loro e, per ciò che mi riguarda, come pegno di quella sincera ed affettuosa riconoscenza che nel mio particolare son lieto di professare ai Religiosi medesimi. — Accolga i sensi della mia distinta stima e considerazione con cui passo a confermarmi. — Di V. P. Molto Revda.

Umilissimo Servitore »
GIOACCHINO CARD. PECCI.
Vescovo di Perugia »

Alia quoque memoranda extant.

Sexto saeculari anniversario ab obitu Seraphici Doctoris sancti Bonaventurae recurrente, universus Seraphicus Ordo ubique totus erat in celebranda singulari solemnitate, die 14 Iulii anni 1874; et quamvis hac illac per Italiam dispersi viverent, attamen Minoritae omni studio Seraphico Doctori festivos dies sacrarunt. Non siluerunt Alvernicolae: eos quidem decebat singularis exultatio, quippe qui non dispersi sed insimul viventes et sacro in loco, qui S.Bonaventurae memorias charissimas servat. Neminem enim latet Seraphicum Doctorem non paucos vitae suae dies in Sacro Alvernae Monte transegisse, etiam dum Ministri Generalis munere fungeretur; et in hac sibi perdilecta solitudine aureos libros scripsisse numquam satis laudatos: *Itinerarium mentis in Deum*, et « *Itinerarium mentis in seipsam* ». Ibique adfuit etiam, cum parva ecclesia sanctae Mariae Angelorum aucta fuit, et iussu Alexandri Pp. IV a septem Episcopis solemniter consecrata, simulque mons totus ab iisdem Praesulibus aqua lustrali aspersus. Et in turri Alvernae aes campanum, S. Doctoris cura comparatum, adhuc extat. His rationibus ducti Alvernicolae talem per triduum celebrarunt solemnitatem, quae perpetuo erit memoranda.

Solemnissima enim fuit ex magnifico templi apparatu, ex devotis canticis et musicalibus concentibus, ex oratorum praecellenti eloquentia, ex innumerabilium devotorum affluentia, quos inter quatuor adfuerunt Venerabiles Episcopi; potissimum tandem (quamvis nemini tunc pateret) quia die 14 Julii, triduanae solemnitatis ultima, in Pontificalibus solemniter sacrum faciebat Eminentissimus Perusinus Antistes, triennio post ad Petri solium evecturus. Ita quidem, etiam hoc anno 1874, Eminentissimus Pecci Alvernae juga ascendebat, sacro in loco per hebdomadam mansurus, saecularia festa solemniora sua praesentia, suaque opera redditurus. Tunc attulit etiam pretiosa dona, reliquias scilicet Beati Conradi de Offida, S. Montis quondam accolae. Posthac non amplius Emus Pecci Alvernam invisit; memoria tamen haud peritura manet iteratae illius visitationis, et super ianuam cellae in qua diversatus est posito lapide haec sculpta sunt:

« Quì — Ospite due volte accettissimo —
« Gioacchino Pecci — Cardinale — Vescovo
« dei Perugini — abbassandosi all'umiltà Fran-
« cescana — sorse degno del Sommo Pontifi-
« cato — Decimoterzo dei Papi — cognominati
« Leone — in virtù e sapienza — non secondo
« ai più memorandi. »

Evectus in Summi Pontificatus solium, Alvernae tamen non est oblitus.

Paucos post menses a sua exaltatione, convenientibus ante Apostolicum solium Ordinum regularium Generalibus Moderatoribus, in allocutione habita, ut animos omnium spe et exemplo erigeret, Alvernam memoravit, deque illius religiosae Familiae conservatione et vita praeclare locutus est. Deinceps, sub deauratis Vaticani laquearibus per innumeras fere vices Alvernae nomen resonuit; et ad Alvernicolas salutationes atque benedictiones apostolicae pluries transmissae fuerunt. Quoties Summus Pontifex rescivit inter eos, qui quotidie ad suos pedes provolvuntur, aliquem adesse ex Alverna, cum eo aliquantulum commorari dignatus est, de Alvernicolis, deque minimis ad S. Montem pertinentibus, benigne interrogans. Quoties de amico Prospero locutus est? Hoc enim titulo vocare dignabatur Religiosum quem primo Guardianum, deinde Ministrum Provincialem Ref. Provinciae Thusciae noverat. Illius obitum doluit, et veniae defuncto impetrandae causa perlitavit.

De Sacro Monte colloqui Illi semper dulce fuit, et Ven. Episcopo Burgi Sancti Sepulchri, piisque Religiosis non semel dixit: « *la Verna mi è rimasta in mezzo al cuore* ». Quumque audisset S. Montis coenobium tristitia temporum in periculo versari, animi quidem dolore et angustia vehementer affectus est, et dixisse fertur quod si Alverniae sanctuarium periclitaretur, id ipse putaret recessum divinae miserationis et magnae Dei in totam Italiam vindictae terribile signum. « Alvernam contendite » non semel dixit piis fidelibus ad suos pedes provolutis. Anno tandem elapso, et coram universo Orbe de suis ad Sacrum Montem peregrinationibus gloriari voluit his verbis: « *Sacra Al-*
« *verniae iuga libentes et alacres, pietatis causa*,
« *non semel ascendimus: quo loco tanti viri* (Fran-
« cisci Assisiensis) *imago, ubicumque ponere*
« *mus vestigium, obiiciebatur animo, mentemque*
« *tacita cogitatione suspensam memor illa so-*
« *litudo tenebat* ». (1)

Adhuc unum nobis est adiiciendum antequam narrationi finem imponamus. Diebus 7ª, 8ª et 9ª mensis Augusti huius anni 1883 scrupeus Alvernae mons totus in exultatione erat, eo quod solemnia agebantur in honorem Beati Ioannis a Firmo, qui ob longam in Sacro Monte mansionem et obitum *ab Alverna* nuncupatur. Beati Viri immemorabilis cultus ab Apostolica Sede nuper confirmatus occasionem laetissimae festivitati praebuerat. Sacra Beati ossa ad naturalem formam affabre composita, publicae venerationi admirabantur exposita in maiori Alvernae templo, quod apparatus magnificentia et luminum copia eo splendore nitebat ut amplius nunquam. Res gestae, praecipuaeque B. Ioannis virtutes appositis inscriptionibus a P. Hermenegildo a Chitiniano aureo calamo adnotatae patebant. Laudes vero Beati tripartito sermone, singulis Triduanae solemnitatis diebus, dixit P. Augustinus a Monte Feretrio, qui de more adstantem multitudinem mente extaticam tenebat. Populi devoti frequentia maxima, sacraeque pontificales caeremoniae comitatu et pompa splendidissimae; quod tamen solemnitatem reddidit incomparabilem fuit quidem praecipua benignitas, quam denuo Leo PP. XIII in Franciscalem familiam Alvernae magnificentissime ostendere dignatus est.

Ex Venerabilibus Episcopis, qui Alvernam solemnitatem celebraturi petierunt, fuit etiam Archiepiscopus Perusinus, Revmus D. Fridericus Foschi. Is cum in Sacrum Coenobium pervenisset, sibi in votis esse dixit, Familiam religiosam congregatam alloqui; et tunc, capta opportunitate quotidianae processionis ad sacellum SS. Stigmatum, Fratribus congregatis atque intento animo aures praebentibus, ait:

« Statim ac Summo Pontifici innotuit me huc adventurum, primo litteris, dein oretenus mihi in mandatis dedit, ut vos suo nomine salutarem, suaeque benedictionis Apostolicae ad vos lator essem. Sanctissimum Dominum, addidit, dulci adhuc memoria suam in hoc Sanctuario mansionem complecti, haud oblitum numerosae familiae hic visae, tristisque vale

(1) Encyclica *Auspicato*, diei 17 Septembris 1882.

quod dedit et accepit a Religiosis ad lacrymas commotis Eum deducentibus. Sanctitas Sua tribuit mihi insuper honorificum, de quo etiam me quidem gloriari oportet. Voluit scilicet me, ad vos solemnitatem B. Ioannis celebraturum venientem, latorem esse pretiosi muneris apostolici. » Quibus dictis Revmus Praesul traxit perpulchrum calicem, illumque circumstantibus exhibens, haec verba ad pedem insculpta legit:

Leo XIII Pont: Max: dono dedit anno MDCCCLXXXIII.

Calice autem super Altare Sacrorum Stigmatum deposito, Revmus Archiepiscopus Perusiae Beatissimi Patris salutem et benedictionem iteravit super commotam religiosam Familiam; qua ob desiderium dandi grati animi testimonium urgente, acu telegraphico ad Summum Pontificem haec scripsit:

Leone Papa XIII, Roma, Vaticano. - « Cappella Stimate adunata Comunità, presentato « Calice. Estremamente commossi umiliano « ringraziamenti. Giovedì (9 Augusto) Sa- « cerdoti applicheranno Messa, Novizi e laici « comunione intenzione Vostra Santità ».

Federico Arcivescovo.

Summus Pontifex ad comitatis complementum et cumulum voluit eadem vi electrica dari reponsum, quod hic ad obsignandam veluti authentico sigillo praesentem narrationem referimus:

Monsignor Federico Pietro Foschi, « Arcivescovo di Perugia, Bibbiena. — Il « S. Padre ha gradite espressioni sentimenti « religiosi Cappella Stimate, e più loro pro- « posito. Sua Santità ringrazia di cuore reli- « giosa Famiglia, e con tutto l'affetto la be- « nedice.

« L. Card. Iacobini.

—

DE PRIVILEGIO

Missae votivae Immaculatae Coneeptionis.

I.

INDULTUM

Quo facultas conceditur singulis sacerdotibus Ministro Generali totius Ordinis Minorum subiectis celebrandi Missam votivam Immaculatae Conceptionis quolibet die Sabbato.

PIUS PAPA IX

Ad perpetuam rei memoriam

Honores Virgini Genitrici Dei ab origine Immaculatae tributi adeo Nobis cordi sunt ut illos promovere quam libentissime satagimus. Jamvero cum supplicatum Nobis fuerit a dilecto filio Venantio a Coelano, totius Ordinis Minorum Ministro Generali, ut concessionem ab hac S. Sede iamdudum factam celebrandi in Ecclesiis Ordinis Minorum diebus Sabbatis intra annum non impeditis Missam Votivam Immaculatae Conceptionis B. M. V., quae in nonnullis provinciis ita protensa est ut singuli sacerdotes eiusdem Ordinis eam ipsam Missam Votivam celebrent, ad universum Ordinem suum ita extenderemur ut singuli sacerdotes Ordinis, Ministro Generali totius Ordinis Minorum S. Francisci subiecti, possint quolibet Sabbato in dicti Ordinis Ecclesiis Missam Votivam praefatam celebrare, Nos, quo universi eiusdem Ordinis religiosi viri in amplioribus cultus significationibus Deiparae sine labe originali conceptae tribuendis plane conformes sint, huiusmodi precibus quantum cum Domino possumus annuere censuimus. Itaque de consilio etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis Sacrorum Rituum, Auctoritate Nostra Apostolica, per praesentes Litteras de speciali gratia concedimus et indulgemus, ut singuli religiosi viri sacerdotes subiecti Ministro Generali totius Ordinis Minorum S. Francisci, quolibet die *Sabbato,* exceptis tamen Sabbatis solemnioribus primae scilicet ac secundae classis et privilegiatis iuxta Rubricas, Missam Votivam Immaculatae Conceptionis B. M. V. in sui Ordinis Ecclesiis (1) celebrare libere ac licite possint. Volumus autem atque mandamus ut in Ecclesiis ipsis Missa Conventualis, uti vocant, de officio occurrente numquam omittatur ac reliquae Rubricae serventur. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus

(1) Hoc tamen privilegio frui possunt Missionarii nostri inter infideles, ad normam Decreti eiusdem S.R.C. diei 8 Aprilis 1875. Cfr istud Decretnm, *Acta Ordinis,* anni 1882, pag. 82-83.

Apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die V Aprilis MDCCCLVI Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Loco † Sigilli.

PRO DOMINO CARD. MACCHI
Io. B. Brancaleoni Castellani Subst.

—

II.

INDULTUM S. R. C.

Missam votivam Immaculatae Conceptionis concernens in Ecclesiis Clarissarum

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI
seu
SANCTIMONIALIUM ORDINIS S. CLARAE.

Rmus Pater Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Francisci votis satisfacturus Superiorissarum plurium Monasteriorum Sanctimonialium Ordinis Sanctae Clarae, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII enixe postulavit, ut privilegium, quo per Apostolicum Breve a sa. me. Pio Papa IX sub die 5 Aprilis 1856 datum, gaudent Sacerdotes Ordinis Minorum Sancti Francisci, celebrandi nimirum quolibet die Sabbato, exceptis tamen solemnioribus primae et secundae classis ac privilegiatis iuxta Rubricas, Missam votivam Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, extendere dignaretur ad Cappellanos Ecclesiarum earumdem Sanctimonialium Clarissarum, idest secundi Ordinis Minorum. Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne annuit iuxta preces, verum excepta Conventuali Missa, quae Officio diei respondens semper esse debet, ac servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 20 Julii 1882.

D. CARDINALIS BARTOLINIUS *S. R. C. Praefectus.*
Laurentius Salvati, Secretarius

—

III.

ORDO SERVANDUS

Pro recta celebratione Missae Votivae Immaculatae Conceptionis B. M. V., primariae Patronae totius nostri Seraphici Ordinis, sive lectae sive cantatae, iuxta Privilegium a SS. D. N. PIO PAPA IX Ordini Nostro benigne concessum die 5 Aprilis 1856, et iuxta Rubr. general. Missalis, ac Decreta S. R. C.

In omnibus Sabbatis infra annum, exceptis infra indicatis, dici potest Missa *Gaudens gaudebo* in param. *albis* cum *Gloria* et sine *Credo,* etiam infra octavas. In Secreta loco *solemnitate* dicitur *commemoratione*. Praefatio B. M. V. *Et te in Conceptione Immaculata.* In fine *Ite Missa est,* et ult. Evang. semper S. *Ioannis.* Missa vero Conventualis de officio occurrenti nunquam omitti potest, hora a Rubr. Miss. praescripta.

In hac Missa, etiamsi festum duplex eo die celebretur, semper tres saltem orationes dicendae sunt, scilicet secunda de officio currenti, tertia de *Spiritu Sancto.* Haec autem tertia oratio omittitur quoties facienda sit comm. alicuius Simplicis, Vigiliae, vel Feriae, ut factum est in Laudibus.

Collectae ab Ordinario impositae semper dicuntur in hac Mis. Vot. sive lecta, sive cantata.

Haec Missa votiva celebrari nequit:

1. In duplicibus I et II classis in Sabbato occurrentibus.

2. In Sabbatis occurrentibus infra Octavas privileg. id est Epiphaniae, Paschae, Pentecostes, Corporis Christi, et Nativitatis eiusdem.

3. In Vigiliis Pentecostes, et Nativitatis Domini.

4. In omnibus festivitatibus B. M. V. in Sabbato occurrentibus.

—

DECRETUM S. R. CONG.

Quo conceditur privilegium legendi Missas Beatorum extra proprias ecclesias, ubi Kalendarium Dioecesanum non existit.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI
DE OBSERVANTIA.

Quum Alumni Ordinis Minorum Sancti FRANCISCI de Observantia, et Reformatorum frequenter sacrosanctum Missae Sacrificium celebrent extra proprias Ecclesias in

Oratoriis vel Sacellis, in quibus Kalendarium Dioecesanum non existit, ac incerti proinde maneant quamnam Missam celebrare debeant, tunc potissimum quando de Beatis Ordinis Officium persolvunt; nam iuxta Decreta Missae Beatorum legi nequeunt extra Ordinis Ecclesias; Revmus P. Venantius a Coelano totius Ordinis enunciati Minister Generalis supplicibus votis a Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPA IX privilegium imploravit, ut iidem Alumni etiam extra proprias Ecclesias, et in supradictis Oratoriis, vel Sacellis celebrantes legere valeant Missas Beatorum Ecclesiis Ordinis a Sancta Sede concessas, dum de aliquo Beato Officium persolvunt, nisi color paramentorum aliter exigat. Sanctitas Sua, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, de speciali gratia annuit *pro petito privilegio*, attamen dumtaxat intuitu *Ecclesiarum* et Oratoriorum, ubi ob defectum Kalendarii Dioecesani ignoratur quodnam Festum peragatur in Dioecesi. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 22 Novembris 1855.

C. Episcopus Albanen.
Card. Patrizi S. R. C. Praef.
Loco ✠ Sigilli.
H. Capalti S. R. C. Secretarius.

—

DECLARATIO S. R. C.

Quoad officia votiva per annum recitanda juxta Decretum diei 5 Julii 1883.

DECRETUM

Quum nonnulla oborta sint Dubia circa Indultum generale a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII datum per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis sub die 5 Iulii nuper praeteriti, quoad recitationem Officiorum *Votivorum per annum* loco ferialium, Sacra eadem Congregatio sui muneris esse censuit ea sedulo examini subiicere, atque exinde authenticam declarationem emittere.

Quapropter idem Sacer Ordo sub signata die ad Vaticanum in particulari coetu coadunatus insequentia Dubia expendenda suscepit, nimirum:

I. An verba Indulti « *quoad privatam vero recitationem ad libitum singulorum de Clero* » intelligenda sint de eis tantum, qui nullo canonico titulo ad Chorum tenentur?

II. An statuta, de consensu Capituli, seu Communitatis ab Ordinario adprobato, recitatione Officii votivi, liceat quandocumque ab ea acceptatione recedere?

III. An Indultum ipsum ita acceptari possit, ut quibusdam anni diebus de Feria, aliis vero de Votivis Officiis in Chorali recitatione agi valeat?

Emi porro ac Rmi Patres, omnibus accurate perpensis, sic rescribere rati sunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II et III. *Negative.* Atque ita rescripserunt, declaraverunt, ac servari mandarunt die 10 Novembris 1883.

D. Card. Bartolinius S. R. C. Praef.
L. ✠ S.
Laurentius Salvati S. R. C. Secret.

—

Decretum S. Congr. Indulgentiarum

quo conceditur Indulgentia centum dierum recitantibus canticum
Magnificat anima mea Dominum

Beatissime Pater,

Presbyter Dumoulin, ad SSmos provolutus Pedes, humiliter exorat Sanctitatem Vestram, ut aliquam concedere dignetur Indulgentiam Christifidelibus, qui canticum recitaverint *Magnificat anima mea Dominum.*

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII in Audientia habita die 20 septembris 1879 ab infrascrispto Secretario sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, universis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote canticum B. Mariae Virginis, cuius initium *Magnificat anima mea Dominum,* devote recitaverint, Indulgentiam centum dierum, semel tantum in die lucrandam, clementer concessit. Praesenti in perpetuum valituro, ubsque ulla Brevis expeditione, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem sacrae Congregationis die 20 septembris 1879.

L. Card. Randi
A. Panici Secretarius.

Litterae *quoad indulgentiam quinquaginta dierum, lucrandam amodo semel in die ab osculantibus pedes statuae aeneae, sanctum Petrum repraesentantis.*

Die 30 Aprilis 1880.

Sanctitas D. N. Leonis XIII in audientia, quam die 27 mensis labentis concedebat Emo Cardinali Brevium Secretario, disposuit, ut indulgentia quinquaginta dierum, illis elargita fidelibus, qui devote pedes osculati fuerint aeneae statuae, Principem Apostolorum sanctum Petrum repraesentantis, illique persimilis, quae in Vaticana colitur Basilica, amodo lucrifieri tantum possit semel in die; iussitque ut dispositio haec communicaretur sacrae Indulgentiarum Congregationi.

Itaque veneranda implens SSmi Patris iussa, satagit infrascriptus te de hoc sacramque Congregationem, opera tua, certiores reddere oblataque utitur occasione ut peculiarem tibi existimationem confirmet.

Ad R. P. D. Pium Delicati
S. Cong. Indulgentiarum Secretarium.

Addictissimus Servus
A. Trinchieri Substitutus.

II.
ACTA ORDINIS

—

INSTRUCTIO
DE STATIONIBUS S. VIAE CRUCIS ERIGENDIS.
(Finis)

De benedicendis Crucifixis cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis, necnon de legitimo eorumdem usu.

(Continuatio)

40. Explicatis iam (fasc. VIII. a. c.) legibus respicientibus auctoritatem et ritum Crucifixorum Viae Crucis benedicendorum, necnon conditionibus ad lucrandas indulgentias eisdem Crucifixis applicatas requisitis, quaedam addenda censuimus monita de praedictorum Crucifixorum benedictione ac legitimo usu, desumpta ex S. C. Indulg. decretis de lucrandis indulgentiis applicatis devotionis obiectis in genere consideratis.

41. Ad applicandas huiusmodi Crucifixis lucrandas indulgentias Viae Crucis, necesse non est, ut benedicantur singulatim ad usum determinatae personae, sed valide benedici possunt etiam in globo, antequam tali vel tali personae distribuuntur, ita ut quisque huiusmodi Crucifixum prima vice ad proprium usum accipiens indulgentias eidem adnexas lucrari possit (*Decr. auth.,*Ed. nova, n. 363; Pirnzivalli DCXLVII).

42. Nihil impedit, quominus indulgentiae Viae Crucis applicentur lucrandae Crucifixis, quibus iam aliae indulgentiae adnexae sunt. (cfr. *Decr. auth.*, Ed. nova, n. *239 ad 3; Prin*zivalli CDXX.) Imo, supposita debita facultate, *unica benedictione* Crucifixo applicari possunt lucrandae indulgentiae diversae, v. g. indulgentiae Viae Crucis et Apostolicae.

43. Quum indulgentiae Crucifixis adnexae non cadant in crucem, sed in solam imaginem divini Redemptoris, hinc huiusmodi imago ex una cruce in aliam transferri potest absque periculo amittendi indulgentias ipsi collatas (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 281 ad 6, Prinzivalli D.)

44. Ex decreto fel. record. Alexandri VII edito sub die 6 Febr. 1657 coronae, cruces, rosaria (et ob paritatem rationis etiam Crucifixi Viae Crucis) benedicta quoad indulgentias non transeunt personam illorum, quibus concessa sunt, aut quibus ab iis prima vice distribuuntur; nec aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea subrogari altera ullo modo potest, quacumque concessione aut privilegio in contrarium non obstante; necnon eadem commodari, aut precario dari non possunt pro indulgentiarum communicatione; alioquin amittunt indulgentias iam concessas. (Ita ex elencho indulgentiarum, Apostolicae quae appellantur. cfr. etiam *Decr. auth.*, Ed. nova, n. 78; Prinzivalli XLVII).

45. Per decretum d. d. 4 Iunii 1721 (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 78; Prinzivalli XLVII) S. C. Indulg. sub poena amissionis indulgentiarum districte prohibuit, ne devotionis obiecta post benedictionem aut publice aut secreto vendantur, vel quomodocumque commutentur; imo eadem S. Congregatio interrogata « an qui emit cruces, numismata etc., » ut ea distribuat postquam benedicta fuerint

» cum applicatione indulgentiarum, possit ho- » rum petere pretium ab accipientibus sine » culpa, vel sine periculo indulgentias amit- » tendi» respondit: *Negative.* (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 344 ad 2; Prinzivalli DXCIX.) Hoc autem S. Congregationis responsum non videtur applicandum casui, quo quispiam *ex commissione alterius personae* cruces etc. emit ac benedicendas curavit. Quum enim emptor in huiusmodi casu non fuerit rerum emptarum proprietarius, sed (ut ita dicam) depositarius tantum, nulla intervenit rerum benedictarum emptio-venditio, si expensae factae a persona mandante refundantur seu restituantur.

46. Tandem monemus, quando possessor Crucifixi, cui applicatae sunt lucrandae indulgentiae Viae Crucis, preces praescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent Crucifixum tali privilegio ditatum, absque speciali facultate seu S. Sedis privilegio non posse adstantes et simul recitantes easdem indulgentias lucrari, quas lucratur possessor Crucifixi. (*Decr. auth.*, Ed. nova, n. 291 ad 12; Prinzivalli DXI.) Nihil tamen obstare videtur, quominus indulgentiae lucrentur casu, quo plures personae, quarum singulae sibi habent Crucifixum benedictum ad lucrandas indulgentias Viae Crucis, praescripta viginti *Pater, Ave*, et *Gloria* simul alternatim recitant. Huiusmodi autem preces praescriptae quocumque idiomate recitari possunt, dummodo versiones sint fideles (*Decr. auth.*, Ed nova, n. 415).

NOTANDUM.

Nomine et auctoritate Rmi P. Ministri Generalis hisce declaramus:

1° Paternitatem Suam Rmam concedere, ut Ordinis Nostri alumni, qui ab ipso, vel ab alio Ordinis Superiore ex ipsius delegatione, obtinuerunt facultatem benedicendi Crucifixos Viae Crucis, non obstante clausula consueta « *advertendum tamen huiusmodi facultatem valere tantum etc.* » praedicta facultate valide ac licite uti posse etiam in iis extra Urbem locis, ubi conventus Ordinis nostri habentur, *dummodo conventus huiusmodi ordinarius Superior actualis consentiat.* (Haec tamen declaratio valet tantum durante tempore Ministerii Rmi P. Ministri Generalis actualis).

2° Paternitatem Suam Rmam libenter concessuram Ministris Provincialibus aliisque in Ordine Superioribus *maioribus*, id ab ipso specialiter postulantibus, auctoritatem subditos subdelegandi facultatem erigendi S. Viam Crucis in oratoriis privatis seu domesticis *ex Indulto Apostolico erectis*, necnon benedicendi cum applicatione indulgentiarum Crucifixos Viae Crucis.

Coronidis instar adiungimus praefatae instructionis

SUMMARIUM,

in quo breviter ponuntur:

1. conditiones requisitae ad legitimam S. Viae Crucis constitutionem;
2. conditiones necessariae ad lucrandas indulgentias S. Viae Crucis exercitio adnexas;
3. conditiones requisitae ad lucrandas indulgentias S. Viae Crucis utendo Crucifixo.

Monemus autem ea, quae in hoc summario dicturi sumus, esse intelligenda sensu in corpore instructionis exposito; hinc ad maiorem inquirentis commodum citabimus paginas et numeros, sub quibus in corpore instructionis de singulis, quae infra ponentur, conditionibus agitur.

I.

Ad legitimam S. Viae Crucis constitutionem requiritur

1. debita facultas, sive ordinaria sive delegata, in idoneo erigente, sacerdote scil. qui sit aut concionator aut saltem confessarius approbatus.

Praefata vero auctoritas in Ordine nostro competit:

a) si agatur de ecclesiis, publicis oratoriis, coemeteriis aliisque locis publicis, necnon de oratoriis etiam internis aliisque *communibus* (1) locis decentibus conventuum, conservatoriorum, hospitalium aliorumque locorum itidem piorum,

omnibus Superioribus, et ex eorum commissione etiam caeteris Fratribus concionatoribus vel confessariis approbatis;

(1) Non igitur comprehenduntur cellae *privatae* religiosorum, religiosarum aliarumve personarum in conventibus etc. commorantium.

b) si vero agatur de oratotiis privatis, seu domesticis, *ex Indulto Apostolico erectis*,

solo Ministro (Vicario, Delegato) *Generali*, qui tamen eandem facultatem tum intra tum extra Ordinem delegare potest;

c) si demum agatur de oratoriis NON *erectis ex Indulto Apostolico*, necnon de cellis domesticis requiritur indultum S. Sedis.

Advertendum autem, commissionem vel delegationem de qua superius sub litt. *a.* et *b.* ex ordinatione S. Sedis *scripto* esse concedendam et quidem *sub poena nullitatis*.

(cfr. pag. 28 et 29; nn. 6, 7 et 8.

2. Requiritur *antecedenter* ad S. Viae Crucis erectionem:

a) licentia Ordinarii loci, in cuius iurisdictione Viam Crucis erigi contigerit, nec sufficit eiusmodi licentia *generice praestita*, sed requiritur *specialis*, praestita scil. *in singulis casibus pro unaquaque Stationum erectione*.

Excipiuntur vero ab hac lege ecclesiae et loca Ordinis nostri, necnon loca, saltem interna, caeterorum Ordinum exemptionis privilegio gaudentium.

b) consensus parochi et superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi Stationes Viae Crucis erunt constituendae.

Excipiuntur autem a lege obtinendi praefati consensus parochi loca, quae, licet non de iure, saltem *de facto* a parochiali iurisdictione sunt exempta.

Insuper notandum, huiusmodi respectivi Ordinarii seu Episcopi, et parochi, necnon superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi S. Viae Crucis erectionem fieri contigerit, licentiam et consensum expedienda esse *in scriptis et non aliter sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae*. Imo et erectionis *postulatio scripto* facienda praescribitur.

(cfr. pag. 44 et 45 nn. 14, 15, et 16.)

3. Requiruntur ex parte materiae *de necessitate* cruces quatuordecim ad repraesentandas stationes Ierosolymitanas, quae cruces *sub poena nullitatis* debent esse *ex ligno*, exclusa alia materia quacumque; ad quas ex antiqua et generali consuetudine adiunguntur *totidem imagines* seu tabulae, repraesentantes eadem Passionis mysteria, quae Stationes S. Viae Crucis Ierosolymitanae, quibus tabulis cruces *ita sunt superponendae, ut ab omnibus conspici possint*.

(cfr. pag. 45 n. 17.)

4. Requiritur crucium ac imaginum seu tabularum (si adsunt) *benedictio*, peracta a sacerdote erectore *moraliter praesente* in loco, in quo S. Viae Crucis Stationes erunt constituendae, necnon earumdem *affixio*, ad determinanda stationes itinerisque ambitum, interposita *aliquali (non determinata) distantia* inter unam et aliam stationem.

Nihil tamen ad validitatem erectionis interest utrum crucium imaginumque benedictio fiat *ante ipsarum affixionem*, an vero *post eamdem;* nec etiam utrum affixio fiat *in actu erectionis canonicae* ab ipsomet erectore vel ab alio eius nomine, an vero *alio tempore* ab altero quocumque, utrum *post*, an vero *ante* benedictionem.

(cfr. pag. 46 et 47 num. 18. 19 et 20.)

5. Requiritur, ut post legitime constitutas S. Viae Crucis Stationes conficiatur *peractae erectionis documentum* (seu processus verbalis) ab erigente *propria manu* subscribendum.

(cfr. pag. 47 n. 21.)

II.

Ad lucrandas indulgentias S. Viae Crucis exercitio adnexas requiritur (praeter statum gratiae, veram cordis contritionem ac intentionem saltem generalem indulgentias lucrifaciendi):

1. *meditatio, quantumvis brevis, Passionis D. N. I. C.*, et quidem (ita saltem ut tutius enixe consulendum) illorum Passionis Dominicae mysteriorum, quae consuetis quatuordecim Stationibus repraesentantur. Docet vero S. Leonardus a Portu Mauritio, sufficere rudibus, qui scil. stationem a statione distinguere non norunt, ut scientes cruces et imagines repraesentare sancta loca, ubi divinus Salvator ex amore nostro passus est, iuxta suam capacitatem aliquatenus cogitent Passionem eamdem.

(cfr. pag. 76. n. 29).

2. Requirittur *motus localis de una statione ad aliam*. Excipitur ab hac lege casus, quo *in publico* exercitio ex eiusmodi transitu *perturbatio excitari posset;* iis enim in circumstantiis sufficit, ut unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, ac sistens in qualibet statione ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus, necnon (ita saltem consulendum videtur) ut populus se ver-

tat ad singulas stationes, atque ad easdem genuflectat ac surgat cum sacerdote caeterisque circumeuntibus.

(pag. 76 n. 30).

3. Requiritur, ut *quatuordecim Stationes visitentur uno tractu,* non interposito scil. tanto temporis intervallo, ut pium exercitium *notabiliter et moraliter interruptum* dici debeat.

(pag. 77. n. 31.)

III.

Ad lucrandas iudulgentias S. Viae Crucis utendo Crucifixo requiritur,

1. ut habeatur *Crucifixus* (non nimis parvus saltem de convenienti) i. e. crux cum imagine D. N. I. C. crucifixi *prominenti.* quae *imago (crux* enim ex quacumque materia esse potest) confecta esse debet ex *aurichalco* (italice *ottone,* gallice *cuivre; laiton*) vel ex alia materia *non fragili (fragilis* autem *materia* in re praesenti dicenda videtur etiam *ferrum, stamnum, plumbum*). (1)

(cfr. pag. 128 nn. 36 et 37.)

2. ut eiusmodi Crucifixus ad hoc sit benedictus ab aliquo in Ordine nostro Superiore, vel ab aliquo sacerdote sive Ordinis sive extero, cui huiusmodi Crucifixos ad hoc benedicendi facultas a Ministro (Vicario, Delegato) Generali, vel ab alio ipsius Ministri Generalis auctoritate, fuit respective delegata vel subdelegata.

(cfr. pag. 127 n. 34 et 35).

3. Requiritur, ut (praeter statum gratiae et intentionem saltem generalem indulgentias lucrifaciendi) utenti ad effectum indulgentias lucrandi tali Crucifixo adsit legitimum impedimentum sive motivum rationabile, quacumque demum ex causa proveniat, quod ipsum impedit, quominus hic et nunc exercitium Viae Crucis proprie dictum peragere valeat.

(cfr. p. 128 n. 39. *a.*)

4. Requiritur, ut recitentur corde saltem contrito ac devoto, *viginti* PATER, AVE *et* GLORIA, quorum loco tamen ii, qui gravi morbo ita afficiuntur, ut recitandis *viginti* PATER, AVE *et* GLORIA impares sint, dicere possunt semel actum contritionis, vel invocationem: *Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.*

(cfr. p. 128 n. 39. *b.* et 40.)

5 Requiritur, ut durante recitatione precum praescriptarum Crucifixus benedictus manu teneatur. (cfr. p. 128 n. 39 *c.*)

MONITUM: Desiderio Rmi P. Ministri Genlis satisfacturus praefatae instructionis compilator alteram praeparat editionem, quae, uti confidimus, S. C. Indulg. approbatione munita intra breve temporis intervallum separato libello in publicum prodibit.

—

CATALOGUS

Servorum ac Servarum Dei trium Ordinum S. P. N. Francisci, quorum causa beatificationis introducta est apud S. Sedem. (1)

1. *V. Franciscus Ximenes,* Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, obiit anno 1317.
2. *V. Antonius Scalmati,* sacerdos, obiit in Calataierone anno 1552.
3. *V. Antonius Pagani,* theologus Concilii Tridentini, obiit Vicentiae anno 1589.
4. *V. Angelus de Pas,* sacerdos Elnensis, (Perpignan) obiit Romae anno 1595.
5. *V. Bartholomaeus de Saluthio,* sacerdos, obiit Romae 1617.
6. *V. Franciscus de Gonzaga,* Minister Glis, Episcopus Mantuensis, obiit 1620.
7. *V. Innocentius de Chiusa,* laicus, obiit Romae 1631.
8. *V. Bernardinus de Calentiana,* sacerdos Prov. Corsicae, obiit 1653.
9. *V. Benedictus Bacci a Podio Bonitio,* sacerdos, obiit in Prato 1658.
10. *V. Bonaventura de Barchinone,* laicus, fundator Conv. S. Bonav. Romae; obiit 1687.
11. *V. Petrus Bardesius,* laicus, obiit in Santiago anno 1700.
12. *V. Ioannes Baptista e Burgundia,* sacerdos, obiit 1726, eiusque corpus asservatur in ecclesia S. Bonaventurae Romae.
13. *V. Antonius Margil a Iesu,* sacerdos, qui evangelizavit omnes provincias Americae meridionalis et obiit in Mexico 1726.
14. *V. Dominicus ab Urbevetere,* missionarius in Italia, obiit Orvieti 1738.
15. *V. Theophilus a Corte,* sacerdos Pro-

(1) Iam elenchum publicavimus Sanctorum et Beatorum Ordinis. Cfr. *Acta* huius anni, pag. 96 et 141.

(1) quod ad ferrum pertinet, Sum. Pontif. Pius IX concessit, ut materia fragilis non iudicetur. Cf. Raccolta delle Indulg. dell'anno 1854, et apud [illegible] Lib. 4 pag. 587, cap. LXII n. 441.

vinciae Corsicae, obiit in Recessu Fucecchii in Thuscia 1740.

16. *V. Benignus a Cuneo*, sacerdos, obiit 1741.

17. *V. Philippus a Velitris*, sacerdos, obiit Romae in Conventu Aracoelitano 1754.

18. *V. Petrus a Balnearia*, sacerd., obiit 1768.

19. *V. Hugolinus a Summaripa*, laicus, obiit 1772.

20. *V. Michael Angelus a S. Francisco*, laicus, obiit 1800.

21. *V. Simon Philippovich*, Bosnensis, obiit Ripatransone 1802.

22. *V. Aloysius a SSmo Crucifixo*, sacerdos, obiit Neapoli 1803.

23. *V. Generosus a Praemosello*, sacerdos, obiit Ameliae 1804

24. *V. Aegidius Maria a S. Ioseph*, laicus, obiit Neapoli 1812.

25. *V. Leopoldus de Gaiche*, sacerdos, missionarius in Italia, obiit in Conventu Monte Luco in Umbria 1819.

26. *V. Ioannes a Triora*, sacerdos, martyrio affectus in Sinis 1816.

27. *V. Franciscus a Ghisone*, clericus minorista, ex Corsica oriundus, obiit in Conventu Civitellae 1832.

28. *V. Dominicus de Muro*, sacerdos Ord. Min. Conv., obiit 1692.

29. *V. Raphael Kilinski*, sacerdos, Ord. Min. Conv., obiit in Polonia.

30. *V. Antonius Fasani*, sacerdos, Ord. Min. Conv., obiit Neapoli 1742.

31. *V. Antonius Sandreani*, sacerdos, Ord. Min. Conv., obiit 1752.

32. *V. Antonius Lucci*, Episcopus Bovinensis, Ord. Min. Conv., obiit 1752.

33. *V. Ioannes a Maurienne*, sacerdos, Ord. Min. Capucc., obiit 1614.

34. *V. Honoratus a Champigny*, sacerdos, Ord. Min. Cap., obiit 1620.

35. *V. Bonaventura Barberini*, episcopus Ferrariensis Ord. Min. Cap., obiit 1743.

36. *V. Andreas a Burgio*, laicus, Ord. Min. Cap., obiit 1772.

37. *V. Laurentius a Zibella*, sacerdos, Ord. Min. Cap., obiit 1781.

38. *V. Ignatius a Laconi*, laicus, Ord. Min. Cap. obiit Calaris, 1781.

39. *V. Felix de Nicosia*, laicus, Ord. Min. Cap., obiit 1787.

40. *V. Nicolaus Molinarii*, episcopus Bovinensis, Ord. Min. Cap., obiit 1792.

41. *V. Didacus a Gadibus* apostolus Andalusiae, Ord. Min. Cap., obiit 1801.

42. *V. Iesualdus de Rhegio*, missionarius Calabriae, Ord. Min. Cap., obiit 1803.

43. *V. Franciscus de Lacunegro*, sacerdos, Ord. Min. Cap., obiit Neapoli.

44. *V. Ioanna Maria a Cruce*, V. 2. O., obiit in Roveredo 1673.

45. *V. Febronia Ferdinanda Ansaloni*, V 2. O., obiit Panormi 1718.

46. *V. Antonia Maria Belloni*, V. 2. O., obiit 1719.

47. *V. Angela Maria Astorch*, V. 2. O., obiit 1765.

48. *V. Florida Coeli*, V. 2. O., obiit 1765.

49. *V. Clara Isabella Gherzi*, V. 2. O., obiit 1800.

50. *V. Maria Aloysia Biagini*, V. 2. O., obiit 1811.

51. *V. Maria de Iesu de Agreda*, V. Ord. Conceptionistarum, obiit 1665.

52. *V. Paulus de Ambrosiis*, sacerdos, 3. Ord. regul., obiit in Cropano in Sicilia.

53. *V. Ianuarius de Lumello*, sacerdos, 3. Ord. reg., obiit saeculo XVI in Lombardia,

54. *V. Ioanna a Cruce*, V., 3. Ord. reg., obiit in Cuba 1534.

55. *V. Crescentia Hoess*, V. 3. Ord. reg., reg., obiit in Kaufbeuren 1744.

56. *V. Lilia Maria de Crucifixo*, V. 3. Ord. obiit Viterbii 1773.

57. *V. Antonius Alphonsus Bermeio*, 3. Ord. saecul., obiit 1758.

58. *V. Franciscus a S. Antonio*, 3. Ord. saec., obiit Neapoli 1764.

59. *V. Maria Crucifixa* a quinque Vulneribus, V. 3. Ord. saec., obiit Neapoli 1827.

60. *V. Elisabeth Sanna*, Vid. 3. Ord. saec., obiit Romae 1857.

61. *V. Ioannes Maria Baptista Vianney*, sacerdos 3. Ord. saec., parochus loci *Ars* in Gallia, obiit 1859.

Plurium aliorum servorum et famularum Dei Processus pro introductione causae eorumdem conficiuntur.

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1883 celebrata

—

XXIII

Collegium S. Annae de Sucre, in Bolivia.

Die 13 Julii, praesidente A. R. P. Hugolino Gorleri, Commissario Generali Boliviae, celebratum est Capitulum Guardianale, in quo electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII:
R. P. Melchior Azcuñaga.
DISCRETI COLLEGII:
A. R. P. Bartholomaeus Casanovas.
R. P. Gregorius Cinctora.
R. P. Marianus Echevarria.
R. P. Augustinus Muniusguren.

—

XXIV

Obs. Provincia S. Angeli in Apulia.

Die 30 Novembris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:
A. R. P. Romualdus a Casalnovo Monterotaro.

CUSTOS PROVINCIAE:
R. P. Alphonsus a Casalnovo Monterotaro.
DEFINITORES PROVINCIAE:
R. P. Ioannes Baptista a Toro.
R. P. Gabriel a Fodia.
R. P. Vincentius a Rodi.
R. P. Nicolaus a Castrofranco.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 14 Conventus pertinebant:
Biccari, S. Antonii.
Bovino, *Valleverde.*
Castelnovo, S. Mariae V.
Celenza, S. Francisci.
Foggia, Iesu et Mariae.
Ischitella, S. Francisci.
Lucera, *La Pietà.*
Manfredonia, *Le Grazie.*
Pietro Montecorvino, S. Onuphrii.
S. Marco in Lamis, S. Matthaei.
S. Martino, Iesu et Mariae.
S. Paolo, S. Antonii.
S. Severo, S. Bernardini.
Stignano, S. Mariae.

—

XXV.

Obs. Provincia Vallis Mazzariae Immaculatae Conceptionis B. M. V. in Sicilia.

Die 4 Decembris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:
A. R. P. Franciscus De Blasi.
CUSTOS PROVINCIAE:
R. P. Ignatius Fleres.
DEFINITORES PROVINCIAE:
R. P. Armenius a Licata.
R. P. Petrus a Panormo.
R. P, Iosephus ab Alcamo
R. P. David a Carini.

Ad istam Provinciam ante suppressionem 20 Conventus pertinebant. Cfr. *Act. Ord.* Ann. I. pag. 59.

—

XXVI.

Obs. Provincia Vallis Daemonis in Sicilia

Die 4 Decembris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:
A. R. P. Aloysius a Casteldilucio.
CUSTOS PROVINCIAE:
R. P. Gasparus a Condro'.
DEFINITORES PROVINCIAE:
R. P. Ludovicus a Ficarra.
R. P. Bernardinus a Capizzi.
R. P. Franciscus a Messana.
R. P. Iosephus a Venetico.

Ista Provincia ante suppressionem 27 Conventus habuit:
Arcireale, S. Blasii.
Adernò, S. Mariae de Iesu.
Barcellona, S. Antonii.
Bronte, S. Viti.
Capizzi S. Mariae de Iesu.
Castelbuono, S. Antonini M.
Castelluccio, *Il soccorso.*
Castroreale, S. Mariae de Iesu.
Catania, S. Agathae V. M.
Cefalù, S. Nicolai.
Forza, S. Catharinae.
Ficarra, S. Mariae de Iesu.
Galati, Annuntiat. B. M. V.
Lipari, S. Francisci.
Messina, S. Mariae de Iesu.
Messina, *Il Ritiro.*
Montalbano, S. Antonii.

Naso, S. Mariae de Iesu.
Paternó, S. Antonii Abb.
Peraino, S. Francisci.
Raccuja, Annuntiat. B. M. V.
Randazzo, S. Mariae de Iesu.
S. Pietro, S. Mariae de Iesu.
S. Luciae, S. Mariae de Iesu.
S. Angiolo, S. Francisci.
Taormina, S. Mariae de Iesu.
Venetico, SS. Trinitatis,

—

XXVII

Obs. Provincia Vallis Nethi in Sicilia.

Die 4 Decembris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Alexander Brancati a Syracusis.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Bonaventura Marcellino.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Philippus Failla a Vizzini.
R. P. Carmelus Solarino.
R. P. Salvator Catania a Palazzolo.
R. P. Hieronymus Giampaolo a Palazzolo

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 16 Conventus pertinebant:

Augusta, *Le Grazie.*
Avola, S. Mariae de Iesu.
Butera, S. Mariae de Iesu.
Caltagirone, S. Mariae de Iesu.
Cassaro, *Le Grazie.*
Francofonte, S. Mariae de Iesu.
Granmichele, *Le Grazie.*
Mineo, S. Mariae *dell'Istria.*
Modica, S. Mariae de Iesu.
Palazzolo, S. Mariae de Iesu.
Scicli, S. Mariae de Iesu.
Siracusa, S. Mariae de Iesu.
Spaccaforno, S. Crucis.
Terranova, S, Mariae de Iesu.
Vittoria, *Le Grazie.*
Vizzini, Hospitium Terrae Sanctae.

—

XXVIII

Ref. Provincia Vallis Mazzariae.

Die 4 Decembris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Franciscus a Corleone.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Antoninus a Marineo.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Rosarius a S. Margarita.
R. P. Gasparus a Bisacquino.
R. P. Franciscus a Chiusa-Sclafani.
R. P. Ioannes a Cianciana.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 22 Conventus pertinebant:

Alessandria della Rocca, Immaculatae Conceptionis.
Bivona, S. Mariae a Iesu.
Burgio, S. Mariae Gratiarum.
Caltanissetta, S. Antonii Patav.
Caltanissetta, S. Mariae Angelorum.
Caltavoturo, S. Mariae a Iesu.
Castelvetrano, S. Mariae de *Istria.*
Chiusa, S. Viti mart.
Cianciana, S. Antonii Patav.
Corleone, S. Mariae a Iesu.
Girgenti, S. Caloceri mart.
Giuliana, S. Annae Matris B. M. V.
Mezzoiuso, Imm. Conceptionis.
Mussomeli, Ss. Ioachim et Annae.
Naro, S. Mariae a Iesu.
Palermo, S. Antonii Patav.
Palermo, S. Mariae a Iesu.
Salemi, S. Mariae Angelorum.
Sambuca, S. Mariae a Iesu.
Santa Margherita, S. P. Francisci.
Termini, S. Antonii Patav.
Trapani, S. Annae Matris B. M. V.

—

XXIX

Ref. Prov. Vallis Nethi.

Die 4 Decembris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt.

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Lndovicus a Mazzarino.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Bonaventura a Castrogiovanni.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Hieronymus a Sicilis.
R. P. Angelus a Barrafranca.
R. P. Caietanus a Barrafranca.
R. P. Ioannes a Mazzarino.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 22 Conventus pertinebant:

Agira, S. Maria a Iesu.
Aidone, S. Rosaliae Virg.

Assoro, S. Mariae Angelorum.
Barrafranca, S. P. N. Francisci.
Caltagirone, S. Bonaventurae Ep. et Doct.
Carlentini, S. Mariae de Carmelo.
Castrogiovanni, *Monte Salvo.*
Chiaramonte, S. Mariae a Iesu.
Ferla, S. Mariae a Iesu.
Mazzarino, S. Mariae a Iesu.
Modica, S. Annae Matris B. M. V.
Monterosso almo, S. Annae Matris B. M. V.
Niscemi, S. Mariae *del Bosco.*
Noto, S. Antonii Patav.
Palagonia, S. Antonii Patav.
Piazza, S. Petri Ap.
Piazza, S. Mariae a Iesu.
Pietraperzia, S. Mariae a Iesu.
Ragusa, S. Mariae a Iesu.
Scordia, S. Antonii Patav.
Siracusa, S. Luciae V. et M.
Valguarnera, Imm. Conceptionis.

—

XXX

Ref. Provincia Vallis Daemonis.

Die 4 Decembris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Paschalis a Pharo.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Paschalis a Catania.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Dominicus a Catania.
R. P. Carolus a Petralia Superiori.
R. P. Carmelus a Catania.
R. P. Agatinus a Catania.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 20 Conventus pertinebant:

Aci-Catena, S. Antonii Pat.
Alimena, S. Mariae a Iesu.
Belpasso, S. Antonii Pat.
Biancavilla, S. P. N. Francisci.
Calvaruso, Imm. Conceptionis.
Catania, S. Mariae a Iesu.
Cefalù, S. Paschalis Baylon.
Collesano, S. Mariae a Iesu.
Malvagna, S. Ioseph.
Messina, S. Mariae di *Porto Salvo.*
Milazzo, S. Papini.
Mistretta, S. Mariae a Iesu.
Motta di Fermo, S. Mariae *di Sparto.*
Nicosia, S. Mariae a Iesu.
Pagliano, S. Mariae a Iesu.
Patti, S. Mariae a Iesu.
Petralia Soprana, S. Mariae a Iesu.
Petralia Sottana, S. Mariae Angelorum.
Sanfratello, S. Mariae a Iesu.
Trecastagne, S. Antonii Pat.

—

FRUCTUS MISSIONUM

—

Per Patres totius Provinciae S. Stephani reg., Ord. Minor. S. P. Francisci strictior. obs. in Transsylvania, a II intermedia Congregatione A. 1882 usque ad Capitulum provinciale A. 1883 celebratum auxiliante Deo comportati.

Infantes e christianis parentibus baptizati	702
Sacramentum poenitentiae administratum sanis	30.305
Infirmis	1.107
Sacramentum Eucharistiae administr. sanis et infirmis . . .	20.276
Infirmis per modum viatici . .	515
Sacramentum extremae unctionis administratum	504
Adsistentia matrimonialiter copulatis	192
Conciones	13.042
Catecheses	3.826
Sepulturae mandati.	618
CONVERSI:	
E Calvinismo	6
E Schismate	2
Ex Arianismo	3

—

PROSPECTUS

Recessuum et Provinciarum totius Instituti Monialium a Sacris Stigmatibus S. Francisci nuncupatarum, mense Iunio 1883.

PROVINCIA THUSCIAE

Recessus 24 sequentes habet:

1. Portico, prope Florentiam. — Domus Princeps Instituti et residentia Superiorissae Maioris.

2, Concezione. — Domus Novitiatus.

3. Fantina. — Prima Domus Instituti. — Orphanotrophium.
4. Borgo S. Lorenzo. — Schola.
5. Fiesole. — Schola.
6. Cassino. - Orphanotrophium et Schola.
7. Figline. — Schola.
8. Siena S. Martha. — Orphanotrophium.
9. Bagni di Lucca. — Schola.
10. Badia a Settimo, — Schola.
11. Santa Fiora. — Schola.
12. Torrita. — Schola.
13. Arezzo — Schola.
14. Abb. S. Salvatore. — Schola.
15. Stia. — Schola.
16. Camaiore. — Schola.
17. Pisa. — Portone. — Schola.
18. Pisa — S. Michele. — Schola.
19. Gabbio. — Schola.
20. Cortona. — Schola.
21. Lucignano. — Schola.
22. Siena — S. Cuore. — Orphanotrophium.
23. Pienza. — Schola.
24. Montieri. — Schola.

PROVINCIA NEAPOLITANA.

Recessus 19 habet, ut sequitur:

1. Napoli, Tondo. — Residentia Superiorissae Minoris, Orphanotrophium et Schola.
2. Sora. — Orphanotrophium.
3. Avellino. - Orphanotrophium et Schola.
4. Castellamare. — Orphanotrophium et Schola.
5. Nusco. — Parvum Orphanotrophium et Schola.
6. Cassino. - Orphanotrophium et Schola.
7. Casoria. — Collegium surdorum et mutorum.
8. Parolise — Schola.
9. Casoria. — Parvum Orphanotrophium et Schola.
10. Andria. - Orphanotrophium et Schola.
11. Bari. — Orphanotrophium et Schola.
12. Napoli, Chiaia. — Schola.
13. Montoro. — Schola.
14. Muro. — Schola.
15. Riccia, Molise. — Schola.
16. Barra. — Probandatus et schola.
17. Minervino. — Parvum Orphanotrophium et Schola.
18. Gravina. - Orphanotrophium et Schola.
19. Modugno. — Orphanotrophium et Schola.

PROVINCIA ROMANA.

Recessus septem habet:

1. Assisi. — Residentia Superiorissae Minoris, Orphanotrophium et Domus laboris pro puellis externis.
2. Aquila — Misericordia, Orphanotrophium.
3. Aquila S. Bernardo — Brephotrophium.
4. Aquila S. Anna. — Domus Periclitantium.
5. Perugia. — Orphanotrophium.
6. Rimini — Orphanotrophium et Schola.
7. Narni — Brephotrophium.

EXTRA ITALIAM.

Scutari in Albania. — Domus Missionis, Parvum Orphanotrophium, Schola, etc.

Summa generalis:

Recessus existentes	»	51
Moniales viventes	»	517
Iuvenes probandae	»	33
Alumnae externae	»	6000
Viventes in collegio	»	650

SUOR BONAVENTURA DEL SSMO COSTATO
Sup. Magg. dell'Istituto delle SS. Stimate

III.
MISSIONES

EPISTOLA

Rmi Confratris nostri D. Episcopi Mandalensis ad Parochos suae Dioecesis de eleemosynis pro Terra Sancta colligendis.

MOLTO REV. SIGNORE

Ogni Fedele, massime se è Pastore di anime, sa quanto fortunata e sacra sia la terra di Palestina. Là è dove s'incarnò, nacque e trasse sua vita terrena il nostro Divin Redentore. Là è dove, che coll'esempio, dottrina, e miracoli, operò i più augusti misteri di nostra Religione, non risparmiando digiuni, sudori,

fatiche, anzi incontrando, dopo una vita sì stentata e laboriosa, ben volentieri la morte, e morte ignominiosa di Croce per la redenzione dell'uman genere. Da questa terra benedetta si diffuse per tutto il mondo la luce del Santo Vangelo, e dissipò le folte tenebere dell'errore. Da questa terra benedetta mossero alle varie parti del globo quei Messi del Signore che con il fuoco della carità, collo splendore degli esempi, e colla efficacia della parola, trassero al Verbo Umanato i popoli deturpati dall'errore e dall'idolatria: di là insomma venne ogni bene che ristorò l'ordine morale, religioso, e sociale.

Ora chi non vede, quale impegno, quanta sollecitudine, e direm meglio quale santa emulazione non dovrebbero avere i Cristiani, e Pastori dei medesimi per onorare quella Terra calcata co'piedi di un Dio fatto Uomo, e bagnata col divino suo Sangue pel nostro riscatto? La nostra comune Madre la Cattolica Chiesa l'ha sempre insegnato, e tuttora non cessa di suggerirlo a noi suoi Figli, inculcandoci, non già di portarci e stare colà in persona, essendo quasi impossibile, almeno per molti, ma di cooperare alla custodia, al culto di quei Santuari, affidati allo zelo dei PP. Missionari Francescani, alla conversione di tanti infedeli, all'instruzione religiosa, all'alleviamento di quei poveri cristiani, gementi sotto il tirannico giogo dei Mussulmani, colle nostre pie e generose limosine. Udite infatti, per tacere le ordinazioni di tanti altri Sommi Pontefici a questo proposito, la Bolla di Pio VI che incomincia *Inter coetera* (emanata l'anno 1778 il giorno 30 Luglio) colla quale ordina sotto precetto di *Santa Obbedienza* a tutti i Rettori, Parrochi, Amministratori delle Chiese, che esortino con efficaci parole almeno *quattro volte all'anno* i Fedeli a fare oblazioni nell'atto che spiegano loro le verità rivelate, e col mezzo di persone probe raccolgano limosine per un opera sì santa e meritoria. *In virtute sanctae Obedientiae, committimus et mandamus, quatuor saltem in anno, dum populum praesertim inter Missae celebrationem alloquuntur, personas eximiae probitatis seligant, ad colligendas eleemosynas.*

Nonostante sì pressanti ordinazioni, avendo Noi scorto, per quella conoscenza che abbiamo della Nostra Diocesi, che un tal dovere, se non è del tutto trasandato, non è però pienamente adempiuto onde è che colla presente ci facciamo un dovere di ordinare ai Parrochi, Rettori, ed Amministratori delle Chiese della nostra Città e Diocesi, che scrupolosamente eseguiscano siffatte Pontificie ingiunzioni, raccomandando quattro volte all'anno la limosina per Terra Santa, e precisamente due volte nel sacro tempo della Quaresima, e altre due in quello del Sacro Avvento, e raccolta appena, la trasmettano alla Nostra Curia Ecclesiastica, per mandarsi poi da Noi, al rispettivo Sindaco Apostolico, onde con sicurezza e senza ritardo giunga al suo destino.

Non dubitiamo punto, che V. S. voglia dare perfetta esecuzione a questo nostro doveroso ordinamento: che anzi vorrà, con quel zelo, che tanto la distingue, caldeggiare a tutta possa un opera di tanto onore a Dio, e di tanto merito a Lei ed al suo popolo per le Sante Indulgenze che i Sommi Pontefici accordarono ai pii Benefattori di Terra Santa.

E perchè di tale Nostra determinazione resti memoria, le ingiungiamo di conservare la presente in cotesto Archivio Parrocchiale, non che di accusarcene ricevimento.

La benediciamo di cuore, e coll'usata stima Ci professiamo.

D. S. V. M. R.

Poggio Mirteto dalla Nostra Residenza 29 Novembre 1883.

Dev.mo Servo

✠ Fr. Luciano Vescovo

—

ELENCHUS

Patrum Commissariorum Terrae Sanctae

—

Quum de eleemosynis pro sacra Terrae Sanctae Custodia colligendis in praecedenti epistola sermo sit, operae pretium existimamus omnium Terrae Sanctae Commissariorum Catalogum hic apponere, addito etiam intra parenthesim singulorum directione, ut facilius ad illos respective transmitti possint eleemosynae quae, data occasione, a fidelibus offeruntur.

1. Pro Italia.

Romae, Adm. R. P. Ioannes Chrysostomus a Bergomo, Min. Obs., Commissarius Generalis. (In Conventu Aracoelitano)

Neapoli, R. P. Cherubinus a Forigio, Min. Obs. (Ospizio di Montecalvario).

Venetiis, R. P. Alphonsus Maria Girelli a Verona, M. O. (Convento S. Francesco della Vigna).

Taurini, Adm. R. P. Lucas Turbiglio, M. O. (Conv. S. Tomaso)

Genuae, Adm. R. P. Petrus a Rivarolo, Min. Ref. (8, Salita della Visitazione)

Liburni, Adm. R. P. Remigius Buselli, M. O. (La Madonna)

Parmae, Adm. R. P. Aloysius Canali a Parma, M. O. (L'Annunziata)

Messanae, in Sicilia, Adm. R. P. Fridericus d'Angelo a Catania, M. O, (Ospizio di Terra Santa)

Panormi, in Sicilia. Adm. R. P. Franciscus de Blasi. M. O. (Ospizio di Terra Santa).

Vizzini, in Sicilia R. P. Carmelus Solarino a Modica, M. O. (Ospiziodi Terra Santa).

Calaris, in Sardinia, Adm. R. P. Pacificus Moj, M. O. (S. Rosalia)

Bonoruae, in Sardinia. Adm. R. P. Hilarius Masu, M. O. (Ospizio di Terra Santa).

Lavasinae. in Corsica, R. P. Hilarius ab Insula bona, M. O. (Conv. di Lavasina presso Bastia)

Melitae, in insula Melitensi, R. P. Caietanus a Melita, M. O. (S. Maria di Gesù)

2. Pro Austria et Germania.

Vindobonae, R. P. Franciscus Salesius Angeli, Commissarius Generalis, M. O. (Franziskaner Kloster).

3. Pro Gallia.

Parisiis, R. P. Victor Benardinus a Rothomago, M. O., Commissarius Generalis. (83 rue des Fourneaux)

4. Pro Belgio, Hollandia et Anglia

Gandavi, Adm. R. P. Antonius Cousaert, Min. Recoll. (5, quai aux violettes)

6. Pro Statibus Foederatis (Americae Septentrion.)

Neo-Eboraci, Adm. R. P. Carolus a Natiano, Min. Ref. (S. Francis. Church, 135 W. 31 St., New-York.

7. Pro Guatemala.

Guatemalae, R. P. Salvator Maria Medrano, M. O. (Colegio de Cristo)

8. Pro Bolivia.

Potosi, R. P. Franciscus Saenz, M. O. (Colegio de los Recoletos)

9. Pro Mexico.

Zapopan, Adm. R. P. Theophilus Sancho, M. O.

10. Pro Republica Chilena.

Santiago, R. P. Vincentius Olivieri, Min. Ref. (Capella Ossa, Hospicio de Jerusalem).

11. Pro Republica Peruviana.

Limae, Fr. Aloysius Bielli, *M. O. (En* los descalzos.)

12. Pro Brasiliensi Imperio.

Petropolis, R. P. Iosephus dall' Orto, Min. Ref. (Hospicio do Jerusalem.)

13. Pro Repub. Argentina.

Buenos Ayres, R. P. Aurelius Patrizi, Min. Ref. (38, Calle Alsina.)

14. Pro Columbia.

Santa Fe de Bogota, R. P. Hyacinthus R. Avila, M. O.

15. Pro Australia.

Sydney, R. P. Petrus Hanrahn, Min. Recoll.

Pro Hispania quoque Matriti olim aderat Pater Commissarius Generalis Terrae Sanctae; sed hodiernis temporibus per saeculares administros elemosynarum pro sacris Palaestinae Locis administrationem, quam vocant *Obre pia*, civile gubernium suscepit.

—

EPISTOLA

R. P. Placidi Toelle, Recoll. Provinciae S. Crucis, Guardiani Conventus Cairensis in Aegypto et Parochi pro latinis.

Summarium

1. Informationes de destructione exercitus ducis aegyptiani Hicks-pacha a rebellibus regionis *Soudan.* — 2. Civitas *Khartoum* imminentibus hostibus sine sufficienti defensione exposita. — 3. Rebellis ducis, qui cognominatur *Mahdi*, indoles et potentia. — 4. Ad resistendum consilium ineunt Aegyptii — 5. Missionarii Khartoum deserunt.

Le Caire, 22 novembre 1883.

Mon T. R. P. Définiteur général,

1. Nous voilà de nouveau sur le qui-vive! Les nouvelles officielles du Soudan confirment

la destruction de l'armée du général Hicks, après trois jours de combat. Des nouvelles récentes, reçues du Soudan, me permettent, tout en confirmant la teneur générale des tristes nouvelles, de vous donner quelques détails importants:

Les troupes du général Hicks, au nombre de 10,000 hommes environ, furent conduites les 1er novembre par un traître, qui leur servait de guide, dans un étroit défilé manquant d'eau. Là elles se virent entourées par l'ennemi, et incapables de se servir de leur artillerie par suite de la nature du terrain. Le 3 courant, les troupes, épuisées par la soif, furent attaquées par des forces supérieures, amenées du Kordofan et pourvues d'armes à feu. L'armée tout entière, sans une seule exception connue, fut taillée en pièces.

Vizitelly, artiste et correspondant bien connu, avec cinquante soldats environ, qui ne se trouvaient pas avec l'armée dans le défilé retournèrent au camp, ignorant ce qui s'était passé; ils furent faits prisonniers et emmenés à Obeid.

Parmi les morts se trouvent, croit-on, Hicks-pacha, commandant en chef; Ala-ed-Din-pacha, gouverneur général du Soudan; Abbas-bey, le colonel Fatesnhar, les majors de Seckendorf, Massey, Warner, Evans, Herlth; les Drs Georgio-bey et Rosenberg, M. Morris Brodie, ex-sous-officier de l'artillerie à cheval, M. O'Donovan, correspondant du *Daily News*, et d'autres pachas et beys, formant un total de douze cents officiers.

2. Le colonel Coetlogen, qui avait rétabli l'ordre au Sennaar et avait empêché que cette région envoyât des secours au Mahdi, se retira immédiatement a Khartoum en apprenant la défaite de l'armée et emmena avec lui ceux qui lui avaient apporté cette nouvelle. Il porta toute son attention sur les fortifications de Khartoum, qui, de même que Duem, se trouve en danger imminent. Là, il fut rejoint par M. Power, correspondant du *Times*, qui semble heureusement aussi avoir été absent ou s'être échappé; ce sont maintenant probablement les deux seuls Anglais survivants.

Le colonel de Coetlogen, assisté de six officiers indigènes d'état-major, aide S. E. le moudir de Khartoum à prendre les mesures nécessaires. Toutes les garnisons qui se trouvaient en dehors de la ville sont rappelées; mais toutes ensemble elles forment à peine un effectif de 4,000 réguliers. Il est très probable que Khartoum, où l'on a déjà eu à constater des indices de rébellion, sera abandonné et que le reste de l'armée du Soudan cherchera à gagner Berber.

3. Il est inutile de cacher la gravité de la situation; le Kordofan est perdu et le Soudan tout entier est en révolte. Vous comprenez, mon Très Révérend Père, la pénible impression produite dans le pays par l'annonce de ce sanglant succès du Mahdi. Cette guerre n'est plus une guerre de territoire, c'est une guerre de religion. Le Mahdi a depuis quelque temps fait preuve de beaucoup d'habileté. Il a prêché la guerre sainte, s'est dit prophète, écrit comme tel de longues lettres à ses partisans, lettres dans lesquelles il déclare que l'ange de la guerre est avec lui, qu'il vaincra les infidèles. Ses partisans déjà sont nombreux et fanatiques. Nul doute que le succès qu'il vient de remporter n'en augmente le nombre. Si on le laisse profiter de cet avantage, sa victoire d'un jour se change en triomphe et la doctrine funeste qu'il prêche court le risque de se répandre, non plus seulement au Soudan, mais en Egypte, en Turquie, dans les Indes, dans tous le pays musulmans.

Je ne veux pas jouer le rôle d'alarmiste, et faire la situation plus grave qu'elle n'est en réalité. Mais il y a là un danger sérieux. On sait ce qu'est la rébellion quand elle a pour cause et pour but le précepte sacré de religion. Le Mahdi vainqueur est par la même sacré prophète; sa parole devient article de foi; les musulmans le suivent. Il n'en faut pas plus pour amener des complications et créer une situation difficile.

4. L'Egypte a supporté assez de malheurs, souffert assez de maux, pour qu'on cherche à la préserver du nouveau danger qui la menace. Le mal est grand, sans doute, mais nous mettons notre confiance après Dieu en nos gouvernants, certains qu'en une circonstance aussi délicate ils sauront prendre des mesures à la hauteur de la situation.

En raison de ce désastre du Soudan, dont la nouvelle est parvenue au Caire le 21 courant,

un conseil extraordinaire s'est réuni à la résidence de S. Ex. Chérif-pacha, président du conseil. Assistaient au conseil sir Toelyn Baring, Eselyn Wood-pacha, Indus et le colonel Watsow. Ce conseil a siégé jusqu'à une heure avancée de la soirée, et on ne connaissait pas encore la décision prise relativement à la position critique de Khartoum. On va envoyer trois mille gendarmes à Souakim. Plusieurs officiers supérieurs de ce corps, avant de partir pour cette ville, ont reçu les saints sacrements et le scapulaire dans notre église de Terre-Sainte. Dans nos deux églises du Caire on va prêcher la Sainte Mission en trois langues. Notre communauté va faire sa retraite. *Speremus fore, ut sacerdotes et populus sint ad omnem eventum parati!*

5. Au moment où je termine ma lettre, un prêtre de la mission de Khartoum (qui a ici une résidence avec une belle église du Sacré-Cœur) vient me dire que le seul missionnaire qui restait encore à Khartoum a annoncé par télégraphe son départ de cette ville. Ce prêtre sera déjà parti avec le consul d'Autriche. Jusqu'à présent, on ne sait rien de positif sur le sort des pauvres missionnaires et des Soeurs à El-Obeid. J'espère que les musulmans traiteront ces missionnaires comme ils m'ont traité pendant la guerre au Caire l'an dernier. Je n'ai qu'à les louer. Ils furent respectueux et polis, et donnèrent deux gardes à notre église et à notre couvent. Le Divan nous passait des journaux, comme l'*Osservatore Romano* et l'*Univers*. Un général venait me prier de traduire des lettres allemandes et espagnoles, ce que je faisais avec plaisir. Les musulmans civilisés sont moins fanatiques que les sauvages du Mahdi.

Adieu, mon T. R. P., veuillez présenter mes hommages au Rév^{me} Père Général, lui dire que tous les Pères du Caire vont bien et demandent la bénédiction séraphique.

—

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

1883. Los Ritos orientales o sea coleccion de cartas sobre los ritos que se profesan en oriente y seguido de un itinerario para el viaje de Jerusalem, escritas por el Rdo P. Hugolino Masia y Lucas, M. O. Misionero Apostolico e individuo de varias sociedades cientificas. Madrid, imprenta de A. Ruiz de Castroviejo. (L. 3 et 5 extra Hispaniam.)

1883. Geschiedenis van den eerdienst van het H. Sacrament in Belgie, door den E. P. F. Stephanus Schoutens, Minderbroeder Recollect, Antwerpen, Drukkery Vanos-Dewolf, uitgever, Beurzestraat 11.

(Latine: Historia cultus erga ss. Sacramentum in Belgio, scripta a P. Stephano Schoutens, Ord. Min. Recoll. Prov. Belgii.)

1883. Manuel du Tiers Ordre de Saint François, appelé Ordre de la Pénitence, publié par les Pères Franciscains de l'Observance. Bordeaux, chez le Gérant de la *Revue Franciscaine*, route de Bayonne 266, in 18 pag. 443, prix 1 fr. 50.

1883. Narrazione storica dell' Indulgenza *della Porziuncola* e metodo pratico a ben conseguirla, aggiuntavi l'origine della corona Francescana e la novena meditata del P. S. Francesco. Terza edizione, rifatta e rifusa di un capitolo del 2 d'agosto di ogni anno e la città di Assisi colla descrizione de' luoghi santificati dalla presenza del Santo in detta città per P. Carmelo da Napoli, Lett. emerito in S. Teologia e Definitore Generale, de' Minori Riformati di Napoli. Tipografia degli Accattoncelli, in 18, pag. 200 (L. 0,50.)

1883. The Seraphic Octave, or Spiritual Retreat of eight days for all children of St. Francis of Assisi, adapted for the use of all Religious. From the Latin. of Rev. P. F. Aemilianus Nieberle O. S. F. St. Louis Mo- Published by B. Herder. — *Latine* : Octava Seraphica vel Exercitia spiritualia pro octo diebus, pro omnibus filiis S. Francisci Assisiensis, adaptata pro usu omnium Religio-

sorum, translata ex opere latino R. P. F. Aemiliani Nieberle O. S. F. (per P. Clementinum Deymann, Recoll. Prov. Ss. Cordis Iesu).

1883. KATOLIK ANAMIHAN ene kä: Iesus ot Aesechzekon Katethim as wechzekatek. St. Louis Mo., B. Herder. *Latine:* Catechismus catholicus, sive Doctrina Iesu Chisti, quae vocatur Catechismus.

Opus scriptum in lingua Indianorum Menominorum a P. Zephyrino Engelhard, Rec. Prov. S. Cordis Iesu.

1882. OMAENOMINEU KAECHKENSHAMATWOU KESEKOCH. Katolik Masenachigon. S. Louis Mo., B. Herder. *Latine:* Manuductio Menominorum ad coelum, liber precum catholicarum.

Liber scriptus in lingua Indianorum Menominorum a P. Zepyrino Engelhard, Recoll. Prov. Ss. Cordis Iesu. Est prima publicatio in dicto idiomate facta.

1883. IL CONGRESSO DEI SIGNORI E IL TERZ'ORDINE DI S. FRANCESCO. Discorso del cardinale Alimonda tenuto nella chiesa di Donna Regina in Napoli il 17 aprile 1883 (seconda edizione). Napoli. Tipografia editrice degli accattoncelli.

1883. LA QUESTIONE « DE COGNITIONIS HUMANAE SUPREMA RATIONE » DEL SERAFICO DOTTORE S. BONAVENTURA, tradotta ed annotata per Sebastiano Casara delle Scuole di Carità. Modena. Tipi di G. T. Vincenzi e Nipoti. In 8 p. 88, (L. 1 franco di porto).

V.
NECROLOGIA

—

R. P. NAZARIUS KOMMERSCHEID, Definitor Recoll. Provinciae SS. Cordis Iesu in statibus foederatis Americae septentrionalis. Natus est anno 1837 in loco Doveren in Prussia. Peractis studiis Aquisgrani et Bonnae, anno 1857 Ordinem nostrum ingressus est in Recoll. Provincia Saxoniae S. Crucis. Anno 1862 superiores eum in Americam miserunt ad Conventum Teutopolitanum, ubi eodem anno a Rmo D. Damiano Junker, Episcopo Altonensi, S. Presbyteratus ordine initiatus est. Postquam per biennium in civitate S. Ludovici in cura animarum ac schola multum laborasset, Superiores ob singularem eius pietatem ac religiosam omni ex parte conversationem dignum atque idoneum eum iudicarunt, qui novitios spiritu seraphico imbueret, ac propterea Novitiorum Instructorem instituerunt, quo officio per quinque annos cum laude et fructu functus est. Anno 1867 electus fuit Guardianus Conventus Quincyani et eodem anno ipsi concredita fuit cura parochiae S. Francisci Solani dicto Conventui adnexae, quam parochiam usque ad mortem administravit. Quo magis dona sibi a Deo data occultare studeret, prout decet Fratrem Minorem, eo magis illa elucescebant per bona, quae fecit pro animabus curae suae concreditis. Ob gravem eius infirmitatem ante tres menses contractam medici necessarium iudicarunt, ut ad tempus in Californiam se reciperet recuperandae sanitatis causa. Propterea Minister Provincialis ad Collegium nostrorum Patrum ad S. Barbaram eum ducturus die 22 Octobris cum ipso iter aggressus est. Ast Deus, qui aliter de ipso disposuerat, durante itinere eum ex hoc mundo avocavit. Nam prope locum Dallas in curru viae ferreae, dictus Pater die 24 Octobris placidissime animam efflavit. Eius exuviae ad civitatem Quincyanam reductae ac ibi inter lacrymas Confratrum et parochianorum terrae mandatae sunt.

Adm. R. P. ALOYSIUS A NEAPOLI, Lector sacrae Theologiae, et Reformatae Provinciae Neapolitanae Minister Provincialis, die 19 Iulii vertentis anni in Domino obiit, annos natus 67. Iuxta Regulam quam voverat semper vixit, et non minus ingenio quam morum simplicitate praeclarus, libros nonnullos ad animarum utilitatem conscripsit.

Nihil obstat.
FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

TABULA MATERIARUM
PERIODICI
ACTA ORDINIS MINORUM
ANNO 1883.

—

I

ACTA ROMANO-SERAPHICA

II.

ACTA ORDINIS

Ad Fratres dispersos incitamenta Seraphica

Instructio de Via S. Crucis.

Capitula Provincialia celebrata.

III.

MISSIONES,

IV.

BIBLIOGRAPHIA.

V.

NECROLOGIA.

ERRATA CORRIGE

Pag. 2. Col. 1. Lin. 27. *Compayre* lege: *Compayré*

Pag. 18. Col. 1. Lin. 30. *Obetissance* lege *Obéissance.*

Pag. 32. Col. 2. Lin. 24. *98971* adde *Francorum.*

Pag. 52. Col. 2. Lin. 46. *affidata est* lege *commissa est.*

Pag. 54. Col. 1. Lin. 15, *concertum* lege *concentum.*
Ibidem — — — Lin. 18. *Tantum* lege *Tantus.*
Ibid. — — — Lin. 19. *Zelum* lege *Zelus.*
Ibid. — — — Lin. 21. *adsignari possit*, lege *adsignare possis.*

Pag. 56. Col. 2. Lin. 26. ABABTH, lege ABARTH.

Pag. 70. Col. 2. Lin. 19. post *in Gallia 4.* adde *in Anglia 1;* et post *in Belgio 2*, adde *in Germania 2; in Croatia 1.*

Pag. 88. Col. 1. Lin. 25. *Castelleto* lege *Casselletto.*
Ibidem — — — Lin. 26. *Casselleti* lege *Castelletti.*
Ibid. — Col. 2. Lin. 21. *XVIII Kal.* lege *III Idus Maias.*

Ibid. — — — Lin. 39-40. *XVI Kal. Maias* lege *Idibus Maii.*

Pag. 92. Col. 2. Lin. 34. *designatur* lege *designantur.*

Pag. 98. Col. 2. Lin. 13. *Morassio* lege *Marassio.*

Pag. 99. Col. 2. Lin. 3. *470 infantes*, lege *4070 infantes.*

Pag. 108. Col. 2. Lin. 37. *diligentente* lege *diligentemente.*

Pag. 119. Col. 1. Lin. 43, *ammonier*, lege *aumônier.*

Pag. 120 Col. 1. Lin. 33. *celebrarentur*, lege *celebraretur.*

Pag. 124. Col. 2. Lin. 4. *pradibunt* lege *prodibit.*
Ibidem — in nota — *Adscribi* lege *adscribit.*

Pag. 125. Col. 2. Lin. 20. *difficillibus*, lege *difficillimis.*

Pag. 131. Col. 1. Lin. 9. *Hosman*, lege *Hofman.*
Ibidem — Col. 1. Lin. 10. *Brockman*, lege *Broekman.*

Pag. 135. Col. 1. Lin. 37. *Mombirazzi* lege *Mombirozzo vel Monte Barroccio.*

Pag. 138 Col. 1. Lin. 40. *quaque* lege *quaeque.*

Pag. 145. Col. 1. Lin. 43. *est* lege *et.*

Pag. 150. Col. 2. Lin. 3. *Sancte Thomae*, lege *Sancti Thomae.*

Pag. 168. Col. 1. Lin. 2. *1881.* lege *1883.*

Pag. 172. Col. 1. Lin. 15. *suppositare*, lege *suppeditare.*

Pag. 185. Col. 2. Lin. 35. *pubiished*, lege *published.*

Pag. 186. Col. 2. Lin. 16. *Officium*, lege *Officio.*

—

ACTA
ORDINIS MINORUM

SUMMI PONTIFICIS BENEDICTIO
PRO COLLEGIO GENERALI

Rmus P. Minister Generalis, una cum Patribus sui Definitorii, haud parvam in DOMINO consolationem percepit ex eo quod viderit omnibus Ordinis Provinciis, ad quas hucusque litterae suae diei 12 Novembris 1883 pervenerunt, valde probari propositum de novo Collegio in Urbe erigendo, easque et plerosque etiam Fratres extra claustra vi suppressionis dispersos coepisse pro viribus eleemosynas mittere ad tantum opus inchoandum.

Quibus omnibus dum gratias ex animo agit, et benedictionem S. P. Francisci adprecatur, subiicit, ut exinde magis ac magis excitentur, adprobationem et benedictionem a Summo Pontifice per Eminentissimum Cardinalem Ordinis Nostri Protectorem amantissimum ad preces Rmi P. Ministri Generalis indultam.

Beatissimo Padre

Fra Bernardino da Portogruaro, Ministro Generale di tutto l' Ordine dei Minori, prostrato ai piedi di V. Santità, si fa un dovere di esporre che, con consiglio e consenso del suo Definitorio Generale, ha deliberato di erigere qui in Roma un Collegio abbastanza vasto per accogliervi i giovani Religiosi del suo Ordine di tutte le nazioni, i quali, compito il corso passivo della Teologia, verrebbero a questo Centro della fede, della pietà, e dei buoni studii per attendere di proposito a perfezionarsi, chi in un ramo, chi in un altro, delle scienze divine ed umane, secondo il genio e l' attitudine di ciascuno, e la designazione della santa obbedienza: affinchè così l' Ordine abbia uomini profondi in ogni scienza a servizio della Santa Chiesa, e le diverse Provincie dell' Ordine abbiano professori e maestri debitamente preparati.

A questo scopo, e confidando sempre nella divina Provvidenza, l' Ordine ha deliberato di acquistare un terreno abbastanza spazioso nell'antica Villa Massimo, presso S. Giovanni Laterano, per erigere quivi dai fondamenti il designato Collegio; e forse anco per trasferirvi la Residenza Generalizia, se il SIGNORE vorrà permettere la minacciata demolizione dell' antica e venerata Residenza Aracelitana.

Ma perchè, *nisi* DOMINUS *aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam,* ad assicurare alla grande impresa l'aiuto dell'Onnipotente, il suddetto Ministro Generale insieme coi Padri del suo Definitorio implora umilmente e istantemente per sè, per l' opera che si va a imprendere, pei benefattori che colle loro limosine concorreranno a compierla, e per tutto l'Ordine la benedizione del Vicario di GESÙ CRISTO; nella viva fiducia o

meglio nella certezza, Beatissimo Padre, che ciò che Voi avrete benedetto in terra sarà benedetto anche in cielo.

Ex Audientia SSmi, die XVI Novembris an. 1883.

SSmus Dominus LEO XIII P. M., me infrascripto referente, consilium hisce litteris declaratum, quod spectat ad Aedem in Urbe construendam pro iunioribus Religiosis Ordinis Minorum ex omni natione, ut ipsi, emenso Theologiae curriculo, possint, in ipsa Catholicae Religionis sede, pro sui cuiusque ingenii indole et Moderatorum prudenti iudicio, divinis quibusque et humanis disciplinis praecipuam operam navare et ad solidam in iis plenamque scientiam opportune proficere, Sua approbatione et commendatione dignissimum duxit: et cum firmiter confidat, ex huiusmodi operis molitione magnas utilitates obventuras esse tum Ordini universo, cuius splendor et decus Sanctitati Suae maximae curae est, tum Ecclesiae Dei, quae administros, hoc praesertim tempore, non virtute solum sed solida etiam scientia praestantes postulat; idcirco summopere cupit auspicem esse propitiae Dei opis Apostolicam Benedictionem, quam Rmo P. Ministro Generali, Patribus Definitoribus, cunctisque Fratribus Ordinis Minorum, ac omnibus qui memoratum opus pia liberalitate iuverint, ad faustum felicemque totius rei exitum ex intimo corde peramanter impertit.

Aloysius Card. Bilio
Protector Ordinis Minorum

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

BREVE APOSTOLICUM

Quo Rosarii recitatio commendatur et additio decernitur Litaniis Lauretanis

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Salutaris ille *spiritus precum*, misericordiae divinae munus idem et pignus, quem Deus olim effundere pollicitus est *super Domum David et super habitatores Ierusalem*, etsi numquam in Ecclesia catholica cessat, tamen experrectior ad permovendos animos tunc esse videtur cum homines magnum aliquod aut ipsius Ecclesiae aut reipublicae tempus adesse vel impendere sentiunt. Solet enim in rebus trepidis excitari fides pietasque adversus Deum, quia quo minus apparet in rebus humanis praesidii, eo maior esse caelestis patrocinii necessitas intelligitur. — Quod vel nuper perspexisse videmur, cum Nos diuturnis Ecclesiae acerbitatibus et communium temporum difficultate permoti, pietatem christianorum per epistolam Nostram Encyclicam appellantes, Mariam Virginem sanctissimo Rosarii ritu colendam atque implorandam Octobri mense toto decrevimus. Cui quidem voluntati Nostrae obtemperatum esse novimus studio et alacritate tanta, quantam vel rei sanctitas vel caussae gravitas postulabat. Est enim neque in hac solum Italia nostra sed in omnibus terris pro re catholica, pro salute publica, supplicatum: et Episcopis auctoritate, Clericis exemplo operaque praeeuntibus, magnae Dei Matri habitus certatim honos. Et mirifice sane nos declaratae pietatis ratio multiplex delectavit: templa magnificentius exornata: ductae solemni ritu pompae: ad sacras conciones, ad synaxin, ad quotidianas Rosarii preces magna ubique populi frequentia. Nec praeterire volumus quod gestienti animo accepimus de nonnullis locis, quos procella temporum vehementius affligit: in quibus tantus extitit fervor pietatis, ut presbyterorum inopiam privati redimere, quibus in rebus possent, suomet ipsi ministe-

rio maluerint, quam sinere ut in templis suis indictae preces silerent.

Quare dum praesentium malorum sensum spe bonitatis et misericordiae divinae consolamur, inculcari bonorum omnium animis intelligimus oportere, id quod sacrae Litterae passim aperteque declarant, sicut in omni virtute, sic in ista, quae in obsecrando Deo versatur, omnino plurimum referre perpetuitatem atque constantiam. Exoratur enim placaturque precando Deus: hoc tamen ipsum, quod se exorari sinit, non solum bonitaris suae, sed etiam perseverantiae nostrae vult esse fructum. — Talis autem in orando perseverantia longe plus est hoc tempore necessaria, cum tam multa Nos tamque magna, ut saepe diximus, circumstent ex omni parte pericula, quae sine praesenti Dei ope superari non possunt. Nimis enim multi oderunt *omne quod dicitur Deus et colitur:* oppugnatur Ecclesia neque privatorum dumtaxat consiliis, sed civilibus persaepe institutis et legibus: christianae sapientiae adversantur immanes opinionum novitates, ita plane ut et sua cuique et publica tuenda salus sit adversus hostes acerrimos, extrema virium coniuratos experiri. Vere igitur huius tanti praelii complectentes cogitatione certamen, nunc maxime intuendum animo esse censemus in Iesum Christum Dominum Nostrum, qui quo Nos ad imitationem erudiret sui, *factus in agonia prolixius orabat.*

Ex variis autem precandi rationibus ac formulis in Ecclesia catholica pie et salubriter usitatis, ea, quae Rosarium Mariale dicitur, multis est nominibus commendabilis. In quibus, quemadmodum in Litteris Nostris Encyclicis confirmavimus, illud permagnum, quod est Rosarium praecipue implorando Matris Dei patrocinio adversus hostes catholici nominis institutum: eaque ex parte nemo ignorat, sublevandis Ecclesiae calamitatibus idem saepe et multum profuisse. Non solum igitur privatorum pietati, sed publicis etiam temporibus est magnopere consentaneum, istud precandi genus in eum restitui honoris locum, quem diu obtinuit, cum singulae christianorum familiae nullum sibi abire diem sine Rosarii recitatione paterentur. His Nos de causis omnes hortamur atque obsecramus, ut quotidianam Rosarii consuetudinem religiose et constanter insistant: idemque declaramus, Nobis esse in optatis ut in Dioeceseon singularum templo principe quotidie, in templis Curialibus diebus festis singulis recitetur. Huic autem excitandae tuendaeque exercitationi pietatis magno usui esse poterunt familiae Ordinum religiosorum, et praecipuo quodam iure suo sodales Dominicani: quos omnes pro certo habemus tam fructuoso nobilique officio minime defuturos.

Nos igitur in honorem magnae Dei genitricis Mariae; ad perpetuam recordationem implorati ubique gentium per mensem Octobrem a purissimo Eius Corde praesidii: in perenne testimonium amplissimae spei, quam in Parente amantissima reponimus: ad propitiam eius opem magis ac magis in diem impetrandam, volumus ac decernimus, ut in Litaniis Lauretanis, post invocationem, *Regina sine labe originali concepta*, addatur praeconium: *Regina sacratissimi Rosarii, ora pro nobis.*

Volumus autem, ut hae Litterae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterum permaneant: irritum vero et inane futurum decernimus, si quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIV Decembris, An. MDCC CLXXXIII, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Th. Card. Mertel.

—

DECRETUM S. R. C.

Concernens praedictam additionem

URBIS ET ORBIS

Ad praesidium columenque militantis Ecclesiae virum sanctissimum excitavit misericors Deus, Dominicum Guzmanum, inclitum Ordinis Praedicatorum conditorem et patrem, qui pugnare pro Ecclesia catholica aggressus est, maxime precatione confisus, quam Sacri Rosarii Mariani nomine primus instituit, et per se suosque Alumnos longe lateque disseminavit. Admirabilem hanc orandi formulam nobilis instar tesserae christianae pietatis Catholici semper habere consueverunt. Quare vix ac Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII ad opem a Iesu Christo per Mariam Virginem

Eius Matrem praesentibus necessitatibus impetrandam, integrum mensem Octobrem Rosarii precibus in toto Catholico Orbe hoc anno exigendum, encyclicis datis Litteris, indixit; ubique sacrorum Antistites et fideles populi, supremi Pastoris voluntati obtemperantes, frequentissima Rosarii recitatione pietatis suae et dilectionis erga DEI Matrem peramantissimam splendida argumenta exhibuerunt, certam spem foventes se, eadem Beatissima Virgine opitulante, a caelesti misericordiarum PATRE in praesentibus tam privatis, quam communibus christianae reipublicae calamitatibus efficacius optata subsidia impetraturos.

Iamvero Sanctissimus idem Dominus Noster summopere cupiens tum augeri cultum erga ipsam augustam DEI Genitricem hac praesertim orandi consuetudine eidem Virgini gratissima, tum Christifideles ad hoc obsequium Ei praestandum magis magisque excitari, humillimas preces sibi oblatas a Rmo Patre Iosepho Maria Larroca, Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, nimirum ut Litaniis Lauretanis addendam indulgeat Reginae a Rosario invocationem, quam iamdudum apud Dominicanam Familiam in usu est, benigne ac perlibenter excepit. Voluit propterea Sanctitas Sua praecepitque, ut ceteris Litaniarum Lauretanarum beatae MARIAE praeconiis, et hoc in Ecclesia universa in posterum addatur postremo loco, scilicet: « *Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis.* »

Mandavit praeterea super his expediri Litteras in forma Brevis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 10 Decembris 1883.

D. CARD. BARTOLINIUS S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secret.

—

DECRETUM S. R. C.

Quo omnibus Urbis et Orbis Sacerdotibus post Missas privatas quaedam preces praescribuntur.

URBIS ET ORBIS

Iam inde ab anno MDCCCLIX sa. me. Pius PP. IX, ad impetrandam DEI opem, quam tempora difficilia et aspera flagitabant, praecepit, ut, in templis omnibus Ditionis Pontificiae, certae preces, quibus sacras Indulgentias adiunxerat, peracto sacrosancto Missae sacrificio, recitarentur. Iamvero gravibus adhuc insidentibus malis, nec satis remota suspicione graviorum, cum Ecclesia catholica singulari DEI praesidio tantopere indigeat, Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII opportunum judicavit, eas ipsas preces nonnullis partibus immutatas toto orbe persolvi, ut quod christianae reipublicae in commune expedit, id communi prece populus christianus a DEO contendat, auctoque supplicantium numero divinae beneficia misericordiae facilius assequatur. — Itaque Sanctitas Sua per praesens Sacrorum Rituum Congregationis Decretum mandavit, ut in posterum in omnibus tum Urbis tum catholici orbis Ecclesiis preces infra scriptae, ter centum dierum Indulgentia locupletatae, in fine cuiusque Missae sine cantu celebratae, flexis genibus recitentur, nimirum:

« *Ter* Ave MARIA, etc.

Deinde dicitur semel Salve Regina, *et in fine:*

℣. Ora pro nobis sancta DEI Genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus CHRISTI.

OREMUS

DEUS, refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, et praesta; ut, intercedente gloriosa et Immaculata Virgine DEI Genitrice MARIA, beato Iosepho, ac beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, quod in praesentibus necessitatibus humiliter petimus, efficaciter consequamur. Per eumdem CHRISTUM Dominum nostrum.

℟. Amen ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die Epiph. Dom. VI Ian. MDCCCLXXXIV.

D. CARDINALIS BARTOLINIUS
S. R. C. PRAEFECTUS

L. ✠ S.

Laurentius Salvati *Secret.*

—

RESCRIPTUM

S. C. EPISCOP. ET REGULAR.

Quo declaratur Conventus et Ecclesias Religiosorum suppressorum retineri posse a piis associationibus, salvis tamen iuribus Religiosorum.

« *Beatissimo Padre,*

« Il Vescovo N. N. umilmente espone alla S. V. che, ritrovandosi nove monasteri di Religiosi soppressi dalle ultime leggi eversive d' Italia nella sua diocesi, i rispettivi locali sono stati dal Governo ceduti ai municipii, per opere di pubblica utilità, e sono adibiti ad ospedali, a scuole, a ricoveri di mendicità, o ad asili d' infanzia: opere dirette in varii luoghi e con molto zelo dalle benemerite figlie di S. Anna.

« Le chiese poi sono officiate per lo più da sacerdoti secolari, col consenso dei medesimi Municipii. Ora desiderando che nella sua diocesi tutto proceda con regolarità e con quel maggior accordo che è possibile tra le autorità amministrative ed ecclesiastiche (accordo sommamente vantaggioso agli interessi della religione), supplica la Santità Vostra di volerlo abilitare con l'apostolica venia per le predette cose, salvi sempre i diritti dei Regolari, cui le case o le chiese appartengono. Che ec.

« Sacra Congr. Emorum ac Rmorum S. » R. E. Cardinalium negotiis ac consultatio- » nibus Episcoporum et Regularium praepo- » sita, attentis expositis, censuit rescribendum, » prout rescripsit : *In praesenti rerum statu* » *tolerandum, salvis iuribus Religiosorum.* Da- » tum Romae ex Secretaria S. Congregatio- » nis praelaudatae, hac die 25 Iunii 1883. »

« I. CARD. FERRIERI PRAEF.

I. Masotti, *secret.* »

—

II.

ACTA ORDINIS

—

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

STRICTIORIS OBSERVANTIAE

SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI

IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROVINCIAE EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
S. R. C. CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS,

Plurimum in Christo Iesu dilectis Venerabilibus Patribus, Fratribus et Monialibus sibi subiectis salutem et consolationem in Spiritu Sancto.

Quod gravis aetas et diminutae vires praetimere iam faciebant, ecce contigit: scilicet, die nona huius mensis *Illmus et Rmus Bernardinus Trionfetti a Montefranco,* ex Minister Generalis Ordinis Nostri, Episcopus titularis Capharnai, in S. Conventu Sanctae Mariae Angelorum prope Assisium, sanctis Ecclesiae Sacramentis munitus, inter confratrum lacrymas, in osculo DOMINI, diem obiit supremum.

Qualis, et quantae virtutis fuerit ipse, optime noverunt qui propius inspicere et familiarius cum ipso versari potuerunt.

Humili loco natus in oppido Montisfranci Dioecesis Spoletanae in Umbria, die 18 Octobris anni 1803, nunquam, licet ad supremas dignitates evectus, patriae conditionis erubuit; ita ut quadam vice aliis quibusdam ex Ordine nostro Episcopis libera, uti solebat, voce diceret: nisi Fratres fuissemus, nec Episcopi essemus, sed ego et vos humiles ruricolae, operantes terram.

Ingressus in Ordinem, die 5ª Octobris anni 1820 S. Regulae professionem emisit in S. Recessu Ameriae: deinde, studiorum cursu absoluto, Concionator et Lector renunciatus est. Anno vero 1841 Minister Provincialis suae Observantis Provinciae Seraphicae electus, mirum est qua constantia et prudentia tum in hoc munere, tum Guardianum agens S. Conventus S. Mariae Angelorum, regularem observantiam, vitam communem, religiosam disciplinam instaurare, confirmare, fovere sategerit. Custos Terrae Sanctae deinde in Palaestinam

missus, difficillimam rerum conditionem, propter statutam nuper Patriarchae Hierosolymitani in loco residentiam, ita forti ac devoto Ordinis iuribus animo sustinuit, ut idem universus Ordo in Capitulo Generali in hoc Conventu Aracoelitano die 10 Maii anni 1856 sub praesidentia SS. Pii Pp. IX celebrato, eum per Patres Vocales fere unanimi suffragio elegerit in Ministrum Generalem totius Ordinis.

Quo in munere officii sui partes omnes summa diligentia et sollecitudine adimplens, multas Ordinis Provincias visitavit, Constitutiones generales pro Cismontana Familia una cum Patribus Definitorii Generalis revidit, statuta novissima studiis regendis auctoritate apostolica edidit, bonos fovit, rebelles coercuit, fratrumque suorum vere patrem sese semper exhibuit.

Absoluto autem sexennio sui Ministeriatus, die 25 Septembris anni 1862 a Summo Pontifice s. m. Pio Pp. IX Episcopus creatus est unitarum Dioeceseon Terracinae, Setiae et Priverni, quas per septemdecim annos incredibili sui abnegatione, prudentia et charitate gubernavit, omnium animos sibi devinciens, ita ut, turbatis publicis rebus, nemo auderet quidquam contra illum pertentare, et ad quietem claustri sponte revertentem populus et omnium ordinum cives omni honoris significatione, non sine lacrymis, discessum illius lamentarentur.

Illud enim Vir iste vere religiosus semper in votis habuerat, ut sibi aliquando liceret ad claustrum perdilectum Sanctae Mariae Angelorum se recipere ibique mori; solitus dicere, satis sibi esse si vel aedituus praedictae Basilicae esse posset. Et vero statim ac claustrum illud e manibus exterorum ad fraternas manus devenit, nullam amplius moram passus est Vir piissimus, sed institit apud Summum Pontificem, et tandem impetravit ut, dimisso Episcopatus onere, ad vitam religiosam in claustro redire posset. Quo reversus, mirum fuit quomodo actus omnes communes, quos vocant, chori, mentalis orationis, refectorii fideliter, ut simplex quisque religiosus, et ad exemplum sequeretur, auctoritate sua non aliter utendo nisi ut regularis disciplinae observantiam apud ceteros fratres et praesertim apud succrescentem iuventutem urgeret. Utinam porro placuisset Deo tam pretiosam vitam diutius nobis conservare! At iam fere ab anno asthmatis morbo afflictus, die vero 4 huius mensis Ianuarii apoplexia correptus, die 9, ut praediximus, obdormivit in Domino.

Pro cuius anima, si forte adhuc suffragio indigeat, praecipimus, ad normam Constitutionum generalium Ordinis Nostri N° 203, *ut omnes Sacerdotes applicent Missam unam: Conventus aliam solemnem cum vigilia Defunctorum: clerici et laici unam coronam et unam stationem.*

Demum seraphicam benedictionem Vobis omnibus peramanter impertimus.

Dat. Romae, ex Aracoeli, die 14 Ianuar. an. 1884.

Humil. in Dno servus
Fr. Bernardinus, Min. Glis.

De mandato P. S. Rmae
Fr. Petrus a Monsano
ex Prov. *Secretarius Glis Ordinis.*

—

AD FRATRES DISPERSOS

INCITAMENTA SERAPHICA.

XIII.

Magna perturbatio Gallicana et religiosorum Ordinum dira persecutio.

Ad intentum a nobis scopum in praesenti tractatu sufficere potuisset enarratio eorum quae Ordinis nostri Religiosi sustinenda habuerunt et laude digna peregerunt saeculo XVI, dum seraphico ardore succensi suis claustris fuerunt exturbati.

Haec prae oculis habentes Fratres nostri hisce temporibus violenter suppressi, ad imitanda tanta virtutum exempla non incitari non possunt.

Quoniam autem ex ipso malo novit Deus elicere bonum, et cum afflictiones et iustae poenae ab Ipso pro peccatis immissae, sanctum timorem ut plurimum incutiunt et homines ad saniora non raro perducunt, pauca

quaedam iuxta historiae scriptores dicemus de perturbatione Gallicana et de Religiosorum tunc temporis persecutione, de Ordinis nostri statu durante hac tempestate deinceps acturi.

Quam terribilis fuerit illa catastrophe atque rerum omnium perturbatio, modernus quidam scriptor sequentibus verbis generatim exponit:

« Haec generalis rerum conflagratio anno 1789 in Galliis orta, velut virga furoris DOMINI, propter populorum et principum peccata excitati, universam Europam percussit. Tanta sub epochae huius initia tempestas contra Ecclesiam et Societatem excitata est, ut saevior post hominum memoriam vix nota sit. Impietas sub specioso philosophiae nomine quaquaversum palmites suos extendit, depressoque Religionis imperio, disruptis societatis vinculis, laxatis licentiae habenis, longe lateque dominata est; res publica sacra et civilis percutionibus saevis cruentata, factionibus sibi invicem quassata, bellis teterrimis concussa.

» Tales fuerunt incredulae Sophiae effectus atque sequelae, non tantum in Gallia, sed qua late anarchiae Francicae auctores et fautores victricia arma protulerunt, religio fuit proscripta; ministri eius carceribus mancipati vel in exilium eiecti; Ordines religiosi suppressi, eorumque bona nationi adiudicata; dies festi abrogati; veri Numinis cultus abolitus; sacrum humanae redemptionis signum deiectum, altaria eversa, templa spoliata, destructa, impio cultu profanata; ipse *Christi* in terris Vicarius Pius Papa VI, in se suisque cardinalibus, praelatis et subditis, saturatus opprobriis, Sede sua avulsus, in Hetruriam deinde in Galliam abductus. Uno verbo tanta tempestas in Ecclesiam saeviit, totque procellis navicula Petri fuit agitata, ut iam impii triumphos agerent, et Pium VI Pontificum ultimum esse, laetabundi occinerent.

Actum dixisses de Ecclesia catholica, si infallibili veritate non constaret, inferni portas contra eam nunquam posse praevalere.

Terribilis illa tempestas et rerum omnium perturbatio a multo iam tempore fuerat praeparata. Hanc imprimis et praecipue provocarunt ipsi reges et principes, dum Romanorum Pontificum auctoritatem imminuere eorumque iura sibi arrogare voluerunt; quo factum est post aliquot annos ut non modo religiosae sed et civilis independentiae genius, libertatis amor, novique regiminis cupido diversas hominum classes invaserint et horrenda tandem illa catastrophe eruperit.

Tantis malis prae caeteris viam paravit ipse Ludovicus XIV, rex Galliae, qui cum optime meritus esset de Religione catholica, et praeclaras victorias contra alios reges retulisset, superbia tandem elatus eadem potestate absoluta, qua in civilibus, etiam et in ecclesiasticis rebus imperare voluit. Hinc dissidiis turbisque magnis inter Romanam Curiam et regnum Gallicanum causam dedit, praesertim occasione quaestionis *Regaliae* (1) et Declarationis dictae *Gallicanae*, quam ipse potissimum excitavit et promovit, et quae Sanctae Sedi adeo fuit iniuriosa et Ecclesiae catholicae adeo funesta (2).

Fieri sane non potuit, quin in illo conflictu contra Sedem Apostolicam Religio ipsa contemptui non haberetur, et pietas fidelium in dies non refrigesceret.

Dictam rebellionem in Romanum Pontificem, quam etiam Ludovicus XV infeliciter exercuit, dum in suo regno de religiosis tractaretur iugiter fovebant Iansenistae, regalistae et philosophi, alium scopum non habentes quam ut hac ratione Religionem catholicam destruerent et ipsam potestatem civilem debilitarent (3). Hinc etiam in variis Europae regnis suos habebant asseclas qui gubernia contra Sedem Apostolicam modis omnibus incitarent.

Et revera, religiosae independentiae genius alios tum reges et principes invaserat, quo-

(1) Reges Galliae, tolerantibus RR. Pontificibus, consueverant percipere fructus episcopatus vacantis et conferre illo tempore omnia eiusdem episcopatus beneficia non curata; quod vocabant ius regaliae. Ludovicus XIV regaliam, certis limitibus conscriptam, ad omnes totius ditionis suae dioeceses, summopere renitente Innocentio papa XI, extendere voluit.

(2) Multi antistites Galli cum rege contra Pontificem consenserunt, scilicet 34 secundum alios 40, qui eum hortati sunt ut ad servandam Regaliam generalia cleri comitia Parisiis indiceret anno 1681, in quibus infelix declaratio Gallicana edita fuit.

(3) Impii huius temporis intendebant etiam destructionem regiae potestatis et introductionem maximae independentiae et licentiae moralis ac politicae.

Notum est illud Diderotii dictum: nationes non prius fore beatas, quam ultimus regum intestinis ultimi sacerdotis esset suffocatus.

rum antesignanus fuit Imperator Iosephus II, qui ad innovandam rem ecclesiasticam edicta edictis cumulavit, quibus non solum Pontificis auctoritatem sibi arrogabat, sed maxima mala Ecclesiae suis decretis intulit.

Iosephus II non tantum in suis Statibus rem ecclesiasticam perturbavit, sed etiam alios principes ad innovationes, ecclesiarum iuribus, paci et prosperitati adversas, excitavit.

Multa etiam in rebus ecclesiasticis innovanda suscepit Leopoldus, magnus dux Hetruriae, fratris sui Iosephi II exemplo et Scipionis Ricci, episcopi Pistoriensis et Pratensis, consiliis excitatus.

Pariter in utraque Sicilia Ferdinandus rex IV seu potius Tanucci, primarius eius administer, multigenas et diuturnas RR. Pontificibus Clementi XIII, Clementi XIV et Pio VI vexationes suscitavit.

In Lusitania Administer de Pombal sub imbecilli rege Iosepho I rerum ecclesiasticarum statum susdeque vertit, episcopos arbitrio suo subdidit et obsistentes e sedibus repulit: novarum doctrinarum propagationi favit, earumque magistris cathedras concredidit, et Apostolicae Sedi in omnibus adversatus est.

Dum Ecclesiae hostes in omnibus illis regnis Pontificiam impugnabant auctoritatem, et simul impia scripta propagabant ut Religionem catholicam destruerent, non ignorabant, religiosos Ordines maximum et praecipuum esse Ecclesiae et S. Sedis sustentaculum, atque illis subsistentibus, pietatis sensus e cordibus fidelium penitus tolli non posse; hinc eadem audacia et astutia in illos invehere coeperunt, ut eos vel abolerent vel diminuerent; quod et effectui mandarunt incipiendo a suppressione perillustris Societatis Iesu.

Notissimum est, Patres Iesuitas ab ipsa Societatis origine et deinceps de Religionis defensione, de haeresum et irreligionis expugnatione, de animarum salute, de studiosae iuventutis institutione, deque litterarum et scientiarum incrementis praeclarissime meruisse. Quapropter mirum non est illos odio fuisse omnibus novatoribus, Protestantibus, Iansenistis, maxime vero Sophistis seu incredulis huius temporis. Hinc ad perficiendum impium suum contra Religionem certamen, noverant imprimis deficiendos esse praecipuos illius defensores: unde etiam in destructionem Societatis Iesu ubique conspirarunt. Ipsi reges et principes catholici a perversis suis ministris et consiliaribus fascinati, se hostibus iunxerunt, et non prius quieverunt quam in suis Statibus Religionem validissimo suo propugnaculo spoliassent.

Verum Iesuitarum hostes haud pacati quamdiu illorum institutum alibi existeret, omnes vires in id intenderunt, ut istud decreto Pontificio ubique abrogaretur; quod circumstantiis pressus et quasi compulsus efficiendum iudicavit Clemens XIV anno 1773. (1)

Societate Iesu abolita, ad reliquos etiam Ordines religiosos minuendos aut plane extinguendos studia contulerunt. Per eos enim fidem et pietatem in populo maxime conservari, ingenue fatebantur pseudophilosophi illius temporis; unde eorum suppressionem necessariam esse pro Ecclesiae destructione collatis consiliis statuerunt eorum coryphaei (2). In hunc finem, tum in colloquiis tum in scriptis, vitam monachorum ut otiosam, inutilem, superstitiosam traducebant; detrimenta, quae e coenobiorum multitudine reipublicae civili obvenire dicebant, exaggerabant; imperantibus civilibus persuadebant, ut exhaustos passim redditus publicos suppressorum monasteriorum bonis restaurarent. Quum autem in plerisque aulis ministri essent sophistarum doctrinis imbuti, publica decreta impetrata sunt, quibus membra singulorum monasteriorum ad certum numerum, donationes quae eis fierent, ad certam summam restringebantur, variae reformationes in coenobiis praescribebantur, nonnulla monasteria vel integri Ordines supprimebantur.

In Lusitania Iosephus I consilio primarii sui ministri de Pombal plures religiosas congregationes suppressit. In Gallia Ludovicus XV, pravis administrorum suorum consiliis excitatus, anno 1766 quinque regios consiliarios totidemque episcopos constituit, qui omnia monasteria Galliae visitarent, eorum

(1) Agendi modum huius Pontificis excusat ipse Gonzalez in opere *Le Pape*, chap. XII.

(2) Cfr. Prat. S. I. *Essai sur la destruction des Ordres religieux en France*, ubi p. 145 referuntur hac de re sententiae impiorum d'Alembert, Voltaire et Friderici II regis Borussiae.

statum cognoscerent, et modum eadem reformandi proponerent. Commissarii, inter quos erat Archiepiscopus Tolosanus, sophistarum principiis infectus et monasticis institutis oppositus, praeter alia decreta inutilia, proposuerunt plura, lente monasteriorum extinctioni propria. In primis plura monialium monasteria in canonias mutata sunt, in quibus feminae, praesertim nobili genere natae, commode viverent: postea minorum conventuum et abbatiarum, in quibus saltem quindecim Religiosi non degerent, abolitio decreta; statutum etiam, ut idem Ordo nonnisi unam in eadem civitate domum haberet. Iidem commissarii *clam* discordias inter monachos disseminabant, et immorigeris ac disciplinae impatientibus patrocinium praestabant. Quo factum est, ut coenobia diffamarentur, et iam ante revolutionis initia plus 1000 forent suppressa.

Ut idea habeatur damnorum quae dicti *Commissarii*, instigantibus potissimum *Iansenistis*, suis decretis Ordini Minoritico intulerunt in Gallia, ab anno 1770 ad annum 1790 quo universalis facta est Ordinum religiosorum suppressio, sequens inservire potest tabula ex Archivio Nationali extracta (1)

	Conventus	Religiosi professi Anno 1770	Anno 1790
Conventuales	48	320	
Observantes	287	2,300	1,544
Recollecti	223	2,534	1,558
Capucini	423	4,397	2,674

Anno 1767 etiam Venetiarum Senatus cleri sui regularis reformationem et reductionem aggressus est, et ex consilio eorum, quibus monasticae rei cognitionem in universa republica commiserat, praeter alia plura decrevit, ut monasteria, minoribus redditibus instructa, abolerentur: quibus postea etiam maiora quaedam addita sunt. Eodem tempore ab Augustissima imperatrice Maria Theresia decreta impetrata sunt, quibus minor dos pro novitiorum susceptione et maior aetas pro eorum professione praescribebatur; numerus monachorum pro singulis coenobiis secundum locorum indigentias definiebatur, et praepositi in visitatione Monasteriorum, sibi subditorum, atque in omnibus fere suis negotiis et actibus a consensu regiminis civilis dependentes reddebantur.

Iosephus II, Mariae Theresiae filius et anno 1780 successor, plurima utriusque sexus monasteria, in omnibus terris sibi subiectis, abolevit, praesertim ea, quorum incolae non nisi vitae contemplativae dedicati erant, et sanctimonialium paucis exceptis. Numerus monasteriorum, a Iosepho II sublatorum, 400 excessit, e quorum bonis sic dicti fundi Religionis et scholarum formati sunt. Praeterea monasteriis non sublatis, pro tempore indefinito interdictum fuit suscipere novitios, multaque circa eorum constitutionem et vivendi rationem innovata, v. g. exemptiones abrogatae, omnis nexus cum extraneis sublatus, collectiones stipis et missiones prohibitae, gradus honoris vel magistri vel definitoris abrogati, novus modus eligendi Superiores praescriptus, horumque in subditos potestas limitata. Similes monasteriorum reformationes introduxit, eaque etiam ad minorem numerum restrinxit Iosephi II frater Leopoldus magnus dux Hetruriae. Illorum exemplum secutus est Ferdinandus IV, rex utriusque Siciliae, qui communione regularium regni sui cum extraneis prohibita, constitui curavit Vicarios generales, a praepositis generalibus, Romae residentibus, quidem approbatos, sed ab eis independentes. Caeterum sub eo monasteria pauca in regno Neapolitano, nulla vero in Sicilia sublata sunt.

His aliisque mediis fere ubique vexabantur Ordines religiosi, ut vel paulatim extinguerentur vel a vero suo spiritu deflecterent: donec tandem anno 1790 a Congregatione Nationali in toto Francorum territorio fuerunt suppressi, vota monastica, vel nativae libertati contraria, abolita, Religiosi utriusque sexus e coenobiis pulsi, eorumque bona nationi addicta.

Haec autem executioni mandarunt Ecclesiae hostes antequam ulteriora et graviora mala Religioni Catholicae ac dignitati regiae inferrent; quod quippe fecerunt anno 1793, dum Ludovicum XVI in ius vocatum capitis damnarunt, divinum cultum in toto Galliae territorio proscripserunt, atque alia horrenda exercuerunt, quae initio huius paragraphi breviter recensuimus.

(1) Cfr. P. Leopoldum de Chérancé, Ord. Min. Cap. *Saint François d'Assise.*

Cum autem alii reges et principes Apostolicam Sedem et religiosos Ordines pariter persecuti sunt, ita iusto Dei iudicio factum est, ut et ipsi terribiles poenas habuerint luendas, praesertim dum anarchia Francica victricibus armis eorum regna invasit et dominationi suae subiecit. Tunc etiam regulares Ordines in his locis fuerunt suppressi, aut Religiosi saltem e coenobiis expulsi.

Haec sunt quae de magna perturbatione gallicana et de mediis quibus fuit provocata summatim exponenda censuimus. Quamvis haec narrando a scopo nostro deviasse videri possemus, serio tamen cogitanti apparebit, praeter notitiam historicam quae utilitate non caret, alia quaedam emolumenta sive pro Coenobitis sive pro suppressis Fratribus ex relatis posse hauriri.

Vidimus enim ab impietatis fautoribus haec duo potissimum media ad impugnandam Ecclesiam catholicam inventa et executioni fuisse mandata, rebellionem scilicet in Apostolicam Sedem, atque suppressionem aut corruptionem Ordinum religiosorum. Iam vero ut haec diabolica tentamina oppugnemus, contraria a nobis adhibenda sunt media; atque inprimis oportet ut, iuxta Regulam quam promisimus, maxima reverentia Summum Pontificem semper prosequamur, et perfecta submissione omnibus eius mandatis et desideriis obtemperemus, et sic semper simus *subditi et subiecti pedibus Sanctae Romanae Ecclesiae.*

Nec minus solliciti simus, ut pro posse instaurationi conventuum allaboremus, cum per eos fidelium saluti maxime providetur, et Omnipotentis gloria a viris vere religiosis exaltatur et promovetur. Caveamus etiam ne, quae inimici Ecclesiae praeterito saeculo et non raro in praesenti adhibuere media ad laxatos mores in coenobiis introducendos aut conservandos, unquam nostra culpa acceptemus aut introduci permittamus.

Ad Ordinis nostri praelatos, non autem ad clerum saecularem et minus adhuc ad civilem potestatem spectat, religiosas familias regere, visitare, easque, si opus fuerit, reformare; nec alius subditis licitus est recursus in suis gravaminibus nisi ad suos Ministros et ad Summum Ecclesiae Caput.

Ad saeculares enim recurrere, sive sint laici sive ecclesiastici, sive ad impetrandos favores, sive ad poenarum remissionem, non modo graviter ab Ecclesia et ab Ordine prohibetur, sed etiam sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda interdictum esse non ignoramus.

Talibus mediis cavere voluit S. Mater Ecclesia ne salutaris actio Superiorum Ordinis unquam impediri contingat in regimine sive provinciarum sive conventuum. Et tamen, horrendum est vel cogitare, quoties Religiosi iniquo recursu ad potestatem civilem obstaculo fuerint, quominus a Superioribus abusus tolli et regularis observantia introduci potuerint!

(Continuabitur)

COMMISSARII GENERALES
in America residentes.

In Congressibus generalibus habitis die 18 Decembris anni 1883, et 15 huius mensis Januarii, a Rmo P. Ministro Generali eiusque Generali Definitorio ad novam electionem quatuor Commissariorum Generalium in America Meridionali residentium deventum est. Electi igitur fuerunt: (1)

Pro Republica Peruviana et Aequatoriana.

A. R. P. Ignatius M. Sans, ex-Guard. et ex-Praef. Missionum Collegii S. Rosae *de Ocopa.*

Pro Republica Boliviana.

A. R. P. Alexander M. Corrado ab Urbe, ex-Guard. ex-Praef. Missionum, et Lector Philosophiae Collegii S. Mariae Angelorum *de Tarija.*

Pro Republica Argentina.

A. R. P. Franciscus Tavolini, ex-Guard. Collegii S. Caroli in Civitate *S. Lorenzo.*

Pro Republica Chilena.

A. R. P. Stanislaus Leonetti, ex-Guard. ex-Praef. Missionum Collegii S. Ildephonsi *de Chillan.*

Ut Confratres nostri de dictorum Com-

(1) Commissarius Gen. pro Republica Mexicana iam antea electus fuerat A. R. P. *Theophilus G. Sancho.* Cfr. *Acta Ordinis,* Ann. I. pag. 119.

missariorum institutione breviter informentur, sequentia desumere operae pretium ducimus ex Constitutione fel. rec. Pii Papae IX « *Apostolica Sedes* » diei 12 mensis junii 1877, in qua leges stabiliuntur quibus Collegia nostra Missionum de Propaganda Fide in America existentia regi debent.

« ...... Praefata Collegia, quamvis ab eorum fundatione peculiaribus regerentur Statutis, a Ven. Praed. Nostro Innocentio XI, sub die 28 Junii et 16 Octobris anno 1686, per suas Apostolicas Litteras, quae incipiunt « *Ecclesiae Catholicae* » confirmatis, Commissariis tamen Generalibus, sicuti omnes Americanae Provinciae, subdebantur. Quum autem Officia Commissariorum Generalium in America residentium anno 1768 interdicta seu suspensa fuerint, et plura exinde dubia, praesertim circa exercitium aliquarum facultatum, inter Missionarios exorta essent, Pius Papa VI, Noster item fel. rec. Praedecessor, ad animorum perturbationes sedandas, nec non ad Innocentianas Constitutiones religiose custodiendas, sub die 12. Decembris anno 1797 Bullam edidit, quae incipit « *Decet Romanum Pontificem* » in qua praedictorum Collegiorum leges aliquae componebantur, et facultates, circa quas dubia exorta fuerant, determinabantur. Tandem, postremis hisce temporibus, Capitulum Generale Ordinis anno 1862 in Conventu Aracoelitano celebratum, Commissarios Generales in America residentes restituere decrevit; ac tres tunc Commissarii Generales nominati sunt. At cum deinde experientia comprobatum fuerit, nimis extensum fuisse territorium unicuique Commissario assignatum, ex decreto praedicti actualis Ministri Generalis Ordinis, Bernardini a Portu Romatino, et ejus Generalis Definitorii, sub die 17. Decembris 1870, auctus fuit eorum numerus, et quinque, pro interim, instituti sunt Commissarii Generales, videlicet unus pro regione Peruana, additis Collegiis in Republica Aequatoriana existentibus; alter pro Republica Boliviana; tertius pro Republica Argentina; quartus pro Chilena; quintus pro regione Mexicana..... Isti autem Commissarii Generales per sexennium in officio perdurare possunt, et non sunt reeligibiles, nisi post aliud sexennium in vacatione transactum. »

Ref. Provincia S. Vigilii Tyroli Meridionalis

Ob mortem *A. R. P. Epiphanii a Vico Pinetano* Ministri Provincialis; in Congregatione Definitoriali diei 16 Decembris 1883 electus est Vicarius Provincialis A. R. P. FORTUNATUS A NORILIO, ex-Minister eiusdem Provinciae.

—

CONCURSUS GENERALIS

Anno 1883, a die 22 usque ad diem 29 Octobris in Conventu S. Ludovici Collisvituli prope Pisciam, Observantis Provinciae Tusciae, factus est Concursus Generalis pro Cathedris theologicis et philosophicis, praesidente A. R. P. Henrico Rosa a Massa, dictae Provinciae Ministro Provinciali, ex speciali commissione Rmi P. Ministri Generalis. Approbati fuerunt sequentes:

Pro S. Theologia:

1. P. Michael Pistilli, Obs. Prov. Romanae.
2. P. Franciscus Drovandi, Obs. Prov. Tusciae.

Pro Philosophia:

1. P. Æmilius Crivelli, Obs. Prov. Tusciae.
2. P. Innocentius Zoboli, Obs. Prov. Tusciae.
3. P. Casimirus Iurič Obs. Prov. S. Hieronymi in Dalmatia.
4. P. Frigdianus Giannini, Obs. Prov. Tusciae.
5. P. Seraphinus Del Seppia, Obs. Prov. Tusciae.
6. P. Martinus Martili, Obs. Prov. Tusciae.
7. P. Antonius Gori, Obs. Prov. Tusciae.
8. P. Hugolinus Filippi, Obs. Prov. Corsicae.
9. P. Pergentinus Cocchi, Obs. Prov. Tusciae.
10. P. Bernardus Marcovič, Obs. Prov. Ragusii.

—

III.

MISSIONES

—

NOMINA RELIGIOSORUM

Qui anno 1883 ad exteras Missiones destinati sunt.

I.

Ad Missiones Terrae Sanctae

1. *P. Augustinus a Septem Doloribus*, Sacerdos professus Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

2. *P. Bernardinus a Neapoli*, Sacerdos professus Ref. Provinciae Terrae Laboris.

3. *P. Alphonsus Dombrowski*, Sacerdos professus Ref. Provinciae Immaculatae Conceptionis in Borussia.

4. *P. Iosephus M. Novoa*, Sacerdos profes. Collegii Compostellae in Hispania.

5. *P. Godefridus Schilling*, Sacerdos profes. Reformatae Custodiae Cincinnatensis.

6. *Fr. Casimirus Lischi*, Obs. Provinciae Tusciae, Laicus professus.

7. *Fr. Gherardus a Neapoli*, Laicus profes. Obs. Provinciae Neapolis et Terrae Laboris.

8. *Fr. Laurentius a Neapoli*, Laicus profes. Obs. Provinciae Neapolis et Terrae Laboris.

9. *Fr. Ioachim Pintos*, Laicus prof. Collegii Compostellae in Hispania.

10. *Fr. Iosephus Maria Ferrero*, Laicus prof. praefati Collegii Compostellae.

11. *Fr. Accursius Maria a Roscoff*, Laicus profes. Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

12. *Fr. Vitalis M. a Bourg*, Laicus profes. Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

13. *Fr. David Ogrinec*, Laicus professus Ref. Provinciae S. Crucis in Croatia.

14. *Fr. Concetius a S. Marco Argentano*, Ref. Provinciae Calabriae citerioris, Tertiar.

II.

Ad Missiones Sinenses

15. *P. Basilius a Gorges*, Ref. Prov. S. Bernardini in Gallia, Sacerdos professus.

16. *P. Gherardus Van Elk*, Sacerd. profes. Recollectae Provinciae Hollandiae.

17. *P. Odoricus Timmer*, Sacerdos profes. Recollectae Provinciae Hollandiae.

18. *Fr. Eugenius a Crouzeilhes*; Laicus professus Galliae.

19. *Fr. Bonifacius Timmer*, Laicus profes. Recollectae Provinciae Hollandiae.

20. *Fr. Urbanus a Roubaix*, Galliae Tertiarius.

III.

Ad Missiones Superioris Aegypti

21. *P. Vincentius a Badia Sancti Salvatoris*, Ref. Provinciae Tusciae Sacerdos professus.

22. *Fr. Paulinus a Stia*
23. *Fr. Anselmus a S. Anastasio*
} Laici prof. Ref. Prov. Tusciae

IV.

Ad Missiones Albanenses

24. *P. Laurentius Mihacevic* Sacer. prof. Obs. Provinciae Bosnae

25. *Fr. Gulielmus a Serignano*,
26. *Fr. Casimirus a Frassilongo*
} Laici prof. Ref. Prov. Tyrol. Merid.

V.

Ad Missiones Reipublicae Argentinae.

27. *P. Andreas Bianchi a Badalucco*, Sacerdos professus Obs. Provinciae Romanae.

28. *P. Iulianus Rondini*, Sacerdos profes. Reformatae Provinciae Brixiensis.

29. *Fr. Modestus Marchi*
30. *Fr. Paulus Pellistri*
} Laici prof. Obs. Prov. Tusciae.

VI.

Ad Missiones Brasilienses

31. *P. Iosephus Maria Zattoni*, Sacerdos profes. Reformatae Provinciae Seraphicae.

32. *P. Aegidius a Tridento*, Ref. Provinciae Tyroli meridionalis.

VII.

Ad Missionem Constantinopolitanam

33. *P. Leander ab Asculo*, Ref. Prov. Marchiae Sacerdos professus.

34. *Fr. Lucas a Montalboddo*, Laicus professus Ref. Provinciae Marchiae.

—

Collegium de Chillan

In Republica Chilena

In hoc Collegio inveniuntur 32 sacerdotes, quorum undecim apud Infideles occupati; insuper adsunt 22 Choristae, 12 Laici et 2 Tertiarii Oblati.

Praeterea in Collegio educantur postulantes, quorum septem ibi nunc reperiuntur.

In decursu anni iam elapsi septem exercitia Missionum inter fideles praedicata sunt et in eis 14,247 animae Pane Eucharistico fuerunt roboratae.

Haec omnia desumimus ex relatione anni 1883.

—

Collegium S. Francisci Solani de Rio-Quarto. In Republica Argentina

Ex relatione anni 1883 constat in praedicto Collegio esse 9 sacerdotes, 3 Choristas, 4 Laicos et 2 Novitios Clericos.

Eximio cum zelo adlaborant praefati Patres in Missionibus ad fideles praedicandis.

A Patre Quirico Porreca, Collegii semel iterumque Guardiano, ab anno 1878 fundatum est Institutum Sororum Tertii Ordinis in civitate Cordubensi, pro educatione praesertim pauperum puellarum quibus deinceps et aliae adiunctae sunt civilioris conditionis, ut opponeretur educatio vere religiosa instructioni athaeistae quae in his etiam regionibus, sicut in Europa, dominatur. Hodie tria numerantur eiusdem Instituti Collegia, in quibus traditur educatio vere catholica; sunt autem:

1. Collegium S. Margaritae in *Corduba*, cum 19 sororibus et 109 alumnis

2. Collegium B. M. V. de Carmelo in *Rio-Quarto*, cum 15 sororibus et 321 alumn.

3. Collegium Immaculatae Conceptionis in *Villanueva*, cum 10 sor. et 109 alumnis.

—

Collegium de Salta In Republica Argentina (America Merid.)

In hoc Collegio degunt 14 Sacerdotes, Clericus 1 et 7 Fratres Laici.

In decursu elapsi anni usque ad mensem Octobris habita sunt 2 exercitia spiritualia, 88 sermones, 10 orationes panegyricae Eodem temporis intervallo in Ecclesia Collegii distributae sunt fidelibus sacrae Communiones *30,500;* ex hoc numero deduci potest numerus Confessionum sacramentalium a Patribus auditarum, quamvis non computentur Sacramenta infirmis subministrata in civitate, quae 20 millibus animarum circiter constat.

Unicam modo missionem inter infideles quae vocatur *Reducion de San Miguel* habet Collegium. Haec distat ad tres fere dies itineris a civitate Saltensi, versus partem orientali-meridionalem, et in ea viginti circiter familiae Indorum, quos *Matacos* dicunt, numerantur.

Tertius Ordo saecularis in huius Collegii ecclesia institutus 400 Sodalibus coalescit; et hi quidem Tertiarii, virtutibus ac zelo praestantes, curante Patre Rectore, duas fundaveverunt scholas quas ipsi dirigunt, alteram quidem pro pueris, et alteram pro puellis; pueri iam admissi 100 numerantur, puellae autem 200. Utinam et alibi hunc zelum Tertiarii nostri aemulentur, saltem ad erudiendam in doctrina christiana iuventutem, si a legibus civilibus loci prohibeantur scientificam scholam instituere.

—

Collegium S. Antonii de Potosi in Republica Boliviana.

Ex relatione P. Vincentii Piccinini praefati Collegii Missionum Praefecti, anno proxime elapso 1883 ad Revmum Patrem Ministrum Generalem Ordinis missa, sequentia excerpimus et communicamus.

Summarium

Labores Missionariorum praedicti Collegii: 1. Missio de *Boicobu* et neophitorum vivendi ratio. 2. Residentia de *Igüembi.* 3. *Guacaya.* 4. *Ingre.*

.... El Colejio de Potosì tiene seis Padres en las Fronteras Indianas, distribuidos en cuatro puntos distintos; de los cuales uno puede llamarse Mision, propiamente dicha, y los otros son *Residencias* o *Doctrinas.*

1. *Boicobu, S. Pascual Baylon.* Esta Mision compuesta de puros Infieles es dirigida por los Padres Fr. Romualdo de Ambrogi y Fr. Apolinar Simoni. De la ultima visita consta que, en los pocos años que cuenta de existencia, se han bautizado 461 almas, de las cuales 298 volaron yà al Cielo. De los que quedan unos siguen en las escuelas, y otros se han casado *in facie Ecclesiae* y van formando un nuevo pueblo, completamente separado del pueblo de sus Padres, y dán fundada esperanza que en un dia no muy lejano formarán un Pueblo numeroso de buenos Cristianos. Hay acctualmente en las escuelas, entre bautizados y catecumenos, 108 hombres y 82 mugeres. Tanto a los hombres como a las mugeres se

enseña diariamente el rezo, la lectura y escritura, y tambien el trabajo. El Maestro principal de los hombres es el P. Apolinar Simoni, y de las mugeres son dos Señoras asalariadas para ello.

El sistema que se observa en dicha Mision es el siguiente: a las 5 de la mañana dice Misa el Conversor principal, y a ella asisten las escuelas con sus respectivos Maestros. Terminada dicha Misa todos los de las escuelas rezan el compendio de la Doctrina Cristiana, que concluyen con los actos deñfé, esperanza y caridad. Luego salen de la Iglesia, y vàn à las casas de sus Padres para saludarlos y para tomar su pequeño desayuno. A las 7 empiezan las clases, a las que todos asisten. Los hombres tienen una hora de instrucion en el rezo y doctrina cristiana, otra hora de lectura y escritura, y dos horas de trabajo correspondiente à la edad y fuerzas de cada uno, sea en la casa, sea en el campo. Lo mismo se hace con las mugeres; pero estas pasan las dos horas de trabajo propio de su sexo, en la escuela. A las 11 todos vàn a almorzar, y regresan a las clases a la una de la tarde; y se observa el mismo metodo. A las oraciones se reza el Santo Rosario, y se concluye con una letrilla, que todos cantan a la Virgen SSma en accion de gracias.

Asi los hombres como las mugeres son constantemente vigiladas por sus Maestros y contra Maestros; y cada sexo duerme en su respectiva escuela, que para ello tiene todo lo necesario, y donde se observa siempre buena hijiene.

2. *Igüembi.* Esta poblacion cuenta con 600 habitantes, todos christianos suficientemente instruidos en los deberes de nuestra S. Religion, Frecuentan los S. Sacramentos, y en la Cuaresma todos cumplen con el precepto pascual. Con sus limosnas, casi esclusivamente, se ha construido una bella Iglesia, y una casa comoda para el Misionero, que actualmente es el P. Fernando Cossi; la que tiene tambien dos habitaciones destinadas para la hospederia. A los dos lados de la Iglesia se han construido dos escuelas una para hombres y otra para mugeres, en las que se dà constàntemente instrucion religiosa y civil a todas aquellas almas. Cuando el año pasado hubieron Confirmaciones, 376 personas se acercaron al Sacramento de la Penitencia y Comunion, y en seguida con otros 200 y tantos niños de menor edad fueron confirmados. Que consoladoras son estas funciones para un pobre Misionero que pasa su vida en medio de tantos sacrificios, privaciones y sufrimientos!

3. *Guacaya,* S. *Antonio.* Esta poblacion cuenta unos 700 habitantes cristianos; pero solo la mitad de ellos estan constantemente en el pueblo, los demas viven esparcidos por el campo al cuidado de sus intereses, y vienen a la poblacion en los dias festivos para oir Misa, y en la Cuaresma para asistir a las funciones Eclesiasticas, y cumplir con el precepto pascual. Las personas que viven en el pueblo asisten, en su mayor parte, a la S. Misa, y al S. Rosario todos los dias. Tambien en este pueblo se ha construido una bella Iglesia, y una casa bastante comoda para el P. Misionero, y tiene ademas sus escuelas. Yo asisto ordinariamente esta poblacion, y cuando, por razon de mi oficio, me veo obligado a pasar a otra parte, me sustituye uno de los Padres de la Mision de S. Pascual de Boicobu que està cerca. Aqui tambien el año pasado se confirmaron 500 personas, de las cuales unas dos terceras partes recibieron antes los S. Sacramentos de la Confesion y Comunion.

4. *Ingre, El SSmo Rosario.* Esta poblacion consta de 850 almas, todas cristianas, El P. Angel Riquìeri y el P. Luis Arrosti estàn al cuidado de ellas; y ambos trabajan con zelo verdaderamente incansable para instruirlas en las cosas de la Religion y de la vida civil y social. Actualmente se està construyendo una bella Iglesia, la que se espera concluir muy luego.

Para no ser demasiado largo no hablaré de Cuevo, ni de Yancaroinza. En cada uno de estos puntos hemos construido una bonita Capilla, pero ningun Padre puede estár alli de fijo, porque faltamos de personal. Sin embargo vamos siempre que nos llaman; y varias veces, aun no llamados, los visitamos entre año para recordarles sus deberes y administrarles los S. Sacramentos. En Cuevo hay unas 50 Familias, y unas 25 en Yancaroinza, todos cristianos. —

—

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

1883. La Regola dei Frati Minori esposta praticamente dal P. Gabriel Angelo da Vicenza, Min. Rif. della Provincia Veneta, aggiuntivi gli esami dello stesso autore sopra le obbligazioni dei Religiosi. Edizione 3ª con aggiunte e correzioni in 8° (L. 3, 30)

Ex praefatione huius operis sequentia depromimus: » Il P. Gabriel Angelo da Vicenza, Min. Rif. della Provincia Veneta, mandò alle stampe due edizioni *della spiegazione della Regola,* 1758 e 1765. Quest' opera e per sodezza di dottrina e per chiarezza di esposizione venne sempre giudicata come una delle migliori spiegazioni che si conoscano, e forse tra quante comparvero fin' ora alla luce in lingua italiana, la piú opportuna di tutte da potersi dare in mano ad ogni Religioso e da far servire di lettura alla mensa comune.

...... Or perchè difficile era oggimai di trovar più copie di si egregio e lodato lavoro, ed inoltre ci manca affatto una spiegazione della santa Regola, almeno in italiano, colle aggiunte rese necessarie dalle nuove leggi ecclesiastiche, si è creduto di far cosa utile ed accetta a quanti hanno a cuore la pura osservanza della Regola stessa, procurandone una ristampa colle aggiunte accennate e con qualche leggiera modificazione che qua e lá si é giudicato opportuno di fare.

Utile parimenti ed accetta confidiamo sia per essere l'aggiunta degli *Esami sulle obbligazioni del Religioso Francescano*, tratti dagli *Esercizi spirituali* del medesimo autore, i quali *Esami* furono sempre meritamente apprezzati e riconosciuti utilissimi, perchè penetrandosi in essi sino al fondo del cuore umano, se ne discoprono i più intimi nascondigli, mettendosene in chiaro anche i più accetti ed inavvertiti difetti, in cui un Religioso puó incorrere ».

1883. S. Francesco, S. Tommaso e Dante nella civiltà cristiana e le relazioni tra loro, pel P. Candido Mariotti da Gagliole, dell'Osserv. Prov. delle Marche, Venezia, a spese della tip. dell'ancora, editrice, Calle Pinelli N. 6257. In 8° pag. 51. (pro Ital. l. 4.)

Eiusdem auctoris haec etiam publicata sunt opera: *Filotea seraphica* ossia Manuale di pietà, ad uso speciale dei Francescani, in 16 pag. circiter 1000 (L. 2.)

Il Mese di Ottobre consecrato al serafico Patriarca San Francesco, 1875. 2. ed. (L. 1, 50)

P. Ioannis Markovič, Provinciae SS. Redemptoris in Dalmatia, lector S. Theologiae iubilatus, eruditum opus lingua croatica de « Romani Pontificis primatu iurisdictionis » vulgavit.

Papino poglavarstuo u crkvi za prvih viekova, U Zagrebu. 1883.

P. Florentius Róder, provinciae s. Mariae in Hungaria, praeter Geographiam sacram edidit:

O'ès Ujszövetsègi bibliai történetek, i. e. Veteris et novi Testamenti historiae vol. duo, Budapestint, 1883.

1883. Cartas sobre los sucesos acaecidos en Egipto, durante el periodo de la ultima guerra, escritas por el P. Hugolino Masià Lucas, Min. Obs. Misionero Apostolico, miembro de varias sociedades cientificas, etc. — Barcelona, Imprenta de Jaime Jepús, pasaje Fortuny. In 8. pag. 230. (L. 4, et extra Hispaniam 5.)

In hoc volumine adsunt imagines praecipuorum huius belli ducum.

Eiusdem Auctoris proxime in lucem prodibit aliud opus, quod sex constabit tomis: Historia General politica y religiosa de Egipto.

1883. Omaggio del Mondo Cattolico a San Francesco d' Assisi, nella ricorrenza del VIII Centenario dalla nascita, 1882, pel M. R. P. Raffaele da Paterno, Lett. Giub. M. O.

Parte II. *Omaggio degli oratori a S. Francesco* Fascicolo VII, 30 Novembre 1883.

Fasc. VIII, 15 Dicembre 1883.

In hoc ultimo Fasciculo legitur sequens monitum ad associatos directum:

« Avviso interessante — Per ragioni indipendenti dalla nostra volontà fummo costretti affidare la correzione degli stamponi dei primi fogli del fascicolo VII, Parte II dell'*Omaggio del Mondo Cattolico a S. Francesco* ad un tale, il quale, poco curandosi della nostra raccomandazione, lasciò correre parecchi svarioni nel *terzo* foglio del cennato fascicolo. — Interessiamo perciò vivamente tutti i Signori associati degnarsi di restituirci l'indicato foglietto N. 3, che comincia da pagina 17 a 24, restando a nostro carico il rimpiazzo del foglio che si sta ristampando. — Fidiamo nella loro bontà e cortesia.»

Fasc. IX, 31 Dic. 1883.

Uti iam praemonuimus in fasc. Novembris elapsi anni pag. 184, pro associatione scribendum ad *M. R. P. Raffaele da Paterno, Lett. Giub. M. O., Vico dei Rocci al Duomo 8,* Napoli.

1884. Almanach du Tiers-Ordre pour l'année bissextile 1884, à l'usage des Tertiaires et Cordigères de Saint François sous la di-

rection des Pères Franciscains del'Observance. *Huitième année*. Bordeaux, imprimerie de l'œuvre de Saint Paul, 30 Place Pey-Berland; in 32, pag. 126. (prix 0,30)

V.

NECROLOGIA

—

Augustae Taurinorum, apud Sanctum Thomam, die 29 Octobris 1883 supremum diem obiit Adm. R. P. Felicissimus Manassero, nostrae Observantis Provinciae Taurinensis Sacerdos professus, Lector Iubilatus, necnon Commissarius Terrae Sanctae in Pedemontio.

In primo suae aetatis flore habitum Seraphicae Religionis in praefata Provincia induit an. 1838, et laudabiliter studiorum curriculum persolvit; dein Lector renunciatus, philosophicas ac theologicas disciplinas egregie docuit non solum in Ordinis Scholis, sed etiam in pluribus Italiae perinsignibus Seminariis, doctrinae exemplaritatem morum socians, et corda discipulorum divino amore ac pro salute animarum zelo imbuere satagens.

Acie ingeniis praeclarus, in rebus agendis peritus, prudentia ornatus, pluries Definitor Provincialis et primarii Provinciae Conventus Guardianus electus fuit.

Institutus Commissarius Terrae Sanctae pro regione Pedemontana, huiusmodi munere triginta et amplius annos praeclare functus est, et in difficillimis temporum conditionibus Terrae Sanctae permulta beneficia praestitit, ac de nostro Seraphico Ordine, quem summopere diligebat, optime est meritus. Aetate septuaginta annorum vix expleta, quorum quinquaginta quatuor in Ordine vixerat, animam Deo reddidit. A confratribus et amicis defletus, eius memoria in benedictione semper erit.

—

A. R. P. Bernardinus a Caprarola, ex honesta familia natus die 23 Octobris 1808, anno quintodecimo aetatis suae seraphicum habitum in Conventu S. Bernardini Hortarum Observantis Romanae Provinciae induit, ac elapso novitiatus anno solemnem emisit professionem. Hinc ad addiscendas philosophicas disciplinas ad Conventum S. Bartholomaei in Insula Tiberina missus est, inde Viterbium ad acquirendas theologicas facultates. Statim emenso studiorum curriculo et sacerdotio insignitus Viterbii die 28 Maii 1831, non sine laude verbi Dei praedicationi se addixit. Quare in principalioribus Ordinis nostri ecclesiis quadragesimales habuit conciones, praesertim Romae, Neapoli, Parmae, Liburni, Ianuae et Alexandriae Aegypti. Expleto Guardiani officio in Aracoelitano Coenobio ab anno *1842*, in capitulo anni 1846 fuit renunciatus Minister Prov. Observ. Provinciae Romanae. Illis teterrimis Reipublicae temporibus, irreprehensibiliter se gessit. Postea Palestinam petiit ubi anno 1856, Rmo P. Bernardino a Montefranco actuali Custode Romam ad generale capitulum convocato, Praesidis Custodialis officio functus est ac eodem tempore qua *Delegatus Apostolicus* ad Maronitas Montis Libani missus. Iterum anno 1859 Romanae Provinciae Minister electus est. Triennio elapso, Moniales Clarissas Eremitas in Farensi asceterio direxit. Denique anno 1871 Guardianus Aracoelitanus noviter electus per annos circiter tresdecim eiusmodi munus in calamitosis temporibus cum laude exercuit, quoadusque morbo captus ac trium mensium spatio summae patientiae et fortis animi exemplar factus, ultimam diem clausit 13 Novembris 1883, lugentibus bonis. Fuit vir vere apostolicus, fide et fervore plenus, atque in auscultandis praesertim sacramentalibus confessionibus indefessus.

Nihil obstat.
Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

EPISTOLA ENCYCLICA RMI P. GENERALIS
de morte Emi Cardinalis Bilio, *Ordinis nostri Protectoris*

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

STRICTIORIS OBSERVANTIAE

SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI

IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROVINCIAE EX-MINISTER

EX-PROCURATOR REFORMATORUM

S. R. C. CONSULTOR

TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS

ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS

Plurimum in Christo Iesu dilectis Venerabilibus Patribus, Fratribus, et Monialibus sibi subiectis salutem et consolationem in Spiritu Sancto.

Luctum haud levem gravior luctus excipit. Mox moerentes nunciavimus vobis, Filii dilectissimi, obitum Illmi et Revmi Patris Fr. Bernardini Trionfetti a Montefranco, qui totius ordinis Minister Glis fuerat; nunc, stupore simul et dolore perculsi, nunciare Vobis cogimur obitum Eminentissimi Dni Aloysii S. R. Ecclesiae Cardinalis Bilio, quo Protectore universus Ordo noster gloriabatur et recreabatur. Heu, quis credidisset tam cito moriturum hominem aetate ac viribus, prouti apparebat, adhuc praestantem; Virum, in quo doctrina, pietas, prudentia, animi candor, benignitas, omnia summa erant; Cardinalem, qui consilio, scriptis, opera, multa praestitit, et maiora se praestiturum, communi omnium opinione, pollicebatur Ecclesiae universae? At tamen, quod nemo suspicatus fuisset, quod omnes removere voluissent, hoc factum est: brevi octo dierum intervallo, diro tetani rheumatici morbo, amplissimus Vir, Cardinalis, Protector noster, nudius tertius, die 30 ianuarii, absumptus est, sancta morte sanctam vitam concludens. Ita factis divina verba confirmantur: *Cogitationes meae non cogitationes vestrae, dicit Dominus,* et *Omnia vanitas praeter timere Deum et illi soli servire.*

Dum vero divinae voluntati dignum et iustum est ut obsequamur, non possumus quin amissum lugeamus Protectorem nostrum benevolentissimum, cui vix similem alium invenire poterimus, eique debitum gratitudinis nostrae reddamus. Quapropter, cum Constitutiones generales Ordinis nostri praescribant ut *pro anima* Cardinalis Protectoris *eadem suffragia ubique fiant, quae pro Superioribus generalibus fieri iubentur* (n. 1255); praecipimus ut *singuli Sacerdotes dicant pro ipso Missas duas: omnes Conventus unam solemnem cum officio magno defunctorum: Clerici Moniales et Laici tres coronas Virginis et duas stationes* (n. 203).

Ceterum oremus omnes Seraphicum Patrem nostrum S. Franciscum ut qui, divina visione admonitus, unum de S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus primus a Domino Papa Protectorem sui Ordinis impetravit, ipse nunc nobis alium in defuncti locum obtineat, qui sit vere *Protector et Corrector istius Fraternitatis, ut semper subditi et subiecti pedibus sanctae Romanae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem et sanctum Evangelium Domini Nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.*

Seraphicam benedictionem Vobis omnibus et singulis, Filii charissimi, toto cordis affectu impertimus.

Dat. Romae ex Aracoeli, die 1 februarii 1884.

Fr. Bernardinus, Min. Glis.

De mandato P. S. Rmae
Fr. Petrus a Monsano
ex Prov. *Secretarius Glis Ordinis.*

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

DECISIONES S. R. C.
Divinum Officium et ss. Missae sacrificium concernentes.

Revmus Episcopus Marianopolitanus (1) insequentium dubiorum resolutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter expetivit, nimirum:

Dubium I. 1. Utrum Decretum *Urbis*, 28 Octobris 1628, quod per modum supplementi celeberrimo Decreto *contra abusus* die 8 Aprilis eiusdem anni promulgato additum fuerat, et quo sequens responsio ad 2 firmata fuit: *De Titularibus Cathedralis tantum posse recitari officium sub ritu duplici in tota civitate, et cum octava in Cathedrali tantum,* fuerit quoad hoc punctum, expresse vel aequivalenter abrogatum, sicut a nonnullis asseritur?

2. An vero plenum ubique terrarum etiam nunc robur obtineat, illis solis dioecesibus exceptis, quae Indulto Apostolico gaudent, vel in quibus Sanctus Titularis Ecclesiae Cathedralis simul est loci patronus?

3. Et quatenus affirmative ad II, utrum ritus duplex intelligendus sit de duplici primae classis, an de duplici minori, an vero de certo gradu intermedio, praesertim ubi de dioecesi recentius erecta agitur?

4. Tandem quaeritur, an istud festum, quoad omnes, qui de gremio Cathedralis non sunt, recenseri debeat inter secundaria, ita ut tum in occursu, tum in concursu, etiamsi sit obiective dignius, primario festo patroni loci, vel titularis ecclesiae propriae cedat?

Dubium II. Utrum facultas conferendi sacros Ordines *extra tempora*, vi articuli 1 Form. 1., Episcopis missionariis generatim concessa, limitetur, nisi specialissimum adsit indultum, ad solos dies festivos de praecepto, etiam in favorem fidelium abrogatos? An vero extendatur ad singulos anni dies, aut saltem ad omnes dies, in quibus recitatur officium ritus duplicis?

Dubium III. Utrum in Ecclesiis, ubi non adest stricta obligatio chori, finalis antiphona B. M. V. omitti valeat aut debeat; 1. Quando, Vesperis coram SS. Sacramento exposito celebratis, statim fit repositio, qua peracta, clerus discedit? 2. Quando post Vesperas inchoatur brevis expositio cum Ostensorio seu Pyxide, clerusque post benedictionem et repositionem egreditur? 3. Quando inter Vesperas et supradictam expositionem intercedit concio

(1) Montréal in Canada.

vel processio? 4. Quando post Vesperas ostiolum tabernaculi ad privatam expositionem aperitur, ac mox, benedictione non impertita, clauditur? Et quatenus affirmative, quomodo Vesperae sint concludendae?

Dubium IV. Si contingat in recitatione privata separari Matutinum a Laudibus, quaeritur, quomodo concludendum sit Matutinum, praesertim in feriis maioribus, in quibus preces flexis genibus addendae sunt ad horas omnes; et quomodo inchoandae sint Laudes?

Dubium V. Utrum, festo Annuntiationis B. M. V. intra Quadragesimam occurrente, liceat, ubi non existit obligatio chori, cantare statim post Missam Vesperas festivitatis? Et quatenus affirmative, an possit Celebrans, depositis casula, stola et manipulo, pluviale super albam induere? an vero ad sacristiam recedere debeat, et cum superpelliceo et pluviali mox redire?

Dubium VII. (1) In Ecclesiis, ubi chori obligatio non existit; ac solemnis expositio quadraginta horarum peragitur ex mandato Ordinarii, iuxta ordinationem Clementinam, quaeritur:

1. Utrum prima et tertia die, si non cantata fuerit altera Missa conformis officio currenti, debeant in Missa votiva SS. Sacramenti quaelibet commemorationes omitti? An vero celebrans sub distincta conclusione cantare teneatur, tum orationem Missae de die, quamvis sit de Vigilia communi, de qua nihil fit in duplici primae classis, aut de die infra octavam, festo simplici, aut feria communi, quorum commemoratio locum non habet in duplic secundae classis, tum caeteras commemorationes speciales, quae adderentur in Missa currenti, v. g. de Dominica per annum, de die infra octavam, etc.?

2. An secunda die, quando Missa *pro Pace*, seu alia votiva rite assignata celebratur, collecta SS. Sacramenti sub unica conclusione orationi Missae adiuncta, commemorationes omittendae sint, an non, uti supra quaesitum est?

3. Utrum, si primam vel tertiam diem impeditam esse contigerit *a*) commemoratio SS. Sacramenti post orationem Missae sub unica conclusione semper cantanda sit, non exceptis feria V in Coena Domini, Sabbato Sancto, ac festo Sacratissimi Cordis Iesu?- *b*) adiungi debeant sub distincta conclusione, servato ritu Missae intrinseco, singulae commemorationes tum speciales, tum communes, quae in eadem Missa, si cantaretur extra solemnis Expositionis tempus, essent faciendae?

4. Utrum, si pari modo secunda dies fuerit impedita, adiiciendae sint tum oratio Missae *pro Pace*, seu alterius legitime assignatae, tum collecta SS. Sacramenti? Et quatenus affirmative, quisnam locus utrique orationi sit assignandus?

5. An feria IV Cinerum in una ex diebus supradictae Expositionis occurrente, tonus ferialis in cantu orationum, Praefationis et *Pater noster* sit adhibendus? Utrum omittenda sit oratio *super populum?*

Dubium VIII. Utrum decretum, vi cuius Missae propriae Regularium in ipsorum Ecclesiis, absque speciali indulto, nequeunt ab extraneis sacerdotibus usurpari, comprehendat pariter Missas proprias, quae apud varias dioeceses atque communitates simplicia aut etiam nulla vota emittentes, ex apostolica benignitate fuerunt Missali Romano additae?

Sacra porro Rituum Congregatio, post exquisitum in scriptis votum alterius ex apostolicarum caeremoniarum magistris, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus maturo examine perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. Quoad 1, 2 et 3 partem, *affirmative;* et Festum seu Officium Titularis Ecclesiae Cathedralis, ex recentibus Decretis, celebrandum esse in tota dioecesi sub ritu duplici primae classis cum Octava a Clero saeculari, a Clero autem Regulari sub eodem ritu, sed absque Octava.

Quoad 4. partem, *affirmative*.

Ad II. *Affirmative* ad 1. partem: *negative* ad 2.

Ad III. Quoad singulas partes, laudabiliter dicitur antiphona finalis B. M. V. in fine Vesperarum.

Ad IV. Matutinum in casu concludendum esse cum oratione de Officio diei; Laudes inchoandas ut in Psalterio.

Ad V. Licere, assumpto per Celebrantem pluviali super alba aut superpelliceo.

(1) Dubium VI, utpote solam dioecesim Quebecensem concernens, omittimus.

Ad VII. Quoad 1, 2, 3, et 4 quaestionem; Serventur Rubricae et Clementina Ordinatio: Scilicet, in Missa votiva SS. Sacramenti pro solemni eiusdem Expositione ac Repositione, omittenda est quaelibet commemoratio et collecta. Infra octavam SS. Corporis Christi, Missa erit de eadem Octava, cum Sequentia et unica oratione, absque commemorationibus et collectis. In Dominicis vero privilegiatis primae et secundae classis, in festis pariter primae et secundae classis, feria IV Cinerum, feriis secunda, tertia et quarta maioris hebdomadae (a mane enim Feriae V ad mane Sabbati Sancti a praedicta Expositione omnino cessandum), omnibus diebus Octavae Paschae, Pentecostes et Epiphaniae, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, necnon Octava propria privilegiata, canenda est Missa diei currentis cum oratione SS. Sacramenti sub unica conclusione, omissis collectis et commemorationibus. Quod si festum aliquod primae vel secundae classis occurrat in Dominica, tunc secundo loco, sub distincta conclusione, fit commemoratio Dominicae et dicitur eius evangelium in fine Missae. Tandem in Missa *pro Pace* adiungitur oratio SS. Sacramenti sub unica conclusione; in diebus tamen exceptis, ut supra, Missa canenda erit diei currentis cum oratione *pro Pace* sub unica conclusione.

Quoad 5. quaestionem, ad 1 partem, *affirmative:* ad 2 partem, *negative.*

Ad VIII. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, declaravit, ac servari mandavit. Die 18 Maii 1883.

D. Cardinalis Bartolinius,
S. R. C. Praefectus
Laurentius Salvati,
S. R. C. Secretarius

RESCRIPTUM S. C. INDULG.

Quo indulgetur, ad lucrandas Viae Crucis Indulg., ut una tantum persona Crucifixum benedictum manu teneat, dum viginti Pater, Ave et Gloria *in communi recitantur.* (1)

Beatissime Pater,

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit, saepe saepius fideles, qui exercitium S. Viae Crucis peragere legitimo impedimento prohibentur, etiam impediri, quominus indulgentias Viae Crucis exercitio adnexas lucrifaciant adhibendo Crucifixum ad hunc effectum benedictum, eoquod huiusmodi Crucifixum non possident, sicuti accidit in familiis pauperum, in hospitalibus aliisque huius generis locis piis.

Hinc ut devotio erga Passionem D. N. I. C. magis magisque augeatur, neve fideles, inprimis animae in purgatorio detentae, ob expositum Crucifixi defectum a participatione praedictarum indulgentiarum arceantur, orator *enixis precibus* supplicat, ut Sanctitas Tua ad Crucifixos Viae Crucis vulgo nuncupatos benigne extendere dignetur indultum a s. m. Pio Pp. IX in ordine ad Rosarium sub die 22 Ianuarii 1858 (Decr. auth. n. 384.) concessum, ita (1) ut omnes utriusque sexus Christifideles praescripta viginti *Pater, Ave* et *Gloria* in communi recitantes lucrari valeant indulgentias Viae Crucis exercitio adnexas, licet manu non teneant Crucifixum benedictum, ac sufficiat, ut una tantum persona, quaecumque ea sit ex communitate, illum manu teneat, caeterique omnes, caeteris curis semotis, se componant pro oratione facienda, una cum persona, quae tenet Crucifixum.

Quam gratiam etc.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII in audientia habita die 19 Ianuarii 1884 ab infrascripto Secretario Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta petita ad tramitem Indulti iam concessi pro recitatione SSmi Rosarii, ut nimirum Christifideles, de quibus in precibus, ita se componant pro pio exercitio Viae Crucis peragendo una cum persona, quae tenet Crucifixum, ut Viae Crucis Indulgentias lucrari queant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 19 Ianuarii 1884.

Al. Card. Oreglia a S Stephano Praef.

Loco ✠ Sigilli.

Franciscus della Volpe Secrius.

(1) Hortamur Ministros Provinciales caeterosque locales Superiores ad hoc Rescriptum, pio Viae Crucis exercitio tam proficuum, modis omnibus evulgandum, ut ad fidelium notitiam quam citius perveniat.

(1) Hoc Decret. in editione autentica anni 1862 reperitur sub numero DCLXXV.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES DISPERSOS

Incitamenta seraphica

(*Continuatio*)

XIV.

De lugendo statu Ordinum regularium in Gallia saeculo XVIII.

Iucundum nobis fuisset, in gloriam Ordidinum regularium in Gallia saeculo XVIII, ea laudum testimonia posse referre, quae de Ordinis nostri statu saeculo XVI datum fuit, in medium adducere. Tunc enim Ecclesia, tam acriter ab haereticis impugnata, ubique inveniebat Divi Francisci filios, qui, sanctitate et doctrina praediti, eius partes fortiter sustinebant et fidem catholicam verbo, exemplo et calamo quin et sanguinis effusione strenue defendebant.

Diram quidem tunc temporis etiam passa est familia seraphica persecutionem et violentam conventuum suppressionem; sed ideo tantum quia accepta erat Deo, unde digna inventa fuit, ut sicut aurum in fornace probaretur, quo purior et observantior evaderet et gloriosior appareret, et ita permultos fideles ab imminenti perversionis periculo sancto suo zelo liberaret.

Praeterito autem saeculo, dum inimici Ecclesiae totalem eius subversionem meditarentur et tum haeresi, tum incredulitate populum catholicum atque reges et principes modis omnibus pervertere niterentur sacerdotes saeculares et religiosi Ordines, qui speciali modo per vota solemnia Deo erant dicati, quique maximum debuissent esse Ecclesiae sustentaculum, vitae sanctitate divinam iustitiam placare populosque charitatis zelo ad saniora perducere, minus e contra ordinato vivendi et agendi modo fidelibus potius fuerunt scandalo quam aedificationi, unde etiam religionis despectui et exterminio non parum tribuerunt et terribilem Dei vindictam in populum rebellem et in seipsos partim etiam provocasse censendi sunt.

Antequam de Regularibus illius temporis loquamur, pauca dicenda veniunt de agendi ratione cleri saecularis.

Nimis notum est, Gallicanismum et Iansenismum causas fuisse praecipuas quamvis remotas magnae perturbationis ad finem saeculi praeteriti excitatae.

Hi enim rebellionem illam contra sanctam Sedem moverunt quae per duo ferme saecula perduravit, quaeque in ordine tum civili tum ecclesiastico tot tantaque mala procreavit, ex quibus tandem terribilis illa conflagratio secuta est, quae totam fere Europam invadens disturbavit.

Quamvis Gallicana doctrina a Ludovico XIV praecipue fuerit excitata, eam tamen clerus saecularis et potissimum Ecclesiae praelati famosa sua declaratione stabilierunt et professi sunt, eamque quamvis mitigatam fere ad usque nostra tempora vigentem conservarunt principiis innitendo historiographi Claudii Fleury. Hunc enim sibi scopum praefixisse videtur dictus auctor in conscribenda sua historia ecclesiastica, ut per omnia saecula et ubicumque sese offerret occasio imminueret auctoritatem sanctae Sedis et suprematiam pontificiam cum infallibili eius magisterio impugnaret, eam Concilio Generali subiiciendo.

Hanc doctrinam fovendo pro magna parte episcopi, obedientiam et reverentiam apostolicae Sedi debitam in maximum rei catholicae detrimentum minuerunt, atque infallibilitatem Summo Pontifici denegando arma suppeditarunt Iansenistis, qui hac falsa doctrina nixi totius Ecclesiae Romanae declarationibus et decisionibus restiterunt.

Quod iam ad ipsum Iansenismum attinet, verum quidem est, quod longe maior pars cleri et episcoporum ei semper restiterint, et non parum eius condemnationi tribuerint; sed negari non potest, quod ipsum scopum a Iansenio eiusque asseclis intentum, impediendi scilicet frequentiam sacramentorum, non satis impugnaverunt, quin potius nimium illum in praxim deduxerunt.

Pro cuius intelligentia, operae pretium est referre attestationem quamdam cuiusdam Provincialis Ordinis Carmelitarum relatam a Dno de Monbron in opere cui titulus: *Disquisitio historica theologica, an Iansenismus sit verum phantasma,* et quae etiam recensetur in *Bibliotheca Carmelitana* his verbis: « Nos Marcus a Nativitate Virginis, provincialis Carmelita-

rum Provinciae Turonensis, hoc scripto declaramus, quod ann. 1652 et 1654 D. de Razilly, vir nobilis Turonensis testatus nobis sit, interfuisse se circa annum 1620, colloquio cuidam virorum in ecclesia spectabilium, inter quos erant Dominus Duvergier, cui nomen deinde fuit Sancyranus, et Dominus Iansenius, dein Iprensis in Flandria episcopus. Proponebat in eo colloquio D. Duvergier ut, ne fideles templa Regularium adirent tam frequenter, optimum factu fore si ecclesiastici qui administrandis sacramentis dabant operam, praxi uterentur ei opposita, quae id temporis usurpabatur a Regularibus, poenitentiae vero sacramentum difficile redderent, eucharistiae autem ut usus rarior esset, efficerent. Iansenio consultum non videbatur in Religiosos omnes simul insurgere, sed initium, aiebat, sumendum esse a Iesuitis; neque enim difficile futurum demonstrare perversam esse eorum de gratia doctrinam, et sopitas de ea re sub Clemente VIII concertationes restituere. In eum finem librum se conscripturum addicebat, quo Iesuitarum doctrinam impeteret, quem suspicio est, eum esse qui deinde prodiit in publicum hoc insignitus titulo: AUGUSTINUS (1).

Quidquid sit de veritate huius relationis, certum est quod Abbas Sancyranus (l'Abbé de Saint-Cyran) (2) amicissimus fuerit Iansenio, eiusque mentem et propositum in elucubrando dicto opere apprime cognosceret, et perversa eius principia in primis promoverit in Gallia, verbo et scripto efficaciam sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae eorumque frequentem usum impugnando.

Hanc doctrinam in haereditatem reliquit suis discipulis, inter quos praecipuus et maximus damnosus fuit Antonius Arnauld Parisiensis.

Hic praeter unicum opus praeclarum cui titulus *La perpetuité de la foi catholique touchant l'Eucharistie*, plura scripta Iansenistica edidit, inter alia: *La fréquente communion*, iuxta opiniones Sancyrani scripta, in quibus improbabat frequentem usum sacramentorum, et poenitentiam publicam exigebat tamquam conditionem et dispositionem ad ea digne recipienda. Docebat, melius esse reverentiae causa ab Eucharistia abstinere, idque tanquam actum poenitentiae publicae considerabat. Si post multos annos huius privationis, poenitentiae agendae causa, sive libere admissae, sive impositae, quis desiderabat ad sacram synaxim accedere, eum ad ulterius ab ea abstinendum hortabatur, et quidem, uti aiebat, amore perfectionis religiosae (1).

Praefatum opus Antonii Arnauld occasionem dedit publicationi multorum librorum eiusdem generis et erroris, qui fuse fuerunt per totam Galliam propagati, et maximum fidelibus detrimentum attulerunt, quorum permulti usum sacramentorum mox penitus relinquebant, quin imo ab ipsa ecclesia frequentanda cessabant.

Quo autem efficacius in partem suam traherent sacerdotes saeculares, praxim Regularium uti laxiorem impugnabant, eosque tamquam ineptos traducebant, efficiebantque ut et episcopis fierent exosi et ab eis male tractarentur: quinimo nullum non lapidem moverunt, ut et inter claustrales venenum suae doctrinae diffunderent.

Si iam perpendimus, hanc severiorem praxim in administrandis sacramentis per totam quasi Galliam invaluisse et ad nostra fere tempora perdurasse, eamque adeo lugendum habuisse effectum, ut a paucis tantum frequentarentur sacramenta et obligationi audiendi missam satis fieret, nonne perspicuum est, culpae ipsorum sacerdotum magna ex parte tribuendum esse quod omnis fere timor DEI ex hoc populo religioni catholicae olim tam addicto evanuerit et quod tandem ad indifferentis-

(1) Cfr. Prat S. I. *Essai historique sur la destruction des Ordres religieux en France.* Paris 1848, pag. 40-41.

(2) Cfr. *Biographie Universelle,* verb. *Saint-Cyran,* ubi spiritu Iansenistico laudatur, et intimum eius cum Iansenio commercium explicatur.

(1) Darras de hoc libro loquens ait: « L' effet du livre fut immense. Le nombre des communions diminua d'une manière effrayante à Paris. « Saint Vincent de Paul écrivait à un de ses missionnaires: « Il se peut faire que quelques personnes aient profité de la lecture de *La fréquente Communion;* mais si ce livre a servi à une centaine, en les rendant plus respectueux à l' égard des sacrements, il y en a pour le moins dix mille à qui il a nui, en les en retirant tout-à-fait; on ne voit plus que la sainte Communion soit fréquentée comme elle l'était autrefois, pas même à Pâques; à Saint-Sulpice on avait trois mille Communions de moins qu'à l'ordinaire, et il en est ainsi des autres paroisses. ». *Histoire générale de l' Eglise,* tom. 4 pag. 312, 7ª Edit

mum redactus pravam naturam et intellectum perversum sequendo eo devenerit, ut omne iugum tum humanum tum divinum voluerit excutere?

Nonne praeterea sacerdotes maximum praebuerunt scandalum populo fideli, eumque suo exemplo ad resistendum auctoritati Ecclesiae incitarunt in omnibus litibus Iansenianis et praesertim ineunte saeculo XVIII illa revixerunt, occasione ita dicti *casus conscientiae* et famosi libri Quesnelli?

Cum Clemens XI dicti auctoris propositiones Iansenismo affines damnasset per Bullam *Unigenitus*, Cardinalis de Noailles, Archiepiscopus Parisiensis, cum aliis quatuor episcopis Bullam Summi Pontificis non modo recusarunt acceptare, sed eo audaciae devenerunt, ut a Constitutione *Unigenitus* ad futurum concilium generale appellarint, suamque appellationem 1 Martii 1717 scriptam, Romam transmiserint. Mortuo autem Clemente XI, eorum exemplum secuti sunt alii undecim episcopi, doctores sorbonici, multi clerici et illi praesertim qui severiorem praxim acrius sustinebant; quinimo multi alii omnis generis conditionis viri et feminae; dum interim caeteri per orbem christianum episcopi Constitutionem *Unigenitus* ut legem dogmaticam et indubitabilem fidei regulam sine contradictione susceperant.

Quam graves his appellationibus et dissidiis in ecclesiis Galliae fuerint turbae excitatae, quantam ipsa disciplina clericalis inde passa sit iacturam, quantum denique per haec populo christiano datum fuerit scandalum, satis dici nequit.

Utinam saltem in luctuosis illis circumstantiis Regulares Ordines ab hac contagione mansissent immunes et apostolicam Sedem contra tot refractarios verbo, exemplo aut calamo sustentassent! Sed, quod dolentes fateri cogimur, novitatis spiritus et contentionis ardor sacra Religiosorum coenobia pariter invaserant, effeceruntque ut Sanctae Sedi resistentes claustrales maximum fidei catholicae et monasticae disciplinae detrimentum attulerint.

Hoc satis superque compertum habemus ex duplici scripto quod Illmus Fenelonius, Archiepiscopus Cameracensis, quem merito Iansenistarum malleum vocaveris, direxit circa hanc haeresim ad Sanctissimum Dominum Clementem XI, anno 1704, Summo Pontifici pastoralem epistolam mittens, qua Parisiensium 40 doctorum sententiam refellit, haec inter alia dicit, « Vix credibile est, quanta cum pernicie, tum cleri, tum monastici ordinis, Iansenianum dogma in hisce regionibus (1) inoleverit. Ausim tamen affirmare, Sanctissime Pater, quinque ipsas haereses, de quibus quaestio iuris appellata est, fidei catholicae minus adversari, quam hanc unam Ecclesiae circa *factum* fallibilitatem, tanto verborum fuco insinuatam (2) ».

Anno autem 1705, eidem Pontifici rationem agendi et opinandi utriusque cleri notificans in privata quadam epistola, sequenti modo quoad substantiam lugendum rerum statum describit: « Omnes illi, ait, qui in Sorbonia studiis vacant, exceptis seminaristis Sancti Sulpicii et paucissimis aliis, principia Iansenismi sequuntur sub nomine gratiae per se efficacis. Sub praetextu sequendi doctrinam S. Thomae errores suos acriter sustinere non cessant. Maxima pars Doctorum novitati invenitur addicta; unde fit ut plerique episcopi circumveniantur ab his, quos in Vicarios Generales assumunt et qui illorum dioeceses Iansenismo infectant. Et quid dicam de Ordinibus regularibus? Omnes fere Dominicani praetergrediuntur limites a Congregationibus *de Auxiliis* praefixos, et cum Iansenistis pro gratia necessitante decertant. Carmelitani Discalceati acriter eamdem doctrinam defendunt. Augustiniani, nomine sui Patriarchae seducti, insensibiliter adhaerent Augustino Iprensi. Canonici Regulares Sanctae Genovefae et alii Reformati eodem spiritu ducuntur. Benedictini utriusque Congregationis totis viribus easdem sustinent doctrinas. Praemonstratenses, iam ab initio controversiae in Belgio vocati fuerunt Iansenistae albi, eo quod aperte Iansenismum defenderent. Oratoriani Dni de Berulle verbo et scripto easdem sententias tuentur. Doctiores inter Capucinos pro eadem doctrina militabant, ita ut Superiores eorum coacti fuerint, eos ab officio Guardiani aut Lectoris amovere.

(1) In Gallia et in Belgio.

(2) Loquitur de casu conscientiae a Sorbonicis admisso et a Clemente XI damnato, qui occasionem dedit Schismati Iansenistico in Hollandia.

Nec desunt inter Recollectos qui, ut magnatibus placeant, iisdem erroribus adhaerent. » (1).

Historiographus Darras, eamdem Fenelonii relationem adducens merito hic exclamat. « O spectaculum horrendum! Ecclesia vacillans et desolata inter proprios filios suos offendit inimicos, qui non horruerunt sinum matris suae acerbitatibus dilacerare. Nihil certe efficacius probat quam necessarium fuerit ut in Ecclesia institueretur auctoritas fortis, immutabilis et infallibilis, ad reducendum devios in viam rectam, ad comprimenda scandala et errores reparandos atque ad fratres omnes in unitate et fide confirmandos (2) ». Gratias proinde DEO agamus quod veritas a CHRISTO revelata de infallibilitate Summi Pontificis tamquam catholicum dogma ab omibus de fide credendum nuper fuerit in Concilio Vaticano definita.

Addamus et nos sapientissime fuisse a S. P. N. Francisco tum Ecclesiae bono tum ipsorum Fratrum suorum incolumitati provisum, dum inspiratione divina, suo totiusque Ordinis sui nomine promisit « obedientiam et reverentiam Domino Papae Honorio, ac successoribus eius canonice intrantibus, » et dum per obedientiam iniunxit Ministris, ut peterent « a Domino Papa unum de Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui esset gubernator, protector et corrector istius Fraternitatis » ut illius interventu semper essent subditi et subiecti Sanctae Romanae Ecclesiae, atque semper stabiles in fide catholica.

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1884 celebrata

I.

Obs. Provincia Basilicatae.

In Congressu diei 8 Ianuarii a Rmo P. Generali Ministro ejusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Alphonsus Aragiusto a Tricorico.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Venantius ab Acherontia.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Aloysius a Petrafesa.
R. P. Iosephus a Rivello.
R. P. Alphonsus ab Acherontia.
R. P. Fulgentius a Colobraro.

Ante suppressionem haec Provincia sequentes 26 habuit Conventus:

Acerenza, S. Mariae Magdalenae.
Anzi, Ss. Trinitatis.
Aieta, S. Francisci.
Brienza, Annuntiationis B. M. V.
Balvano, S. Antonii.
Battaglia, S. Maria e Martyrum.
Calvello, S. Mariae *del Piano.*
Carbone, Annuntiationis B. M. V
Castelluccio, Nativitatis B. M. V.
Colobraro, S. Maria de Iesu.
Corleto, S. Mariae Magdalenae.
Craco, S. Petri.
Marsicovetere, S. Mariae.
Missanello, S. Mariae gratiarum.
Orsoleo, S. Mariae *di Orsoleo.*
Pietrapertosa, S. Francisci.
Rivello, S. Antonii.
Rocca imperiale, S. Mariae gratiarum.
Rotondella, S. Antonii.
S. Martino, S. Francisci.
Stigliano, S. Antonii.
Tito, S. Antonii.
Tricarico, S. Antonii.
Tursi, S. Francisci.
Viggiano, S. Mariae de Iesu.
Ruvo, S. Antonii.

—

II.

Obs. Provincia S. Ferdinandi in Molisio.

A Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio die 8 Ianuarii electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Ignatius a Toro.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Petrus-Bapt. a Roccamandolfi.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Ferdinandus a Ferrazzano.

(1) Cfr. Rohrbacher, *Histoire Universelle de l'Eglise Catholique*, Livre LXXXVIII.

(2) Cfr. Histoire Générale de l'Eglise, Tom. IV. pag. 420, 7ª Editio.

R. P. Conradus a S. Ioanne in Galdo.
R. P. Anselmus a Sassinoro.
R. P. Fridericus a S. Ioanne in Galdo.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 16 Conventus pertinebant:

Campobasso, S. Ioannis Bapt.
Isernia, S. Mariae gratiarum.
Forlì, S. Mariae gratiarum.
Cerro, B. M. V. de Laureto.
Venafro, *Il Carmine.*
Prata, S. Francisci.
Pietra Vairano, S. Mariae *della Vigna.*
Macchiagodena, Sancti Spiritus.
Sepino, S. Trinitatis.
Ielsi, *Le Grazie.*
Toro, B. M. V. de Laureto.
Morrone, S. Nazarii.
Castel di Sangro, S. Magdalenae.
Palmoli, *Il Carmine.*
Santobuono, S. Antonii.
Celenza d'Abruzzo, S. Donati.

—

III.

Obs. Provincia Lyciae S. Antonii.

Die 8 Ianuarii a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Franciscus a Castellaneta.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Michael a Massafra.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Aloysius a Felline.
R. P. Vincentius a Massafra.
R. P. Salvator a Carovigno.
R. P. Caietanus a Monteroni Lyciensi.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 12 Conventus pertinebant:

Lecce, S. Antonii.
S. Vito de'Schiavi, S. Mariae gratiarum.
Leverano, S. Rochi.
Ugento, S. Mariae *della Pietà.*
Racale, S. Mariae *la nuova.*
Secli, S. Mariae Angelorum.
Galatone, S. Antonii.
Botrugno, S. Mariae de Constantinopoli.
Marugio, S. Mariae gratiarum.
Acaia, Ss. Angelorum.
Massafra, S. Augustini.
Otranto, S. Francisci de Paulo.

—

IV.

Ref. Provincia Ss. VII Mm. Calabriae Ulterioris.

Die 8 Ianuarii a Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt.

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Bonaventura a Soriano.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Antonius a Cardinale.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Theophilus a Drapia.
R. P. Iacobus a Bianco.
R. P. Conceptius a Badolato.
R. P. Bernardinus a Cardinale.

Ad istam Provinciam ante suppressionem, sequentes 17 Conventus pertinebant:

Arena, SSmae Trinitatis.
Bianco, B. V. M. de Victoria.
Badolato, B. V. M. Angelorum.
Bovalino, S. Mariae a Iesu.
Carlopoli, B. M. V. Dolorosae.
Catanzaro, B. M. V. Gratiarum.
Geraci, S. Franciscae Romanae.
Girifalco, S. Antonii Pat.
Melicoccà, S. Antonii Pat.
Melito, B. M. V. de Portu Salvo.
Nicastro, S. P. N. Francisci.
Palmi, B. M. V. Annuntiatae.
Reggio, B. V. M. *della Sanità.*
Sottriano, B. V. M. Immaculatae.
Stignano, S. Antonii Pat.
Tropea, B. V. M.

—

V.

Ref. Provincia Calabriae Citerioris.

Die 8 Ianuarii a Ministro Generali, eiusque Definitorio electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Daniel a Sersale.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Franciscus a Sersale.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Clemens a S. Stephano.
R. P. Franciscus a Roggiano.
R. P. Aloysius a Sersale.

R. P. Bonaventura a Bisiniano.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 21 Conventus pertinebant.

Bacchigliero, S. M. a Iesu.
Bisignano, S. P. N. Francisci.
Caccuri, S. M. *del Soccorso.*
Campana. S. Antonii.
Corigliano, S. M. *di Costantinopoli.*
Cosenza, S. M. *di Costantinopoli.*
Cutro, SSmi Salvatoris.
Cerisano, S. M. Angelorum.
Dipignano, B. V. M. Annuntiatae.
Grimaldi, Spiritus Sancti.
Lattarico S. Antonii.
Longobucco, B. V. M. Annuntiatae.
Marzi, S. M. Angelorum.
Mesoraca, B. V. M. Gratiarum.
Policastro, S. M. *delle Manche.*
Pietrafitta, S. P. Francisci.
Rose, B. V. M. Immaculatae.
Roveto, S. Petri Apostoli.
Sanmarco, S. P. N. Francisci.
Santa Severina, B. V. M. Annuntiatae.
Sersale, S. Paschalis.

VI.

Ref. Provincia Basilicatae.

Die 8 Ianuarii a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

Minister Provincialis:

A. R. P. Bernardinus a Cancellara.

Custos Provinciae:

A. R. P. Aloysius a Cancellara.

Definitores Provinciae:

R. P. Antonius M. a Genzano.
R. P. Nicolaus a Tricarico.
R. P. Antonius a Colitris,
R. P. Carolus a Cancellara.

Ad hanc Provinciam sequentes 19 Conventus ante suppressionem pertinebant:

Avigliano, S. M. Angelorum.
Banzi, S. M. *de Banzi.*
Bernalda, S. Antonii.
Caggiano, S. Antonii.
Cancellara, B. M. V. Annuntiatae.
Forenza, S. M. *della Stella.*
Genzano, S. P. N. Francisci.
Grassano, B. V. M. de Monte Carmelo.
Laurenzana, B. V. M. ad Nives.
Montenovo, S. Antonii.
Miglionico, S. P. N. Francisci.
Oppido, (Palmira) S. M. a Iesu.
Pisticci, B. V. M. Gratiarum.
Pomarico, S. P. N. Francisci.
Potenza, S. M. de Sepulchro.
Santangelo, *le Fratte,* S. M. *Alleluia.*
Santarcangelo, S. Michaelis Arcangeli.
Salandra, S. P, N. Francisci.
Venosa, S. M. de monte Calvario.

VII.

Ref. Provincia Lyciensis.

Die 8 Ianuarii a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

Minister Provincialis:

A. R. P. Eugenius a Martina.

Custos Provinciae:

A, R. P. Antonius a Martina.

Definitores Provinciae:

R. P. Raphael a Faggiano.
R. P. Seraphinus a Cisternino.
R. P. Alphonsus a Fasano.
R. P. Iosephus a Cisternino.

Provincia ista ante suppressionem sequentes 18 Conventus habuit:

Brindisi, S. M. *del Casale.*
Galatina, S. Catarinae V. M.
Gallipoli, S. P. N. Francisci.
Francavilla, S. M. de Cruce.
Lecce, S. M. de Templo.
Lequile, S. P. N. Francisci.
Martina, S. Stephani Protom.
Manduria, S. P. N. Francisci.
Mesagne, S. P. N. Francisci.
Minervino, S. Antónii.
Nardò, S. Antonii.
Ostuni, B. M. V. Annuntiatae.
Presicce, B. M. V. Angelorum.
Salice, B. M. V. Visitationis.
Soleto, B. M. V. Gratiarum.
Taranto, S. Antonii.
Taviano, S. Antonii.
Vulsano, B. M. V. Martyrum.

—

MINISTERIA SPIRITUALIA

Patrum Ref. Custodiae Cincinnatensis S. Ioannis Bapt. in Statibus foederatis Americae septentrionalis a die 1 Iunii 1882 usque ad diem 1 Iulii 1883.

Praefata Custodia in 7 dioecesibus admi-

nistrat 37 parochias et missiones cum 43,132 animabus.

Baptizati	»	2694
Ad primam Communionem admissi		1301
S. Confirmationis Sacramento insigniti	»	1456
Scholae elementares. . . .	»	88
Pueri et puellae in istis scholis.		7266
Conversiones ad fidem catholicam.		111
Matrimonia benedicta . . .	»	426
Confessiones auditae . . .	»	183283
Communiones ministratae. .	»	184895
Extremaè unctiones.. . . .	»	1060
Defuncti.	»	1284
Tertiarii saeculares	»	1432
Societati B. M. V. adscripti.	»	4371
Gymnasium.	»	1
Instituta, quorum cura Patribus concredita est	»	7

III.
MISSIONES

—

EPISTOLA

P. Aegidii Broekman, Min. Rec. Missionarii in Vicariatu de Hu-pe orientali, transmissa a P. Martino Poell ad P. Procuratorem Missionum, Parisios.

SUMMARIUM

1. **Inundatione quadruplici districtus de Kien-Kiang devastatus — 2. Ex inedia desperatus quidam filias suas in fluvium proiicit.**

Mon Très Révérend Père

Je m' empresse de vous adresser, en la traduisant en français, la lettre navrante que je reçois du R. P. Egide Broekman.

Hankeou, 17 Octobre 1883.

Mon cher Confrère,

1. « Dans ma dernière lettre je vous donnai la triste nouvelle que le district de Kienkiang était inondé et je demandai du secours. Le R. P. Hofman m'a apporté un peu d'argent, que j' ai reçu avec beaucoup de plaisir et de reconnaissance. Cependant permettez que je dise avec l'Apôtre St. André: « *Quid haec inter tantos?* » Lisez et jugez vous-même.

De tous les villages et chrétientés du district deux seulement ne sont pas inondés. Les autres ont vu enlever par l'eau jusq' à quatre fois leur fruits, leur bonheur, leurs espérances.... Il m' est impossible de décrire la pauvreté et la misère qui y règnent maintenant. Comme vous savez, les paysans de ces contrées ne sont pas riches: ils vivent d'une saison à l'autre des produits de leurs champs. Si une récolte est mauvaise, la pauvreté l'accompagne. Eh bien! que sera-ce maintenant qu' il n' y a pas eu de récolte du tout? Pauvres gens! Après la première inondation ils allaient labourer de nouveau leurs champs et plusieurs vendaient ce qu' ils avaient à vendre, ou mettaient leurs habits d' hiver en gage pour acheter les grains à semer, espérant recueillir au moins le plus nécessaire pour l' hiver. Hélas! peu de jours avant la récolte qui les aurait sauvés, la seconde inondation ravageait tout dans les champs plus bas, et avant que les eaux fussent retirées, une troisième plus grande encore, couvrait tout ce qui avait été épargné. Enfin la rupture d' une digue fut cause d' une quatrième inondation. Je ne sais pas comment ces malheureux pourront passer l' hiver. Il est très-difficile, pour ne pas dire impossible, de vendre les champs, maisons ou meubles, même à vil prix, parce qu' il n' y a personne qui les achète. Une petite maison, qui avait côuté plus de 200 frs, ne pouvait être vendue à 30 frs; un terrain qui autrefois se vendait 100 frs n' en vaut pas 20 à présent. Pour comble de malheur, la récolte de coton a été très-mauvaise ailleurs; de sorte qu' on ne peut pas même gagner un morceau de pain en filant ou tissant. Il ne leur reste que la besace! Pauvres mendiants et surtout pauvres mendiantes!! Ah, mon cher Confrère, vous savez comment les femmes et les filles sont traitées, à quels dangers elles sont exposées dans de telles circonstances. Vous savez que plusieurs préfèrent la mort à une telle vie.

2. Voici un fait, qui vous dira plus qu'une longue lettre. Un père de famille avait deux filles: l' une avait 10 ans, l' autre était un peu plus âgée. Elles étaient déjà promises ou fiancées... N' ayant plus de quoi les nourrir, il les conduit à la maison des fiancés respectifs;

mais leur famille étant dans les mêmes conditions que lui, ne veut pas les accepter. Craignant de ne plus trouver d'épouses plus tard, les parents refusent de rendre la preuve écrite. Le père désespéré les reconduit chez lui, sort de nouveau, s' arrête au fleuve, saisit ses deux filles et les y jette... On le voit, on accourt, on les retire... mais hélas! l' une était déjà morte. Voilà où nous en sommes!! Pour l'amour de Dieu, aidez-nous! »

Mon Très Rév. Père, que voulez-vous que je fasse pour mon pauvre Confrère et ses chrétiens? Puis-je faire autre chose que prier avec lui? Mon Dieu, ayes pitié de nous! — Ah! plaise à Dieu de faire entendre ce cri de détresse aux âmes de bonne volonté qui ont le moyen de nous secourir!

Votre tout dév. et res. Conf.

Fr. Martin Poell

Min. Recol. Mission. Ap. au Hou-pé.

—

EPISTOLA

R. P. Prosperi Mariae a Marennis, Min. Obs., Missionarii Apostolici in Aintab Armeniae.

SUMMARIUM

1. Novae huius Missionis enarrat progressus; de emptione agit areae ad construendum ecclesiam atque scholam — 2. Obviae difficultates devictae, interveniente Rmo Dno Ludovico Piavi, Delegato apostolico. — 3. Scholarum status. — 4. Educatio protestantica. — 5. Missionis necessitates.

Aintab, le 15 Novembre 1883.

Mon Très-Révérend Père,

1. L'année passée nous avions l'honneur de vous faire connaître les commencements de la nouvelle Mission que la Custodie de Terre Sainte a dû ouvrir à Aintab, il y a à peine deux ans. Permettez-moi de venir vous entretenir de nouveau, vous raconter comment le bon Dieu semble bénir cette Mission naissante et vous faire part de nos espérances.

Les personnes qui ont habité l'Orient savent que les populations de ce pays sont surtout attirées par l'extérieur.

Dès notre arrivée ici, une grande sympathie se manifesta en notre faveur dans la nation arménienne, sans cependant amener de conversions. Les Arméniens sont habitués à recevoir beaucoup de belles promesses non suivies d'effet et ils attendent, disent-ils, que la nouvelle église soit faite pour se convertir et se faire catholiques. En face d'une telle disposition d'esprit des populations, nous avons dû renoncer à perfectionner notre installation provisoire et tous nos efforts se sont tournés vers l'établissement projeté pour lequel nous avons fait l'acquisition d'un terrain assez spacieux et parfaitement situé.

2. Aussi l'acquisition à peine reconnue et toutes les formalités accomplies, nous couvrîmes le terrain de pierres destinées à le clore et le temps propice venu, nous voulûmes nous munir de la permission nécessaire, le terrain se trouvant compris entre trois routes ou chemins publics; mais, à notre grand étonnement, le gouverneur et le Conseil municipal, se déchargeant l'un sur l'autre de la responsabilité, nous laissèrent sans réponse, ne voulant même pas nous accuser réception de notre requête. Force nous fut de nous adresser plus haut et le R. Père Président de la Mission se rendit à Alep où, par bonheur pour nous, et non, je pense, sans un dessein de la divine Providence, se trouvait un illustre Prélat Franciscain, Mgr Ludovic Piavi, Délégué Apostolique pour la Syrie.

L'éminent Prélat a su, dans un poste si difficile, s'attirer le respect et l'amitié du gouvernement Ottoman par sa loyauté et sa droiture dans les affaires. C'est après Dieu, grâce à lui que nous avons pu surmonter toutes les difficultés que la haine du nom catholique avait fait naître. Le gouverneur d'Alep, Djémil-Pacha, homme énergique et ferme, qui professe pour Mgr. Piavi une admiration et une amitié qu'il s'est efforcé de manifester en lui rendant des honneurs vraiment extraordinaires, examina sérieusement la requête, et, voyant la ridiculité des objections, fit rédiger une lettre qu'il remit ouverte à sa Grandeur pour la remettre Elle-même au gouverneur d'Aintab.

Cette lettre produisit, en quelque sorte, un effet foudroyant. Jamais, disent-ils, on n'a vu ici une lettre semblable. Aussi reçûmes-nous bien vite la permission sollicitée depuis plus de deux mois et le mûr, malgré de nou-

veaux essais de persécution occulte, se termina en moins de trois mois sur un développement de 350 mètres. Il a nécessité une dépense qui s'élèvera à près de 20.000 fr.

Ce succès fait d'autant plus d'effet sur les populations que depuis un an les protestants ont préparé tous les matériaux nécessaires à la construction d'un orphelinat. Ils se sont vu comme à nous refuser l'autorisation et, bien que depuis 18 mois, ils se soient adressés à Constantinople, ils n'ont pas encore posé la première pierre, tandis que nous, non seulement nous avons pu clore notre terrain, mais nous avons creusé les fondements de la maison future. De plus nous avons de sérieuses espérances que le firman nécessaire pour la construction de nos écoles et de l'église ne se fera pas attendre.

Nous ne pouvons ici passer outre sans payer un tribut de reconnaissance à son Excellence *Djémil*-Pacha, gouverneur d'Alep, à la bienveillance duquel nous devons d'avoir pu surmonter toutes les tracasseries qui nous ont été faites. non seulement à Aintab, mais encore à Marach, à Nizib et à Knaié. Puisse le bon Dieu l'en récompenser et le conserver longtemps aux populations qu'il gouverne avec tant de sagesse et de fermeté.

3. En attendant nous continuons à faire nos écoles comme nous pouvons, vu le peu de commodité et la petitesse du local. Les enfants ont peu augmenté; beaucoup des plus grands sont partis; mais un assez grand nombre de petits sont venus, ce que nous préférons de beaucoup; car nous pourrons ainsi peu à peu avoir une école composée d'enfants élevés par nous, et peut être pourrons-nous avec la grâce de Dieu, les préserver des vices ignobles que beaucoup de ces pauvres créatures semblent connaître avant l'âge de raison, au point que l'on comprend ici le mot de l'Ecriture Sainte: *Vallaverunt domum a puero usque ad senem.*

S'il en est ainsi des enfants, que dirons-nous des jeunes gens? Assurément en Europe il y a bien du mal: mais on se console en rencontrant encore de ces jeunes gens dont la pureté de coeur et d'âme se reflète sur le visage comme sur un miroir. Ici nous n'avons pas hélas! cette consolation.

4. Il y a donc beaucoup à faire, immensément à faire ici pour la jeunesse. Les difficultés sont singulièrement augmentées par l'éducation protestante qui a pris un développement considérable, grâce au manque absolu d'école catholique et au mauvais état de l'école arménienne schismatique. A force de propagande, les protestants ont répandu dans la jeunesse un amour désordonné de la science; ils ne sont arrivés qu'à produire un esprit de liberté, qui se traduit dans l'extérieur, de telle sorte qu'en voyant un jeune homme on le reconnaît facilement comme protestant à je ne sais quoi de libre et d'effronté répandu sur sa physionomie et dans toute sa personne.

Les fruits d'une telle éducation sur des enfants disposés comme je vous le disais tout à l'heure, peuvent se deviner facilement. Il faut ajouter à cela la promiscuité des deux sexes, autre caractère de l'éducation en question et on comprendra comment plusieurs fois on a dû renvoyer dans leur pays les institutrices qui étaient venues d'Amérique. Je passe sous silence d'autres détails à ce sujet...

Pardonnez moi, mon révérend Père, ceux que je vous donne: ils sont déjà assez écœurants, mais ils sont nécessaires pour comprendre tout le mal que les protestants font dans ces pays; ils semblent faire tous leurs efforts pour encourager les dispositions naturelles des populations au mal. Ils n'ont cependant pas supprimé des Bibles, qu'ils répandent partout, ces mots de Notre Seigneur *Vae vobis... hypocritae, quia clauditis regnum coelorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare*, et à la fin il ajoute: *Quia similes estis sepulchris dealbatis*. Et, en effet, tout à l'extérieur semble beau; ils savent recouvrir leurs actes d'un vernis de civilisation; mais les révélations qui ont lieu de temps en temps font connaître l'intérieur. C'est ce qu'un jeune arménien m'avouait il y a peu de temps: « En voyant leur extérieur grave et sérieux, disait-il, je les croyais tous des saints; mais maintenant que j'ai vécu suffisamment avec eux, j'ai connu ce qu'ils sont. »

Et ce qui se passe ici, se passe à Marach, et doit se passer dans tous les endroits où se trouvent de leurs corréligionnaires. Nous at-

tendons avec impatience le jour où nous pourrons enfin développer notre école et la faire correspondre à des besoins si pressants.

5. Mais pour cela, mon révérend Père, il nous faut des ressources considérables. La Custodie de Terre Sainte qui a fondé la présente Mission, doit entretenir une multitude de missions anciennes, disséminées depuis l'Egypte jusqu'aux montagnes du Taurus: elle ne peut donc que bien difficilement pourvoir à des établissements nouveaux. C'est ce que le Souverain Pontife Léon XIII a reconnu en lui accordant une somme de 50.000 fr. destinée à la construction d'une église à Aintab. La Custodie songera aux frais relatifs à la construction d'une maison dans laquelle nous installerons provisoirement nos écoles jusq'à ce que la divine Providence nous fournisse les moyens de construire des bâtiments spéciaux.

En attendant les dépenses annuelles de l'école actuelle sont assez considérables puisque elles s'élévent pour la présente année à 2240 fr. Veuillez donc, mon Très Révérend Père, en transmettant à l'œuvre des écoles d'Orient, notre profonde reconnaissance pour la dernière allocation qu'elle nous a faite, nous recommander de nouveau à sa bienveillance, afin que, cette année encore, elle veuille nous continuer son assistance.

Veuillez agréer, mon Très Révéred Père, etc.

Fr. Prosper Marie, de Marennes
Min. Obs. Miss. Ap.

—

STATUS

Apostolicae Provinciae S. Gregorii Magni, FF. Min. Discalceatorum in insulis Philippinis anno 1883.

Patres.	216
Fratres clerici professi	99
Fratres clerici novitii	26
Fratres laici	75
Parochiae	149
Missiones	17
Numerus fidelium dictarum parochiarum et missionum	1.006.872
Baptizati	45,730
Matrimonia benedicta	11,363
Sepulturae mandati	43,723
Tertiarii saeculares	16,038

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

1882. CATECISMO DE LA DOCTRINA CHRISTIANA en Guarayo y en Castellano, seguido de unas oraciones para antes y despues de la Comunion de unos devotos canticos. Para el uso de los Neòfitos de las Misiones del Colegio de Propaganda Fide de San Iose de Tarata, Por. el P. Frai Iosé Cardús, M. O. de la Provincia de San Luis. Cochabamba, (Bolivia) Imprenta del Siglo. In 8. pag. 76.

1883. I QUATTRO CENTENARI di S. Francesco d'Assisi, di S. Tommaso d'Aquino, di S. Bonaventura e di S. Antonio. — Ragionamenti sacri del P. Emidio Cardini, Min. Oss. — Siena Tip. all'ins. di S. Bernardino, in 12. pag. 134. (L. 1.)

1883. SAN FRANCESCO D'ASSISI, discorso letto in Cianciana nel terzo giorno della *commemorazione del VII Centenario,* con note ed appendici per Gaetano di Giovanni seconda edizione, corretta ed accresciuta. Girgenti, ufficio tipografico di Salvatore Montes. in 8. pag. 199 (L. 2,75).

In hoc volumine inveniuntur appendices magni momenti, praesertim vero:

App. II. *Bibliografia biografica sanfrancescana* in qua enumerantur 159 opera quae de S. Francisco Assisinate tractarunt.

App. IV. *Contributo alla bibliografia del VII Centenario dalla nascita di S. Francesco d'Assisi.*

Fideliter in hac appendice commemorata eruditi reperient *321 opera* sive publicationes, quae occasione VII Centenarii in lucem prodierunt.

1883. DE HEILIGE TRUDO van Serckinghe, eene bydrage tot de kerkelyke Geschiedenis van ons vaderland in de zevende eeuw, door P. F. Servatius Dirks, uit de Orde der Minderbroeders-Recollecten van België. 2. editie. 1 vol. in 16, 224 pag. (L. 1.) (S. Trudo a Serckinge, additamentum ad historiam ecclesiasticam patriae nostrae in septimo saeculo, a P. Servatio Dirks, Recollectae Prov. S. Ioseph in Belgio, 2 editio.)

1884. A S. FRANCESCO DI ASSISI, ORAZIONE PANEGIRICA del M. R. P. Anton Maria da Vicenza, Min. Provinciale dei Minori riformati della Provincia di Venezia, recitata nella chiesa dei Min. Rif. di S. Francesco di

Rovigno in Istria, ai 4 Ottobre 1882, ultimo giorno del solenne triduo pel VII Centenario dalla nascita del santo. Napoli, officina tipog. di Rinaldi e Sellitto. in 8. pag. 11.

1884. Elogio funebre di Mons. Bernardino Trionfetti, M. O., già Vescovo renunziatario delle tre diocesi riunite Terracina, Sezze e Piperno, Titolare di Cafarnao, letto nell' insigne Basilica di S. Maria degli Angeli presso Assisi da Mons. Luciano Saracani M.O. Vescovo di Poggio Mirteto, nel giorno dei solenni funerali, 11 Gennaio 1884.

Roma Tipografia fratelli Pallotta, via dell'Umiltà, 86, in 8, pag. 23.

1884. Iesus lydend voor ons. Overwegingen voor den H. Vastentyd, door P. F. Bertinus Hermans. (Iesus patiens pro nobis. Meditationes pro tempore S. Quadragesimae, a P. Bertino Hermans, Recoll. Prov. S. Ioseph in Belgio.) Gent, Hemelsoet, (L. 1.)

V.
NECROLOGIA

In Conventu Bulsanensi, Provinciae S. Leopoldi in Tyroli septentrionali, annorum ac meritorum plenus obiit in Domino R. P. Marcus Vergeiner, Ord. et Sacerd. Iubilaeus, Lector Ss. Theologiae et Professor Gymnasii emeritus, Examinator Prosynodalis pro Dioecesi Tridentina, iterato Provinciae Definitor et Custos, vir pietate, scientia et seraphicae Religionis zelo insignis, necnon in labore ad ultimum pene halitum usque indefessus.

Natus Leontii in Tyroli die 25 Maii 1801, nonnisi transacto quintodecimo aetatis anno in Gymnasio Bulsanensi a Franciscanis eiusdem Provinciae moderato studia litterarum aggressus est. Morum integritate ac in studiis diligentia magistrorum gaudium et commilitonum exemplar effectus, semper inter praemiferos locum primum obtinuit. Absoluto demum sexto Gymnasii anno Ordinem seraphicum amplexus est, in quo iam ab initio ita se gerebat, ut brevi omnibus innotuerit, iuvenem fratrem Marcum Seraphicae Religionis spiritum et mentem simul cum habitu induisse. Novitiatus anno peracto eadem, ut ante, immo maiori diligentia philosophicis primum, dein Theologicis studiis, utrinque egregio cum successu, incubuit. A Superioribus ad Lectoratum destinatus post sollicitam praeparationem mense Decembri 1830 Brixinae examen subiit, indeque a Caesareo Regio Comitio Aulico studiis praefecto adprobatus est qua Lector Sacrae Scripturae V. T. et linguarum orientalium. Exin civitas Bulsanensis locus erat, ubi per reliquam vitam oratione et labore Deo servire et proximo benefacere studebat.

Lector Theologiae et Professor Gymnasii per quinquaginta annos et ultra summo zelo iuniores confratres et studiosos saeculares ad pietatem et scientiam educabat, ac, ut eorum conatus sublevaret, omni modo et proprio labore eos adiuvabat. Saepius theses theologicae ab ipso, uti tunc moris erat, compositae a Gubernio laudabantur et strenui Lectoris industria a supranominato Comitio Aulico commendabatur. Anno 1861 etiam qua lector Iuris canonici adprobatus fuit, examine ob amplissimam eius in scientiis theologicis eruditionem remisso. Sicut studium S. Bibliae V. T. eum praecipue impulerat ad comparandam sibi linguarum et dialectuum semiticarum accuratam cognitionem, ita generatim propensio et indoles eum ad studia linguistica praecipue inclinabant, Linguarum Graecae et Latinae, necnon auctorum, qui in iisdem scripserunt, peritissimus erat. Inter linguas semiticas arabicam et turcicam imprimis cordi habuit. Sed et alias permultas linguas tum Orientis tum Europae passim didicit, ita quidem, ut versus vitae finem plusquam viginti variarum linguarum notitia imbutus appareret. Quam conspicua fuerit in P. Marco linguarum scientia, vel ex eo patet, quod celebri suo amico P. Pio Zingerle, Ord. S. Benedicti, Iubilaeum Sacerdotii celebraturo, gratulationem septemdecim diversis tum linguis tum dialectibus orientalibus elocutam porrexit. Linguas non primoribus labris attigit tantum, sed ut veram scientiam earum studium excolens confinitates et nexus inter illas, necnon singularum proprium characterem comparando indagare studebat, cuius rei plures tractatus ab ipso compositi testimonium perhibent. — Ast progressus in scientiis ipsi ultimus finis studiorum non erat:

per ea, quae frequenti conatu didicerat, etiam proximo iuvamen afferre desiderabat, et quidem praeprimis quoad animarum salutem. Quare linguarum peritia Missionarios in Terra Sancta et in Aegypto adiuvare satagebat conscribendo grammaticas linguae arabicae et turcicae eorum commoditati adaptatas et vertendo in istas linguas compendium eorum, quae sunt scitu necessaria ad salutem aeternam, quo illi facilius summa doctrinae christianae capita neophytis suis explanare possint.

Dum autem tali modo cooperari studebat ad salutem longe distantium, haud incurius manebat de bono eorum, qui in sua patria degebant. Omnibus enim diebus dominicis et festis plurimi ad eum ventitabant, ut peccata sua confiterentur et ex ore tam venerabili tum remissionis asseverantiam tum monita salutaria referrent. Insuper etiam Sacerdotes frequenter ad eum veniebant aut confessionis aut consilii causa, multi autem et a longe per litteras in difficillimis negotiis eius consilium expetebant; quibus semper, quoad licuit, non solum promptissimus adfuit, sed et versatissimum in Iure canonico et in Theologia Morali se ostendit. Quapropter iam ante multos annos a Reverendissimo Ordinario Tridentino munere Examinatoris Pro-synodalis pro ista Dioecesi insignitus fuit.

Multo autem magis, quam scientiis et laboribus, P. Marcus solida pietate extitit Provinciae decus. Seraphicam Religionem summi habebat et ex intimo corde diligebat, eiusque leges rigidissime observare semper studebat trium votorum, in primis sanctae paupertatis exactissima custodia. Mortificationis amans praeterea, quae communiter observantur, usque ad decrepitam senectutem omnibus ieiunii diebus nil unquam praeter binam refectionem gustabat. Quamvis studiis suis summa dilectione inhaereret, tamen diebus dominicis et festis ab iis omnino abstinebat, nisi quandoque obedientia vel charitas aliud exigeret, Non tantum erga Superiores addictissimum semper animum et hilarem obedientiam praesetulit, verum etiam erga inferiores comis et benevolus ac ad omnia servitia praestanda paratissimus erat et persaepe sua studia derelinquebat, ut alicuius desiderium, etsi minimi esset momenti, expleret. Solitudinem et silentium claustrale prae ceteris diligens vix unquam domum saecularem, nisi gravi causa adactus, intrabat.

Tandem qui tam fideliter in vita Seraphici Patris nostri vestigia prosecutus fuerat, etiam in egressu ex hac vita similis factus est illi, moriens humi stratus. Iam ante aliquot menses senii morbo affectus accedente hydrope graviter decumbebat. Post aliquas vero hebdomadas iterum coepit melius se habere et magnam diei partem extra lectum transigere solebat oratione et studiis occupatus. Die autem 30 Novembris anni proxime elapsi, cum eodem modo sedens, assistente quodam confratre, Vesperas recitasset, inopinato e sella surgere tentabat; cum tamen morbo hebetatus *consistere* non valeret, confrater ulnis eum excepit et, impotens eum sustinere vel lectui imponere, caute in pavimentum demisit, ubi post pauca momenta animam suam efflavit anno aetatis physicae 83, religiosae 61. R. I. P.

R. P. Benedictus a Recineto, Obs. Provinciae Marchiae filius, lenta phtisi consumptus, in sua patria spiritum Deo reddidit die 13 Decembris anni proxime elapsi, vix *expleto* quadragesimo quinto aetatis anno. - Fuit vir praeclaro ingenio praeditus, in loqnendo disertus, litteris sacris et profanis eruditus. Philosophiam et mathesim alumnos Ordinis docuit primum Glemonae in Observ. Provincia Veneta, deinde per octo annos in Palaestina, et demum in dioecesano Seminario Tolentini per triennium iisdem disciplinis clericos saeculares instituit, semper et ubique, ob eius peritiam in magisterio, a discipulis celebratus laudibusque cumulatus. Viri etiam docti amicitia eius gavisi sunt. Vitam duxit modestam, integerrimám atque ab hominum convictu remotam. Merito igitur Picena Provincia praematurae huius egregii filii sui morti adhuc illacrymatur, et hac sacra salutatione aeternam ei requiem adprecatur. « Fiat in pace locus eius, et habitatio eius in Sion. »

Nihil obstat.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

BREVE APOSTOLICUM

Quo indulgentiae conceduntur Collegiorum Seraphicorum alumnis eorumque benefactoribus.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam. Exponendum Nobis curavit dilectus Filius Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, in nonnullis Italiae Galliaeque Provinciis eiusdem Ordinis, Collegia fuisse piis fidelium elargitionibus erecta, recipiendis instituendisque adolescentibus, qui ad religiosae vitae rationem ineundam vocari videantur. Iam vero Nos, ut opus tam pium, quod fide et charitate suadente inchoatum est, feliciter confirmetur et crescat, et crebros nanciscatur suffragatores, de Omnipotentis DEI misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus atque singulis Christifidelibus in praefatis Collegiis degentibus, et illis qui erga eadem collegia benefecerint, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac S. Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen IESU ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, Plenariam: eisdemque Christifidelibus et Benefactoribus, vere etiam poenitentibus et confessis, ac S. Communione refectis, si eo die quo adolescentes Collegiorum alumni sacram Ordinis vestem rite assument, et die festo Praesentationis B. MARIAE Virg. Imm. a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis Ecclesiam seu Oratorium proprii Collegii, aut propriam cuiusque Parochialem Ecclesiam devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, misericorditer in DOMINO concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae praemunitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV Ianuarii MDCCCLXXIX, Pontificatus Nostri anno Primo.

Pro Dno. Card. NINA *a Secretis Status*
D. IACOBINI *Subst. a Brevibus.*

—

DECRETUM

S. CONG. S. R. U. INQUISIT.

Quo edicitur, eos, qui ad unicam comestionem non tenentur, obstringi tamen lege de non permiscendis licitis et interdictis epulis.

Die 23 Iunii 1875.

Huic sacrae Congregationi dubium fuit propositum ab Episcopo Baionensi « utrum obligatio de non miscendis piscibus cum carne diebus quadragesimae attingat omnes, qui vi indulti carnibus vesci possunt, vel solummodo eos qui ieiunant. »

Die 23 Iunii 1875 in Congregatione generali *S. R. et U. Inquisitionis* habita coram Emis ac Rmis Cardinalibus, generalibus inquisitoribus, proposito suprascripto dubio et praehabito voto D. D. Consultorum, iidem Emi et Rmi rescribi mandarunt: *Affirmative* quoad primam partem; *Negative* quoad secundam partem; et detur decretum 24 Martii 1847; nempe ad dubium: « An lex de non permiscendis licitis et interdictis epulis eos etiam respiciat, qui ad unicam comestionem non tenentur, uti iuvenes antequam tertium compleverint septennium, aliique rationabiliter ab eadem excusati ob impotentiam vel laborem: » Emi decreverunt: *Non licere.*

—

DECISIO S. R. C.

De exequiis defunctorum in ecclesiis Regularium.

ORDINIS MINOR. S. FRANCISCI CONVENTUAL.

Hodiernus Superior Conventus S. Antonii Patavini, Ord. Min. S. Francisci Conventualium Bruxellis, exposuit, quod plures fideles, praesertim pauperes, non habentes unde solvere valeant, iuxta suum statum societatis, stipendium nimis onerosum missae exequialis in ecclesia parochiali, in ea celebrare faciunt tantum funeralia sine missa; postea vero, ne defuncti anima privetur augustissimi Missae sacrificii solatio, Missam de Requie celebrare faciunt in ecclesia aliena, praesertim apud Regulares.

Cum vero praefata Missa de Requie in aliena ecclesia post aliquos dies a sepultura defuncti cantata locum tenere videatur exequialis, cuius celebrandae ius soli parocho competit, quamvis revera non sit nisi missa de tertia, septima vel trigesima die a depositione vel votiva, dubitatur an eiusmodi Missam celebrare liceat in aliena ecclesia. Hinc insequentia dubia enodanda Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum:

I. An liceat in aliena ecclesia, et apud Regulares, cantare Missam de Requie, quam fideles celebrare petunt pro parentibus et amicis defunctis postquam funeralia in ecclesia parochiali persoluta fuerint, etiamsi Missa exequialis in ecclesia parochiali non celebratur?

II. An in casu, ad praefatam Missam convocari et invitari possint parentes et amici per litteras, sicuti mos est in exequiis?

III. An liceat in aliena ecclesia pro defuncto cantare Missam de festo vel de feria, etiamsi Missa exequialis pro eodem non celebretur in ecclesia parochiali?

Sacra Rituum Congregatio, audito voto in scriptis alterius ex apostolicarum caeremoniarum magistris, ad relationem subscripti Secretarii propositis dubiis sic rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative; servatis tamen Rubricarum regulis.*

Ad II. *Nihil obstare.*

Ad. III. *Licere.*

Atque ita rescripsit die 19 Maii 1879.

D. CARDINALIS BARTOLINIUS,
S. R. C. Praefectus.

—

DECISIONES S. R. C.

Missam et Officium concernentes.

Revmus Dnus Nicolaus Iosephus Dabert, Episcopus Petrocoricensis, insequentia dubia pro opportuna solutione sacrorum Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum:

. . . Dubium II. Utrum in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis in fine Tertiae ante Missam conventualem dicendus sit versus *Fidelium animae*, uti praeceptum videtur in Rubrica Breviarii XXX. n. 3, et ut decrevit S. Rituum Congregatio die 24 Aprilis 1742 *in Thelesina;* an vero omittendus sit, ut contendunt nonnulli, declarationi eiusdem S. Congregationis die 27 Februari 1847 *in Senen.*, ad 4, innixi?

Dubium III. Utrum in Missis quotidianis *de Requie*, quae in plerisque Ecclesiis Parochialibus absque Ministris a solo Celebrante cantantur, dicendae sint tres orationes; an vero una?

Dubium IV. Haec S. Rituum Congregatio interrogata: « Quanam hora liceat incipere privatam recitationem Matutini cum Laudibus vespere diei praecedentis », respondendum censuit die 16 Martii 1876 *in una de Zacathecas:* « Privatam recitationem Matutini cum Laudibus diei subsequentis incipi posse quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum. » Nunc vero quaeritur, an praedicta

responsio ita intelligenda sit, ut ille non satisfaceret obligationi suae, qui Matutinum cum Laudibus vespere diei praecedentis recitaret, priusquam sol medium cursum teneret inter meridiem et occasum?

Et S. eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito antea voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

. . . Ad II. *Servetur Rubrica.*

Ad III. *Dicenda una Oratio.*

Ad IV. *Consulantur probati Auctores.*

Et ita rescripsit et declaravit die 13 Iulii 1883.

Pro Emo ac Rmo Cardinali D. Bartolinio
S. R. C. Praefect.

Camillus S. R. C. Cardinalis Di Pietro
Ep. Ostien. et Velitern.
Laurentius Salvati
S. R. C. Secretarius

—

INDULTUM
concernens usum nostri Missalis.

Beatissime Pater,

Fr. Eustachius a Neapoli, Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Patris Francisci, Sanctitatis Vestrae Pedibus advolutus obsequentissime exponit, quod pluries ad Ecclesias Personarum utriusque sexus suo Patri Ministro Generali subiectarum, sacerdotes saeculares et Regulares accedunt, ibi Sacrum facturi. Quapropter ad vitandam confusionem seu inordinationem quamlibet demississime Procurator Generalis a S. V. facultatem implorat, ut perpetuis futuris temporibus Sacerdos quilibet, quoties ad quamlibet ex praedictis Ecclesiis sacrificaturus accedit, Missali Franciscano prorsus in omnibus uti possit: cui similem ex parte gratiam S. M. Clemens XIV Beatitudinis Vestrae Decessor, pro Ecclesiis aliorum nonnullorum Ordinum Regularium indulgere dignatus fuit: ac nominatim anno 1773 pro Ecclesiis Ordinis Eremitarum S. Augustini Pontificio Rescripto suo per Secretariam Supplicum Libellorum sub die 18 Junii edito.

Quam gratiam Deus etc.

Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae VI.
Pro Fr. Eustachio a Neapoli, Procuratore Generali Ordinis Minorum Observantium.

Ex Audientia Sanctissimi die 5 Septembris 1775, Sanctissimus ex speciali gratia benigne iuxta petita indulsit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

I. B. Card. Rezzonico.

L. ✝ S.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES DISPERSOS
Incitamenta seraphica

XV.
Continuatio eiusdem argumenti

Valde sane lugendus erat status omnium fere regularium Ordinum in Gallia saeculo XVIII, dum tot inveniebantur in eis Religiosi, qui noxiis illius temporis quaestionibus implicati et his solis toti intenti, obligationes suas monasticas neglectui habebant et pro nihilo ducebant. Non enim magnae discordiae ex hoc oriri non poterant inter alumnos eiusdem familiae, cum fervidi Religiosi, qui non pauci remanebant, eis iugiter adversarentur, eorumque agendi rationem amare deflerent. Fieri etiam non poterat quin omnis generis abusus exinde nascerentur, monastica disciplina in dies magis languesceret et contumaciae spiritus tristem in modum dominaretur.

Merito proinde exclamat Auctor *Imitationis* Christi de talibus loquens, Lib. I. Cap. III: « Quid prodest magna cavillatio de occultis et obscuris rebus, de quibus nec arguemur in iudicio, quia ignoravimus? Grandis insipientia, quod, neglectis utilibus et necessariis, ultro intendimus curiosis et damnosis... O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia et virtutes inserendas sicuti ad movendas quaestiones, non fierent tanta mala et scandala in populo, nec tanta dissolutio in caenobiis ».

Tales revera tristes erant effectus quos novitatis et contentionis spiritus procreavit in omnibus Ordinibus regularibus, quorum alumni pro magna parte Iansenismi erroribus erant infecti. Non enim modo spiritus religiosus cum

monastica disciplina ex eis evanuit et internae dissentiones fraternam charitatem perturbarunt, sed tot ex eo scandala foris proruperunt, ut Regulares fere ubique facti essent in opprobrium et in contemptum, et impiis atque pseudo-philosophis occasionem praeberent eos magis magisque calumniandi, eorumque suppressionem citius et facilius obtinendi.

Ne putes tamen omnes religiosas familias aequo modo fuisse Iansenismo infectas, aut adeo moribus dissolutas. Reverendus enim P. Prat, Soc. IESU, qui ex professo de hoc argumento tractavit et variorum Regularium statum rite cognovit, inter alia advertit in praelaudato suo opere (pag. 44), quod illi Ordines, quorum Praepositus generalis in Urbe Pontificia residebat, minus ab unitate catholica recesserint, eo quod per eum, uti per canalem, verum spiritum Ecclesiae quasi ex suo fonte reciperent. Addere licet, quod Religiosi qui sub Ministro Generali Fratrum Minorum de Observantia militabant, post Patres Societatis IESU, prae caeteris magis Iansenismum impugnaverint, et ita quidem, ut ex eo fautoribus huius erroris maxime fuerint odiosi.

Cum hoc in gloriam Ordinis nostri non cedere non potest, praecipua argumenta quibus id probat Cl. Migne in suo Dictionario Ordinum religiosorum (1), libenti animo volumus referre.

De Observantibus igitur imprimis loquens, quorum octo in Gallia tunc temporis exstabant Provinciae, sequentia narrat (2):

« Quod ad lites Iansenianas attinet, Observantium S. Francisci agendi modus valde fuit laudabilis, dum tot alia Instituta religiosa novitatibus erant addicta et sanctam matrem Ecclesiam tantopere perturbabant. Quapropter multum a Iansenistis sustinenda habuerunt. Saepius enim in nuntiis seu foliis publicis quae spargebant in populo (3), modo hypocrito et calumnioso de eis sermonem habebant. Maxime ipsis displicebat conformitas eorum doctrinae cum illa Societatis IESU. Exprobrabant imprimis Observantibus quatuor theses huius generis, quas conventus de *Pezenas* contra ipsorum errorem defenderat, uti et illam de gratia sufficienti in conventu Massiliensi propugnatam, atque aliam Societati IESU ab eius defensoribus speciatim dicatam (1).

« Iansenismum pariter impugnabant sustinendo infallibilitatem Summi Pontificis, uti et infallibilitatem Ecclesiae in iudicandis factis atque alia sanae doctrinae capita, uti constat ex thesibus conventus Trecensis.

« Neque in solis foliis publicis indigne et inique tractabantur Observantes propter orthodoxam doctrinam, sed etiam a potestate tum civili tum ecclesiastica saepius impugnabantur. Ita, inter alia, thesi, quam sustinuerant in conventu Tolosano, a facultate theologica huius civitatis ecclesiastica censura fuit inflicta; alia in conventu de *Pezenas* propugnata a civilibus curiis Parisiensi et Tolosana fuit proscripta; alia demum a curia Rothomagensi interdicta.

« Quemadmodum autem Observantes sanam doctrinam in scholis tuebantur, ita etiam in praedicatione verbi DEI et in animarum directione Ecclesiae spiritum et antiquam sanam doctrinam iugiter servabant, quod DEO et piis fidelibus quam maxime placuit, quamvis ex hac parte multas molestias ab aliis sustinendas haberent ».

Haec sunt quae in laudem Patrum Observantium in praefato opere recensentur; tamen adiicit idem scriptor, quod quamvis in tuenda orthodoxa fide constantes permanserint, a primaevo tamen spiritu sui Instituti et ab ob-

(1) Dictionnaire des Ordres religieux, vol. 5.
(2) Ibid. tom. III, p. 47.
(3) *Nouvelles ecclésiastiques.*

(1) Quamvis Observantes acerbum bellum Iansenistis suscitarent, non tamen iisdem prorsus armis, quibus Patres Societatis IESU, utebantur. Ipsis enim opponebant tutam, probatam atque claram doctrinam Scotisticam, diversam a Molinistico et praesertim a Thomistico systemate, quam hauserant ex doctissimo Claudio Frassen, Ordinis Min. Reg. Observantiae Lectore Iubilato et Facultatis Parisiensis Doctore, qui non modo de gratia eximium reliquit tractatum, sed universa Doctoris Subtilis theologica dogmata exposuit sub titulo: *Scotus Academicus*, quod opus tanto fuit in pretio ut non modo Parisiis anno 1672 typis fuerit mandatum et ab omnibus viris doctis probatum, sed etiam Romae iterum impressum anno 1726 de licentia Reverendissimi Patris Sacri Apostolici Palatii Magistri. Nec mirum, siquidem doctrina Scoti post tot saecula, Concilia et examinationes nunquam de errore aut improbabilitate fuit notata. Quare, inquit Waddingus, *non immerito Sacrae Inquisitionis Generalis Romae tribunal ante annum 1620 praecepit Doctrinarum aut Librorum censoribus, ut quidquid Scoti esse constaret intactum inviolatumque permitterent.*

servantia Constitutionum Ordinis sui non parum deflexissent, atque ob hanc causam, ut insinuare videtur, libero consensu ad familiam Conventualium transierint.

Hoc ultimum assertum desumpsit Editor huius Dictionarii ex Supplemento quod Badiche adiecit Historiae Ordinum regularium conscriptae a P. Helyot.

Quam autem falsum sit, probatum invenimus in quodam scripto a D. C. Guérin in publicatione gallica (1) inserto, ubi Observantes a praefata calumnia invictis rationibus vindicantur, quas etiam refert R. P. Maria-Leo Patrem, missionarius Apostolicus Terrae Sanctae, in optimo suo opere inscripto: *Tableau Synoptique de l'histoire de tout l' Ordre Séraphique*, pag. 34, (Parisiis edito, anno 1879) et quas breviter hic volumus indicare.

Sciendum est igitur, quod Ludovicus XV, praetextu reformandi Ordines regulares, uti postea dicetur, Commissarios a se electos deputaverit, qui huic negotio incumberent. Hi autem Gallicanismo addicti et pro maiori parte sophistarum principiis imbuti, statuerunt inprimis episcopos consulere eosque interrogare quid de Religiosorum coenobiis in respectiva eorum dioecesi existentibus, de eorumque necessitate iudicarent. Iam vero omnes aut fere omnes episcopi huic petito respondentes, in favorem Observantium rescripserunt (uti etiam Recollectorum et Capucinorum), atque apud dictos Commissarios pro conservatione eorum conventuum fortiter institerunt, eorum magnam utilitatem proclamantes. Ita inter alios Episcopus Aquae Augustae manifestavit eis desiderium numerum illorum Religiosorum adaugendi in sua civitate episcopali, et in oppido de *Orthez* potius voluisset iacturam facere Dominicanorum quam Observantium. Hoc satis iam probat eos adeo non fuisse apud populum fidelem diffamatos, ut praetendere videtur Badiche.

Ut autem intelligatur, qua ratione Observantes ad Conventuales transierint, advertendum est, quod dicti Commissarii omnibus Ordinibus regularibus in Gallia existentibus mandatum dederint coadunandi Congregationem nationalem respectivi sui Instituti, et in ea conficiendi seu ordinandi codicem suarum Constitutionum, quem illis examinandum et probandum exhibere tenebantur. Iam vero Observantes, ut huic mandato obtemperarent, e singulis Provinciis elegerunt deputatos ad dictum negotium executioni mandandum, et in unum convenerunt in conventu Parisiensi anno 1769 sub praesidentia R. A. Patris Barbé, dicti conventus Guardiani, Definitoris Generalis et Commissarii Generalis Observantium in Gallia. Notandum insuper est, quod haec Congregatio celebraretur in praesentia et sub inspectione Commissariorum regis, de Brienne, archiepiscopi Tolosani, et La Luzerne, qui ambo Gallicanismo erant infecti et Religiosis infensi. Dum modo insimul erant congregati, summe stupefacti nuntium regium acceperunt, vi cuius debebant circa haec tria deliberare, scilicet: de circumscriptione Provinciarum, de exclusione Ex-Ministrorum a Capitulis Provincialibus, et de eorum unione cum Conventualibus. Haec audientes statim humiles, sed sapientes et fortes animadversiones exhibuerunt contra regiam voluntatem, enixe rogantes, ut de corpore Observantium possent manere. Precibus autem eorum non fuit satisfactum, nullumque aliud receperunt responsum, quam illud quod de Brienne sequenti modo arrogantia pleno eis communicavit: *Dum regia Maiestas Capitulo mandat, ut hos abusus tollat, persuasum habet se obligatam non iri propria sapientia et auctoritate id executioni mandare.*

Hac ratione coacti fuerunt in sessione diei 2 octobris ad acta capitularia hanc clausulam adiicere: *Capitulum statuit, supplicandam esse regiam maiestatem ut e suo regno amoveri curet distinctionem duorum Ordinum Fratrum Minorum, procurando in Gallia unionem Observantium cum Conventualibus.*

Et hoc quidem infeliciter suum habuit effectum, tum regio decreto, tum annuente summo Pontifice Clemente XIV, tempore Capituli Generalis Conventualium anno 1771 Romae celebrati (1).

Porro multum abest ut Observantes libero consensu ad hanc unionem devenerint, ut e contra ipse Brienne, in sua quam debuit dare

(1) *Revue des questions historiques*, 35ᵉ Livraison pp. 76-135.

(1). Qui miram historiam huius unionis legere desiderat, conferat Dictionarium Migne, tom. III, pag. 48 et seq. et P. Leonem-Mariam Patrem, loco citato.

relatione circa Congregationem Nationalem Parisiis celebratam, sequenti modo expresserit, quantum Patres ab hac unione alienos invenerit: « Vellemus quidem, aiebat, posse laudare docilitatem illorum Religiosorum in obtemperando votis Commissionis...., sed fateri cogimur, quamvis inviti, quod inter omnes Ordines, quorum Capitula fuerant celebrata, nullum invenimus qui maiorem indignationem manifestaverit maiusque desiderium proprium suum servandi Institutum. Unde si instructiones nostrae saltem pro maiori parte effectum sortiri potuerunt, hoc unice tribuendum est sapientiae, fortitudini et prudentiae Dni de la Luzerne, qui hos Patres, utut invitos et renitentes, ad unionem cum Conventualibus perducere potuit ».

Habemus igitur ipsos reos Commissarios confitentes quod, nonnisi astutia seducti aut morali violentia coacti, regiae voluntati obtemperaverint Observantes, admittendo dictam unionem. Utrum autem maiorem adhuc resistentiam adhibere non debuissent, et utrum in hoc difficili negotio quaedam intrinsece mala non perpetraverint, verbi gratia, suffragium dando pro deputandis ad Congregationem Nationalem iis Religiosis, quos Commissarii designaverant,sed quos ipsi indignos esse cognoscebant, vel an alia quaedam contra conscientiae dictamen non admiserint, pro certo affirmare nolumus. Novimus equidem, ex illis Provinciis, quae ad Conventuales transierunt, nonnullas fuisse quae iam ab eorum restauratione post persecutionem saeculi XVI abusus admiserant, qui in dies crescere debuerunt, eo quod nunquam deinceps media extraordinaria adhibuerint aut admittere voluerint, quibus et abusus tolli et observantia regularis corroborari et instaurari potuissent, sicuti laudabiliter fecerunt illi Observantes, qui suis Constitutionibus addiderunt quaedam statuta Provincialia ad praedictum scopum obtinendum, et qui ita spiritu renovati tot mirabilia patrarunt in Gallia.

Plangendae certe quam maxime, eo quod tale remedium tam efficax atque tam salutare tempore opportuno adhibere recusarunt, ut ad primaevum Observantiae spiritum redirent. Utinam et nunc Provinciae Ordinis, quae ab Observantia suarum Constitutionum declinasse conspiciuntur, suae conservationi consulerent, in capitulis Provincialibus ordinationes aut statuta condendo, quibus abusibus obviare possent, et Ordinis Constitutiones perfectius servarent, sicuti sapientissime praestandum iudicavit recens instaurata Provincia Observantium S. Ludovici in Gallia, quae quoad disciplinam monasticam et spiritum seraphicum neque Reformatis neque Recollectis Provinciis ulla ratione debet postponi.

Hisce de agendi ratione Observantiae regularis saeculo XVIII relatis, pauca quaedam, de his quae Recollectos concernunt, libet adiungere, pout ea narrat idem D. Migne in praefato suo dictionario.

De eis igitur loquens ait (1): *Quemadmodum totus Ordo S. Francisci, ita etiam et* quidem speciali modo emicuerunt Recollecti in reverentia et obedientia S. Sedi et decisionibus Ecclesiae praestanda. Ipsi etiam maximis praeconiis extulerunt devotionem erga SSmum Cor Iesu, et iam ab anno 1725 Bullam Pontificiam obtinuerunt pro erectione huiusmodi Confraternitatis in ecclesia conventus Victoriaci-Francici *(Vitry-le François.)*

« Magno zelo impugnabant Iansenismum (2) eiusque severitatem in frequenti Communione permittenda. Unde odium in se concitabant novatorum, qui in suis nuntiis Iansenisticis, *(Nouvelles ecclèsiastiques)* dum Benedictinos S. Mauri et Oratorianos, eorum erroribus infectos, summopere laudarent, Recollectos continuis contumeliis lacessebant.

« Toto saeculo XVIII perdurante, nihil intentatum reliquerunt, ut eos molestiis afficerent. Nunc unam improbabant thesim Iesuitis dicatam, nunc aliam molinianam ab eis vocatam; modo thesim defensam, adiuvante Deo *et auspice Genitrice* Maria *sine labe concepta.* Nec minus eis pepercerunt eorum praxim in directione animarum impugnando, aut eorum modum praedicandi verbum Dei deridendo,

(1) Dictionnaire des Ordres religieux, tom. III. pag. 336.

(2) Non diffitemur tamen aliquos Recollectos erroribus Iansenii aliquandiu adhaesisse in Gallia et praesertim in Belgio usque ad publicationem Bullae *Unigenitus;* tunc enim miro consensu omnes Belgii Episcopi, datis ad S. Pontificem Litteris, perfectissimam suam submissionem testari voluerunt. Cfr. De Ram, *Synonicon Belgicum,* tom. II pag. 5 et seq.

quem stultum et fanaticum non verebantur appellare.

Sicut igitur Observantes principiis scotisticis inhaerendo Iansenismum impugnarunt, ita etiam Recollecti eamdem adhibendo doctrinam illius errores invicte confutarunt. Contigit autem et illis celeberrimum habere theologum Franciscum Henno, Provinciae Min. Recoll. S. Andreae Lectorem Iubilatum, qui tam nervose Gallicanismum et Iansenismum confudit et profligavit, ut argumentorum eius soliditati et subtilitati nihil resistere potuerit. Sufficit hac de re consulere quae *de verae fidei regulis* tractans (tom. II), succincte conscripsit de *infallibilitate tum Ecclesiae tum Summi Pontificis* (1) ut confirmatum habeatur quod doctus et pius Lessius, S. I., declarat in approbatione editionis Antverpiensis operum Scoti: *Non est, qui nesciat, Scotum esse cotem ingeniorum, et limam Subtilioris Theologiae ac Philosophiae, quae in Scholis et eruditis disputationibus maxime triumphare consuevit.* Cum quibus concordat Paulinus Berti, Augustianus, in *Epist.* nuncupatoria operum Scoti dicens: *Si a scholis auferas peculiares Scoti opiniones, reliquum est, ut ipse plane disserendi usus et occasio languescat.* Multum igitur abest, ut schola scotistica obstaculum fuerit solidis studiis Franciscanorum, ut potius eius desertio causa fuerit cur haec florere cessaverint.

Attamen recte notat Sanctorus, *Sup. Statut.* 10, « quod Franciscana Religio non ita in solam doctrinam Scoti iuret, quin seraphici Bonaventurae doctrina inseri possit Scotisticis speculationibus tamquam condimentum sapidum et religiosis intellectibus pergratum. Quinimo, si Scotum Magistrum habemus in controversiis scholasticis, S. Bonaventuram sequi praestabit in exponendo, explicando, et illustrando dogmate catholico ».

Mirum proinde non est Rmum P. Ministrum Generalem totius Ordinis Minorum tanta sollicitudine tantisque expensis novam editionem operum S. Bonaventurae publicari curare, ut hac ratione omnes S. Francisci filii seraphici Doctoris libros ardentius pervolvant eiusque doctrinam avidius imbibant.

Si autem S. Bonaventurae docrinam maxime in deliciis habere Franciscanis convenit, Angelici quoque Doctoris Summam terere atque prae manibus habere non minus proficuum et Lectoribus necessarium iudico, inquit Sanctorus, non tantum ex ea parte, qua contrariae Scholae Professores alterius vires nosse oportet, sed etiam quia summopere utilis est et necessaria ad materiarum dispositionem, ad virtutum moralium intelligentiam, ad convincendos fidei hostes: continet enim tutissima fidei dogmata. »

Utinam Recollecti Galliae in hisce studiis gnaviter perseverassent, tunc etiam et in Dei servitio ferventes permansissent. Verum secunda praesertim medietate saeculi praeteriti apud eos, sicut in aliis Ordinibus regularibus (1) sacrarum litterarum studia languere coeperunt; quo factum est ut et ipse rigor disciplinae monasticae uti et apostolicus zelus pro Ecclesiae defensione tepescere contigerint. Attamen, quod ad substantiam Regulae et Constitutionum attinet, eam iugiter servare studuerunt, uti manifeste constat ex Codice Statutorum quem ipsi sicut Observantes in Congregatione aliqua Nationali conficere et Commissariis regiis examinandum et approbandum exhibere debuerunt. Iam vero, ut eorum mandatis obtemperarent, in unum convenerunt Versaliis a 5ª usque ad 24 diem Septembris anni 1770, ubi corpus statutorum suorum ordinarunt, quae adeo Regulae nostrae et Ordinis atque S. Sedis Constitutionibus visa fuerunt conformia, ut R. A. P. Lorette, Procurator Generalis Reformatorum, eorum approbationem Pontificiam efflagitaverit et obtinuerit, per Breve datum a Clemente XIV sub die 3 aprilis 1773; quemadmodum etiam per Patentales Litteras sub die 4 Maii eiusdem anni fuerunt recognita et admissa.

(*Continuabitur*)

(1) Illmus Dom. Martin, Episc. Paderbornensis, summa admiratione de hac theologia, saltem quoad partem dogmaticam, loquebatur, qua forsan praecipue usus est in Concilio Vaticano, dum ageretur de definienda Infallibilitate Summi Pontificis.

(1) Cfr. Rohrbacher, *Histoire univ. de l'Eglise*, Liv. 89, tom. XXVII, pag. 328. Addit tamen Migne in suo Dict. t. III, pag. 339, quod usque ad magnam perturbationem Gallicanam perseveraverint Recollecti in praedicando verbum Dei praesertim in stationibus Adventus et Quadragesimae.

DECISIO MINISTRI GENERALIS

de praecedentia.

Variae inter Lectores quoad praecedentiam quaestiones sequens Decretum Rmi P. Bernardini a Montefranco Min. Glis provocarunt; quod, ut ad omnium notitiam deveniat, ex Regesto Consultationum Generalium anni 1856 publicandum censuimus, quum eadem dubia aliquando proponantur.

Decretum

Cum variae inter Nostri Ordinis Lectores exortae sint circa praecedentiam controversiae, Nos, vigore praesentis Decreti, audito Definitorum Generalium consilio, huiusmodi quaestionibus finem imponentes, statuimus et mandamus, ut S. Theologiae, Iuris Canonici, et Ecclesiasticae Historiae Lectores ex concursu, servato inter eos ordine institutionis, omnibus aliis Lectoribus praecedant etiamsi actu inferioribus scientiis explicandis Superiorum voluntate vacent. His S. Eloquentiae Lectores succedant, qui triennium Magisterii expleverint, demum Lectores Philosophiae et Matheseos. Cum vero hi omnes ad Iubilationem pervenerint, secundum diem respectivae Iubilationis praecedant.

Datum Romae ex Aracoeli die 16 Iulii 1856.

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1884 celebrata

VIII.

Ref. Provincia Apuliae.

Die 8 Ianuarii a Ministro Generali, eiusque Definitorio electi sunt:

Minister Provincialis:

A. R. P. Iucundus a S. Ioanne Rotundo.

Custos Provinciae:

R. P. Franc. Antonius a S. Ioanne Rotundo.

Definitores Provinciae:

R. P. Irenaeus ab Atessa.
R. P. Peregrinus ab Arpaise.
R. P. Michael Angelus a S. Nicandro.
R. P. Seraphinus ab Asculo-Sottriano.

Ad istam Provinciam ante suppressionem sequentes 28 Conventus pertinebant:

Agnone, S. Bernardini.
Ariano, S. P. N. Francisci.
Ascoli Sottriano, S. Potiti.
Atessa, S. M. *de Vallaspra.*
Benevento, S. Ioannis Baptistae.
Bonito, S. Antonii.
Cagnano, S. M. Gratiarum.
Candida, S. Mariae Montis Virginis.
Casalbore, S. M. de Misericordia.
Casacalenda, S. Honuphrii.
Castelbaronia, S. Spiritus.
Ceppaloni, B. M. V. Annuntiatae.
Circello, S. P. N. Francisci.
Guglionesi, S. Ioannis in Eremo.
Lucera, SSmi Salvatoris.
Montecalvo, S. Antonii.
Monteleone, S. M. de Misericordia.
Paduli, B. M. V. Lauretanae.
Ripalimosani, S. Petri Caelestini.
Sanbartolomeo in Galdo, B. M. V. Ang.
Sangiorgio la Montagna, B. M. V, Annuntiatae.
San Martino Valle Caudina, S. Catharinae V. M.
San Nicandro Garganico, B. M. V. Gratiarum.
Sant'Agata, S. Caroli.
Taurosi, B. V. M. de Rosario.
Termoli, S. Antonii.
Vasto Aimone, S. Honuphrii.
Zungoli, S. P. N. Francisci.

—

IX.

Obs. Provincia Romana S. Michaelis Archangeli.

Die 7 Februarii, in Collegio S. Bartholomaei in insula Tyberis, praesidente Rmo P. Ministro Genarali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

Minister Provincialis:

A. R. P. Alexander a Cryptis Castri.

Custos Provinciae:

A. R. P. Fortunatus a S. Romulo.

Definitores Provinciae:

R. P. Ioseph a Turratia.
R. P. Angelus ab Arsulis.
R. P. Petrus ab Arcepapae.
R. P. Nazarenus a Ficullis.

Haec Provincia ante suppressionem sequentes Conventus habuit:

Roma, S. Mariae de Aracoeli (ab anno 1249)
S. Angelo in Capoccia, S. Liberatae (ab anno 1582)
Bolsena, S. Mariae Lilii (ab anno 1602)
Campagnano, S. Mariae Prati (ab anno 1253)
Canino, S. Francisci (ab anno 1473)
Caprarola, S. Mariae Consolationis (ab anno 1526)
Civitavecchia, Ss. Mm. Iaponensium (ab anno 1864)
Civitella, S. Francisci (ab anno 1284)
Cori, S. Francisci (ab anno 1526)
Corneto, S. Francisci (ab anno 1445)
Farnese, S. Rochi (ab anno 1560)
Orvieto, SS. Trinitatis (ab anno 1429)
Toscanella, S. Mariae Quietis (ab an. 1515)
Valmontone, S. Angeli (ab anno 1290)
Ferentino, S. Agathae (ab anno 1517)
Monticelli, S. Michaelis (ab anno 1702)
Nemi, SS. Crucifixi (ab anno 1645)
Orte, S. Bernardini (ab anno 1563)
Palazzola, S. Mariae ad Nives (ab anno 1499)
Palombara, S. Francisci (ab anno 1458)
Roma, S. Sebastiani (ab anno 1826)
Tivoli, S. Mariae Maioris (ab anno 1256)
Valentano, S. Mariae Salutis (ab anno 1603)
Velletri, S. Laurentii (ab anno 1460)
Veroli, S. Martini (ab anno 1449)
Viterbo, S. Mariae Paradisi (ab anno 1439)

Huius Provinciae iurisdictioni suberant 5 Monasteria Monialium, scilicet:

SS. Cosmae et Damiani Urbis, concessum. Clarissis anno 1233.

S. Laurentii Panispernae Urbis, concessum Clarissis anno 1308.

Ss. Simonis et Iudae Viterbii, concessum Clarissis anno 1478.

S. Bernardini Viterbii, concessum Monialibus tertii Ordinis an. 1452;

et S. Annae Tyburis, concessum Monialibus tertii Ordinis anno 1705.

Tempore ultimi Capituli Generalis (1862) Obs. Provincia Romana habuit 431 Religiosos. Missionarios habuit 34.

—

III.
MISSIONES

—

EX RELATIONE

R. P. Vincentii Calloni, Min. Obs. Missionum Praefecti Collegii a S. Carlo, in Republica Argentina, ab anno 1879 ad 1882.

SUMMARIUM

1. Electio novi Praefecti anno 1879, et Missionariorum singulis Reductionibus assignatio.
2. Vicissitudines Reductionis a S. Martino nuncupatae: agentibus perversis hominibus, Provinciae Gubernator huius Reductionis Indos ad civitatem de *Santa Fè* vi transfert, non obstante P. Praefecti oppositione; attamen instante eodem Praefecto, Indi matrimonio catholico iam alligati seliguntur, et Reductioni S. Rosae iunguntur.
3. Labores Missionariorum in singulis Reductionibus.
4. Animarum descriptio.
5. Baptismorum et matrimoniorum enumeratio.
6. Conclusio.

Revmo Padre Ministro Generale,

1. Il giorno 27 del mese di Maggio 1879, sotto la presidenza del R. P. F. Raffaele Pezzini si riunì in Capitolo il Venerabile nostro Collegio di *Propaganda fide* di San Carlo, per l'elezione di un nuovo Prefetto delle Missioni: A tal carica fui eletto io sottoscritto, figlio dell'Osservante Provincia di Bologna, ed ora membro del detto almo Collegio.

Nel ricevere tal grave ministero fui preso in sulle prime da un amaro scoraggiamento, considerandomi privo di quelle doti essenziali, delle quali ha mestieri chi è innalzato a dirigere altrui: nullameno, confidando nel Signore, che promette a quelli che innalza, i mezzi necessarî per compiere il loro mandato, chiamai a rassegna tutte le mie forze intellettuali e materiali, le presentai al Supremo Fattore, e gli dissi: Eccole, SIGNORE, disponetene per vostra gloria ed onore.

Le Missioni dunque fin da questo momento esigevano tutta la mia attenzione. Mi consigliai alla bisogna coll'ex Prefetto P. Antonio Rossi intorno ai mezzi d'adottarsi, perchè le nostre Missioni progredissero, od almeno si conservassero nel florido stato nel quale le riceveva.

Dopo lo scambio di vari pareri, convenimmo che egli andrebbe in *Reconquista,* per

continuare la costruzione del tempio in quella Riduzione;

che il P. Bernardo Trippini andrebbe in *Santa Rosa*;

ed il P. Geronimo Marchetti col P. Bernardo Arana in *San Martino*;

in *San Javier* sarebbe restato il R. P. Ermete,

e nel *Sauce* il P. Martino Macagno,

eleggendo io per sede di mia Prefettura la nostra Riduzione di *Santa Rosa*.

2. Mia prima cura nel porre il piè su questo territorio era di rimediare a quegl'inconvenienti, che si lamentavano circa lo stato della nostra Riduzione di San Martino. All' uopo io aveva avuto varie conferenze col Sig. Governatore della Provincia Dottor Don Simone d'Iriondo. Però il nemico dell'uomo lavorava a più non potere contro di essa, credendo forse ricevere in compenso de' suoi mali servizi le quattro leghe di campo, che l' Onorevole Camera di questa Provincia aveva ceduto a detta Riduzione. Laonde le calunnie contro di essa si moltiplicavano di giorno in giorno, per istigare l'animo dell'anzidetto Governatore; ma ciò non ostante questi non vi prestava molta fede, mentre conosceva, al par di me, la vera causa degl'inconvenienti di cui si trattava.

Così stavano le cose, quando l'anno 1880 cominciarono a sentirsi sintomi di rivoluzione in tutta la Repubblica, specialmente in questa Provincia. Allora fu che perfidamente si fece udire al Sig. Governatore che la raccolta d'Indi di San Martino agli ordini del *cacique* Mariano, in coalizione colle forze di Reconquista e di Corrientes, erano per proclamare la rivoluzione in Santa Fé. Siffatta notizia non mancò di sorprendere il Governatore perchè veramente le circostanze, nelle quali egli trovavasi, erano alquanto critiche; quindi si decise disfare la più importante delle nostre Riduzioni, che pur ci costava tanti sacrificî. Invadendo i sacri diritti della Missione, da ogni parte giunsero forze in San Martino per istrappare i componenti di tal pacifica raccolta india dalla loro terra, e condurli relegati in Santa Fè.

Erano le 8 della sera del 25 Gennaio 1880, quando ricevo dal Sig. Govenatore un telegramma concepito in questi termini: « Ho « molta necessità d'abboccarmi con V. P. per « urgenti affari delle Missioni: dica imme- « diatamente quando verrà: le ripeto l' ur- « genza. » — Mia risposta, com' è ovvio immaginarlo, fu: « Domani sarò in Santa Fè. » - E davvero alle 2 del mattino montai a cavallo, ed alle nove dello stesso dì già trovavami alla presenza dell'alto funzionario.

Mi disse in primo luogo, che la raccolta india di Mariano era in sollevazione, e che perciò egli aveva spedito forza per farla trarre in Santa Fè; e perchè vi era pericolo di resistenza, mi pregava ch'io andassi per persuaderla ad una pacifica dedizione.

Anche estemporaneamente io poteva giudicare dell'insussistenza dell'imputazione, che il Governatore faceva; perchè non concordavano con essa le notizie, che da non guari io aveva ricevute da' Missionari di quella Riduzione. Perciò gli feci considerare la posizione critica nella quale egli esponeva i Padri innanzi agl'indigeni; e che l'approvazione, ch' ei pretendeva i Padri dessero al suo ordine, li avrebbe resi complici dell'attentato che si commetteva; che giammai nell'avvenire avremmo meritato la confidenza degl' Indii; e che in conseguenza io non poteva annuire a ciò che mi si domandava; poichè era non altro, che tradire gl'interessi della Missione, che il Collegio mi aveva affidata. — Nondimeno egli insistendo, e facendomi vedere un ordine decisivo del Ministro della Guerra, che ingiungeva si sopprimesse quella Riduzione, e che la raccolta india, detta del *cacique* Mariano, si dividesse, distribuendosi fra quella di Santa Rosa e l'altra di San Javier, io gli proposi, che in tal caso avrei mandato una Nota al Padre Bernardo Arana Parroco *Conversore* della stessa; affinchè, elevandosi all' altezza delle difficili circostanze, in che volgeva la sua Riduzione, non si compromettesse in difendere pubblicamente la causa degl'Indii, altrimenti avrebbe aggravata la loro situazione; invece facesse loro conoscere, che la novità era puro effetto di un Ordine Governativo, pel quale in cambio di ciò, che loro si toglieva avrebbero ottenuto in Santa Rosa ed in San Javier nuovo terreno; e che i Padri si ritirassero senza por tempo in mezzo nel villag-

gio più vicino, in pruova della loro innocenza, e della veruna complicità contro gl'Indii stessi, e come protesta d'irresponsabilità, se per avventura il Governo non avesse mantenuta la promessa.

Disgraziatamente la mia nota, forse aperta e fatta indugiare da coloro, cui il suo contenuto non andava a sangue, giunse al suo destino quando la Riduzione già trovavasi circondata dalle forze della Provincia. La raccolta india per esortazione de' RR. PP. Geronimo Marchetti e Bernardo Arana si arrese pacificamente, e fu condotta a Santa Fè.

Dopo questo successo, mi affaticava perchè il Governatore compisse l'ordine del Ministro della Guerra. Non ostante le sue buone promesse, io nel fondo del mio cuore mi preparava a ricevere il colpo terribile, che la malizia dell'uomo macchinava contro quegl' infelici.

Quella moltitudine india fu fatta accampare ad una lega da Santa-Fè, in un luogo chiamato « La Estanzuela ». Sua Eccellenza mi invitò d'andare a vederla, dicendomi ch' egli andava a dividerla secondo la promessa. Era il luogo del disinganno! Varii individui, che avrebbero avuto in quell' occasione il destro di far brillare incarnate ne' fatti le loro parole di fraternità, se non fossero state bugiarde, dipinsero al Sig. Governatore con neri colori i risentimenti degl' indii, inferendo, che non era affatto espediente dar loro campo libero; perché come si sarebbero visti sciolti, si sarebbero sollevati, ed avrebbero posto sossopra la Provincia. Io feci osservare, che quei sospetti erano infondati, perchè quell'aggregato d'Indii se avesse voluto darsi alla fuga, lo avrebbe già fatto, mentre precedentemente era informato della trasmigrazione in Santa-Fè che sul conto suo si progettava, e che a tale notizia non si era mosso, per offrire un motivo di disinganno al Sig. Governatore.

Finalmente questi lasciò cadere la maschera, e mi disse: Padre, ho mestieri di questi giovani per una banda musicale, di questi uomini per farne soldati.

Ed a me: *Signore*, replicai, *solo restano le donne e gl'invalidi; non ne ho bisogno, nè ho mezzi da sostentarli.*

A me spetta di governare e non a V. P., mi soggiunse.

Ed io: *Però V. E. distrugge l'opera nostra, ed annulla la nostra Missione.*

Faccia quello che può, egli conchiuse.

Restavano dunque tradite tutte le mie speranze. Ciò non ostante, prima di tornare alla città, volli dare l'ultimo sguardo a quegl'infelici, che compendiavano tutte le loro speranze nel Padre Missionario.

Nessuno, e solamente il cuore di un cattolico, ma soprattutto di un Sacerdote può immaginarsi le dilanianti idee, che s'avvolgevano allora nella mia mente. Erano lì quegl'infelici, per guadagnare i quali alla civilizzazione ed al grembo di nostra Santa Madre la Chiesa, i nostri Padri Missionarii (come il R. P. Bernardo Trippini, ed il R. P. Geronimo Marchetti) molte volte hanno esposto in pericolo la vita, cercandoli nello sterminato ed inospitale Ciaco (1), in rozze capanne, fra boschi impenetrabili. Dopo averli ridotti al dolce freno del Cattolicismo, si lavorò per lo spazio di dodici anni in istruirli, battezzarli e civilizzarli. Quante sofferenze di fame, nudità e cimenti non costavano? E per dare un esempio recente, citerò il R. P. Geronimo Marchetti, il quale nel disimpegno delle sue sacre funzioni fu appunto in procinto di perdere la vita.

Ebbene, dov' è il frutto del lavoro sì lungo ed aspro di tanti Padri, e di tutt' i componenti la Missione? Eccolo in preda al nulla per la perfidia e calunnia degli uomini!

Il mio dolore cresceva, considerando che coloro, i quali niente avevano fatto per civilizzarli, erano per dividersi fra loro, come preda, quegl'Indii, l'uno gittando l'avido sguardo su quel fanciullo, l' altro su quella fanciulla india, mentre a chi tanto aveva lavorato per loro non si permetteva neppure esercitare il diritto di difendere colla parola la loro offesa libertà ed indipendenza, che pur avrebbero dovuto riposar sicure all'ombra delle guarentigie costituzionali, anche per la sola ragione di cittadinanza argentina, che la legge fondamentale ed il diritto Civile loro accordavano. — Non potei frenarmi a tali considerazioni: le lacrime mi corsero per le guancie, e volsi il tergo per incamminarmi verso la cittá, dicendo: *E fia pur vero che mi trovo sulle*

(1) In lingua hispanica: *Chaco.*

coste di Guinea ad assistere a così funesto spettacolo?

Ad onta di tante oppressioni, essendo nella città il giorno seguente, mi presentai di nuovo al Governatore, e gli manifestai, che fra gli indigeni si trovavano molte coppie coniugali legate con matrimonio cattolico, e che in conseguenza riflettesse che questo sacro vincolo non può dissolversi, e se contra gli si fosse in qualche guisa attentato, egli il Sig. Governatore non avrebbe potuto scansare la severa riprovazione del pubblico, alla quale io avrei aggiunto la mia formale protesta.

Riconobbe allora la gravità delle mie ragioni, e mi consegnò un ordine, perchè mi presentassi nella Dogana dove erano gli Indii, e nel quartiere del Carmine, ov'erano le Indie, per separare i coniugati. — Ciò mandai ad effetto in compagnia del R. P. Geronimo Marchetti, liberando circa venti famiglie, che fra grandi e piccoli ascendevano a duecento individui, e li mandai a Santa Rosa. — Ma io non restava soddisfatto, ed insisteva perchè mi si concedesse un poco di più; ed il Sig. Governatore avrebbe condisceso, se non fosse stato per alcuni suoi subalterni, che postergando gli ordini di lui, avevano macchinato o negoziato colle famiglie.

Così finì l'agitata questione dell'aggregato indio detto *di Mariano*.

Ma quì non finirono le mie afflizioni. Una parte del'Indii, ch'erano restati in San Martino, il cui capo era il *cacique* Valentino, temendo un fatto analogo a quello, che testè si è narrato, si mosse, e prese i boschi, ove certo non era sua intenzione di rimanere, ma solamente esigere dal Governo nuove garanzie, come effettivamente lo provò col venire ad incorporarsi alla nostra Riduzione di Santa Rosa, ove trovasi al presente.

Quando furono sedati gli animi de' componenti le nostre Riduzioni, e mi vidi immune dal pericolo di nuovi disturbi, mi dedicai a tutt'uomo a procurare il loro benessere e miglioramento.

3. Ministero Spirituale.

Questi RR. Padri, oltre il ministero ordinario e l'istruzione quasi permanente a' rispettivi indigeni loro affidati nelle proprie Riduzioni, prestano anche, ognuno per la parte che gli spetta il servizio di missione alle diverse Colonie.

Nel Sauce: Il R. Padre Marino Macagno, oltre de' suoi indi, attende a quattro Colonie formate totalmente di Piemontesi: e per disimpegnare i suoi uffizi verso gl' infermi deve intraprendere viaggi di 14 a 15 leghe, fra i calori dell'estate, e le crude intemperie invernali. Nella sua Chiesa gli tocca ascoltare le confessioni, ed amministrare i Sacramenti a' fedeli per quattro o cinque ore giornalmente.

In Santa Rosa: Il Padre Geronimo Marchetti consacra tutte le sue energiche cure all'istruzione de' numerosi Indì, ch' ivi abbiamo; e quando io mi trovo nella Residenza in Santa Rosa, libero delle mie occupazioni di Prefetto, assumendo a mio carico la Riduzione, lo mando alla Colonia di Cayastà ed Elvezia, facendolo passare per la nostra Riduzione di S. Martino, e pel Quartiere Generale delle Frontiere, dove la presenza del Missionario è più che altrove necessaria. Sicchè tocca al povero Padre di attraversare almeno cinquanta leghe di deserto, fra stagni, lagune, gole inospitali, boschi semi impenetrabili, ed esporre più d'una volta la sua vita per compiere gli ufficii di carità proprii del Missionario Cattolico.

Questi sacrificii gli procurano però sempre un conforto al cuore pe' buoni risultati che si riportano perchè si vede rianimata la fede, ringagliardita la carità, ritornata la pace nelle famiglie, e pe' buoni consigli rimediati molti mali spirituali, e strappate dal potere del vizio molte anime, che per l'ignoranza de' proprii doveri, e per mancanza di una mano benefica, che le aiutasse alla riabilitazione, giacevano nel letargo del peccato.

In San Javier: Non altrimenti che il Padre Marchetti, il Missionario, cui è affidata la Riduzione di San Javier, usa la stessa diligenza, e con ali d'amore vola ad attendere alle Colonie del Sud di sua riduzione, ed a quelle del Nord che sono: Nuova California, Pasaro Blanco, e Mal-Abrigo, la più vicina delle quali trovasi a venti leghe da San Javier; nè vi è altro modo da trasferirsi dall'una all'altra, che a cavallo, analogamente a ciò, che si pratica fra le altre riduzioni e le adiacenti Colonie, che

sono nel perimetro delle attribuzioni degli altri Padri innanzi qua e là citati.

Reconquista: Si trova nelle stesse condizioni. Il povero R. P. Antonio Rossi (di settantasei anni) spiega un'attività come i più giovani dei Missionarii. Assiste a sei o sette Colonie; istruisce continuamente nella dottrina Cristiana gli indigeni affidatigli; vigila, quantunque non ne sia il maestro, una fiorente scuola d'Indii, ove oltre i primi elementi dell'educazione e dell'istruzione, loro insegnasi la telegrafia; ed io li ho visti disimpegnarla con perfezione, a segno che il Comandante delle truppe delle Frontiere D. Emanuele Obligando mi diceva: « Se potremo ottenere dal Governo Nazionale il Filo telegrafico lungo questa costa del Paranà (che pur misura più di cento leghe da Reconquista a Santa Fè) i nostri Indii ne saranno gli uffiziali. »

4. CENSIMENTO DELLA POPOLAZIONE INDIGENA DI CIASCUNA RIDUZIONE

Santa Rosa . . .	totale anime	N.°	710
San Iavier.		»	755
Reconquista		»	475
San Martino		»	285
Sauce		»	225
	Totale Generale	N.°	2450

5. BATTESIMI E MATRIMONII NELLE DIVERSE RIDUZIONI.

Santa Rosa

Matrimonii fra creoli	N.°	33
» » indigeni. . . .	»	22
Battesimi fra creoli	»	208
» » indigeni	»	159
Totale Battesimi.	»	367
Totale Matrimonii	»	55

San Javier

Matrimonii fra creoli e fra stranieri	N.°	66
Matrimonii fra indigeni. . . .	»	43
Battesimi di creoli e stranieri .	»	218
» d'indigeni.	»	195
Totale Matrimonii	»	109
Totale Battesimi.	»	413

Reconquista

Matrimoni fra creoli e stranieri .	N.°	88
» » indigeni. . . .	»	18
Battesimi di creoli e stranieri .	»	506
» d'indigeni.	»	96
Totale Matrimoni	»	106
Totale Battesimi.	»	602

San Martin

Matrimoni fra creoli.	N.°	15
» » indigeni. . . .	»	18
Battesimi di creoli . . , . .	»	25
« d'indigeni.	»	50
Totale Matrimoni	»	33
Totale Battesimi.	»	75

Sauce

Matrimoni fra creoli e stranieri .	N.°	60
» » indigeni. . . .	»	15
Battesimi di creoli	»	80
» d'indigeni	»	100
Totale Matrimoni	»	75
Totale Battesimi.	»	180

Indigeni guadagnati alla Religione Cattolica ed al consorzio civile in questo triennio, e ripartiti nelle diverse Riduzioni numero 315,

6. Reverendissimo Padre, nel presentarle questo bozzetto delle nostre Riduzioni, giusta delle prescrizioni in vigore, mi è caro implorare da V. P. Rma, che diffonda su ciascuno di noi in particolare la sua Serafica Benedizione. Sì, benedica questi suoi figli, che quantunque lontani dal loro diletto Padre, non dimenticano giammai che costì, nella Capitale del Cattolicismo, esiste un rappresentante del Nostro Padre San Francesco, che a somiglianza di lui, e presso la Cattedra di Pietro, vuole che i suoi figli emulino le virtù del loro Santo Institutore. Li benedica adunque perchè non mai vengano meno ai loro sacri doveri, si conservino fervorosi nel disimpegno del loro sacro ministero, e siano per esemplari virtù fiaccole poste sul candelabro per illuminare gl'ignoranti e i peccatori, ed incoraggiare e sostenere i buoni.

Si degni benedire me specialmente, perchè troppo ne ha mestieri chi fu elevato a governare gli altri.

Con tale fiducia prostrato ai piedi di V. P. Rma qual figlio umile ed obbediente, Le bacio le mani, e mi dico

Di V. P. Rma
P. Vincenzo Calloni
Prefetto delle Missioni

—

EPISTOLA

R. P. Seraphini a Patrignone, Min. Ref. Missionarii apostolici Assiout, *in Alto Agypto, die 7 Februarii 1884 exarata.*

SUMMARIUM.

1. Recentes conversiones;
2. Nova statio in *Elgherezat*
3. Maiori abiurationum numero quales opponantur difficultates.

1. Anche nell'anno testè decorso questa nostra missione dei Minori Riformati nell'Alto Egitto registrava un numero sufficiente di conversioni. Oltre la nota di 38 abiure, che mi rimette il nostro Padre Prefetto registrate nell'ultima sua visita apostolica, ho la consolazione di notificarle una dozzina di conversioni al cattolicismo fra questa popolazione d'Assiout, stata fin quì ostinata ai buoni esempi ed alle tante prove di evidente credibilità avute dai primi Missionari. Una famiglia armena non unita, che da tanti anni abita quì, era stata sempre restia alle chiamate della grazia, sebbene frequentasse la nostra chiesa: quando invitato da me il capo di casa, bravo meccanico, ad accomodarmi alcuni oggetti fatti venire da Roma per la chiesa, i quali erano stati rotti e malconci dal lungo viaggio, decise con la famiglia di seguire l'esempio di tanti suoi connazionali armeni dell'Asia, e nella festa del santo Natale fecero tutti l'abiura, e ricevettero i santi sacramenti con la più viva fede e pietà.

2. L'ottimo Padre Gherardo Keller (1) poi mi scriveva da Tahtta, nel passato dicembre, che la sua petizione al Modir, Prefetto civile di Ssohagh, per il terreno e la fabbrica di una chiesina e scuola nel villaggio di Elgherezat, aveva avuto pieno soddisfacimento, e che tutto era pronto per incominciare una stazione stabile, dove ha già tolto all'eresia un numero sufficiente di quei semplici e rozzi contadini; dove si sperano le abiure di altre famiglie, attirate specialmente dal singolare affetto di quel Padre, che sa cattivarsele con la viva sua parola e i modi cortesi con tutti.

3. Tutto ciò è certamente poca cosa in un anno fra tante popolazioni dissenzienti in Egitto, e da molti si desiderebbero le conversioni d'interi villaggi e città; ma sebbene tutte le Missioni in Oriente abbiano fatto e facciano sforzi e pratiche e sacrifizi pel ritorno delle moltitudini alla santa Chiesa Romana, pure dobbiamo contentarci di singole conversioni di *pochi eletti*, e così sarà per l'avvenire, fintantochè l'Oriente scismatico avrà questo suo clero ostile ai *franchi* (chè così chiama i cattolici d'ogni rito) il quale, fatte poche eccezioni, usa ogni mezzo anche coattivo, non che le più nere calunnie, per tenerlo lontano dai preti e Missionari cattolici, mandati appunto per illuminarlo sulla cecità e ostinatezza del suo clero stesso, ribelle da tanti secoli al Vicario di Gesù Cristo. Che se non fosse un *error peior priore*, dovrebbe in certo modo rallegrare noi Missionari il colpo terribile che ora ricevono i cleri orientali non uniti dalle molte sette protestanti, le quali con argomenti anche *suonanti* decimano d'anno in anno le loro greggie. E chi sa che la divina Provvidenza non voglia servirsi di quelle, per aprire poi a noi un campo più libero a raddirizzare i vecchi errori di quelle e i nuovi di queste? Molti ciò sperano, e non manca fin d'ora esempio di qualche orientale, prima di farsi protestante, ostinato contro i cattolici, che poi abiurò ogni errore.

—

(1) Huius optimi Patris mortem, quae versus finem elapsi Februarii accidit, novimus ex ultimis epistolis ab hac missione transmissis.

STATUS

Terrae Sanctae anno 1882

Conventus	9
Hospitia	31
Ecclesiae	37
Sanctuaria	36
Capellae	27
Domus pro pauperibus . . .	75
Scholae	41
Pueri et puellae in istis scholis .	2,848
Religiosi Ordinis nostri . . .	387
Catholici, quorum cura Nostratibus est concredita	56,313
Baptizati infantes	2,203
Baptizati adulti	25
Abiurationes	96
Reconciliationes.	15
Orphani aluntur	174
Matrimonia benedicta	245
Defuncti	917

Hoc anno Sancta Custodia, praeter necessarias pro Conventibus et Hospitiis factas expensas, sequentes alias pecuniae summas expendere debuit:

Pro Divino cultu, pro acquisitione et restauratione Sanctuariorum.	22,464	Fr.	3 c.
Honorarium Rmo D. Patriarchae Hierosolymitano.	37,634	»	00
Honorarium Rmo D. Delegato Aegypti.	2,688	»	00
Magistris scholae . .	4,000	»	00
Dona ex coactione Turcis data	15,141	»	15
Pro laborantibus in officinis	35,763	»	70
Pro pauperibus . . .	129,895	»	5
Pro scholis	76,831	»	69
Pro peregrinis Terram Sanctam visitantibus . . .	151,788	»	00
Devotionalia . . .	20,054	»	83
Summa	492,260	Fr.	45 c.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

Horae diurnae Breviarii Romano-Seraphici, a SS. D. N. Pio Papa VI, dudum approbatae ac Rmi P. Bernardini a Portu Romatino totius Ordinis Fratrum Minorum Ministri Generalis cura impressae et officiis novis locupletatae. Mechliniae, H. Dessain, Summi Pontificis, S. Congregationis de Propaganda Fide et Archiepiscopi Mechliniensis Typographus. 1884.

Hoc Diurnale chorale in 8 procurari potest a Curia Aracoelitana pro L. 8.

1875 Sermon Panegirico de San Felipe de Jesus predicado en la catedral de Mexico, por el Presbitero Fray Juan Riveros, Religioso de la Provincia de San Diego de la misma Capital, el dia 5 de Febrero de 1875. Mexico, Imprenta de Ignacio Escalante, Bajos de S. Augustin. 1. (In 12 pag. 28)

1883. Un umile fiore offerto in tre tridui alla B. Battista Varani, fondatrice del Venerabile Monastero di S. Chiara in Camerino, per Fra Ermenegildo da Chitignano, M. R. Quaracchi, Tip del Collegio di S. Bonaventura; in 12, pag. 32.

1882. Necrologia del M. R. P. Fray Manuel alfaro, Religioso meritisimo de la Provincia de San Diego de Mexico, escrita como pequeño tributo de particular aprecio a este optimo Prelado, por el Presbitero Fr. Juan Riveros, Definidor de la misma Provincia. — Mexico, Imprenta de S. Francisco Diaz de Leon, Calle de Lerdo 3. (in 8. pag. 42.)

1883. Les sept fleurons de la Couronne franciscaine, par le P. Apollinaire, Min. Obs. de la Province de St Louis. Bordeaux, rue de la Teste, chez les sœurs Francicaines: In 18, pag. 92. (30 cent. franco.)

Eiusdem auctoris iam typis edita sunt haec opera:

Doctrine spirituelle de S. François d'Assise, édit. de luxe, in 8. (*franco* 5 fr.)

Etude sur la vie et les œuvres de St Bernardin de Sienne, in 8. (2, 95)

Le Calvaire fréquenté, Manuel de l'association du Chemin de Croix perpétuel, in 18 (0, 20)

Traité canoniqne du chemin de la Croix, in 18 (1 fr.)

1883. I Quattro Centenari di S. Francesco d'Assisi, di S. Tommaso d'Aquino, di S. Bonaventura e di S. Antonino. — Ragionamenti sacri del P. Emidio Cardini, Min. Oss. — Siena, Tip. all'ins. di S. Bernardino, in 12. pag. 134. (L. 1.)

1884. OMAGGIO del Mondo Cattolico a S. FRANCESCO di Assisi nella ricorrenza del VII Centenario dalla Nascita 1882, del M. R. P. Raffaele da Paterno, Lettore giubilato M. O. Parte II: Omaggio degli Oratori a S. Francesco.-Napoli Officina Tipografica di R. Rinaldi e G. Sellitto nell'abolito Mercato a Forcella.

Fascicolo X, 15 Gennaio 1884.
Fascicolo XI, 31 Gennaio —
Fascicolo XII, 1 Febbraio —
Fascicolo XIII, 29 Febbraio —

LA PORTIONCULE ou HISTOIRE DE SAINTE MARIE-DES-ANGES, par le P. Barnabé, d'Alsace, M. O. Pénitencier Apostolique. Foligno Imprimerie de F. Campitelli. In 12, pag. 262. (1 Fr. 25)

Huius operis adsunt editiones maioris pretii cum variis photographiis, et delineatione basilicae S. Mariae Angelorum.

1884. VITA DEL VENERABILE PADRE F. BENEDETTO BACCI DA POGGIBONZI, Min. Oss. di S. Francesco nella Prov. di Toscana, cavata dalle notizie, relazioni e scritti del P. Serafino da Prato, suo confessore e Religioso dello stesso Ordine, da Ottavio Ximenes Aragona. Nuova edizione. Quaracchi, Tip. del Collegio di S. Bonaventura. In 16, 248 pag. (L. 1).

Anno elapso, huius Servi DEI causa Beatificationis progressa est, habita Congregatione antepreparatoria in ordine ad virtutes heroicas probandas. Vixit Venerabilis ab anno 1491 ad 1698 et eius sepulchrum in Ecclesia Min. Obs. Civitatis Pratensis asservatur.

1884. Nouveau PETIT MANUEL DU TIERS-ORDRE SERAPHIQUE, publié par les PP. Franciscains-Récollets. Avignon, Aubanel Frères, Editeurs. in 18 pag. 190 (prix net, 70 c. franco 85 c.)

1884. REGOLA, privilegi ed indulgenze per gli ascritti al TERZ' ORDINE secolare di S. Francesco d'Assisi, secondo la Costituzione di Papa Leone XII, disposta dal P. Angelo Zaccaria, Min. Oss. Commissario e Visitatore del medesimo 3 Ordine. Tivoli, Tip. Gerardo Maiella in 16 pag. 20.

1884. SANTA MARGHERITA DA CORTONA E LA NUOVA CHIESA, ricordi del P. Antonino Fioresi delle Scuole Pie, Terziario di S. Francesco. Seconda edizione, emendata ed accresciuta. Firenze, Tip. Calasanziana, in 12 pagine 308.

V.

NECROLOGIA

In Provincia Marchiae, die 23 Decembris nuper elapsi, repentino morbo correptus, supremum diem clausit ADM. REV. P. PACIFICUS A CASTROPLANO, L. I. in sacra Theologia, natus die 5 martii 1813. Egregius hic Pater iure dicitur de Ordine et maxime de sua Provincia benemeritus, utpote qui singulari pietate, exemplaritate vitae, regularis observantiae zelo, salutis animarum desiderio, atque doctrinae praestantia eam decoravit. Revmus Minister Generalis, optimis eius dotibus inspectis, ad Missionum Collegium S. Bartholomaei in Urbe, qua Controversiarum Magistrum, destinavit. Deinde Superiorum obedientia Fanum contendit, ubi Professor primum Philosophiae, deinde Ecclesiasticae Historiae in publico Collegio Nolfi renunciatus est. Pluries vel Guardiani vel Definitoris munere functus est. Archiepiscopus Camerinensis Examinatorem Pro-Synodalem eum nominavit ac Theologum sibi delegit, eiusque opera et zelo saepissime usus est in spirituali Monialium directione. Decessit e vita in quodam pago Dioecesis Senogalliensis, quo eximius Religiosus se contulerat praedicationis causa.

—

ADM. R. P. ANTONIUS A CASERTA, Ref. Prov. Neapolitanae, natus die 7 Februarii 1804, seraphico indutus habitu 3 Maii 1820, ac die 7 Februarii 1825 solemniter professus, supremum diem clausit die 18 Ianuarii 1884, apoplexi correptus, sed Ecclesiae sacramentis munitus et confortatus. Egregius hic Pater Lectoris officium usque ad emerentiam primum exercuit; deinde Praefecti studiorum ac Praedicatoris in variis ecclesiis Italiae meridionalis; pluries delegatus extitit Visitator Generalis Reform. Provinciarum Principatus et Calabriae; ac Ministri Provincialis munere functus, in difficillimis adiunctis anni 1848, animi fortitudinem prudentiae ac sollicitudini Pastoris adiunxit.

Nihil obstat.

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

LITTERAE CIRCULARES REVMI P. GENERALIS

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

STRICTIORIS OBSERVANTIAE

SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI

TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS

Venerabilibus ac perdilectis in Christo Patribus, Fratribus, et Sanctimonialibus Nostrae iurisdictioni subiectis salutem et seraphicam benedictionem.

Sicuti passionis ita et consolationis aequum est ut socii nostri sitis. Nempe benignitas Summi Pontificis, per litteras sub die 12 p. el. mensis martii, in locum desideratissimi Emi Card. Aloysii Bilio, suffecit et nominavit Ordinis Nostri Protectorem Emum Card. IOANNEM SIMEONI, titulo S. Petri in Vinculis, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Praefectum, quem, multis abhinc annis Tertio Ordini S. P. N. Francisci per ministerium nostrum adscriptum, erga Ordinem Nostrum summe benevolum semper experti sumus, ab eoque maiora adhuc suae benevolentiae pignora, si res postulaverit, consequuturos fore non dubitamus. Pro quo exinde officii nostri erit preces fundere, ut eum DEUS ad multos annos in bonum totius Ecclesiae et Ordinis Nostri sospitem servet.

Hanc nacti occasionem, non possumus, Patres et Filii charissimi, et Venerabiles Sanctimoniales, quin multas ex animo gratias Vobis agamus pro alacritate illa qua, propositum nostrum de novo Collegio in hac alma Urbe exstruendo laeti excipientes, sive numerata pecunia, sive gratuita Missarum applicatione, sive corrogatis hinc inde eleemosynis, omnes fere Provinciae, etiam quae minores numero sunt et dispersae, ac permulta Sanctimonialium monasteria in subsidium nobis venerunt.

Hinc haud parum solatii cordi nostro accessit, tum quia ex hoc omnium plausu et concursu novam divinae voluntatis pro Collegio exstruendo significationem deprehendere posse visum est; tum quia Ordinem Nostrum vivaciori, quam quae forte alicubi apparet, vita adhuc vivere comperimus; tum quia quae hactenus, vix inita re, omnes praestiterunt, fiduciam nobis ingerunt fore ut eadem et maiora usque ad complementum tam ardui operis praestare pergant et non intermittant. Nos vero, grati animi ergo, singulis quintis feriis sacrosanctum altaris Sacrificium DEO omnipotenti offeremus pro omnibus nostri Collegii benefactoribus, vivis et defunctis.

Demum seraphicam benedictionem toto cordis affectu Vobis omnibus impertimus.

Dat. Romae, ex Aracoeli, die 4 Aprilis 1884.

Humilis in Dno Servus
Fr. BERNARDINUS Min. Glis.

De mandato P. S. Rmae
Fr. PETRUS a MONSANO
ex Min. Provlis, Secret. Glis Ordinis.

MONITUM

Rmus P. Minister Glis statim post Pascha, si DOMINO placuerit, Roma discedet, Provincias Hungariae visitaturus; ideoque se et Visitationis negotium piis precibus omnium Fratrum instanter commendat. Monemus autem omnes tam Superiores quam Subditos ut, quamvis absente Revmo Patre, epistolas suas, non *Patri Delegato nominatim* inscribant, sed semper *Rmo P. Ministro Generali.* Pater autem Delegatus Romae exsistens eas aperiet, et nomine Rmi P. Ministri Glis responsum dabit: si quas vero acceperit *reservatas,* ad ipsum Revmum Patrem illico transmittet.

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EMENDATIONES

quarumdam lectionum historicarum in Breviario Romano inserendae, ex decreto sacrae Rituum Congregationis sub die 2 Iulii 1883, a Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII *die 5 et 8 dicti mensis adprobato.*

—

Die 18 Februarii, in festo SANCTI MARCELLI PAPAE ET MARTYRIS, in IV lectione, periodus sic emendanda post verba « *Pontificatum gessit* ».

Cuius hortatu Lucina Matrona Romana bonorum suorum DEI Ecclesiam fecit haeredem. Aucto in Urbe fidelium numero, ad eorum utilitatem, ad baptismum poenitentiamque dandam iis, qui christianam religionem susciperent, et ad Martyrum sepulturam, novos Titulos instituit, et quasi alteras dioeceses distribuit.....

—

Die 26 Aprilis, pro festo SANCTORUM CLETI ET MARCELLINI *Pontificum et Martyrum, Lectio IX, post verba:* « *iuxta corpus beati Petri sepultus* » *emendanda:*

Marcellinus Romanus, ab anno ducentesimo nonagesimo sexto ad annum trecentesimum quartum in immani Imperatoris Diocletiani persecutione Ecclesiae praefuit. Multas pertulit angustias ob improbam eorum severitatem qui eum redarguebant de nimia *indulgentia* erga lapsos in idololatriam, quaeque causa fuit, ut per calumniam infamatus fuerit, quasi thus idolis adhibuisset. Verum hic beatus Pontifex in confessione fidei, una cum tribus aliis Christianis, Claudio, Cyrino et Antonino, capite plexus est. Quorum proiecta corpora, quum triginta sex dies iussu Imperatoris sepultura caruissent, beatus Marcellus a sancto Petro in somnis admonitus, cum presbyteris et diaconis, hymnis et luminibus adhibitis, honorifice sepelienda curavit in coemeterio Priscillae via Salaria. Rexit Ecclesiam annos septem, menses undecim, dies viginti tres: quo tempore fecit Ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros quatuor, Episcopos per diversa loca quinque.

—

Die 20 Junii, in festo SANCTI SILVERII PONTIFICIS ET MARTYRIS, *lectio IX.* Post verba: « *restituere voluit* ».

Quamobrem irata mulier mandat Belisario ut Silverium mittat in exilium. Qui exulavit in insula Pontia, unde his verbis scripsisse fertur ad Amatorem Episcopum: Sustentor pane tribulationis, et aqua angustiae, nec tamen dimisi, aut dimitto officium meum. Et sane brevi incommodis aerumnisque confectus obdormivit in DOMINO, duodecimo kalendas Iulii; cuius corpus Romam delatum, et in Basilica Vaticana depositum, multis miraculis illustratum fuit. Praefuit Ecclesiae annos tres et amplius, creatis mense Decembri Presbyteris tresdecim, Diaconis quinque, Episcopis per diversa loca decem et novem.

Die 11 Julii, in festo Sancti Pii I Pontificis et Martyris, *Lectio IX subroganda in Breviario pro Officio ritus Simplicis.*

Pius, huius nominis primus, Aquileiensis, Ruffini filius, ex Presbytero Sanctae Romanae Ecclesiae Summus Pontifex creatus est, Antonino Pio et Marco Aurelio Imperatoribus Augustis. Quinque Ordinationibus mense Decembri, Episcopos duodecim, octodecim Presbyteros creavit. Extant nonnulla ab eo praeclare instituta, praesertim ut Resurrectio Domini nonnisi die Dominico celebraretur. Pudentis domum in ecclesiam mutavit, eamque ob praestantiam supra ceteros Titulos, utpote Romani Pontificis mansionem, Titulo Pastoris dicavit, et in qua saepe rem sacram fecit, et multos ad fidem conversos baptizavit, ac in fidelium numerum adscripsit. Dum vero boni Pastoris munus obiret, fuso pro suis ovibus et Summo Pastore Christo sanguine, martyrio coronatus est quinto Idus Iulii, ac sepultus in Vaticano.

—

Die 11 Septembris, in festo Sanctorum Proti et Hyacinthi Martyrum.

—

Incisum in lectione IX reformandum

Post verba « divinarum litterarum »

Aliquandiu in Aegypto inter ascetas mira humilitate et vitae sanctitate vixerunt...

—

Die 31 Decembris, in festo Sancti Silvestri Papae et Confessoris, *Lectio IV.*

Silvester Romanus, patre Rufino, a prima aetate operam dedit Cyrino Presbytero, cuius doctrinam et mores egregie imitatus est. Hic, saeviente persecutione, in Soracte monte latitaverat, et trigesimum annum agens Presbyter Sanctae Romanae Ecclesiae a Marcellino Pontifice creatur. Quo in munere cùm omni laude clericis aliis antecelleret, in Melchiadis postea locum successit, Imperatore Constantino, qui antea pacem Ecclesiae Christi lege publica dederat. Vix Ecclesiae gubernacula tranctanda susceperat, Constantinum iam Crucis signo coelitus illustratum, et de hoste Maxentio victorem, ad tuendam propagandamque christianam Religionem impense fovit. Quem etiam, uti vetus Ecclesiae Romanae refert traditio, Apostolorum imagines recognoscere fecit, sacro baptismate tinxit, et ab infidelitatis lepra mundavit.

Lectio V.

Itaque, auctore Silvestro, pius Imperator quam christifidelibus publice templa extruendi tribuerat facultatem, eam exemplo suo confirmavit; multas enim erexit Basilicas, scilicet Lateranensem Christo Servatori, Vaticanam Sancto Petro, Ostiensem Sancto Paulo, Sancto Laurentio in Agro Verano, Sanctae Cruci in Atrio Sessoriano, Sancto Petro et Marcellino ac Sanctae Agneti in viis Lavicana et Nomentana, et alias, quas sacris imaginibus splendide exornavit, et, muneribus praediisque attributis, magnificentissime locupletavit. Hoc Pontifice habitum est Concilium Nicaenum primum, ubi praesidentibus eius Legatis, praesenteque Constantino, et trecentis decem et octo Episcopis, sancta et Catholica fides explicata est, Ario eiusque sectatoribus condemnatis; quod etiam Concilium, petentibus Patribus, confirmavit in Synodo Romae habita, ubi iterum Arius comdemnatus est. Multa item decreta fecit Ecclesiae Dei utilia, quae sub eius nomine recensentur; idest, ut a solo Episcopo chrisma conficeretur; ut Presbyter chrismate baptizati summum leniret verticem; ut Diaconi dalmaticis in Ecclesia, et palla linostima ad laevam uterentur; ut in lineo tantum velo sacrificium altaris conficeretur.

Lectio VI.

Idem praescripsisse traditur tempus omnibus, qui ordinibus initiati essent, exercendi singulos ordines in Ecclesia, antequam quisque ad altiorem gradum ascenderet; ut laicus clerico non inferret crimen; ne clericus apud profanum iudicem causam diceret. Sabbati et Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadae dies feriarum nomine distinctos, ut iam ante in Ecclesia vocari coeperant, appellari voluit; quo significaretur, quotidie clericos, abiecta ceterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere. Huic coelesti prudentiae, qua Ecclesiam administrabat, insignis vitae sanctitas,

et benignitas in pauperes perpetuo respondit. Quo in genere providit, ut clericis copiosis egentes coniungeret, et sacris virginibns quae ad victum necessaria essent, suppeditarentur. Vixit in Pontificatu annos viginti unum, menses decem, diem unum. Sepultus est in coemeterio Priscillae via Salaria. Fecit Ordinationes septem mense Decembri, quibus creavit Presbyteros quadraginta duos, Diaconos viginti quinque, Episcopos per diversa loca sexaginta quinque.

MONITUM

Quoad nonnullas lectiones historicas reformatas.

A Sacra Rituum Congregatione prodierunt in lucem nonnullae Breviarii Romani et Proprii Sanctorum Summorum Pontificum Lectiones historicae ex integro, vel ex parte reformatae. Ne ulli aequivocationi hac in re pateat aditus, opportunum censetur declarare, huiusmodi modificationes ab eadem Sacra Congregatione approbatas atque editas fuisse ad hoc tantummodo, ut in novis Breviarii et Proprii praedicti editionibus, rite perficiendis, inseri debeant; minime vero, ut ad eas assumendas ii obligentur, qui Horas Canonicas recitant iuxta editiones iam existentes.

Ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 14 Decembris 1883.

Laurentius Salvati, S. R. C. Secretarius.

—

RESCRIPTUM
S. C. INDULGENTIARUM

Quo in perpetuum confirmantur variae facultates iamdiu concessae Ordinis nostri Ministro Generali, Stationum VIAE CRUCIS *erectionem et Crucifixorum benedictionem concernentes.*

BEATISSIME PATER,

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, ad pedes Sanctitatis Tuae venerabundus provolutus, humiliter exponit, Ordinis alumno a se commissam esse disponendam e documentis authenticis instructionem de Sacris Viae Crucis Stationibus erigendis visitandisque, (1) quam in lucem edendi mens est post obtentam a Sac. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita (si ita S. H. C. visum fuerit) approbationem.

Cum vero non omni, qua par est, certitudine ac claritate e documentis authenticis, quae praesto sunt, pateat quousque se extendat Stationes Viae Crucis erigendi auctoritas praefato Ordini ab Apostolica Sede benigne concessa, hinc Minister Generalis totius Ordinis Minorum consuevit, statim ab ingressu sui Generalatus Summum Pontificem supplex adire ab Eoque impetrare confirmationem omnium facultatum, quas circa Vias Crucis erigendas ac benedicendos Crucifixos Viae Crucis vulgo nuncupatos Sancta Sedes Apostolica *praedecessoribus* suis indulsit: quod et praestitit et impetravit humillimus orator.

Praxis autem huius curiae habet, ut Minister Generalis

a) deleget tum intra cum extra Ordinem facultatem erigendi Viam Crucis, etiam in oratoriis privatis, ex Indulto tamen Apostolico erectis, nec non benedicendi Crucifixos cum applicatione Indulgentiarum Viae Crucis;

b) concedat aliis, praesertim locorum Ordinariis, Vicariis Apostolicis, Missionum exterarum Praefectis, etc. auctoritatem etiam subdelegandi seu committendi subditis Viae Crucis erectionem.

Praeterea, considerato tenore Brevis *Exponi Nobis* Clementis Pp. XII (d.d. 16 Ianuarii 1731), dicendum videtur non solum Ministrum Generalem, sed etiam alios in Ordine Superiores ac ex eorum commissione etiam caeteros Fratres concionatores vel confessarios approbatos Viae Crucis Stationes erigere posse, etiam in privatis seu domesticis oratoriis, saltem proprie dictis, id est quae gaudent privilegio celebrandi in iis Missam. In praefato enim Brevi praelaudatus Summus Pontifex extendens indulgentias ad Viae Crucis Stationes *per Fratres dicti Ordinis* erectas vel in posterum erigendas in locis Ministro Generali non subiectis inter huiusmodi loca enumerat etiam *oratoria*, quin ulla addatur distinctio seu restrictio.

Ut igitur omnis dubitandi ratio tollatur, et memorata instructio plenior esse queat, orator enixis precibus supplicat: 1. ut Sanctitas Tua Ministro Generali totius Ordinis Mino-

(1) Haec *Instructio* in *Actis Ordinis* iam edita iterum in lucem mox prodibit, a S. C. Indulg. approbata.

rum pro tempore existenti vi muneris *confirmare* ac, in quantum opus est, de novo concedere dignetur *facultates ab ipso exerceri diuturna praxi consuetas*, ac superius sub litteris *a* et *b* expositas; 2. ut Sanctitas Tua declarare ac, in quantum opus est, de novo concedere dignetur, *omnes* in Ordine *Superiores, ac ex eorum commissione etiam caeteros Fratres concionatores vel confessarios approbatos, Viae Crucis Stationes licite ac valide constituere posse, etiam in oratoriis privatis* seu *domesticis, quae gaudent privilegio celebrandi in iis Missam.*

Tandem humillimus orator supplicat, ut Sanctitas Tua Auctoritate Apostolica sanare dignetur defectus quoad praeteritum in praedictis forsan existentes.

Quam gratiam etc.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII in audientia habita die 15 Martii 1884 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, praevia sanatione quoad praeteritum de qua in precibus, *benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta petita*. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 15 Martii 1884.

Al. Card. Oreglia a Santo Stephano, Praef.
Franciscus della Volpe, Secrius.

—

AD CARDINALATUM EVECTUS

In Consistorio secreto diei 24 Martii a. c. Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis creatus est Rmus Dnus Fr. Iosephus Sebastianus Neto, Patriarcha Ulyssiponensis, Ordinis nostri filius, natus die 8 Februarii 1841.

Novi Episcopi ex Ordine nostro assumpti:

In Consistorio publico diei 27 Martii a. c. a Ssmo Dno Nostro Leone PP. XIII ad dignitatem episcopalem promoti sunt:

Rmus D. Fr. Ioannes a Capistrano Tissera, Minister Provincialis Obs. Provinciae Ss. Assumptionis B. M. V. Fluvii Platensis in Republica Argentina, pro ecclesia cathedrali Cordubensi in eadem Republica; et

Rmus D. Fr. Marius Marković, Obs. Provinciae Bosnae Argentinae, pro ecclesia titulari Danabensi, et Administrator Apostolicus ecclesiae cathedralis de Banialuca in Bosnia, a Sua Sanctitate erectae.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES DISPERSOS

Incitamenta seraphica.

XVI

Continuatio eiusdem argumenti

Regulares Ordines in tristi, quam descripsimus versabantur conditione, cum Comitia Generalia cleri Gallicani anno 1765 in unum convenerunt, ut religionis bono et incolumitati consulerent et spiritualia damna quibus afflictabatur ab ea removerent.

Illico adverterunt illustrissimi Praelati, quod nihil magis tunc urgeret, quam Regularium reformationi omnem curam adhibere, cum ipsa religionis conservatio in Gallia ex eo potissimum iudicaretur pendere. Unde etiam omnem sollicitudinem impendere statuerunt, ut tanti momenri negotium efficacibus mediis executioni posset mandari.

Collatis igitur consiliis et omnibus rite perpensis in eam sententiam devenerunt Comitia Generalia, ut Summo Pontifici miserum statum Ordinum Regularium exponerent, reformationis urgentem necessitatem ostenderent et simul Sanctissimum Dominum rogarent, ut dignaretur in hunc finem aliquos Cardinales et Episcopos Galliae deputare, qui suo nomine coenobia Religiosorum visitarent et antiquum disciplinae vigorem in illis familiis restituerent.

En quibus verbis religiosorum Ordinum statum SSmo Domino Clementi XIII in suis litteris notum facere decreverant, humili praemissa testificatione debitae suae pietatis et reverentiae erga Sanctam Sedem Apostolicam, omnium ecclesiarum matrem et magistram:

« Inter varia, quae pectus nostrum aegre pertentant anguntque sollicitudinum momenta, sacris addictas non immerito recensemus religiosorum hominum familias, quorum aliunde summa in Christi gregem merita praedicare nunquam desinemus; dici enim vix potest

quantam vel ab incunabulis, strictiori disciplinae cura, exemplorum documentis, sparso divini verbi semine, inducto frequenti sacramentorum usu, saepius sanguine, evangelici tritici copiam in horreum DOMINI congregaverint illi animarum venatores sagacissimi.

« Verum, heu! apud plurimos refrixit paulatim ille ardor, contentio illa sensim relanguit, detrita et obsoleta impressa ipsorum animis prima religiosae perfectaeque virtutis ac vitae lineamenta, et quum a summo declinantibus facilis sit per praerupta ad infima quaeque casus, mores paulatim lapsi ruunt in deterius; discordia denique, ultimum malorum quod vel hostis hosti possit imprecari, cum profanarum vocum novitate in pacis ac caritatis domicilia non sine gravi bonorum omnium luctu palam ea ante omnium oculos ita perperam irrupsit, ut mutuis odiis distracti ac depugnantes ad civilium magistratuum confugere non erubescant religiosi homines. Pullulant innumeri a tam prava radice surculi, qui, si sobolescere ac pubescere sinerentur, bonam christianae ac catholicae institutionis sementem opprimerent aliquando penitusque suffocarent ».

Hisce abusibus expositis, SSmo Domino supplicandum duxerunt Comitia Generalia, ut tot tantisque malis efficax remedium afferre dignaretur, et quidem seligendo ex Galliae Cardinalibus et Episcopis, aptiores viros, qui, Eius auctoritate muniti, pristinum in illis familiis religiosis splendorem restituerent.

Dum has litteras ad SSmum Dominum dirigendas decreverant, simul etiam interventum regis implorandum duxerunt, quo certius votis eorum Sua Sanctitas obtemperaret. Verum haec agendi ratio infelicem obtinuit effectum. Simul enim ac rex Comitiorum propositum cognovit, ministros suos aulicosque consuluit, qui, cum essent pro magna parte Iansenistis addicti ac Sanctae Sedi et Religiosis adversi, sub fallaci praetextu efficacius intentum scopum obtinendi, suaserunt regi, adulationibus minime parcendo, ut scilicet ipsemet reformationi cleri regularis provideret, et quidem per commissarios quos ipse seligeret. Placuit Maiestati suae consilium et, inconsulta Sancta Sede, quinque regni consiliarios laicos totidemque episcopos, pro maiori parte Religiosis hostiles, constituit, qui omnia monasteria Galliae visitarent, eorum statum cognoscerent et modum ea reformandi proponerent. Commissarii inter quos erat de Brienne, de quo iam actum fuit, praeter alia decreta inutilia, ut supra dictum fuit, plura lentae monasteriorum extinctioni propria, et disciplinae religiosae quam maxime perniciosa condiderunt. Brevi enim non modo Religiosorum numerus ad mediam fere partem fuit redactus, sed, quod magis deflendum erat, ipsa monastica disciplina quotidie dissolutior et licentior evasit, eo quod discordias inter Religiosos disseminarent et disciplinae impatientibus patrocinium praestarent.

Adeo dein perversi videbantur *mores in* aliquibus Ordinibus regularibus, ut ipse Summus Pontifex coactus esset aliquas familias auctoritate apostolica supprimere, uti faciendum iudicavit cum Ordine Antoniano et cum aliquibus monasterii Coelestinorum.

Cum graviter conquererentur Comitia Generalia cleri Gallicani, in litteris ad SSmum Dominum directis anno 1780, eo quod ipsis inconsultis, tale quid statuisset, et simul timorem exprimerent ne alii Ordines eamdem sortem haberent, Pius PP. VI iis litteris respondere non dedignatus, non modo notificavit eis quod illos Episcopos, in quorum dioecesi haec monasteria inveniebantur, consulere non omiserit, sed simul etiam suppressionis illius urgentem necessitatem ostendit, et quidem, ut dicebat: « ob licentiam monachorum qui, ut dissolute et commode viverent, sui Instituti compedes confringere atque abiicere adnitebantur, atque emendationi et reformationi morum, quae proponebatur, assentiri renuebant ».

De aliis autem quibusdam Ordinibus, qui parem sortem timebant, in iisdem litteris loquens Pontifex ita prosequitur: « Videtis, Venerabiles Fratres et dilecti Filii, ac probe intelligitis, timorem illum atque tremorem, qui istius regni regulares Ordines invasit, non a nostro Pontificatu ortum duxisse, sed quod iidem Regulares a suis institutis ita deflexerunt, ut observantia regularis iaceret, nulla vigerent studia litterarum, nulla fere monasticae disciplinae vestigia apparerent. Quod si iidem Ordines, quos nunc vestris litteris enixe commendatis, immutata vivendi ratione, sui quisque instituti tenax erit et observator diligentissimus, nihil est quod timeant, nihilque omnino a nobis

novitatis expectent. Vos igitur toto animo et studio in eam curam et cogitationem incumbere debetis, ut abusus omnes, qui in Ordines Regulares irrepserunt eliminentur, ne ad extremum et voluntarium ruant interitum ».

Utinam Ordines Regulares in quibus tot abusus existebant, CHRISTI in terris Vicarii salutaria monita sequi voluissent, et opportunam reformationem strenue promovissent! Hoc enim quantumvis difficile aut impossibile appareret, executioni potuisset mandari, collatis viribus fervidorum qui remanserant Religiosorum, et Eo praesertim auxiliante, qui *iubendo monet et facere quod possis et petere quod non possis et adiuvat ut possis,* uti loquitur Tridentinum.

Verum gratiae DEI, Superiorum Maiorum monitis et conscientiae stimulo iugiter resistentes, inordinatum vivendi modum, qui ad aeternam ducebat perditionem, sequi perrexerunt, et sic proprium suum exterminium iusto DEI iudicio provocarunt, illud infeliciter experti quod Pius VI, Pontifex Maximus, eis comminatus erat dicens: *Abusus omnes, qui in Ordines Regulares irrepserunt, eliminentur, ne ad extremum et voluntarium ruant interitum* (1).

Haec etiam miseranda fuit sors cleri saecularis, qui non minus quam regularis in DEUM et in Ecclesiam adeo fuerat rebellis, totque scandala populo dederat catholico. Unde merito putandum est, utrumque suis delictis non modo propriam suam ruinam sed ipsius suae nationis summam adduxisse calamitatem.

Nec mirum; quis enim ignorat ex improba sacerdotum et religiosorum vita, plurima mala tum culpae tum poenae in populum derivari?

Et primo quidem, quantum ad mala culpae attinet, quis non videat ex malo exemplo sacerdotum et religiosorum plurima vitia oriri; illudque efficax admodum esse, ut plebis animos ad libertatem pelliceat, et ad vitiorum imitationem inflectat? Quod enim quisque in eis cernit invaluisse, nec reprehendi, id sibi facile licitum putat: hinc fit, teste sancto Bernardo: *ut misera sacerdotum conversatio plebis dominicae sit miserabilis subversio.*

Quantum autem ad mala poenae, gravissimas clades inflictas esse in plebem ob peccata sacerdotum, etiam ex sacris historiis exploratum habemus. Propter peccata Heli et filiorum eius, victoria cessit Philistaeis, Israelitae profligati sunt, arca in hostium potestatem venit (I. Reg. II).

Sanctus Cyprianus gravissimam calamitatem suo tempore Africam depopulantem sacerdotibus adscribit his verbis: Fecit DOMINUS voluntatem PATRIS sui, et non facimus (nos sacerdotes) voluntatem DOMINI, lucro studentes, superbiam sectantes, aemulationi ac dissentioni vacantes, fidem negligentes, saeculo verbis, et non factis renuntiantes, unusquisque sibi placentes. Vapulavimus itaque ut miremur; cum nec illi qui exemplo caeteris ad bonos mores esse deberent, teneant disciplinam ».

Sanctus Gregorius, in celebri *Homelia 17ª in Evangelium S. Lucae,* quam in Ecclesia Lateranensi habuit, sui temporis clades pariter peccatis presbyterorum tribuit dicens: « Quando mundus gladio feriatur adspicitis, quibus quotidie percussionibus intereat populus videtis; cuius hoc nisi nostro sacerdotum peccato agitur? Nos pereunti populo auctores mortis existimus, qui esse debemus duces ad vitam; ex nostro peccato populi turba prostrata est, quia nostra negligentia ad vitam erudita non est. Non ergo miremur diuturnam Ecclesiae persecutionem, et turbidam vastitatem catholico populo, gregi DOMINI, incumbentem. Non obmurmuremus de felici successu haereticorum contra catholicos, sed cum beato Hieronymo fateamur nos sacerdotes: nostris peccatis barbari et haeretici fortes fiunt, nostris vitiis catholicus superatur exercitus; infelices nos qui tantum displicemus DEO, ut per rabiem barbarorum et haereticorum Illius in nos ira desaeviat ».

Si talia de peccatis sacerdotum enuntiare non dubitarunt memorati Sancti, nonne etiam merito credendum est, perturbationem Gallicanam et saevissimam Ecclesiae persecutionem iisdem causis magna ex parte esse tribuendas?

Quanto autem furore DEUS tunc iram suam exercuit! Ut de Regularibus loquamur, quis

(1) Haec serio recogitent infelices illae Provinciae, quae in praesentiarum vera indigent reformatione, cum vel ipsa vota solemnia vel saltem quaedam Regulae praecepta sub mortali obligantia in eis videntur infringi, quin Superiores efficacibus remediis abusus tollere nitantur. Dignetur ipse DEUS per viscera suae misericordiae eas illuminare, et ad puram Regulae observantiam ac disciplinam vere monasticam perducere!

calamitatem describere posset omnium Religiosorum, qui unico edicto fuerunt e claustris suis exturbati, et quos ita DOMINUS DEUS, sicut protoparentes, eduxit de paradiso voluptatis in terram miseriae et vallem lacrymarum, eo quod, pro maiori parte, mandatis Eius parere detrectaverant?

Quibus periculis tunc temporis fuerunt expositi, non modo carcerem aut mortem subeundi, si, in tot et tam saevis vexationibus, quibus uterque clerus objiciebatur, impiis gubernii mandatis obtemperare renuerent, sed praesertim ipsam fidem abnegandi et aeternam animae iacturam faciendi, si rerum terrestrium desiderio allecti aut metu devicti, iniquis decretis subscribere non horrerent?

Incredibiles sane fuerunt tentationes quibus eorum fides et constantia per varios annos iugiter exponebantur. Et primo quidem, pro iis qui post expulsionem beneficium ecclesiasticum iam admiserant, quando anno 1790 decreta fuit sic dicta Constitutio civilis cleri, qua Ecclesiae Gallicanae cum Romana communio rumpebatur, et simul mandatum fuit, ut omnes episcopi, parochi et presbyteri iuramentum adhaesionis praestarent, vel a muneribus suis abstinerent, et qui contra fecerint, tanquam perturbatores status publici punirentur.

Non minus terribilis et periculosa fuit sacerdotum et religiosorum conditio, cum anno 1793, praevalente impia et sanguinolenta factione Terroristarum, quicumque antiquo regimini aut familiae regiae dediti vel suspecti vel qua tales delati erant, comprehensi, in carcerem coniecti aut necati sunt. Tunc etiam episcopi, presbyteri et religiosi, qui schismati non adhaerebant, ubique fuerunt conquisiti, carceribus mancipati, deportati et magno numero interfecti ea crudelitate, quae inter ipsos populos barbaros non videbatur.

In quanto dein periculo apostatandi versabantur sacerdotes et religiosi, quin et simplices fideles, cùm eodem anno omnis Religio in toto territorio Francico fuit proscripta, aera christiana abrogata, eique substituta aera reipublicae, et novum calendarium introductum, in quo non tantum nullum christianorum festorum vestigium, sed etiam in locum hebdomadarum decades positae erant; diei decimae celebratio tam severe praescripta, quam Dominicae celebratio prohibita. Sic proscriptis autem omnibus Religionis Christianae vestigiis, substitutus fuit cultus sic dictus Rationis, per statuam vel mulierem prostitutam repraesentatae. Tunc crimen erat, quod carceris saepiusque mortis poena mulctabatur, si quis novum nationis cultum eiusve festa fastidire videretur, aut levissimum signum Religionis christianae ederet haberetque. Hinc homines religiosi non nisi in locis abditis DEUM colere aut sacris interesse audebant, sacras imagines, libellos precum, aliasque huiuscemodi res sollicite abscondere cogebantur.

Tandem quod maximum praebuit utrique clero defectionis periculum, quodque magis eis noxium fuit, est duplex iuramentum ministris cultus catholici a Directorio anno 1795 sub poena carceris vel deportationis praescriptum, agnoscendi scilicet, Universalitatem civium Gallicorum supremam esse potestatem, et dein protestandi, odio se habere Regiam potestatem (1).

(Continuabitur)

III. MISSIONES

EPISTOLA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE.

Quum Supremum Tribunal Italicum suo iudicio die 29 Ianuarii huius anni prolato decrevisset, omnia bona immobilia Sacrae Congregationis de Propaganda Fide in regni territorio sita, vendi debere, ut in Syngraphas creditorias inalienabiles (vulgo *Cartelle di Credito vincolate*) convertantur, praefata Sacra Congregatio ad sui iuris tutelam, saltem pro futuro, die 15 Martii Litteras edidit Circulares, quas hîc per extensum referre necessarium esse ducimus:

Illmo e Revmo Signore

È nota alla S. V. la sentenza emanata ai 25 Gennaio p. p. dalla suprema Corte di Cas-

(1) Iuramenti huius formula haec erat: « Ego sacramentum odii in regiam maiestatem et anarchiam profiteor, simulque voveo obsequium et fidem in rempublicam et in constitutionem anni III ».

sazione di Roma a Sezioni riunite, circa la convertibilità dei beni di questa S. Congregazione. Secondo siffatto pronunciato, già qualificato abbastanza dalla pubblica opinione, la Propaganda viene equiparata a particolari enti ecclesiastici locali e perciò compresa nella legge di conversione del patrimonio di tali enti conservati nella provincia romana. (Legge 1873.)

Ora, siccome V. S. già conosce, ben altra è la natura di questo Istituto, indubbiamente internazionale, sia riguardato il carattere della missione affidatagli, sia la provenienza dei capitali che costituiscono il suo patrimonio.

L'atto fondamentale, con cui Gregorio XV di s. m. diè principio a questa magnifica opera, gloria della S. Sede e insieme dell'Italia, la serie delle costituzioni pontificie emanate a riguardo di essa durante i due secoli e mezzo della sua esistenza a traverso le crisi anco le più violente d'Europa, avevano chiarito abbastanza davanti a tutto il mondo, che i Pontefici stabilirono questo Istituto allo scopo esclusivo di farne l'istromento per esercitare efficacemente il proprio ministero dell'apostolato colla propagazione della fede su tutta la faccia della terra; al quale effetto gli conferirono i più ampi e straordinari poteri. Per assicurargli la piena libertà nell'esercizio di tanto sublime officio, essi stessi per i primi gli fornirono mezzi pecuniari, e in questo intendimento medesimo i fedeli di tutte le nazioni volonterosamente concorsero ad aumentare il suo patrimonio, che non a vantaggio di un popolo solo era destinato, ma a bene della intiera umanità.

Pertanto apparisce manifesto che la sentenza accennata sopra non colpisce già i beni di un particolare istituto, ma danneggia il capitale destinato esclusivamente all'esercizio dello stesso ministero apostolico del Romano Pontefice per la conversione delle genti alla luce della Fede e della civiltà. Essa lo danneggia, sia esponendo la Propaganda al pericolo di vedere quandochessia perire questi beni o totalmente o parzialmente per effetto di non improbabili eventualità, sia mettendo anco nell'arbitrio dei partiti signoreggianti, e però nella più deplorevole incertezza, il pagamento delle rendite, e soprattutto togliendole la libera disposizione degli stessi suoi capitali ad essa del tutto necessaria, visto il carattere d'iniziativa proprio della sua natura e le frequenti occasioni di dover accorrere agli straordinari bisogni delle varie missioni.

Il Santo Padre, afflittissimo per questo nuovo e fiero attentato agli imprescrittibili diritti del suo apostolato, e prevedendo le tristi conseguenze derivanti dalla conversione dell' attuale patrimonio della S. C., già del resto nella massima parte alienato, lite pendente, dal governo, sente il dovere di provvedere nei migliori modi al sicuro avvenire di sì benemerito Istituto. Perciò si è degnato ordinarmi che a garantire tal sicurezza io didichiari, conforme faccio colla presente, che quindi innanzi la Sede amministrativa della Propaganda per tutte quelle donazioni, lasciti, e oblazioni colle quali piacesse alla pietà dei fedeli concorrere alle continue e ingenti sue spese, viene trasferita fuori dell'Italia. E per provvedere alla maggior comodità comune, si è determinato di stabilire nelle diverse parti del mondo vari centri o Procure, ove le loro offerte possono essere poste fuori d'ogni pericolo e a libera e indipendente disposizione di questa S. Congregazione per vantaggio delle SS. Missioni. Tali Procure vengono indicate nella nota che se le aggiunge, e che insieme colla presente circolare sarà dalla S. V. recata a conoscenza di tutti i fedeli alle sue cure affidati. Mi riservo di comunicarle in seguito, ove occorra, ulteriori istruzioni.

Del resto la S. Congregazione nutre ferma fiducia che il nuovo colpo recato alla Chiesa, lungi dallo indebolire la pietà dei cattolici, le sarà stimolo potente perchè con generosità sempre maggiore sovvengano ai bisogni delle missioni, che si fanno di giorno in giorno più imperiosi e molteplici.

Intanto prego Iddio che la conservi e la prosperi.

Dalla Propaganda, 15 Marzo 1884.

GIOVANNI CARD. SIMEONI Prefetto

D. ARCIV. DI TIRO Segretario.

NOTA DELLE PROCURE

IN EUROPA

Vienna
Monaco di Baviera
Parigi
Madrid
Lisbona
} Presso le Nunziature Apostoliche.

Aia — Presso l'Internunzio Apostolico.
Belgio — Presso l'Arcivescovo di Malines.
Malta — Presso l'Agente della S. C.
Londra
Dublino
} Presso l'Emo Cardinale Arcivescovo.

Costantinopoli — Presso il Vicario Patriarcale pei Latini.

IN ASIA

Bombay
Calcutta
Madras
} Presso i Vicari Apostolici.

IN AMERICA

Nuova-York — Presso l'Emo Cardinale Arcivescovo.

S. Francisco
Quebec
Toronto
} Presso i rispettivi Arciv.

Rio Janeiro — Presso l'Internunzio Apostolico.

Buenos Ayres
Quito
} Presso il Delegato Apostolico.

IN OCEANIA

Sydney — Presso l'Arcivescovo.

IN AFRICA

Algeri — Presso l'Emo Cardinale Arciv.

N. B. Quante volte la distanza impedisca ai fedeli di far pervenire le somme ai centri accennati, potranno all'effetto dirigersi al proprio Ordinario.

EX EPISTOLA

Illmi et Remi Dni Aloysii MOCCAGATTA, *Vicarii Apostolici de Chan-si, in imperio Sinensi, Praesidi pii operis Propagationis fidei.*

SUMMARIUM

I. Relationem transmittit Coadiutoris sui, Rmi Domini Grassi, in qua: 1. multa narrantur de pietate Christianorum cuiusdam districtus meridionalis, 2. Famis consequentiae describuntur, 3. causae indicantur quae conversiones impediunt, 4. in districtu civitatis *Choa-Tcheou* multi ad fidem convertuntur.

II. Necessitates exponuntur et nova subsidia petuntur.

Illustrissimo Sig. Presidente,

Stimo mio dovere informarla dello stato di questa Missione, de' frutti spirituali che si raccolgono, e dei bisogni più o meno urgenti, cui fa d'uopo provvedere.

Poichè la mia quasi decrepita età m' impedisce di far viaggi, quest'anno inviai il mio Coadiutore Monsig. Grassi a visitare un gran distretto della parte meridionale, da cui fa ora ritorno dopo sei mesi di dimora, e Le manda la seguente quanto lieta, altrettanto veridica relazione.

1. Di tanti distretti, che già percorsi e visitai, niuno ne trovai, in cui i Cristiani siano si osservanti delle leggi divine ed ecclesiastiche, e si fervorosi, come in quello. Non vi trovai scandali particolari, e con tutta facilità mi venne fatto di rimediare ai piccoli sconcerti ed abusi, che erano insorti. Colà è quasi cosa inaudita e strana, che i Cristiani fra loro facciano lite al tribunale, perchè ogni dissensione vien rapportata ai Missionarii, i quali o per sè stessi, o per arbitri da loro destinati, la terminano pacificamente, ed i Cristiani di buona voglia stanno alla loro decisione, e si rappacificano. In ciò essi mettono in pratica perfettamente la dottrina dell'Apostolo delle genti, il quale insegna, che ogni discordia fra i Cristiani sia composta amichevolmente da loro senza ricorrere al tribunale dei gentili con infamia della Religione. Questa loro esemplare condotta genera meraviglia anche ai gentili stessi, i quali van loro ripetendo. — Vedete, come i Cristiani si amano scambievolmente. — Quindi molti di essi tocchi nel cuore dalla divina grazia si convincono agevolmente della verità di nostra S. Religione, e l'abbracciano. Infatti dopo la carestia erano rimasti solamente 2800 Cristiani, ed ora già superano 4000 con buon numero di Catecumeni. Molti di questi però sono oriundi dalle vicine provincie del *Tche-li*, e dello *Chan-tum*, i quali a schiere emigrano in quella parte per aver terreni a coltivare, e modo di vivere meno miseramente. Imperocchè egli è a sapere che in alcuni luoghi di quel dipartimento la carestia fece si orribile strage, che appena vi rimase dove un quarto, dove un quinto della popolazione.

2. Un giorno viaggiando traversava un

grandioso pago, e vedendo le case quasi tutte distrutte e dirocate, e ben poche persone, domandai al mio condottiere quanti perissero in quel pago in tempo di carestia; e fummi risposto che prima quel pago contava circa 10 mila abitanti, e dopo rimasero soli 800. In un'altro di 8 mila n'erano rimasti 500. In conferma di ciò Le dico, che in questi ultimi anni essendosi edificate in quei contorni due chiese non piccole, le tegole si comprarono otto ed i mattoni tre per un centesimo: ed un metro di pietre intagliate costava un soldo. Molti terreni anche fertili rimangono incolti; per far acquisto dei quali non fa d'uopo sborsar danaro, ma basta che si paghi il tributo annuo al Governo. In questi due anni il ricolto essendo stato abbondante, i cereali sono a vilissimo prezzo, ed i contadini hanno le case piene di granaglia, che non trovando a venderla, non sanno come pagare il tributo. Basta il dire, che con un soldo si compra un Kilogramma di pane bianco. L'anno scorso il Vicerè dovette acconciarsi a ricevere frumento pel tributo, in luogo di danaro. Nel prossimo inverno l'affluenza dei forestieri dovrà essere stragrande, perchè intesi che nelle due suddette provincie vi fu grande inondazione.

3. Maggior numero di conversioni si fanno nei due distretti al Sud-Ovest di questa metropoli, e se ne farebbero assai più, se il Governo desse quella libertà, che promise nel trattato. Quasi ogni famiglia per non dir persona, è costretta a sostener lite al tribunale per essere liberata dalla cooperazione alle superstizioni. Attualmente vi sono da dieci a quindici cause al tribunale ancor indecise; ed anche quando il mandarino decide in favore dei Cristiani, i gentili trovano sempre modo di rifarsi del danno, e perseguitare i Cristiani ora proibendo ai padronali di lasciar coltivare ai Cristiani i terreni, ora proibendo alle guardie campestri di sorvegliare al loro biade, e poi di nottetempo mandano i ladroncelli a rubarle. Quindi per non andar soggetti a lunghe e continue vessazioni, molti si astengono dall'ascriversi al Catecumenato, benchè vi abbiano desiderio. S'aggiunge che al governo di questa Provincia siede ora un Vicerè, nemico dichiarato degli europei, e di nostra Religione, il quale studia ogni modo di opprimerla, ora impedendo ai giovani studenti di subir l'esame per esser laureati, ora degradando quelli, che ottennero da molti anni la laurea. Vuol essere informato di tutte le liti relative alla Religione, ed esorta i mandarini di soppiatto a decidere contro i Cristiani per quanto possono, od almeno di tirare sempre in lungo la causa, e mai venire ad una conclusione. Il Signore pei giusti suoi motivi permette che questi neofiti soffrano, per provarli come oro nel crogiuolo.

4. Solamente nel circuito della città di *Chsa-tcheon* vi si gode bastantemente libertà e pace. Questo in parte devesi ascrivere alla bontà di quel mandarino, il quale, avendo tre anni fa interrogato il Vicerè d'allora in qual modo doveva portarsi coi Cristiani, fugli risposto che facesse eseguire il Trattato, ed egli si attenne agli ordini ricevuti. Si è perciò che colà le conversioni sono assai più numerose, che in ogni altro distretto. Sul momento ricevo notizia, che un villaggio si è convertito quasi per intero, e quest'anno hanno cessato di far le solite commedie e superstizioni, e non andrà guari, ehe convertiranno la pagoda in una chiesa, come già avvenne in un altro vicino. Siane in prova di quanto asserisco la testimonianza d'un Missionario della Mongolia. che sta in un distretto a quello confinante, il quale avendo occasione di scrivermi, nella lettera vi aggiunse le seguenti precise parole: « Congaudeo Amplitudini tuae, quod tam multi convertuntur in *Chan-si*. Id certe precibus Ord. Min. tribuendum esse censeo. Nam neo-conversi in *Choa-tcheou* revera miraculose conversi sunt, et convertuntur (Hubertus Otto M. A.) ». In verità che si deve ascrivere ad un miracolo particolare della grazia divina la conversione di tante anime operata con tanta facilità da pochi catechisti. Essi stessi vanno ad invitare un Catechista, il quale appena arrivato colà viene attorniato da tutti i villani ansiosi sì d'ascoltare la parola di Dio, che appena gli dan tempo di prendere un po' di cibo, e riposare qualche ora della notte e poi nel resto nol lasciano più riposare.

Fa poi meraviglia che non solo i giovani e gli adulti, ma anche le persone avanzate in età s'assoggettano alla fatica d'imparare a memoria le preci quotidiane, ed il Catechismo:

requisiti necessarii per essere ammessi al battesimo, tranne qualche eccezione.

II. Questo è quanto Le posso dire in breve relativamente ai frutti spirituali, che coll'aiuto di Dio ci ripromettiamo di raccogliere in questa Missione. Passo ora a parlare dei bisogni, che occorrono. Nel distretto che visitai ultimamente, due Chiese sono in costruzione, ed in dieci Cristianità fa d'uopo edificare o Chiese o Cappelle a misura del maggiore o minor numero dei fedeli. Io L' assicuro che abitai per tre giorni una spelonca, che serve di stalla, purgata pochi dì prima del mio arrivo, poichè non vi era altro locale. Un altra spelonca abitata da una famiglia, ben poco decente, serviva di Cappella. Ordinai che nell'inverno procurassero dei materiali, onde nella primavera ventura edificare qualche camera un pò decente, ove esercitarvi i divini misteri con qualche decoro. I Cristiani vi concorrono colle opere, ed anche con un pò di denaro; ma essendo poveri montanari, ben poco possono dare. In un altra Cristianità non piccola, la spelonca, che serviva di chiesa, minaccia rovina, e perciò è necessario edificare una Chiesa, per cui già si preparano alcuni materiali. Nel distretto novello quest'anno si comprano quattro atrii in diverse cristianità, affinchè il Missionario abbia luogo per celebrare la S. Messa, ed abitare. Questi atrii vengono a costare solo 1000 franchi l'uno. Nelle altre cristianità bisogna di necessità edificare Capepell, per le quali la spesa è assai maggiore. Non credo poi necessario metterle sott'occhio le spese che occorrono pel mantenimento della residenza del Vic. Apostolico, Seminario, Collegii, Scuole, Orfanotrofi, restauri di Chiese, Catechisti, con tante altre, che io non dico; perchè essendo spese ordinarie, V. S. può di per sè stessa rilevarle, senza che io le dica per minuto.

Noi intanto preghiamo, e facciamo pregare il Signore, affinchè per sua misericordia conceda pace specialmente alla S. Chiesa, ed a codesta nazione si benemerita delle Missioni, ed augurando a Lei, ed a tutti codesti illustri membri del Consiglio ogni bene, e coi sentimenti della più alta stima, e profondo rispetto ho l'onore di essere D. V. S. Illma

Cina, *Chan-si* 1 Ottobre 1883.

P. S. Se mai la presente relazione ritardasse alcuni giorni, sappia che a causa dell'inondazione del The-li, le vie erano interrotte.

Umilissimo Servo
✠ Fr. Luigi Moccagatta
Vic. Apost. dello Chan-si

—

EPISTOLA

R. P. Quirini, Missionarii Apostolici in Hupe occiduo-Septentrionali A. R. P. Missionum Procuratori Parisiis.

SUMMARIUM

1. Fames iterum hanc regionem vastat.
2. Versus *Chen-si* multitudines migrare tentant et inedia in viis deficiunt.
3. Pueri et praesertim puellae, in hoc famis tempore nascentes, venduntur vel occiduntur.
3. Subsidia exinde necessaria.

San-Kin, 27 Décembre 1883.

1. Dans le Hou-pé Nord-Ouest, la famine vient, encore une fois, de recommencer ses ravages en plusieurs endroits. Dans la mission d'un de mes confrères, distante de la mienne de quelques jours de marche, un grand nombre d'infidèles et plusieurs chrétiens sont littéralement morts de faim. La majeure partie de la population de ces malheureuses localités émigre au Chen-Si, province limitrophe du Houpé, qui fut cruellement éprouvée par la famine, il y a trois ou quatre ans, mais où, depuis lors, les moissons ont parfaitement réussi, tandis que parmi nous, les pluies et la sècheresse viennent de faire manquer deux récoltes de suite dans plusieurs districts.

2. Dans le environs de San-Kin, on rencontre partout, sur les routes qui conduisent au Chen-Si, des troupes de faméliques dont l'aspect navre le coeur. Ce sont souvent des familles entières, qui, pour échapper à une mort horrible dont elles semblent devoir être atteintes en route, traînent jusqu'à 60 et 100 lieues, leurs membres décharnés couverts d'ulcères à peine cachés par des haillons sordides. Ces vrais prolétaires s'avancent ainsi, mornes et chancelant à chaque pas; aucun rayon d'espérance n'illumine leur regard, car hélas! ils sont païens, ou même s'ils appartiennent à notre

sainte religion, les longues souffrances physiques ont émoussé leur sens moral, et, comme ici, la charité est insuffisante pour soulager leurs maux, les dures privations de la vie présente leur font aisément oublier ce que la foi promet infailliblement pour la vie future. Ils s'en vont, hommes, femmes, enfants, vieillards, non pas en aventuriers, mais en deshérités du genre humain, traînant péniblement leurs pas vers l'inconnu, et ne sachant, le matin, s'ils trouveront le soir une pierre pour reposer leur tête. J'ai eu plus d'une fois sous les yeux de ces sombres tableaux vivants et ces jours ci, encore, j'ai fait la rencontre de semblables caravanes.

Dans l'une, le chef de famille marchait lentement en tête du funèbre cortége, tenant par la main un petit garçon au front ridé et aux joues caves, qui s'appuyait sur un bâton; on aurait dit un vieillard décrépit. Le père portait dans une hotte les ustensiles du pauvre ménage. L'homme n'était pas moins exténué que l'enfant. Ce malheureux père était suivi de deux autres enfants étiolés et presque nus; le plus grand avait peut-être une douzaine d'années, et le plus petit, de trois à quatre ans; tous deux larmoyaient, ils étaient à bout de courage, le plus jeune ne pouvait presque plus se tenir debout et l'autre n'avait plus la force de le porter. Derrière, venaient deux femmes, deux spectres humains, probablemente la mère et l'aïeule des petits infortunés.

Toutes les chinoises ayant, dès l'enfance les pieds horriblement déformés et pour ainsi dire hors d'usage, je vous donne à penser quel supplice doivent endurer ces estropiées émigrantes, épuisées de faim et transies de froid, obligées de faire durant des semaines entières des marches forcées dans nos montagnes rocailleuses du Hou-pé, Les deux pauvres martyres, dont je viens de parler, faisaient pitié à voir. Sur le dos de l'une, pendait, ramassé dans une sangle, un pauvre petit être gémissant, manquant de tout, même du peu qui aurait pu le rendre heureux. L'autre femme, une tout vieille grand-mère, était aveugle. Elle serrait d'une main crispée un bâton de bambou qui lui servait d'appui et s'accròchait de l'autre main à l'épaule de sa fille ou de sa bru, sur la quelle semblaient s'accumuler à la fois les misères de trois générations.

Il y a quelques mois, pendant que j'étais en mission dans une chrétienté voisine, j'ai vu défiler toute une procession de ces familles paiennes, au corps misérable et à l'âme encore plus misérable, se dirigeant vers le Chen-si... et vers l'éternité.

3. En ces temps calamiteux, malheur surtout aux petites filles qui naissent de parents païens! Souvent leurs propres mères les vendent, les donnent, les jettent, les noient, ou les font périr par des moyens bien plus barbares encore. Dans le cours de cette année, j'ai eu le bonheur d'en recueillir un assez grand nombre. Actuellement, il m'en reste 26, placées en nourrice aux frais de l'œuvre de la Sainte-Enfance; toutes les autres sont allées parmi les chœurs des Anges, oublier éternellement leurs précoces misères. Mais hélas! dans notre soi-disant Céleste Empire, combien d'innocentes victimes disparaissent de ce monde et ne goûteront jamais les joies du paradis!

4. Ah! pendant que, dans vos riches cités d'Europe, plus d'un Pactole impur roule ses flots pleins d'or vers le gouffre infernal, nos pauvres, ici, meurent faute d'un peu de pain; et des âmes rachetées au prix du Sang d'un Dieu, périssent sans retour par l'absence d'une aumône!

—

EX EPISTOLA

R. P. Berardi a Chiampo, Missionarii in Bolivia ad parentes nuperrime directa.

SUMMARIUM.

1. Decem annos in missione iam transegit;
2. Missiones ambas *Itau* et *Chimeo* describit;
3. Missionarii privationes variique labores;
4. Suprema eiusdem auctoritas religiosa ac civilis.
5. De huius regionis climate et productionibus.
6. Quomodo construantur domus.
7. Parentibus animum suum aperit.

1. « Io desiderava quest'anno vedervi ed abbracciarvi, ma sembra essere altra la volontà del Signore, alla quale dobbiamo tutti conformarci. I Superiori non mi permettono per ora di fare questo lungo e pericoloso viaggio, e d'altra parte io pure non ho cuore di ab-

bandonare questi infelici e perdere forse il frutto di tanti sudori e di tante fatiche. Sono dieci anni che m'affattico intorno a questi poveretti; non vi potrei ridire i patimenti e le privazioni che ho dovuto sostenere, ma il Signore mi ha compensato abbondantemente in tutto, e mi consola facendomi cogliere molto largo frutto delle mie povere fatiche.

2. « Per darvene una qualche idea, vi dirò brevemente, dove sono, come vivo e in che principalmente mi occupo.

« Le due Missioni che governo, si chiamano una *Itau* e l'altra *Chimeo*. La prima conta mille anime e seicento circa la seconda; mille e seicento anime sparse in una estensione di un centoventi miglia in lunghezza e cinquanta forse in larghezza; può dirsi una gran valle. Ad arrivare ai punti più lontani non ci vogliono meno di quattro giorni a cavallo. Questo viaggio non si fa forse che una qualche volta all'anno; ma da una Missione all'altra, poste, nel mezzo della valle, ad una distanza di circa trenta miglia, devo passare ad ogni venti o trenta giorni. Figuratevi il viaggiare con calori stemperati e strade poco meno che impraticabili. Si giunge alla Missione stanchi, affannati e bisognosi all'astremo di riposo e di quiete; ma ecco che al povero Missionario si affollano subito al suo arrivo una quantitá di faccende, che bisogna sbrigare con molta sollecitudine, perchè questa gente non conosce la pazienza »

3. « La mia residenza sarebbe ad *Itau* dove un altro religioso delle Marche mi fa compagnia e mi presta aiuto; ma alle volte passa più di un qualche mese senza che ci possiamo vedere. Due ragazzi di otto o dieci anni ci fanno la cucina, che consiste ordinariamente in carne secca, patate e in qualche pugno di riso; e questo desinare non si cambia mai. Il vino poco si conosce; ne abbiamo appena per celebrare; del pane ce ne è in copia sempre.

« In tutti i luoghi dove ci incontriamo, facciamo la scuola ai ragazzi ed istruzione in tute le sere agli adulti. Le domeniche e le feste, dottrina, catechismo, spiegazione del Vangelo e brevi prediche sopra gli obblighi principali del cristiano. Diamo il suo tempo alle Confessioni in Chiesa, alla visita degli infermi ed agli uffizi parrocchiali.

4. « Qui il missionario è tutto e gli convien fare di tutto. E quasi Papa, perchè gode di amplissime facoltà in vantaggio di quèsti Indiani; è re, perchè governa; è giudice ed avvocato, perchè tutte le liti e tutte le questioni sono portate al suo tribunale e da lui discusse e giudicate. È medico, chirurgo e farmacista, perchè egli solo cura le malattie e prepara le medicine. È agricoltore, perchè sopraintende alla coltivazione dei campi. Credo essere stato io il primo a seminare il frumento e muovere anche appresso gli altri alla coltivazione di questo paese. L'anno scorso raccolsi quaranta sacchi di bel frumento. Lo seminai in giugno e s'è mietuto in ottobre. *Ora* la semina mi tiene occupatissimo; *il granturco* si semina in novembre e si raccoglie in aprile e maggio, tutto al rovescio di quello che si fa costì.

« Il missionario e padre, perchè riguarda questi infelici come suoi veri figli. Egli attende al bestiame, che è uno dei principali prodotti di questi paesi; sciolto nei campi e nei boschi, moltiplica che è una meraviglia. Il missionario deve prendersi cura non solo dei vivi ma anche dei morti; non è raro il caso che debba pigliarsi pensiero di dare egli sepoltura ai defunti.

5. « Già avrete capito che le stagioni qui vanno all'opposto di quello che vanno costì. L'estate comincia il 21 dicembre e poco prima dell'estate cominciano le pioggie che si continuano, due o tre volte al mese, fino a marzo. Nella primavera ed estate i giorni sono più lunghi ed i calori più stemperati. Da aprile fino a novembre cessano le pioggie, e si supplisce coll'irrigazione. Qui non fa freddo e raramente gela, e per questo si possono ottenere due raccolti all'anno. I prodotti principali sono il granturco, le patate, il tabacco, e la canna di zucchero. Gli animali domestici sono presso a poco i medesimi che da noi; fra i selvaggi il più terribile è la tigre. Vi sono molti serpenti velenosi; nella settimana scorsa un neofito della Missione ne uccise uno lungo tre braccia e grosso mezzo metro; morse un cacavallo che morì all'istante. Lo conservo secco nella casa e spero poterlo mandare a Tarija per saperne il nome. Vipere ed altri animali velenosi sono qui in gran copia, causa di frequenti disgrazie,

6. « I fabbricati sono tutti di mattoni di terra induriti al sole, di paglia e legno. Sono poveri e ristretti; si compongono ordinariamente di una sola stanza di cinque metri in quadro. Le chiese sono del medesimo materiale con tetto di tegole o paglia. Due anni sono fabbricai una chiesa lunga venticinque metri ed alta otto, con tre altari; con tetto di tegole e pavimento di mattoni. È non solo decente, ma anche bella e provveduta bastantemente del bisognovole pel culto divino. Fabbricai due altre chiese e due cimiteri. Che volete? anche da architetto mi convien fare! E che architetto!!!

« Nel popolo vivono gli indiani, gli altri di razza meticcia vivono dispersi nei luoghi più fertili. Qui si parlano due lingue la *castigliana* e la *chiriguana*.

« Dei costumi non vi dico niente; stentereste a credere quello che vi dicessi.

« Queste due Missioni di *Itau* e di *Chimeo* sono le più vicine al Collegio e ne distano tuttavia un duecento miglia italiane, e altrettanto della Missione più lontana.

7. « Io non mi sono pentito della mia vocazione alle missioni ed in mezzo a tante privazioni, a tante fatiche, a tanti patimenti mi sono trovato sempre contento; il che mi conferma avermi quì voluto il SIGNORE.

« E se desiderava ripassare in Europa era solo per rivedere voi, per sbrigare alcuni miei affari e per rifarmi di forze. Del resto finchè a DIO benedetto piace conservarmi salute e buon volere, io sono risoluto di perseverare.

« Se sarà in grado al SIGNORE, ci rivedremo, ancora quaggiù; se no, come spero, in Paradiso.

« Raccomandatemi fervorosamente al SIGNORE, ed alla MADONNA, ed io vi prometto di non dimenticarvi e di celebrare qualche messa per voi ».

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

1883. RECTIFICACIONES CRITICAS acerca de la reciente historia de la Universidad de Cordoba del Tucuman por Fr. Abrahan Argañaraz Franciscano Argentino y Cronista de la Provincia Minorita del Rio de la Plata. Buenos Aires, Imprenta y libreria de Mayo, de C. Casavalle, Perú 115. In 8° pag. 41.

1883. LEGENDA seu VITA ET MIRACULA SANCTI ANTONII DE PADUA saeculo XIII concinnata, ex codice membraneo Antonianae bibliothecae, cum altera brevi eiusdem Sancti vita desumpta notis illustrata et nunc primum edita a P. M. Antonio Maria Iosa, Min. Conv., eiusdem bibliothecae praefecto. Bononiae, ex typ. pontificia Mareggiani, In 8° pag. XII-187.

Accedunt sermones eiusdem Sancti in solemnitatibus Ascensionis D. N. I. C., Pentecostes, S. Ioannis Baptistae et SS. Ap. Petri et Pauli, hactenus inediti et ex membraneo codice deprompti, qui ipsius Sancti manu recognitus inter sanctorum reliquias in eius basilica Patavina asservatur.

1884. IL PURGATORIO secondo le rivelazioni dei Santi, per l'Ab. Louvet, Missionario Apostolico. Versione dal Francese di Giuseppe Giusti. Roma, tipografia Monaldi e C. 1884, di pag. 343 L. 1,50.

Ipse Rmus P. Minister Generalis ad fovendam fidelium pietatem et religionem auctor fuit egregio iuveni Iosepho Iusti ut hunc librum in italicam linguam verteret.

1884. ORAZIONE FUNEBRE ad onore di Sua Eccellenza illma e Rma MONS. BERNARDINO TRIONFETTI, già Vescovo di Terracina Piperno e Sezze, scritta in occasione de' suoi funerali solenni celebrati il 18 Febbraio del 1884, nella chiesa del SS. Salvatore, eretta nel Borgo Pio di Terracina, del R. Sig. D. Odorisio Pernelli, già canonico Penitenziere della cattedrale basilica Gaetana, Maestro di teologia, ecc. In 8. pag. 24. Terracina Tipogr. Pansera Nardone.

1884. LA VIERGE D'ASSISE, ou Vie poétique de Ste Claire, par une de ses filles spirituelles. Nantes, imprimerie I. Guéneux, quai Penthièvre, 2. In 18, Pag. 147.

Uti patet ex titulo, in hoc opere versibus celebratur vita inclytae Virginis Assisiensis.

1884. PANEGIRICO del VII Centenario dalla gloriosa nascita DI S. FRANCESCO DI ASSISI recitato dal M. R. P. Francesco di Blasi de Alcamo in sacra teologia lett. giub., Min. Prov. degli Osserv. Definit. Gle dell'Ordine, socio di varie accademie Napoli, off. tip. di

Rinaldi e Sellitto, nell'abolito mercato a Forcella. In 8. pag. 10.

P. Angelicus Maria Iarussi, provinciae S. Ferdinandi regul. observ. vulgavit:

Cenno Storico del convento di S. Maria dei Lastani. Napoli, Tipografia degli Accattoncelli, 1883.

A. A. Kilit, provinciae SS. Salvatoris in Hungaria strictioris observantiae, edidit lingua hungarica opus inscriptum: *A Mesiás Antilogiaul Renan Iézus Eletére* (i. e: Messias, vitae Iesu a Renan editae oppositus). Kecskemét apud Ladislaum Ióth, 1884.

P. Flor. Brezina, provinciae S. Venceslai in Bohemia strict. observantiae, item edidit lingua bohemica: *Pomnenky* (i. e, Myosotis 25 carminum in honorem beatae virginis Mariae, reginae mensis Maii.

Horovici apud I Münze, 1884.

V.

NECROLOGIA

Adm. R. P. Fulgentius a S. Andrea, Ref. Provinciae S. Bernardini in Gallia, anno aetatis 67, religionis vero 49, obiit die 6 Decembris 1883. Pluries Cimellensis Coenobii Guardianus prudentiam charitatemque magnam ostendit. Definitor, ac dein Provincialis Minister electus, suorum expectationem de se non fefellit. Eum confratres dilectione, saeculares aestimatione et reverentia prosequebantur, utpote illis praeditum virtutibus, quae virum quemque Deo hominibusque charum efficiunt. Viginti quatuor annis, labori minime parcens fere solus Paroeciae Cimellensis curam gessit: praedicationis officium praesertim in Missionibus popularibus, magno cum animarum fructu exercuit: dies integros saepissime in confessionibus excipiendis transegit. Levenzum, qui pagus est non longe a Nicia, ad spiritualia exercitia populo praedicanda missus, post quatuor dierum praedicationem encephalitide correptus est, ac speciali Dei gratia una ante mortem hora sui compos, omnibus Ecclesiae Sacramentis muniri potuit; sicque in sacrae militiae exercitio contra spirituales hostes decertans, ad triumphi palmam, ut pie speramus, pervenit.

Adm. R. P. Epiphanius Cadrobbi a Vico Pinetano in Tyrolo, Dioecesis Tridentinae pago natus die 17 Octobris 1833, summa cum laude frequentatis Caesareo-Regii Gymnasii Tridentini scholis per annos sex, in quibus et morum integritate, et studiorum profectu, inter condiscipulos semper eminuit, die 9 Septembris 1852 Ordinem uostrum ingressus est in Reformata S. Vigilii Provincia Tyroli meridionalis. Tyrocinio laudabiliter peracto, ita sese pietate in primis ac philosophicis theologicisque disciplinis addixit ut magna de eo portenderentur. Absoluto studiorum curriculo, ad Italicae Latinaeque Philologiae cathedram destinatus, Lectoris munus per viginti fere annos exercuit, et non doctrina tantum discipulis profuit; sed vel maxime regularis disciplinae ac sincerae pietatis exemplis. Hinc plerumque cum Lectoris officio, illud, Superiorum iussu, coniunxit Magistri seu Instructoris iuvenum ad vitam seraphicam informandorum, Concionator non vulgaris fuit, ac in Sacramento Poenitentiae administrando assiduus. Aliquoties Guardianus, bis Definitor, ac anno 1882 Provincialis Minister electus, confratrum animos charitate ac morum simplicitate sibi devinciebat, ac qua Provincialis praesertim, eosdem ad votorum observantiam, mutuam dilectionem, firmioremque in dies cum Ordinis capite unionem impellebat, et Tertii Ordinis saecularis propagationem ac stabilitatem curare satagebat. Dum autem plura in Provinciae Ordinisque bonum, adhuc iure meritoque ab eo sperarentur, Roboreti in Conventu S. Rochi mortali morbo corripitur. Quo patienter tolerato, et Ecclesiae Sacramentis munitus pie in Domino obiit die 12 Decembris 1883; magnum sui desiderium relinquens non Fratribus tantum Patrem lugentibus, sed et saecularibus qui eiusdem virtutes noverant, et quorum multi funeris exequias prosequi voluere. R. I. P.

Nihil obstat.
Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DE SECTA MASSONUM

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII
EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS CATHOLICI ORBIS VNIVERSOS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

—

VENERABILIBVS FRATRIBVS PATRIARCHIS PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS CATHOLICI ORBIS VNIVERSIS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Humanum genus, postea quam a creatore, munerumque caelestium largitore DEO, *invidia Diaboli,* miserrime defecit, in partes duas diversas adversasque discessit; quarum altera assidue pro veritate et virtute propugnat, altera pro iis, quae virtuti sunt veritatique contraria. — Alterum DEI est in terris regnum, vera scilicet IESU CHRISTI Ecclesia, cui qui volunt ex animo et convenienter ad salutem adhaerescere, necesse est DEO et Unigenito FILIO eius tota mente ac summa voluntate servire: alterum Satanae est regnum, cuius in ditione et potestate sunt quicumque funesta ducis sui et primorum parentum exempla secuti, parere divinae aeternaeque legi recusant, et multa posthabito DEO, multa contra DEUM contendunt. Duplex hoc regnum, duarum instar civitatum contrariis legibus contraria in studia abeuntium, acute vidit descripsitque Augustinus, et utriusque efficientem caussam subtili brevitate complexus est, iis verbis: *fecerunt civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum* DEI: *coelestem vero amor* DEI *usque ad contemptum sui* (1). — Vario ac multiplici cum armorum tum dimicationis genere altera adversus alteram omni saeculorum aetate conflixit, quamquam non eodem semper ardore atque impetu. Hoc autem tempore, qui deterioribus favent partibus videntur simul conspirare vehementissimeque cuncti contendere, auctore et adiutrice ea, quam *Massonum* appellant, longe lateque diffusa et firmiter constituta hominum societate. Nihil enim iam dissimulantes consilia sua, excitant sese adversus DEI numen audacissime: Ecclesiae sanctae perniciem palam aperteque moliuntur, idque eo proposito, ut gentes christianas partis per IESUM CHRISTUM Servatorem beneficiis, si fieri posset, funditus despolient. — Quibus Nos ingemiscentes malis, illud saepe ad DEUM clamare, urgente animum caritate, compellimur: *Ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium: et cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt: venite, et disperdamus eos de gente* (2).

In tam praesenti discrimine, in tam immani pertinacique christiani nominis oppugnatione,

(1) *De Civit. Dei* Lib. XIV, c. 17.
(1) *Ps.* LXXXII, v. 2-4.

Nostrum est indicare periculum, designare adversarios, horumque consiliis atque artibus, quantum possumus, resistere ut aeternum ne pereant quorum Nobis est commissa salus: et Iesu Christi regnum, quod tuendum accepimus, non modo stet et permaneat integrum, sed novis usque incrementis ubique terrarum amplificetur.

Romani Pontifices Decessores Nostri, pro salute populi christiani sedulo vigilantes, hunc tam capitalem hostem ex occultae coniurationis tenebris prosilientem, quis esset, quid vellet, celeriter agnoverunt; iidemque praecipientes cogitatione futura, principes simul et populos, signo velut dato, monuerunt ne se paratis ad decipiendum artibus insidiisque capi paterentur. — Prima significatio periculi per Clementem XII anno MDCCXXXVIII facta (1): cuius est a Benedicto XIV (2) confirmata ac renovata Constitutio. Utriusque vestigiis ingressus est Pius VII (3): ac Leo XII Constitutione Apostolica « *Quo graviora* » (4) superiorum Pontificum hac de re acta et decreta complexus, rata ac firma in perpetuum esse iussit. In eamdem sententiam Pius VIII, (5) Gregorius XVI (6), persaepe vero Pius IX (7) locuti sunt.

Videlicet cum sectae Massonicae institutum et ingenium compertum esset ex manifestis rerum indiciis, cognitione caussarum, prolatis in lucem legibus eius, ritibus, commentariis, ipsis saepe accedentibus testimoniis eorum qui essent conscii, haec Apostolica Sedes denuntiavit aperteque edixit, sectam Massonum, contra ius fasque constitutam, non minus esse christianae rei, quam civitati perniciosam: propositisque poenis, quibus solet Ecclesia gravius in sontes animadvertere, interdixit atque imperavit, ne quis illi nomen societati daret. Qua ex re irati gregales, earum vim sententiarum subterfugere aut debilitare se posse partim contemnendo, partim calumniando rati, Pontifices maximos, qui ea decreverant, criminati sunt aut non iusta decrevisse, aut modum in decernendo transisse. Hac sane ratione Constitutionum Apostolicarum Clementis XII, Benedicti XIV, itemque Pii VII et Pii IX conati sunt auctoritatem et pondus eludere. Verum in ipsa illa societate non defuere, qui vel inviti faterentur, quod erat a romanis Pontificibus factum, id esse, spectata doctrina disciplinaque catholica, iure factum. In quo Pontificibus valde assentiri plures viri principes rerumque publicarum rectores visi sunt, quibus curae fuit societatem Massonicam vel apud Apostolicam Sedem arguere, vel per se latis in id legibus, noxae damnare, ut in Hollandia, Austria, Helvetia, Hispania, Bavaria, Sabaudia, aliisque *Italiae* partibus.

Quod tamen prae ceteris interest, prudentiam Decessorum Nostrorum rerum eventus comprobavit. Ipsorum enim providae paternaeque curae nec semper nec ubique optatos habuerunt exitus: idque vel hominum, qui in ea noxa essent, simulatione et astu, vel inconsiderata levitate ceterorum, quorum maxime interfuisset diligenter attendere. Quare unius saeculi dimidiatique spatio secta Massonum ad incrementa properavit opinione maiora; inferendoque sese per audaciam et dolos in omnes reipublicae ordines, tantum iam posse coepit, ut prope dominari in civitatibus videatur. Ex hoc tam celeri formidolosoque cursu illa revera est in Ecclesiam, in potestatem principum, in salutem publicam pernicies consecuta, quam Decessores Nostri multo ante providerant. Eo enim perventum est, ut valde sit reliquo tempore metuendum non Ecclesiae quidem, quae longe firmius habet fundamentum, quam ut hominum operâ labefactari queat, sed earum caussa civitatum, in quibus nimis polleat ea, de qua loquimur, aut aliae hominum sectae non absimiles, quae priori illi sese administras et satellites impertiunt.

His de caussis, ubi primum ad Ecclesiae gubernacula accessimus, vidimus planeque sensimus huic tanto malo resistere opposito auctoritatis Nostrae, quoad fieri posset, oportere. — Sane opportunam saepius occasionem nacti, persecuti sumus praecipua quaedam doctrinarum capita, in quas Massonicarum opinionum influxisse maxime perversitas videbatur. Ita Litteris

(1) Const. *In eminenti*, die 24 Aprilis 1738.
(2) Const. *Providas*, die 18 Maii 1751.
(3) Const. *Ecclesiam a Iesu Christo*, die 13 Septembris 1821.
(4) Const. data die 13 Martii 1825.
(5) Encyc. *Traditi*, die 21 Maii 1829.
(6) Encyc. *Mirari*, die 15 Augusti 1832.
(7) Encyc. *Qui pluribus*, die 9 Novemb. 1846. Alloc. *Multiplices inter*, die 25 Septemb. 1865, etc.

Nostris Encyclicis « *Quod Apostolici muneris* » aggressi sumus *Socialistarum* et *Communistarum* portenta convincere: aliis deinceps « *Arcanum* » veram germanamque notionem societatis domesticae, cuius est in matrimonio fons et origo, tuendam et explicandam curavimus: iis insuper, quarum initium est « *Diuturnum* », potestatis politicae formam ad principia christianae sapientiae expressam proposuimus, cum ipsa rerum natura, cum populorum principumque salute mirifice cohaerentem. Nunc autem, Decessorum Nostrorum exemplo, in Massonicam ipsam societatem, in doctrinam eius universam, et consilia, et sentiendi consuetudinem et agendi, animum recta intendere decrevimus, quo vis illius malefica magis magisque illustretur, idque valeat ad funestae pestis prohibenda contagia.

Variae sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, re congruunt cum secta Massonum, quae cuiusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universae. Quae quamvis nunc nolle admodum videantur latere in tenebris, et suos agant coetus in luce oculisque civium, et suas edant ephemeridas, nihilominus tamen, re penitus perspecta, genus societatum clandestinarum moremque retinent. Plura quippe in iis sunt arcanis similia, quae non externos solum, sed gregales etiam bene multos exquisitissima diligentia celari lex est: cuiusmodi sunt intima atque ultima consilia, summi factionum principes, occulta quaedam et intestina conventicula: item decreta, et qua via, quibus auxiliis perficienda. Huc sane facit multiplex illud inter socios discrimen et iuris et officii et muneris: huc rata ordinum graduumque distinctio, et illa, qua reguntur, severitas disciplinae. Initiales spondere, immo praecipuo sacramento iurare ut plurimum iubentur, nemini se ullo unquam tempore ullove modo socios, notas, doctrinas indicaturos. Sic ementita specie eodemque semper tenore simulationis quam maxime Massones, ut olim Manichaei, laborant abdere sese, nullosque, praeter suos, habere testes. Latebras commodum quaerunt, sumpta sibi litteratorum sophorumve persona, eruditionis caussa sociatorum: habent in lingua promptum cultioris urbanitatis studium, tenuioris plebis caritatem: unice velle se meliores res multitudini quaerere, et quae habentur in civili societate commoda cum quamplurimis communicare. Quae quidem consilia quamvis vera essent, nequaquam tamen in istis omnia. Praeterea qui cooptati sunt, promittant ac recipiant necesse est, ducibus ac magistris se dicto audientes futuros cum obsequio fideque maxima: ad quemlibet eorum nutum significationemque paratos, imperata facturos: si secus fecerint, tum dira omnia ac mortem ipsam non recusare. Revera si qui prodidisse disciplinam, vel mandatis restitisse iudicentur, supplicium de iis non raro sumitur, et audacia quidem ac dexteritate tanta, ut speculatricem ac vindicem scelerum iustitiam sicarius persaepe fallat. — Atqui simulare, et velle in occulto latere; obligare sibi homines, tanquam mancipia, tenacissimo nexu, nec satis declarata caussa: alieno addictos arbitrio ad omne facinus adhibere: armare ad caedem dextras, quaesita impunitate peccandi, immanitas quaedam est, quam rerum natura non patitur. Quapropter societatem, de qua loquimur, cum iustitia et naturali honestate pugnare, ratio et veritas ipsa convincit.

Eo vel magis, quod ipsius naturam ab honestate dissidentem alia quoque argumenta eademque illustria redarguunt. Ut enim magna sit in hominibus astutia celandi consuetudoque mentiendi, fieri tamen non potest, ut unaquaeque caussa ex iis rebus, quarum caussa est, qualis in se sit non aliqua ratione appareat. *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere* (1). Fructus autem secta Massonum perniciosos gignit maximaque acerbitate permixtos. Nam ex certissimis indiciis, quae supra commemoravimus, erumpit illud, quod est consiliorum suorum ultimum, scilicet evertere funditus omnem eam, quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis reique publicae, novamque ad ingenium suum extruere, ductis e medio *Naturalismo* fundamentis et legibus.

Haec, quae diximus aut dicturi sumus, de secta Massonica intelligi oportet spectata in genere suo, et quatenus sibi cognatas foede-

(1) Matth. VII, 18.

ratasque complectitur societates: non autem de sectatoribus earum singulis. In quorum numero utique possunt esse, nec pauci, qui quamvis culpa non careant quod sese istius modi implicuerint societatibus, tamen nec sint flagitiose factorum per se ipsi participes, et illud ultimum ignorent quod illae nituntur adipisci. Similiter ex consociationibus ipsis nonnullae fortasse nequaquam probant conclusiones quasdam extremas, quas, cum ex principiis communibus necessario consequantur, consentaneum esset amplexari, nisi per se foeditate sua turpitudo ipsa deterreret. Item nonnullas locorum temporumve ratio suadet minora conari, quam aut ipsae vellent aut ceterae solent: non idcirco tamen alienae a Massonico foedere putandae, quia Massonicum foedus non tam est ab actis perfectisque rebus, quam a sententiarum summa iudicandum.

Iamvero Naturalistarum caput est, quod nomine ipso satis declarant, humanam naturam humanamque rationem cunctis in rebus magistram esse et principem oportere. Quo constituto, officia erga Deum vel minus curant, vel opinionibus pervertunt errantibus et vagis. Negant enim quicquam esse Deo auctore traditum: nullum probant de religione dogma, nihil veri, quod non hominum intelligentia comprehendat, nullum magistrum, cui propter auctoritatem officii sit iure credendum. Quoniam autem munus est Ecclesiae catholicae singulare sibique unice proprium doctrinas divinitus acceptas auctoritatemque magisterii cum ceteris ad salutem coelestibus adiumentis plene complecti et incorrupta integritate tueri, idcirco in ipsam maxima est inimicorum iracundia impetusque conversus. — Nunc vero in iis rebus, quae religionem attingunt, spectetur quid agat, praesertim ubi est ad agendi licentiam liberior, secta Massonum: omninoque iudicetur, nonne plane re exequi Naturalistarum decreta velle videatur. Longo sane pertinacique labore in id datur opera, nihil ut Ecclesiae magisterium, nihil auctoritas in civitate possit: ob eamque caussam vulgo praedicant et pugnant, rem sacram remque civilem esse penitus distrahendas. Quo facto saluberrimam religionis catholicae virtutem a legibus, ab administratione reipublicae excludunt: illudque est consequens, ut praeter instituta ac praecepta Ecclesiae totas constituendas putent civitates. — Nec vero non curare Ecclesiam, optimam ducem, satis habent, nisi hostiliter faciendo laeserint. Et sane fundamenta ipsa religionis catholicae adoriri fando, scribendo, docendo, impune licet: non iuribus Ecclesiae parcitur, non munera, quibus est divinitus aucta, salva sunt. Agendarum rerum facultas quam minima illi relinquitur, idque legibus specie quidem non nimis vim inferentibus, revera natis aptis ad impediendam libertatem. Item impositas Clero videmus leges singulares et graves, multum ut ei de numero, multum de rebus necessariis in dies decedat: reliquias bonorum Ecclesiae maximis adstrictas vinculis, potestati et arbitrio administratorum reipublicae permissas: sodalitates ordinum religiosorum sublatas, dissipatas. — At vero in Sedem Apostolicam romanumque Pontificem longe est inimicorum incitata contentio. Is quidem primum fictis de caussis deturbatus est propugnaculo libertatis iurisque sui, principatu civili: mox in statum compulsus iniquum simul et obiectis undique difficultatibus intolerabilem: donec ad haec tempora perventum est, quibus sectarum fautores, quod abscondite secum agitarant diu, aperte denunciant, sacram tollendam Pontificum potestatem ipsumque divino iure institutum funditus delendum Pontificatum. Quam rem, si cetera deessent, satis indicat hominum qui conscii sunt testimonium, quorum plerique cum saepe alias, tum recenti memoria rursus hoc Massonum verum esse declararunt, velle eos maxime exercere catholicum nomen implacabilibus inimicitiis, nec ante quieturos, quam excisa omnia viderint, quaecumque summi Pontifices religionis caussa instituissent. — Quod si, qui adscribuntur in numerum, nequaquam eiurare conceptis verbis instituta catholica iubentur, id sane tantum abest, ut consiliis Massonum repugnet, ut potius adserviat. Primum enim simplices et incautos facile decipiunt hac via, multoque pluribus invitamenta praebent. Tum vero obviis quibuslibet ex quovis religionis ritu accipiendis, hoc assequuntur, ut re ipsa suadeant magnum illum huius temporis errorem, religionis curam relinqui oportere in mediis, nec ullum esse inter genera discrimen. Quae quidem ratio com-

parata ad interitum est religionum omnium, nominatim ad catholicae, quae cum una ex omnibus vera sit, exaequari cum ceteris sine iniuria summa non potest.

Sed longius Naturalistae progrediuntur. In maximis enim rebus tota errare via audacter ingressi, praecipiti cursu ad extrema delabuntur, sive humanae imbecillitate naturae, sive consilio iustas superbiae poenas repetentis Dei. Ita fit, ut illis ne ea quidem certa et fixa permaneant, quae naturali lumine rationis perspiciuntur, qualia profecto illa sunt, Deum esse, animos hominum ab omni esse materiae concretione segregatos, eosdemque immortales. — Atqui secta Massonum ad hos ipsos scopulos non dissimili cursus errore adhaerescit. Quamvis enim Deum esse generatim profiteantur, id tamen non haerere in singulorum mentibus firma assensione iudicioque stabili constitutum, ipsi sibi sunt testes. Neque enim dissimulant, hanc de Deo quaestionem maximum apud ipsos esse fontem caussamque dissidii: immo non mediocrem hac ipsa de re constat extitisse inter eos proximo etiam tempore contentionem. Re autem vera initiatis magnam secta licentiam dat, ut alterutrum liceat suo iure defendere, Deum esse, Deum nullum esse: et qui nullum esse praefracte contendant, tam facile initiantur, quam qui Deum esse opinantur quidem, sed de eo prava sentiunt, ut Pantheistae solent: quod nihil est aliud, quam divinae naturae absurdam quamdam speciem retinere, veritatem tollere. Quo everso infirmatove maximo fundamento, consequens est ut illa quoque vacillent, quae natura admonente cognoscuntur, cunctas res libera creatoris Dei voluntate extitisse: mundum providentia regi: nullum esse animorum interitum: huic, quae in terris agitur, hominum vitae successuram alteram eamque sempiternam.

His autem dilapsis, quae sunt tamquam naturae principia, ad cognitionem usumque praecipua, quales futuri sint privati publicique mores, facile apparet. — Silemus de virtutibus divinioribus, quas absque singulari Dei munere et dono nec exercere potest quisquam, nec consequi: quarum profecto necesse est nullum in iis vestigium reperiri, qui redemptionem generis humani, qui gratiam coelestem, qui sacramenta, adipiscendamque in caelis felicitatem pro ignotis aspernantur. — De officiis loquimur, quae a naturali honestate ducuntur. Mundi enim opifex idemque providus gubernator Deus: lex aeterna naturalem ordinem conservari iubens, perturbari vetans: ultimus hominum finis multo excelsior rebus humanis extra haec mundana hospitia constitutus: hi fontes, haec principia sunt totius iustitiae et honestatis. Ea si tollantur, quod Naturalistae idemque Massones solent, continuo iusti et iniusti scientia ubi consistat, et quo se tueatur omnino non habebit. Et sane disciplina morum, quae Massonum familia probatur unice, et qua informari adolescentem aetatem contendunt oportere, ea est quam et *civicam* nominant et *solutam* ac *liberam;* scilicet in qua opinio nulla sit religionis inclusa. At vero quam inops illa sit, quam firmitatis expers, et ad omnem auram cupiditatum mobilis, satis ostenditur ex iis, qui partim iam apparent, poenitendis fructibus. Ubi enim regnare illa liberius coepit, demota loco institutione christiana, ibi celeriter deperire probi integrique mores: opinionum tetra portenta convalescere: plenoque gradu audacia ascendere maleficiorum. Quod quidem vulgo conqueruntur et deplorant: idemque non pauci ex iis, qui minime vellent, perspicua veritate compulsi, haud raro testantur.

Praeterea, quoniam est hominum natura primi labe peccati inquinata, et ob hanc caussam multo ad vitia quam ad virtutes propensior, hoc omnino ad honestatem requiritur, cohibere motus animi turbidos et appetitus obedientes facere rationi. In quo certamine despicientia saepissime adhibenda est rerum humanarum, maximique exhauriendi labores ac molestiae, quo suum semper teneat ratio victrix principatum. Verum Naturalistae et Massones, nulla adhibita iis rebus fide, quas Deo auctore cognovimus, parentem generis humani negant deliquisse: propsettereaque liberum arbitrium nihil *viribus attenuatum et inclinatum* (1) putant. Quin immo exaggerantes naturae virtutem et excellentiam, in eaque principium et normam iustitiae unice collocantes, ne cogitare quidem possunt, ad sedandos illius impetus regendosque appetitus as-

(1) Conc. Trid. Sess. VI, *De Iustif.* c. 1.

sidua contentione et summa opus esse constantia. Ex quo videmus vulgo suppeditari hominibus illecebras multas cupiditatum: ephemeridas commentariosque nulla nec temperantia nec verecundia: ludos scenicos ad licentiam insignes: argumenta artium ex iis, quas vocant *verismi*, legibus proterve quaesita: excogitata subtiliter vitae artificia delicatae et mollis: omnia denique conquisita voluptatum blandimenta, quibus sopita virtus conniveat. In quo flagitiose faciunt, sed sibi admodum constant, qui expectationem tollunt bonorum caelestium, omnemque ad res mortales felicitatem abiiciunt et quasi demergunt in terram. — Quae autem commemorata sunt illud confirmare potest non tam re, quam dictu inopinatum. Cum enim hominibus versutis et callidis nemo fere soleat tam obnoxie servire, quam quorum est cupiditatum dominatu enervatus et fractus animus, reperti in secta Massonum sunt, qui edicerent ac proponerent, consilio et arte enitendum ut infinita vitiorum licentia exsaturetur multitudo: hoc enim facto, in potestate sibi et arbitrio ad quaelibet audenda facile futuram.

Quod ad convictum attinet domesticum, his fere continetur omnis Naturalistarum disciplina. Matrimonium ad negotiorum contrahendorum pertinere genus: rescindi ad voluntatem eorum, qui contraxerint, iure posse; penes gubernatores rei civilis esse in maritale vinclum potestatem. In educandis liberis nihil de religione praecipiatur ex certa destinataque sententia: integrum singulis esto cum adoleverit aetas, quod maluerint sequi. — Atqui haec ipsa assentiuntur plane Massones: neque assentiuntur solum, sed iamdiu student in morem consuetudinemque deducere. Multis iam in regionibus, iisdemque catholici nominis, constitutum est ut, praeter coniunctas ritu civili, iustae ne habeantur nuptiae: alibi divortia fieri, lege licet: alibi, ut quamprimum liceat, datur opera. Ita ad illud festinat cursus, ut matrimonia in aliam naturam convertantur, hoc est in coniunctiones instabiles et fluxas, quas libido conglutinet, et eadem mutata dissolvat. — Summa autem conspiratione voluntatum illuc etiam spectat secta Massonum, ut institutionem ad se rapiat adolescentium. Mollem enim et flexibilem aetatem facile se posse sentiunt arbitratu suo fingere, et, quo velint, torquere: eaque re nihil esse opportunius ad sobolem civium, qualem ipsi meditantur, talem reipublicae educendam. Quocirca in educatione doctrinaque puerili nullas Ecclesiae ministris nec magisterii nec vigilantiae sinunt esse partes: pluribusque iam locis consecuti sunt, ut omnis sit penes viros laicos adolescentium institutio: itemque ut in mores informandos nihil admisceatur de iis, quae hominem iungunt Deo, permagnis sanctissimisque officiis.

Sequuntur civilis decreta prudentiae. Quo in genere statuunt Naturalistae, homines eodem esse iure omnes, et aequa ac pari in omnes partes conditione: unumquemque esse natura liberum: imperandi alteri ius habere neminem: velle autem, ut homines cuiusquam auctoritati pareant, aliunde quam ex ipsis quaesitae, id quidem esse vim inferre. Omnia igitur in libero populo esse: imperium iussu vel concessu populi teneri, ita quidem, ut, mutata voluntate populari, principes de gradu deiici vel invitos liceat. Fontem omnium iurium officiorumque civilium vel in multitudine inesse, vel in potestate gubernante civitatem, eaque novissimis informata disciplinis. Praeterea atheam esse rempublicam oportere: in variis religionis formis nullam esse caussam, cur alia alii anteponatur: eodem omnes loco habendas.

Haec autem ipsa Massonibus aeque placere, et ad hanc similitudinem atque exemplar velle eos constituere res publicas, plus est cognitum, quam ut demonstrari oporteat. Iamdiu quippe omnibus viribus atque opibus id aperte moliuntur: et hoc ipso expediunt viam audacioribus non paucis ad peiora praecipitantibus, ut qui aequationem cogitant communionemque omnium bonorum, deleto ordinum et fortunarum in civitate discrimine.

Secta igitur Massonum quid sit, et quod iter affectet ex his quae summatim attigimus, satis elucet. Praecipua ipsorum dogmata tam valde a ratione ac tam a manifesto discrepant ut nihil possit esse perversius. Religionem et Ecclesiam, quam Deus ipse condidit, idemque ad immortalitatem tuetur, velle demoliri, moresque et instituta ethnicorum duodeviginti saeculorum intervallo revocare, insignis stul-

titiae est impietatisque audacissimae. Neque illud vel horribile minus, vel levius ferendum quod beneficia repudientur per Iesum Christum benigne parta neque hominibus solum singulis, sed vel familia vel communitate civili consociatis; quae beneficia ipso habentur inimicorum iudicio testimonioque maxima. In huiusmodi voluntate vesana et tetra recognosci propemodum videtur posse illud ipsum, quo Satanas in Iesum Christum ardet, inexpiabile odium ulciscendique libido. — Similiter illud alterum, quod Massones vehementer conantur, recti atque honesti praecipua fundamenta evertere, adiutoresque se praebere iis, qui more pecudum quodcumque libeat, idem licere vellent, nihil est aliud quam genus humanum cum ignominia et dedecore ad interitum impellere. — Augent vero malum ea quae in societatem cum domesticam tum civilem intenduntur pericula. Quod enim alias exposuimus, inest in matrimonio sacrum et religiosum quiddam omnium fere et gentium et aetatum consensu: divina autem lege cautum esse, ne coniugia dirimi liceat. Ea si profana fiant, si distrahi liceat, consequatur in familia necesse est turba et confusio, excidentibus de dignitate feminis, incerta rerum suarum incolumitatisque sobole. — Curam vero de religione publice adhibere nullam, et in rebus civicis ordinandis, gerendis, Deum nihilo magis respicere, quam si omnino non esset, temeritas est ipsis ethnicis inaudita; quorum in animo sensuque erat sic penitus affixa non solum opinio Deorum, sed religionis publicae necessitas, ut inveniri urbem facilius sine solo, quam sine Deo posse arbitrarentur. Revera humani generis societas, ad quam sumus natura facti, a Deo constituta est naturae parente: ab eoque tamquam a principio et fonte tota vis et perennitas manat innumerabilium, quibus illa abundat, bonorum. Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona quae comitantur vitae a Deo accepimus, sic eamdem ob causam populi et civitates. Idcirco qui solutam omni religionis officio civilem communitatem volunt, perspicuum est non iniuste solum, sed etiam indocte absurdeque facere. — Quod vero homines ad coniunctionem congregationemque civilem Dei voluntate nascuntur, et potestas imperandi vinculum est civilis societatis tam necessarium ut, eo sublato, illam repente disrumpi necesse sit, consequens est ut imperandi auctoritatem idem gignat, qui genuit societatem. Ex quo intelligitur, imperium in quo sit, quicumque is est, ministrum esse Dei. Quapropter, quatenus finis et natura societatis humanae postulant, legitimae potestati iusta praecipienti aequum est parere perinde ac numini omnia moderantis Dei: illudque in primis a veritate abhorret, in populi esse voluntate positum obedientiam, cum libitum fuerit, abiicere. — Similiter pares inter se homines esse universos, nemo dubitat, si genus et natura communis, si finis ultimus unicuique ad assequendum propositus, si ea, quae inde sponte fluunt, iura et officia spectentur. At vero quia ingenia omnium paria esse non possunt, et alius ab alio distat vel animi vel corporis viribus, plurimaeque sunt morum, voluntatis, naturarum dissimilitudines, idcirco nihil tam est repugnans rationi, quam una velle comprehensione omnia complecti, et illam omnibus partibus expletam aequabilitatem ad vitae civilis instituta traducere. Quemadmodum perfectus corporis habitus ex diversorum existit iunctura et compositione membrorum, quae forma usuque differunt compacta tamen et suis distributa locis complexionem efficiunt pulchram specie, firmam viribus, utilitate necessariam: ita in republica hominum quasi partium infinita propemodum est dissimilitudo: qui si habeantur pares arbitriumque singuli suum sequantur, species erit civitatis nulla deformior: si vero dignitatis, studiorum, artium distinctis gradibus, apte ad commune bonum conspirent, bene constitutae civitatis imaginem referent congruentemque naturae.

Ceterum ex iis, quos commemoravimus, turbulentis erroribus, maximae sunt civitatibus extimescendae formidines. Nam sublato Dei metu legumque divinarum verecundia, despecta principum auctoritate, permissa probataque seditionum libidine, proiectis ad licentiam cupiditatibus popularibus, nullo nisi poenarum freno, necessario secutura est rerum omnium commutatio et eversio. Hanc immo commutationem eversionemque consulto meditantur idque prae se ferunt, plurimi *Communistarum*

et *Socialistarum* consociati greges: quorum coeptis alienam ne se dixerit secta Massonum, quae et consiliis eorum admodum favet et summa sententiarum capita cum ipsis habet communia. Quod si nec continuo nec ubique ad extrema experiendo decurrunt, non ipsorum est disciplinae, non voluntati tribuendum, sed virtuti religionis divinae, quae extingui non potest, itemque saniori hominum parti, qui societatum clandestinarum recusantes servitutem, insanos earum conatus forti animo refutant.

Atque utinam omnes stirpem ex fructibus iudicarent, et malorum quae premunt, periculorum quae impendent, semen et initium agnoscerent! Res est cum hoste fallaci et doloso, qui serviens auribus populorum et principum, utrosque mollibus sententiis et assentatione cepit. — Insinuando sese ad viros principes simulatione amicitiae, spectarunt Massones, illos ipsos habere ad opprimendum catholicum nomen socios et adiutores potentes: quibus quo maiores admoverent stimulos, pervicaci calumnia Ecclesiam criminati sunt de potestate iuribusque regiis cum principibus invidiose contendere. His interim artibus quaesita securitate et audacia, plurimum pollere in regendis civitatibus coeperunt, ceterum parati imperiorum fundamenta quatere, et insequi principes civitatis, insimulare, eiicere quoties facere secus in gubernando viderentur, quam illi maluissent. — Haud absimili modo populos assentando ludificati sunt. Libertatem prosperitatemque publicam pleno ore personantes, et per Ecclesiam Principesque summos stetisse, quominus ex iniqua servitute et egestate multitudo eriperetur, populo imposuerunt, eumque rerum novarum sollicitatum siti in oppugnationem utriusque potestatis incitaverunt. Nihilominus tamen speratarum commoditatum maior est expectatio, quam veritas: immo vero peius oppressa plebes magnam partem iis ipsis carere cogitur miseriarum solatiis, quae, compositis ad christiana instituta rebus, facile et abunde reperire potuisset. Sed quotquot contra ordinem nituntur divina providentia constitutum, has dare solent superbiae poenas, ut ibi afflictam et miseram offendant fortunam, unde prosperam et ad vota fluentem temere expectavissent.

Ecclesia vero, quod homines obedire praecipue et maxime iubet summo omnium principi Deo, iniuria et falso putaretur aut civili invidere potestati, aut sibi quicquam de iure principum arrogare. Immo quod civili potestati aequum est reddere, id plane iudicio conscientiaque officii decernit esse reddendum. Quod vero ab ipso Deo ius arcessit imperandi magna est ad civilem auctoritatem dignitatis accessio, et observantiae benevolentiaeque civium colligendae adiumentum non exiguum. Eadem amica pacis, altrix concordiae, materna omnes caritate complectitur; et iuvandis mortalibus unice intenta, iustitiam oportere docet cum clementia, imperium cum aequitate, leges cum moderatione coniungere: nullius ius violandum, ordini tranquillitatique publicae serviendum, inopiam miserorum, quam maxime fieri potest, privatim et publice sublevandam. *Sed propterea putant*, ut verba usurpemus Augustini, *vel putari volunt, christianam doctrinam utilitati non convenire reipublicae, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, sed impunitate vitiorum* (1). Quibus cognitis, hoc esset civili prudentiae admodum congruens, et incolumitati communi necessarium, principes et populos non cum Massonibus ad labefactandam Ecclesiam, sed cum Ecclesia ad frangendos Massonum impetus conspirare.

Utcumque erit, in hoc tam gravi ac nimis iam pervagato malo Nostrarum est partium, Venerabiles Fratres, applicare animum ad quaerenda remedia. — Quia vero spem remedii optimam et firmissimam intelligimus esse in virtute sitam religionis divinae, quam tanto peius Massones oderunt, quanto magis pertimescunt, ideo caput esse censemus saluberrimam istam adversus communem hostem advocatam adhibere virtutem. Itaque quaecumque romani Pontifices Decessores Nostri decreverunt inceptis et conatibus sectae Massonum impediendis: quaecumque aut deterrendi ab eiusmodi societatibus aut revocandi caussa sanxerunt, omnia Nos et singula rata habemus atque auctoritate Nostra Apostolica confirmamus. In quo quidem plurimum voluntate christianorum confisi, per salutem singulos suam precamur quaesumusque, ut reli-

(1) *Epist.* CXXXVII, al. III, ad Volusianum c. v. n. 20.

gioni habeant vel minimum ab iis discedere, quae hac de re Sedes Apostolica praeceperit.

Vos autem, Venerabiles Fratres, rogamus, flagitamus, ut collata Nobiscum opera, extirpare impuram hanc luem quae serpit per omnes reipublicae venas, enixe studeatis. Tuenda vobis est gloria Dei, salus proximorum: quibus rebus in dimicando propositis, non animus Vos, non fortitudo deficiet. Erit prudentiae vestrae iudicare, quibus potissimum rationibus ea, quae obstabunt et impedient, eluctanda videantur. — Sed quoniam pro auctoritate officii Nostri par est probabilem aliquam rei gerendae rationem Nosmetipsos demonstrare, sic statuite, primum omnium reddendam Massonibus esse suam, dempta persona, faciem: populosque sermone et datis etiam in id Litteris episcopalibus edocendos, quae sint societatum eius generis in blandiendo alliciendoque artificia, et in opinionibus pravitas, et in actionibus turpitudo. Quod pluries Decessores Nostri confirmarunt, nomen sectae Massonum dare nemo sibi quapiam de caussa licere putet, si catholica professio et salus sua tanti apud eum sit, qanti esse debet. Ne quem honestas assimulata decipiat: potest enim quibusdam videri, nihil postulare Massones, quod aperte sit religionis morumve sanctitati contrarium: verumtamen quia sectae ipsius tota in vitio flagitioque est et ratio et caussa, congregare se cum eis, eosve quoquo modo iuvare, rectum est non licere.

Deinde assiduitate dicendi hortandique pertrahere multitudinem oportet ad praecepta recepta religionis diligenter addiscenda: cuius rei gratia valde suademus, ut scriptis et concionibus tempestivis elementa rerum sanctissimarum explanentur, quibus christiana philosophia continetur. Quod illuc pertinet, ut mentes hominum eruditione sanentur et contra multiplices errorum formas et varia invitamenta vitiorum muniantur in hac praesertim et scribendi licentia et inexhausta aviditate discendi. — Magnum sane opus: in quo tamen particeps et socius laborum vestrorum praecipue futurus est Clerus, si fuerit, Vobis adnitentibus, a disciplina vitae, a scientia litterarum probe instructus. Verum tam honesta caussa tamque gravis advocatam desiderat industriam virorum laicorum, qui religionis et patriae caritatem cum probitate doctrinaque coniungant. Consociatis utriusque ordinis viribus, date operam, Venerabiles Fratres, ut Ecclesiam penitus et cognoscant homines et caram habeant: eius enim quanto cognitio fuerit amorque maior, tanto futurum maius est societatum clandestinarum fastidium et fuga. — Quocirca non sine caussa idoneam hanc occasionem nacti, renovamus illud quod alias exposuimus, Ordinem Tertium Franciscalium, cuius paullo ante temperavimus prudenti lenitate disciplinam, perquam studiose propagare tuerique oportere. Eius enim, ut est ab auctore suo constitutus, haec tota est ratio, vocare homines ad imitationem Iesu Christi, ad amorem Ecclesiae, ad omnia virtutum christianarum officia: propter eaque multum posse debet ad societatum nequissimarum supprimendam contagionem. Novetur itaque quotidianis incrementis isthaec sancta sodalitas, unde cum multi expectari possunt fructus, tum ille egregius, ut traducantur animi ad libertatem, ad fraternitatem, ad aequalitatem iuris: non qualia Massones absurde cogitant, sed qualia et Iesus Christus humano generi comparavit et Franciscus secutus est. Libertatem dicimus *filiorum* Dei, per quam nec Satanae, nec cupiditatibus, improbissimis dominis, serviamus: fraternitatem, cuius in Deo communi omnium procreatore et parente consistat origo: aequalitatem, quae iustitiae caritatisque constituta fundamentis, non omnia tollat inter homines discrimina, sed ex vitae, officiorum studiorumque varietate mirum illum consensum efficiat et quasi concentum, qui natura ad utilitatem pertinet dignitatemque civilem.

Tertio loco una quaedam res est, a maioribus sapienter instituta, eademque temporum cursu intermissa, quae tamquam exemplar et forma ad simile aliquid valere in praesentia potest. — Scholas seu collegia opificum intelligimus, rebus simul et moribus, duce religione, tutandis. Quorum collegiorum utilitatem si maiores nostri diuturni temporis usu et periclitatione senserunt, sentiet fortasse magis aetas nostra, propterea quod singularem habent ad elidendas sectarum vires opportunitatem. Qui mercede manuum inopiam tolerant, praeterquam quod ipsa eorum conditione uni ex omnibus sunt caritate solatioque dignissimi, ma-

xime praeterea patent. illecebris grassantium per fraudes et dolos. Quare iuvandi sunt maiore qua potest benignitate, et invitandi ad societates honestas, ne pertrahantur ad turpes. Huius rei caussa collegia illa magnopere vellemus auspiciis patrocinioque Episcoporum convenienter temporibus ad salutem plebis passim restituta. Nec mediocriter Nos delectat, quod pluribus iam locis sodalitates eiusmodi, itemque coetus patronorum constituti sint: quibus propositum utrisque est honestam proletariorum classem iuvare, eorum liberos, familias, praesidio et custodia tegere, in eisque pietatis studia, religionis doctrinam, cum integritate morum tueri. — In quo genere silere hoc loco nolumus illam spectaculo exemploque insignem, de populo inferioris ordinis tam praeclare meritam societatem, quae a Vincentio patre nominatur. Cognitum est quid agat, quid velit: scilicet tota in hoc est, ut egentibus et calamitosis suppetias eat ultro, idque sagacitate modestiaque mirabili: quae quo minus videri vult, eo est ad caritatem christianam melior, ad miseriarum levamen opportunior.

Quarto loco, quo facilius id quod volumus assequamur, fidei vigiliaeque vestrae maiorem in modum commendamus iuventutem, ut quae spes est societatis humanae. — Partem curarum vestrarum in eius institutione maximam ponite: nec providentiam putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior, ut iis adolescens aetas prohibeatur et scholis et magistris, unde pestilens sectarum afflatus metuatur. Parentes, magistri pietatis, Curiones inter christianae doctrinae praeceptiones insistant, Vobis auctoribus, opportune commonere liberos et alumnos de eiusmodi societatum flagitiosa natura, et ut mature cavere discant artes fraudolentas et varias, quas earum propagatores usurpare ad illaqueandos homines consueverunt. Immo qui adolescentulos ad sacra percipienda rite erudiunt, non inepte fecerint, si adducant singulos ut statuant ac recipiant, inscientibus parentibus, aut non auctore vel Curione vel conscientiae iudice, nulla se unquam societate obligaturos.

Verum probe intelligimus communes labores nostros evellendis his agro Dominico perniciosis seminibus haudquaquam pares futuros, nisi caelestis dominus vineae ad id quod intendimus benigne adiuverit. — Igitur eius opem auxiliumque implorare necesse est studio vehementi ac sollicito, quale et quantum vis periculi et magnitudo necessitatis requirunt. Effert se insolenter, successu gestiens, secta Massonum, nec ullum iam videtur pertinaciae factura modum. Asseclae eius universi nefario quodam foedere et occulta consiliorum communitate iuncti operam sibi mutuam tribuunt, et alteri alteros ad rerum malarum excitant audaciam. Oppugnatio tam vehemens propugnationem postulat parem: nimirum boni omnes amplissimam quamdam coeant opus est et agendi societatem et precandi. Ab eis itaque *petimus*, ut concordibus animis contra *progredientem* sectarum vim conferti immotique consistant: iidemque multum gementes tendant Deo manus supplices, ab eoque contendant, ut christianum floreat vigeatque nomen: necessaria libertate Ecclesia potiatur: redeant ad sanitatem devii: errores veritati, vitia virtuti aliquando concedant. — Adiutricem et interpretem adhibeamus Mariam Virginem matrem Dei, ut quae a conceptu ipso Satanam vicit, eadem se impertiat improbarum sectarum potentem, in quibus perspicuum est contumaces illos mali daemonis spiritus cum indomita perfidia et simulatione reviviscere. — Obtestemur principem Angelorum caelestium, depulsorem hostium infernorum, Michaelem: item Iosephvm Virginis sanctissimae sponsum, Ecclesiae catholicae patronum coelestem salutarem: Petrvm et Pavllvm Apostolos magnos, fidei christianae satores et vindices invictos. Horum patrocinio et communium perseverantia precum futurum confidimus ut coniecto in tot discrimina hominum generi opportune Deus benigneque succurrat.

Caelestium vero munerum et benevolentiae Nostrae testem Vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque universo vigilantiae vestrae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Aprilis An. MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

LEO PP. XIII.

DECRETUM S. R. C.

Quo indulgetur, ut festum Corporis Christi *cum Octava privilegiata a Nostratibus celebretur.*

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI

Rmus Pater Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis totius Ordinis Minorum, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII enixis precibus efflagitavit, ut Alumni sui Ordinis, nec non omnes qui, sive ex mandato sive concessione Apostolicae Sedis, Breviario Romano-Seraphico utuntur, Festum Corporis Christi cum Octava ita privilegiata amodo celebrare valeant, ut in ea fiat tantummodo de Duplici primae classis, si inciderit, de Duplici vero minori fiat per modum Simplicis, quemadmodum Hispaniae et Lusitaniae Dioecesibus concessum est. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia juxta preces: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 Aprilis 1884.

D. Card. Bartolinius S. R. C. Praef.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secret.

REGULAE

quae, attenta jam dicta concessione, in celebranda Octava SS. Corporis Christi *iuxta Rubricas et S. R. C. Decreta a nobis inposterum sunt observandae.*

1. Si adveniente Festo SS. Corporis Christi aliqua Octava alicuius Festi (v. g. Patroni propriae ecclesiae) inchoata iam sit, dimittenda est post Nonam Feriae quartae Festum SS. Corporis Christi praecedentis.

2. Infra dictam Octavam quotidie officium fit de die infra octavam, nisi occurrat Festum duplex primae classis, de quo fieri debet officium cum commemoratione octavae Corporis Christi. Quod si huiusmodi Festum 1. classis habeat octavam, insequentibus diebus de ea fit commemoratio.

3. Si infra Octavam SS. Corporis Christi occurrat Festum secundae classis habens octavam, eiusmodi Festum post Octavam SS. Corporis Christi transferendum est, omissa eo anno ipsius octava, si post octo dies reponatur; secus cum residuo octavae.

4. Festa duplicia maiora et SS. Ecclesiae Doctorum infra dictam Octavam occurrentia transferuntur post octavam iuxta translationis Rubricas. Si autem pro iis reponendis dies vacui non adsint, fit de illis prout dicetur in numero sequenti.

5. De ceteris Festis duplicibus minoribus et semiduplicibus *de praecepto* infra eamdem Octavam occurrentibus fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis, in Laudibus et Missis, quantum Rubricae hoc admittunt, sine tamen nona lectione de ipsis.

6. De Festis autem semiduplicibus *ad libitum* et de simplicibus fit commemoratio tantum in eorum primis Vesperis et Laudibus ac Missis, prout Rubricae id admittunt, pariter sine nona lectione de ipsis.

7. Si infra dictam Octavam incidat aliqua Vigilia, legitur nona lectio de homilia Vigiliae, nona lectio autem officii cum octava lectione coniungitur; et fit commemoratio Vigiliae in Laudibus et Missis, et legitur ipsius Evangelium in fine Missae.

II. ACTA ORDINIS

DIES ADITIALIS EMI CARD. IOANNIS SIMEONI PROTECTORIS ORDINIS NOSTRI (1)

Pomeridianis horis diei 15 Aprilis, Emus ac Rmus D. Card. Simeoni ad Ecclesiam Aracoelitanam accessit, ut Apostolicas Litteras publicaret de sibi imposito munere Protectoris Ordinis nostri. Ad valvas exceptus a Rmo

(1) Emus Ioannes Simeoni, natus est Paliani, in Praenestina dioecesi, die 12 Iulii 1816, a s. m. Pio IX creatus Cardinalis die 15 Martii 1875, publicatus die 17 Sept. eiusdem anni, Sti Petri ad vincula titulo insignitus, Praefectus S. Congreg. de Propaganda Fide et Negotiorum pro ritu orientali, addictus ad Sacras Congregationes S. R. et universalis inquisitionis, — Episcoporum et Regularium, — Concilii, — Caeremonialis, — Lauretanae, — et Negotiorum extraordinariorum.

Insuper Protector est Congreg. Cassinensis primaevae Observantiae, — Ordinis Servorum, — Carmelitarum calceatorum, etc. etc, ac ultimo Ordinis nostri seraphici et Tertii Ordinis Regularis.

P. Ministro Generali, et post SSmi SACRAMENTI adorationem ad Sacrarium deductus paratum ibi thronum ascendit. Fere ducenti Religiosi nostri convenerant obsequium et filialem dilectionem Emo praestituri. Perlectis a Pontificio Caeremoniarum Magistro D. Togni Apostolicis Litteris, quibus huiusmodi officium *protectionis et correctionis* Fraternitatis nostrae deferebatur, Minister Generalis gratulaturus Emo Protectori disertum sermonem ad eum habuit, in quo congrua occasioni, congrua pietati ac religioni suae declaravit: « Post « gravem iacturam, ait, quam ob mortem « Emi Bilio Ecclesia universa et praesertim « Familia seraphica perpessa est, hoc temporis « momentum magnam nobis omnibus affert « consolationem. Libenter enim recordamur « Te, Eminentissime, non una sed plura de- « voti animi Tui argumenta ostendisse in Or- « dinem nostrum, ac persaepe Confratres, qui « vitam agunt in Missionibus, adiuvasse prae- « sidio Tuo. Hoc igitur officium, quod hodie « assumis, nos laeto prosequimur animo, cen- « semusque defensioni, tranquillitati ac incre- « mento nostro profuturum. Longe abest a « mente, longe abest a spiritu S. Francisci « enarrare bona quae fecimus, efferre merita « quae adepti fuimus; verumtamen non abs « re erit dicere seraphicum Ordinem in tanta « calamitate temporum et contagione vitiorum « sibi constare fructus uberrimos sanctitatis « quovis tempore a se editos fuisse, et nunc « etiam edere. Plurimis in locis, longe seiunctis « atque ab omni cultu remotis nostrae Mis- « siones sunt, quarum opus et studium de « Ecclesia benemerendi Tibi compertum est, « Eminentissime. Quotquot hic sumus certe « fore speramus ut sub Tuo sapienti consilio, pa- « trocinio ac favore apud Fratres nostros de- « votio erga Apostolicam Sedem, humilitas ac « spiritus fervoris in dies floreat ac domi- « netur. »

Eminentissimus Protector tam obsequentis voluntatis significationem benevolo animo excepit, et respondit « Se sensisse verbis Ministri Generalis amoris ac venerationis plenis vehementer commoveri; Seque de officio sibi concredito a Summo Pontifice summopere gaudere. - Locutus est de singulari divinae Providentiae dispositione, quae humilem *Bernardonis* filium elegit, cuius opere abusibus et sceleribus medii Aevi spiritum S. Evangelii opponeret, spiritum scilicet humilitatis, paupertatis et mortificationis. — Addidit nostram etiam aetatem hoc seraphico spiritu maxime indigere; Sibique magnae esse consolationi, quod iste spiritus satis in Ordine vivat, et adeo vivat, ut iisdem malis eadem remedia praebere possit. — Benigne fassus est se optime nosse e litteris, quae undequaque ad S. Congregationem de Propaganda Fide perveniunt, quot adhuc labores Missionarii nostri ubique terrarum sustineant, non solum in Anglia, Hibernia et Hollandia; sed etiam in Terra Sancta, in Albania, in Superiori Aegypto, in utraque America, in Sinis et in reliquis Asiae partibus — Denique suffusus lacrymis orationibus totius Ordinis non tam in vita, quam post mortem prae devotione se commendavit. »

His actis, Emus Praesul Religiosos omnes ad osculum manus admisit, nominatim singulos advocante Rmo Ministro Generali. Admiratus est tam numerosos Romae Fratres adesse, et in Curia Generalitia tam diversa linguarum genera inveniri. Revera in Aracoelitana Residentia adsunt Patres diversae nationis, qui non solum suas cuiusque linguas loquuntur, sed etiam alienas, adeo ut ad quindecim numerari possint idiomata; idque videtur quodammodo prodigium referre Pentecostes non tantum ob diversitatem linguarum, quantum ob unanimitatem vere seraphicam, qua animi fraterna charitate invicem inter se coniunguntur.

—

BENEDICTIO PRIMARII LAPIDIS

Ecclesiae Collegii generalis.

Die 16 Aprilis nuperrime elapsi, hora 7 matutina, Emus D. Lucidus Maria Cardinalis Parocchi Vicarius generalis Sanctitatis Suae, solemni ritu primarium lapidem benedixit novae ecclesiae extruendae in honorem S. Antonii Patavini, prope insignem Basilicam Lateranensem, adstantibus Ordinis moderatoribus et corona Fratrum fere centum quinquaginta. In primario lapide deposita sunt numismata in singulis annis Pontificatus SS. D. Leonis XIII excusa, necnon alia Im-

maculatae Virginis, eiusque Sponsi S. Ioseph, S. P. Francisci ac Seraphici Doctoris S. Bonaventurae imaginem exhibentia. Deinde lectum fuit a Rmo P. Generali sequens documentum in charta pergamena descriptum, antequam in capsa ex plumbo confecta deponeretur et in primario lapide includeretur:

INSCRIPTIO

« Hac die XVI Aprilis anni MDCCCLXXXIV
« Feria IV post Pascha, DCLXXV anniversaria a
« professione seraphici Patriarchae S. Fran-
« cisci et sociorum eius, S. Raphaeli Arcan-
« gelo sacra, Emus et Rmus Dnus Dnus Lu-
« cidus Maria S. R. E. titulo S. Crucis in
« Ierusalem Presbyter Cardinalis Parocchi,
« SS. D. N. Leonis PP. XIII in Urbe et
« eius Districtu Generalis in spiritualibus Vi-
« carius, solemni ritu servato, primarium la-
« pidem benedixit et in fundamento deposuit
« novae Ecclesiae DEO Omnipotenti in me-
« moriam S. Antonii Patavini extruendae, in
« usum Collegii Franciscalis de Observantia
« quod prope Ecclesiam, DEO favente, et
« Bma Virgine Immaculata, S. P. N. Fran-
« cisco, S. Bonaventura, et omnibus Coeli-
« tibus opitulantibus, stipem vero Fratribus
« piisque benefactoribus largientibus consurget.

« Solemni ritui adstabant Rmus P. Ber-
« nardinus a Portu Romatino, totius Ordinis
« Minister Generalis. PP. Procuratores et De-
« finitores Generales et permulti alii Fratres,
« Rmus Dominus Gattoni, Caeremoniarum
« Magister, Illmus D. Lucas eques Carimini,
« fabricae Architectus, et Petrus Bianchi, cau-
« sarum nostrarum Advocatus ».

Expletis benedictionibus et posito in fundamentis lapide, praelaudatus Cardinalis supra faldistorium sedens eloquentem habuit ad praesentes sermonem, quem hic referre operae pretium est in lingua qua usus est Emus Orator et simul in translatione latina. Solemnitati finem imposuit sanctissimum Missae sacrificium ab ipso Cardinali celebratum.

ALLOCUTIO

Emi Cardinalis Parocchi Suae Sanctitatis in Urbe Vicarii, occasione benedictionis lapidis primarii Collegii S. Antonii habita.

Cum quadam die post resurrectionem suam IESUS nonnullis Apostolis dum in lacu Genesareth piscarentur apparuisset, nec ceteri eum cognovissent, primus omnium Ioannes charitatis flamma illuminatus DOMINUM agnovit, aliisque indicavit exclamans: *Dominus est!*

Simili fere nos hodie adstamus spectaculo venerabiles religiosi! Tria iam lustra sunt quod Urbs testis fuit eventuum quos catholicus orbis vidit et iudicavit. Ecclesia deturbata principatu civili, quam minitantur modo in sua spirituali etiam libertate; quam, aperte dicam, quotidie persequuntur hostes, missionem suam non intermittit. *Dominus est:* utique DOMINUS cum ea est.

Regulares Ordines, in universa Italia suppressi ac dispersi, adhuc extant: et contra quamvis humanam spem Ordo Minorum tam vetus, ast post septem aetatis suae saecula tam florens iuventute, hodie Coelium inter et Exquilias novi aedificii fundamenta iacit. *Dominus est!* DOMINUS adstat!

Quotquot sunt religiosi Ordines ab omnium primo S. Antonii Abbatis usque ad novissimum Institutum Gallicum (Gallicum dico ab praecipuam foecunditatis laudem in hoc genere Galliae debitam) quodque modo a S. Congregatione Episcoporum et Regularium approbari petit, omnes ego indiscriminatim diligo: sed ingenue et aperte dicam, Franciscalium Ordinem affectu me prosequi peculiari, et inter bona felicitatesque meas reputare, quod ad eumdem qua Tertiarius pertineam.

Legit modo optimus P. Generalis documentum quod pergamena inscriptum primo lapidi acclusimus, meminitque hodierna die Raphaelis Archangeli festum ab Ordine celebrari, sacrumque DCLXXV anniversarium recurrere in quo S. P. Franciscus suam professionem in manibus magni Pontificis Innocentii III emisit. Exinde, Ordo ab eo fundatus numquam a laboribus pro animarum salute susceptis interquievit, imo merito et numero Fratrum ita excelluit ut quod P. Segneri ait de inclyto Praedicatorum Ordine, de eodem pari iure dici possit: *Nescio utrum plures dederit mundo Doctores, an Sanctos coelo.* Simplex aeque sapiens eiusdem lex mirabili modo iamdudum problema illud solvit libertatis quae comoda utilitatemque civitati affert, absque seiunctione ab auctoritate. Nil timendum Francisci filiis in altissima paupertate fundatis; et haec causa potissima cur nil ipsi pertimescant.

Ordinis huius tot sunt sancti quot anni aetatis, ita ut eiusdem sancti, historiae Ordinis annales efforment. Ordinis huius Doctores sunt ac perennant Bonaventura, Duns Scotus, et Rogerius Baco. Huius Ordinis actio numquam intermissa fuit a die qua non longe a loco isto Innocentius Papa III Assisiensem pauperculum agnovit, quem in somnis Basilicam hanc Lateranensem labantem suismet humeris sustinere viderat. Illud insuper addam: Ordo iste de efficacitate, de vigore suo nihil amisit; et si magna et multa egit transactis temporibus, eadem et maiora in posterum perficiet. Domus haec, cuius primum lapidem benediximus futurorum Ordinis operum pignus est. Huc novellae Fratrum generationes advenient, et seraphici Patris spiritu imbuentur, qui per eos in orbem universum diffundetur. Nec absque peculiari divinae Providentiae consilio, nova Collegii huius Ecclesia sub divi Antoni Patavini invocatione DEO aedificatur; magnus enim sanctus iste, non tantum primus omnium in Ordine confratres sacras litteras docuit, ideoque Franciscalis studiorum Collegii iure merito Patronus seligitur; sed in Divo Antonio seraphici Ordinis triplex character elucet, paupertas nempe, scientia, et spiritus apostolicus.

In celebri thaumaturgo Ulyssiponensi paupertas altissima fulsit, et cum ea, et ut ita dicam, in ea radicatae aliae religiosae virtutes resplenduerunt, scilicet purissima innocentia, austera corporis afflictio, sublimis contemplatio, et vita illa interior, quam praesertim in Montis Pauli eremo vixit.

Fuit praeterea Antonius vere sapiens, et iuxta seraphici Patris mentem doctrina illa excultus sine fuco, et fastu quae perpetua comes est sanctitatis, hominumque animos illuminat et sursum ad DEUM erigit, et qui Gersenii discipulus fuerat, deinceps ob profundam divinarum Scripturarum scientiam qua pollebat, a Gregorio IX Pontifice summo *Arca Testamenti* appellari meruit. Auspice Antonio, huc advenient iuvenes Franciscales sacris litteris operam navaturi; hic in Seraphici Doctoris Bonaventurae studio versabuntur, Bonaventurae illius qui vere magnus Ecclesiae Doctor, et dignus Thomae Aquinatis amicus extitit.

Thomas Theologiae veluti architectus est, Bonaventura vero divinae scientiae poeta-philosophus; est utique Thomas admirabilis analyseos magister; Bonaventura autem inimitabilis magister syntheseos, ac si Thomas est Scholae *Angelus*, Bonaventura est eiusdem *Seraphim*, et bene de illo dictum fuit quod de Ioanne Baptista ait DOMINUS: *Ille erat lucerna ardens et lucens*. Esto tamen quod talis, tantusque sit Bonaventura, huius novae domus fini et scopo conformior videtur Divi Antonii in Patronum electio, Antonius enim non tantum primus Ordinis Doctor fuit, ita ut Missa Doctorum ante Bonaventuram de eo legeretur; sed ideo praesertim quia Divi Antonii spiritus etiam apostolicam vitam complectitur. Ipse Italiae apostolus vocari potest, quam universam a Sicilia usque ad Adriaticum et Alpes praedicando peragravit; imo et extra Italiam resonuit verbum ipsius ac undique uberrimos animarum salutis fructus retulit: ideoque cum Paduae, S. Bonaventura gloriosi Thaumaturgi reliquiarum translationi praeesset, ac linguam eiusdem, quae tantopere DEI gloriam magnificaverat, incorruptam et rubicundam invenisset, pietate simul ac veneratione exaestuans, ex intimo cordis sui Antiphonam protulit: *O lingua benedicta etc.* quae adhucdum in Ordine legitur.

Vocatio quidem Antonii a sanguine Protomartyrum Ordinis quo ardentia Marrochii sabula rubuere ortum habuit, et iuvenis Canonicus regularis S. Crucis Conimbriae, ex desiderio proprium sanguinem fundendi pro fide, Minorum Ordinem ingressus est; heic vero novi huius Collegii fundandi scopus et finis non ille tantummodo proponitur ut viri docti efformentur in Ordine; sed ut pro Italia, et Orbe universo Missionarii educentur; in spiritu et virtute Francisci Patris, et Antonii Patavini quaquaversum ituri ad saeculi errores debellandos; et popularitate qua ubique iure gaudet Franciscalium Ordo, utentes, ad omnes edocendos officia sua, veramque beatitatem et pacem.

Ex intimo igitur cordis mei, coelestem benedictionem invoco super novi huius aedificii lapidem primarium; sit illi similis super quem fundata est Ecclesia, sit sicut ille immutabilis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*.

Non longe a loco isto, nuper, in medio fere Urbis centro synagoga Satanae exstructa

est, de qua dictum fuit, unumquemque lapidem pretio unius scutati et unius peccati stetisse: hic vero, ab unoquoque aedificii huius lapide, quorum primarium benediximus, largitoribus gratia orietur, pax et benedictio.

Omnibus ergo praesentibus et futuris novae huius constructionis benefactoribus DEUS benedicat. Immaculata Virgo MARIA Ordinis Patrona, Archangelus Raphael infirmorum medicus et peregrinantium dux, seraphicus Pater Franciscus, Antonius Patavinus novo huic aedificio benedicant, efficiantque ut uberes salutis fructus exinde proveniant.

ALLOCUZIONE

pronunziata da S. Eminenza il Card. Parocchi in occasione della benedizione della prima pietra del Collegio di S. Antonio, il 16 Aprile 1884.

L'Apostolo S. Giovanni vide un giorno N. SIGNORE dopo la sua risurrezione che si mostrava ad alcuni de' suoi Apostoli che pescavano sul lago di Genesareth, e, illuminato dagli ardori del suo cuore, riconobbe pel primo GESÙ e lo additò agli altri discepoli, esclamando: *Dominus est!* Egli è il SIGNORE!

Noi assistiamo, venerabili Religiosi, ad uno spettacolo quasi somigliante.

Da ormai tre lustri, Roma è stata testimonio di avvenimenti che il mondo cattolico ha osservati e giudicati. La Chiesa spogliata della sua indipendenza temporale, minacciata nella sua libertà spirituale; e, perchè non dirlo? — perseguitata ogni giorno, continua nondimeno la sua missione: *Dominus est;* il SIGNORE è con lei!

Gli ordini religiosi dispersi e soppressi in tutta Italia esistono tuttavia, e contro ogni umana espettazione, l'Ordine di S. Francesco, sì antico ma sempre giovane dopo ben sette secoli d'esistenza, inaugura oggi fra il Celio e l'Esquilino una nuova fondazione: *Dominus est:* il SIGNORE é presente!

Io amo indistintamente tutti gli Ordini religiosi dai discepoli di S. Antonio Abbate fino all'ultimo istituto francese che domanda l'approvazione alla Congregazione dei Vescovi e Regolari. (Dico istituto francese perchè la Francia si distingue per la sua iniziativa e fecondità di creazioni). Sì, io amo tutti gli Ordini religiosi, ma è mestieri che qui lo dica, o venerabili fratelli, senza alcuno spirito d'inganno o di umana politica, l'Ordine di S. Francesco occupa un posto speciale nel mio cuore, e mi stimo felice di appartenervi in qualità di terziario.

L'ottimo P. Generale nel legger poc'anzi la pergamena che abbiamo deposta sotto la prima pietra, ricordava come l'Ordine celebri oggi la festa di S. Raffaele e il 675° anniversario del giorno in cui S. Francesco fece la sua professione sotto il pontificato del gran Papa Innocenzo III. D'allora in poi il suo Ordine non ha mai tralasciato di lavorare pel bene delle anime. Ad esso dona autorità il numero straordinario de' suoi figli sicchè possa dirsene quel che fu detto dell'Ordine di S. Domenico che cioè non si sa se abbia dato più dottori alla terra o più santi al cielo. La sua legislazione semplice e saggia ha meravigliosamente risoluto il problema della libertà che offre agi e larghezze civili senza separarsi dall'autorità. Basati sulla povertà i figli di S. Francesco non han nulla a temere ed ecco perchè di nulla temono. I Santi di quest'Ordine formano gli annali della sua esistenza; i suoi dottori e i suoi sapienti si personificano in S. Bonaventura, in Scoto e Bacone; la sua azione nel mondo non ha mai cessato, dal giorno in cui il poverello d'Assisi fu riconosciuto, precisamente nelle vicinanze di questo luogo, da Papa Innocenzo III che avealo visto in sogno sostenere questa basilica Lateranense prossima a crollare. Dirò perfino che quest' Ordine nulla ha perduto della sua vitalità, e per quanto grande e sublime sia stata la sua missione pel passato, sarà sempre eguagliata dalle opere che dovrà ancor compiere nell'avvenire e dai servigi che dovrà ancor prestare alla Chiesa.

La nuova casa della quale abbiamo benedetto la prima pietra è un pegno di questo avvenire. Qui verranno le giovani generazioni di S. Francesco ad imbeversi dello spirito del loro Padre per ispanderlo poi per tutto il mondo.

E non è senza un disegno particolare di Provvidenza che abbiam posto la nuova chiesa sotto la speciale invocazione di S. Antonio di Padova. Questo gran Santo non è sola-

mente il primo dottore dell'Ordine e quindi bene scelto a patrono d'una casa di studio Francescana, ma trovo in lui eziandio il triplice carattere dell'Ordine serafico; la povertà, la scienza e lo spirito apostolico.

Risplendette la povertà nell'illustre taumaturgo di Lisbona e accanto a questa virtù e, per così dire, sopra di essa germogliarono le altre virtù religiose, l'innocenza purissima, l'austera mortificazione, la vita contemplativa e la vita interiore che esercitò sopratutto nel solitario eremo di S. Paolo.

Ma S. Antonio fu eziandio uomo di scienza nel senso voluto dal serafico Patriarca, scienza senza fasto e inseparabile dalla Santità, che illumina le anime per sollevarle a Dio. Così meritò egli d'esser chiamato da un Papa, *Arca di sapienza* per la sua conoscenza profonda delle divine scritture.

Sotto i suoi auspici vedranno i giovani religiosi sgorgare in questo nuovo collegio la scienza sacra e verranno a studiarvi l'autore dell'Ordine per eccellenza, S. Bonaventura. Certo S. Bonaventura è grande dottore della Chiesa e degno amico di S. Tommaso d'Aquino. E se S. Tommaso fu quasi l'architetto della teologia, S. Bonaventura ne è il poeta filosofo; S. Tommaso è il maestro ammirabile dell'analisi, ma S. Bonaventura è anche il maestro inimitabile della sintesi. Se S. Tommaso è l'*Angelo*, S. Bonaventura è il *Serafino* della Scuola e si può dire di lui come di S. Gio. Battista: *Ille erat lucerna ardens et lucens.*

Nondimeno nella circostanza attuale mi sembra che la scelta di S. Antonio risponda ancor meglio allo scopo di questa nuova Casa religiosa, non solo perchè S. Antonio è il primo Dottore dell'Ordine ed aveva nel *proprio* Francescano, anche prima di S. Bonaventura, la messa propria dei Dottori, ma anche perchè il suo spirito abbraccia ampiamente la *vita apostolica.*

S. Antonio può esser chiamato il missionario d'Italia che percorse dalla Sicilia fino alle Alpi e dal Mediterraneo all'Adriatico, e la sua parola fu ripercossa anche al di fuori di questa nazione operando dappertutto frutti di salute.

Così, allorquando S. Bonaventura presiedette in Padova alla traslazione delle reliquie del glorioso taumaturgo e trovò intatta ed ancor rosseggiante quella lingua che avea sì alto pubblicato la gloria di Dio, pronunziò con tutta l'effusione del cuore quella magnifica antifona che l'Ordine ha conservata: *O lingua benedicta!*

La vocazione di S. Antonio è nata, per così dire, dal Sangue dei primi cinque martiri dell'Ordine che irrigò le sabbie correnti del Marocco e il giovane canonico regolare di S. Croce di Coimbra divenne Frate Minore col desiderio di versare egli pure il sangue per la fede.

E qui dirò che il pensiero che ha presieduto al piano e allo scopo della nuova fondazione non è stato solamente quello di formare uomini dotti in seno all'Ordine, ma eziandio di preparare per l'Italia e pel mondo intero missionari che animati dallo spirito e dalle virtù di Francesco d'Assisi e d'Antonio di Padova vadano a combattere ovunque gli errori del secolo e con quella popolarità che godono i Frati Minori imparino al popolo che volentieri li avvicina, i suoi doveri e il segreto della sua vera felicità.

Io adunque invoco di tutto cuore la benedizione del cielo sulla pietra fondamentale del nuovo edifizio. Possa questa rassomigliare alla pietra sulla quale riposa la Chiesa, e simile a lei possa essere stabile e salda: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*

Non lungi di qui, nel centro di Roma, è stata costruita or non è molto, una sinagoga di Satana, della quale dicesi che ogni pietra sia costata *un peccato ed uno scudo;* ebbene, da ciascuna delle pietre che compongono il nuovo edifizio di cui abbiam benedetto le fondamenta, sortirà una *grazia ed una benedizione* per tutti coloro che l'avranno data.

Iddio benedica i generosi benefattori che portano e porteranno a quest'opera il loro concorso, e Maria Immacolata, protettrice dell'Ordine, e S. Raffaele, *medicina degl' infermi e guida dei pellegrini*, e il serafico Francesco e S. Antonio di Padova benedicano questa nuova fondazione e le facciano produrre frutti abbondanti di salute.

Nihil obstat.
Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

DE SECTA MASSONUM

INSTRUCTIO

S. ROMANAE ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS AD OMNES CATHOLICI ORBIS EPISCOPOS

Ad gravissima avertenda mala, a *Massonum* secta aliisque ex ea prognatis in Ecclesiam et in omnes civium ordines illata, Sanctissimus Dominus Noster LEO XIII sapienti prorsus consilio Encyclicas Litteras *Humanum genus* ad omnes catholici orbis Episcopos nuperrime dedit. Quibus Litteris earumdem sectarum doctrinas, finem, consilia detegit, curas Romanorum Pontificum liberandae a tam nefaria peste humanae familiae enarrat, easdem sectas iterum et Ipse damnationis et censurae nota inurit, simulque docet, qua ratione, et quibus armis sit contra illas dimicandum, quibusque remediis, illatis ab iisdem vulneribus sit medendum. — At cum Sanctitati Suae perspectum sit, tum demum ex curis suis uberes fructus sperandos esse, cum in rem tanti momenti omnium Ecclesiae Pastorum opera, consilia, labores unanimi nisu conferantur, mandavit huic Supremae Congregationi S. Romanae et Universalis Inquisitionis, ut quae agenda ipsis Pastoribus potissimum essent, apte eisdem proponeret. Quibus Summi Pontificis mandatis, uti par est, Eminentissimi Patres una mecum Inquisitores Generales morem gerentes, omnibus Episcopis aliisque locorum Ordinariis hanc Instructionem dandam esse censuerunt.

1.° Imprimis peroptans clementissimus Pontifex animarum saluti prospicere, vestigia sequutus Salvatoris nostri IESU CHRISTI, qui non venit vocare iustos sed peccatores ad poenitentiam, paterna voce eos omnes, qui Massonicae aliisque damnatis sectis nomen dedere, ad detergendas animae sordes et ad divinae misericordiae sinum peramanter invitat. In hunc finem eadem usus benignitate, qua eius Decessor Leo XII, ad integrum anni spatium post rite vulgatas supra memoratas Apostolicas Litteras in unaquaque dioecesi, suspendit tum obligationem denunciandi earundem sectarum occultos coryphaeos et duces, tum etiam reservationem censurarum, peculiarem facultatem concedendo omnibus confessariis ab Ordinariis locorum adprobatis, ut eos qui vere resipuerint, et sectas deseruerint, ab iisdem censuris absolvere, et Ecclesiae reconciliare valeant. — Erit igitur sacrorum Praesulum hanc Pontificis Maximi benignitatem fidelibus suae fidei concreditis nuntiare. Facerent autem rem pastorali sua sedulitate dignam, si hoc vertente anno, quem clementiae peculiari modo addictum vult Pontifex, sacris exercitationibus, Missionum in morem, oves suas ad aeternas veritates meditandas, et spiritum rectum innovandum excitarent.

2.° Mens porro est eiusdem Sanctitatis Suae, ut Encyclicae Litterae quam diligentissime evulgentur, quo facilius omnes christifideles intelligant, quam dirum inter eos venenum serpat, quantaque eos eorumque prolem pernicies maneat, nisi tempestive sibi caveant. Tum sollertissima et impensissima opera danda erit, ut remedia tam quae a Pontifice propo-

nuntur, quam quae propria cuiusque prudentia suaserit, adhibeantur. — Primum omnium excitare in hanc rem oportet industriam sedulitatemque parochorum; deinde adsciscenda generatim eorum opera est, quibus a bonorum omnium largitore Deo facultas dicendi aut scribendi tributa est, vel quibus divini verbi annuntiandi vel christianae plebis a culpis expiandae, vel etiam iuventutis instituendae cura demandata fuerit, ut et ipsi labores suos conferant ad detegenda Massonum, aliarumque damnatarum societatum impia placita et infanda molimina, et ad reducendos in viam salutis eos, qui sive temere et incaute, sive consulto et cogitato ad eas accesserint, atque ad illos praemonendos, qui nondum in earum laqueos inciderunt.

3.° Ne quis vero errori locus fiat, cum diiudicandum erit, quaenam ex his perniciosis sectis censurae, quae vero prohibitioni tantum obnoxiae sint, certum imprimis est, excommunicatione latae sententiae multari Massonicam aliasque eius generis sectas quae capite 2. n. IV. Pontificiae Constitutionis *Apostolicae Sedis* designantur, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive id clam sive palam fecerint, sive exegerint, sive non, a suis asseclis secreti servandi iuramentum.

4.° Praeter istas sunt et aliae sectae prohibitae atque sub gravis culpae reatu vitandae, inter quas praecipue recensendae illae omnes, quae a sectatoribus secretum nemini pandendum, et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam iureiurando exigunt. Animadvertendum insuper est, adesse nonnullas societates, quae licet certò statui nequeat, pertineant necne ad has, quas memoravimus, dubiae tamen et periculi plenae sunt, tum ob doctrinas quas profitentur, tum ob agendi rationem quam sequuntur ii, quibus ducibus ipsae coaluerunt et reguntur. Ab his etiam Sacrorum Antistites, quibus germana Christi fides et morum integritas maximae curae esse debet, noverint oves suas deterrendas et arcendas esse, et eo quidem diligentius, quod ob servatam ab iisdem quandam honestatis speciem corruptelae periculum, quod in ipsis latet, difficilius a simplicibus praesertim hominibus et adolescentibus persentiri et praecaveri poterit.

5.° Rem proinde facient sacri Pastores suis ovibus apprime utilem et Sanctitati Suae periucundam, si praeter commune et usitatum concionandi genus, quod omnino retinendum est, illud adiungent, quod defendendis catholicis veritatibus adhiberi solet, et aptissimum est profligandis erroribus, quos latius et maximo cum animarum detrimento hodie disseminari Apostolicae Litterae *Humanum genus* deplorant. Quod quidem concionandi genus tum erit christianae plebi saluberrimum, cum refutatis erroribus, christianae doctrinae vim praestantiam et utilitatem dilucide et ordine explanabit, et amorem erga catholicam Ecclesiam, quae eandem doctrinam integram incorruptamque servat, in animis auditorum excitabit.

6.° Cum vero vaferrimis sectarum artibus fraudibusque adolescentes, pauperes artifices et operarii facilius allici et capi soleant, ad hos etiam peculiares curae sunt convertendae. Atque ad iuventutem quod attinet, adnitendum summopere est, ut a teneris annis tam intra domesticos parietes, quam in templis et in scholis ad christianam fidem, christianosque mores accurate informetur, et mature doceatur, qua ratione sibi ab insidiis tenebricosarum sectarum cavere debeat, ne si in earum laqueos inciderit, sit ipsi imposterum tam iniquis dominis maximo cum aeternae salutis et humanae dignitatis detrimento turpissime serviendum. Iuvenum incolumitati perbene consultum erit, si ex iis conflatae fuerint societates, quae a Beatissima Virgine aliove caelesti Patrono nomen sumpserint. In his coetibus veluti in palaestris, si praesertim iis praeficiantur Sacerdotes laicique homines sapientia et dexteritate praestantes, adolescentes animum sument virtutibus colendis, et religioni aperto ore, contemptis impiorum irrisionibus, profitendae, simulque assuescent horrere quidquid a catholica veritate et sanctitate alienum sit.

7.° Perutile etiam est, hinc patres, illinc matresfamilias fraterno foedere coniungere eum in finem, ut viribus unitis aeternae propriae sobolis saluti rectaeque institutioni aptius studere, et efficacius consulere possint. Plures huius generis consociationes huc illuc inductae sunt, sive de viris, sive de feminis agatur, quae Caelitis alicuius tutelae sese com-

miserunt, et laetissimos religionis ac pietatis fructus edunt.

8.° De *artificibus* autem et *operariis*, inter quos potissimum delectus haberi solet ab iis, quibus vel ipsa religionis et societatis fundamenta convellere propositum est, ponant sibi ante oculos Sacrorum Antistites prisca illa collegia fabrum, vel artificum universitates aut sodalitates, quae adscito sibi caelesti Patrono anteactis temporibus praeclaro fuerunt civitatibus ornamento, et artibus sive politioribus sive humilioribus incremento. Hos aliosque coetus ex iis etiam hominibus qui mercaturae negotiis vel humanioribus disciplinis sese dediderunt, iterum excitabunt, in quos qui coiverint religionis officia sedulo edocebuntur et obibunt, et una simul in humanis necessitatibus, quas ferre aut corporis aegritudo aut senium aut paupertas solet, mutuo sibi sint auxilio. Qui his coetibus praesunt, sedulo advigilabunt, ut socii morum probitate, operum affabre effingendorum peritia, laborum ferendorum docilitate et assiduitate maxime commendentur, quo facilius, quae ad vitam sunt necessaria, sibi parare queant. Nec detrectabunt iidem Antistites huiusmodi societatibus advigilare, leges proponere aut adprobare, gratiam divitum conciliare, patrocinio suo eas prosequi, ope iuvare.

9° Neque peculiarem eorum curam fugiet mirabilis illa *precum et operum societas*, quae nonnullis in locis nata, in aliis iam adolescere coepit. Curandum summo studio est, ut in hanc adscribantur quotquot recte de religione sentiunt. Nam cum ei propositum sit, generali quadam animorum consensione in universa qua late patet catholica Ecclesia, religionis ac pietatis opera fovere et amplificare, divinaeque indignationi placandae assidue studere, facile intelligitur quantae ea miseris hisce temporibus futura sit utilitati. Ex precandi autem formulis eam Episcopi commendabunt maxime, quae a Deiparae *Rosario* nomen habet, quamque tamquam praestantissimam amplissimis laudibus haud ita pridem Sanctissimus Dominus Noster prosequutus est et impensissime inculcavit. Inter opera vero pietatis ea eligant, quae obiri ab iis solent qui *tertium* S. Francisci *Ordinem* profitentur, inter quos sicut et inter sodales S. Vincentii a Paulo vel Marianos quo plures fieri poterit conscribendos curabunt, ut praeclarissima opera quae tanto cum catholici orbis plausu et animarum fructu ab iisdem peraguntur, latius in dies manent.

10.° Optimum denique factu esset, si ubi id locorum et personarum adiuncta siverint, catholicae scientiarum Academiae excitarentur, illique perutiles conventus seu *Congressus*, uti vocant, haberentur, ad quos unius vel plurium regionum lectissimi homines deputarentur, eosque praesentia sua Sacrorum Antistites honestare non dedignarentur, ut simul consilia rei catholicae provehendae sub eorum auspiciis iniri et quae tum huic tum publicae utilitatis magis conferunt, statui possent. — Neque abs re esset si, qui sibi provinciam depoposcerunt assiduis scriptis et lucubrationibus defendendi Dei et Ecclesiae iura, et recidendi novos qui in dies subolescunt errores et cavillationes, sociato agmine, Episcopis ducibus, dimicarent. Fieri enim non potest, quin, si vires omnes, quae vividae adhuc, Deo opitulante, in Ecclesia vigent valentque, in idem consenserint, uberrimi referantur fructus ad hodiernam hominum societatem ab exitiali iniquarum sectarum contagione vindicandam, et in Christi libertatem asserendam.

11.° Quae hactenus proposita sunt, haud ita facile optatum finem assequentur, nisi vires uniantur, ac proinde nisi Archiepiscopi cum suis Suffraganeis una consuluerint et statuerint, quid facto opus sit, ut Supremi Pastoris desideriis obsecundetur. Cuius, sicut et Supremae huiusce Congregationis in votis est, ut eorum singuli quantocius renuntient, et imposterum quoties statum describent dioeceseon, referre ne praetermittant, quid quisque vel singillatim vel una cum suis in Episcopatu collegis egerint, et quem exitum eorum studia sortita fuerint.

Datum Romae ex Cancellaria S. Officii die 10 Maii 1884.

Raphael Card. Monaco

—

S. CONGREGATIONIS INDICIS

DECRETUM

Feria VI die 9 Maii 1884.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 9 Maii 1884, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Der Vernunftstaat nach seinen Rechten und Pflichten, von Fr. Gaspar. — *Latine:* Status rationalis, eiusque iura et obligationes, auctore Fr. Gaspar. Luxemburgi, 1883.

Il Vaticano Regio, tarlo superstite della Chiesa Cattolica, per C. M. Curci. Firenze-Roma, 1883. *Decr. S. Off. Feria IV, die 30 Aprilis 1884.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 29 *Maii* 1884.

Fr. Thomas M. Card. Martinelli
Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri, Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 30 *Maii* 1884, *ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.*

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

—

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES DISPERSOS

INCITAMENTA SERAPHICA.

(Continuatio)

XVII.

De agendi ratione Regularium post violentam eorum expulsionem.

Quis non timuisset, attento statu utriusque cleri, quod maxima pars eorum in tam arduo naturae certamine cessisset sensibus timoris aut cupiditatis, et malam vel tepidam vitam deflendo terminasset schismate? Sed Deo sint laudes, qui cum iratus fuerit, misericordiae suae recordatus est (1), et propter præclara beneficia anteactis saeculis Ecclesiæ præstita (2), ministrorum suorum peccata pro merito noluit punire, neque eos penitus disperdere (3), quos potius, peioribus exceptis, in fide catholica constantes servare dignatus est, dum multis ex eis tantam tribuit fortitudinem, ut opprobria, carcerem, exilium et mortem ipsam pro Christi nomine gaudentes sustinere potuerint.

Hanc peculiarem Dei gratiam præsertim concessam fuisse sacerdotibus saecularibus scriptores catholici ultro testantur. Quamvis enim maioribus tentationibus et vexationibus fuerint expositi, et impiorum persecutio et crudelitas acrius in eos saevierint, eo quod Religiosi iam essent e claustris exturbati et dispersi, tamen longe maxima eorum pars fidelis in fide permansit, inter quos multi visi sunt, qui antea tepidam aut suspectam duxerant vitam.

Insignis huius constantiae praeclarum inprimis testimonium dederunt, dum anno 1790 decreta fuit sic dicta Constitutio civilis cleri Gallicani. Tunc enim ex 290 ecclesiasticis viris, qui in Congregatione Nationali sedebant, circa 70 tantum, inter quos duo episcopi, iuramentum civium praestiterunt; caeteri, non obstantibus saevis clamoribus et minis, praefatum iuramentum praestare recusarunt. Horum exemplum secuti

(1) Habacuc III — Esdrae IX-31.

(2) Quis illud dictum ignorat: *Gesta* Dei *per Francos?*

(3) IV. Reg. VIII. 19.

sunt episcopi in Provinciis, ita quidem ut e 135 episcopis Galliae quatuor tantum Constitutioni civili adhaeserint.

E clero secundi Ordinis multi quidem iuramentum praestiterunt, sed multo plures, imo maxima pars, illud recusarunt (1).

Episcopi autem et parochi non iurati, ut vocabantur, sacris functionibus interdicti, variisque iniuriis et violentiis, quae erant cruentissimae persecutionis praeludia, affecti sunt, atque in eorum locum improbi sacerdotes secundum praescriptas in nova Constitutione formas electi, ideoque Constitutionales dicti.

Fideles igitur isti CHRISTI ministri beneficiorum suorum ac bonorum temporalium iacturam potius facere praetulerunt, quam iniquo iuramento schismati adhaerere. Et quemadmodum ab initio se fortes et constantes ostenderunt in fidei confessione, ita, tota perdurante crudeli persecutione, ad annum scilicet 1801 quo initum fuit Concordatum, tot tantaque heroica fortitudinis exempla orbi Catholico dederunt, ut Pius PP. VII ea considerans dicere non dubitaverit, clerum Gallicanum, hac saeviente persecutione, denuo in Ecclesia honorificum locum obtinuisse quo praeteritis saeculis merito gloriabatur, coeloque plures martyres dedisse, quam caeterae simul Europae Nationes (2).

Non modo quam plurimi eorum carcerem, opprobria, diros cruciatus, deportationis aut mortis poenam forti animo sustinuerunt, sed tot insuper fuerunt qui patriam exules reliquerunt, fidei servandae causa, ut eorum numerus ad 50,000 circiter ascenderit. Hos autem divina PROVIDENTIA mirum in modum adiuvit et protexit. Cum enim Sanctissimus Dominus Pius VI pietate vere paterna et ineffabili zelo eos variarum nationum commiserationi commendasset, ubique maxima charitate fuerunt excepti, potissimum in Italia, in catholico Hispaniarum regno et in Anglia, ubi tot benevolentiae testimonia etiam ab ipsis haereticis acceperunt, ut merito credatur conversionem permultorum acatholicorum huic beneficentiae esse tribuendam.

His paucis de sacerdotibus saecularibus praemissis, quis fuerit agendi modus Religiosorum, dum violenter fuerunt e conventibus expulsi, breviter etiam dicemus.

Sicut triplex fuit genus Religiosorum qui coenobia inhabitabant, fervidorum scilicet, tepidorum et improborum, ita diversa fuit animi dispositio tempore expulsionis, diversaque agendi ratio, postquam fuerint e claustris exturbati.

Ad fervidos quod attinet, qui nihil sibi CHRISTO charius aestimantes, ad difficilia quaeque erant propter Ipsum aequanimiter perferenda parati, quique in amore et servitio DEI omnem suam constituebant felicitatem, hi suam expulsionem tanquam crudelem eiectionem e quodam paradiso voluptatis considerabant: quapropter nonnisi gemendo et flendo sacrum suum relinquebant coenobium, unice anhelantes ut ad illud aliquando possent redire.

Si de tepidis agatur, qui ardua et austera sanctitatis studia fugiebant, et, levia tantum exercitia assumentes, laxam et exteriorem vitam servabant, cum tales aegre religionis iugum portabant, non tanta tristitia fuerunt affecti dum expellerentur e conventibus, nisi forsan ob avulsionem a terrenis quibusdam bonis et oblectamentis, vel propter aliquem timorem non conquirendi necessaria ad vitam; animae etiam pericula quibus exponerentur ignorare et non timere haud poterant.

Improbi tandem et discoli Religiosi, qui nec vota nec Regulae praecepta servabant et mores religiosos penitus iam exuerant, quique propterea conventum uti carcerem habebant, non laetari nequibant dum essent expulsi, et potius se vinculis ferreis liberatos existimabant, ut genio, concupiscentiis et vitiis laxare possent habenas.

Hi fuerunt variorum Religiosorum sensus tempore utriusque expulsionis. Ut autem intelligatur quis fuerit eorum agendi modus postquam fuerint e coenobiis exturbati, adver-

(1) Postquam Pius VI hoc civium iuramentum damnasset, multi ad meliorem mentem redierunt, sed maior tamen pars Constitutionalium episcoporum et parochorum in schismate perrexit.

(2) Cfr. Jager, *Histoire de l'Eglise de France pendant la Révolution,* in cuius operis fronte relatum dictum Pii VII sequenti modo idiomate Gallico recensetur: « Le clergé Gallican a conquis de nouveau dans l'Eglise pendant la révolution la place éminente qu'elle possédait aux anciens temps: il a fourni au Ciel plus de martyrs que tout le reste de l'Europe ensemble ». (*Paroles de Pie VII.*)

tendum est, priorem suppressionem, per commissarios regios factam et de qua iam locuti sumus, fuisse tantum partialem; ita ut alii remanerent in Provinciis conventus, ad quos se recipere possent et deberent Religiosi dispersi.

Ad hoc enim tum ipsa natura votorum et Regulae professae, tum Superiorum et ipsius Ecclesiae Capitis mandata eos graviter adstringebant.

Sicut nostris temporibus Pius IX et Leo XIII Religiosis suppressis normam vivendi dederunt suis obligationibus conformem, ita Pius VI summa sollicitudine eorum incolumitati voluit providere, et quidem anno 1782 ad Episcopum Brunensium litteras dirigendo in quibus sequentia mandavit:

1. « Curandum imprimis est, ut omnes in vocatione sua permaneant, ideoque in alio vel proprii vel alterius Instituti monasterio se recipiant, ubi vota solemnia quibus vitam Deo consecrarunt, rite recteque persolvant.

2. « Si forte cuipiam accidat, ut Receptorem sibi nequeat invenire, *in hoc tantum infortunio* sinimus eum tamdiu in statu presbyteri saecularis permanere, quamdiu ita vivere *sola necessitate cogetur*.

3. « Sed quisque debet versari in saeculo, memor vocationis suae, eiusque tenax disciplinae et vitae regularis, cui se pridem adscripserit, vota solemnia, quae semper firma semperque immota permanebunt, custodiat et servet.

« Sacrilegium profecto esset, si quid a purissima castitatis obligatione detraheretur. Studio etiam paupertatis, quantum pro nova vivendi ratione fas erit, omnes addicti sint, ut fallaci terrestrium cupiditate immunem laetumque animum prae se ferant. Obedientiam quoque praestent Episcopo, et sub veste signum aliquod gerant regularis professionis, ne ex hac revera exisse videantur (1). »

(1) Ita pariter, post generalem Ordinum Regularium suppressionem, in Epistola Encyclica Romae data 26 Januarii 1793, qua generalis norma per omnem statum Pontificium edicitur observanda relate ad ecclesiasticos Gallos tam saeculares quam regulares, qui eo emigrarant, haec quoad Regulares inter alia statuit Pius VI:

« Quemadmodum praefixa iam lex est, ut omnes Regulares qui ex Gallia migrarunt, ad monasteria vel conventus se referant eorum Ordinum quos ipsi professi sunt; idcirco operam dent Archiepiscopi et Episcopi, ut re cum Superioribus singulorum Ordinum communicata, id sollicite servetur perfecteque, si quis forte, qui nondum obsecundasset, in eorum dioecesibus reperiretur. »

Hisce gravibus verbis de suis obligationibus Religiosos suppressos monendos duxit Pius PP. VI. Hoc tamen stimulo minime indigebant fervidi Religiosi, qui nihil potius habebant quam ad aliud coenobium convolare, in quo vota sua solemnia persolvere et in perfectionis studio vitam suam læte secureque possent impendere.

Quod ad tepidos attinet, non eadem fuit omnium agendi ratio: alii enim salutis suae non penitus incuriosi, novissimorum timore perterriti et potissimum gratia Dei tacti, vim sibi intulerunt et alium petierunt sui Ordinis conventum; dum alii divinæ gratiæ resistentes, tepida sua vita debiles facti, vano prætextu in saeculo manserunt, cupiditate, inordinato amore parentum aut sensualitate ut plurimum allecti.

Quae fuerit eorum extra claustra conversatio facile conjectari licet, cum graves obligationes sui status negligebant et proinde extra viam salutis non immerito censendi sunt vagasse.

Improbi tandem et discoli qui iam in ipso coenobio perverso suo agendi modo tanquam apostatae vivebant, ad illud minime redierunt, sed, in medio mundo pravo atque corrupto constituti, in abyssum iniquitatis brevi corruerunt.

Talis fuit Regularium conditio tempore prioris suppressionis usque ad annum 1790, quo fuerunt omnes iniquo decreto e coenobiis expulsi. Tunc autem magis apparuit distinctio Religiosorum, magisque innotuit, ad quantam pravitatem permulti devenerint.

Omnes historiographi catholici, quamvis Regularibus minime essent adversi, uti Rohrbacher et Barruel (1), fateri coguntur, magnum fuisse numerum Religiosorum qui, dum schismatica ecclesia per Constitutionem civilem cleri esset stabilita, ab unitate catholica defecerunt et iniquum iuramentum praestite-

(1) Histoire du clergé pendant la Révolution française.

runt, ut beneficia a fidelibus sacerdotibus derelicta possent occupare.

Hi filii perditionis pro maiori quidem parte erant ex Institutis regularibus magis relaxatis, sed tamen etiam ex aliorum Ordinum religiosis, qui iam suppressi vitiis indulgebant in saeculo, aut sine sufficienti ratione a Superioribus probata ante annum 1790 extra monasterium vivebant, vel qui, dum generalis supervenit suppressio, obligationes suas monasticas penitus negligebant et ad saeculum redire anhelabant.

Quamvis nec inter illos defuerunt qui tantae iniquitatis horrore perterriti, peculiari Dei gratia et misericordia ad meliorem mentem redierunt et peccata sua amare deflerunt, videtur tamen, e clero regulari pauciores fuisse, proportione servata, quam e saeculari qui vera poenitentiae signa illis temporibus dederunt et culpabilem vitam heroica fidelitate eluerunt. Nec mirum hoc videbitur, si consideretur pessimam esse corruptionem optimi, perversos difficile corrigi, et qui maioribus abusi sunt gratiis, earum subtractione ut plurimum puniri. Nullam enim poenam in sacris Paginis per Moysen et Prophetas saepius interminatur Deus, quam hanc gratiae subtractionem iis qui maioribus abusi sunt donis. Unde etiam Salvator noster hoc innuens exclamavit dicens: *Vae tibi, Corozaim, vae tibi, Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.* (Matth. xi. 21.)

Quid autem dicemus de tot tepidis Religiosis tunc temporis suppressis? Ex illorum certe numero non defuerunt qui turpis lucri gratia schismaticae adhaeserunt Constitutioni; sed putandum est, maximam eorum partem misericordia Dei tunc temporis constantes in fide permansisse, et fugiendo aut latitando apostasiam vitare potuisse. Verum dum anno 1795 a ministris cultus iuramentum odii in regiam maiestatem exigeretur, cum illud, ante Pii VI declarationem, non omnibus illicitum videbatur, tunc non pauci ex tepidis Religiosis, illud cum scandalo fidelium praestiterunt sive metu sive aliis praetextibus moti. Et hoc ipsum infeliciter visum est in Provinciis suppressis aliorum regnorum, quae armis Francorum fuerunt subacta, et ubi sacerdotes ad praestandum iuramentum pariter fuerunt compulsi, et persecutio in recusantes instaurata.

Cessante vero persecutione, sed suppressis manentibus Regularium Provinciis, tepidi Religiosi, vagantes in saeculo, sensualem, otiosam aut solis exterioribus deditam vitam, ut plurimum, ducere perrexerunt, in magnum Ecclesiae et Ordinis sui detrimentum. Adeo verum est quod scribit S. Bernardus ad Abbatem Fontanum, Epist. 96: *Multo facilius reperies multos saeculares converti ad bonum, quam unum quempiam de tepidis Religiosis transire in melius.*

Ast inter tot lamentabiles defectiones et scandala, atque inter tot spiritualis torporis exempla lugenda, ubique apparuerunt, sicut luminaria coelestia, veri et ferventes Religiosi, qui memores suae sanctae vocationis, solemnia vota et Regulae suae praecepta, in quantum fas erat, fideliter servabant. Tales constantes in fide permanserunt, non modo prudentiae causa latendo ut defectionis periculum vitarent, sed etiam palam et audacter religionis hostibus sese uti murum opponendo, fideique causam strenue defendendo: propter quod etiam varii eorum carcerem aut mortem laeti subierunt, ut praeclarissimis ostenditur testimoniis et exemplis.

Multi ex his qui, cum degebant in coenobio, ministerium sacrum magno cum zelo exercebant, etiam saeviente persecutione seipsos impenderunt et superimpenderunt pro salute animarum. Dum omnis cultus catholicus per varios annos esset prohibitus, occulte in latebris, intempesta nocte, saepe cum libertatis ac vitae ipsius discrimine, visi sunt sacris indefesse operari, ac fidelium necessitatibus spiritualibus intrepide succurrere. *Circumierunt*, ut Apostoli verbis utamur, *in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.* (Hebr. xi-37.)

Et quidem Ordo noster seraphicus merito gloriari potest quod tot huius generis apostolos et fidei confessores habuerit, ex illis potissimum Provinciis, quae in Regulae observantia fideles permanserant (1). Tantus fuit

(1) Ne credas, omnes Religiosos, qui ex Observantia Regulari coacti fuerunt ad Conventuales transire, a perfecta Regulae observantia aut a spiritu seraphico deflexisse. Quod multi ex eis constantes et fideles in puritate Regulae sectanda permanserint, satis

eorum numerus non modo in Gallia, sed ubicumque haec persecutio cum Ordinum Regularium suppressione extendebatur, ut multa librorum volumina possent impleri, si gloriosa et heroica eorum gesta scripto fuissent posteritati mandata.

Ast non modo saeviente dira persecutione, verum etiam post eam, sed suppressis manentibus Religiosis, ferventes Ordinis nostri alumni in summa ubique veneratione sunt habiti, muneribus magni momenti non raro ipsis concrediti Ecclesiae fuerunt perutiles, et exemplo, verbo vel opere uberrimos in vinea DOMINI salutis fructus retulerunt.

Dum spiritu seraphico repleti propriae perfectioni et aliorum saluti sic toti essent intenti, pristinae suae conversationis in vita coenobitica iugiter recordabantur, et orando ac gemendo optatum expectabant diem, quo captivitatem suam relinquere et ad sanctam suam Jerusalem, ad dilectum scilicet Conventum, iubilantes possent redire.

Verum misericors DOMINUS inscrutabili sua sapientia omnium votis non iudicavit aequaliter obtemperandum. In Gallia enim Ordo seraphicus reviviscere non potuit, nisi dum omnes fere eius alumni e vivis essent sublati. Hinc DEUS ex alienis Provinciis zelosos ad eam misit Religiosos qui conventus instaurarent et in perfecta stabilirent observantia. Et quidem ut familiam Observantium ad vitam revocaret, destinavit Venerabilem Patrem Iosephum Areso, Hispanum, altissimae paupertatis amantissimum et zelosissimum virum, qui in fama sanctitatis vixit atque decessit, et quinque coenobiis erectis novam Provinciam titulo S. Ludovici, restaurari curavit, in qua seraphica paupertas, orationis spiritus et zelus apostolicus prae caeteris eluxerunt. Ad Reformatorum autem vivendi modum instaurandum (qui Recollecti in Gallia vocantur) a Rmo Patre Ministro Generali mandatum cum benedictione seraphica accepit R. A. P. Benignus a Vallebona, ex-Definitor Generalis, qui zelo et prudentia magnas difficultates superavit, donec conventus ab ipso erecti et Custodiae Niciensi uniti renovatam S. Bernardini Provinciam efformarent (1).

Quod ad Provincias spectat, quae in aliis quibusdam regnis occasione perturbationis Gallicanae fuerunt suppressae, citius quidem data fuit opportunitas eas repristinandi; sed ita tamen ut pauci remanerent Fratres superstites antiquae familiae. Ut has DEUS ad vitam vere seraphicam revocaret, infinita sua misericordia ordinarie sibi servavit alumnos eiusdem Provinciae zelo et pietate conspicuos, qui, sicut Nehemias qui muros Ierusalem post *captivitatem* Babylonicam instauravit *et perfectam* legis Mosaicae observantiam *simul restituit*, (2) ita etiam non modo aedificia conventuum extruxerunt, sed in eis potissimum perfectum DEI cultum, puram scilicet Regulae observantiam singulari studio stabilire conati sunt.

Quidni talibus viris acceptum referre debent variae familiae religiosae? Non precibus tantum et poenitentiis, exemplum imitati Nehemiae, instaurationem conventuum obtinuerunt, sed, ut veri filii S. Francisci, id praesertim effecerunt ut spiritus seraphicus perfecto modo in eis eluceret. Iugiter enim antiquas Religiosorum transgressiones et iusta DEI flagella mente volvebant, eaque suis fratribus saepius exponebant, ut eorum animos incitarent ad abusus quosvis excludendos et ad perfectam Regulae observantiam semper zelandam, quam quidem exemplo simul et verbo promovebant.

Quanto autem cum successu id perfecerint, testatum videmus in Chronicis variarum Provinciarum, quarum felici instaurationi aliquo modo applicari possunt haec verba *Imitationis Christi,* LIBR. I. CAP. XVIII: « O quantus fervor omnium Religiosorum, in principio suae sanctae institutionis fuit! O quanta devotio orationis! quanta aemulatio virtutis! Quam

constat ex numero confessorum et martyrum quos haec Familia dedit Ecclesiae in perturbatione Gallicana. Hic tamen semel pro semper declarant scriptores Actorum Ordinis Minorum, se omnimodam profiteri observantiam Decreti Inquisitionis anni 1625, modificati ab Urbano VIII anno 1625, allegando sanctitatem, martyrium et similia a S. Sede nondum approbata.

(1) Hae duae Provinciae, S. Ludovici nempe et S. Bernardini, iterum suppressae decretis 28 Martii 1880 in Anglia praesertim nova coenobia aperiunt.

(2) Cfr. Librum Nehemiae, qui et secundus Esdrae dicitur, in quo perutilia ad nostram instructionem habentur. Continet enim instaurationem Ierosolymorum, correctionem reducis populi, et labentis DEI cultus renovationem.

magna disciplina viguit! Quanta reverentia et obedientia sub regula magistri, in omnibus effloruit. » Addi posset pro Ordine nostro: Quanta paupertas in omnibus apparuit! Quanta humilitas atque simplicitas!

Felices sane Provinciae, quae tales habuerunt observantiae regularis et seraphici spiritus promotores! Feliciores autem, si quod hi sancti viri aedificarunt, in suo decore conservare potuerunt et non adulterarunt abusibus aut relaxationibus introductis! Ipsi enim a suo tumulo cum Apostolo ad nos clamare videntur: « Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superaedificat. Unusquisque autem videat quomodo superaedificet. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. » (I. Corinth. III, 10-11-12.)

(Continuabitur)

—

ERECTIO CONVENTUS S. LEONIS

PROPE FLORENTIAM

Munificentia Summi Pontificis Leonis XIII, ad finem vergente iam elapso anno 1883, fundatum est prope Florentiam Franciscale Coenobium, in quo iussu Sanctitatis suae, Adm. R. P. Marcellinus a Civetia, Definitor Generalis Ordinis, quibusdam operibus historicis imcumberet ad Ecclesiae libertatem tuendam intentis. Favente Dei Providentia, res ad felicem exitum devenit, ac die I Maii decurrentis anni 1884, novi Coenobii sacellum recens erectum divino cultui dedicatum est, in honorem S. Leonis Magni Summi Pontificis, ab Archiepiscopo Senensis dioecesis, qui solemnis diei memoriam eleganti inscriptione perennem reddidit. Epigraphen hic subducere operae pretium et Confratibus gratum iudicamus:

ANNO . MDCCCLXXXIV.
AD . MEMORIAM . AVSPICATISSIMI . DIEI
CALENDIS . MENSIS . MARIANI
QUO . DIE . IMPLORATA . REGINAE . CAELESTIVM . OPE
SACELLVM . RITE . EXPIATUR
AB . INCHOATO . ADSTRVCTVM . VILLAE . PROPE . FLO-(RENTIAM
IN . QVOIVS . AEDIBVS . FAMILIA . FRANCISCALIVM . (VET . OBS.
CVSTOS . DISCIPLINAE . PATRIS
BONISQVE . STVDIIS . ADDICTA
MONITV . ET . LARGITATE . LEONIS . XIII . PONT . MAX.
NOVVM . SIBI . COLLEGIVM
SALVBRITATE . AMOENITATE . LOCIQ . SOLITVDINE
AD . ANIMORVM . REQVIETEM . ET . STVDIORVM . EXERCI-(TATIONES
PERIDONEVM
CONSTITVENDVM . CVRAT
QVAM . OB . REM . SODALES . FRANCISCALES
GRATI . ANIMI . ERGO
IN . PONTIFICEM . MVNIFICVM . PATRONVMQ . INDVLGEN-(TISSIMVM
SACELLVM . S . S . ET . NOMINE . EIVS
HONORI . S . LEONIS . COGNOMENTO . MAGNI
LAETI . LVBENTES . DEDICAVERVNT

Ioannes Pierallini
Archiepiscopus Senensium scrib.

—

MONITUM

In Constitutionibus Ordinis, ex sancitis in Capitulis generalibus Romae 1664 et Victoriae anni 1694, de Procuratoribus generalibus ita cautum est:

« Ad eos respective spectat omnia Ordinis negotia quae in Romana Curia tractanda sunt, sollicite ac diligenter expedire... « Neque Ministris Provincialibus, vel cuiquam « particulari Religioso Procuratores saeculares « instituere liceat pro negotiis Provinciarum « vel aliis particularibus in eadem Curia tractandis, sub poena privationis vocis activae « et passivae.... »

Ad huius Statuti observantiam ab omnibus servandam, monentur sive superiores sive subditi Religiosi, ne unquam recurrant ad agentes saeculares, quoties pontificias facultates vel Rescripta a Sacris Congregationibus obtinere desiderant, sed respective scribant Observantes: *Adm. R. Patri Procuratori Generali Ordinis;* Reformati: *Adm. R. Patri Procuratori Reformatorum*, Recollecti tandem ac Discalceati *Adm. R. P. Procuratori Recollectorum et Discalceatorum.*

Quando enim supplices exhibentur preces per agentes saeculares, inutiliter teritur tempus, quum respectivo Procuratori ad informationes et votum habenda Sacrae Congregationes supplices libellos remittant. Quinimo, recurrendo ad respectivum Procuratorem Generalem, non solum vitatur periculum ea revelandi quae in Ordine secreta remanere debent, sed insuper valde minuuntur expensae; nam plerumque, sub praetextu extraordinarii laboris, agentes saeculares lucrum quaerentes summam exigunt ultra taxam a Congregatiotionibus statutam.

III.
MISSIONES

—

COMMISSARIUS TERRAE SANCTAE
in Bolivia

R. Pater Ioseph Uriburu, Missionarius Apostolici Collegii S. Annae de Sucre, in Bolivia, electus fuit Commissarius Terrae Sanctae pro Republica Boliviana.

—

MISSIONES APUD INDIANOS
in Statibus foederatis Americae septentrionalis.

Anno 1878 Rmus D. Episcopus M. Marty Superiores Recoll. Provinciae Ss. Cordis Iesu rogavit, ut subvenirent pauperibus Indianis in septentrionali regione Statuum foederatorum Americae dispersis atque derelictis. Superiores piis istis votis satisfacturi duos Patres et duos Fratres laicos ad regionem Indianorum destinarunt, qui cum benedictione divina et laeto animo hoc laboriosum et caritativum opus aggressi sunt et pedem fixerunt in loco *Bayfield*, in statu *Wisconsin*, intra limites dioecesis *La Crosse*. Numerosi Indiani, qui ibi habitant, vocantur *Chippewa*. Sequenti anno tertius Pater eiusdem Provinciae ad istam Missionem profectus est. Dominus messis magna operariorum suorum sacrificia benigne excepit illisque clementer benedixit.

Anno vix elapso Rmus D. Episcopus dioecesis *Green-Bay* in statu *Wisconsin*, videns supradictae Missionis felicem progressum, praefatae Provinciae novam obtulit Missionem apud Indianos, quos *Menominee* vocant. Pro qua Missione in Capitulo Provinciae anno 1880 designati sunt duo Patres, qui in civitate *Keshina* residentiam suam erexerunt. Anno 1882 dicta Provincia tertiam incepit Missionem apud *Chippewa* Indianos, qui habitant ad lacum superiorem prope civitatem *Superior-City* dictam et ad dioecesim *La Crosse* pertinentem. Patribus huius Missionis etiam concredita fuit cura animarum apud Indianos in orientali parte status *Minnesota* degentes.

Patres Missionarii non solum conversioni Indianorum incumbunt, sed etiam magna sollicitudine instructionem et educationem iuventutis promovere student. Hunc in finem decursu quinque annorum octo scholas catholicas erexerunt, quibus Sorores diversarum Congregationum religiosarum inserviunt; scilicet anno 1879 in *Bayfield;* 1880 in *La Pointe* in insula Magdalenae; 1881 in reservatione *Buffalo-Bay;* 1881 in *Shawano;* 1882 in *Ashland;* 1883 in reservatione *Bad-River*; 1883 in *Superior-City;* 1883 in *Keshina.*

Istae scholae fundatae sunt ex eleemosynis, gubernio nullam subventionem praestante immo fundationem subinde impediente. Missionarii publicum examen discipulorum instituerunt coram gubernii commissariis, qui non parum admirati sunt puerorum et puellarum in scientiis progressum. Postquam accurata relatio de statu istarum scholarum ad Ministerium confoederationis in *Washington* transmissa fuerat, Minister dedit Rescriptum Patribus maxime favorabile, in quo inter alia dixit: « Labores Missionariorum catholicorum in educandis Indianis gloriosum esse capitulum nostrae historiae nondum scriptae ». Ab eo tempore gubernium aliquam subventionem Patribus praestat ad scholas sustentandas.

Missio in *Keshina* nuper magnam iacturam passa est. Nam die 22 Februarii a. c. ecclesia et schola igne consumptae sunt. Speramus autem fore, ut pii benefactores Patribus succurrant, ita ut ecclesiam ac scholam denuo erigere valeant ad gloriam Dei et pauperum Indianorum salutem.

Sperare possumus, fore, ut in istis Missionibus pauperes Franciscani, auxiliante Domino pauperibus Indianis quasi semper iniuste trac-

tatis viam praeparent non solum ad salutem consequendam, sed etiam ad veram civilisationem addiscendam et aequitatem atque iustitiam coram gubernio inveniendam.

MISSIONES BOLIVIANAE

Tenacissima persecutio quae annis transactis acerrime debacchabatur contra Missiones Ciriguanorum Parapiti-Maioris, propter malitiam pseudo-christianorum, et Missionariorum Franciscalium innocentia ac Missionum profectus manifeste patent, ex quadam relatione ad supremum Bolivianae Reipublicae Gubernium directa, quam desumimus ex egregio folio *El Cruzado*, catholica ephemeride a clarissimo P. nostro Esquiù, (1) quem e vivis demptum adhuc lugemus, olim fundata. Haec documenta, licet a pluribus annis scripta, in *Actis* edere originali idiomate perutile iudicamus.

Iulio, 10 de 1879.

El apostolado es la continuacion de la grande obra de Jesucristo civilizadora del mundo; per lo mismo es tarea á que se oponen toda clase de crueles enemigos ya sea visibles ó invisibles, y que tropieza con mil dificultades y contradicciones. El Hijo de Dios declaró que no traía al mundo la paz, sino la espada, esto es la guerra de la justicia contra la iniquidad, de la verdad contra el error y de la virtud contra al vicio. De esta guerra resultará la verdadera paz á los hombres de buena voluntad. En vano pues se prometeria paz y tranquilidad en sus tareas un misionero apostólico, que tiene que resignarse indispensablemente á las mismas penalidades de los apóstoles desde que se lanza al mismo terreno.

Con esta íntima conviccion van prevenidos los Padres de Propaganda Fide á predicar el Evangelio de Jesucristo entre los bárbaros de nuestras fronteras — *sicut oves inter lupos* — toda vez que tienen que intimar la guerra al error, al vicio, á las pasiones brutales del hijo del desierto, del hombre que vive en las tinieblas y en la sombra de la muerte. Antes de plantar el estandarte de la Cruz sobre los escombros del imperio de las potestades del infierno, la lucha tiene que ser constante, tenaz, dura; como que sin el sacrificio no se consigue la victoria asi como no se cogen rosas sino entre espinas. De todo esto está prevenido el ministro del evangélio.

Pero lo que le sorprende verdaderamente y lo que no puede menos que acongojar su alma, es encontrar hostiles á aquellos mismos de quienes con justa razon esperaba apoyo y auxilio. ¿Quien habia de pensar en efecto, que los cristianos, lejos de cooperar con su ejemplo é influjo á la conversion de los infieles, trabajarian incansablemente en impedirla, á fin de procurarse abusivos lucros, anteponiendo así sus intereses mezquinos á la difusion del Evangelio, á la salud de tantas almas, á la dilatacion del imperio de Jesucristo, al engrandecimiento de la República.

Dirijamos una mirada al oriente de nuestra república, y encontraremos en la provincia de Cordillera la prueba palpitante de que es una triste realidad lo que anunciamos: hay allá cristianos de solo nombre, que dominados de la codicia, trabajan en apoderarse arbitrariamente de los terrenos y brazos de las tribus salvajes, y para lograr su intento, ora ponen en conflagracion á la parte mas corrompida de esas tribus, contra el ministro apostólico, ora obligan á otros muchos á retirarse á los bosques mas remotos, sin esperanza de que puedan abrir los ojos á la luz de la fé.

El P. Conversor que solo mira al bienestar espiritual y temporal de aquellos infelices indios, no puede ménos que ser un obstáculo á las tropelias y torpes manejos de los que abusando de la debilidad de los bárbaros indefensos, quieren tratarlos como á esclavos, aprovecharse de su sudor, engañarlos en su salario corromperlos con el uso de bebidas alcóholicas y con atentados contra el pudor. Ved aquí el orígen de la oposicion y de las calumnias que se hacen á los Padres misioneros. Si los indigenas resisten á sus espoliadores, se traduce esa resistencia tan justa como una conspiracion: si huyen de sus tiranuelos, se les trata de insurrectos, y de un modo ú otro, se les declara guerra, se les dá caza, y se les toma como á verdaderos esclavos.

Tal es el cuadro de lo que pasa hoy en la frontera oriental de Bolivia.

(1) Cfr. *Acta* anni 1883, pag. 87.

Tan triste situacion era propia para desalentar y arredrar á los Padres misioneros de Potosí en la fundacion de las misiones de Parapeti-grande, Igüembi y Guacaya, ó para hacer que las abandonasen luego de fundadas, para dedicarse mas bien con mejor provecho al servicio espiritual de los buenos católicos en el interior de la República, donde no están de sobra los obreros evangélicos. Sin embargo, confiados en la proteccion y garantia del Supremo Gobierno, se decidieron á acometer una obra á la vez eminentemente religiosa y altamente patriótica, como que dilatando el imperio de la cruz, estendia tambien la luz de la civilizacion y ensançhaba el horizonte del patrio suelo. Pero los trabajos del misionero apreciados aun por los mismos incrédulos, ya que nó por su aspecto religioso, siquiera por el lado huhumanitario y civilizador: esos trabajos que si consumen las fuerzas y la vida sin brillo y sin lustre entre hordas bárbaras, son sin embargo justamente apreciados aun por la civilizacion del hombre mas vulgar, han sido entre tanto no solo desconocidos, sino resistidos y calumniados por los que llevando en aquellas apartadas regiones el nombre de cristianos, no tienen otra religion que la del proprio interés.

Los Padres misioneros vieron desvanecerse sus esperanzas en el Parapeti-grande. Los vecinos de Cordillera para impedir la llegada de los misioneros persiguieron al gran Capitan Juan Manuel Chituri, calumniandole de alzamiento, tan solo porque veian en él un baluarte para las misiones. En seguida emplearon todos los medios de hostilizarlas para lograr su destruccion completa.

Para el efecto dos corifeos (por desgracia el uno eclesiástico) con amaños se erijieron en autoridades supremas, dominaron á los blancos y á los indigenas, ganaron á los bárbaros mas rebeldes y malhechores, de los que hicieron sus instrumentos para sembrar la discordia entre los neófitos, é inspirar desconfianza en los Padres misioneros, desprestijiando á estos y cohechando á aquellos. Así lo hicieron repetidas veces y en distintas épocas, hasta consumar la conspiracion en la noche de san Francisco Solano en 1876, segun aparece por la unánime deposicion de los capitanes de ambas misiones.

Á fines del año pasado, aprovechando de la ausencia del P. Prefecto de misiones, hicieron llamar con sus satélites á todos los capitanes, á quienes debian los encargados sobornar con amenazas y aun con la fuerza, si se resistian. Luego les dieron noticias alarmantes y calumniosas respecto del fin que los misioneros se proponian, procurando con tales supercherias inspirar odio hacia los Padres, y sujiriendoles que presentandose á la Prefectura del departamento reclamasen el ser asistidos por un clérigo. Con tal propósito les pusieron en las manos un escrito lleno de las mas negras calumnias y recriminaciones contra los Padres, que no tenian otra culpa que *el imperdonable* y antiguo crímen de *todo misionero* de Jesucristo, que es condenar los vicios con libertad evangélica.

El artículo 6 del Reglamento de misiones, encarga á las autoridades la tuicion *de las misiones*, prohibiendo toda ingerencia estraña que no sea encaminada á este fin. Pues bien, contra el espíritu y el tenor mismo de esta ley, se ha interpretado este artículo en favor de los bárbaros rebeldes y de los mañosos impíos de la Cordillera que los escitan á la rebelion; en consecuencia las autoridades, no obstante su incompetencia, han ordenado se tomen declaraciones á los mismos neófitos que hacen de acusadores inconcientes de las calumnias fraguadas por los que sin temor de Dios ni de los hombres, esplotan la sencillez y credulidad de los indios, para despues avasallarlos. Ya se puede calcular todo el desórden que acarrea semejante medida, conociendo la estupidez é ignorancia de los rebeldes, la astucia y amaños de sus ajitadores, la ausencia de toda nocion moral en unos y otros, los fines interesados que con tenaz persistencia se proponen los últimos. Así el artículo 6, dictado para protejer las misiones, ha venido á convertirse en arma para destruirlas, merced á la interpretacion dada por las autoridades.

De manera que hoy los néofitos de aquella provincia, por notas oficiales estan declarados libres de abandonar sus misiones y de andar vagando por donde quieran, con clásica infraccion del 2°. articulo del Reglamento de misiones que tiene fuerza de ley, como que se halla aprobado no solo por la autoridad ecle-

siástica, sino aun por la Asamblea constituyente de 1871. Hablando del precitado Reglamento el Ministerio fiscal de la República en su Informe, decia que contenia con justicia: « el auxilio y asistencia de las autoridades locales para todo lo relativo á la conservacion, aumento y bien de las misiones; las esenciones y franquicias que puede y debe darseles; *la tutela en que es preciso mantener á los neófitos por su natural rudeza y falta de discrecion, la independencia y libre accion que conviene garantizar á los Padres Conversores para el mejor desempeño de su ministerio, etc.* » Todo esto ha venido á ser hoy una fábula, una irrision. Se ha conculcado el Reglamento de misiones, y se han desobedecido las órdenes terminantes del Sr. Coronel D. J. Ávila, que con delegacion competente fué á informarse personalmente de la verdad de lo que pasaba, y pudo apreciar por sí mismo las mentiras y calumnias que contenia el reclamo. Las cosas han llegado al extremo que el P. Ceno para su sustento se ha visto obligado á mendigar el maiz de sus mismos neófitos. Los bárbaros rebeldes se hallan plenamente protejidos y amparados: la mayor parte de los novecientos niños bautizados, han sido sustraidos de la vigilancia de los Padres Conversores, porque las madres de aquellos han huido en fuerza de las intrigas que se han puesto en juego; y los Padres misioneros se ven colocados en humillante y vergonzosa berlina, y á discrecion de las autoridades locales, que en tan remotas regiones hacen uso de la autocracia del Emperador de las Rusias, para tiznar el honor sacerdotal y promover ridículas farzas de plebiscitos contra los misioneros.

¿Puede tolerarse todo esto por mas tiempo? ¿Habria podido creerse jamas que en tierra de católicos, hubiese un triste rincon donde los misioneros fuesen así tratados? Pero nó! los que eso hacen, no son, no pueden ser cristianos son seudo-cristianos; no son ni siquiera hombres, á lo menos no parecen serlo, no se guian ni aun por las luces de la razon. Bien está que no se reconozcan los servicios de los misioneros, que no se considere su abnegacion, sus trabajos y fatigas, pero siquiera por el amor patrio no se les estorve el difundir la civilizacion entre pueblos bárbaros; no se les persiga con la calumnia, hágaseles justicia.

Ya se ve ¿qué entienden de justicia, ni de civilizacion ni de amor patrio los promotores de la rebelion? Si pueden aprovecharse de los brazos de los infelices salvajes, si pueden hacerlos servir á sus intereses, si pueden dominarlos, corromperlos y explotarlos, ¿que les importa el que jamas conozcan á JESUCRISTO? ¿que les importa el que eternamente vivan en la barbarie? ¿que mal puede acarrearles el que nuestro Oriente permanzca inculto y desierto? ¿que perjuicio recibirán de que todos los problemas encerrados en nuestro Oriente queden sin resolverse por dos ó tres siglos?

Pero bien! nosotros no hemos tomado la pluma para persuadir á esas gentes rudas, ni para hacerles conocer su criminal conducta. Ellos mejor que nadie conocen toda la injusticia de su proceder. No escribimos pues para ellos, sino para denunciar á la faz de la nacion entera lo que está pasando en nuestro Oriente, para llamar la atencion del Supremo Gobierno, de las demas autoridades y de todo hombre bien intencionado.

Hace pocos dias que se ha encontrado entre nosotros el R. P. Fr. Estanislao Simoneti, Prefecto de Misiones, que ha emprendido tan largo viaje para entablar sus reclamos y ver modo de remediar la persecucion que se desencadena sobre la mision del Parapeti-grande. Segun entendemos, pretendia que fuera allá un delegado del Gobierno que pudiese informarse personalmente de todo. Ignoramos si lo ha conseguido. Lo que sabemos es que está resuelto á abandonar finalmente aquella mision si nada alcanza con sus reclamos; y hará bien desde que los sudores y fatigas de los misioneros vengan á ser completamente estériles.

No pedimos pues favor para los misioneros, sino justicia. ¿La alcanzaremos? ó habremos azotado el viento?

La religion, la difusion de la luz del Evangelio, están comprometidas en este asunto; ¿nos cruzaremos de brazos?

Se trata de conquistar para la civilizacion á pueblos, digamos mejor á hordas salvajes. ¿Seremos indiferentes? y preconizaremos el progreso?

Nuestro porvenir está en el Oriente, lo repetimos todos los dias: y cuando mezquinos intereses suscitan obstáculos que nos impiden el paso à nuestro Oriente, cuando rudas pasiones nos cierran las puertas del porvenir ¿nos encogeremos de hombros? Dejaremos aislados y sin apoyo á los Obreros que nos abren la senda hacia nuestras grandes vias fluviales? ni aun nos dignaremos escucharlos? En tal caso merecemos el nombre antonomástico de patriotas por idéntica razon con que al romano Escipion se le llamó el *Africano*, precisamente porque devastó el Àfrica.

La relacion sucinta que acabamos de dar es conforme con lo que hemos oido al mismo P. Simoneti.

Publicamos por conclusion la copia de la carta que dirijió al P. Simoneti el Sr. Àvila. Es un documento que justifica la conducta de los PP. misioneros.

Charagua, Marzo 11 de 1879.

R. P. F. Estanislao Simoneti.

Mi estimado Padre — He venido de esas Misiones dominado por el vehemente deseo de hacer todo lo que esté al alcance de las facultades oficiales que invisto, en beneficio de ellas. Ningun hombre de corazon puede ser indiferente á la vista de trabajos que comprueban abnegacion y constancia.

Ojalà que la providencia me dé acierto en la eleccion de los medios, que satisfagan mis aspiraciones, que no tienen mas norte que la equidad, y la mejora de esos notables establecimientos.

Debe U. estar seguro que mi informe ante el supremo Gobierno será concienzudo, porque he alcanzado pleno conocimiento de la realidad. No olvidaré su insinuacion respecto á la necesidad del nombramiento de un delegado estraordinario del gobierno para dar la última mano à esas obras de tanto interés para el pais.

Me ocuparé del proyecto reglamentario que se ha dignado U. remitirme para el régimen de la Colonia que ha de vivir bajo la obediencia del P. Conversor.

Lo felicito á U. porqué sus tendencias benéficas no se limitan al círculo de la clase índigena; sino que con miras elevadas y evangélicas quiere U. aprovechar en pro del porvenir de esas misiones del poderoso elemento que presta la industria, la moralidad, y la civilizacion de la raza blanca escogida con el tino y la prudencia del que solo piensa en el bien de la humanidad.

En prueba de que mi modo de pensar está conforme con sus nobles deseos, verà U. en el oficio que le he dirijido hoy dia, solicitándole una terna para el nombramiento de un Corregidor en esas Misiones. Habriá sido en mi reprensible, si pudiendo adelantar este paso, no lo hiciese — Confio en que se apresurara à realizar esta medida de tanta utilidad para U. y para esos establecimientos, segun lo hemos significado ya recíproca y personalmente.

El G. Daza es amigo mio, y conoce mi entereza; puedo pues contar con su apoyo decidido, màxime cuando la materia de mis informes le proporcionará una brillante ocasion para hacer imperecedera su memoria en estas regiones, que constituyen la esperanza del fututuro engrandecimiento de la Patria.

Ne se olvide, mi R. P. de encomendar a su afmo y amigo. Atento S. S.

J. Avila.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

1884. Instructio de Stationibus S. Viae Crucis erigendis visitandisque, cui accedit appendix de Crucifixis Viae Crucis vulgo nuncupatis, in lucem edita auctoritate Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis Fratrum Minorum Ministri Generalis.

Ad Claras Aquas prope Florentiam ex Typographia Collegii S. Bonaventurae. In 12. pag. 111. (Pretium 0, 50.)

Huius *Instructionis*, iam in *Actis Ordinis* editae, nova publicatio in lucem prodit cum approbatione S. Cong. Indulgentiarum, in qua declaratur opusculum *in omnibus apprime consonum esse Romanorum Pontificum et memoratae Congregationis dispositionibus et decretis*, ac *pro tuta norma haberi posse ad licite et valide S. Viae*

Crucis Stationes erigendas. Ideo praelaudatam Instructionem a P. Michaele Sleutjes, Procuratoris Recollectorum Secretario exaratam, omnibus praesertim Ordinis nostri Superioribus enixe commendamus.

1884. Recueil de chants et prières pour servir aux Pèlerinages et aux réunions extraordinaires des Tertiaires de Saint-François d'Assise, par le P. Othon, Min. Obs.

Se trouve chez les Sœurs Franciscaines, rue de la Teste, Bordeaux. — in 12 pag. 43. (prix 20 centimes par la poste.)

1884. S. Giovanna di Valois e l'Ordine dell' Annunziata, con una introduzione sulla vita religiosa dell'abate Hébrard, Canonico della Cattedrale di Agen. Traduzione di Marianna Nistri - Tipog. di Mariano Ricci, Firenze, in 12, pag. 342. (Fr. 2).

1884. Estatutos municipales del Colegio de nuestra Señora de los Angeles de Tarija, (Bolivia) ordenados por primera vez en 1801 y arreglados en 1879 a la novisima Constitucion apostólica dada para el gobierno de los Colegios de America. - Roma, Imprenta Monaldi y C. In 8°, pag. 143.

1884. El colegio franciscano de Tarija y sus misiones. Noticias historicas recogidas por dos Misioneros del mismo colegio. Quaracchi, cerca de Florencia. Tipografia del colegio de S. Buenaventura. p. VII-566. (Pretium intra limites Unionis postalis (Fr. 8).

Egregium istud opus exaratum ab Adm. R. P. Alexandro Maria Corrado, Obs. Romanae Provinciae filio et in Republica Boliviana Commissario Generali actuali, charta geographica et duabus historicis imaginibus locupletatur; mox in lingua italica eiusdem translatio in lucem prodibit.

—

V.

NECROLOGIA

In civitate *Shang-hai*, Sinarum Imperio, die prima Januarii 1884, pie in Domino requievit R. P. Innocentius Marini, Ordinis Minorum Reformatorum, Conventus S. Bonaventurae de Urbe alumnus. Huius Missionarii vitam plane dignam breviter indicare duximus in exemplum. Adolescens adhuc religiosum habitum induit; et vota solemnia vix professus serio cogitare coepit de salute animarum ac de uberi messe, quam collecturum sibi pollicebatur in nostris Missionibus. Res animo haesit; et omne cogitatum suum iactans in Domino, laetus se contulit anno 1870 in difficillimam Missionem Sinensem; ubi quamvis diu non insudaverit, pro iis tamen laboribus quos impendit, et fructibus quos edidit, explevit tempora multa. Venit primum in Vicariatum de *Hu-nan ;* ubi mirum quanta celeritate usus caeremoniasque Sinenses calluerit, et adeo linguam didicerit, ut ab omnibus brevi tempore intelligeretur. Hinc dedit operam emendandis Christianorum moribus, erudiendis doctrina, evangelizandis etiam infidelibus; idque tanta assiduitate, caritate ac fervore, ut copiosos fructus pareret salutis, et plures Gentiles ad Christum pertraheret. Exinde translatus fuit ad dirigendum Missionem in *Sian-tan ;* quo cum venerit, omnium statim animos suis virtutibus sibi conciliavit. Sed brevi revocatus in primam suam Missionem redivit, ibique seminarium Apostolici Vicariatus direxit. Translato Seminario, solus in eo loco assumpsit curam animarum, quam omni studio et sollicitudine promovit. Ob eius animum vere apostolicum intentumque labori, Revmus Episcopus Eusebius Semprini in Vicarium suum Generalem eum elegit. Quod officium P. Innocentius ita alacriter et fideliter adimplevit, ut vere ab Episcopo appellaretur suus praedilectus et unicum auxilium. Attamen fractus laboribus coepit ineunte aestate adeo pectore laborare, ut recuperandae salutis causa patrium iter aggrederetur; sicque pervenit in Civitatem *Shang-Hai ;* sed conscendere navim non potuit, morbo ingravescente. Coactus remanere in valetudinario Europaeo, a Procuratore Lazaristarum commendatus fuit curis Sororum Charitatis S. Vincentii. Converso morbo in hydropisim, aliisque doloribus accedentibus, quos summa cum resignatione toleravit, omnia Ecclesiae Sacramenta pientissime recepit, ac veluti aurum in fornace probatum obdormivit in Domino laborum suorum praemia in coelis recepturus. Cura Patrum Societatis Jesu, adstante quoque Consule Generali Italiae, solemnissime tumulatus fuit ad latus carissimi Confratris sui P. Paschalis Capezzuto, qui paucos ante annos ibidem defunctus est. Animae eorum per misericordiam Dei requiescant in pace!

—

Ex Epistola quam, die 28 Februarii 1884 ad Revmum P. Ministrum Generalem scribebat P. Seraphinus a Patriniano, in Superiori Aegypto Missionarius, sequentia transtulimus:

« Nullam moram interponendam putavi, Rme Pater, ut Tibi praesentissimum doloris sensum exprimerem, vel lacrymis relevarem. Inopina sane ac permolesta nobis accidit mors carissimi Patris Gherardi Keller e Reformata Provincia Tirolensi, quam e P. Praefecti litteris iam audiveris. Florente adhuc aetate ac valetudine, dum maxime consilio, studio et labore in hac Missione nitebatur, citissime ereptus est ad dolorem quidem nostrum, sed ad gloriam, ut sperare fas est. — Venit ipse primum cum suis, ut Laicus, ad Missionem Africae centralis tunc noviter institutam, quam brevi deserere oportuit ob ignitum aerem Germanicis insuetum et valde exitialem. Exinde in hanc partem Superioris Aegypti se contulit; ubi perspectis et exploratis sui animi dotibus optimum factum visum est nostris in clericos adsciscere, sacra doctrina erudire et ad sacerdotium promovere. Spes non fefellit; imo cumulate respondit. Neque enim operosiorem quemquam, neque patientia et affabilitate maiorem invenisses, neque amantiorem nostri. Prorsus sic habeto, Rme Pater, hanc Aegypti Missionem, iam ad multam calamitatem adductam ob tristitiam temporum et crebras iuvenum mortes, gravem neque nunc reparabilem, ut arbitror, iacturam in eius morte pertulisse. — Dominica erat diei XXIV huius mensis, cum mane ab hoc loco nunciabar in Assiuth per Telegraphum de omni spe salutis praecisa, et de imminenti periculo carissimi Fratris. Expeditis rebus, sub meridiem viae me dedi vectus asello, qui dimidiatis sex horis longum iter ab Assiuth ad Tahttam percurrit, cui conficiendo plerumque novem satis non forent. Tanto urgebar eius revisendi desiderio, ut a cursus contentione non defatigarer. Perveni vespere, et contra ac ratus eram Gherardus iam mortuus dimidio horae tertiae post meridiem iacebat exanimis in Ecclesia. Ingredi volui, et confertus populus ex omni conditione et fide, qui ad exequias accurrerat, vix me inspexit, dolore ingemuit: at maximus ploratus est factus, cum ad cadaver propius accesserim, et osculatus manus pedesque resperserim lacrymis. Quot spes ademptae hoc funere; quot beneficia quae uberiora capere potuissemus, eodem quo ille, tumulata sepulchro iacent! — Morientem cum omni caritate adiuvit, et sanctissimis Sacramentis communivit P. Tardisius e Soc. Iesu, qui huc advenerat Dei verbum modo et forma exercitiorum praedicaturus huic populo Copto unito; eoque tempore spiritum excepit, quo a tota gente congregata cum quatuor Coptis sacerdotibus pro felici eius transitu Rosariae preces in Ecclesia recitabantur. — Praecipitis mortis causa clare non patuit, ut aiebant, *Meningitem* fuisse, seu sanguinis eruptionem ad cerebrum, quem forte excitavit solis aestus, paucis ante diebus in eum illapsus, dum in proxima villa aream dimetiebatur novae Ecclesiae et Scholae erigendae Coptis gentibus ad fidem suo zelo revocatis; ut vere dici possit se, post depulsum schisma ab illo haeretico populo, et invectum lumen catholicae veritatis, in ipsam arenam qua decertaverat, concidisse. — Sit igitur meritissimo sacerdoti et confratri gloria aeterna, quam ex corde et omnibus pietatis officiis adprecari non desino; atque adeo placeant verba oris sui in conspectu Domini, ut novi operarii cito mittantur in messem suam; languentes hoc tempore Missiones Aegypti laetiore propagine reviviscant; et iactura, quam funesta mors intulit, suorum exemplorum frugifera imitatione reparetur.

In Domino nuper obierunt Illmus ac Rmus D. D. Angelus Pianori, Obs. Prov. Bononiae filius, et episcopus Faventinus, in Italia; — atque, in fine Maii, Adm. R. P. Saturninus a Modiona, Procurator Generalis Reformatorum. Amborum necrologiam proxime dabimus, sed eorum animas Confratrum suffragiis iam commendamus.

Nihil obstat.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

BREVE

Quo Summus Pontifex romanae Archisodalitatis SS. Stigmatum S. P. Francisci patrocinium suscipit.

VENERABILI FRATRI DOMINICO ARCHIEPISCOPO TYRENSI ROMANAE ARCHISODALITATIS SS. STIGMATUM S. FRANCISCI ASSISIENSIS PRIMICERIO, ET DILECTIS FILIIS CUSTODIBUS ET CONFRATRIBUS UNIVERSIS EIUSDEM ARCHISODALITATIS.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Suavi illa in beatum Franciscum Assisiensem pietate, quam Nos ab adolescentia conceptam reliquo vitae cursu studiose retinuimus perpetuoque retinebimus, permovemur ac prope impellimur ut magnopere diligamus quaecumque sunt ad honorem maximi sanctissimique viri utiliter instituta. — Ex quo fit, ut Sodalitatem Nobis vestram ipsa sui natura ratioque commendet: est enim instituti vestri pie colere Franciscum Patrem, praecipuaque religione recordationem eius rei consecrare, qua nihil est ex omni eius vita maius aut mirabilius, sacrorum scilicet *Stigmatum*, quae corpori eius divinitus impressa sunt. Nos quidem memoria tenemus, magni testes miraculi, Alverniae iuga, cogitandâque cum virtute viri, tum prolixa in eum benignitate divina, incredibili animi iucunditate perfundimur — De Collegio autem vestro illam libet etiam commemorare laudem, quod nunquam hominibus caruit non solum genere et dignitate, sed etiam virtute primariis: e quibus alteris lumen illud sanctitatis Iosephus Calasanctius excellit. Vos autem, antiqui decoris disciplinaeque non immemores, id valde studere novimus, ut in Aede, quae sedes est Sodalitii vestri, honos Francisco religiose a populo habeatur, itemque ut officia sacra caste sancteque fiant, nec quippiam ex iis rebus desideretur, quae privatam publicamque pietatem alere atque incitare consueverunt. — Ad has, quae dictae sunt, caussae quaedam accedunt, ut nostis, familiares et domesticae, quibus efficitur in vos, dilecti filii, voluntas Nostra propensior. Familiaria quidem recordamur, quae ad naturales caritates pertinent; a proposito tamen aliena minime videntur. Videlicet in ipsa ista aede sacra in pace CHRISTI conquiescunt revicturi cineres Annae Prosperi parentis Nostrae desideratissimae: itemque Iosephi Pecci, patrui magni, Antistitis Urbani, qui Sodalitati vestrae multos annos magister praefuit. Harum vos rerum cogitatione permoti, unaque simul amoris et obsequii Nobis iudicium praebituri, Cellam MARIAE Virginis Immaculatae in iure et potestate Nostra paullo ante decrevistis futuram. Quod sane Nobis accidit periucundum: eoque nomine gratum animum Nostrum vobis universis hoc loco profitemur. Istius autem praeclarae voluntatis vestrae permansura in domo Nostra memoria est et gratia, propterea quod illam ipsam Virginis aediculam in alterum ex nepotibus Nostris posterosque eius iure patronatus transtulimus, idque eo consilio fecimus, ut illi magis magisque ad virtutem pietatis, ad amorem Francisci Assisiensis invitarentur, simulque ut

familiae Nostrae cum Sodalitate vestra coniunctiora vincula eademque perpetua intercederent.

Nunc vero, quoniam avemus paternae benevolentiae Nostrae singulare vobis impertire testimonium et pignus, quod nonnulli ex Decessoribus Nostris aliquando consueverunt in caussa non dispari, vos resque vestras in clientela tutelaque Nostra in posterum esse volumus. Itaque patrocinium Templi Sodalitiique vestri Stigmaticiani harum litterarum auctoritate suscipimus: vobisque mandamus, ut, quae Nobis ex more institutoque vestro polliceri vos obsequii et obedientiae officia oporteret, ea dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Ludovico Iacobini a negotiis Nostris publicis praesentes polliceamini. — Tuque, Venerabilis Fratrer, magisterium Sodalitatis sicut hactenus gessisti, ita in posterum, arbitrio tamen nutuque Nostro, geres: operamque dare perges, ut in eis, quibus ipse praefectus es, pietas, animorum concordia, studium disciplinae conservetur, augeatur. Vestrae autem partes erunt, dilecti filii, illuc, quo vos instituti vocat ratio, animose contendere: virtutibusque christianis diligenter exercendis, hoc perficere, ut emineat aliquid in vita moribusque vestris, quod sit magno Francisco dignum, et quod ceteri sibi imitandum putent.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIX Iunii MDCCCLXXXIV Pontificatus Nostri Anno Septimo.

FLAVIUS Card. CHISIUS.

—

LITTERAE S. R. C.

Singulis Episcopis transmissae quibus declaratur centenariam commemorationem Nativitatis B. MARIAE Virginis recoli non expedire.

ILLME ET RME DOMINE

Vir Eminentissimus Metropolitanae Ecclesiae Colocensis et Bacsiensis in Hungariae Regno Antistes Ludovicus Cardinalis Haynald, humilissimis oblatis precibus, Sanctissimum Dominum Nostrum LEONEM PAPAM XIII rogavit, ut probata aliquorum Theologorum ecclesiasticae historiae peritorum sententia, quae suadet proximo anno 1885 completum iri decimum nonum saeculum ab ortu gloriosae Virginis DEI genitricis MARIAE, de eo laetissimo eventu speciale festum solemni ritu celebrandum decerneret in catholico Orbe universo, die octava Septembris ejusdem anni. Postulationi quamplurimi alii subscripserunt ecclesiarum Praesules, inter quos aliquot Emi Cardinales; permulti quoque accessere ecclesiastici Viri dignitate clari, et laici religione praestantes: omnes ferventi permoti desiderio novum cultus honorem opponendi probris ac blasphemiis, quibus excelsa Domina a tenebrarum potestate hodie lacessitur, ab eaque, tam propitia oblata occasione, enixius implorandi, ut optatae pacis nostrae *sequestra fiat* apud DEUM, et coelestium *administra gratiarum.*

Sanctissimus Dominus rei perspecta gravitate, eam videndam demandavit peculiari Congregationi Eminentissimorum Cardinalium sacris tuendis ritibus praepositorum. Quae die 31 mox praeteriti mensis Maji ad Vaticanum coadunata, in primis in hoc themate pervidit obicem, hactenus insolubilem, ex defectu notitiae certae, quae prorsus necessaria esset, veri anni Virginei natalitii; cum eruditi omnes tam veteres quam recentiores, ac ipsi centenarii propugnatores censeant tempus nativitatis Deiparae beatissimae historica certitudine definiri non posse. Quae enim maxime afferuntur documenta, videlicet fragmentum epistolae Evodii, post sanctum Petrum primi Antiocheni Episcopi, juxta quod beata Virgo decimum quintum annum agens peperisset hujus mundi lucem; et Chronicon Paschale. unde deducere daretur Mariae ortum undecimo anno, ad summum, ante CHRISTUM natum contigisse: haec praeterquamquod secum non cohaerent, ab omnibus melioris notae criticis, validis adductis rationum momentis, facile refelluntur uti apocrypha, aut prorsus dubiae auctoritatis. Hi propterea incunctanter negant fidem esse adjungendam rei, de qua sacrae antiquitatis explorata monumenta nihil omnino tradiderint. Ac sapienter, pro suo more, de hoc ipso scribit Summus Pontifex Benedictus XIV: « Fortasse nonnemo mirabitur nos de nativitate beatae Virginis nihil afferre; sed cum de ea sacer textus omnino sileat, optimum putavimus et nos de re prorsus incerta tacere, de qua cum plures scribere voluerint, ex turbidis

fontibus, quae tradiderunt, hausisse videntur, puta ex Proto-Evangelio, quod Sancto Jacobo falso tribuitur, ex libro de Ortu Virginis qui perperam Sancto Jacobo fratri Domini Nostri Jesu Christi, et a quibusdam Cyrillo Alexandrino adscribitur . . . . . ex commentitia S. Evodii epistola etc. » *(De festis B. M. V. lib. II, cap. IX)*.

Consuetudinem autem, quae invaluit, celebrandi sacras centenarias commemorationes, rei praesenti minus congruere deprehensum fuit. Quandoquidem, uti iidem centenarii fautores testantur, expetitum festum prima vice hoc decimonono saeculo foret inducendum, veluti quid novum in Dei Ecclesia, et cunctis retroactis saeculis ne cogitatum quidem ab eximia maiorum erga inclytam Dei Genitricem pietate et devotione, aut certe illis inusitatum. Profecto satis congrua theologica atque liturgica ratione inolevisse censendum est, ut saecularia solemnia, quae aliis sanctis cum Christo regnantibus non denegantur, ea de praecipuis sacratissimis Beatae Virginis vitae actis et mysteriis, scilicet de Nativitate, de Annuntiatione, de Assumptione, ac porro de ceteris, non celebrentur. Nam eminentiori veneratione supra ceteros Sanctos colit Ecclesia Coeli Reginam et Dominam Angelorum, cui, *in quantum ipsa est mater* Dei . . . *debetur* . . . *non qualiscumque dulia, sed hyperdulia* (*S. Thom. 3 part. quaest. 25, art. 5*). Ideoque plusquam centenaria solemni commemoratione, eadem semper cultus praestantia, eodemque honoris tributo Ecclesia celebrat recurrentes ejus mysteriorum solemnitates; cum de coetero cultus Deiparae in Ecclesia sit plane quotidianus, ac prope nulla temporis mensura limitatus.

Haec pauca, vel leviter tantum adumbrata, satis ostendunt prudentiam Sacrae Congregationis, quae proposito dubio: « An recoli expediat anno proximo 1885 in toto Orbe centenaria commemoratio Nativitatis Beatae Mariae Virginis? » mature expensis omnibus, unanimi suffragio respondit *non expedire*. Valde tamen laudavit, ac Sanctissimo Domino deferendum voluit, pium tot praeclarissimorum Postulantium desiderium exhibendi Genitrici Dei gloriosae novum aliquod obsequii ac filialis amoris publicum argumentum pro novis injuriis a perditis blasphemisque hominibus ei inlatis; qui, occasione arrepta, etiam in Almae ejus Domus Lauretanum Sanctuarium toto orbe celeberrimum acuerunt linguas suas.

Facta vero de his per me infrascriptum Cardinalem fideli relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sententiam in omnibus ratam habuit et confirmavit. Mandavitque ad supramemoratum effectum a Rmis locorum Ordinariis celebrari in suis Dioecesibus triduana devota solemnia diebus sexta, septima et octava Septembris hujus vertentis anni 1884 in honorem Beatissimae Virginis, ad instar eorum quae Romae in templo Sanctae Mariae supra Minervam, jussu ejusdem Sanctissimi Domini, propediem erunt celebranda. Concessitque fidelibus, pro qualibet vice septem annorum ac septem quadragenarum Indulgentiam; quotidie vero interessentibus, et intra triduum confessis ac sacra Synaxi refectis, et ad mentem Sanctitatis Suae Deum orantibus, plenariam Indulgentiam semel lucrandam, etiam animabus in purgatorio detentis applicabilem. Voluit autem huiusmodi triduana festa in Lauretana Basilica omnino peragi: quocirca magnopere probavit, ut a die prima proxime futuri mensis Septembris ad decimam Decembris inclusive piae peregrinationes in eumdem finem ad praefatum Sanctuarium Lauretanum instituantur; concessa, in omnibus ut supra, de thesauro Ecclesiae plenaria Indulgentia semel lucranda.

Haec dum pro mei muneris ratione Amplitudini Tuae communico, Eidem fausta omnia precor a Domino.

Romae in Solemnitate Pentecostes die 1 Junii 1884.

D. CARDINALIS BARTOLINIUS S. R. C.
Praefectus.

Laurentius Salvati S. R. C. *Secretarius*.

—

DECRETUM S. C. INDULGENTIARUM

De Indulgentia quingentorum dierum adnexa calculis Rosarii per Crucigeros benedicti.

Ordinis Sanctae Crucis. Quum innumerae propemodum quaestiones et dubia Sacrae Congregationi indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exhibita fuerint, nomine etiam Archiepiscoporum et Episcoporum de authenticitate Indulgentiae dierum quingento-

rum a Leone Papa X, Litteris in forma Brevis datis die 20 Augusti 1516 concessae et quodammodo confirmatae a Summis Pontificibus Gregorio XVI et Pio IX rescriptis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide dierum 13 Iulii 1845 et 9 Ianuarii 1848, quam lucrari dicuntur Christifideles, quoties in *Rosariis* Beatae MARIAE nuncupatis et benedictis a Magistro Generali Ordinis Sanctae Crucis vel a Sodalibus eiusdem Ordinis, a Magistro generali ad id specialiter deputatis, orationem dominicam vel salutationem angelicam devote recitaverint, Sacra eadem Congregatio, ut Christifidelium tranquillitati prospiceret, rem mature perpendere et absolvere constituit. Qua oblata opportunitate quaesitum etiam est de necessitate recitandi tertiam saltem partem *Rosarii* B. V. MARIAE, ut Indulgentia illa acquiri possit, quemadmodum fortasse innuere videbantur verba quibus Romani Pontifices praefatas Indulgentias adamussim adnexas Rosariis a Magistro generali dicti Ordinis benedictis concesserunt. Insuper quum plures Sacerdotes tum a Sanctissimo Domino Nostro Papa, tum a sacra ipsa Congregatione privilegium expostulaverint *Rosaria* benedicendi cum applicatione Indulgentiae quem ipsis Sodales Crucigeri adnectunt, quaesitum quoque est de huiusmodi precibus exaudiendis, vel respuendis.

Quae omnia sequentibus dubiis propositis complexa sunt:

I. *Utrum Indulgentia quingentorum dierum quoties in Rosariis per Crucigeros benedictis oratio dominica, vel salutatio angelica devote dicatur revocanda sit,*

(a *vel uti apocrypha, seu ratione dubiae authenticitatis,*

(b *vel uti indiscreta, seu ratione indiscretae concessionis*

(c *vel ob alias extrinsecas rationes.*

ET QUATENUS NEGATIVE AD OMNES I DUBII PARTES

II. *Utrum eadem Indulgentia rata habenda sit et confirmanda, vel potius dicenda sit ratihabitione et confirmatione non indigere.*

III. *Utrum pro acquirenda eadem Indulgentia necesse sit integrum Rosarium devote recitare.*

IV. *Utrum expediat aliis etiam Sacerdotibus concedi privilegium benedicendi Rosaria cum applicatione Indulgentiae quo gaudent Sodales Crucigeri?*

Et Patres Eminentissimi in Congregatione Generali habita die 11 Martii 1884 in Aedibus Apostolicis Vaticanis rescripserunt:

Ad I. Negative in omnibus.

Ad II. Non indigere.

Ad III et IV. Negative.

Die vero 15 eiusdem mensis et anni facta ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario relatione, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII Patrum Cardinalium responsiones benigne approbavit.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque *Reliquiis* praepositae die 15 Martii 1884.

Al. Card. OREGLIA a S. Stephano Praef.

FRANCISCUS DELLA VOLPE Secretarius

—

INDULTUM

Quo ter in hebdomade facultas cantandi Missam de Requiem Patribus in Collegiis nostris Americae degentibus conceditur.

Beatissime Pater,

Fr. Andreas Lupori, Delegatus Generalis Ordinis Minorum, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit, Patres Missionarios in variis Collegiis Missionum praefati Ordinis in America Meridionali degentes saepe a fidelibus rogari, ut Missas pro defunctis dicant in paramentis nigris, quorum desiderio raro satisfacere possunt propter occurrens festum duplex. Propterea Orator a Sanctitate Tua suppliciter petit Indultum, quo liceat in omnibus ecclesiis a praefatis Collegiis Missionum dependentibus cantare ter in hebdomade unam Missam de Requie in paramentis nigris, etiam occurrente festo duplici; exceptis tamen semper diebus Dominicis, festis duplicibus primae et secundae classis necnon octavis et feriis privilegiatis

Pro qua gratia etc.

Ex Audientia SSmi habita die 8 Iunii 1884 SSmus Dominus Noster LEO Divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto S. Congnis de Propaganda Fide Secretario,

benigne annuere dignatus est pro gratia iuxta petita *ad decennium.*

Datum Romae ex Aed. dictae S. Congnis die et anno praedictis.

D. Archiep. TYREN. Secretarius.

L. ✠ S.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES DISPERSOS

INCITAMENTA SERAPHICA.

(Continuatio et finis)

XVIII.

Epilogus ad Fratres violenter dispersos.

Jam per duos circiter annos, dilectissimi Fratres, Incitamenta quaedam seraphica, nomine Rmi Definitorii Generalis, ad Vos direximus, quae eo potissimum tendunt, ut amor vitae coenobiticae in vobis iugiter foveatur, et ad id cum gratia DEI inducamini, ut pro debito conscientiae aliquem Ordinis conventum in quo morari valeatis, petatis, aut, si monasterium, quod vos recipiat inveniri nequiret, cum quibusdam saltem sociis in aliqua privata domo regulariter vivatis, et, si neutrum excutioni mandari posset, sedulo vitetis magna salutis pericula quibus vita vestra exponitur in saeculo, in omnibus vos irreprehensibiles exhibeatis et, iuxta Regulam professam vivendo, spiritum seraphicum in exilio conservetis.

Cum omnia quae in hunc finem tractavimus iugiter sint a vobis prae oculis habenda, ut ea animo volventes digne vocatione vestra ambuletis coram DOMINO, opportunum iudicavimus praecipua eorum per modum epilogi breviter hoc loco memorare quae latius in decursu huius scripti reperietis exposita.

Primum igitur, dilectissimi Fratres, ad quod inducere vos conati sumus, coenobiticae vitae amorem et desiderium concernit. Nisi enim hos sensus foveatis in saeculo, fieri nequit, ut religiosum conservetis spiritum, sine quo graves obligationes vestri status aut culpabili dabitis oblivioni, aut tepide tantum implebitis, vel in maximum animae vestrae detrimentum penitus negligetis.

Quapropter felicitatem et emolumenta vitae claustralis attenta consideratione et suavi recordatione saepius perpendatis, et, verae vestrae beatitudini cupidi, hanc gratiam indesinenter a DEO petatis et misericorditer vobis detur reliquum vitae tempus in sancta solitudine conventus transigere. Unde illud Psalmistae frequenter in corde et ore habeatis: *Unam petii a* DOMINO, *hanc requiram, ut inhabitem in domo* DOMINI *omnibus diebus vitae meae.* (Ps. XXVI, 4.)

Ad hoc enim quam ardentissime suspirare debetis, non modo ut mediis salutis et perfectionis, quae vita coenobitica tam abunde subministrat, iterato frui valeatis, sed etiam ut ab innumeris animae periculis quibus expositi estis in saeculo, liberari possitis.

Ut haec salutis discrimina melius apprehendantur a vobis, perspectas habeatis oportet graves status vestri obligationes, quibus Regulares dispersi ligari non cessant.

Sciatis igitur, Dilectissimi, vos esse et manere veros Religiosos in perpetuum holocaustum DEO dicatos, et ideo vos semper ad observantiam votorum et praeceptorum Regulae cum vestro statu compatibilium teneri, nec non ad obligationem tendendi ad perfectionem vos esse adstrictos. Hoc enim non modo deducitur ex natura sive essentia status religiosi et ex declarationibus Sanctae Sedis Apostolicae, sed etiam ex ipsis verbis et indole Regulae seraphicae, quam estis professi.

Quod theologi et canonistae, duce S. Thoma, ex ipsa natura votorum solemnium unanimiter probant, confirmatum videmus decretis Summorum Pontificum. Sufficiat memorare verba Pii VI ad Episcopum Brunensium scribentis: « Curandum inprimis, ait CHRISTI in terris Vicarius, ut omnes in vocatione sua permaneant, ideoque in alia vel proprii vel alterius Instituti monasteria se recipiant, ubi vota solemnia, quibus vitam suam DEO consecrarunt, rite recteque persolvant. Sed quisque debet versari in saeculo, memor vocationis suae, eiusque tenax disciplinae et vitae regularis, cui se pridem adscripserit, vota solemnia quae *semper firma, semperque immota permanebunt,* custodiat et servet.

Nec minus luculenter hoc apparet ex Declarationibus S. Sedis Apostolicae concernen-

tibus Regulares hisce temporibus suppressos, quarum Summarium Lectoribus *Actorum* iam fuit exhibitum.

Ast quid opus est filiis Divi Francisci ad doctrinam theologorum recurrere, cum ex ipsis verbis et fine Regulae seraphicae et ex Collationibus sancti nostri Patriarchae assertum nostrum tam clare deducatur? Si enim vel obiter Regulam nostram inspiciamus, videbimus, praefatam obligationem adeo esse manifestam, ut S. P. N. Franciscus, dum eam, revelante DOMINO, conscripsit, non minus Fratres apostolicis laboribus addictos aut alia de causa in mundo versantes quam claustrales prae oculis habuisse videatur.

Operarios in vinea DOMINI tot tantisque virtutibus voluit esse instructos, et tam perfecta observantia votorum et praeceptorum Regulae populo commendabiles, ut vitae potius exemplo quam verbo verum Evangelii spiritum et rectam salutis viam fidelibus et infidelibus possent ostendere.

Neque eos tantum, sed etiam omnes quoscumque Fratres monet et exhortatur in Domino JESU CHRISTO, ut, quando vadunt per mundum, evangelicis virtutibus populis praefulgeant eosque hoc modo ad observantiam mandatorum DEI perducere conentur.

Huc spectant variae Collationes quas habuit ad Fratres, inter quas sequentes praecipue sunt notandae: IIª *De Vocatione Fratrum Minorum et de praedicando Verbo* DEI; XXIIª *De sancta conversatione inter fideles;* et XXIIIª *Quomodo procedendum sit inter infideles.*

Uno verbo, omnes et singulos Fratres, sive in monasterio sive extra illud degentes, hortatur et obligat, ut semper et ubique sint Regulae suae et evangelici spiritus zelosi sectatores. Unde etiam voluit ut *ubicumque non fuerint recepti, fugiant ad aliam terram ad faciendum poenitentiam cum benedictione* DEI, idest ad servandam Regulam, quam non immerito *Viam Crucis* seu poenitentiae nuncupavit. Quibus etiam verbis satis innuit, alibi esse quaerendum aut erigendum coenobium ubi haec tutius possit servari.

Et vero, illis tantum Fratribus licentiam extra claustra *continuo* manendi, eundo ad infideles, tribui posse permisit, qui fuerint *idonei* ad mittendum, quique proinde, uti hoc verbum declarat S. Bonaventura, non tantum sint *corpore robusti*, sed praesertim *constantes in fide, probati virtute et semper irreprehensibiliter fuerint conversati.*

Ignorare quippe non poterat seraphicus Pater, innumeris periculis exponi Religiosos qui in saeculo manent a Fratribus segregati, si non fuerint perfecti aut saltem sanctitatis acquirendae studiosi aemulatores. Noverat, quam facile ab eis violari possent vota obedientiae, paupertatis et castitatis, et in quanto proinde salutis discrimine versarentur Fratres dispersi, si non essent in doctrina sanctitatis apprime versati et in omnibus virtutibus exercitati.

Quod S. P. N. Franciscus superno lumine perspexit et sapienter providit, successores eius in Ordinis regimine tristi non raro experientia cognoverunt.

Meministis, dilecti Fratres, quod Rmus P. Minister Generalis in suis Litteris Encyclicis anni 1881 vobis scripserit de violatione votorum solemnium in saeculo commissa et de multorum hanc ob causam timenda damnatione. Quidni adiicere potuisset, si de negligentia studii perfectionis, quae adeo communis est Fratribus expulsis, loqui voluisset? Unanimiter enim docent theologi et canonistae, omnes Religiosos vi votorum solemnium sub gravi peccato obligari ad hanc perfectionem procurandam, necessaria et opportuna media ad eam assequendam adhibendo.

Liceat mihi hac de re memoranda Blosii verba iterato referre: « quotquot, ait, Religioni per professionem sese adstringant, obligati sunt totis viribus ad perfectionem contendere, licet non sint obligati ad eam pervenire. Religiosus vel Monachus qui sibi mundoque perfecte mori, et DEUM vero sinceroque amore prosequi non studet, suae professioni non satisfacit. Heu! quam multi hodie misere falluntur, qui monastico habitu suscepto vota religionis vovent, quum tamen parum aut nihil de perfectione vitae cogitent. Creaturis tenaciter adhaerent, et in eis delectationem inordinate quaerunt; externas consolationes avidissime appetunt; sese totos absque timore foras effundunt: mente vagi, moribus incompositi, verbis garruli ac vani sunt: atque in sua negligentia suisque vitiis ad mortem usque

perseverant. O quam acerbae poenae manent tales post hanc vitam! »

Doctissimus Navarrus hanc communem theologorum sententiam animo volvens et de ipsis claustralibus loquens exclamabat dicens: « Ista veritas est terribilis multis Religiosis, qui neque actu seu actualiter, nec virtute seu virtualiter, habent animum se in dies magis perficiendi in charitate, neque curant plus quam boni clerici saeculares vel laici, ad eam tendere ». Quid autem iudicasset de Religiosis in saeculo dispersis, qui sibi relicti tam facile sua abutuntur libertate, religiosae vitae exercitia negligunt, otio et sensualitati se dare consueverunt, ac saecularia, suspecta vel illicita non raro frequentant consortia, quibus non solum a perfectione, sed ab ipsa votorum et Regulae observantia miserum deflectitur in modum?

Si haec omnia attente consideretis, dilectissimi Fratres, apprime convicti manebitis de necessitate quaerendi aliquod coenobium in quo et vota vestra solemnia rite recteque persolvere, et obligationi tendendi ad perfectionem satisfacere possitis? Nonne enim aeterna vestra salus quam maxime periclitaretur, si quod Deus, Ecclesia et S. Franciscus a vobis exigunt, executioni dare negligeretis?

Hoc rite intellexerunt dilecti nostri confratres Provinciarum Galliae, Saxoniae S. Crucis et Custodiae S. Elisabeth, qui generoso corde ipsam patriam et consanguineos reliquerunt, ut in aliis regionibus Providentiae Dei innixi apta quaererent loca ad conventualem vitam ibidem peragendam. Nec minori laude illud executioni mandare studuerunt nonnullae Provinciae Italiae, uti et quidam Religiosi regni Hispaniae (1), monasteria a gubernio suppressa redimendo aut alia de novo construendo.

Sed quid iudicandum de tot aliis Provinciis suppressis in quibus nullus fuit repristinatus conventus et quarum alumni minime fuerunt solliciti, ut ad alias Provincias transirent? Audiamus ipsum Rmum P. Ministrum Generalem in suis Litteris Encyclicis anno 1881 hac de re sermonem habentem: « In Provinciis quoque Italiae, inquit, ubi et quo modo fieri potuit, aliquid pedetentim factum est. Cum enim non eadem sit omnium locorum in ipsa Italia conditio, nec idem, ut verum fatear, fuerit, iam ante suppressionem, spiritus religiosae observantiae et disciplinae in omnibus Provinciis, hinc factum est, ut alicubi potuerim paternam visitationem peragere, et, cum gratia Dei, concurrentibus voluntate et opera superioribus et subditis, novitios recipere, studiorum cursus aperire, regularem vitam instaurare; in aliis autem Provinciis nec omnia assequi neque etiam quidquam pertentare mihi licuerit ».

Haec sunt quae ab hinc tribus annis gemebundus scribebat supremus Ordinis Moderator. Duplicem affert causam ob quam Institutum seraphicum *in aliquibus Provinciis* reviviscere non coeperit, quarum unam tribuit maioribus difficultatibus a parte Gubernii in istis locis suscitatis, alteram autem defectui spiritus religiosi.

Illarum Provinciarum Fratribus iudicandum relinquimus utrum allegatae tunc temporis difficultates tantae revera essent, ut nulla possibilitas daretur unum aut alterum repristinandi conventum. Scire tamen vellemus num praefata obstacula ad haec usque tempora perduraverint, et num quaedam aliae familiae religiosae, forsan magis ferventes, coenobia quaedam felici cum successu erigere non potuerint. Quod certe probrosum foret filiis divi Francisci, qui prae coeteris Regularibus populo fideli magis sunt grati et ipsi gubernio civili minus odiosi, quique semper in talibus rerum adiunctis divinam Providentiam miro modo sunt experti.

Detur autem, quod revera formales conventus erigi non potuerint, et hac ratione culpandi non sint praesertim superiores; mirum tamen videri debet, quod ferventiores inter Fratres suppressos iam diu in variis domibus particularibus cum paucis sociis non

(1) Quam ardentibus votis veram et universalem Ordinis instaurationem in Hispania desideramus! Reviviscat ibi austera illa observantia quae tot et tam praeclaros Sanctos, tot homines apostolicos et tot sacros scriptores dedit Ecclesiae! Dignetur Deus infinita sua bonitate generosos in his partibus suscitare viros, qui spiritu seraphico accensi, fratres et iuvenes efficaciter adducant ad arcta S. Francisci vestigia indefesse sequenda. Communibus autem precibus insignem hanc gratiam expetere non desinant regionis illius Minoritae superstites, hac, si velint, formula utentes quae in his *Actis* fuit indicata, Anno I. pag. 156.

convenerint iuxta votum tum S. Sedis Apostolicae tum Ordinis Superiorum. Hoc plerumque non prohibet potestas civilis, et hac ratione, sicut in Residentiis Ordinis, omnibus obligationibus religiosis satisfacere possent. In Residentiis enim illarum saltem Provinciarum in quibus Regularis observantia viget et floret, perfecta vita communis, exercitia spiritualia atque debita Superiori subiectio, non secus ac in conventibus rite servantur; unde etiam mira DEI Providentia semper sustentantur.

Tales domus certo certius permultis in locis iam diu exstare debuissent, quod in Ordinis cessisset decorem, in magnam Ecclesiae utilitatem et praesertim in ipsorum Fratrum salutem atque solatium. Quapropter, dilectissimi Fratres, non possumus quin in spiritu charitatis et in DOMINO vos adhortemur, obsecremus et obtestemur, ut omni modo possibili cum aliquot sociis in unum conveniatis, regularis vitae ducendae gratia. Quantam enim rationem DEO redderent Religiosi qui sua culpa hoc medium salutis neglexissent, et quam terribile esset eis in domo saeculari, et praesertim post vitam saeculariter transactam decumbere, et ita supremi Judicis sisti tribunali, qui Jerusalem scrutabitur in lucernis!

Si autem nonnulli, ob rationes peculiares Superioribus probatas, in saeculo vivere essent coacti, meminerint semper tales obligationis qua tenentur irreprehensibilem ducendi vitam atque taliter in mundo conversandi ut inter ferventiores sacerdotes saeculares, uti decet, possint eminere. Ipsi enim sancti sint oportet, dicente S. Augustino (*de vita christiana*, CAP. IX): « Tales esse convenit graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos, ut quisquis viderit eos stupeat et admiretur et dicat: hi homines sunt DEI, quorum talis est conversatio ». Et S. Isidorus Pelus. (Libr. II. Epist. 207): « Tantum ait, inter sacerdotem et quemlibet probum interesse debet, quantum inter coelum et terram discriminis est ». Quapropter Religiosi in saeculo degentes probe intelligant quod luctuosis hisce temporibus Ven. Agnes Steiner, Ordinis nostri Abbatissa, saepius in visionibus coelestibus advertit, mundum scilicet omnis generis percuti flagellis propter peccata praesertim sacerdotum et religiosorum, eorumque proinde sincera reformatione divinam iustitiam esse placandam.

Opportunum proinde iudicavimus quasdam regulas hoc loco referre, ut dispersi Fratres, sicut et missionarii nostri et qui ministerii causa extra conventum ad tempus versantur, ad propriam perfectionem promovendam illas in praxim deducere possint et aliquo modo vitam conventualem in saeculo redimere.

QUOLIBET DIE.

1. Habeat quisque horam statutam surgendi, et numquem quietem protrahat *ultra* septem vel ad summum octo horas.

2. Primo mane meditationi saltem per semihoram vacet, sitque haec meditatio pridie vespere praeparata. Si quid impedimento est ne ante missae celebrationem instituatur, post oblatum Sacrificium quantocius fiat.

3. Ante Sacrum praeparatio fiat saltem per horae quadrantem, nisi meditatio immediate missam praecedat, vel prae sacri ministerii functionibus omnino non liceat, quam tamen impossibilitatem sedulo praevenire quisque curet. Gratiarum actio similiter per horae quadrantem saltem protrahatur.

4. Examen conscientiae tam generale quam particulare fiat bis in die: in quantum fieri potest versus meridiem, et in precibus vespertinis.

5. Quotidie lectioni piae impendatur horae quadrans praesertim in legenda Vita S. P. Nostri Francisci, aliorumque sanctorum Ordinis.

6. Quotidiana visitatio Sanctissimi Sacramenti plus minusve prolixa praescribitur. Infirmitate vel alio obstaculo impeditus hanc adorationem domi instituere poterit.

7. Nulla praetereat dies, quin recitetur corona septem Gaudiorum vel saltem quinque decadum Rosarii in honorem Beatae MARIAE Virginis.

8. Quotidie studio impendatur ad minimum semihora. Attamen, si quis tot occupationibus, aliqua die detineatur, ut per semihoram studio nequeat incumbere, alia die pensum istud inculpabiliter omissum suppleat. Huius studii materia sit Scriptura Sacra utriusque Testamenti, Theologia dogmatica et moralis, Sacra Liturgia et Regula nostra.

Quem negotiorum moles non impedit, sane plus temporis studio tribuet.

Qualibet hebdomada.

1. Singulis octiduis quisque confessionem Sacramentalem instituat.

2. Exercitium Viae Crucis semel saltem in hebdomada obeat, potissimum feria sexta.

Quolibet mense.

1. Prima feria sexta cuiuslibet mensis vel alia die instituatur recollectio spiritualis: opportune hac die fiet lectio regulae (1) et propositum renovabitur omnia exacte adimplendi.

Quolibet anno.

1. Quotannis unusquisque, relictis omnibus sacri ministerii officiis et occupationibus, secessum sacrum instituat per octo dies, et, si fieri possit, una cum aliis confratribus vel in Conventu Ordinis nostri.

2. Celebrent speciali cum fervore festa franciscalia nempe: 1. Festum Sacratissimi Cordis Jesu, cui seraphicus Ordo iam a decem annis consecratur. 2. Festum Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis Ordinis Patronae. 3. Festum S. Raphaelis Archangeli. 4. Festum S. Joseph. 5. Festum S. P. N. Francisci et S. Antonii Patavini, S. Bonaventurae, S. Clarae et festum omnium Sanctorum totius Ordinis.

3. Tandem semel saltem in anno sive Ministro Generali sive Provinciali litteras dirigere curent, obsequii exhibendi gratia simulque consilii pro opportunitate petendi (2).

Hisce omnibus expositis, dilectissimi Fratres, finem imponi posse iudicavimus elucubrationi nostrae. Ingenue fatebimur, nos in ea conscribenda non propriis viribus aut industriae, sed unice Dei auxilio Eiusque gratiae fuisse confisos, ut salutaria quaedam monita ad vos possemus dirigere, animumque vestrum ad ea quae sunt sancta permovere.

Deo sint laudes, hanc peculiarem assistentiam in gratiam vestri iugiter experti sumus; unde etiam sperare nobis licet, quod Ipse Deus, dum *Incitamenta* legeretis, ad corda vestra loqui et intelligentias vestras illuminare dignatus sit.

Et vero, maxima exultatione sed humili praesertim gratiarum actione percepimus Spiritum Sanctum per omnes fere Provincias Ordinis suppressas jamiam sufflare, easque incitare ut e ruinis suis suscitentur, veram seraphicam vitam accipiant, et hac ratione iterum renovent faciem terrae virtutibus et laboribus apostolicis. Etenim, e Provinciis quae recentioribus temporibus aut ab hinc 50 annis fuerunt suppressae, pleraeque earum conantur aliquot conventus repristinare. Deus eas adiuvare dignetur in hoc sancto proposito prosequendo et executioni mandando! Sciant vero quod, *nisi* Dominus *aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam* (*Ps.126.1.*) Quapropter sicut Israelitae reduces, duce Nehemia, non modo muros Jerusalem sed praecipue Dei cultum instaurari curarunt, ita et illarum Provinciarum alumni superstites, re-

(1) Inter varias Regulae nostrae expositiones praecipue commendamus: *La Regola dei Frati Minori esposta praticamente*, dal P. Gabriel Angelo da Vicenza, iussu Rmi P. Generalis denuo edita anno 1883, ex typis Collegii S. Bonaventurae ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam. Qui vero italicae linguae usum non habent sive S. Bonaventurae, sive P. Kazemberger expositionem perlegere curent.

(2) Multis iam in locis fervidi Presbyteri consilium inierunt sanctiorem in saeculo ducendi vitam atque in hunc finem nomen suum dederunt *Piae* cuidam *sacerdotum Unioni* quae suis sodalibus praeter obligationes et consueta sacri ministerii exercitia, regulas quasdam sequendas praescribit, quibus spiritus sacerdotalis efficacius conservari et in dies magis possit accrescere. Haec *Unio* sive *sacerdotalis* sive *apostolica* nuncupata quae iam ultra 25 annos initium sumpsit in Gallia et ad Belgii dioeceses a tribus annis fuit extensa, uberrimos ubique profert salutis fructus. Eam tribus Brevibus laudavit Pius IX et nuperrime eam quammaxime commendat Leo XIII, dicens: « Quotquot sunt saeculares sacerdotes hortamur ut sibi ipsis reique religiosae efficacius prospecturi saluberrimae isti consociationi dent nomen » (Breve 30 Maii 1880). Porro huius consociationis regulas, paucis additis, adhibuimus in agendi ratione quam Patribus nostris dispersis, ut supra, proposuimus.

Laudabili zelo agerent et magno cum fructu Ordinis nostri Religiosi Coenobitae praesertim Praedicatores et Missionarii, si inter sacerdotes saeculares regionis in qua morantur hanc piam *Unionem* introducere valerent. Si in aliqua dioecesi quis vellet eamdem erigere, quaedam alia cognoscere deberet praesertim quae concernunt Praefectum Generalem, Praefectos particulares, socios, earumque mutuas relationes. Haec omnia inveniuntur in opusculo hac de re edito: *Règle générale de l'union apostolique des prêtres séculiers.* Paris, Imprimerie St. Paul, 51 rue de Lille, et in lingua latina: Tornaci, in Belgio apud typographum Desclée.

pristinando conventus, maxime et ante omnia cordi habeant, puram Regulae observantiam et signanter perfectam vitam communem in eis stabilire, sine quibus nec opus stare, nec DEO nec S. P. N. Francisco posset esse acceptum.

Nullis proinde Fratribus reditum ad conventum permittant, nisi sincera et firma voluntate parati sint perfecte huic Regulae et disciplinae observantiae se conformare et vitam communem in omnibus sine proprio adamussim servare. Unde etiam in praxim deducere studeant quod Rmus P. Venantius a Celano, Minister Generalis, sub die 2ª Septembris anni 1852 instauratoribus Ordinis in Gallia scribebat: « ORDO SERAPHICUS IN GALLIA VEL IN NATIVA SUA PURITATE RESURGERE VEL NULLIMODE DEBET: HAEC EST NOSTRA VOLUNTAS, QUAE VOLUNTAS EST DEI ».

Et nunc, venerandi Patres et dilectissimi Fratres, *commendamus Vos* DEO *et verbo gratiae Ipsius, qui potens est aedificare et dare haereditatem in sanctificatis omnibus.* (ACT. APOST. c. 20.)

FINIS.

—

EPISCOPI NUPERRIME ELECTI

R. P. BENIAMINUS GEREMIA, Sacerdos professus Observantis Provinciae S. Ferdinandi in Molisio, natus in S. Joanne de Galdo, et ab anno 1871 Missionarius in Shang-tong, deputatus est Coadiutor Reverendissimi D. Eligii Cosi, Vicarii Apostolici Vicariatus de Shang-tong, in Sinis.

R. P. EPIPHANIUS CARLASSARE, Sacerdos professus Reformatae Provinciae S. Antonii Venetiarum, natus in oppido Monticuli maioris dioecesis Vicentinae et a quatuordecim annis in Vicariatu de Hu-pe orientali, Imperii Sinensis, Missionarius, eiusdem Vicariatus electus est Vicarius Apostolicus.

In proximo Consistorio amborum publicabitur electio, et singulis sedes episcopalis titularis assignabitur.

—

NOVUS PROCURATOR GENERALIS REFORMATORUM

Die 7 Iulii Romam pervenit ac officium sibi demandatum assumpsit A. R. P. ACCURSIUS A MONTE S. SABINI, ex-Minister Ref. Prov. Tusciae, qui per Rescriptum S. C. Ep. et Reg. d. d. 18 Iunii 1884 nominatus et constitutus fuit Procurator Gen. Ord. Min. Ref. ad nutum et beneplacitum S. Sedis, ad quod munus eumdem designaverat Definitorium Generale in Congressu habito die 4 Iunii, paucis diebus post mortem Adm. R. P. Saturnini a Modiona. Tenor autem Rescripti huiusmodi est:

« Vigore specialium facultatum a SS. Dno Nro concessarum S. Congregatio Emorum et Revmorum S. R. E. Cardinalium *negotiis* et consultationibus Episcoporum *et Regularium* praeposita, attentis expositis a P. Ministro Generali totius Ordinis Minorum, attentoque voto Definitorii Generalis, religiosum virum P. Accursium a Monte S. Sabini ex Ministrum Provincialem Reformatae Provinciae Tusciae in Procuratorem Generalem Ordinis Minorum Reformatorum ad nutum et beneplacitam S. Sedis nominavit atque constituit, prout praesentis tenore nominat atque constituit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Romae 18 Iunii 1884. »

I. Card. FERRIERI Praef.

L. ✠ S.

F. Masotti *Secretarius.*

III.
MISSIONES

—

EPISTOLA

R. P. Beniamini Masciantonio, Min. Obs., Commissarii Terrae Sanctae in Columbia, Reverendissimo Ministro Generali.

Summarium.

1. Missionum enarrat consolationes et fructus suosque ex Italia hortatur Confratres ad apostolicos labores suscipiendos.

2. Ecclesiam in honorem S. Antonii Patavini erigendam curat, et eiusdem fabricam brevi completurum sperat.

3. Quum versus flumen *Maddalena* ad praedicandum venerit, febre pervicaci corripitur; attamen, DOMINO opitulante, verbum DEI disseminare non destitit.

4. Ultra viginti tria millia numerantur adscriptorum piae unioni quae *Affiliazione del S. Sepolcro* nuncupatur, cuius scopus in eo versatur ut singuli quamdam pecuniae summam ob amorem CHRISTI contribuant Sacris Palaestinae locis sustentandis.

Medellin, il dì 31 Marzo del 1884.

Rmo Padre,

1. Dopo l'ultima mia (che feci scrivere da un altro per non potere personalmente) non ho potuto diriggermi più alla S. P. Rma, perchè dopo pochi giorni, ristabilito alquanto in salute, uscii per seconda volta, nelle sante missioni ricorrendo tutti i paesi e le città che stanno all'Oriente di questo Stato.

Io sono stato sempre contentissimo, vedendo i trionfi che la grazia del SIGNORE riporta mediante la predicazione del suo santo Vangelo.

Nelle missioni accostumo predicare tre volte al giorno e quasi un' ora per ogni volta. Il riposo consiste solamente in quella giornata che debbo trasportarmi da un paese all'altro, dove appena arrivato, ordinariamente, di nuovo dò principio ai Santi Esercizi; e come non farlo così, quando il desiderio, la buona volontà e l'amore con cui i fedeli mi ricevono sarebbero capaci di struggere un cuore di gelo?

Alla distanza di tre a cinque miglia mi vengono ad incontrare da 20 a 100 persone a cavallo, una con il curato e sacerdoti che vi stassero secondo i paesi: prima di entrare al paese o Città si presenta tutto il popolo ed il più delle volte con una banda di musica sonando una marcia; arrivato alla piazza, tutti i ragazzi di scuola, avendo nelle mani una bandiera bianca e posti per ordine e tutte le ragazze parimenti di scuola, vestite di bianco, con una corona di fiori nella testa e con un mazzetto pure di fiori nelle mani, collocate anche per ordine, formano due colonne molte volte appresso a un arco trionfale, ed alcune altre dopo una breve allocuzione fatta da qualche sacerdote, nella stessa piazza, ricevono così, e lasciano entrare se non al missionario, almeno al Vangelo di GESÙ CRISTO, Salvatore del mondo.

Oh! Quante volte, a questo spettacolo, non ho potuto rattenere le lagrime di allegrezza e di contento! Oh! se tanti sacerdoti confratelli di codesta nostra Italia vedessero il vero trionfo del Vangelo! Certo che lascierebbero tutto, e risolverebbero affrontare i pericoli e sostenere le fatiche delle Missioni staniere che tanto onorano il nostro serafico Ordine, e tante anime mandano al Cielo! Oh! se vedessero il dolore, il pentimento, e la compunzione con cui i più grandi peccatori si accostano al tribunale della penitenza, e raccogliessero le lagrime di gratitudine e le benedizioni di tante migliaia di anime quando si veggono sciolte dei lacci del peccato, certo che non rimarrebbero indifferenti!...

2. Ciò sia detto in quanto allo spirituale; perciò che riguarda il temporale, pure sto contento, e quindi appoggiato sulla speranza del prodotto delle Missioni per le elemosine di Terra Santa, nella speranza che la S. P.Rma mi manderà qualche rinforzo, e sulla speranza pure che questo vescovo mi disse non aver difficoltà di destinare un sacerdote, in caso di necessità, e di mia assenza, onde ufficiasse alla Chiesa, ho dato principio alla detta costruzione della Chiesa e dell'Ospizio che circonda tutta la Chiesa.

In due mesi di lavoro s'è inalzato tutto l'edificio a quattro metri, e già si stanno gettando gli archi delle 4 piccole cappelle che ha detta Chiesa. Questa è di 35 varas (1) spagnuole di lunghezza, e 14½ di larghezza: le cappelle hanno 5 varas di fondo. Il disegno (2) piace a tutti e la Città molto contenta. Le spese al più (della Chiesa e dell'Ospizio) potranno ascendere a ottantamila lire. Ció non mi sgomenta; se il SIGNORE mi concede la salute, e se presto mi pervengono da Gerusalemme gli oggetti chiesti, di qui a due anni tutto sarà fatto. La Chiesa sta dedicata a S. Antonio di Padova, santo di mia speciale devozione e di moltissima venerazione in questo stato.

3. Dissi che ho date le sante missioni nei paesi dell'Oriente di questo stato, cioé mi sono avvicinato al fiume Maddalena; questo è per me un potentissimo veleno; sono già più di due mesi e mezzo che ho le febbri perniciose e tuttavia non mi lasciano ad onta di un oncia e mezzo di solfato di quinino che ho preso fino a oggi. Ma, grazie infinite al SIGNORE, con tutte le febbri, e con il medico al mio lato, appena suonava la campana che mi chiamava al pulpito, mi alzavo dal

(1) La *vara* equivale a metri 0.83

(2) Il disegno della Chiesa e dell'Ospizio fu fatto dallo stesso P. Beniamino Masciantonio.

letto e correva dove il dovere mi spingeva, restando stordito io e tutti gli altri ch'erano consapevoli della mia infermità. Vorrei ora riposare un poco e rimettermi in forze; ma non posso perchè di qui a cinque giorni debbo andare e predicare la settimana Santa in un paese non molto vicino. Il SIGNORE mi aiuti!

Ho fatto la risoluzione di travagliare nella vigna del SIGNORE, e veggo che il giorno in cui non travaglio sto malato lo stesso, e forse più. Quindi, le malattie, sopratutto di stomaco, o di una maniera o di un altra mi accompagneranno fino a tanto che il SIGNORE dica: « basta ».

4. Finora sono oltre 23,000 divoti che in questo stato si sono ascritti all'*Affiliazione del Santo Sepolcro* colla promessa di voler dare ogni anno, e per amore di DIO l' elemosina di tre lire. Ciò non si verificarà nella maggior parte per mancanza di chi vadi a raccogliere dette elemosine, ma qualche cosa sempre viene a questa Commissaria, in beneficio di Terra Santa.

Baciandole la sacra destra ed implorando la serafica benedizione mi ripeto ecc.

FR. BENIAMINO MASCIANTONIO.
M. O. *Commissario di T. S. in Medellin.*

IV. BIBLIOGRAPHIA

1883. DIARIO DE LOS VIAGES a las Tribus comprendidas entre el Beni y Madre de Dios y en el arroyo de Ivon en los años de 1881 y 1882, por el P. Nicolas Armentia, Min. Obs. de la Prov. de S. Luis, Impresion hecha bajo la proteccion del Señor Ministro de Gobierno Doctor Antonio Quijarro. La Paz « Tipografia Religiosa ». — Calle de la Recoleta, número 51. Pag. 131 in 8°.

Sequentia opera edita sunt a Monasterio Clarissarum civitatis Massiliensis, cum approbatione Rmi Patris Ministri Generalis:

1883. RÈGLEMENT ET COUTUMIER du pauvre Monastère de sainte Claire de saint Damien de Marseille, suivant la Règle primitive de Sainte Claire, approuvé par le Rme P. Ministre Géneral de tout l'Ordre des Fréres-Mineurs. Marseille, société anonyme de l'imprimerie marseillaise, Marius Olive directeur, rue Sainte 39. In 8. Pag. XII - 469 (Fr. 5).

1883. RITUEL ou Recueil de prières et de cérémonies à l'usage des Religieuses de sainte Claire, nouvelle édition, approuvée par le Rme P. Général de tout l'Ordre des Frères-Mineurs (eadem typographia) In 12, pag. X - 214 (Fr. 1, 40).

1883. CÉRÉMONIAL de la VÊTURE, de la PROFESSION et des ÉLECTIONS, à l'usage des Religieuses de sainte Claire, approuvé par le Rme P. Général (eadem typog.) In 18, *pag. 101.* (Fr. 0,50 cent.

Cura eiusdem Monasterii in proximum publicabitur optima *Explicatio Regulae Stae Clarae et Constitutionum S. Coletae* a sacerdote *Demore*, notissimo auctore *Vitae S. Clarae.*

V. NECROLOGIA

—

DE VITA FR. ANGELI PIANORI EPISCOPI FAVENTINI

I. CAROLUS ALOYSIUS PIANORI domo Brisighella, illustri oppido Faventinae Dioecesis, natus est die 17 Aprilis a. 1811. In sinu civilis familiae educatus (pater enim ejus Bartholomaeus advocatus erat et iudex rectissimus) adeo virtuti ac religioni adsuevit, ut vel a puero eam indueret morum severitatem, quam postea in omni vita retinuit. Perspecto adolescentis ingenio, eum parentes destinarunt ad studia litterarum, quibus se penitus dedit. Quod enim tempus ceteri ad solatium concedunt, is ad discendum insumebat. Hinc factum est, ut divina gratia leniter sese insinuans menti inspiraverit mundo valedicere, et religiosam vitam inire. In aetatis itaque flore hanc partem tanto studiosus suscepit, quanto propensiorem se sentiebat ad CHRISTI sectanda vestigia, et a saeculi illecebris alieniorem. Re quidem vera die 29 Octobris a. 1826 in sacro recessu *Montiani* Observantis Provinciae Bononiensis prima posuit disciplinae nostrae rudimenta, assumpto *Angeli* nomine.

II. Quanta fide peregerit probationis annum, declaravit gaudii fructus quem cepit ex votorum solemnium professione. Argumento etiam fuit renovatum propositum nihil imminuendi de rigore evangelicae perfectionis, cuius luculentum iam dederat specimen. Assidui studii, diligentissimae omnium officiorum observantiae, ferventis pietatis in DEUM, ac eximiae vitae integritatis spectatores et aestimatores fuerunt egregii condiscipuli, provectioresque Patres admiratores et iudices. Quorum si laudes referre vellemus, et singula eius facta recensere, multa seges esset meritorum colligenda, quibus dignum texeretur elogium.

III. Sacerdos factus a. 1835 in Philosophiae lectores, ut apud nos solet, adlectus est cunctis iudicum suffragiis, et postea novae laudis accessione Lector Theologus renunciatus. In his autem tradendis disciplinis, maxime philosophicis — quod non solum in Conventibus nostris Ariminensi et Bononiensi, verum etiam in seminariis Ariminensi, Foroliviensi et Faventino fecit — id sibi propositum habuit et perpetuo servavit, nunquam a sapientia Patrum et Doctorum Ecclesiae discedere, qui ita Philosophiam et Theologiam coniunxerunt, ut amice inter se conspirarent, et utriusque veritates mutuum sibi lumen affunderent: eamque plurimum suadere valuit innumeris fere alumnis, qui suo magisterio probe instructi hodie vel digniora loca Ecclesiae obtinent, vel in regimine animarum sunt aliis exemplo. — Ad haec divini verbi praeconium adiecit, quod non minore studio, quam laude fungebatur. Praesidium enim quaerens e sacrarum doctrinarum copia, quas sibi comparaverat, tam salubri pabulo auditores suos enutriebat, ut ad suasionem et pietatem ciendam nihil esset utilius. Quantum vero in oratorio genere polleret, testes sunt, praeter alia, panegyricae orationes ab eo habitae *Bononiae* in Aede Petroniana per octiduum solemne Immaculatae MARIAE Virginis, in quibus veluti in aciem deduxit praeclariora argumenta Scriptorum Ordinis. —

IV. Vir plane sapiens, qui per quadraginta annos in hac palaestra versatus, et domi forisque probatissimus nihil de humili sua vivendi ratione deminuit, nihil apposuit, quod de se minus modeste sentiret. Tempus bene agens, ac seraphico Patri similis, qui supernae intentus contemplationi ab opere non desistebat, per novem lustra ita se gessit in Ordine, ut opera operibus intexendo utriusque vitae meritis copiose ornaretur. — Saepe Conventibus praefuit; et in hoc munere, quamvis sibi austerus legumque retinentissimus, a nullo tamen passus est quidquam suavitatis et facilitatis in se desiderari. Eius praeterea ingenium, doctrina, et, quod diximus, exemplum, cuivis erant efficacissima officiorum commendatio. — Relatus *in Provinciae Definitores* quaevis bona opera in Religionis decus promovit; quod multo magis fecit, et sua in nos merita cumulavit, cum electus *Minister Provincialis* (19 Nov. 1855) religiosas virtutes fovit, sacra studia provexit, et prudenti regimine communi Religiosorum bono consuluit.

V. Verum perfunctus hoc munere, et prospiciens temporum calamitates in Conventum Foroliviensem « *Vallis viridis* » se contulit; et in urbico seminario Theologiae magisterium assumpsit. Promulgata dein (a. 1866) proscriptione Conventuum, qui sunt vota fidelium et redemptiones peccatorum, in privatam domum cum ceteris Sociis se recepit, ubi religiosam vitam ducens nunquam destitit, a docendo, DEI Verbo praedicando, excipiendis confessionibus, et dirigendis Sororibus III Ord. pro quibus accuratam etiam edidit Constitutionem. — Cooptatus demum *inter Definitores Generales* Ordinis, ut faceret satis desideriis et officiis Foroliviensis Episcopi Petri Pauli Trucchi, qui in Theologiae magisterio eum retinere studebat, conspicuo honori renunciavit. — Pauco tamen tempore ibi demoratus est; quia SS. Pius IX, audita fama doctrinae et pietatis eius, aequus ut erat meritorum hominumque aestimator, in Concistorio secreto diei 27 Octobris A. 1871 Faventinae Ecclesiae Cathedram praeclaro viro assignavit. — Qui consecratus Imolae die 30 Novembris ab Emo Ravennatium Archiepiscopo Vincentio MORETTI, Faventiam solemniter die X subeuntis Decembris ingressus est.

VI. Quantum civibus laetitiam attulerit eius adventus, omnis aetas, sexus et ordo testati sunt, qui in occursum frequentissimi, et quocumque transiebat in publicum effusi gratula-

bantur. Vere nomine ac re *Angelus* erat Faventinae Ecclesiae, cui praeficiebatur; vereque eum dixeris, si per omnem vitam decurras, Patrem amantissimum et Pastorem pervigilem suarum ovium. Duodecim sane annos, menses quinque et dies quindecim, quotquot vixit in ea regenda non parva dioecesi, totos implevit atque egregiis illustravit operibus. Omnem in primis circumspectionem adhibuit, unde pastorali suo officio salutares fructus compararet; et postea ita fidelium vota suscepit, ut quod ad confirmationcm optimae eorum voluntatis pertineret, id accuratissime perficeret.

VII. Praeclare in hunc finem impertivit Catholicae veritatis, et officiorum inde manantium sanctitatis documenta cum profectu haud poenitendo illorum, qui ea sunt sequuti. At cum perditorum hominum coitiones erroribus et flagitiis evulgandis acrius insisterent, tunc sacerdotale pectus opposuit, et summa cum cura edocuit quanti sit fidem catholicam possidere, et quantopere omnium referat eam viriliter aperteque defendere. Totae in hoc versabantur graves et doctae Homiliae, quas habuit, et plures etiam pastorales Epistolae, quibus fideles de grassanti peste commonebat; ea ceterum ratione rem agens, qua decet sacrum Praesulem non minus de impetito Ecclesiae magisterio sollicitum, quam de aeterna omnium salute studiosissimum. Quod cum adversae factionis homines redarguere non valerent, et acerrimum telum sentirent, infensum illi animum palam declararunt, et per calumniam intulerunt actionem; quinimo prope fuit, ut ex insidiis et proditione parricidiale eorum ferrum sacro Pastori non parceret. Tanta erat in hisce liberis opinatoribus, ut aiunt, scelerati animi abiectio et immanitas!

VIII. Suis tamen itineribus perrexit Episcopus in populo Dei, a quo luculentiores obsequii et effusioris studii ferebat testimonia. Saepe ad eum invisit, ubicumque centum et amplius Paroeciarum ageret, propriam Instituti humilitatem ac modestiam prae se gerens; diemque sustinens in sudore, sole et pulvere, unica benefaciendi conscientia contentus. Quam hunc populum audientem suis praeceptionibus, quamque gratum impensis curis habuerit, hoc plane docuerunt uberes vitae fructus, quos tulit, ac omni in loco excitati honores et laetitiae, in quibus religio maxime se prodebat. Nemo unquam, qui fidem suam implorasset, facilitatem in admissione desideravit; nullius erat humilitas quae ab eius aditu excluderetur; nullius adversa fortuna, quae ad eius sinum, tamquam miserorum aram, non confugeret.

IX. Prae ceteris vero hanc eximiam animi bonitatem experti sunt Faventini cives, quorum certe pars maxima ac melior de religione et patria optime merita est. Addictissimos enim se praebentes Pastori suo, qui pro catholico nomine et animarum salute invidiam impiorum subierat, una eademque sententia, uno eodemque affectu eorum studium et officiorum omnium fidem testati sunt. Quae sane *pietas* luculenter docebat, quam arcte *adhaererent* Episcopo suo, qui fortitudinis exemplo praelucebat afflicto gregi et nova gloria exornabat Ecclesiam. — Sed praeter solatium, quod per huiusmodi attestationes adhibebant angustiis, virtutes etiam ac merita asserere et vindicare profitebantur. Memorabatur privata vita, quae mores alicuius profert, admirandae mediocritatis; praedicabatur caritas, facilis in omnes et beneficentissima; mansuetudo singularis, quae neminem a se abalienabat; animus patiens et clemens, quamdiu officium exigeret. — Merita etiam efferebantur, inter quae publica pietas suo exemplo facta perspectior; disciplina Cleri aut suffulta, aut erecta, aut restituta; Clericorum Ephebeum, in quo renovando tulit operae pretium. Ibi enim succrescens Clerus non solum iis studiis excolebatur, quae scire aequum est et in regimine animarum necessarium, verum etiam ad strenuam defensionem catholicae veritatis validis tractandis armis fiebat instructior.

X. Cum haec crebro ac publico sermone usurparentur, nil mirum videri debet, si die tertia superioris mensis Februarii filiale omnium studium a summis ad infimos vehementer se commoveret de sacri Pastoris infortunio, quod maioris mali praenuncium censebatur. Improvisa enim correptus paralysi vix in se rediit post adhibita morbo corrigendo remedia, miserrime patuit nihil ea ad salutem valuisse. Plures alii ingruentes accessus in septuaginta dierum decursu, quot adhuc vixit, clarius de divina voluntate admonuerunt. Dies tandem XII^a Aprilis, seu sabbatum Resurre-

ctionis illuxit, in quo divinis refectus Sacramentis, et in CHRISTI Servatoris nostri meritis spes suas collocans ex hac vita ad placidam quietem transivit. Quanta totius civitatis consternatio fuerit satis verbis exprimi nequit. Memoratu dignum est quod frequentissima ad eius funera die XV[a] confluxerit, calamitatis sensum praeseferens, et dolorem lacrymis prodens. Flebant pauperes amissum columen, gemebant boni ereptam tutelam, moerebat Clerus avulsum decus ab oculis. Supererat tamen in eorum animis perenne monumentum amoris, obsequii, et venerationis quod nulla hostili vi, nullaque temporum diuturnitate destruetur (1).

A. R. P. SATURNINUS A MODIONA, rurestri loco ad radices Alverniae sito, natus est die 23 Maii anni 1828 in ora maritima Tusciae ubi parentes sui, possessores gregis, hyemabant. Dum adhuc adolesceret, et in eo monte, quo saepe solebat ascendere, de ratione ineundae vitae cogitaret, nihil sibi praesentius visum est ad amolienda mundi pericula, quam si Sancto Francisco se dederet. Optimis moribus praeditus erat, devotione in DEUM proclivique ad discendum ingenio; et a Patribus acceptus est. — Ita Seraphici Patris vestigiis ingressus die 27 Maii a. 1846 vocationem suam rite approbavit in Conventu illius solitudinis mysterio Stigmatum consecratae, et vota solemnia post completum tyrocinium nuncupasset, nisi a civili lege interdiceretur. Quare professionem hanc distineri oportuit ad diem usque 7 Aprilis a. 1852; qua emissa non multo post Sacerdos initiatus est. — Interea tamen temporis ad magisterium omni studio enitendum putavit; cui cum idoneus reperiretur, continuo ad docendam Philosophiam in Conventu *S. Digiti* destinatur, et postea Theologiam in illo *Fesularum* cum non minore sui laude, quam profectu studiosorum sacrae disciplinae. Hic autem absoluto magisterii cursu iussus est permanere ob aeris salubritatem, amoenitatemque loci, quae contractae invaletudini utilem fore sperabatur, non sibi soli ceterum vacans, sed etiam, quantum ferre posset, dans operam sacro ministerio. — Cum consanuisse visus sit die 9 Martii a. 1870 Romam vocatus est a Ministro Generali, ut Strictioris Observantiae Secretarium ageret; quod officium naviter gessit et in exemplum perfecit. Inter hoc tempus, ea qua erat existimatione, vices etiam Delegati sustinuit, absente Revmo: pariterque cum auctoritate Commissarii Visitatoris Provincias Reformatas Tridenti, Longobardiae et Tusciae, serius vero etiam sacros Romanos recessus, peragravit, ubi sanctae Regulae ac statutorum Reformationis observantiae non parum contulit; ac sapienti consilio providentia, studiosaque sollicitudine omnium voluntates sibi devinxit. — Quod si alicubi commisit, ut Decretis Pontificiis et legibus Ordinis obsequendi magis urgeret propositum non aliae ad id perpulerunt causae, quam ut omnis contentionum materies tolleretur. Talis enim vir non modo facere, sed ne cogitare quidem ausus fuisset, quod non a recta profisceretur conscientia. Et sane ut eius mens luculentius innotuit, non solum omnes in eamdem abierunt sententiam, verum etiam re declararunt se pacem, concordiam et observantiam omni ex parte colere et tueri velle. — Ceterum quisquis perspicere poterat, quam is esset legum observantissimus, quam rudem indueret vestem, quam austeram ageret vitam ut nec dispensationibus uteretur unquam, nisi coactus obedientia. Visus erat, ut diximus, consanescere ex sua invaletudine saltem iuxta speciem et habitus corporis existimationem; sed lethalia germina subsidebant. Iam abhinc paucos annos in gravem inciderat morbum, a quo multis adhibitis cautelis relevari potuit sed non absque in idipsum relabendi formidine. Tota temperatio humorum in flagitio erat, quae minabatur inferre perniciem. Patiebatur vehementer infirmus; et tamen assiduus erat officio perinde ac sanus et salvus esset. — Mense Iunio a. 1881 evectus fuit unanimis fere votis ad dignitatem Procuratoris Generalis Reformatae familiae; et, ut sui moris erat, nihil temporis in hoc novo et graviore munere sibi reliquum faciebat. Ex hac assiduitate malum, quod timebatur, recruduit; et ineunte mense Maio huius anni dirus

(1) In Epistola Ad. R. P. Provincialis Aloysii a Parma, unde haec desumpsimus, alterum funebre Officium, seu *Trigesimum* annunciatur die XV Maii persolvendum, in quo laudationem defuncti Episcopi dicturus esset Canonicus Baldassarri doctrina et ingenio clarissimus.

hydrops pectori insedit, nullo ut oppugnari modo posset. Conclamata est valetudo, et extrema praesensit infirmus. Quanta in eo pietas esset, quam aequo et constanti animo noctes insomnes et morbi dolores perferret, quam demisso et obsequenti animo divinae voluntati finem suum amplecteretur, testes sunt quotquot eum inviserent, aut lecto adsiderent. Perurgente malo et labentibus viribus magna devotione SS. Viatico se refecit, et continuo extremam petiit unctionem; qua munitus declaravit se morti esse paratum, et in benignissimo Redemptore, quem susceperat, peccatorum veniam et beatam Paradisi spem collocare. — Mane trigesimo exeuntis Maii inter loquendum linguae usu et sensibus destituitur, et ita se habuit, donec vespere sabbati Pentecostes, veluti vigilia diei aeternae, et laetitiae inenarrabilis, quam repromisit Deus diligentibus se, placidissime expiravit. Funebri officio Revma Curia et Religiosi nostri Romae commorantes frequentissimi adstiterunt. Magnum vero commendandae pietatis argumentum attulerunt litterae Provinciarum et Conventuum, quae moerorem significabant ex obitu meritissimi Patris susceptum; eisque ultro et solemniter parentatum ac salutari hostia suffragatum testabantur. Exempla haec religionis et affectus pignora nobilissima, dum non minus Ordinem nostrum quam extincti nomen honorant, spem etiam ingerunt fore, ut iam Deus in misericordia dives in eius solatium et suffragium haec exceperit vota; paremque caritatis mercedem exorantibus sit redditurus.

Romae in collegio Poenitentiariorum apostolicorum ad Sanctum Ioannem in Laterano obiit in Domino A. R. Pater Andreas a Pileo, Romanae Provinciae Reformatorum alumnus. Natus non longe ad Urbe in castro Pilei apud Hernicos die 18 septembris 1805 seraphicum Ordinem ingressus, solemnia vota nuncupavit die 21 novembris 1827. Cum religiosam disciplinam ad exemplum coleret, pluries regimini suorum praeopositus primarii quoque conventus S. Francisci ad Ripam Guardianus nec non Provinciae Definitor fuit. Zelo animarum ardens peccatoribus sacramento poenitentiae reconciliandis assidue instabat; hinc etiam Poenitentiarius apostolicus, pro lingua hispanica, in archibasilica lateranensi constitutus est, quod munus diligentissima fidelitate ab anno 1852 ad mortem exercuit; quae illi obtigit die 1 martii 1884. Cum religiosae vitae et charitati proximorum orationis quoque studium assidue coniungeret, hinc sperare licet mortem pretiosam fuisse in conspectu Domini. Orent tamen pro eius anima Confratres.

Adm. R. P. Augustinus a Plataco, Obs. Provinciae Calabriae filius, Plataci natus in diocesi Cassanensi, die 12 Julii 1814, religionem ingressus est anno 1830. Bononiae studiis sacris incubuit et Lector institutus ad propriam Provinciam rediit. Guardianus in diversis Conventibus, Provinciae Secretarius, Definitor, Custos et Minister Provincialis successive renuntiatus est. Denique quum esset Examinator synodalis Cosentinae archidioecesis, Confratribus ante et post peractam suppressionem apprime charus, a concivibus in veneratione habitus, Cossentiae in Domino obiit die 14 Aprilis 1884, apoplexia correptus. R. I. P.

Adm. R. P. Ioannes Franciscus a Morassi, Ref. Provinciae Genuensis ex Minister et Lector Emeritus, qui ob doctrinae laudem inter Synodales Examinatores et S. Thomae Collegii Doctores cooptari meruit; et ob animi sui dotes omnibus charus, Confratrum decus, magister et pater habitus fuit; brevi morbo correptus, omnibusque Ecclesiae Sacramentis munitus, pie quievit in Domino Genuae in Conventu Visitationis die 28 Aprilis 1884, aetatis anno 73, religionis vero 55. R. I. P.

Triste nuntium ad nos pervenit mortis Illmi et Rmi D. Ephisii Chiais, Obs. Prov. S. Thomae, Taurini, Episcopi titularis Tyenensis, et Vicarii Apostolici de Xen-si, in imperio Sinensi. Supremum diem in Domino clausit die 12 Aprilis 1884.

Die vero 22 Iunii obiit A. R. P. Antonius M^a a Vicetia, Ref. Prov. Ven. et 17 Julii, A. R. P. Thomas ab Urbe, M. O. Def. Glis, de quibus necrologiam dabimus.

Nihil obstat.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

(ADDITIO AD ACTA ORDINIS MINORUM.)

DE
STUDIO DOCTRINAE SCHOLASTICORUM
IMPRIMIS DUORUM DOCTORUM PRINCIPUM
S. THOMAE ET S. BONAVENTURAE.

DISSERTATIO
OCCASIONE INAUGURATIONIS

CIRCULI ACADEMICI THEOLOGICO-PHILOSOPHICI S. ISIDORI DE URBE

COMPILATA ET LECTA IN

AULA COLLEGII S. ISIDORI FF. MIN. RECOLLECT. HIBERNORUM

A

P. BERNARDO DOEBBING

Lect. theol. praedicti Collegii et Prov. Saxoniae S. Crucis Min. Recoll. alumno.

Reverendissime Pater!

Licet sim simplex et minimus inter Paternitatis Tuae filios, cui competit inter tot viros scientia et virtute praestantes, quos caritas Christi hodie hic congregavit in unum, potius tacendo discere, quam verba facere; tamen non modica animi voluptate me perfundi fateor, quod mihi concessum sit, in nomine Confratrum meorum, *antiqui huius ac venerabilis Collegii S. Isidori de Urbe* alumnorum, in praesentia *Reverendissimae Tuae Paternitatis,* in qua veneramur secundum Constitutiones, a celeberrimo *Luca Waddingo* conscriptas, huius domus *immediatum Rectorem et Gubernatorem nostrum,* quaedam de *studio scholastico* pro tenuitate mea in medium proferre. Quo autem *spiritu* hoc quod mihi propositum est, sit perficiendum, iam praelineatum mihi esse gaudeo hesterno die, in perpetuum memorabili, quo positus est primarius lapis pro Collegio generali in honorem S. Antonii aedificando, quod pro gravioribus litterarum studiis in toto Ordine nostro promovendis mira Dei providentia et cum benedictione Ss. Domini Nostri Papae Leonis XIII a Paternitate Tua erigitur. Nam Eminentissimus D. Cardinalis Parocchi, qui solemni ritu aedificium illud initiatus est, in praeclarissimo suo sermone [1] locutus est etiam de unione summa et amicitia, quae obtinuit inter summos Doctores, S. Thomam et Bonaventuram, et quasi quodam oraculo viam delineavit, qua suo tempore in praedicto Collegio studiis litterarum vacandum sit. Profecto *quam iucundum habitare fratres in unum* [2], quam fortis, quam necessaria est *concordia* inter eos, qui eidem Dei templo aedificando addicti sunt! Quis dubitet, hoc etiam in restauranda doctrina antiquorum Scholasticorum valere, inter quos Doctores duos Ecclesiae, S. Thomam et S. Bonaventuram, prae ceteris excellere exploratum est. Confisus igitur seraphica Paternitatis Tuae Reverendissimae benedictione, pauca de restauranda utriusque doctrina dicturus sum, non eo animo, ut alterum sanctum Doctorem opponam alteri, sed potius utrumque et utriusque unionem commendem, utriusque doctrinae saluberrimae studendum

---

[1] Vide Acta Ord. Minor., Ann. III, Fasc. V, pag. 77.

[2] Ps. 132, 1.

esse suadeam, et utrumque sanctissimum et doctissimum virum pari honore et laude pro viribus celebrem.

Illustrissimi et humanissimi auditores, carissimi Confratres.

Si aliquoties, Deo volente, in hac venerabili aula exercitationes, ut ita dicam, scholasticas et scientificas consilio atque auxilio aliorum instituturi sumus; non nostram ullo modo intendimus proponere scientiam, sed ex *thesauro illo maximo aevi medii* proferemus nova et vetera, sive in dissertationibus tractanda, sive interdum discurrendo disputanda. Cum autem hodie inauguremus circulum academicum theologico-philosophicum, non omnino inutile esse mihi videtur — licet omnia iam sint nota et saepe saepius melius etiam explicata — quasdam *observationes,* quae studium Scholasticorum, et imprimis ipsorum heroes ac principes, S. Thomam scilicet et S. Bonaventuram, concernunt, pro modulo meo in medium proferre.

Primo quidem aliqua attingamus circa *unicum illud totius christianae scientiae et sapientiae fundamentum et complementum;* et ex Doctoribus, qui super illo fundamento inconcusso stant et docent, *quosdam designemus praeclarissimos tanquam duces in via scientiae et sapientiae securissimos, eorumque typum communem et characteres generales* paulisper delineemus.

In secunda parte quasdam *S. Bonaventurae proprietates* inspiciamus; ita ut quidquid singulare est S. Thomae alii viro doctiori in speciali dissertatione exponendum relinquamus.

I. S. Bonaventura in sermone quodam [1], quem praedicavit de textu s. Scripturae: *Unus est magister vester Christus,* Christum Dominum, benedictum Salvatorem nostrum, in medio posuit ut omnis scientiae et sapientiae, tum naturalis tum supernaturalis, *fundamentum et complementum,* ac simul profundis rationibus commendat, ut ab omnibus sapientibus tanquam *centrum omnis veritatis* sit eligendus; ad quod singuli doctores *quasi ex circumferentia veritatis sub distinctis et propriis radiis rectis studiose collineent* [2]. — Quod vero Christus sit illud omnis verae scientiae fundamentum et complementum, s. Scriptura aperte declarat his verbis: *Unus est Magister Christus.* Alterum etiam eadem simul insinuat dicens: Magister *vester,* quo intelligamus, quod sicuti singula puncta in linea circumcurrente per radios cum centro circuli coniunguntur, ita omnis intellectus quadam intima relatione ad Christum debeat copulari, tanquam ad *fontem omnis veritatis.* Ipse enim est *via, veritas et vita* [3]. « Triplex namque est gradus cognitionis certitudinalis et rectae, secundum quod dicit Hugo de Sacramentis [4]: Isti sunt tres gradus promotionis fidei, quibus fides crescens ad perfectum tendit vel conscendit: primus per pietatem *eligere,* secundus per rationem *approbare,* tertius per veritatem *apprehendere.* Secundum hoc apparet, quod triplex est modus cognoscendi, quorum primus est per *credulitatem piae ascensionis,* secundus per *approbationem rectae rationis,* tertius vero per *claritatem mundae contemplationis.* Primus spectat ad habitum *virtutis,* quae est fides, secundus ad habitum *doni,* quod est intellectus, tertius ad habitum *beatitudinis,* quae est munditia cordis. Cum igitur triplex sit cognitionis differentia: videlicet creditiva, collativa et contemplativa, omnium harum est *Christus principium* et causa, et ita, quod primae est principium in quantum *via,* secundae, in quantum *veritas* et tertiae, in quantum *vita* [5] ».

Quam assertionem S. Doctor subtili inquisitione explicat et probat tum s. Scriptura, tum ratione, tum SS. Patrum, imprimis eximii doctoris S. Augustini testimoniis. *Christus* qua *via* per *revelationem* secundum adventum suum in *mentem,* et per auctoritatem secundum adventum suum in *carnem,* est *magister* et principium omnis cognitionis *cre-*

[1] De humanae Cognit. ratione, pag. 73; Ad Claras Aquas 1883. Locus s. Scripturae est Matth. 23, 10.

[2] P. Matthias Hauzeur, tom. I. in append. col. 27.

[3] Ioan. 14, 6.

[4] Libro I. part. 10, c. 4.

[5] S. Bonav. in serm. loc. cit.

ditivae. « Venit autem in *mentem* ut lux revelativa omnium prophetalium visionum, et in *carnem* ut verbum approbativum omnium prophetalium locutionum. Ex quo datur intelligi, quod non potest perveniri ad certam fidei revelationem nisi per adventum Christi in mentem, — et tota Scriptura authentica et eius praedicatores aspectum habent ad Christum venientem in *carnem* tanquam ad fundamentum totius fidei christianae [1] ».

« Est etiam Christus magister cognitionis, quae est per *rationem*, et hoc in quantum est *veritas* [2] ». Praetermissis auctoritatibus s. Scripturae et doctorum, quae a S. Doctore allegantur, tantummodo duas rationes breviter perstringamus, quas Doctor seraphicus tum ex *obiecto scibili*, tum ex *subiecto cognoscente* feliciter deprompsit. Iam scientia stricte dicta ex parte scibilis requirit *immutabilitatem*, quae omnimoda necessitate nititur; ex parte vero scientis *infallibilitatem* expostulat, quae sit proportionata infallibili certitudini. Atqui *omne creatum* extra nos et intra nos, eo ipso quod est creatum, *vertibile* atque *mutabile* existit; et ideo et mens nostra potest falli, et lux ipsi concreata quadam obscuritate est involuta. Ideo ex parte mentis nostrae sibi derelictae cognitio vere immutabilis et infallibilis haberi non potest, nisi *moveat et compleat* eam veritas *creans*, quae ipsa summe est immutabilis, et cum luce sua infallibili omnem intellectum illuminat, « *Sapientia* scilicet *increata, quae est Christus* ». Eandem conclusionem aliis verbis exprimit S. Bonaventura dicens: « Lux ergo intellectus creati *sibi non sufficit* ad certam comprehensionem rei cuiuscumque absque luce Verbi aeterni [3] ». Et concordat S. Thomas in Quaestione unica de anima ad 9, ubi dicit, « quod intellectus agens *non sufficit per se* ad reducendum intellectum possibilem perfecte in actum, cum non sint in eo determinatae rationes omnium rerum. Et ideo requiritur ad ultimam perfectionem intellectus possibilis, quod uniatur aliqualiter illi agenti, in quo sunt rationes omnium rerum, scilicet Deo ». Unde Augustinus in primo Soliloquiorum [4] dicit: « Quomodo in hoc sole tria quaedam licet advertere, quod *est*, quod *fulget*, quod *illuminat;* ita et in illo secretissimo Deo tria quaedam sunt, quod *est*, quod *intelligit* et quod cetera facit *intelligi* ».

« Postremo Christus, in quantum *vita*, est magister *cognitionis contemplativae* [5] ». Anima contemplativa in Christo Domino pascua uberrima invenit. Quando enim ingreditur ad *intus*, pastum invenit in Christi *deitate*, et si inde iterum regreditur *ad extra*, novum pastum reperit in *humanitate* Verbi incarnati. Et ita Christus aptissime comparatur scalae Iacob, per quam ascendunt ad caelum et descendunt ad terram omnes animae, quae in Christum ingrediuntur et egrediuntur; et ab ipso secundum omnem sensum, *interiorem et exteriorem*, illuminantur et reficiuntur, invenientes pascua in Factore suo: « pascua *foris* in carne Salvatoris, et pascua *intus* in divinitate Creatoris [6] ». De talibus autem, qui hisce deliciis coelestibus perfrui desiderant, valet illud Isaiae [7]: *Nisi crediderilis, non intelligetis,* quia: « Mentis humanae invalida acies in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur [8] ».

Haec iam satis ostendere videntur, *Christum, magistrum nostrum, revera esse fontem omnis scientiae et sapientiae,* ideoque omnium discentium mentes ex plenitudine ipsius *plus minusve* scientia secretissimo modo imbui. Ab huius fontis participatione uberrima ne ethnicorum quidem philosophi, qui ob eximiam rerum naturalium scientiam per tot saecula posteris admirationi fuerunt, totaliter excludendi sunt, cum nec ipsi nisi per influxum luminis, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [9], potuerint perfecte cognoscere quaecumque vera invenerunt. Attamen antiquae sa-

---

[1] S. Bonav. serm. cit. pag. 74.
[2] Ibid. pag. 75.
[3] Ibid. pag. 77.
[4] Cap. 8. n. 15.
[5] S. Bonav. serm. cit. pag. 77.
[6] Ibid. pag. 79.
[7] Cap. 7, 8.
[8] S. Aug. l. de Trin. c. 2. n. 4.
[9] Ioan. 1, 9.

pientiae lumina, cum non accensa essent radiis fidei, qua propriissime Christo tanquam fundamento innitimur, in multis etiam turpiter errasse comprobantur; et quod praecipue notandum est, non raro gravissime decepti sunt circa tales veritates, quae naturali lumine possunt attingi, et a quarum recta apprehensione felicitas vitae nostrae temporalis, imo beatitudo aeterna maxime dependet. Hinc eorum errores perpetuum et manifestum testimonium reddunt de infirmitate ac insufficientia mentis nostrae sibi derelictae, ita ut eius lumen naturale recte comparetur oculis vespertilionum. Hoc iam monuit Philosophus [1]: « Quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita et intellectus animae nostrae ad ea quae manifestatissima omnium sunt ». Quae verba secundum Averroem [2] « non intelligendi impossibilitatem, sed difficultatem demonstrant ».

Antiqua igitur sapientia Platonis et Aristotelis et corrigenda erat, ubi erravit, et profundiore veritatis fundamento firmanda, et sublimiore complemento exaltanda. Iam primi SS. Patres plurimum pro hoc laboraverunt. Imprimis autem admirandum nobis se exhibet illud S. Augustini scientiae aedificium, quod per tot saecula veritatis defensoribus ac propugnatoribus contra ipsius osores arma suppeditabat semper victoriosa. Positum enim est super fundamento incorruptibili, scilicet Christo, et titulo gaudet vere catholico fronti inscripto: *credo etiam, ut sciam.* Hinc omnibus domum *altissimae sapientiae* intrare volentibus prius compertum sit, *veritatem ab omni errore liberam* non posse, saltem moraliter loquendo, acquiri, nisi *intellectus in captivitatem redigatur in obsequium Christi* [3]. Qui autem in scholis Catholicis subsecuti sunt S. Augustinum probe prospectum habebant, quod *fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus* [4]. Imprimis magni illi Scholastici, qui medio aevo floruerunt, regulam supremam omnis scientiae in fide revelata posuerunt, omnemque scientiam soli Deo servire et revelatae veritati ancillari voluerunt.

Sicut autem omnes res mundanae continuo motu agitantur, ita et mortalium scientiae status minime est stabilis, sed etiam haec ex imperfectione ad perfectionem procedit, deinde summo apice vix obtento, iam iterum cum fluxu et spiritu temporis gradatim ad imperfecta dilabitur, donec de novo ex sepulchro ad vitam resurgat. Minime igitur mirum debet videri, quod post aeram illam gloriosissimam Scholasticorum splendor scientiae paulatim decreverit. Indevoti enim viri et a vera fide saepe alieni, a fundamento, quod est Christus, magis magisque recesserunt, novum scientiae aedificium construxerunt quidem, sed in arena, ponentes *intellectum humanum labilem pro lapide angulari.* Tunc separatio consecuta est philosophiam inter et theologiam, inter magistrum unicum omnis veritatis et humanae fallacisque scientiae discipulos. In hac nova domo, cuius inscriptio sonat: *rationalismus sine fide,* vel *subiectivismus absque auctoritate,* nata sunt tot impia systemata recentiorum philosophorum, quorum plurimi in foveam vel foedi materialismi, vel pantheismi vel crassi atheismi delapsi perierunt.

Non cunctemur igitur iam concludere, auditores benevolentissimi, *unumquemque eo plus scientia et sapientia repleri posse, quo propinquius ad Christum omnis scientiae et sapientiae fontem accesserit;* et rursus, quo magis a lumine hoc aeterno recesserit, eo obnoxiorem fieri caecitati et errori. Nonne Christus hoc docet qui dicit [5]: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris?* Quicumque ergo Christum non sequitur et cum ipso non habitat, in tenebris sedeat necesse est. *Quis autem Domine,* ut quaeramus cum Psalmista [6], *requiescet in monte* (Christo) *sancto tuo?* Et responsum accepimus: *Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam.* Nimirum sine *sanctitate vitae* nemo in tabernaculum verae sapientiae ingredi potest. Nam

---

[1] II. Metaph. text. 1.
[2] Comment. in II. Metaph. context. 1.
[3] II. Cor. 10, 5.
[4] I. Cor. 3, 11.
[5] Ioan. 8, 12.
[6] Ps. 14, 1-2.

solum *mundi corde Deum videbunt* [1], dum eum scilicet iam in hac vita magis magisque cognoscunt tanquam causam rerum omnium primam et finem ultimum. Et sicut universus mundus suum principium habet, quo non cognito, nec mundus ipse recte iudicatur; ita in omni huius mundi scientia recurrendum est ad principium primum veritatis, id est ad Christum Deum, *qui suo lumine mirabili insufficientiae intellectus nostri succurrat.* « Hic est enim fructus omnium scientiarum, ut in omnibus aedificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, hauriantur consolationes, *quae sunt in unione sponsi et sponsae.* Quae quidem unio fit per caritatem, ad quam terminatur tota intentio s. Scripturae, et per consequens *omnis illuminatio desursum descendens, et sine qua omnis cognitio vana est* [2] ». Quo magis autem anima in intimo suo secessu mundatur, eo copiosius in sanctuario animae, in similitudinem et ad imaginem Dei creatae, lumen illud ex alto illuminans resplendebit, eo fructuosius scientia accrescet secundum proportionem, quae causam inter et effectum subsistit. Ad talem sapientiam christianus philosophus tendere debet, ut, postquam per scalam rerum creatarum ad ipsarum Creatorem ascendit, regrediatur a primo Factore ad mundi contemplationem, et hac ratione puriorem et profundiorem ac perfectiorem scientiam sibi acquirat, *attingendo* pro *modulo suo rationes aeternas*, secundum quas omnia facta sunt. Notemus autem quae dicit Doctor seraphicus[3]: quod « pauci sint ita *sapientes*, licet multi *scientes;* pauci quidem sunt qui illas rationes sciant se attingere, immo quod plus est, *pauci sunt qui velint hoc credere*, quia difficile videtur intellectui ad aeterna contemplanda nondum elevato, quod ita habeat Deum praesentem et propinquum, cum tamen dicat Paulus Actuum decimo septimo [4], *quod non longe est ab unoquoque nostrum.*

Hisce principiis generalibus de fonte primario et universali scientiarum delibatis, iam circa fontes scientiarum secundarios et particulares investigationem instituamus, inquirendo scilicet et determinando, qui inter tot doctores eligendi sint, ut discipuli eos tanquam magistros in via scientiae et sapientiae cum securitate necnon magno cum profectu sequi possint. Numquid isti inter agmina *prudentum huius mundi* forsan quaerendi sunt, qui *de ratione sua subiectiva* gloriantes, *Deum in creaturis suis non vident, quia caeci sunt; non laudant, quia muti sunt; nec diligunt nec colunt nec magnificant nec honorant, quia stulti sunt; ita ut universus orbis terrarum aliquando contra ipsos consurgat* [5]? Potius nobis arrident doctores, qui licet *humilitate parvuli* sint coram hominibus, *magni* vero existunt in conspectu Dei propter *vitae sanctitatem*, quae illuminationem mentis speciali modo meretur; qui cum Daniele *viri desideriorum* [6] fuerunt et accensi *per fulgorem continuae speculationis, qua mens ad radios lucis directissime et intentissime se convertit* [7], qui primo *per gemitum orationis per Christum crucifixum ascenderunt* [8], pro certo habentes, *non suffecturam lectionem sine unctione, speculationem sine devotione, investigationem sine admiratione, circumspectionem sine exultatione, industriam sine pietate, scientiam sine caritate, intelligentiam sine humilitate, studium absque divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata* [9].

Si adhuc restare possit aliquod dubium, ipsa summa sanctae matris *Ecclesiae auctoritas* nos convincet, quae ex *solis viris sanctis* elegit riteque instituit eos, quos fidelibus tanquam catholicae veritatis doctores et duces tuto sequendos commendat. Cum autem Ecclesia, a Spiritu S. illuminata, non nisi ad salubria pascua oves suas invitare et mittere possit, patet, quod ab ipsius auctoritate Doctores

---

[1] Matth. 5, 8.
[2] S. Bonav. Opusc. De Reduct. artium ad thelogiam.
[3] Quaest. disput. De humanae cognit. ratione, pag. 69. Ad Claras Aquas, 1883.
[4] Vers. 27.
[5] Cfr. S. Bonav. Itiner. mentis in Deum, c. 1.
[6] Dan. 9, 23.
[7] S. Bonav. Prolog. ad Itiner. mentis in Deum.
[8] S. Bonav. ibid.
[9] S. Bonav. ibid.

Ecclesiae universalis maximam participant auctoritatem doctrinalem. Nemini vero, precor, displiceat verbum illud *auctoritas*. Absque enim auctoritate docentis quis scientiae et sapientiae thesauros posset sibi unquam comparare? Nam homo ex natura sua est *ens sociale*, proinde sicuti in aliis artibus, ita et in scientia multas veritates *ab auctoritate* primo mutuare necesse habet. Quomodo unquam discipulus in via studendi faciet progressum, qui ab auctoritate desciscit sui magistri? Quis foret tam stultus, ut praesumat, se omnia illa, quae per tot homines et per multa saecula cum labore immenso et multo sudore sunt excogitata, sola sua ratione *quasi unius diei* posse invenire, spernendo auctoritatem? Erubescat talis, si quis est in mundo, audiens ethnicum illum Philosophum — cui, teste S. Bonaventura [1], datum fuit *donum scientiae* — qui mentem modestam ita commendat [2]: « Verum non solum illis agendae sunt gratiae, quorum opinionibus quis acquiescit, sed illis qui superficietenus dixerunt; conferunt enim aliquid etiam isti; habitum namque nostrum exercuerunt. *Si enim Timotheus non fuisset, multum melodiae nequaquam habuissemus; si tamen Phrynis non extitisset, ne Timotheus; quodam simili modo et de illis est, qui de veritate asseruerunt: a quibusdam enim aliquas accepimus opiniones, quidam vero, ut hi fierent, causa fuerunt* ». Unde ut de hac necessitate se subiiciendi auctoritati mens nostra superba efficacius convinceretur, Verbum Dei summe verum non solum venit in *mentem spiritualiter*, sed et in *carnem visibiliter*, ut ponat seipsum in carne visibili omnis auctoritatis in mundo fundamentum visibile. Si vero admittitur, auctoritatem docentem necessariam esse ad scientias acquirendas, nonne rationabile esse videtur, ex pluribus auctoritate docendi gaudentibus illis adhaerere viris doctissimis, quos infallibilis magistra veritatis, sancta Ecclesia, solemniter ut Doctores Ecclesiae universalis in medio posuit? Et quare voluit, ut in medio Ecclesiae aperiant os suum? Quia ipsi, propter vitae sanctitatem intime inhaerentes Christo, luci increatae, incircumscriptae, aeternae, infallibili, speciali modo et copiosissime erant illuminati ex alto, et speciali charismate ad docendam viam veritatis a Deo donati, ut sint mundo *lucernae lucentes et ardentes*.

Audiamus igitur, auditores benevoli, imprimis qui sumus alumni Ordinis Minoritici, cuius sodales secundum exemplum et ex voluntate inclyti fundatoris Patris nostri S. Francisci in obedientia *ad pedes S. Sedis Apostolicae* semper debent esse provoluti, audiamus, inquam, *vocem apostolicam*, quae, quo magis mundus *ad sua desideria coacervabat sibi magistros prurientes auribus* et *a veritate quidem auditum avertebat* [3], eo altius proclamat universo mundo: quod divina gestum sit providentia, ut saeculum decimum tertium inter plures praeclarissimos viros duo nobis dederit summa ingenia, *Thomam videlicet Aquinatem et Bonaventuram Balneoregiensem;* quos Sixtus IV., « *duo clarissima illius aetatis lumina* e duobus florentissimis Ordinibus Praedicatorum et Minorum » iure appellat; « quos in hoc saeculo, ut bene advertit idem Summus Pontifex, *fraterna iunxit caritas*, et eadem in coelo praemia consecutos credimus, *et praesens Ecclesia pari veneratur honore* [4] ». Hi enim sunt « *duae olivae*, ut dicit Sixtus V., et *duo candelabra* [5] in domo Dei lucentia, qui et *caritatis pinguedine et scientiae luce* totam Ecclesiam collustrant; hi *singulari Dei providentia* eodem tempore tanquam *duae stellae* exorientes ex duabus clarissimis regularium Ordinum familiis prodierunt, quae sanctae Ecclesiae *ad catholicam religionem propugnandam maxime utiles*, et ad omnes labores et pericula pro orthodoxa fide subeunda paratae semper existunt; ex quibus tanquam ex fertili et bene culto solo, quotidie per Dei gratiam foecundae et fructuosae plantae procreantur, hoc est, *viri doctrina et*

---

[1] Serm. cit. pag. 81.
[2] II. Metaph. text. 2.
[3] II. Tim. 4, 3, 4.
[4] Bulla: Superna coelestis, § 23.
[5] Apoc. 11, 4.

sanctitate praestantes, qui Petri naviculae, tot fluctibus agitatae, et Romano Pontifici, eius clavem non sine magna sollicitudine tenenti, fortem et fidelem operam navant. Hi duo Sancti, cum essent coaevi iisdemque studiis dediti, condiscipuli, simul magistri, pari ratione a Gregorio X. Summo Pontifice, cum ambo ad Concilium evocarentur, honorati et in huius vitae peregrinatione *fraterna caritate, spirituali familiaritate, sanctorum laborum societate valde coniuncti fuerunt,* et denique *pari gressu ad coelestem patriam commigrantes, pariter felices et gloriosi illa sempiterna beatitudine perfruuntur,* ubi eodem caritatis affectu, ut pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant divinamque opem implorant, ut merito idem Sixtus IV., hos duos Sanctos *persimiles et quasi geminos in Christo fratres* agnoscens, statuerit, *sanctum Bonaventuram consimili venerationis et honoris praerogativa atque S. Thomam decorandum esse* [1]. — Iam si S. Thomas et S. Bonaventura *duo sunt clarissima lumina* et *duo summa ingenia,* non miremur, quod S. Sedes *utrumque Doctorem,* tum Angelicum tum Seraphicum, omnibus scientiam quaerentibus ac sanctitatem amantibus tanquam *magistros solidos et praeexcellentes duces* commendaverit simulque praeposuerit. « Vos omnes, Venerabiles Fratres, inquit Leo XIII., [2] *quam enixe hortamur,* ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum *auream S. Thomae sapientiam* restituatis et quam latissime propagetis ». Ecce! eadem voluntas Sixti V. respectu studii ac propagationis doctrinae S. Bonaventurae; dicit enim praelaudatus Summus Pontifex in Bulla, quae incipit: *Triumphantis Hierusalem* [3]*:* « Harum tenore approbantes et innovantes, ipsum S. Bonaventuram, *iure sanctorum Doctorum consortio* ab eodem Sixto IV. adscriptum et connumeratum, auctoritate Apostolica tenore praesentium *inter praecipuos et primarios,* qui theologicae facultatis magisterio excelluerunt, habendum ac venerandum esse, *decernimus et declaramus.* Atque ob eam causam, sperantes in Domino, huius *Seraphici Doctoris,* lucubrationes *ad doctrinam et devotionem,* quam in clero populoque christiano magnopere lucere et ardere cupimus, maximo adiumento fore, illius libros, commentarios, opuscula, opera denique omnia, prout ex nostra typographia Vaticana quam emendatissima, ut supra dictum est, emittuntur, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, qui eximii sunt, *non modo privatim, sed publice in gymnasiis, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis christianisque exercitationibus citari, proferri atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus* ».

Primaria vero ratio, quae ad praedictas exhortationes ac decisiones Summorum Pontificum tam *distincte ac praeceptive* pronuntiatas, dedit impulsum, non est nisi *Doctorum illorum principum doctrina aurea et forma loquendi aptissima.* Haec enim duo commendat Summus Pontifex Leo XIII. in Bulla celeberrima: « Aeterni Patris », de Scholasticorum et imprimis S. Thomae et S. Bonaventurae mirabili doctrina ita dicens: « Exinde mediae aetatis Doctores, quos *Scholasticos* vocant, magnae molis opus aggressi sunt; *nimirum segetes doctrinae foecundas et uberes,* amplissimis SS. Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem. — Quae autem scholasticae disciplinae sit origo, indoles et excellentia, iuvat hic, Venerabiles Fratres, verbis sapientissimi viri, Praedecessoris nostri Sixti V., fusius aperire: « Divino illius munere, qui solus dat spiritum scientiae et sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis instruit, inventa est a maioribus nostris, sapientissimis viris, theologia scholastica, quam *duo potissimum gloriosi Doctores, angelicus S. Thomas et seraphicus*

---

[1] Sixti V. Bulla: Triumphantis Hierusalem, § 13 (anno 1588).

[2] Bulla: Aeterni Patris.

[3] In § 14 et 15.

S. Bonaventura, clarissimi huius facultatis professores,... excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt. Et huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas: his vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est [1]. « Quae verba, prosequitur Leo Papa XIII., quamvis theologiam scholasticam dumtaxat complecti videantur, tamen esse quoque de *philosophia* eiusque laudibus accipienda perspicitur. Siquidem praeclarae dotes, quae theologiam scholasticam hostibus veritatis faciunt tantopere formidolosam, nimirum, ut idem Pontifex (Sixtus V.) addit, « *apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, ille ordo et dispositio* tanquam militum in pugnando instructio, *illae dilucidae definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimae disputationes,* quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta, tanquam veste detracta, patefiunt et denudantur [2] », praeclarae, inquimus, et mirabiles *istae dotes unice a recto usu repetendae sunt eius philosophiae,* quam *magistri scholastici,* data opera et sapienti consilio, in disputationibus etiam theologicis passim usurpare consueverunt. Praeterea, cum illud sit scholasticorum theologorum proprium ac singulare, ut *scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo coniunxerint,* profecto theologia, in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuissent ».

His praeconiis, quae S. Thomae simul ac S. Bonaventurae *doctrinae foecundae eiusque dispositioni* aptissimae attribuuntur, sapientissimus Summus Pontifex, ad S. Thomam quod spectat speciatim, haec addit [3]: « Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, soli comparatus orbem terrarum calore virtutum fovit, et *doctrinae* splendore complevit. Nulla est *philosophiae pars,* quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo *neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur* ». — His de S. Thoma magnifice a Summo Pontifice dictis praeconiis perfecte consonant magnae laudes, quibus alter Summus Pontifex Sixtus V. in S. Bonaventura miris laudibus celebrat *divini ingenii sui monumenta, sapientiae suae in Ecclesia Dei eloquia, doctrinam praestantem necnon argumentandi subtilitatem, docendi facilitatem, definiendi solertiam.* En Sixti V. verba [4]: « Tantam vero laudem in interpretandi munere et in universae theologiae scientia est consecutus, ut viri doctissimi *eius doctrinam et eruditionem* admirarentur, et quidem multiplices sancti viri *lucubrationes et praeclara scripta,* quae adhuc magna Ecclesiae utilitate et non mediocri Dei beneficio exstant, quaeque et nostrae et superiorum aetatum *viri eruditi multo cum fructu legerunt et magnopere comprobarunt,* quantus ille in theologia fuerit, satis declarant. Ea enim divini ingenii sui monumenta posteris reliquit, *quibus perdifficiles et multis obscuri-*

[1] Bulla cit.
[2] Bulla cit.
[3] Bulla: Aeterni Patris.
[4] Bulla cit. § 3.

tatibus involutae quaestiones magna optimorum argumentorum copia, via et ordine enucleate et dilucide explicantur, fidei catholicae veritas illustratur, perniciosi errores et profanae haereses profligantur, et piae fidelium mentes ad Dei amorem et caelestis patriae desiderium admirabiliter inflammantur. Fuit enim in S. Bonaventura id *praecipuum et singulare,* ut non solum *argumentandi subtilitate, docendi facilitate, definiendi solertia* praestaret, sed *divina quadam animos permovendi vi* excelleret. Sic enim scribendo cum *summa eruditione parem pietatis ardorem* coniungit, ut lectorem *docendo* moveat et in intimos animi recessus illabatur, ac denique *seraphicis quibusdam aculeis cor compungat* et mira devotionis dulcedine perfundat; quam sane *gratiam in eius ore et calamo diffusam* admirans praedecessor noster Sixtus IV. Pontifex illud dicere non dubitavit, *Spiritum sanctum in eo locutum videri* ».

Non solam igitur doctrinam Scholasticorum magni aestimant Summi Pontifices, sed etiam terminologiam ipsorum aptam et utilem esse declarant. Notum autem est, quod haeretici aliique terminos Scholasticorum technicos indignis conviciis consectati sunt. Hinc operae pretium est afferre quaedam testimonia, quae nuper disertissime dicta sunt in favorem terminologiae Scholasticorum, alterum a quodam doctissimo philosopho catholico [1], alterum a quodam scriptore protestantico [2]. Prior ad rem haec refert: « Vix invenitur in modernorum nostrorum terminologia una sola expressio, quae non prius speciali, et quidem pro diversitate scriptorum diversa egeat explicatione, ut pateat legenti. Propositiones, quas illi proponunt, licet sensum involvant valde ambiguum, iam nostra aetate statuuntur ac proclamantur pro libitu tanquam perspicua axiomata. Daturne aliquod remedium ad confusionem inde exortam et graviter perniciosam tollendam et obscuritatem dispergendam? Tale remedium nimirum cuilibet ad manum est, qui est *amator restaurationis studiorum scholasticorum*, quae nostra aetate fere in oblivione iacebant. Nam homines nostri temporis fere in solis rebus materialibus occupantur et potius favent eruditioni, quam *practicam* vocant, negligentes *disciplinas primario mentales.* Iam Caput Ecclesiae praetactam calamitatem nostri saeculi cum oculo semper vigili observavit, et omnes veritatis amatores ad *philosophiam scholasticam* enixe invitat, in qua *fallaciae semper diligentissime enucleantur*, et veritatis nucleus cum *terminorum scrupulosa distinctione extrahitur, quos quidem terminos moderni ut ridiculos traducunt...* Multi sine dubio non comprehendunt valorem exhortationis illius sapientissimi Pontificis, econtra reponunt Summum Pontificem inter somniantes quosdam philosophos, addictos rebus metaphysicis, quae vix ullius momenti sunt pro profectu societatis humanae... Admittendum vero est factum, quod Scholastici talem in suis scriptis loquendi modum adhibuerunt, ut mox, prolata propositione aliqua, licet a diversis scriptoribus aevi medii, facile eundem semper et genuinum sensum stabiliter concipiamus. Profecto, si systematis scholastici aliquantulum in vitam nostram modernam ac studia scholarum introductum esset, eo iam liberaremur a nubibus, quae quasi in omni controversia enucleanda plurimas requirunt et subtiles distinctiones. — Vanae atque aequivocae propositiones nunc revera regunt mundum ».

Alter vir eruditus, quem ex castris Protestantium, quibus communiter aevum medium placet vocare obscurum saeculum, citamus, ingenue profitetur respectu recentioris theologiae Protestantium: « Systema theologicum in se inane fit, neglecta *terminorum*, imprimis supremorum, erudita cognitione, quos impia falsificare nititur philosophia. Termini *esse*, *fieri*, *pati*, *agere* et multi similes sunt quidem communissimi omnium; non tamen ipsi ob hoc sunt luce clariores... Quicumque res dogmaticas tractat ac parvipendit instrumenta philosophica,

[1] Rev. F. F. Mahar D. D. D. Ph. Editorial Contributor of the *Catholic Universe*, Cleveland, Ohio, North America.

[2] Fluegel: Spekulative Theologie der Gegenwart, Coethen, 1880.

nullo modo scire videtur, quanti momenti sit labor nobis impositus [1] ».

His testimoniis confirmatur, tum intimum inter philosophiam et theologiam intercedere nexum, tum non modicum detrimentum et philosophiae et aliis scientiis imprimis theologiae inferre eos, qui terminos et definitiones philosophicos vel falsificant, vel eorum strictam ac stabilem significationem vilipendendo, confusionem idearum pariunt.

Dum autem philosophiae scholasticae debitas laudes tribuimus, minime volumus negare, eandem etiam habere suos defectus, naevos et lacunas. Vix enim est in rebus humanis lux sine umbra; et verbum Apostoli [2]: *Ex parte cognoscimus,* verum est et de singulis auctoribus et de omnibus scholis et de toto genere humano. Unde etiam Scholastici posterioribus multa reliquerunt vel augenda vel etiam corrigenda. Hinc respectu scientiae recentioris aetatis sapienter observat Summus Pontifex: « Libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a *quopiam* inventum atque excogitatum;... et si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate sit quaesitum, vel parum considerate traditum, si *quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens,* vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo esse aetati nostrae ad imitandum proponi ». — Libentissime igitur concedimus et laudamus omnem in scientia *verum progressum,* etiamsi ad pyramidis altitudinem ascendat. Sed moles pyramidis non erigitur nisi super fundamento stabili et non mutato; qui autem aedificare volunt, semper destruendo fundamenta antecedentibus laboribus iam facta, remanent in profundo. Peius est, si neglecto fundamento, animo sibi effingunt, se summum iam fastigium attigisse. Nec pauci sunt inter recentiores, qui neglecto fundamento antiquae sapientiae, inverso ordine apicem pyramidis pro fundamento posuerunt et ingenti ruinae occasionem dederunt.

Iam haec omnia, *auditores humanissimi,* quae perstrinximus, animo colligentes, dicta scilicet de unico omnis scientiae et sapientiae fundamento, complemento et centro — de diverso gradu illuminationis pro maiori vel minori unione cum Christo — de necessaria auctoritate docente — de duobus Scholasticorum principibus, divo Thoma et divo Bonaventura, quos Sedes Apostolica nobis tanquam magistros praecipuos et duces in scientia et sapientia tutissimos praeposuit, quorum doctrinam auream et segetem foecundam atque uberrimam, nec non modum loquendi et exponendi aptissimum vocare non dubitavit — conclusionem ponamus legitimam, quod *optimo consilio* Summus Pontifex scholis catholicis gravissimis verbis *suaserit* et commendaverit, ut pro restaurandis *philosophicis* disciplinis ad antiquam *Scholasticorum*, imprimis S. Thomae, sapientiam revertantur; quod nullum periculum sit deviandi a tramite veritatis, si sequimur duces duos sanctissimos et doctissimos Doctores, SS. Thomam et Bonaventuram; denique quod sit praeferendum, *propriae* diffidere rationi, quae etiam magna ingenia in infinitos et foedos errores saepe praecipitavit, quam negligere et Ecclesiae salubre monitum, et multorum saeculorum sapientiam et illuminatissimorum Doctorum auctoritatem.

II.

Cum tempus vernum incipit, oriri et vivere incipiunt virgulta et frondes floresque arborum atque herbarum; omnia renasci et succrescere conspiciuntur; horti floribus halantes iam nobis valde arrident, et eorum amoenitas ad oblectandum nos suaviter invitat. Ibi flores lectissimi ordinate iuxtaponuntur, quorum varietas summe delectat; et licet non idem singulis floribus honos nec eadem omnibus insit nobilitas, tamen omnes simul coniuncti locum magnifice exornant, ac praetereuntes communi mirabilique suavitate odorum dulciter afflant. Similem pulcherrimum hortum, sed multo nobiliorem, quia spiritualem, summa Dei providentia in civitate sua sancta et visibili instituit sapientissimeque praeparavit. Hunc autem in partes

---

[1] Cfr. I. S. Mill. System of Logic, tom. I. pag. 29: « I have used the words *abstract* and *concrete* in the sense annexed to them by the schoolmen (scholastici), *who were unrivaled in the construction of technical language, and whose definitions, I think, have seldom been altered but to be spoiled* ».

[2] I Cor. 13, 9.

ita divisit, ut singulas speciali decore et virtute exornaverit atque instruxerit, quo qui divinitus electi atque vocati sunt, quisque pro sua indole ac voluntatis inclinatione, invenire possint opportunitatem et facultatem ad perfectionem tendendi, vivendi in pace ac gaudendi in Spiritu sancto. Hac similitudine significari spiritualem Ecclesiae Catholicae hortum facile intelligitur, illam scilicet mysticam Altissimi vineam, quae mirabili fertilitate innumeros fere religiosos Ordines decursu temporum protulit, qui in forma generali et fine principali non distinguuntur, singuli tamen quibusdam characteribus specialibus quasi individuantur. Unitate autem essentiali servata, mira enitescit ac delectabilis varietas, cum quilibet Ordo suis specialibus Spiritus sancti donis sit locupletatus et sanctitatis ac virtutis fragrantia caelum terramque mirifice repleat. Insuper Deus, pro ratione temporis ac necessitatis, praeexcellentes suscitavit viros, quos horti sui spiritualis constituit cultores idoneos, viros scilicet sapientia praedivites ac pari sanctitate illustres, qui repleti spiritu fundatorum sui Ordinis specialem sui Ordinis characterem vita, verbis et scriptis ad vivum exprimerent.

Hinc est, quod etiam in *scientia,* a Doctoribus diversorum Ordinum tradita, *commune aliquod fundamentum* et in essentialibus et necessariis harmonicam unitatem advertimus; tamen quoad *modum componendi, disponendi, eligendi* atque *loquendi specialem characterem* singulis doctoribus esse proprium, et quidem ad spiritum respectivi Ordinis accommodatum, negare non possumus. Et hoc a Deo dispositum est mirabili sapientia, « tum quia ita singuli conferunt aliquid ad modum perfectiorem; tum quia non omnes homines idem eodem modo capiunt, sed ut differunt vultu, sic et saepe animi captu et affectu; hinc varii modi explicandi idem mysterium sunt accommodati ad captum plurium; tum quia singuli doctores collineant ad eandem veritatem per suum radium lucis naturalis vel alicuius illuminationis specialis: ergo non tam contradicunt sibi invicem, quam negant sibi videri... Ut enim singuli habent suam quandam sphaeram visus vel auditus, secundum quam de obiectis valde distantibus varie iudicant, sic et singuli habent quandam sphaeram intellectualem, communem quidem circa evidentia, sed velut radiis differentem circa obscura [1] ».

Iam quae summatim de typo communi et characteribus magnorum doctorum in scribendo diversis generaliter attigimus, in specie ad doctrinam a S. Thoma et S. Bonaventura nobis traditam applicemus. *Uterque Doctor communibus SS. Patrum opinionibus prorsus adhaeret.* Scholastici enim, inter quos S. Thomas et S. Bonaventura principes sunt habendi, « magnae molis opus aggressi sunt, inquit Summus Pontifex Leo XIII [2], nimirum segetes doctrinae foecundas et uberes *amplissimis SS. Patrum voluminibus* diffusas, diligenter congerere congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem ». Idem cum omni modestia et humilitate testatur S. Bonaventura in quodam anecdoto prologo ad II. librum Sententiarum [3], ubi S. Doctor haec de se ipso scribit: « At quemadmodum in primo libro *sententiis adhaesi et communibus opinionibus* magistrorum et potissime magistri et patris nostri bonae memoriae Alexandri, sic in consequentibus libris *ab eorum vestigiis non recedam.* Non enim intendo *novas opiniones* adversare, sed *communes* et *approbatas* retexere ».

Thesaurus igitur SS. Patrum et magnorum magistrorum ab utroque Doctore, S. Thoma et S. Bonaventura, nobis aperitur, licet sub forma diversa proponatur et communicetur. Ut autem utrumque Doctorem diligenter studeamus, nec uni soli exclusive adhaereamus, quatuor, si placet, praecipuae rationes inter alias mihi occurrunt: *providentia* nimirum *divina, utilitas maxima, unitas pretiosa* et *S. Sedis auctoritas summa.*

Providentia enim *divina* intimo connexu sanctos nostros praelaudatos Doctores coniunxit

---

[1] P. Matthias Hauzeur, Collationes, tom. II. libr. III. col. 255.

[2] Bulla: Aeterni Patris.

[3] Cfr. S. Bonav. Op. om. Proleg. pag. LVII, Ad Claras Aquas.

in vita, in morte et aeternitate, nec non in ipsis operibus suis. Quam peculiarem inter S. Thomam et S. Bonaventuram affinitatem spiritualem noster *P. Fidelis a Fanna* bonae memoriae ita accommodate ad rem describit[1]: « Divina gestum est providentia, ut saeculum illud (scil. decimum tertium), praeclarissimorum virorum facinorumque praedives, sapientiae flumina emittens ac sanctitatis emicans prodigiis, non unum tantum dederit summum ingenium, sed duo aeque summa, Thomam videlicet Aquinatem et Bonaventuram Balneoregiensem, Italos ambos, qui vitam regularem duorum Ordinum professi, quos nuper mater Ecclesia ut geminos partus in lucem ediderat, utrumque ab adversariorum calumniis Ordinem vindicarunt, eamque amicitiam, quae in utroque parente Dominico et Francisco praecesserat, inter sese renovantes, summa necessitudine coniuncti fuerunt. Ambo summis usi magistris, ambo Doctoris Parisiensis lauream iisdem in circumstantiis adepti, ambo ad Concilium Lugdunense vocati, ambo saneti, ambo Doctores Ecclesiae, eodem anno ambo diem obierunt supremum ». « Denique pari gressu ad caelestem patriam commigrantes, pariter felices et gloriosi illa sempiterna beatitudine perfruuntur, ubi eodem caritatis affectu, ut pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant divinamque opem implorant[2] ». Immo ipsa nostra aetate providentia divina non desinit nova signa et indicia illius intimae coniunctionis aperire, cum eodem tempore benigne provideat ac sollicite curet, ut praedictorum Doctorum scripta clarissima simul novis typis imprimerentur, et ita omni ex parte restaurentur, ut sint posteritati monumenta perpetua. Qui igitur unius illorum Doctorum ita ingrederetur vestigiis, ut alterum spernat omnino, providentiae divinae contraire videretur. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*[3].

Utilitas etiam *maxima*, inquimus, nos pariter incitat ad utrumque Doctorem audiendum et consulendum. Manifeste autem falsa est opinio quorundam, qui S. Bonaventuram ad summum in rebus mysticis, ut dicunt, versatum esse, in scientia autem proprie theologica ipsum aetati nostrae illuminatae non amplius convenire. Alii, qui libros Seraphici Doctoris vix a limine salutasse videntur, obiiciunt, eundem frequenter a pura S. Thomae doctrina dissidere et salubri huius auctoritati derogare. — Sed quantum hae assertiones deflectant a veritate, quasi uno contuitu sibi quisque persuadere poterit, qui percurrere velit, etiamsi tantum obiter, novam S. Bonaventurae operum editionem, cuius volumen primum iam feliciter est in promptu. Nec possumus hic silentio praetermittere notabile *aliquod* meritum praedictae editionis, quod *clarissimi* Editores *maiorem unitatem ac concordantiam* respectu doctrinae inter praelaudatos Doctores existere comprobarunt ac in adiectis scholiis annotarunt, quam hucusque viri docti plerumque admittere solebant. Qua autem *ratione* praelaudati Editores ad illam concordantiam inter S. Thomam et S. Bonaventuram ostendendam sint adducti, in prolegomenis ad opera omnia S. Bonaventurae his verbis profitentur[4]: « Ut aliquid etiam de ratione et mente nostra in explanando S. Bonaventura dicamus, studuimus potius diversas illorum magnorum virorum sententias conciliare et benigne interpretari, quam differentiis inter ipsos apparentibus studiose insistere, in hoc pro viribus magnum S. Doctoris nostri exemplum secuti. Putamus autem, ipsum Doctorem Seraphicum in hoc motum esse a vero spiritu Ecclesiae, quae in necessariis vult unitatem, in dubiis concedit libertatem et in omnibus commendat caritatem ». — Porro, quod utile sit audire utrumque Doctorem, etiam ex eo elucet, quod eadem doctrina, si sub diversis formis proponitur, legentibus evadat clarior atque suavior, nec non veritatis infinitus thesaurus magis exhauriatur. « Nomina enim finita sunt, et orationum multitudo, dicit Philosophus[5], res vero numero infinitae sunt; necesse est igitur, plura eandem

---

[1] Ratio etc. pag. 4. Taurini, Marietti, 1874.
[2] Sixti V. Bulla: Triumphantis Hierusalem, § 13.
[3] Matth. 19, 6.
[4] Pag. LXXXII.
[5] I. Elench. c. I.

orationem et nomen unum significare ». « Ideo videtur et providentiae divinae et utilitati Ecclesiae potius congruere, quod in decursu saeculorum SS. Doctores varias rationes et modos loquendi excogitaverint, praecipue in arduis fidei mysteriis, ut infinitum atque ineffabile divinae veritatis pelagus humanis mentibus humano modo explicarent et ostenderent. Nec haec pluralitas sententiarum vel verborum, dum restringitur inter certos limites, officit fini revelationis divinae, immo etiam mysterium revelatum reddere potest hominibus suavius et credibilius » [1].

Quid insuper pretiosius et commendabilius esse potest *unitate,* quae in prima et ineffabili Unitate fundatur et ab ipsa super terram effunditur, ita ut in universo mundo praeter pluralitatem trinitatis etiam unitas resplendere in omnibus conspiciatur ? Qua vero unitate illi duo Ordines, Praedicatorum scilicet et Minorum, ab initio intime coniungebantur, ex eo videas, quod mater Ecclesia praedictos Ordines simul ut geminos partus in lucem edidit, et amborum Ordinum inclyti fundatores, alter erga alterum, summa amicitia ac caritate fervebant, eandemque uterque inter membra praedictorum Ordinum semper haereditariam esse volebant. Iam haec unitas et caritas cordium quomodo existeret vel servari posset, si non ipsae *mentes* unionis vinculo per doctrinam sociarentur ? Doctor noster Seraphicus ita ad rem sapienter dicit[2]: « *Verba sapientium quasi stimuli et quasi clavi in altum defixi, quae per magistrorum consilium data sunt a pastore uno*[3]. Haec, inquam, *verba* sunt verba divini amoris, quae penetrant medullas cordis; et haec dicuntur *dari per magistrorum consilium a pastore uno,* quia, licet amor divinus laudetur et suadeatur per verba multorum, utpote per documenta duorum Testamentorum, ab uno tamen solo Verbo spiratur, quod quidem est pastus et pastor omnium. Et ideo omnia illa verba ab eodem sunt et in idem tendunt, et propterea dicuntur *dari* signanter per *magistrorum consilium,* idem videlicet sentientium. Et quoniam omnes doctores christianae Legis finaliter debent tendere ad *vinculum caritatis*, ideo debent *concordare in suis sententiis.* Propter quod Iacobi tertio[4]: *Nolite, fratres, plures magistri fieri,* quod quidem dicit non prohibendo eos a doni scientiae communicatione, cum dicat Moyses Numerorum undecimo[5]: *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum?* et primae Petri quarto[6]: *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam ministrantes, sicut boni administratores multiformis gratiae Dei;* sed hoc dicit, ut non habeant *varias sententias et peregrinas,* sed omnes idem dicant, sicut primae ad Corinthios primo[7]: *Obsecro vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* ».

Tandem *summa S. Sedis auctoritas* omne dubium, si adhuc existere posset, removit a mente sincere fidelium catholicorum. Sicut enim supra ostensum est, studium utriusque S. Doctoris, cum Angelici tum Seraphici, S. Sedes aeque approbat ac commendat, necnon in scholis colendum praescribit. Huic vero summae auctoritati esse dicto audientes vi ipsius regulae speciali modo tenentur alumni Ordinis Minoritici. — Accedat tandem huc aureum revera monitum, quod Editores operum omnium S. Bonaventurae sapienter proponunt[8]: « Hinc iam sequitur, dicunt, non esse sapientis, aliorum catholicorum doctorum praecedentium sententias vel rationes tanquam falsas contentiose impugnare atque suas proprias vel novas commendare tanquam solummodo veras; sed praestare, si fieri potest, omnes a catholicis doctoribus non omnino erronee positas sententias potius ad quandam concordiam inter se et ad eandem ineffabilem ve-

[1] S. Bonav. Op. om. Proleg. loc. cit.
[2] De Hum. cognit. ratione, pag. 83; Ad Aquas Claras, 1883.
[3] Eccle. ult. vers. 11.
[4] Vers. 1.
[5] Vers. 29.
[6] Vers. 10.
[7] Vers. 10.
[8] Proleg. in I. libr. Sent. pag. LXXXII.

ritatem reducere, quam veritatem catholicam in infinitum varie opinando rescindere. Hoc praeclaris verbis auctor [1] iam supra laudatus sic commendat: « *Cum nec Deus, nec ulla eius veritas, sua unitate ac simplicitate sit causa vel occasio ullius dissensionis sed pacis* (1 Cor. 14, 33.) *singulique doctores catholici quasi ex circumferentia veritatis sub distinctis et propriis radiis rectis ad eius centrum studiose collineent, non sunt contentiosis interpretationibus et opinionibus ab invicem alienandi, sed potius inter se et eidem veritati intentae, saltem inadaequate conciliandi, ut ex Rom.* 12, 3-6: *Unusquisque in suo sensu abundet, id est, non sola intentione studiosa, sed etiam inadaequata participatione eiusdem veritatis* ».

Postquam rationes, quae iuvenum mentes ad studium utriusque Doctoris alliciant excitentque, in spiritu unitatis ac caritatis breviter tetigimus, *singularem* utriusque Doctoris in scribendo *typum modumque* iam paulisper *consideremus*. Quod autem uterque Doctor singulares habeat in scribendo proprietates, ex ipso *titulo diverso* utriusque Doctoris satis apparet, cum *S. Thomas* antonomastice ab omnibus appelletur *Angelicus, S. Bonaventura* vero *Seraphicus* communi suffragio nominetur. « Licet omnes sancti Ecclesiae doctores, ut aiunt Editores operum S. Bonaventurae [2], sint lucernae ardentes caritate et lucentes splendore veritatis, eorumque scripta plurimum conferant ad mentem lectoris scientia illuminandam et affectum devotione inflammandum, tamen non eodem modo et gradu utrumque immediate praestant. *Divisiones enim sunt gratiarum, idem autem Spiritus dividens singulis, prout vult* [3]. Doctores autem scholastici ceterique post eos theologi fere tantum in illuminando intellectu versantur. Sanctus autem Bonaventura, qui cum Doctore Angelico primarium inter Scholasticos locum occupat, *utrumque coniungens* et *in divina quadam animos inflammandi vi* prae ceteris Doctoribus excellens, iure sibi ab immemorabili tempore promeruit nomen *Doctoris Seraphici,* Summorum Pontificum diplomatibus et saeculorum consensu confirmatum. Insigne praeconium unico hoc vocabulo profertur. Nam teste *S. Bernardo* [4], est tantum lucere vanum, tantum ardere parum, lucere et ardere perfectum. Haec igitur indoles, haec laus doctrinae S. Bonaventurae, quae paucis aliis datur, quia scilicet, ut testatur *Trithemius* [5], « multi doctrinam proferunt, devotionem praedicant multi; pauci in scribendo libros docuerunt utrumque; S. Bonaventura autem et multos superavit et paucos, dum eius *doctrina devotionem, devotio instruit doctrinam* ». « Sint igitur alii doctores, qui dicantur cherubici; Bonaventura autem verissimo nomine *seraphicus simul et cherubicus*, quia *inflammat affectum* et *erudit intellectum,* reducit et unit ad Deum per amorem excitativum [6] ». Profecto, S. Bonaventura honorificentissimo hoc titulo *Doctoris Seraphici* merito optimoque iure ornatur, qui « scribendo cum summa eruditione parem pietatis ardorem coniungit, ut lectorem docendo moveat, et in intimos animi recessus illabatur [7] ». — *Triplex* nimirum est *ratio,* quare nobilissimi praedicti nominis titulique sublimis honor S. Bonaventurae iure tribuitur: *eximia* scilicet *doctrina,* ob quam ipsum « auctoritate apostolica inter praecipuos, qui theologicae facultatis magisterio excelluerunt, habendum esse » Summus Pontifex Sixtus V. [8] decrevit atque declaravit; *forma* deinde *tractandi strictissima et maxime utilis:* « perdifficiles enim et multis obscuritatibus involutae quaestiones, magna optimorum argumentorum copia, *via et ordine, enucleate et dilucide* explicantur [9] », et « in logicis demonstrationibus et concertationibus usque adeo excelluit S. Bonaventura, ut iis qui disputationem cum eo suscepissent, difficile esset argumentorum illius aciem effugere, si quando res

---

[1] P. Matthias Hanzeur, Collationes, tom. I. in append. col. 27.

[2] Praef. gen. pag. 1.

[3] I. Cor. 12, 4. 11.

[4] Serm. in nativ. S. Ioan. Bapt., n. 3.

[5] De Scriptoribus eccles. fol. 101 verso ed. Paris. 1512.

[6] Ioan. Gerson in quadam Epist., 1426.

[7] Sixti V. Bulla: Triumphantis Hierusalem, § 3.

[8] Bulla cit., § 14.

[9] Sixtus V, Bulla cit., § 3.

ita postularet [1] ». Tandem *vi quadam divina* permovendi animos Doctor noster magnopere excellebat [2]. Hinc praedicatum illud ornans *seraphicus* non est mere vocabulum honoris, sed dignitatis et ingenii iustum praeconium. Doctor noster vere est *totus seraphicus*, qui, « cum exemplo Patris nostri Francisci Seraphici,... ad montem Alvernae tanquam ad locum quietum amore quaerendi pacem spiritus declinaret, ibique existens, dum mente tractaret aliquas mentales ascensiones in Deum, et inter alia de illo miraculo contemplaretur, quod in praedicto contigit loco ipsi beato Francisco, de visione scilicet Seraphim alati instar crucifixi, haec verbis vere seraphicis scripsit: Effigies sex alarum seraphicarum insinuat sex illuminationes solares, quae a creaturis incipiunt et perducunt usque ad Deum, ad quem nemo intrat recte nisi per Crucifixum [3] ». Idem non solum omnia creata ad Deum reducit et in Deo unit, sed etiam res creatas, iterum descendendo ex Deo tanquam ex causa prima et universalissima, quasi *quadam luce divina* collustrat, nobilitat et sursum elevat, ut *Deus unus et trinus* in omnibus semper affulgeat. Haec singularis S. Bonaventurae indoles in ipsa forma dicendi expressa facile animadvertitur, cum S. Doctor omne compositum, prout in materia tractanda occurrit, *tripartita* communiter *distinctione* dividere soleat, necnon membra divisa ad unitatem quandam iterum reducere pro viribus nitatur, ut et ipsa sua scripta similitudinem *divinae unitatis ac trinitatis* etiam exterius referant. Non igitur miremur, quod doctrina S. Bonaventurae, cum tam in se quam quoad formam spectata Deum quasi quodam speculo repraesentet, imbuta sit spiritu pacis, et quibusdam seraphicis igniculis, lucendo et ardendo, in intimos animae recessus illabatur, et mentem ad Deum elevet, ut veram sapientiam christianam hauriat ex ineffabili omnis veri et boni fonte et principio. Hic est itaque character Doctoris Seraphici singularis, hoc praeconium speciale, quo maiore S. Doctor non indiget. Quod igitur de suo illuminatissimo magistro S. Augustino ipse S. Bonaventura dixit, hoc etiam de ipso discipulo veraciter dici posse non dubitemus: « Et ideo videtur, quod inter philosophos datus sit Platoni sermo sapientiae, Aristoteli vero sermo scientiae. Ille enim principaliter aspiciebat ad superiora, hic vero principaliter ad inferiora. Uterque autem sermo, scilicet *sapientiae et scientiae, per Spiritum sanctum datus est Augustino* [4] ».

Cum praelaudato charactere singulari, duo intime cohaerent, quae ipsius scriptis peculiarem impertiunt vim attrahendi et alliciendi animum legentis. S. Bonaventurae mens Deo ita erat coniuncta, ut vel a Deo initium sui sermonis peteret, vel, cum a creaturis inciperet, per ipsas tanquam per scalam ad Deum unum et simplicem ascendere soleret. Hinc S. Doctor in quaestionibus, quas evolvit, semper se ponit super *basi quadam latiori*, ne, quando circa mysteria versatur tractatio, curiose quaestiunculis nimis specialibus insistendo, terminum menti humanae in via cognitionis positum excedat et in quaestiones fere indissolubiles incidat, quae magis officere quam proficere videntur. Etiam *sermo suus ita est simplex, profundus et nervosus*, ut quod multi alii doctores crebrioribus solent explicare sententiis, S. Bonaventura paucioribus sapienter comprehendat. Quae succincta sermonis simplicitas, coniuncta cum altissima profunditate, praecipue et mirabiliter elucet in aureo libro, qui inscribitur: *Breviloquium*, necnon in opere vere seraphico, *Itinerario* scilicet *mentis in Deum.* Notatu hic utilissima sunt quae P. Fidelis a Fanna ad rem scribit [5]: « Quamobrem eius doctrina, inquit praelaudatus auctor, quae primo intuitu legenti pauca et obvia complecti videtur, multa dein et profundissima paucis ac summatim perstringere cernitur. Unde quod prius fons parvus videbatur, mox crescere prospicitur in fluvium eruditionis maximum, et in lucem solemque scientiae et sapientiae converti, atque in aquas plurimas doctrinae salutaris redundare, quae mentem pariter et cor hominis maxime foecun-

---

[1] Galesinius, vita S. Bonav., c. 10.
[2] Sixtus V, Bulla cit.
[3] Prolog. in Itiner. mentis in Deum.
[4] De Hum. Cognit. ratione, pag. 81; Ad Claras Aquas, 1883.
[5] Ratio etc., pag. 14, Taurini, Marietti, 1874.

dant et uberrimos fructus iustitiae et veritatis ferre faciunt ».

Ne autem quis cum non paucis credat, S. Bonaventuram merito quidem qua theologum praedictis laudibus efferri, necnon qua magistrum vitae spiritualis, ipsum autem qua philosophum circa ordinem naturalem versantem non iisdem iuste illustrari praeconiis; omissis multis aliarum auctoritatum testimoniis, quae S. Bonaventuram specialiter celebrant ut profundum philosophum, iuvat istis obtrectationibus opponere illam sententiam, quam Summus Pontifex Leo XIII. sapienter pronuntiat in genere de praerogativis scholasticae philosophiae [1]: « Praeterea, cum illud sit scholasticorum theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo coniunxerint, profecto theologia, in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, *si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuissent* ». Quod autem haec ratio apte conveniat S. Bonaventurae, facile perspiciet qui scripta eiusdem velit examinare, vel etiam primum novae eiusdem editionis volumen oculo percurrere. In quamcumque enim fere illius editionis paginam legentis flectatur oculus, multa ipsi occurrunt citata Aristotelis, principis philosophorum, ut de innumerabilibus propriis S. Bonaventurae sententiis mere philosophicis sileam. Nec temperare sibi poterit, quominus in S. Doctore admiretur et raram memoriae vim, qua innumerabilia Philosophi axiomata memoriae impressa habuit mentique ratiocinanti ad usum praesentia, et ingenii acumen, quo difficillima quaeque problemata vel obiecta philosophicis istis principiis illustravit. Simul autem observamus, cum in praelaudata nova operum S. Bonaventurae editione diligentia quadam studiosa, immo scrupulosa, tot testimonia Aristotelis ex omnibus fere eiusdem operibus citentur, manifeste demonstrari, falsam esse opinionem multorum, ante B. Albertum M. et S. Thomam praeter scripta logicalia Aristotelis alia opera eiusdem vix adhibita esse. — Praeterea, quam profundum philosophum se probaverit S. Bonaventura in solutione difficillimae quaestionis de humanae cognitionis ratione, doctissimorum virorum applausu, quo *quaestionem* praedictam *disputatam*, nuper in lucem pro prima vice editam, exceperunt, sufficienter compertum habemus. — Aliae adhuc quaestiones circa res philosophicas suo tempore, Deo volente, in lucem edendae, S. Bonaventuram commendabunt non minus bonum ac profundum philosophum quam magnum et eximium theologum. Ideoque sicuti *Doctor Angelicus*, qui ut Angelus coeli « orbem terrarum calore virtutum fovit et doctrinae splendore implevit » signanter *soli comparatur* a Summo Pontifice [2], ita etiam *S. Bonaventura* — qui, cum « summa eruditione... seraphicis quibusdam aculeis cor compungat et mira devotionis dulcedine perfundat [3] », iure *Doctor Seraphicus* antonomastice dicitur: — revera est *sol lucens et ardens in orbe terrarum*, qui « ignem docet cum lumine [4] », et « ea de divinis rebus scripsit, ut in eo Spiritus sanctus locutus videatur [5] ».

Ut melius adhuc, auditores benevolentissimi, S. Bonaventurae *mens seraphica* nobis innotescat, paucis tres nostri Doctoris qualitates perstringamus, ipsius videlicet *humilitatem* respectu sui ipsius, *reverentiam* in Deum, denique et *caritatem*, qua benigne semper tractat alios auctores. — Iam Christum tanquam suum principalem magistrum S. Bonaventura, ut humillimus discipulus, « principaliter vult audire per *humilitatem fidei* [6], secundum illud Isaiae [7]: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo; erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam eum quasi magistrum* ». Ut autem ad huius omnium magistri pedes humilis maneret discipulus, ipse propria voluntate noluit aggredi tam magna et ardua sua opera, quae nunc omnibus sunt admirationi; sed sola obedientia imponente et fra-

[1] Bulla: Aeterni Patris.
[2] Bulla: Aeterni Patris.
[3] Sixtus V, Bulla: Triumphantis, § 3.
[4] Ioan. Gerson in Epist. ad quemdam Minoritam.
[5] Sixtus IV, Bulla: Superna, § 3.
[6] De Hum. Cognit. ratione, pag. 82.
[7] Cap. 40, 4.

trum desiderio postulante, laborem magistri suscepit, ut S. Doctor in fine libri III. in Sententias testatur: « Iesum Christum rogo, ut faciat provenire mihi ad obedientiae meritum et fratrum profectum, *propter quae duo* labor iste fuit a principio assumptus ». Neque, labore magistrali finito, humilitatem amiserat, qui scripsit[1]: « Nec quisquam aestimet, quod novi scripti velim esse fabricator; hoc enim sentio et fateor, quod sum *pauper et tenuis compilator* ». Eandem humilitatem testatur dictum S. Doctoris in fine III. libri Sententiarum: « Si cui autem aliter videtur et fortassis melius in huius quaestionis determinatione, immo exploratione duorum librorum praecedentium, *non invideo;* sed hoc rogo, ut si quis aliquid in hoc *opusculo* invenerit approbatione dignum, agat gratias *Deo, largitori bonorum.* In aliis vero locis, ubi invenerit vel falsum vel dubium vel obscurum, *scribentis insufficientiae* benigne indulgeat, qui absque dubio, teste conscientia, vera, aperta et *communia* dicere concupivit... Immensas gratias ago Christo, qui adiuvit me pervenire ad consummationem *opusculi,* miseratus *paupertatem scientiae et ingenii mei* ». Compertum autem est, quod vera humilitas non solum facit hominem descendere ad abyssum propriae vilitatis, sed tanquam quadam reactione ascendere etiam ad summam Dei maiestatem, quam omnibus creatis vult praeferre et in omnibus honorare, laudare atque glorificare. Hinc S. Bonaventurae, Doctori secundum veritatem humili, inconcussa ac firma semper valebat regula, quae illas prae aliis opiniones semper vult praeferri, quae magis cum *pietate et reverentia* erga Deum concordant. Ita e. gr. tractans de sententia illa, quod ratio Incarnationis praecipua sit generis humani reparatio (III. Sent. d. 1. a. 2. q. 2.), sic concludit[2]: « Quoniam ergo hic modus dicendi, etsi non videatur esse ita subtilis, sicut praecedens, plus tamen consonat *pietati fidei* in hoc, quod auctoritatibus Sanctorum magis concordat et *Deum magis honorificat,* etiam Incarnationis mysterium magis commendat et affectum nostrum ardentius inflammat: ideo » etc. — Utinam haec regula disputantibus sit norma, ut, si inter varias alicuius dubii solutiones una quidem solutio creaturae aliquid derogare videatur, alia vero summo Deo totum suum non ita tribuere perspiciatur, iura divina semper inviolabiliter defendant!

Honorari etiam vult S. Bonaventura magistrum suum principalem Christum ita, ut ipsi proprie « *dignitas magisterii* attribuatur[3], Matthaei vigesimo tertio[4]: *Nolite vocari Rabbi: unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis.* Sibi autem vult dignitatem magisterii reservare secundum illud Ioannis decimo tertio[5]: *Vos vocatis me Magister et Domine; et* bene *dicitis, sum etenim.* Honorandus est autem non solum *vocaliter* in locutione, sed etiam *realiter* in imitatione; propter quod subdit[6]: *Si ergo ego lavi pedes vestros* etc.; quia sicut dicitur Lucae decimo quarto[7]: *Qui non venit post me, non potest meus esse discipulus* ».

Denique Seraphicus Doctor intendit etiam *benevolentiae caritatis* Dei et proximi[8]. « Bonaventura studuit de variis opinionibus semper elicere illud quod verum apparebat, et cum sobrietate magna dimittere illud quod nimium aut parum videbatur[9] ». Ipse autem S. Bonaventura in quadam anecdota quaestione eundem spiritum caritatis nobis in exemplum ita proponit[10]: « Ex his igitur, inquit, colligitur, quod multae opiniones videntur esse contrariae, quae tamen in unam coincidunt veritatem. Et propterea omnes opiniones praedictas in praecedentibus sustinui, et credo esse sustinendas aliquo modo. *Non enim decet iuniores, antiquorum aspernari sententias, sed humiliter venerari et fideliter explicare;* quia non est credendum, quod *magni amatores et inquisitores*

[1] In quodam anecdoto prologo ad II. libr. Sent.

[2] Cfr. S. Bonav. Op. om., Proleg. in I. libr. Sent., pag. LXIII.

[3] De Hum. cognit. ratione, pag. 81.

[4] Vers. 8.

[5] Vers. 13.

[6] Vers. 14.

[7] Vers. 27.

[8] De Hum. etc., pag. 83.

[9] Ioan. Gerson, P. IV. de concordia metaph. et logicae.

[10] Vide I Sent. d. 27. p. I. q. 2.

veritatis celebres positiones suas dixerint sine causa; in omnibus autem dictis praecipue *causa* dicendi consideranda est. Nam quod superficialiter videtur falsum, frequenter invenitur verum, cum pertingitur ad intentionem dicentium ».

Ubi autem humilitas et caritas, ibi controversiarum lites non inveniuntur; « nam dissensio sententiarum, ut ipse inquit Doctor Seraphicus [1], *ortum habet a praesumptione*, secundum illud Proverbiorum decimo tertio [2]: *Inter superbos semper iurgia sunt — et parit confusionem,* primae ad Timotheum ultimo [3]: « *Si quis aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi et ei quae secundum pietatem est doctrinae, superbus est nihil sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas verborum; ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, conflictationes hominum mente corruptorum et qui veritate privati sunt* ».

Restat nunc, humanissimi auditores, ut quaedam *de spiritu orationis* adiungamus, qui fuit quasi fons, unde omnes praedictae proprietates et virtutes scaturierunt, imprimis *mirabilis* illa *unctio,* quam Doctoris scripta abundanter redolent atque suaviter spirant. Cum autem oratio essentialiter consistat in *cordis elevatione ad Deum,* et S. Bonaventura « in suis scriptis totus sit in ostendendo Dei causalitatem et coefficientiam in universo, omniumque creaturarum et actionum subiectionem et habitudinem ad Deum, *quem proinde ubique et semper obvium habet* [4] »; facile est animadvertere, quod S. Bonaventurae studium et quasi tota sua doctrina optima quaedam sit oratio. Omittamus hic brevitatis causa permulta in eius scriptis sparsa monita, quibus S. Doctor lectorem ad *orandum* enixe invitat, ut rem considerandam intelligat. Solum adducere sufficiat, quae S. Doctor in illo Sermone saepe iam citato, eleganter ac breviter de obiecto orationis studentium profert [5]: « Interrogandus est autem, inquit, hic magister (scil. Christus) de his quae spectant ad *scientiam,* ad *disciplinam et bonitatem,* secundum illud Psalmi [6]: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Scientia* namque consistit in notitia veri, *disciplina* in cautela mali, *bonitas* in eligentia boni. Primum respicit veritatem, secundum respicit sanctitatem, tertium respicit caritatem. — Interrogandus est ergo de his quae spectant ad *veritatem scientiae,* non studio tentandi, sicut tentabant discipuli Pharisaeorum, Matthaei vigesimo secundo [7]: *Magister, scimus, quia verax es* etc. Et quia *mala intentione* quaerebant, ideo responsum est eis: *Quid me tentatis, hypocritae?* Quia vero *quaestionem bonam,* ideo dedit responsionem veram: *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.* — Interrogandus est secundo de his quae spectant ad *sanctitatem disciplinae,* sicut interrogabat eum ille adolescens, Marci decimo [8]: *Magister bone, quid faciam, ut vitam aeternam possideam?* Et responsum est ei, quod servaret mandata, et si vellet perfectus esse, servaret consilium, in quibus consistit perfecta disciplina morum, in cautela eorum quae nos incitant ad peccandum. — Interrogandus est etiam de his quae spectant ad *caritatem benevolentiae,* exemplo Legis doctoris, Matthaei vigesimo secundo [9]: *Magister, quod est mandatum magnum in Lege?* Ait illi: *Diliges Dominum Deum tuum ex corde tuo et ex mente tua* etc.; ubi ostenditur, quod *plenitudo Legis est dilectio* [10]. Haec igitur tria sunt, quae interroganda sunt a Christo tanquam a magistro, et ad quae tota lex Christi est ordinata; et ideo *omnis doctrina ministerialis doctoris ad haec tria debet ordinari,* ut sub illo magistro summo officium magisterii digne possint executioni mandare ».

Hunc autem egregium Doctorem iam non possum haesitare, carissimi studentes, ut commendem vobis tanquam *ducem in scientia securum et magistrum optimum,* qui suos disci-

[1] Vid. Opusc. de Hum. etc., pag. 84.
[2] Vers. 10.
[3] Vers. 3, 4, 5.
[4] P. Fidelis a Fanna, Ratio etc., pag. 14.
[5] De Hum. Cognit. ratione, pag. 82.
[6] Ps. 118, 66.
[7] Vers. 16, 18, 21.
[8] Vers. 17.
[9] Vers. 36, 37.
[10] Rom. 13, 10.

pulos ad principalem omnium et supremum ducit magistrum, scilicet Christum Dominum, qui de seipso dixit[1]: *Unus est magister vester*. « Dicit, inquam, quod Christus est *magister*, ut de nostra scientia non *praesumamus;* dicit quod *unus,* ne in sensu *dissentiamus;* dicit quod *vester* est, paratus nobis assistere, ne *desperemus,* maxime cum ipse velit et sciat et possit nos docere, mittendo illum Spiritum, de quo ipse dicit, Ioannis decimo sexto[2]: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*[3] ».

Advertant autem auditores benignissimi, quod nullo modo nobis sit intentio *absolutam* inter Doctores instituere comparationem, sed *relativam* tantum, respectu scilicet *usus scholarum,* ideoque in suo relinquimus valore ceteros, etiam magnos doctores praeclarissimosque nostros magistros, qui postquam *fundamentum tamen iam positum est,* pro ulteriore perfectione et scientia universaliore inspiciendi, consultandi et pro viribus discendi sunt.

Haec quae de doctrinae scholasticae praestantia et summa utilitate, quam serium eiusdem studium afferre solet, pro modulo nostro diximus, sufficiant. Multa quidem remanerent discutienda, si respondere vellemus ad omnes obiectiones et difficultates, quas vulgo circumferre solent multi, imprimis inter acatholicos, qui libros Scholasticorum aspernantur, immo conviciis insectantur. Sed ne abutar patientia vestra, longiore et satis inutili et ingrata discussione de his supersedeo, et pauca tantum paucis verbis referam.

Exprobrant igitur plurimi primo loco scholasticae philosophiae, quod tota sit in scrutandis vanis subtilitatibus et obscuris metaphysicae quaestionibus, quae nullius momenti sint in usu vitaque communi, sive, ut dicunt, pro *praxi*. — Quodsi isti hanc reprehensionem restringerent ad quosdam obscuriores Scholasticos et sequioris aetatis, vel ad paucas quasdam quaestiones, facile res in medio relinqui vel concedi posset, minime autem respectu summorum Doctorum Ecclesiae, scilicet Angelici et Seraphici. Et quod obiiciunt de inutilitate ad vitae usum, quasi omnis scientia negligenda esset, quae non *immediate* ad usum populi applicari possit; hoc tenui animo et pingui, ut aiunt, Minerva, dictum est. Profecto scientia, quae occupatur in rationibus metaphysicis, quam antiqui *primam philosophiam* et *supremam* inter scientias ordinis naturalis vocabant, non est apta indole sua et scopo, ut immediate applicetur ad artes fabriles aliosque vitae usus docendos, nec ut declametur in suggestis, vel exponatur in confessionalibus. Nihilominus non est inutilis pro vita humana rite instituenda, immo maximi momenti est, quia versatur circa ipsum omnium scientiarum fundamentum recte ponendum, dum generales et latissime patentes conceptus et prima cogitandi principia elucidat et determinat. Confusio autem in primis conceptibus ipsam veritatis inquisitionem inextricabili confusione involvit, et modicus error in principiis magnus est in fine, ut ex Aristotele observat Doctor Seraphicus[4]. Hoc a saeculis, imprimis nostra aetate, frequenti comprobatur et deplorando exemplo. Percurras plurima scripta recentiorum philosophorum, qui Scholasticos derident, et invenies et improbam errorum colluviem et etiam miserrimam idearum confusionem, dum unusquisque pro libitu sibi format suos falsos conceptus et innumerabilia errorum figmenta! Numquid non spectat ad *vitae usum*, numquid supervacaneum est, et verbis suam reddere significationem, et mentibus sinceros et lucidos conceptus, et scientiis prima et inconcussa principia et axiomata?

Alii conqueruntur de terminologia Scholasticorum, quasi oleat barbarismum; insuper irrident ipsorum definitiones et distinctiones, quasi sint superfluae, obscurae et intricatae. — Profecto qui folia verborum praefert fructibus veritatis, et cui nihil arridet, nisi quod classicorum Latinorum elegantia et verborum lenociniis demulcet, non potest non offendi quibusdam terminis technicis a Scholasticis frequenta-

[1] Matth. 23, 10.
[2] Vers. 13.
[3] S. Bonav. in fine Serm. cit.

[4] De Humanae Cogn. ratione, p. 62; cfr. Aristot., I. de Caelo, text. 33.

tis. Attamen qui hanc terminologiam discere dedignatur, ne sensum quidem eorum capiet, immo facile falso eos interpretabitur, ut frequenti experientia comprobatum est. Sed observandum est, nullam scientiam posse sua terminologia carere nec probe intelligi ab eo, qui eam discere nolit. Nemo intelliget libros nostros mathematicos, astronomicos, botanicos, ut aiunt, et chimicos, nisi qui diligenti studio terminorum fere innumerabilium usum in promptu habeat. Numquid eosdem terminos depromere poterit ex Cicerone?

Deinde repetimus, terminologiam Scholasticorum stabilem et minime aequivocum sensum habere, dum recentiores plerumque confuse, et unusquisque pro libitu, loquuntur. De quo Editores operum S. Bonaventurae[1] non immerito ita conqueruntur: « Postquam libido potius nova et hucusque incognita moliendi quam vetera novis augendi et perficiendi invaluit, nullum remansit principium intactum, nulla rei definitio in usu constanti recepta, et mutatis ipsis scientiae terminis technicis vel secundum vocem, vel secundum sensum, *mentium dissidium* secuta est etiam *linguarum confusio,* ut nec ipsi operariorum in struendo philosophiae aedificio praefecti se invicem intelligerent ».

Denique adversarii cum quadam majore veritatis specie obiiciunt, dissidium insolubile esse inter recentioris scientiae, praesertim rerum naturalium, certissimas doctrinas et plurima Scholasticorum principia. — Ad hoc iam respondet Summus Pontifex Leo XIII. in saepius laudata Encyclica et inter alia dicit: « Si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi ». Nemo autem prudens negat, in rebus physicis, quae *experimento* discuntur, magnum nostrae aetati progressum scientiarum concedendum esse. — Secundo autem ex S. Bonaventura[2] notandum est, alio modo physicum, alio modo metaphysicum res naturales considerare, et utrumque intra suae scientiae limites debere consistere. Nec Scholastici merentur a nostris physicis vituperari, quod suae aetatis physicis in nonnullis rebus nimiam fidem praestiterint. Si nostrae aetatis physici volunt *sibi* fidem praestari a theologis respectu suae scientiae, qualis nunc viget, quare in opprobrium vertunt antiquis Scholasticis, quod usi sint scientia physicorum, qualis erat sua aetate? — Observandum autem est, multa dissidia inter novae scientiae inventa et antiquae philosophiae principia evanescere, quando et physici et metaphysici suae scientiae limites non excedunt. Pro exemplo sit celebris de corporum ultimis constitutivis quaestio, quae et ad physicam et ad metaphysicam spectat. Physico licet disputare de elementis corporum constitutivis, quatenus per instrumenta vel processum *chimicum* corpora dividere et divisa inter *se distinguere* valet. Sed ultima corpuscula, quae vocat simplicia, subito proclamare tanquam ultima constitutiva principia in sensu atomistarum, hoc sane est excedere terminos suae scientiae et in campum metaphysici transire. Nec mirum est, quod tales physici non intelligant, sed derideant scholasticam doctrinam de materia prima et forma substantiali, licet non tantum Aristoteles, Augustinus aliique SS. Patres, sed etiam ipsa Ecclesia usum horum terminorum adhibeant.

Concludamus igitur, carissimi sacrae doctrinae studiosi, tuto vos incessuros tramite, si, Summi Pontificis oraculo obsequium praestantes, pro fundamento studiorum vestrorum ponatis auream S. Thomae Summam, ab ipso S. auctore pro usu scholarum conscriptam, aliaque eiusdem admiranda opera. Si autem adiungatis, pro loco et tempore, etiam Seraphici Doctoris opera, quae particulari quodam Spiritus sancti charismate excellunt, ipsa experientia probabitis, quam efficaciter et egregie ipse discipulos sua luce et ardore ducat ad Lumen luminum hic in via et speculandum et amandum, et cooperante divina misericordia, in caelo fruendum.

Concordia omnia crescunt,
Discordia maxima dilabuntur!

[1] Tom. I. Praefatio XXXV.

[2] II. Sent. d. 3. p. I. a. 1. q. 2. 3.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM GENERALE S. R. C.

Quo constituitur officium SS. Rosarii B. M. V. non posse amandari ad aliam diem, nisi occurrente officio potioris ritus.

Ne, ob recentem ad ritum duplicis maioris evectionem Officiorum Sanctorum Angelorum Custodum ac Sancti Francisci Assisiensis, Officium, pariter ritus duplicis maioris, Sacratissimi Deiparae Rosarii (quod veluti Festum secundarium putatur) Dominicae primae Octobris affixum, in occurrentia aliquoties illis postponendum, et ad aliam diem transferendum sit, nonnulli sacrorum Antistites Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII supplicibus votis rogarunt, ut praedictum Officium, attenta speciali cultus devotione, qua ubique a Fidelibus ea die celebrari solet, ad ritum duplicis secundae classis elevare dignaretur. Eiusmodi vero preces quum a subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatae fuerint eidem Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua constituit, Officium Sacratissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis non posse amandari ad aliam diem, nisi occurrente Officio potioris ritus, quemadmodum per Decretum *Urbis* eiusdem Sacrae Rituum Congregationis sub die 6 Augusti 1831 pro Officiis Mysteriorum et Instrumentorum Dominicae Passionis praescriptum fuerat. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 19 Junii 1884.

D. CARDINALIS BARTOLINIUS S. R. C.
Praefectus.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C *Secretarius.*

—

DECRETUM S. C. INDULGENT.

De Indulgentiis acquirendis ab iis Christifidelibus, qui recitant Versiculos Angelus Domini *etc. et Antiphonam* Regina Cœli *etc.*

URBIS ET ORBIS

Ad acquirendas Indulgentias, quas Benedictus XIII Litteris in forma Brevis sub die 14 Septembris 1724 concessit omnibus Christifidelibus, qui recitaverint versiculos *Angelus Domini* etc. ternasque Angelicas Salutationes; et quas Benedictus XIV die 20 Aprilis 1742 confirmavit pro iis etiam qui tempore paschali recitaverint Antiphonam *Regina Coeli* etc. cum versiculo et oratione propria, necesse est illos versiculos, Angelicas Salutationes, Antiphonam et orationem recitari quando aes campanum dat signum. Necesse ulterius est pro huiusmodi recitatione versiculorum *Angelus Domini* etc. et Angelicarum Salutationem genua singulis vicibus flectere, si excipias dies dominicos a sabbati cuiusque vespere et tempus paschale, quibus tum versiculi illi et Angelicae Salutationes, tum Antiphonam *Regina Coeli* etc. cum versiculo et oratione propria stando dici debent. Iam vero plerique pii viri

Sacram hanc Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam enixe precati sunt, ut aliquantulum illa duplex conditio adimplenda temperaretur. Siquidem non ubique gentium aes campanum ad hoc signum dandum pulsatur, aut pulsatur ter in die, aut iisdem horis. Insuper contingere quandoque potest, quod signum aeris campani, si detur, non audiatur ab omnibus, aut, si audiatur, aliquis Christifidelis, quominus in genua provolvat et stata hora versiculos recitet, legitimo impedimento detineatur. Sunt tandem innumeri ferme Christifideles, qui versiculos *Angelus Domini* etc. et Antiphonam *Regina Coeli* etc. nec memoria, nec de scripto recitare sciunt.

Quapropter Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII ne tot Christifideles ob non adimpletas conditiones spiritualibus hisce gratiis priventur et quo efficacius omnes Christifideles ad divinae Incarnationis et Resurrectionis mysteria perpetuo grateque recolenda incitentur, in Audientia habita die 15 Martii nuper elapsi ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum benigne indulgere dignatus est, ut omnes Christifideles, qui legitimo impedimento detenti non flexis genibus, nec ad aeris campani signum versiculos *Angelus Domini* etc. cum tribus Angelicis Salutationibus, alio versiculo *Ora pro nobis* etc. et oratione *Gratiam tuam* etc.; tempore vero paschali Antiphonam *Regina Coeli* etc. cum versiculo et oratione propria; aut si nesciant praedictos versiculos, antiphonam et preces, tum memoriter dicere, tum legere quinquies Salutationem Angelicam digne, attente ac devote sive mane, sive circiter meridiem, sive sub vespere recitaverint, Indulgentias superius memoratas lucrari valeant.

Quae quidem benigna Sanctissimi Domini Nostri Papae concessio, ut facile innotescat, Sacra eadem Congregatio praesens Decretum typis imprimi ac publicari mandavit absque ulla Brevis expeditione in perpetuum valiturum. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 3 Aprilis 1884.

AL. CARD. OREGLIA A S. STEPHANO
Praefectus.
Franciscus della Volpe, *Secretarius.*

II.
ACTA ORDINIS

ELENCHUS

Ministrorum Generalium totius Ordinis Minorum.

1. S. P. Franciscus Assisiensis Ordinis fundator inclytus. Anno 1210 una cum 12 discipulis in manibus Innocentii III professionem emisit, et ab eodem institutus est primus Minister Generalis. Ordinem rexit per se vel suos Vicarios, Eliam et Petrum Cathaneum, usque ad diem 4 Octobris 1226, quo abiit in coelum. Post eius obitum Fr. Elias Vicarius Generalis erat usque ad proximum Capitulum.

2. *Ioannes Parens a Florentia,* Provinciae Tusciae, electus Assisii apud Portiunculam die 6 Iunii 1227. Anno 1230 celebravit Generale Capitulum in ipsa civitate, ubi die 25 Maii facta est solemnis Corporis S. P. N. Francisci translatio ab Ecclesia S. Georgii ad basilicam erectam iussu Gregorii IX. Ordinem rexit annis 5 aut 6. Obiit anno 1250.

3. *Elias de Cortona.* Electus Assisii 1232, vel potius, Soriae die 22 Maii 1233, magis tumultuose, quam canonice Fuit vir humana sapientia famosus, et bonus etiam Religiosus dum vixit cum Seraphico Patre. Rexit annis 6. Ab officio depositus adhaesit Friderico II, Ecclesiae rebelli. Obiit Cortonae poenitens et absolutus die 22 Aprilis 1253.

4. *Albertus de Pisis,* Provinciae Tusciae. Electus Romae coram Gregorio IX die 15 Maii 1239. Rexit tantum 4 mensibus et magna sanctitatis fama obiit in patria die 8 Septembris. Laudatus est a Pontifice lugubri carmine, quod deinceps recitari consuevit, quoties demortuo Generali alius esset subrogandus, scilicet:

« Plange turba paupercula;
Ad Patrem clama pauperum:
Hoc lugubre suspirium,
Pater Francisce, suscipe;
Et prode Christo stigmata
Lateris, pedum, manuum;
Ut nobis reddat orphanis
Tanti Patris Vicarium. »

5. *Haymo de Feversham, Anglus.* Electus Romae, praesidente Gregorio IX, die 31 Octo-

bris 1239, in Capitulo, in quo Definitores Generales eligi inceperunt. Anno 1242 iussit fieri celebrem *quatuor Magistrorum* expositionem Regulae nostrae. Missalia et Breviaria ex mandato Summi Pontificis restituit et optimas Rubricas ordinavit, quae postea ad Romanum clerum extensae sunt. Rexit Ordinem annis 5 et piissime obiit Anagniae 1244.

6. *Crescentius Grizi ab Aesio*, Prov. Marchiae. Electus est Genuae die 4 Octobris 1244, praesente Innocentio IV. Praecepit Fratribus, ut ipsi scriberent quidquid de vita et prodigiis Seraphici Patriarchae scirent. Rexit annis circiter 3.

7. *B. Ioannes Burallus a Parma,* Prov. Bononiensis. Electus est Lugduni die 13 Augusti 1247 coram Innocentio IV, qui 12 Iulii 1249 Ordini concessit Conventum S. Mariae de Aracoeli. Primus recepit benefactores ad Ordinis beneficia. Rexit Ordinem annis decem. Obiit Camerini die 19 Martii 1289. Eius cultus immemorabilis approbatus est die 1 Martii 1777 a Pio VI.

8. *S. Bonaventura Fidantia a Balneoregio* in Ditione Pontificia, Prov. Romanae. Electus Romae in Conventu Aracoeli die 2 Februarii 1256 vel 1257, Alexandro IV Capitulum sua praesentia decorante ac Fratribus praedicante. Anno 1260 in Capitulo Narbonensi antiquas Ordinis Constitutiones in 12 capita distinxit. Creatus Cardinalis et Episcopus Albanensis Ministerium retinuit usque ad proximum Capitulum. Rexit Ordinem fere 18 annis. Obiit Lugduni die 14 Iulii 1274, dum egregie pro Graecorum unione in Concilio laboraret. Relatus inter Sanctos a Sixto IV anno 1482, et inter praecipuos Ecclesiae Doctores a Sixto V 1587.

9. *Hieronymus Tineus seu Massius a Lisciano,* dictus *Asculanus.* Electus est in Capitulo Lugdunensi 1274, praesidente S. Bonaventura. Factus Cardinalis Ordinem rexit usque ad Capitulum. Evectus ad Summum Pontificatum vocatus est Nicolaus IV. Magna sanctitatis opinione Romae obiit 1292 et sepultus est ad S. Mariam Maiorem.

10. *Bonagratia Tielci de S. Ioanne, in Persiceto,* Prov. Bononiensis. Electus Assisii 1279. Egregiam scripsit encyclicam pro regulari observantia promovenda iuxta Declarationem Nicolai III, quam quolibet mense legi iussit. Rexit Ordinem annis 5. Obiit Avenione 1284. Post eius mortem a Martino IV institutus est Vicarius Generalis usque ad Capitulum Gulielmus de Falgario, Aquitanus.

11. *Arlottus de Prato,* Prov. Tusciae. Electus est Mediolani 1285. Rexit 10 mensibus. Obiit Parisiis 1286. Post eius mortem denuo Gulielmus Aquitanus institutus est Vicarius Generalis, qui fuit postea Lector Sacri Palatii, Secretarius S. Ludovici Episcopi et Episcopus Vivariensis.

12. *Matthaeus de Aquasparta,* Prov. Seraphicae. Electus est Montispessulani 1287. Sequenti anno factus Cardinalis et Episcopus Portuensis, de Pontificis mandato mansit Vicarius Generalis usque ad Capitulum. Obiit Romae 1302, sepultus est ad laevam Sacrarii S. Mariae de Aracoeli.

13. *Raymundus Gaufredi,* Gallus. Electus Reate 1289, praesidente Comitiis Nicolao IV ac praesente Carolo II utriusque Siciliae Rege. Anno 1292 Capitulum Generale Parisiis celebravit, ubi Statutum S. P. N. Francisci et S. Bonaventurae, canendi quolibet Sabbato Missam in honorem Virginis Immaculatae, renovatum est. Rexit annis 7. Obiit Parisiis.

14. *Ioannes Minius de Murrovallium,* Prov. Marchiae. Electus est Anagniae, coram Bonifacio VIII 1296. In Aracoeli ad professionem recepit S. Ludovicum Episcopum. Annuos redditus et eleemosynas perpetuas sub poena excommunicationis inhibuit. Creatus Cardinalis et Episcopus Portuensis permansit Vicarius Generalis usque ad Capitulum. Rexit annis 8. Obiit Avenione 1318.

15. *Gundisalvus de Vallebona,* Hispanus, Prov. S. Iacobi. Electus est Assisii 1304. Disciplinae ac regularis observantiae studiosissimus fuit. A. B. Benedicto IX expetiit Officium sacrorum Stigmatum. Ioannem Duns Scotum ad Doctoratum promovit. Rexit annis 9, et obiit Parisiis 1313.

16. *Alexander ab Alexandria,* Prov. Genuae. Electus est Barcinone die 3 Iunii 1313. Celebris ob ejus opera sub nomine Alexandri *iunioris,* quo distinguitur ab Alexandro de Ales. Obiit Romae 1314 et sepultus est in Aracoeli. Usque ad Capitulum successit Vicarius Generalis Vitalis a Furno, Gallus.

17. *Michael Fuschi a Caesena*, Prov. Bononiensis. Electus est Neapoli die 31 Maii 1316. Rexit annis 12. Ob indiscretum zelum in acri quaestione circa paupertatem CHRISTI et Apostolorum anno 1328 sub Pontificatu Ioannis XXII, aufugit in Bavariam ubi, facti poenitens, Monachii apud suos religiose obiit 1343. A Summo Pontifice institutus est Vicarius Generalis Bertrandus de Turre.

18. *Gerardus Odonis de Cadurco*, Prov. Aquitaniae. Electus est Parisiis 1329. Novam Statutorum compilationem, vulgo Constitutiones Benedicti XII, in Capitulo 1334 edidit. Rexit annis 13. Factus est Patriarcha Antiochenus et Administrator Catanensis. Obiit Catanae 1347.

19. *Fortanerius Vassallus*, Prov. Aquitaniae. Electus est Massiliae 1343, ubi Constitutiones S. Bonaventurae, posthabitis ceteris, tamquam Ordinis fundamenta, iussae sunt observari. Factus Archiepiscopus Ravennatensis mansit Vicarius Generalis usque ad Capitulum. Creatus est Cardinalis, et obiit Patavii 1361.

20. *Gulielmus Farinerius de Gordonio*, Prov. Aquitaniae. Electus est Veronae 1348. Edidit misitque in omnes Provincias Constitutiones S. Bonaventurae, posterioribus Pontificum et Ordinis Statutis auctas. Creatus Cardinalis mansit Vicarius Generalis usque ad Capitulum. Rexit annis 9. Obiit Avenione 1361.

21. *Ioannes Bucchius*, Prov. Aquitaniae. Electus Barcinone 1357. Varia circa vestes bene disposuit. Obiit in Conventu Belvensi, Prov. Burgundiae die 5 Iunii 1358. Propterea ab Innocentio VI institutus est Vicarius Generalis usque ad Capitulum Gulielmus Card. Farinerius.

22. *Marcus de Viterbio*, Prov. Romanae. Electus est Gemuae 1359. Studia utilibus reformavit decretis. Anno 1366 factus est Cardinalis. Rexit annis 7. Obiit Viterbii die 3 Septembris 1369. Ab Urbano V deputatus fuit Vicarius Geneneralis usque ad electionem novi Ministri Generalis Nicolaus Cardinalis de Ressa, Ordinis Protector.

23. *Thomas Farignanus a Mutina*, Prov. Bononiensis. Electus Assisii die 6 Iunii 1367. Sequenti anno concessit Fr. Paulutio de Trincis a Fulgineo locum Bruliani, ubi celeberrima Observantiae reformatio incoepit. Factus est Cardinalis et Episcopus Tusculanus. Rexit annis 5. Obiit Romae die 19 Novembris 1381 et sepultus est in Aracoeli. A Gregorio XI institutus est Vicarius Generalis Fr. Bertrandus Lagerius, Cardinalis.

24. *Leonardus de Rubeis a Giffonibus*, Prov. Terrae Laboris. Electus est Tolosae 1373 Anno 1376 Aquilae in Aprutiis celebravit Capitulum, cui interfuerunt duo millia Fratrum. Rexit annis 6. Factus est Cardinalis. Obiit Avenione 1405. Ab Urbano VI institutus est Vicarius Generalis, qui postea Minister Generalis.

25. *Ludovicus Donatus a Venetiis*, Prov. S. Antonii. Electus est Strigonii 1379. Creatus Cardinalis rexit Ordinem usque ad Capitulum. Genuae obiit 1385 vel 1386.

26. *Petrus a Canzano*. Prov. Pennensis, nunc S. Bernardini. Electus est Ferrariae 1383. Obiit in Conventu Pistoriensi 1384.

27. *Martinus Sangiorgi de Riparolio*, Prov. Genuae. Electus est Patavii 1384. Multa statuit pro scientiarum studio. Obiit mense Ianuario 1387 Castrinovi apud Papiam.

28. *Henricus Alferius Astensis*, Prov. Genuae. Electus Florentiae 1387. Fuit primus qui Observantiae zelatoribus anno 1388 praefecit Commissarium. Rexit annis 18, ac nonagenarius magnae pietatis fama obiit Ravennae 1405.

29. *Antonius Angelus Vinitti* a Pireto in Aprutio, Prov. Romanae. Electus Argentinae 1405. Eodem anno Concionatorem instituit S. Bernardinum Senensem. Anno 1407 Ioannem a Stronconio, Observantiae propagatorem celebrem, Vicarii Generalis titulo donavit. In Concilio Constantiensi unus fuit ex deputatis ad examinandam causam Ioannis Huss. Rexit annis 15, et obiit 1420.

30. *Angelus Salvettus de Senis*, Prov. Tusciae. Electus est Florolivii 1421. Totus instaurandae disciplinae intentus fuit. Obiit in patria, 1423. Per Breve Martini V institutus fuit Vicarius Generalis, qui fuit eius successor.

31. *Antonius de Massa*, Prov. Tusciae. Electus Ferrariae 1424. Rexit annis 6. Factus est Episcopus Massae ac Populoniae. Obiit in patria, 1435.

32. *Gulielmus de Casali*, Prov. Genuae. Electus est Assisii 1430, ubi a S. Ioanne Ca-

pistrano publicatae fuerunt Constitutiones dictae *Martinianae*. Eugenii IV mandato die 1 Septembris 1438 instituit super Observantes cum plenaria potestate S. Bernardinum Senensem. Rexit annis 12. Obiit 1442. Post eius mortem Papa primo per se immediate Ordinem rexit, postea instituit Vicarium Generalem usque ad Capitulum, Albertum a Sarthiano.

33. *Antonius Rusca* a Novocomo, Prov. Mediolanensis. Electus est Patavii 1443. Primus inscribi coepit *Minister Generalis totius Ordinis*. Rexit annis 6. Obiit Florentiae 1449.

34. *Angelus Serpetrus a Perusia*, Prov. S. Francisci. Electus Romae in Aracoeli anno Iubilaei 1450, tempore canonizationis S. Bernardini Senensis, praesidente Comitiis Nicolao V, et praesentibus 5000 Fratribus. Rexit annis 3 et obiit Perusiae die 2 Augusti 1453.

35. *Iacobus Bussolinus de Mozanica,* Prov, Mediolanensis. Electus est Bononiae 1454. Anno 1457 Mediolani celebravit Capitulum Generale, quo diebus 4 et 5 Iunii pro lucranda Indulgentia plenaria ratione Capituli concessa convenerunt fere centum millia advenarum. Obiit eodem anno die 9 Iulii.

36. *Iacobus a Sarzuela*. Prov. Aragoniae. Electus est in Aracoeli 1454. Rexit annis 6.

37. *Franciscus de Ruvere a Savone*, Prov. Genuae. Electus est Perusiae 1468. Creatus est Cardinalis anno 1468, a Paulo II, qui dando ei galerum dixit: *Hodie nobis designavimus successorem*. Mansit Vicarius Generalis usque ad Capitulum. Factus Summus Pontifex assumpsit nomen Sixtus IV. Obiit Romae 1484, die 12 Augusti, sepultusque est in Vaticano, ubi Fratres Conventus Aracoelitani post litanias in festo S. Marci absolutionis preces quotannis canere solebant.

38. *Ioannes Dacre ab Utino*, Prov. S. Antonii. Electus est Venetiis 1469. Rexit annis 6. Creatus est primo Archiepiscopus Spalatensis, deinde Tarvisinus. Obiit Tarvisii 1485.

39. *Franciscus Nanius de Brixia*, Prov. Mediolanensis. Electus est Urbini 1475. Anno 1477 tali argumentorum gravitate de Immaculata B. M. V. Conceptione Romae disputavit coram Sixto IV, ut Pontifex commotus exclamaverit: *Tu es fortissimus Samson,* quo cognomine celebris evasit. Ordinem rexit annis 24 et sex mensibus. Annos natus 85 obiit Florentiae 1499.

40. *Aegidius Delphinus de Ameria,* Prov. Seraphicae. Electus est Interamnae 1500, quo in Capitulo editae fuerunt, iussu Alexandri VI, Constitutiones *Alexandrinae* dictae, ad unionem Ordinis tendentes. Rexit annis 6. Obiit Neapoli in Conventu S. Mariae Novae 1506.

41. *Raynaldus Gratianus de Cotiniola,* Prov. Bononiensis. Electus Romae 1506 in Capitulo Aracoelitano, in quo munus Ministri Generalis ad sexennium coarctatum est. Rexit annis 4. Creatus est Archiepiscopus Ragusinus. Obiit 1529.

42. *Philippus Porcatius de Balneocaballo,* Prov. Bononiensis. Electus est Romae in Conventu XII Apostolorum 1510. Obiit 1511. Propterea a Iulio II institutus est Vicarius Generalis Gomesius Lusitanus, theologus doctisssimus, qui postea factus est Episcopus.

43. *Bernardinus Pratus de Cherio*, Prov. Genuae. Electus est Assisii 1513. In Concilio Lateranensi III egregie laboravit pro tuendis Mendicantium privilegiis. Rexit annis 4. Deinde factus est Archiepiscopus Athenarum.

(*Continuabitur*)

III.
MISSIONES

EPISTOLA

S. C. de Propaganda Fide ad Vicarios Apostolicos Imperii Sinensis et regnorum Sinensi Imperio adiacentium, de Synodis celebrandis et de divisione ecclesiastica Imperii Sinensis in quinque Regiones.

Illme et Rme Domine

Quos ex Decreto dato die 23 Iulii anno 1879 (1) Sacra haec Congregatio christiano nomini propagando fructus perceptura persen-

(1) Tenorem huius decreti, quum sit gravis momenti, hic referre operae pretium esse ducimus:

DECRETUM

Cum ad christianae fidei propagationem et incolumitatem plurimum conferat ecclesiasticae hierarchiae constitutio, mirum esse non debet, hanc S. Congrega-

serat, eos uberrimos modo collegisse laetatur. Conventus enim Vicariorum Apostolicorum in quinque determinatis Imperii Sinensis regionibus rite habiti sunt; plura quae ad uniformitatem obtinendam, praesertim quoad disciplinam, faciunt, in iis sunt praescripta; acta ipsa Synodalia Romam missa in Emorum Patrum comitiis rite examinata, rursusque Vicariis Apos-

tionem iam inde a primordiis suae institutionis, de ea in Sinis rite ordinanda sollicitam fuisse. Hinc factum est, ut cum primum novit christianam religionem assidua Apostolicorum Missionariorum opera in Sinarum imperio ac finitimis regionibus satis excrevisse, in consilium devenerit proponendi Summo Pontifici Innocentio X ut novae Christianitates muniis pastoralibus ac sacramentis per proprios Episcopos confirmarentur: quod non nisi ex parte executioni tunc temporis ob varia rerum adiuncta mandatum fuit. Attamen Vicarii Apostolici eadem vota pro stabilienda tandem in iisdem regionibus aliqua saltem hierarchicae ordinationis forma, S. Sedi iterato submittere non destiterunt; maxime vero recentioribus temporibus, exhibitis etiam pro divisione regionum in provincias efficienda variis schematibus. Quo factum est, ut eadem S. Congregatio, cum anno 1869 varias quaestiones Apostolicis Vicariis Sinensibus proposuisset ad faciliorem ecclesiasticorum negotiorum expeditionem procurandam, illud peculiariter exquisierit, quid sentirent « de propositione ab « aliquibus facta, an scilicet missiones regni Sinarum « seorsim et adiacentium regnorum seorsim aliquo « modo simul colligari possint, et ad formam ecclesia« sticarum provinciarum assimilari; et quatenus affir« mative, qua ratione hoc propositum ad effectum per« duci valeret ».

Porro etsi non omnia Vicariorum Apostolicorum responsa memoratam hierarchiam formaliter stabiliendam suaderent, plerique tamen opportunum quin et necessarium censuerunt ad obtinendam uniformitatem praesertim quoad regimen disciplinae, missiones simul coniungere ad quamdam veluti ecclesiasticarum provinciarum similitudinem per regionum divisiones seu classes, ut sensim sine sensu ipsi formali hierarchiae stabiliendae prouti alibi, etiam in Sinarum imperio via sterneretur. Quam quidem sententiam postea tenuerunt omnes Vicarii Apostolici Sinarum, qui Romam venerunt anno 1870 occasione Concilii Oecumenici Vaticani. Cum enim habitis die 14 Iulii eiusdem anni comitiis idem argumentum propositum fuisset, arbitrati sunt de hierarchia constituenda adhuc cogitari non posse: quoad vero divisionem Vicariatuum in classes, diversis diversa sentientibus, universis tamen visum est, classes ita efformandas esse ut in qualibet earum haud exiguus Vicariatuum numerus comprehenderetur idque praesertim ad uniformitatem fovendam.

Anno vero 1874 in conventu diei 28 Septembris habito ab Emis Patribus speciali consilio Christiano Nomini in Sinis propagando praepositis, cum de hoc negotio sibi pertractandum proposuissent, decreverunt constitutionem hierarchiae ecclesiasticae pro nunc non expedire: sed interea Vicariatus Apostolicos in regiones esse dividendos et Sacri Consilii sententiam Summus Pontifex Pius IX fel. rec. die 4 Octobris eiusdem anni ratam habuit et approbavit.

Cum vero, uti supra dictum est, varia pro divisione provinciarum seu regionum schemata a Vicariis Apostolicis proposita fuissent, antequam res executioni mandari posset, eorum exquiri sententias oportuit, quibus unius vel alterius ex dictis schematibus delectus minus arridere videbatur. Quorum responsis habitis, et rebus omnibus mature perpensis, ne diutius res tanti momenti, ex qua non parum utilitatis religioni obventurum fore speratur, differretur, magis expedire visum est (salvis mutationibus, quas in posterum rerum experientia et Vicariorum consilium suadebunt) (*) executioni mandare pro nunc omnium Sinensium Vicariatuum divisionem in quinque regiones quae erunt:

1°. Regio Tchely (Septentrionalis, Meridio-occidentalis, Orientalis) Leau-toung seu Mandchuria et Mongolia.

2°. Regio Chan-tong, Chan-sy, Ho-nan, Chen-sy et Kan-sieou.

3°. Regio Hou-nan, Hou-pe (Orientalis, Occiduo-Septentrionalis, Occiduo-Meridionalis) Tche-Kiang, Kiang-sy et Kiang-nan.

4°. Regio Sut-chuen (Septentrio-Occidentalis, Orientalis, Meridionalis) Yun-nan, Kouy-tcheou et Thibet.

5°. Regio Kouang-toung, Kouang-si, Hong-Kong et Fokien.

Pro regnis vero Indo-Sinensibus tres regiones erunt:

1°. Regio Cochinchina Orientalis, Cochinchina Septentrionalis, et Cochinchina Occidentalis.

2°. Regio Tunquinus Meridionalis, Tunquinus Centralis, Tunquinus Orientalis et Tunquinus Occidentalis.

3°. Regio Siam Occidentalis seu peninsula Malacca, Siam Orientalis, Cambodia et Birmania Orientalis, Septentrionalis et Meridionalis.

Hanc vero Vicariatuum divisionem in varias regionum classes SSmus Dominus Noster Leo Div. Prov. PP. XIII in audientia diei 27 Aprilis 1879, referente infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, approbare dignatus est, simulque iussit:

1°. Ut Synodales conventus iuxta superius designatas regiones, infra annum a die praesentis Decreti, Senior a recepta episcopali consecratione inter Vicarios Apostolicos convocet qui locum quo Vicarii Apostolici convenire debeant ac tempus saltem pro prima vice statuat, ac Synodo praesideat. Locum vero et tempus subsequentium conventuum et qui ex Vicariis Apostolicis iisdem praesidere debeant, Synodus ipsa statuet.

2°. Quod si quis ex Vicariis Apostolicis legitime impeditus fuerit quominus ad Synodum statuto tempore accedat, Coadiutorem, si habet, vel Pro-Vicarium uti sui Delegatum ad illum mittere curabit. Delegati vero post Titulares sedeant; iique, si fuerint chara-

(*) Revera mutationes nonnullae iam factae sunt in praefata Epistola diei 16 Aprilis 1884.

tolicis cum opportunis emendationibus restituta fuerunt; ac tandem Instructio (1) iisdem Praesulibus data est die 18 Octobris 1883, qua normae generales exhibentur plurimis disciplinae capitibus accommodatae.

Quoad regna Sinensi Imperio adiacentia dolendum est Vicarios Apostolicos regionis Tunquinensis non potuisse ob rumores belli, quod postea exarsit, una simul statuto tempore convenire, ut de rebus suis agerent; quod quidem eos esse, pace composita remotisque periculis, facturos non est dubitandum. Deficientibus autem actis Conventus Tunquinensis, acta quoque Cochinchinensis et Siamensis regionis ad examen non fuerunt vocata. Verum istorum Vicariatuum necessitatibus videtur satis pro tempore fuisse consultum per commemoratam Instructionem quae potiores comprehendit resolvitque quaestiones quas istas Missiones aeque ac Sinenses respicere compertum est.

Ab eadem autem Instructione aliud haud spernendum emolumentum descendere apparet; cum enim ea complectatur gravissima monita de Clero sive europaeo sive indigeno, de Seminariis, de Scholis et Collegiis, de Cathechismo et Cathechistis aliaque permulta quae ad conversionem gentium et christianorum sanctificationem pertinent, materia suppeditatur amplissima, circa quam pietas et sapientia Praesulum in futuris Conventibus versari poterit pro novis resolutionibus seu decretis condendis.

In decreto anni 1879 Synodis ipsis statuere concessum erat, quo loco et tempore subsequentes Conventus haberi et qui ex Vicariis Apostolicis praesidere eisdem deberent. Ast factum est ut nonnullae Synodi hoc tempus futuri Conventus determinare prorsus omiserint, aliae quinquennii terminum proposuerint, ea autem quae in regione Hong-Kong locum habuit rem huic Sacrae Congregationi decernendam reliquerit. Profecto si quinquennii terminum assignare placeat, novi Conventus futuro anno convocandi essent, iuxta regulam in eodem Decreto assignatam, nempe vel a Vicario Apostolico in antecedenti Synodo determinato, vel ab eo Praesule, qui inter alios eiusdem regionis Antistes a consecratione Senior esset.

Verum non abs re est animadvertere, quod licet Sacra haec Congregatio istarum Synodorum frequentiam exoptet, ideoque singulis quinquenniis eas convocari consuleret; tamen cum nondum omnia civilium perturbationum pericula evanuerint, cauto opus est, ne Synodi tunc celebrentur, cum Episcoporum Conventus suspicionis causam Ethnicis praetendere possint, eos contra auctoritatem civilem aliquid esse molituros, et ideo odium contra religionem christianam excitandi occasio evadant. Quapropter visum est opportunum eorumdem Praesulum prudentiae relinquere, ut collatis per litteras inter se consiliis videant, quo opportuniori tempore convocatio per Praesides fieri debeat; idque Sacrae Congregationi significent.

Quod autem spectat ad Regionem Cochinchinensem et Siamensem, cuius acta, ut supra dictum est, non fuerunt examinata, Sacrorum Antistites, qui novo conventui intererunt, iam latas resolutiones et decreta expolire et opportunis additamentis augere studebunt; ut cum ad hanc Congregationem eadem delata fuerint, una cum aliarum Regionum actis Sacri Emorum Patrum Consilii iudicio subiiciantur.

ctere episcopali insigniti, iuxta tempus promotionis ad episcopatum.

3°. Ad S. Congregationem de Propaganda Fide quaelibet Synodi resolutiones et decreta deferantur et, si opus fuerit, approbationem obtineant, earum interea executione minime retardata.

4°. Cuilibet ex Vicariis Apostolicis liberum erit quaestiones in proxima Synodo discutiendas proponere. Ante omnia vero ea pertractare oportebit, quae a S. Congregatione, si visum fuerit, vel examinanda vel decernenda transmissa erunt.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis die 23 Iunii 1879.

IOANNES CARD. SIMEONI PRAEF.

(1) Huius Instructionis capita haec sunt: I De Institutione Missionariorum Europaeorum. II De studio linguae Sinicae. III De habitu Cleri. IV De Seminariis. V De regimine Sacerdotum. VI De Institutis regularibus. VII De Instituto Virginum. VIII De conversione gentium. IX De parvo catechismo. X De catechistis. XI De scholis et Collegiis. XII De Missionum constitutione. XIII De locis sacris. XIV De bonorum temporalium administratione. XV De velo mulierum. XVI De pileo sacrificio Missae. XVII De praeparatione ad baptismum. Invenitur Instructio apud S. C. de Propaganda Fide.

Hic vero nova regionum series subiungitur prout ex Vicariatuum Apostolicorum ab anno 1879 facta divisione, vel ex speciali aliquorum Vicariorum petitione eaedem constitutae sunt:

PRO IMPERIO SINENSI

1. Regio Tchely (Septentrionalis, Meridio-Occidentalis, Orientalis) Leau-toung seu Mandchuria, Mongolia (Centralis, Orientalis, Occidentalis).
2. Regio Chan-tong, Chan-sy, Chen-sy, Kan-Sieou.
3. Regio Hou-pe (Orientalis, Occiduo-Septentrionalis, Occiduo-Meridionalis), Honan (Meridionalis, Septentrionalis), Hounan (Meridionalis, Septentrionalis), Tche-Kiang, Kiang-Nan, Kiang-Sy (Septentrionalis, Meridionalis).
4. Regio Sut-chuen (Septentrio-Occidentalis, Orientalis, Meridionalis), Yun-nan, Kouy-tcheou et Thibet.
5. Regio Kouang-toung, Kouang-Si, Hong-Kong, Fokien, et Amoy.

PRO REGNIS SINIS ADIACENTIBUS

1. Regio Cochinchina (Orientalis, Occidentalis, Septentrionalis), et Cambodia.
2. Regio Tunquinus (Meridionalis, Centralis, Orientalis, Occidentalis, Septentrionalis).
3. Regio Peninsula Malacca, Siam Orientalis, Birmania (Orientalis, Septentrionalis, Meridionalis).
4. Regio Iaponia (Septentrionalis, Meridionalis), Corea.

Haec erant Amplitudini Tuae significanda; data vero occasione libenter utor ut omnia fausta tibi a DOMINO adprecer.

Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 16 Aprilis 1884.

Ioannes Card. SIMEONI, *Praefectus*.

DOMINICUS Arch. Tyrensium, *Secretarius*.

PROSPECTUS GENERALIS FRANCISCALIUM MISSIONUM IN IMPERIO SINENSI

Compendium historicum

Jam a prima medietate saeculi XIII Franciscanos vastissimas Tartarorum et Imperii Cathay (Sinensis) regiones peragrasse et in eisdem stationes ad CHRISTI fidem disseminandam erexisse historica documenta testantur. (1) Compertum habemus anno 1245 binam legationem Fratrum Minorum ad Tartariam Maiorem ab Innocentio IV missam fuisse, et subsequentibus annis ab eodem Pontifice alios Ordinis nostri operarios fuisse destinatos, inter quos eminent Fr. Laurentius a Portugallia et Fr. Joannes de Plano Carpino. Quantae vero utilitatis illorum missio fuerit, accipimus ex Hyeronimo Plato, Societatis IESU fideli scriptore, qui de praedictis Minoritis sic ait « *Iidem ad Tartaros missi ad annum 1245, quo tempore, quum magnus hominum numerus Evangelium admisisset, paulo post multo plures operarii destinati, monasteria multa instituta, denique res christiana feliciter prorsus administrata est.* (2)

Decennio nondum expleto, haec franciscalis missio ita profecit ut praeter *Magnum Khan*, supremum Tartariae dominatorem, multi principes ad CHRISTI fidem iam conversi essent ex anno 1253, et Fr. Guglielmus de Rubrouck Minorita a S. Ludovico Gallorum rege ad quemdam ex his christianis principibus delegaretur.

Annis 1278 et 1279 alii missi sunt Fratres Minores qui, fidem CHRISTI propagarunt. Praesertim vero Fr. Ioannes de Montecorvino celebratur, qui, postquam duas ecclesias consecrasset in ipsa aula Magni Khan, scripsit omnibus Franciscanis anno 1305, auxilium ab eis petens, quia messis ibi multa erat. Revera, biennio transacto, ipse Fr. Joannes a Clemente V Archiepiscopus Cambalicensis, (seu, uti creditur, Pekinensis) creatus est, et septem alii Minoritae eiusdem suffraganei episcopi sunt deputati.

De uberrimis fructibus quos collegit Fr. Joannes a Montecorvino loquitur [illegible] Minorita, B. Odoricus a Portunaone, qui et

(1) Cfr. *Storia universale delle Missioni francescane*, del P. Marcellino da Civezza, M. O. Definitor Gle, passim sed praesertim vol. VI. pag. 4 et seq.

Brevis conspectus praecipuarum Missionum Ordinis S. Francisci, auctore P. Bernardo Van Loo, Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum, a pag. 11 ad 25.

Tableau synoptique de l'histoire de tout l'Ordre Séraphique, par le P. Marie Léon Patrem, Missionnaire, en Terre sainte.

(2) Lib. 2. cap. 30.

ipse Asiam peragravit, ad Magnum Khan et ad Japonenses pervenit, ultra viginti infidelium millia CHRISTO peperit, et anno 1331 supremum diem clausit, dum in Europam redux, novos a summo Pontifice missionis socios postulaverat.

Anno 1456, alium invenimus Fr. Joannem, Archiepiscopum Pekinensem, qui inter franciscales Praelatos metropolis Imperii Sinensis nobis notos sextum locum tenet (1).

Anno 1523 ad Sinense imperium pergere voluit celeberrimus P. Martinus de Valentia; sed ipso prodigiose retento, P. Joannes de Zumarraga, qui primus Mexici Archiepiscopus fuit, Confratres alios misit; et quum anno 1581, P. Matthaeus Riccius, e Societate Jesu, illuc advenisset, Minoritas invenit, viriosque ex illis in carcere detentos liberavit.

Ab hoc tempore usque ad hodiernam diem Ordo Seraphicus semper multos habuit Missionarios in Imperio Sinensi. Inter Vicariatus apostolicos a S. Congregatione propagandae fidei in Coelesti Imperio institutos, septem Ordinis nostri curae et zelo commissi sunt, scilicet: Chan-tong, Chan-sy, Chen-sy, Hou-nan meridionalis, Hou-pe orientalis, meridionalis atque occiduo-septentrionalis. Singulorum statum ex ultimis epistolis acceptum hic subiungimus.

STATUS

Vicariatus CHAN-TONG *a Pascha 1882 ad Pascham 1883, ex epistola diei 12 Nov. 1883, R. P. Petri Pauli a S. Vito, Superioris Missionis, absente Vicario Apostolico, Rmo D.* ELIGIO COSI, *Episcopo titulari Prienensi, et Obs. Prov. Thusciae filio.*

Infidelium numerus circiter. (2)	30,000,000
Catholici Indigenae	[illegible]
Protestantes Indigenae circiter .	1,500
Mahumetani circiter.	5,000,000
Catechumeni	3,480
Infantes christianorum baptizati .	987
Infantes infidelium, in vitae extremis baptizati	10,764
Baptismi adultorum	366
Confirmationes	162
Confessiones annuae	10,680
» devotionis	17,043
Communiones annuae	8,772
» devotionis	16,582
Matrimonia benedicta.	131
Extremae unctiones	215
Defuncti christiani (adulti et pueri)	572
Ecclesiae et oratoria.	125
Residentiae	8
Seminarium	1
Collegium pro catechistis . . .	1
Alumni in seminario, e quibus 1 Diaconus et 2 Minoristae . .	28
Alumni Collegii	6
Scholae.	89
Alumni.	1,825
Orphanotrophia	4
Orphani	929
Missionarii Europaei	11
Sacerdotes indigenae	9
Frater Laicus Europaeus . . .	1
Catechistae indigenae	137
Christianitates circiter	200
Sorores Tertiariae S. Francisci, quae Orphanorum curam habent .	26

Huius Vicariatus CHAN-TONG *Missionarii sequentes sunt:*

1. *P. Beniaminus Geremia a S. Joanne in Gaddo,* Obs. Prov. S. Ferdinandi in Molisio. (1)
2. *P. Joachim Orsi a Castellatio,* Obs. Prov. Bononiae.
3. *P. Petrus Paulus de Marchi a S. Vito,* Obs. Prov. Venetiarum.
4. P. *Deodatus Salvucci a S. Donato,* Obs. Prov. Romanae.

(1) *Storia universale* delle Missioni francescane, vol. VI, pag. 33.

(2) Notandum est quemdam districtum versus partem meridionalem huius Vicariatus in his ultimis annis concessum fuisse Missionariis Seminarii Steyl in Hollandia.

Provincia Chan-tong sita est inter 35 et 38 gradum latitudinis septentrionalis, et 115 et 120 longitudinis orientalis. Eius civitas metropolis *Tsi-nan-fou* sive, ut alii scribunt, *Zi-nan-fu* nomen habet. Ab aquilone et oriente illam circumdat mare, a meridie Provincia *Kiang-nan*, ab occidente Provincia *Pe-tche-li* et *Honan*. In portu *Che-fou* anno 1868 fundata est Residentia, sed Vicarius Apostolicus in *Tsi-nan-fou* sedem suam posuit.

(1) *R. P. Beniaminus Geremia* iam electus est adiutor deputatus Rmi Vicarii Apostolici, et Ep. titularis Usolensis (Usola).

5. *P. Stephanus Pasinetti, a Bergomo*, Obs. Prov. Venetiarum.
6. *P. Matthaeus Fenocchio,* Tertiarius.
7. *P. Zeno Moeltner a Caldaro.* Ref. Prov. S. Leopoldi Tyrolensis.
8. *P. Anselmus Caillard a S. Salvatore,* Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia.
9. *P. Caesarius Schang a Cappel,* it.

Indigenarum Missionariorum nomina nondum fuerunt transmissa.

Anno 1883 ad finem vertente et incipiente anno 1884, alii ex Europa Confratres ad hanc Missionem destinati sunt, scilicet:

10. *P. Josephus Vila,* Min. Obs. Hispanus.
11. *P. Pius Trovarelli a Neptuno*, Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia.
12. *Fr. Eugenius Pandellè a Crouzeilles*, Min. Obs. e Gallia.
13. *Fr. Urbanus Henricus Majeleyne a Robaco,* Tertiarius.

—

STATUS

Vicariatus CHAN-SY *anno 1884, ex epistola diei 28 Aprilis Rmi* D. GREGORII GRASSI, *Episc. titularis Orthosiensis, Obs. Prov. Bononiae filii et adiutoris deputati Vicarii Apostolici, Rmi* D. ALOYSII MOCCAGATTA, *Episc. titularis Zenopolitani et Obs. Prov. Romanae filii.*

Incolae Provinciae (1) circiter .	15,000,000
Catholici . . . . fere	16,000
Cathecumeni, ultra	3,000
Missionarii europaei.	7
Sacerdotes indigenae	23
Diaconi indigenae	5
Districtus	15
Christianitates.	300

(1) Vicariatus eamdem Provinciae ipsius extensionem habet. In parte septentrionali a magno, uti dicunt, muro incipit, scilicet a Tartaria et usque ad flumen flavum vel Provinciam *Ho-nan* protrahitur in parte meridionali. Ab oriente Provinciae Pekini et ab Occidente Provinciae Chen-sy contiguus est. Civitas metropolis est *Taï-yuan-fou.* Inter 40 ad 35 gradum latitudinis includitur et per tres gradus longitudinis se extendit versus partem meridio-occidentalem civitatis Pekini.

Missionarii Europaei Vicariatus CHAN-SY *sequentes sunt:*

1. *P. Valerius Icardi a Ceva*, Obs. Prov. Taurinensis S. Thomae, annos natus.	70
2. *P. Franciscus Fogolla a Monteregio*, Obs. Prov. Bononiensis.	45
3. *P. Elias Facchini a Renocentese*, Obs. Prov. Bononien	45
4. *P. Athanasius d'Agostini a Ferentino* Obs. Prov. Romanae	49
5. *P. Aloysio Marcheschi a Colle completo*, Obs. Prov. Bononiae. . . .	40
6. *P. Stanislaus Cornelisse,* Recoll. Prov. Germaniae Inferioris (Hollandia). .	35
7. *P. Augustinus Faay,* It. . . .	35

Sacerdotes indigenae

1. D. Joannes Vam, annos natus .	65
2. D. Joannes Baptista Mom. . . .	63
3. D. Joannes Petrus Kao	63
4. D. Joseph Vam	63
5. D. Joannes Jam	56
6. D. Andreas Tien	56
7. D. Stanislaus Chem	56
8. D. Matthaeus Vam.	53
9. D. Paulus Cham	50
10. D. Petrus Chao.	49
11. D. Bonaventura Tien	47
12. D. Laurentius Cham	46
13. D. Joseph Pei	45
14. D. Paulus Sem	41
15. D. Joseph Cham	41
16. D. Joachim Jam	36
17. D. Paulus Kia	31
18. D. Petrus Hu	30
19. D. Joseph Cham	31
20. D. Basilius Vam	29
21. D. Simon Chem	28
22. D. Raphael Kao	27
23. D. Joannes Baptista Leu	26

—

STATUS

Vicariatus CHEN-SY, *ex epistola diei 31 Martii 1884 Illmi ex Rmi* D. AMATI PAGNUCCI, *Coadjutoris Vicarii Apostolici, Rmi* D. EPHISII CHIAIS, *Obs. Prov. Taurini.* (1)

Incolarum numerus circiter. (2) 12,000.000

(1) Rmus D. Chiais, die 12 Aprilis decurrentis anni in DOMINO quievit.

(2) Ex epistola Rmi D. Pagnucci sequentia desumimus de huius Provinciae situ, indole et religione:

Mahumetani numerantur circa .	120,000
Catholici	23,975
Districtus	14
Christianitates circiter	148
Ecclesiae et oratoria circiter . .	138
Missionarii Europaei.	8
Sacerdotes indigenae	18
Diaconi.	2
Subdiaconi.	1
Minoritae	2
Alumni in Seminario	29
Alumni in Collegio.	44

In Vicariatu Apostolico CHEN-SY *sequentes adsunt Missionarii Europaei:*

1. Illmus et Rmus *D. Amatus Pagnucci,* Coadiutor, Episcopus titularis Agathonicen. Obs. Prov. Thusciae.
2. *P. Pius Vidi a Verona,* Obs. Prov. Venetiarum.
3. *P. Joseph Granè a Barchinone,* Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia.
4. *P. Berardus Jazzetti,* Recessuum S. Bonaventurae Prov. Neapolitanae.
5. *P. Sanctes Propoggi a Ferentino,* Obs. Prov. Romanae.
6. *P. Petrus Baptista Galea a Melita,* Obs. Custodiae Melitensis.
7. *P. Athanasius Goette,* Recollectae Prov. SS. Cordis in Statibus Americae foederatis.

« La Provincia del Chen-sy geograficamente è posta fra i gradi 33 e 35 di latitudine, ed al grado 110 di longitudine. Dall'Est all'Ovest ha un' estensione di circa 300 miglia geografiche, dal sud al nord una lunghezza di circa 700 miglia. Confina col Su-tchuen, col Hou-pe, col Ho-nan, col Chan-sy, colla Mongolia occidentale e col Kan-sou. Ha una popolazione calcolata dai 12 ai 13 milioni di abitanti, compresivi ancora circa 120 mila Maomettani, che non presero parte alla Rivoluzione del 1860 e che per lo più si trovano radunati in alcuni grandi centri. Il popolo è pacifico, laborioso, paziente ed industrioso. Nella più gran parte è di religione Budista, o per dir meglio di nessuna religione, perchè indifferente e poco curante di ciò che ha da succedere dopo la vita presente. Un vivere comodo ed agiato è il sentimento che domina la gran totalità di questa popolazione. Gli usi e le pratiche de'loro maggiori forman la regola del loro vivere, a cui stanno attaccati con uno scrupolo superstizioso. Non son rari quelli che ammettono la trasmigrazione delle anime in altri esseri viventi, nobili se son degni di premio, obbrobriosi se han meritato castigo. »

Civitas Provinciae metropolis est *Si-ngan-fou.*

Missionarii indigenae

1. D. Jacobus Tchan.
2. D. Pius Wang.
3. D. Maurus Ly.
4. D. Petrus Tchan.
5. D. Paulus Wang.
6. D. Petrus Leu.
7. D. Ignatius Hoang.
8. D. Martinus Cang.
9. D. Franciscus Lüi.
10. D. Bernardinus Ly.
11. D. Sylvester Hiu.
12. D. Paulus Leu.
13. D. Franciscus Chon.
14. D. Petrus Wang.
15. D. Andreas Tchang.
16. D. Paulus Tien.
17. D. Petrus Ciao.
18. D. Petrus Chú.

—

STATUS

Vicariatus HOU-NAN MERIDIONALIS (1) *ac spiritualis administratio, durante anno 1883, ex epistola diei 30 Decembris eiusdem anni exarata a Rmo* D. EUSEBIO SEMPRINI, *Vicario Apostolico, Episcopo titulari Tiberiopolitano et Ref. Prov. Longobardiae filio.*

Incolarum numerus circiter . .	10,000,000
Christiani	4989
Christianitates	40
Ecclesiae	11
Sacella publica	16
Residentiae	8
Missionarii Europaei	3
Sacerdotes Sinenses.	10
In Seminario theologi	8
Studentes grammaticae	16
Scholae doctrinales	9
Alumni.	132
Catechistae	67
Virgines	58
Tertiarii et Tertiariae	64

(1) Provincia Hou-nan ab Aquilone Provinciam Hou-pe habet, ab Oriente Chan-sy, a Meridie Chantong et Ho-nan, ab Occidente Kou-ci-tcheu et Sietchoutan. Residentia Vicarii apostolici est *Hen-tchieou-fou.*

Sermones ad infideles	990
» fideles	1929
Baptismi	187
Baptismi adultorum infidelium	349
Confirmationes	241
Confessiones annuae	340
Communiones annuae	310
Confessiones ex devotione	9,811
Communiones ex devotione	10,200
Extremae unctiones	61
Matrimonia	72
Mortui	203

Relatio S. Infantiae.

Pueri et puellae infidelium baptizati	3,910
Puellae expositae susceptae	310
Adhuc viventes ex annis elapsis.	542
Orphanotrophia (2 pro pueris et 3 pro puellis)	5
Pueri in eisdem conviventes	89

Missionarii Europaei Vicariatus Hou-nan meridionalis (1) *sequentes sunt:*

1. *R. P. Gaspar Fuchs,* Ref. Prov. S. Leopoldi, natus 1 Julii 1848.
2. *P. Joannes Capistranus Goette,* Recoll. S. S. Cordis.
3. *P. Edmundus Rödiger,* eiusdem Prov. SS. Cordis.

Sinenses Missionarii.

1. D. Franciscus Xaverius, ex Provincia Chen-sy, filius S. Familiae Neapolitanae, natus 1809.
2. D. Stanislaus Lo, filius S. Familiae, ac alumnus Propagandae Fidei, 1822.
3. D. Laurentius Zen. 1831.
4. D. Thaddaeus Lo, 1832.
5. D. Bartholomaeus Lo, frater praecedentis, 1844.
6. D. Andreas Ko, alumnus Propagandae fidei, 1835.
7. D. Josephus Ye, 1834.
8. D. Matthias Lieu, 1855.
9. D. Xaverius Li, 1855.
10. D. Petrus Jang, 1861.

—

(1) Vicariatus Hou-nan Occiduo-Septentrionalis Patribus Ordinis S. Augustini committitur.

STATUS

Vicariatus Hou-pe Orientalis, (1) *ex epistola P. Angeli Vaudagna, diei 14 Martii et 10 Junii 1884, defuncto die 17 Maii anni 1883 Rmo et desideratissimo* D. Eustachio Zanoli, *Vicario Apostolico et episc. titulari Eleutheropolitano* (2).

Incolarum numerus circiter	11,000,000
Catholici	12,279
Missionarii Europaei	17
Clericus	1
Laicus	1
Missionarii Indigenae	13
Alumni in seminario (3)	22
Christianitates	330
Sacella publica	55
Baptismata adultorum	475
» Infantium fidelium	296
Confirmationes	100
Confessiones annuae	7,784
» devotionis	25,104
Communiones annuae	6,981
» devotionis	34,539
Extremae unctiones.	208
Matrimonia benedicta	90
Praedicationes ad fideles	3,516
» ad paganos	4,804
Mortui adulti	282
» infantes	121

S. Infantiae relatio.

Baptizantes	125
Infantes infidelium baptizati	5,729
» » collecti	955
» » aliti	1,462
» » mortui	4,003
Alumni in scholis pueri	411
» » puellae	442

Institutum Filiarum Charitatis (*vulgo* Canossiane).

Sorores Europææ	14

(1) Vastissima Provincia Hou-pe, cujus *Ou-tchang-fou* est civitas metropolis, limitatur Provinciis Honan, An-hoe, Kiang-sy et Chen-sy. Anno 1870, instante Rmo D. Zanoli, Vicario Apostolico, in tres Vicariatus divisa est, orientalem scilicet, occiduo-meridionalem et occiduo-septentrionalem.

(2) Cfr. eiusdem Necrologiam in *Actis Ordinis*, anno II, pag. 135.

(3) Ex illis tamen tres pro Vicariatu de Hou-pe meridionali educantur et ad eumdem destinantur.

Tertiariae S. Francisci indigenae . .	12
Aspirantes	36
Infidelium puellae baptizatae. . . .	725
Apud nutrices collocatae.	872
In orphanotrophio	339
Mortuae	500
Fidelium puellae educandae	230
Catechumenae et neophitae	204
Vetulae derelictae in hospitio . . .	84
In nosocomio viri ac pueri	184
» mulieres ac puellae . .	320
Infirmi externi, quibus medicamina suppeditantur	2,640

Missionarii Europaei in Vicariatu Hou-pe Orientalis *sequentes adsunt:*

1. *P. Epiphanius Carlassare,* (1) Ref. Prov. Venetae. (2) 1844-1871.
2. *P. Bernardinus Ammirati,* Ref. Prov. Romanae. 1825-1854.
3. *P. Celsus Ferraroni,* Ref. Prov. Bononiae. 1828-1859.
4. *P. Angelus Vaudagna,* Ref. Custodiae S. Thomae in Pedemontio. 1831-1856.
5. *P. Didacus Leva,* Ref. Prov. Bononiae. 1843-1867.
6. *P. Honorius Mesini a Mutina,* Ref. Prov. Bononiae. 1842-1867.
7. *P. Aloysius Sonsini,* Ref. Prov. S. Bernardini in Aprutio. 1844-1867.
8. *P. Joannes Hofman,* Recollectae Prov. Germaniae Inferioris, (Hollandia). 1834-1871.
9. *P. Ægidius Broekman,* Recollectae Prov. Germaniae Inferioris. 1848-1873.
10. *P. Martinus Poell,* It. 1845-1874.
11. *P. Bonifacius Oomsels,* Recol. Prov. Belgii. 1851-1878.
12. *P. Henricus Van Kessel,* Recoll. Prov. Germania Inferioris. 1851-1878.
13. *P. Theophilus Oovens,* It. 1853-1878
14. *P. Ansgarius Braun,* Ref. Prov. S. Leopoldi in Tyrolo. 1846-1878.
15. *P. Remigius Goette,* Recoll. Prov. SS. Cordis in America septentrionali. 1856-1881.
16. *P. Mauritius Robert,* Recoll. Prov. Belgii. 1853-1882.
17. *P. Gherardus Van-Elk,* Recoll. Prov. Germania Inferioris. 1858-1883.

Clericus

18. *Fr. Gabriel Maurice,* Ref. Prov. S. Bernardini in Gallia. 1861-1883.

Laicus

19. *F. Humilis Vetta,* Custodiae Romanae Recessuum S. Bonaventurae. 1845-1867.

(1) *R. P. Epiphanius Carlassare* electus est Vicarius apostolicus, et episc. titularis Madaurensis in Numidia.

(2) Prior numerus annum nativitatis, posterior vero adventus in Missionem annum designat.

Sacerdotes indigenae

1. D. Jacobus Jen. (1)	1830-1855
2. D. Franciscus Clieù.	1823-1856
3. D. Joannes Nepomucenus Zang.	1832-1859
4. D. Petrus Nie.	1836-1861
5. D. Joannes Baptista Zem.	1830-1860
6. D. Thomas Fang.	1835-1861
7. D. Laurentius Siu.	1842-1871
8. D. Joannes Sem.	1843-1871
9. D. Gregorius Hu.	1843-1871
10. D. Joseph Kuo.	1848-1872
11. D. Franciscus Sem.	1852-1878
12. D. Paulus Wam.	1853-1878
13. D. Joseph Chang.	1854-1884

(1) Pro sacerdotibus indigenis posterior numerus annum ordinationis sacerdotalis indicat.

—

STATUS

Vicariatus Hou-pe occiduo-meridionalis, (1) *ex epistola 7 Maii 1884 Illmi et Rmi* D. A. M. Filippi, *Vicarii Apostolici, Episc. titular. Paneadensis, et Ref. Prov. Bononiae filii.*

Incolarum numerus circiter . .	9,000,000
Catholici indigenae	3,878
Christianitates.	52
Missionarii Europaei	8
Laicus Professus	1
Sacerdotes Indigenae	5
In seminario alumni - Theologi .	5
» Philosophi .	4
» Humaniorum	6

(1) In territorio Vicariatus adsunt tres civitates primi ordinis, tres secundi ordinis, et 23 tertii ordinis. Inhabitantium numerus minor est ac in aliis Provinciis, quia plus quam dimidia pars regionis montana est; imo ibidem celsiores totius Hou-pe montes inveniuntur.

Missionarii Europaei Vicariatus HOU-PE OCCIDUO-MERIDIONALIS *sequentes sunt:*

	nativ. adventus
1. *P. Candidus Risardi, a Rigoli,* Ref. Prov. Thusciae.	1832-1859
2. *P. Joannes Franzoni a Botticano,* Ref. Prov. Mediolanens.	1838-1866
3. *Beniaminus Christiaens*, Recoll. Prov. Belgii.	1844-1873
4. *P. Gabriel Van Gestet,* It.	1846-1876
5. *P. Dominicus Ufert,* Discalceatae Prov. Apost. in Philippinis.	1850-1878
6. *P. Laurentius Fuchs*, Ref. Prov. S. Leopoldi in Tyrolo.	1856-1882
7. *P. Basilius Papin a Gorges,* Ref. Prov. S. Bernardini in Gallia.	1849-1885
8. *P. Odoricus Timer*, Recoll. Prov. Germaniae Inferioris, (Hollandia).	1859-1884
9. *P. Bonifacius Timer,* Laicus, It.	1848-1884

Sacerdotes Indigenae

	natus sacerdos
1. D. Matthaeus Peng.	1828-1852
2. D. Joachim Lo.	1828-1856
3. D. Ignatius Kieng.	1840-1872
4. D. Nicolaus Kiang.	1841-1872
5. D. Valentinus Gan.	1850-1878

—

STATUS

Vicariatus HOU–PE OCCIDUO–SEPTENTRIONALIS, *ex epistola diei 16 Aprilis 1884*, *Rmi* D. EZECHIA BANCI, *Vicarii Apostolici, Episcopi Titularis Halicarnassensis*, *Ref. Prov. Thusciae filii.*

Incolarum numerus circiter . .	8,000,000
Christianitates.	86
Catholici circiter (1)	6,000
Missionarii Europaei.	7
Sacerdotes indigenae	8
Sacella circiter	22
Collegii alumni, qui ad Seminarium praeparantur	14
In orphanotrophiis adsunt pueri .	28
» puellae. . . .	52
» vetulae pauperes.	14
Seminarii alumni.	15
Infantes apud nutrices repositi .	63
Missionarii Europaei.	6
Frater laicus Europaeus . . .	1
Sacerdotes indigenae	8
Sorores Tertiariae quae Orphanarum curam gerunt	18
Medici baptizantes	12

(1) Notandum vero duo millia circiter catholicorum propter famem in his ultimis annis emigrasse versus Nankinum, nonobstantibus eleemosynis a Patribus elargitis; ideoque si et ipsi computarentur, *octo* circiter *millia* nunc haberentur. Anno 1870, numerabantur tantum 5370 catholici.

Multi alii adsunt viri et mulieres, qui destinati sunt ad baptizandos paganorum pueros in mortis periculo.

In praecipuis etiam Vicariatus locis adsunt scholae.

Misionarii Europaei Vicariatus HOU-PE OCCIDUO-SEPTENTRIONALIS *sequentes sunt*, *ex epistola Rmi D. Vicarii Apostolici, die 16 Aprilis 1884.*

	natus
1. *P. Felix Siano de Palma.* Ref. Prov. Neapolitana	1833
2. *P. Antonius Fantosati*, Ref. Prov. Seraphicae.	1842
3. *P. Benedictus Francini*, Ref. Prov. Thusciae	1840
4. *P. Renatus Leuridan,* Recoll. Prov. S. Joseph. in Belgio .	1844
5. *P. Modestus Everaerts,* It. .	1845
6. *P. Quirinus Henfling,* It. .	1843
7. *Fr. Valentinus Romoli,* Laicus Ref. Prov. Thusciae . . .	1849

Sacerdotes Sinenses octo sunt:

	natus
1. D. Thomas Chang . . .	1825
2. D. Paulus Vang	1827
3. D. Paulus Sin	1829
4. D. Petrus Lo	1833
5. D. Matthaeus Chang . . .	1844
6. D. Andreas Than	1847
7. D. Matthaeus Zen. . . .	1850
8. D. Alexius Chao	1854

SUMMARIUM.

Vicariatus	Incolarum	Catholicorum	Missionarii Europ. Indig.	Alumni seminarii	Sacella	Christianitates
Chan-tong	30.000.000	16,356	11-9	28	125	200
Chan-Sy	15,000,000	16,000	7-23	6	130	300
Chen-Sy	12,000,000	23,975	8-18	34	138	148
Hou-nan Mer.	10,000,000	4,989	3-10	8	27	40
Hou-pe Or.	11,000,000	12,279	17-13	22	55	330
Hou-pe Mer.	9,000,000	3,878	8-5	7	18	52
Hou-pe oc. sept.	8,000,000	6,000	7-8	15	22	86
Summa totalis:	95,000,000	83,477	61-86 Simul 147	120	515	1156

Quam multa sit messis, quam magnum apertum sit ostium in his infidelium regionibus, nemo est qui non videat. Ideo omnes Rmi Vicarii Apostolici, in cunctis fere epistolis de paucitate operariorum apostolicorum dolent, et Rmum P. Generalem, ut alios mittat, exorare non cessant. Faxit Deus, messis dominus et boni consilii seminator, ut Confratrum nostrorum corda illuminet, nonnullos saltem ad evangelicum laborem vocare dignetur, et ad multa pro eius amore sustinenda superno robore confirmet.

IV

BIBLIOGRAPHIA

1879. Il cattolicismo dimostrato e difeso con le sole parol e ragioni dei suoi nemici dal R. P. Giacomo Bottau, Lettor teologo e Maestro, dell' Ordine dei Minori Rif. — S. Pier d' Arena, tip. di S. Vincenzo de' Paoli, 2ª ediz. in 8° vol. I pag. 452 e vol. II pag. 515. — Pretium operis L. 6,50.

Sed in favorem Collegii Generalis Franciscani quod Romae aedificatur, pret. L. 5.

1881. Lo scrivere dei popoli antichi e moderni disaminato nella sua origine, natura, progressione e affinità dal P. Giacomo Bottau, L. teologo dei Min. Rif. — S. Pier d'Arena, tip. di S. Vincenzo de' Paoli, in 8 pag. 216. — Pretium L. 2, 15, sed pro Collegio Generali, uti supra, L. 1, 50.

Eiusdem Auctoris in lucem iam prodierunt:

Illustrazione dei principali monumenti di Torino. Torino, 1844.

Osservazioni filologiche su lo scrivere purgato in lingua italiana. Torino, 1845.

Orazione panegirica de' SS. Geminiano, Saturnino e Valenzia. Nizza, 1847.

Quattro nuove *lezioni d' Aritmetica* e due nuove *lezioni di geografia* proposte alle scuole d' Italia. Torino, 1873.

1884. Il Terz' Ordine di S. Francesco d' Assisi secondo la Costituzione di S. S. Leone XIII del 30 Maggio 1883, per Fr. Basilio da Greccio, dell' Oss. Provincia serafica, Missionario apostolico — 3ª edizione curata e molto accresciuta dall' autore. — Carreggio, Tip. di Cesare e Nemesio Palazzi, in 18, pag. 224.

Si vende 50 centesimi la copia, franca di posta. A chi ne acquista 12 si da la 13ª gratis; e a chi ne acquista 100 si danno 25 copie in più. Per l' operetta e per quanto riguarda il Terz' Ordine, dirigersi al *M. R. P. Andrea da Greccio, M. O. Commissario di Terra Santa. Assisi — S. Maria degli Angeli.*

1884. Ricordo del primo centenario dalla Istituzione del Mese di Maria distribuito dai Religiosi Minori Osservanti di S. Francesco nella chiusura del pio esercizio solennemente praticato nella loro chiesa di Ognissanti in Firenze l' anno 1884. — Roma tip. Artigianelli di S. Giuseppe, Via Monserrato 149.

In hoc opusculo reperies compendium orationum quas in ecclesia *Omnium Sanctorum*, durante mense Mariano iàm elapso, ad populum habuit R. P. Basilius a Grecio, Min. Obs.

1884. Il Convento di S. Francesco al Palco, presso la città di Prato, descritto da Mons. Giovacchino Limberti, Arcivescovo di Firenze. — In Firenze, tip. di Mariano Ricci, Via S. Gallo 31. In 16 pag. 50, 2ª ediz.

V.

NECROLOGIA

—

In civitate sancta Hierosolymorum in Conventu Sanctissimi Salvatoris ex hac vita migravit Revdus Pater Iosephus a Calvi (Corsica), Missionarius et Poenitentiarius Apo-

stolicus pro Gallis, qui pluries fuit Vicarius Custodialis Terrae Sanctae.

Natus die 1 Novembris 1816, in hac Alma Obs. Provincia Romana religiosum habitum induit, et solemnem professionem emisit anno 1842. Elapso a professione decennio, nempe anno 1852, eundi inter Saracenos licentiam a Superioribus petiit, et voti compos factus, in Missionem Terrae Sanctae perrexit, ubi triginta duobus annis, scilicet ad mortem usque, permansit, fideliter laborans in Evangelio Dei, attente ac devote munera sibi concredita adimplere satagens, et specimen se exhibens religiosarum virtutum praesertim vero columbinae simplicitatis et sincerae in Deum ac proximum charitatis, quae ipsum omnibus apprime charum reddebant. Brevi, sed insanabili morbo correptus supremum diem obiit in osculo Domini die 11 Februarii 1884. Benedicta anima eius aeternam habeat requiem, et pro nobis adhuc in hac lacrymarum valle gementibus apud Deum intercedat.

Adm. R. P. Thomas ab Urbe, in qua natus est anno XII huius saeculi, die XXI Ianuarii, vel a prima iuventute Romanae Provinciae nomen dedit et seraphicum habitum induit in Conventu S. Francisci Corae, ubi, VI Martii a. 1827, absoluto tyrocinii tempore, solemnia vota rite nuncupavit. Mox ad philosophiae et theologiae studia incubuit, in quorum exitu magisterium adeptus est, et per tredecim annos obivit. — Cum adhuc esset theologiae Lector, renunciatus est Minister Provincialis mense Septembris a. 1849, postquam scilicet turbulentissimo tempore, quo Roma pene obruta est, Paroeciam S. Ioannis Lateranensis non sine vitae periculo administraverat. Hoc munus iterum suscepit ineunte a. 1862, quod etiam titulo Commissarii Provincialis aliquando ad breve tempus gessit. Anno tandem 1881, velut ad coronidem meritorum, inter Definitores Generales Ordinis consedit. — Vir plane fuit commendandus ob vitae et morum exemplum, quod continuo dedit, ob eximiam animi bonitatem, quam perpetuo retinuit, ob exactam professae paupertatis observantiam, et religiosas virtutes, praesertim vero humilitatem et modestiam, quas apprime coluit. - Prono cursu ferebatur natura ad Graphices et Architectonices studium, quas suopte ingenio, industria et conquisitis subsidiis tam pulchre didicit, ut intelligens eius iudicium et singularem peritiam omnes illi admirarentur, quibus de his artibus aestimandis facultas erat. Quod sane compertum fuit ex ornatu Aracoelitanae ecclesiae ad summam venustatem compositae in solemni Triduo de Immaculata Conceptione tunc definita; in quo palmam praeripuit omnibus ecclesiis, quae certarunt hoc tempore, nec per integrum annum destiterunt omnia pietatis signa edere, et effusiores animi sensus sanctissimae Dei Matri profiteri. Idipsum ornamentum, etsi novis semper distinctum varietatibus renovavit in festo Sanctificationis MM. Iaponensium, et *subinde* Gorcomiensium; proximiori autem tempore in centenaria S. Bonaventurae Doctoris et S. P. Francisci celebritate; ac unanime peritorum iudicium fuit, neminem ei posse in concinna, splendida et magnifica ornandi ratione anteponi. — Quod Architecturae res attinet, eidem debemus conventum et ecclesiam SS. Martyrum Iaponensium Centumcellis (Civitavecchia) exstructam. Totum exemplar, totumque operis corpus, quod ibi videtur, suum est. Neque hic solum substitit, sed etiam multum diuque elaboravit, vel in exornandis ecclesiis nostris vel in reparandis fatiscentibus, vel in detergendo squalore, qui in aliis iniuria temporum inoleverat. — Nemo praeterea est, qui ignoret quanta ejus peritia fuerit in cantu ecclesiastico, cuius rationem et vim capacissima mente comprehenderat; et quam propria vera aptaque rebus significandis modulatione vel in Missis componendis vel in Hymnorum pangendo melo praestiterit. — Iam supergressus aetatis annum septuagesimum secundum, in singula momenta deficere conspiciebatur gravibus conflictatus morbis clam et patientissime toleratis, donec die XVII superioris Iulii supremam sensit properare horam, et in osculo Domini requievit. Eius dulcissimae animae pax et gaudium sempiternum toto cordis affectu adprecamur.

Nihil obstat.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Secerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII
EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS CATHOLICI ORBIS VNIVERSOS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

VENERABILIBUS FRATRIBVS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS CATHOLICI ORBIS VNIVERSIS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Superiore anno, quod singuli novistis, per litteras Nostras Encyclicas decrevimus, ut in omnibus catholici orbis partibus, ad coeleste praesidium laboranti impetrandum, magna DEI Mater sanctissimo Rosarii ritu, Octobri toto, coleretur. In quo et iudicium Nostrum et exempla sequuti sumus Decessorum Nostrorum, qui difficillimis Ecclesiae temporibus aucto pietatis studio ad augustam Virginem confugere, opemque eius summis precibus implorare consueverunt. — Voluntati vero illi Nostrae tanta animorum alacritate et concordia ubique locorum obtemperatum est, ut luculenter apparuerit quantus religionis et pietatis ardor exstet in populo christiano, et quantam in coelesti MARIAE Virginis patrocinio spem universi reponant. Quem quidem declaratae pietatis et fidei fervorem Nos molestiarum et malorum mole gravatos, non mediocri consolatione leniisse profitemur, imo animum addidisse ad graviora quoque, si ita DEO placeat, perferenda. Donec enim spiritus precum effunditur super domum David et super habitatores Ierusalem, in spem certam adducimur, fore ut aliquando propitietur DEUS, Ecclesiaeque suae miseratus vicem, audiat tandem preces obsecrantium per Eam, quam ipse coelestium gratiarum voluit esse administram.

Quapropter insidentibus causis, quae Nos ad publicam pietatem excitandam, uti diximus, anno superiore impulerunt, officii Nostri duximus, Venerabiles Fratres, hoc quoque anno populos christianos, ut in huiusmodi precandi ratione et formula, quae *Rosarium Mariale* dicitur, perseverantes, sibi validum magnae DEI Genitricis patrocinium demereantur. Cum enim in oppugnatoribus christiani nominis tanta sit obstinatio propositi, in propugnatoribus non minorem esse oportet constantiam voluntatis, quum praesertim coeleste auxilium et collata nobis a DEO beneficia, perseverantiae nostrae saepe soleant esse fructus. — Ac revocare iuvat in mentem magnae illius Iudith exemplum, quae almae Virginis typum exhibens stultam Iudaeorum repressit impatientiam, constituere DEO volentium arbitrio suo diem ad subveniendum oppressae civitati. Intuendum item in exemplum Apostolorum, qui maximum SPIRITUS Paracliti donum sibi promissum expectaverunt perseverantes unanimiter in oratione cum MARIA Matre Iesu. — Agitur enim et nunc de ardua ac magni mo-

menti re, de inimico antiquo et vaferrimo in elata potentiae suae acie humiliando; de Ecclesiae eiusque Capitis libertate vindicanda: de iis conservandis tuendisque praesidiis in quibus conquiescere oportet securitatem et salutem humanae societatis. Curandum est igitur, ut luctuosis hisce Ecclesiae temporibus Marialis Rosarii sanctissima consuetudo studiose pieque servetur, eo praecipue quod huiusmodi preces cum ita sint compositae ut omnia ex ordine salutis nostrae mysteria recolant, maxime sunt ad fovendum pietatis spiritum comparatae.

Et ad Italiam quod attinet potentissimae Virginis praesidium nunc maxime per Rosarii preces implorare necesse est, quum nobis adsit potius, quam impendeat, nec opinata calamitas. Asiana enim lues terminos, quos natura posuisse videbatur, Deo volente, praetervecta, portus Gallici sinus celeberrimos, ac finitimas exinde Italiae regiones pervasit. — Ad Mariam confugiendum est, ad eam, quam iure meritoque salutiferam, opiferam, sospitatricem appellat Ecclesia, uti volens propitia opem acceptissimis sibi precibus imploratam afferat, impuramque luem a nobis longe depellat.

Quapropter adventante iam mense Octobri, quo mense sacra solemnia Mariae Virginis a Rosario in orbe catholico aguntur, omnia ea, quae praeterito anno praecepimus, hoc anno iterum praecipere statuimus. — Decernimus itaque et mandamus, ut a prima die Octobris ad secundam consequentis Novembris in omnibus curialibus templis, sacrariisve publicis Deiparae dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinarii eligendis, quinque saltem Rosarii decades, adiectis Litaniis, quotidie recitentur: quod si mane fiat, Sacrum inter preces peragatur; si pomeridianis horis, Sacramentum augustum ad adorandum proponatur, deinde qui intersunt rite lustrentur. Optamus autem ut Sodalitates Sanctissimi Rosarii solemnem pompam, ubicumque per civiles leges id sinitur, vicatim publicae religionis causa ducant.

Ut vero christianae pietati coelestes Ecclesiae thesauri recludantur, Indulgentias singulas, quas superiore anno largiti sumus, renovamus. Omnibus videlicet qui statis diebus publicae Rosarii recitationi interfuerint, et ad mentem Nostram oraverint, et his pariter qui legitima causa impediti privatim haec egerint, septem annorum itemque septem quadragenarum apud Deum indulgentiam singulis vicibus concedimus. Eis vero qui supra dicto tempore decies saltem vel publice in templis, vel iustis de causis inter domesticos parietes eadem peregerint, et criminum expiati sancta de altari libaverint, plenariam admissorum veniam de Ecclesiae thesauro impertimus. Plenissimam hanc admissorum veniam et poenarum remisionem his omnibus etiam largimur, qui vel ipso beatae Virginis a Rosario die festo, vel quolibet ex octo insequentibus, animi sordes eluerint *et divina* convivia sancte celebraverint, *et pariter ad* mentem Nostram in aliqua sacra aede Deo et sanctissimae eius Matri supplicaverint.

Iis denique consultum volentes qui ruri vivunt et agri cultione, praecipue octobri mense, distinentur, concedimus ut singula, quae supra decrevimus, cum sacris etiam indulgentiis octobri mense lucrandis, ad insequentes vel novembris vel decembris menses, prudenti Ordinariorum arbitrio differri valeant.

Non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin curis hisce Nostris uberes et copiosi fructus respondeant, praesertim si quae Nos plantamus, et vestra sollicitudo rigaverit, iis Deus gratiarum suarum largitione de coelo afferat incrementum. Pro certo quidem habemus populum christianum futurum dicto audientem Apostolicae auctoritati Nostrae eo fidei et pietatis fervore, cuius praeterito anno amplissimum dedit documentum. Coelestis autem Patrona per Rosarii preces invocata adsit propitia, efficiatque, ut sublatis opinionum dissidiis et re christiana in universis orbis terrarum partibus restituta, optatam Ecclesiae tranquillitatem a Deo impetremus. — Cuius auspicem beneficii, Vobis et Clero vestro et populis vestrae curae concreditis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXX Augusti MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

LEO PP. XIII.

DECRETUM S. C. INDICIS

Feria VI die 18 Iulii 1884.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri sequens Opus damnatum atque proscriptum a Sac. Cong. S. Universalis Inquisitionis Decr. Fer. IV die 16 Julii 1884.

Lo scandalo del « Vaticano Regio » duce la Provvidenza buono a qualche cosa: Brevi note onde l' Autore di quello (Carlo M. Curci) valedice a siffatte polemiche con due appendici. Firenze, Roma, fratelli Bencini editori, 1884.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedictum Opus damnatum atque proscriptum, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illud tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 18 Julii 1884.

FR. T.-M. CARD. MARTINELLI
Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri,
Ord. Praed. S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 22 Julii 1884 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

—

DECISIO S. R. CONG.

Ad dubia de precibus post privatas Missas recitandis (1).

—

Quaesitum quum sit a Sacra Rituum Congregatione:

I. An preces post finem cuiusque Missae sine cantu celebratae, in universa Ecclesia a Sanctissimo Domino Nostro LEONE Papa XIII nuperrime praescriptae, recitari debeant a Sacerdote alternatim cum populo; Et

II. An Oratio *Deus, refugium* cum suis versiculis ab ipsomet Sacerdote in casu recitanda sit, prouti *Ave Maria* et *Salve Regina*, flexis genibus?

Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Sacretarii, respondit ad utrumque Dubium: *Affirmative.*

Atque ita respondit et rescripsit die 20 Augusti 1884.

LAURENTIUS SALVATI, *Secretarius.*

—

DECRETUM

S. C. Episc. et Reg. quo novus instituitur et nominatur Vice-Commissarius Apostolicus Ordinis in Hispania.

Pluribus abhinc annis Sancta Sedes prae oculis habitis peculiaribus rerum adiunctis, in quibus Regulares Ordines in Hispania versabantur, in id devenit consilii, ut eorum regimini per Apostolicos Commissarios, vel, ut deinceps mos invaluit in Ordine Minorum Observantium, per Vice-Commissarios Religiosos eiusdem nationis viros provideret. Hinc factum est, ut anno 1857 adversa valetudine laboranti P. Isidoro M. Rocamora, tunc Vice-Commissario Apostolico Ordinis Minorum Observantium et Reformatorum S. Petri de Alcantara, Sacra haec Congregatio Episcoporum et Regularium P. Vincentium Albiñana Religiosum virum Ordinis Minorum Observantium in eodem Vice-Commissarii Apostolici munere pro Hispania ad suum Beneplacitum suffecerit, ac ad idem obeundum munus nominaverit ac deputaverit. — Iam vero cum prae-

(1) Cfr. *Acta Ordinis*, fasc. I huius anni, pag. 4.

laudatus P. Albiñana, praeter ingravescentem eius aetatem, in eamdem nunc malae valetudinis conditionem inciderit, ut amplius suo munere fungi nequeat, Sacra eadem Congregatio, ad cuius nutum is fuerat electus, ab huiusmodi onere eum eximere dijudicavit. Quare facta de praemissis omnibus relatione SSmo D. N. LEONI divina Providentia Papae XIII in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto eiusdem Sacrae Congregationis die 8. Iunii 1884. SSmus memoratum P. Vincentium Albiñana a praefato munere Vice-Commissarii Apostolici Ordinis Minorum Observantium et Reformatorum in Hispania eximere omnino decrevit, et exemptum esse declaravit, prout huius Decreti tenore decernitur et declaratur. Ne autem Religiosi viri, de quibus res est, proprio careant in Hispania Moderatore, Eadem Sanctitas Sua in Vice-Commissarium Apostolicum Ordinis Minorum ac Reformatorum in Hispania degentium nominavit atque constituit, prout praesenti Decreto nominatur et constituitur ad nutum et beneplacitum S. Sedis, Religiosum virum Fr. Franciscum Saenz de Urturi, Dioeceseos Victoriensis in Hispania, Lectorem Theologum et ex-Commissarium Generalem Terrae-Sanctae in Boliviana Republica Americae Meridionalis, cum facultatibus huiusmodi Vice-Commissariis Apostolicis in Hispania competentibus; qui tamen ita suum obeat munus, ut collatis consiliis cum P. Ministro Generali totius Ordinis eiusque Definitorio in negotiis maioris momenti, pro servanda unitatis ratione in universo Ordine, rite recteque officium suum adimpleat. Constitutionibus Apostolicis, ac proprii Ordinis aliisque contrariis, etiam speciali ac individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die 12 Iunii 1884.

Loco ✠ Sigilli.

I. Card. FERRIERI *Praef.*

J. MASOTTI *Secretarius.*

—

II.

ACTA ORDINIS

—

MONITA

1. Notum sit omnibus Provinciarum superioribus idem indultum ac in elapso anno a Summo Pontefice concessum fuisse in proxima regulari S. Adventus quadragesima. Huius Indulti tenorem ediderunt *Acta Ordinis* 1883, pag. 156.

2. Quum asiana lues plures Europae nationes invaserit, monemus Superiores ut preces ad B. MARIAM Virginem, in Encyclica *Superiore anno* a Summo Pontifice praescriptas non modo recitari curent, sed etiam Fratres hortamur ut antiphonam quae incipit: *Stella coeli extirpavit*, vel aliam ad S. Rochum cuius initium est: *Ave, Roche sanctissime*, saltem privatim, durante contagionis periculo, singulis diebus perlegere velint. Ambae inveniuntur in fine Breviarii vel Diurnalis Romano-seraphici.

—

RMUS P. MINISTER GENERALIS
in Hungaria (1884)

Rmus P. Minister Generalis, Bernardinus a Portu Romatino, moderator vere sapiens Ordinis Minorum, eiusdemque Ordinis decori promovendo semper intentus, quod de consilio Patrum Rmi sui Definitorii proposuerat, opere iam complevit. Proposuerat scilicet personaliter visitare, praesentiaque sua honestare franciscanas Hungariae Provincias, prout in longo gloriosoque Generalatus sui decursu omnibus fere Europae Provinciis huiusmodi honorem et consolationem concedere dignatus fuerat. Eo vel magis illuc ferebatur paternus animus Rmi Patris, quia iam a saeculis sive ob temporum iniuriam, sine ob hominum perversitatem, sive ob legum civilium intolerantiam fas haud fuit Ministris Generalibus intra Hungariae limites canonicam vel saltem paternam filiorum suorum visitationem aggredi. Et tamen nobilissima pusilli gregis pars vivit et in bonum fidelium maxime operatur in inclito regno S. Stephani Regis. In eo

namque quinque clarissimae Provinciae Ordinis nostri extant et florent, quae elapsis saeculis ob Turcarum irruptiones diuturnumque eorum in illo regno dominatum diversas subierunt vicissitudines et mutationes, quas hic commemorare non licet. Hae Provinciae sunt:

Provincia S. Mariae, quae ad incunabula Ordinis refertur, quaeque primitus, utpote per Hungariae limites extensa, appellabatur sine ullo addito *Provincia Hungariae;* exinde, ut ab alia Provincia Observantium distingueretur nomine *Provinciae Hungariae Conventualium* veniebat; acceptata autem anno 1454 quadam reformatione, dicta est *Provinciae Hungariae Conventualium Reformatorum*. Sub Leone X anno 1517, nomine Conventualium seposito, Familiae Observantium sese iunxit; deinde in Capitulo Generali Burgis in Hispania anno 1523 celebrato, Provincia haec iam Observantibus unita, *S. Mariae* titulo decorata est; demum anno 1659 Decreto Alexandri VII, *Provincia Reformata* declarata fuit.

Provincia S. Ladislai Regis, quae cum esset Custodia Slavoniae ad S. Mariae Provinciam pertinens, ab hac anno 1655 separata est, indeque *Provincia titulo S. Ladislai* denominata, et Conventus suos habet in Hungaria, in Croatia et in Slavonia.

Provincia SS. Salvatoris, clarissima progenies quondam Vicariae, nunc Provinciae Bosnae Argentinae, ab hac tamen iam ab anno 1444 separata. Primum Vicaria Hungariae Observantium nuncupata; deinde sub Leone X anno 1517 Provinciae gradum consecuta, et anno 1523 a memorato Capitulo Generali Burgensi titulo *SS. Salvatoris* decorata; tandem anno 1629 *Strictiorem Observantiam* amplexata est.

Provincia S. Stephani Regis in Transylvania, a Provincia SSmi Salvatoris progenita a qua anno 1640, Bulla Urbani VIII super hoc negotio edita, fuit separata, et titulo *Custodiae S. Stephani Regis* appellata; quae demum anno 1729 in Capitulo Generali Mediolani celebrato ad Provinciae dignitatem evecta fuit.

Provincia S. Ioannis a Capistrano alia nobilissima proles Provinciae Bosnae Argentinae, a qua anno 1757 se disiunxit, et in novam Provinciam auctoritate Apostolicae Sedis illico sese erigens sub titulo *S. Ioannis a Capistrano*, Conventus habet per Austriam, Hungariam, Slavoniam et Transylvaniam dispersos.

Religiosi Franciscani intra Hungariae limites existentes perinde ac Franciscani Bosnenses, veri patres ac tutores catholicorum in fidei periculis contra Turcarum impetus, Tartarorum incursiones et haereticorum crudelitatem fuisse gloriantur. Ideo innumera mala Seraphici Assisiatis filii a truculentis illis hominibus passi sunt: modo iniurias et ignominias; saepius verbera et vulnera; et aliquando mortem etiam crudelissimam. Nec his satiati inimici Crucis CHRISTI, in ecclesiis altaria confringebant, Sanctorum imagines conculcabant, paramenta sacra rapiebant, et Conventus vel barbare vastabant, vel flammis comburendos tradebant.

In iisdem Provinciis strenue adlaborarunt sanctissimi illi Viri, praecones vere eximii, Ioannes a Capistrano et Iacobus de Marchia, quorum gloriosa nomina vulgatissima adhuc sunt in Hungariae regionibus, et benedicta resonant in ore omnium. Ecquis ignorat quae et quanta in Hungariae Provinciis, ut de aliis regionibus sileam, operati sint laudati apostolici Viri, Capistranus et Iacobus Picenus sive contra innumeras serpentes haereses pugnando, sive a via veritatis devios ad Ecclesiae sinum traducendo, vel catholicos in fide periclitantes confirmando, quandoque consilio christianos principes et milites ad expeditiones contra Turcas hortando, quandoque miracula, virtute Altissimi, patrando? Quis nescit quae et quot mala regnis catholicis ex haereticorum colligationibus impendentia, labore et opera sanctorum Capistrani et Piceni impedita fuerint? Haeretici enim in tantum creverunt numerum, eoque proruperunt insolentiae et impietatis ut clam collectis viribus, repentino impetu in orthodoxos irruere et sibi regni potestatem vindicare temere cogitaverint: quod procul dubio fecissent in Hungaria non aliter quam antea in Bohemia factum fuerat, nisi eorum consilia dissipasset tum Ioannes a Capistrano, tum Iacobus de Marchia. Et dum haec operabantur isti incliti filii Patriarchae Seraphici, regularem Observantiam inter consodales suos magis stabilire ac dilatare satagebant, quod quidem Iacobus Picenus maxime

praestitit dum Vicarius XIII electus et a Papa confirmatus fuit totius Vicariae Bosnae Argentinae, quae tunc temporis per totam fere Hungariam protendebatur.

Licet, autem, ut dixi, plurimi in Hungariae regno franciscani Conventus a Turcica praesertim rabie combusti vel vastati fuerint, opera tamen Fratrum, eleemosynis hinc inde collectis, de novo aedificati fuerunt, et quidem forti solidaque structura, plerumque in quadro positi, in cuius medio, ut hodie conspicitur iucundi florum hortuli coluntur, praeter alios communes hortos satis amplos, oleribus, floribus, vitibus ac arborum varietate repletos. Ambitus tam superiores quam inferiores, necnon Refectoria imaginibus Sanctorum nostri Ordinis opportune decorantur.

Ecclesiae vero, si non omnes eleganti architectura nitent, sunt tamen omnes plus vel minus decentibus decoratae ornamentis, nobilibus ambonibus munitae, supra maiorem portam, ut plurimum, habentes chorum una simul cum organis, perbelle a facie prospicientibus. Plures Conventus animarum curam habent, nonnulli gymnasium qua sex qua quatuor classium provident, ubique vero Fratres catechesim docent pueros et studentes, et iuvamen in spiritualibus Episcopis et Parochis impendunt. In propriis Ecclesiis, diebus dominicis et festis, electi ad munus Sacerdotes nostri, semper conciones ad populum habent, ubi duos, ubi tres, quandoque etiam quatuor, eosque, iuxta fidelium nationalitatem, vel hungarica, vel germanica, vel slavica, vel valachica lingua.

Confratres nostri numerosiores sunt in Hungariae regno ceteris Ordinibus regularibus et ita sunt populo addicti, ut vulgo et passim appellentur *borátok* id est amici.

Iamvero hos in CHRISTO filios statuit visitandos Rmus P. Minister Generalis, capta occasione Capitulorum Provincialium, quae currenti anno celebrari debebant in enunciatis Hungariae Provinciis, una excepta Transylvanica S. Stephani Regis, in qua elapso anno habitum fuit Provinciale Capitulum.

Verum huiusmodi provincialia comitia, iuxta morem et exigentiam provinciarum, non ultra primam mensis augusti medietatem differri poterant, et Rmo P. Ministro Generali intra tam breve tempus ac in tanta locorum distantia haud possibile fuisset singulos cuiusque Provinciae Conventus per se visitare; ideo cum sui Definitorii consilio, statuit in partem sui laboris advocare duos Definitores Generales, scilicet Adm. R. P. Eusebium Fermendzin et Adm. R. P. Gaudentium Guggenbichler, qua Commissarios Visitatores, primum quidem Provinciae S. Ladislai Regis, alterum Provinciae S. Mariae, sibi tamen reservata Capitulorum praesidentia. Quoad autem Provincias SS. Salvatoris et S. Ioannis a Capistrano, tum principaliorum Conventuum visitationem, tum Capitulorum presidentiam sibi adsciscere deliberavit.

Igitur Rmus Pater, assumpto sibi comite P. Secretario Generali Ordinis, die 22 aprilis ab Urbe Roma discessit et in Tusciam venit, ubi expeditis quibusdam negotiis Patavium petiit, deinde Utinum, postremo Rubinum in Istria, ut ibi inter religiosos Fratres filiosque suos onomasticam suam diem celebraret, et praeclarum virum Adm. R. P. Antonium Mariam a Vicetia viseret, quem immatura morte postea praeventum, fortasse praescierat non esse amplius revisurum. Accepto interim nuntio ab Adm. R. P. Eusebio Fermendzin, Definitore Generali, de proximo fine visitationis suae in S. Ladislai Provincia, quae prima occurrit veniendo ab Italia, Rmus P. Minister Generalis die 26 maii e Rubino Zagrabiam contendit, ubi est Conventus studii theologici, iam canonice visitatus a praelaudato P. Definitore Generali. Habita ibi cum religiosis Fratribus paterna conversatione, et exhibitis Emo Cardinali Archiepiscopo reverentiae obsequiis, Rmus Pater una cum P. Commissario Visitatore et adm. R. P. Ludovico Horvat, Ministro Provinciali, die 28 maii ad Capitularem Conventum in civitate Nagy-Kanizsae situm profectus est. Ibi dispositis et peractis quae ex legum praescripto disponenda sunt, statuta die 6 Iunii Provinciale Capitulum, praesentibus omnibus Patribus iure suffragii gaudentibus, celebravit. Ceteris deinde functionibus absolutis, die 9 Iunii e loco discessit, Budam versus iturus, quo pervenit prope meridiem eiusdem diei, exceptus iuxta ritum ab Adm. R. P. Provinciali et religiosa familia Budensi, Provinciae S. Ioannis a Capistrano. Peracta in

memorato Conventu Budensi visitatione canonica, et in Pestinensi ad Provinciam S. Mariae spectante visitatione tantum paterna, utpote qui canonice visitatus iam fuerat ab Adm. R. P. Gaudentio Guggenbichler, Definitore Generali, Rmus Pater, die 13 Iunii S. Antonio Patavino sacra, navim cum Adm. R. P. Eusebio superius laudato conscendens, praesente Adm. R. P. Ivone Rodic, Ministro Provinciali, qui pro digna Ministri Genlis receptione omnia egregie in sua Capistrana Provincia disposuerat, per Danubium ad Conventus studiorum Földvariensem, Baiensem et Vukovariensem profectus est, ubique filiali veneratione exceptus. In his tribus Conventibus electi iuvenes clerici ornatis sermonibus Rmum Patrem ad mensam salutarunt, deque suo in Provinciam adventu ei gratulati sunt. In quovis ex praefatis Conventibus, sicut in coeteris omnibus non capitularibus, haud potuit ordinarie, ob temporis angustiam, ultra tres dies consistere. Et ut commodius et facilius intra tam breve tempus omnia ei explere liceret, censuit Rmus Pater visitatoris partes dividere, committendo Adm. R. P. Eusebio revisionem librorum quos *protocolla* vocant, et P. Secretario Generali visitationem Ecclesiarum et sacrorum paramentorum; quodque in omnibus Conventibus a Ministro Genli visitatis observatum est.

Die 21 Iunii in Sabbato post meridiem, laudatus P. Minister Generalis ex Vukovariensi Conventu ad Ilokiensem, navi secundo Danubio vecta, sese contulit. Oppidum Ilokinum (Ilok) est antiqua civitas Willakum (Villak) in qua inclitus Ioannes a Capistrano, meritis onustus, ad coelos gloriosus evolavit. Ibi Successor S. P. Francisci, Definitor Generalis Eusebius, et Secretarius Generalis, in cubiculo in sacram Cappellam converso, ubi Franciscanus Heros obdormivit in Domino, pro eorum erga tam sanctum Virum devotione et pietate, die dominica 22 Iunii, sacrum celebrarunt. Inde acta parvae familiae visitatione, horis post meridianis Rmus Pater, eumdem Danubii cursum relegens, Vukovarinum reversus est, ubi invenit Adm. R. P. Eliam Cávarović Ministrum Provlem Bosniae cum suo P. Secretario, eo appulsum ut Ministro Generali filialia sua obsequia exhiberet.

Ex inferiori ad superiorem Hungariam reversurus, optime iudicavit interea temporis visitandos illos Conventus Provinciae Ss. Salvatoris, quos principaliores iuxta viam invenisset. Quare ex Provincia Capistrana, ad quam quinque memorati Conventus spectant, ad Provinciam Salvatorianam gradum facere statuit. Ideo, die 23 Iunii Vukovarinum relinquens, versus civitatem M. Theresiopolitanam, hungarice *Sabadka*, ubi extat Conventus philosophici studii laudatae Provinciae SS. Salvatoris, iter aggressus est. Sed antequam eo perveniret, necesse ei fuit currum ferreum per sex horas in statione prope pagum Daliam expectare. Non longe ab hoc pago Danubius fluvius graviter defluit, quem currus ferreus traiicit non quidem super pontem, qui ibi non existit, sed super planam navim metallicis funibus hinc inde constrictam, ne ductus aquae a recta via quae ex altera fluminis parte in binarium ferreum immittitur, deflectere faciat. Huiusmodi navis, machina vaporifera tracta, duodecim circiter minuta in latitudine unius fere hilometri impendit, et est quidem res visu iucunda, sed si flumen aquis tumescat, terribilis. Hora decima noctis Conventum M. Theresiopolitanum ingressus est Rmus P. Minister Genlis, eum comitantibus Adm. R. P. Custode Provinciae et R. P. Guardiano, qui in statione viae ferreae illi obviam venerant. Mane circa horam septimam Rmus Pater, iuxta morem Provinciae, adstantibus omnibus Familiae Fratribus, solemniter introductus est in Ecclesiam, ubi expletis precibus de ritu, illico coepit sacram visitationem instituere.

Die 25 Iunii ab urbe M. Theresiopolitana discedens, Szegedinum petiit, indeque die 27 Keczkemetinum, in quibus conventibus studia Theologiae constituta sunt. Szegedini asservatur humilis sella cum brachiis, qua, iuxta traditionem, usus est S. Iacobus Picenus, qui fuit Guardianus illius Conventus.

Ex Keczkemetiensi Conventu ad Gyöngyösiensem transivit, ubi nostri Patres franciscani, qua Professores, gymnasium sex classium dirigunt, a nostris etiam clericis frequentatum, et ad quem utpote capitularem Rmus Pater erat reversurus. — Abiens ab hoc Conventu die 3 Iulii, venit Budapestinum, ubi sequenti

mane navim coscendens, per Danubium progressus est Strigonium, ubi est Conventus studii Theologici Provinciae S. Mariae in quo Adm. R. P. Gaudentius Definitor Generalis visitationem canonicam iam peregerat. Ibi Rmus Pater benigne cum filiis suis conversatus est et Emo Cardinali Hungariae Primati, qui tam amanter eum exceperat, officia sua exhibuit. Die 7 Iulii ex eo loco solvit, et ad Capitularem Posoniensem Conventum accessit pro celebratione Capituli Provinciae S. Mariae, quod pro die 14 eiusdem mensis, Doctori Seraphico sacra, fuerat intimatum. Omnibus ad legum tramitem absolutis, consiliis adiuvante admod. R. P. Gaudentio, Commis. Visitatore, Rmus P. Minister Generalis die 17 post impertitam Fratribus omnibus seraphicam benedictionem, profectus est Galgocium, ubi venerandus senex adm. R. P. Iacobus Signarovits, Minister Provincialis Provinciae SS. Salvatoris residentiam suam habebat, et in quo loco nostri Franciscani quatuor classes gymnasiales docent. Ibi iuvenes s. Theologiae studentes, sub directione P. Alphonsi Schmeninga in arte musica magistri, fidibus canentes atque alia musicalia instrumenta tangentes, pulchro iucundoque concentu adventum Rmi Patris ad mensam salutarunt.

Ex Galgociensi Conventu discedens die 21 Iulii, in Provinciam Capistranam iterum introivit, ut sacram visitationem exequeretur in quatuor Conventibus Austriae, scilicet Viennae, Santipolis, Enzerdorfii, Lanzendorfii, quorum duo posteriores fidelium concursu ex Austria et Bohemia ad colendas in adnexis Ecclesiis B. V. MARIAE devotas imagines celebres evaserunt.

Exactis, satis quidem festinanter ob angustiam temporis, praedictorum Conventuum visitationibus, et exhibitis Frosdorfii reverentiae signis nobilissimae Viduae, sanctae vitae Faeminae, dignissimae Consorti Viro de Chambord, quem ob singulares tum christianas tum civiles virtutes nulla laus aequare potest, cuiusque mortem totus mundus flevit, et quocum Rmus P. Generalis a multis annis sancta amicitia coniunctus fuerat, die 28 Iulii ex urbe Viennensi, per totam noctem itinerans, recta Gyöngyösinum repetiit, ut ibi tempestive disponeret et praepararet, quae ad Capitulum Provinciae SS. Salvatoris pro die 3 Augusti intimatum, referebantur. Hoc aliisque functionibus persolutis die 6ª augusti Budam iterum atque iterum venit, ut Capitulo Provinciae S. Ioannis a Capistrano ad diem 11 praefati mensis celebrando, praesideret. Quod quidem statuto tempore factum est, ceteris actis ad tramitem legum Ordinis.

Omnes memoratae capitulares electiones singulari Patrum Vocalium pace et concordia peractae fuerunt, ita ut Rmus Pater officii sui esse duxerit, publicas actionum gratias eis referre. Eorum vero exitus cuique patebit ex *Actis Ordinis*.

Illorum Conventuum visitationem, in Provinciis Salvatoriana et Capistrana, quas Rmus Pater personaliter agere nequivit, probis Patribus earumdem Provinciarum commisit.

Ut ex dictis satis coniicitur, ipse in suis itineribus, praeter Secretarium Generalem Ordinis, comitem carissimum semper habuit Adm. R. P. Eusebium Definitorem Generalem, omnium illorum populorum linguis excultum. Et quando Rmus Pater ab uno ad alium Conventum transibat, quilibet Superior localis ad proximum usque Caenobium sese socium ei adiungere gaudebat.

Tam in adventu quam in discessu vel Provinciales Ministri, si aderant, vel ipsi Patres Guardiani verbis amplissimis ei gratulabantur, felicia cuncta Rmo Patri ominando perfectamque subiectionem et obedientiam protestando. De profectu clericorum in scientiis philosophicis et theologicis experimentum exegit, examini eos subiiciendo, et insimul proprio sermone ad sequendas virtutes et studia prosequenda confortando.

Sermones quos Rmus Pater occasione visitationis et Capitulorum Provincialium ad filios suos habuit, sive conceptus inspiciantur, sive forma, perpulchri fuerunt et ita informati ut charitas semper fuerit in veritate, et veritas in charitate. — Ut unum alterumve exemplum in quantum mente retineo afferam, Rmus Pater iuvenibus studentibus commendabat, ut proficientes cognitionibus mentis simul amore erga DEUM crescerent; ut semper cogitarent et sentirent cum Catholica Ecclesia, et prout ipsa docet, loquerentur. Ut

in litteris addiscendis, finem sanctum sibi praestituerent , quia, iuxta S. Bernardum, addiscere ut discat, curiositas est; addiscere ut sapiens apud homines appareat, superbia et vanitas est; addiscere, ut proximo suo utilis sit, charitas est; addiscere ut seipsum perficiat, sapientia est.

Alias dixit: « Gratulor vobiscum, Studentes, filii charissimi, quod charitatem et concordiam inter vos servetis, et quod diligenter studio vacetis; sed curate ut quae studio apprehenditis, in succum et sanguinem, ut dicitur, convertatis.... Imitemini puerum Samuelem, de quo nuper legimus in recitatione divini officii, qui semper paratus erat praeceptis Dei et superiorum obedire; dicite: Loquere, Domine, quia audit servus tuus.... Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.... Conemini ut etiam de vobis affirmari possit quod de eo dictum fuit: Cognoverunt omnes a Dan usque Bersabee, quod *fidelis* Samuel propheta esset Domini....

Vos quoque, filii carissimi, esse debetis Sacerdotes, Christi nempe cooperatores in salutem animarum. Necesse est ergo ut praeparetis mentes et corda vestra scientia et virtutum exercitio. Sacerdotium est summa dignitas, cui proinde summa sanctitas respondere debet. Hinc pietatem et devotionem colere adnitamini. Et quia omnis sufficientia nostra ex Deo est, ideo ad Deum confugite, ut ratia sua vos roboret, ad Deum confugite frequentatione sanctorum Sacramentorum confessionis et communionis... Clamate: De profundis clamavi ad te Domine, Domine, exaudi vocem meam; clamate de profundis miseriarum, de profundis tentationum, de profundis indigentiarum.... Ad Virginem Matrem confugite, et dicite; Sancta Maria, succurre miseris..... »

Alibi, capta occasione ex musico concentu ei oblato a iuvenibus studentibus, hanc ideam pulchre evolvit: « quemadmodum musicalia instrumenta, ut harmoniam reddant, inter se consona esse debent, ita similiter hominis facultates esse oportet, ut hisce Deum sancte et digne laudare possit; et sicut praefata instrumenta ut sonum harmoniosum emittant, necesse omnino est ut intus sint vacua, ita cor nostrum mundanis rebus et passionibus inordinatis vacuum sit oportet, ut ex eo exire valeat harmonia, quae usque ad thronum Dei ascendat, auresque eius, ut ita dicam, mulcere possit..... »

Iam innuimus, in Provincia Transylvanica S. Stephani Regis Capitulum Provinciale in annum elapsum incidisse, ideoque nulla erat necessitas ex parte illius Provinciae, ut Rmus P. Minister Generalis eo pergeret, longo itineri cum tot incommodis se committendo. Sed si necessitas non urgebat ex parte Provinciae, urgebat charitas ex parte Rmi Patris. Ex quo enim praesentia sua consolatus iam fuerat alias Hungariae Provincias, paternum cor eius minime pati poterat, ut sine ulla prorsus visitatione Transylvanicam relinqueret. Igitur itineris difficultatibus nihil deterritus, die 16 augusti Budapestinum relinquens, profectus est Claudiopolim (Klausenburg) principem Transylvaniae civitatem, ubi est conventus noster qui ex Hungaria venienti primus occurrit. Eo pervenit Rmus Pater hora 9 post meridiem, ad stationem expectatus a P. Guardiano praefati Conventus; et post breve temporis spatium eo etiam appulit egregius Minister Provlis, Adm. R. P. Polycarpus Lasló, qui telegraphice praemonitus de proximo Reverendissimi Ministri Genlis adventu in Provinciam suam, sollicite e sua residentia in *Czich Somlyo* discessit Claudiopolim versus.

Laetus ac gaudens de paterna visitatione Superioris Generalis Ordinis, intimas ei retulit gratias de benignissima indulgentia sic monstrata erga Provinciam suam, quae numquam ab hominum memoria Successorem S. P. Francisci in suo sinu exceperat. Hoc actu paternae bonitatis erga memoratam Provinciam absolvebatur hoc anno in franciscanis Hungariae Provinciis sacra missio Rmi Patris, qui ideo die 19 augusti abiens e Transylvania, comitante laudato Provinciali, et Claudiopoli relicto ad expedienda negotia sua Adm. R. P. Eusebio, Definitore Generali, perrexit itinere 31 horarum in Galiciam ad ibi assumendam praesidentiam Capituli Provinciae Reformatorum, ab Adm. R. P. Conrado Piramovicz, ex-Definitore Generali canonice visitatae, iturus deinde Pragam in Bohemia, ut praesideret die 11 Septembris Capitulo Provinciae S. Venceslai, ab Adm. R. P. Gaudentio Guggenbi-

chler, superius laudato, visitatae, et exinde Romam, Deo dante, rediret.

Dignetur Dominus noster Iesus Christus, opera Rmi Patris benedicere; germina quae in seraphico campo sparsit, superna virtute foecundare; nostros dilectissimos Hungariae Fratres coelestibus bonis cumulare, totumque Ordinem nostrum protegere et gratia sua corroborare, ad maiorem suam gloriam, et catholicae Ecclesiae decorem et incrementum.

—

ELENCHUS

Ministrorum Generalium totius Ordinis Minorum

(Continuatio)

44. *Christophorus Numaius de Forolivio*, Prov. Bononiae. Electus est Romae in Aracoeli an. 1517 a Capitulo Generalissimo, ex celebri Bulla *Ite et vos* Leonis X, et fuit primus Minister *post separationem* Fratrum sub privilegiis viventium, et caeterorum omnium uno sub Capite legitimam *unionem*. Ordinem rexit anno 1. Creatus est Cardinalis 1517, et factus Episcopus Iserniensis et Regiensis, et demum Alatrensis. Obiit 1528.

45. *Franciscus Lichetus a Brixia,* Prov. Brixiae. Electus Lugduni 1518 rexit annis 2, et Hungariam visitans obiit Budae 1520.

46. *Paulus Soncinus de Cremona,* Prov. Mediolani. Electus Carpii 1521, rexit annis 2 et obiit Avenione 1523.

47. *Franciscus Quignonius de Luna,* vulgo *de Angelis,* Prov. S. Mariae Angelorum. Electus Burgis 1523, rexit annis 5. Cardinalis creatus 1528, et 1530 Episcopus Cauriensis, obiit Verulis 1540.

48. *Paulus Pisottus a Parma,* Prov. Bononiae. Electus Parmae 1529, officium resignavit an. 1533; obiit Parmae 1534.

49. *Vincentius Lunellus de Balbastro,* Prov. Carthaginensis. Electus Niciae 1535, multos idoneos Fratres in Americam misit, rexit annis 6, obiit Tridenti 1550 sub Concilio pro quo strenue laboravit.

50 *Ioannes Calvius,* Prov. Corsicae. Electus Mantuae 1541 in Capitulo ubi ex America primi advenerant, rexit annis 6, Concilio Tridentino interfuit ibique obiit 1547.

51. *Andreas Alvarez de Ulyssipone,* Prov. Algarbiorum. Electus Assisii 1547, rexit annis 6.

52. *Clemens Dolera de Monilia,* Prov. Bononiae, Electus Salmanticae 1553. Statuta Ordinis in compendium redegit et edidit 1554. Rexit annis 4. Creatus Cardinalis 1557, et dein Episcopus Fulginei, obiit Romae 1568.

53. *Franciscus de Zamorra,* Prov. Carthaginensis. Electus Aquilae 1559. Concilio Tridentino interfuit. Rexit annis 6. Obiit Plumbini 1571.

54. *Aloysius Puteus a Burgonovo,* Prov. Bononiae. Electus Vallisoleti 1565, sub eius regimine in Hispania omnes Franciscani ad veram observantiam reducti sunt, vel alio dimissi, et Poenitentiariae Lateranensis officium nostris perpetuo concessum. Rexit annis 6. Obiit 1580.

55. *Christophorus a Capitefontium* (*Chef-fontaines*), Prov. Britanniae. Electus Romae in Aracoeli 1571, vi Constitutionis S. Pii V *Pastoralis* 28 Maji 1571, rexit annis 8. Factus Archiepiscopus Caesariensis obiit Romae 1594.

56. *Ven. Franciscus Gonzaga a Gazuolo,* Prov. Venetiarum. Electus Parisiis 1579. Rexit annis 8. In fine sui regiminis obtulit Sixto V celebrem suam Ordinis Historiam. Factus dein Episcopus Cephaludensis, Papiensis, ac denique Mantuanus, adeo sibi rigidus vixit ut Paulus V ei mitigationem praeceperit; sancte obiit an. 1620.

57. *Franciscus a Tolosa,* Prov. Cantabriae. Electus Romae 1587 in Capitulo Aracoelitano in quo Generalatus ex Decreto Sixti V rursus ad sexennium restrictus est, rexit annis 6. Promotus ad Episcopatum Tudensem, tempore pestis 1600 *Pater pauperum* appellari meruit.

58. *Bonaventura Secusius a Calatahierone,* Prov. Siciliae. Electus Vallisoleti 1593, novam Statutorum Collectionem edidit, factus Patriarcha Constantinopolitanus rexit annis 7 usque ad Capitulum; mox ad Episcopatum Pactensem, dein Archiepiscopatum Messanensem, denique ad Ecclesiam Catanensem praesentatus obiit Catanae 1618.

59. *Franciscus de Sosa,* Prov. S. Jacobi. Electus Romae 1600, Provincias plurimas visitavit, rexit annis 6. Factus dein Episcopus

Canariensis et postea Oxoniensis ac inde Segoviensis.

60. *Archangelus Gualterius a Messana,* Prov. Siciliae. Electus Toleti 1606, rexit annis 6, creatus deinde Archiepiscopus Montis Regalis obiit Panomi 1617.

61. *Ioannes a Ferro* vel *de Hierro,* Prov. Angelorum. Electus Romae 1612, rexit annis 1 et mensibus 5, obiit Hispali 1613.

62. *Benignus de Genua,* Ref. Custodiae Observ. Prov. Siciliae. Electus Salmanticae 1618, rexit annis 7, et regularem disciplinam confirmavit aut restituit; obiit Romae 1651 apud S. Isidorum.

63. *Bernardinus de Senis,* Prov. Portugalliae. Electus Romae 1625, rexit annis 6, creatus dein Episcopus Viseviensis.

64. *Iaannes Baptista a Campanea,* Prov. Principatus. Electus Toleti 1633, rexit annis 6, paullo post factus Episcopus Dertusiae, dein 1653 translatus Puteolos. Curavit operum Scoti editionem, obiit 1663.

65. *Ioannes Merinero de Matrito,* Prov. Castellae. Electus Romae 1639, rexit annis 6. Suo sub regimine Custodiae Reformatorum ab Urbano VIII Provinciae declaratae sunt, earumdemque Statuta collecta et speciali approbatione Apostolica munita. Dein factus est Episcopus Civitatensis.

66. *Ioannes a Neapoli,* Prov. Terrae Laboris Ref. *Primus* ex Reformatis, electus Toleti 1645. Rexit annis 3 et mensibus 4. Primus ideam *Chronologiae Historico-Legalis Ordinis* concepit, et eius compilationem P. Michaeli Angelo a Neapoli commisit. Obiit Matriti 1648, iam praesentatus Episcopus Valentinus.

67. *Petrus Manero de Carinenna,* Prov. Aragoniae. Electus Romae 1651, rexit annis 5, factus Episcopus Tarasonensis obiit 1659.

68. *Michael Angelus Bonadies de Sambuca,* Ref. Prov. Siciliae. Electus Toleti 1658, Generalium Statutorum Compilationem vulgo *Sambucanam* publicavit an. 1663, et Italiae Galliarumque Provincias visitavit. Rexit annis 6; factus dein Episcopus Catanensis obiit 1686.

69. *Ildephonsus Salizanes,* Prov. S. Iacobi. Electus Romae 1664, praesentatus an. 1668 ad Episcopatum Ovetensem, rexit usque ad Capitulum ex Brevi Clementis IX, nempe annis 6, dein Cordubam translatus ibidem obiit.

70. *Franciscus M. Rhini de Politio,* Prov. Vallis Mazzariae. Electus Vallisoleti 1670, rexit annis 4 et mensibus 5, factus interea Episcopus Syracusanus, ac deinde Agrigentinus obiit 1696.

71. *Franciscus M. de Nicolis de Castro S. Petri,* Prov. Bononiae. Declaratus per Breve 1674 rexit annis fere 2, obiit 1682.

72. *Iosephus Ximenes de Samaniego,* Prov. Burgensis. Electus Romae 1676. Primus votum emisit de non acceptanda extra Ordinem dignitate sui regiminis tempore. Rexit annis 6, postea factus est Episcopus Placentinus.

73. *Petrus Marinus Sormannus a Mediolano.* Prov. Mediolani. Electus Toleti 1682. Optima publicavit Statuta pro Domibus Novitiatus in Italia, et pro Sacrarum Missionum Collegiis. Rexit annis 6, et promotus ad Episcopatum Viglevanensem obiit 1702.

74. *Marcus Zarzosa,* Prov. Bethicae. Electus Romae 1688, rexit annis 1 et mens. 7, obiitque in Hispania 1690.

75. *Ioannes Alvin,* Prov. S. Michaelis in Extremadura. Declaratus Min. Gen. per Breve Alexandri VIII 1690, recusavit Episcopatum sibi oblatum, rexit annis 4, obiitque in solitario loco suae Provinciae.

76. *Bonaventura Poerius de Taberna,* Prov. Calabriae. Electus Victoriae 1694, rexit annis 3, cessitque officio, promotus ad Archiepiscopatum Salernitanum, obiit an. 1722.

77. *Matthaeus a S. Stephano Messanensis,* Provinciae Terrae Laboris. Declaratus per Breve Innocentii XII 1697 rexit annis fere 3, ac Cephaludensis Episcopus factus obiit 1716.

78. *Ludovicus de Torres* seu *de Turre,* Prov. S. Iacobi. Electus Romae 1700, rexit anno 1 cum dimidio, obiitque Placentiae in Hispania an. 1701.

79. *Ildephonsus de Biezma,* Prov. Castellae. Declaratus per Breve Clementis XI 1702, saepe indixit Capitulum Generale quod bellorum causa celebrare nunquam potuit, rexit annis fere 15, et obiit Matriti 1716.

80. *Iosephus Garcia de Vallisoleto,* Prov. Immaculatae Conceptionis. Declaratus per Breve Clementis XI 1717, rexit annis fere 7. Eius cura Statua S. P. N. Francisci in Va-

ticana Basilica collocata est. Promotus ad Episcopatum Seguntinum obiit 1749.

81. *Laurentius Cozza a S. Laurentio,* Prov. Romanae. Electus Romae 1723, Comitiis praesidente Innocentio XIII, rexit annis 3 et 7 mensibus; creatus Cardinalis 1726, obiit 1729.

82. *Mathaeus Basile a Pareta,* Prov. Terrae Laboris. Declaratus per Breve Benedicti XIII 1727, rexit annis 2 cum dimidio, dein promotus ad Archiepisc. Panormitanum, obiit 1736.

83. *Ioannes de Soto a Vallisoleto,* Prov. Imm. Conceptionis. Electus Medioloni 1729, rexit annis 6 cum dimidio, Compilationem Statutorum edidit, obiitque Matriti 1736.

84. *Ioannes Bermejo,* Prov. Angelorum Castellae veteris. Declaratus per Breve Clementis XII 1736, rexit annis 4.

85. *Cajetanus Politi a Laurino,* Prov. Principatus. Electus Vallisoleti 1740, rexit annis fere 4, ac obiit Romae 1744. Quotidianam tempore mensae Necrologii lectionem iterato commendavit.

86. *Raphael de Rubeis a Lugagnano,* Prov. Ref. Bononiae. Declaratus per Breve Benedicti XIV 1744; *tertius* ex Reformatis, optima condidit Statuta pro Terra Sancta, rexit annis 6. Obiit ad Balnea S. Cassiani 1760.

87. *Petrus Ioannes,* vel *Joannetius de Molina,* Prov. Valentinae Discalceatorum. Electus Romae 1750, praesidente Benedicto XIV, et denuo Mantuae 1762, *primus* fuit ex Discalceatis, erigi curavit in Basilica Vaticana statuam S. Petri de Alcantara. Rexit annis 12. Obiit Valentiae 1776.

88. *Clemens Guignoni de Panormo,* Prov. Vallis Mazzariae. Electus Murciae 1756, Constitutiones edidit in Sacris Recessibus servandas. Rexit annis 6. Obiit Romae 1772.

89. *Paschalis Frosconi a Varisio,* Prov. Ref. Mediolani. Electus Valentiae 1768, *quartus* ex Reformatis, non semel in officio ob temporum difficultates confirmatus, rexit annis 23, obiit Romae 1791.

90. *Ioachim Company,* Prov. Valentiae. Institutus per Breve Pii VI 1792, et confirmatus per aliud Breve 1798, licet iam factus 1797 Archiepiscopus Caesaraugustanus, rexit annis 14, et sub eius regimine prodiit Bulla *Inter graviores.* Translatus obiit Valentiae 1812.

91. *Hilarius Cervelli a Montemagno,* Prov. Thusciae. Institutus per Breve Pii VII 1806, rexit utcumque, Conventibus fere omnibus clausis, annis 8, et obiit Mediolani 1816.

92. *Gaudentius Patrignani a Coriano,* Prov. Bononiensis. Institutus provisionaliter et ad beneplacitum per Breve Pii VII 1814, disjectos Fratres collegit, rexitque annis 3. Factus Episcopus Ferentini obiit 1823.

93. *Cyrillus Alameda et Brea ex Torrajon de Valasco,* Prov. Castellae. Institutus per Breve Pii VII 1817, rexit annis 6 cum dimidio. Factus Archiepiscopus S. Iacobi de Cuba 1831, translatus dein ad Burgensem, postremo ad Toletanum Archiepiscopatum, et an. 1858 creatus Cardinalis, obiit Toleti 1872.

94. *Ioannes Tecca a Capistrano,* Prov. Ref. Romanae. Institutus per Breve Leonis XII 1824, *quintus* ex Reformatis. Edidit Collectionem Generalium Constitutionum 1827; rexit annis 6. Obiit Bononiae 1849.

95. *Ludovicus Yglesias,* Prov. S. Iacobi. Electus Compluti 1830 in generali Nationis Capitulo, rexit annis 4. Obiit Matriti 1834.

96. *Bartholomaeus Altemir et Paul,* Prov. Aragoniae. Institutus per Breve Gregori XVI 1835, rexit annis 3, ruinam et dispersionem Fratrum in Hispania vidit, obiitque exul Burdigalae in Gallia.

97. *Ioseph Maria Maniscalco ab Alexandria,* Prov. Vallis Mazzariae. Institutus per Breve Gregorii XVI 1838, rexit annis sex cum dimidio. Factus Episcopus Abellinensis dein Calatahieronem translatus obiit 1855.

98. *Aloisius a Laureto,* Prov. Marchiae. Electus per schedulas Vocalium ad Cardinalem Protectorem missas, et renunciatus a Gregorio XVI 1844, rexit annis 6. Obiit Fani 1857.

99. *Venantius a Caelano,* Prov Ref. S. Bernardini in Aprutio. Institutus per Breve Pii IX 1850, audito prius Definitorio Generali, *sextus* ex Reformatis, rexit annis fere 6. Generale Capitulum convocare potuit Romae 1856. Obiit Neapoli 1861.

100. *Bernardinus a Montefranco,* Prov. Seraphicae. Electus Romae 1856, praesidente Pio IX, rexit annis 6. Factus 1862, Episcopus Terracinensis, Privernensis et Setinus, dein Capharnaum translatus, obiit Assisii ad S. Ma-

riam de Portiuncula 1884, ubi inter Fratres iam ab anno 1871 se receperat.

101. *Raphael a Ponticulo*, Prov. Bononiensis. Electus Romae 1862 in Capitulo in quo statutum est iuxta Summi Pontificis Decretum, ut Generalatus officium per duodecim annos duraret, rexit annis 7, Italicae suppressionis testis, et abdicato munere 1869, pie obiit Romae 1870.

102. *Bernardinus a Portu Romatino*, Prov. Ref. Venetae. Institutus per Breve 1869, in officio confirmatus 1881, quem Deus nobis incolumem diutissime servet.

SUMMARIUM

Ex praedictis 102 Ordinis nostri Ministris Generalibus

Itali fuerunt	69
Hispani	24
Galli	6
Lusitani	2
Anglus	1

Ex Provinciis Italiae fuerunt:

Bononiae	13	Principatus	2
Thusciae	8	Calabriae	1
Genuae	6	Corsicae	1
Mediolani	5	Brixiae	1
Marchiae	4	Aprutiorum	1
Romanae	4	Siciliae Ref.	1
Seraphicae	4	Terrae Laboris Ref.	1
Venetiarum	3	Bononiae Ref.	1
Siciliae	3	Mediolani Ref.	1
Terrae Laboris,	3	Romanae Ref.	1
Vallis Mazariae	3	Aprutiorum Ref.	1
Venetae Ref.	1		

Ex Provinciis Hispaniae:

S. Iacobi	5	Valentinae	1
Aragoniae	3	S. Michaelis Extremad.	1
S. M. Angelorum	3	Bethicae	1
Castellae	3	Burgensis	1
Carthaginensis	2	Cantabriae	1
Immaculatae	2	Valentinae Alcant.	1

Ex Provinciis Galliae:

Aquitaniae	4	Britanniae	1
Provinciae	1		

Ex Provinciis Portugalliae:

Algarbiorum	1	Portugalliae	1

—

III.

MISSIONES

—

MISSIO MANAOS

in Imperio Brasiliensi

Eminentissimus Praefectus S. C. de Propaganda fide et Ordinis nostri Protector, die 13 Augusti proxime elapsi ad Rmum P. Ministrum Generalem scribi iussit epistolam in qua declaratur Missionem franciscanam *Manaos* in Imperio Brasiliensi, quae sub iurisdictione erat Commissarii Generalis Boliviae, in posterum subiectam fore auctoritati Commissarii Generalis Reipublicae Argentinae, ut eiusdem missionis administratio, attenta minori distantia ab Argentina regione, facilior evadat.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

1883. La Bienheureuse Delphine de Sabran, et les saints de Provence au XIV siècle, par la Marquise de Forbin d' Oppède, ouvrage précédé d' une lettre de Mgr l' Archevêque de Rennes.

Paris, librairie Plon, 10 rue Garancière, in 8. pag. XIX-425.

1884. L' Indulgence de la Portioncule ou le Grand Pardon d'Assise, avec une Notice sur l' Archiconfrérie de N. D. des Anges, par le T. R. P. Léon, ex-Provincial des Franciscains de l' Observance. Se trouve chez les Religieuses Franciscaines, 38 rue de la Teste, Bordeaux, In 18 pag. 40.

1884. Tiers-Ordre séculier de S. François d' Assise. Direction et Visite des Fraternités, par le R. P. Jules du Sacré Cœur, Définiteur des Franciscains de la Régulière Observance de la Province de S. Louis d' Anjou. — Se trouve chez les Religieuses Franciscaines, 38 rue de la Teste à Bordeaux. In 32 pag. 89. (Prix, 0,50.)

1884. Omaggio del Mondo Cattolico a San Francesco d'Assisi, nella ricorrenza del VII Centenario dalla nascita 1882, pel M. R. P. Raffaele da Palermo, Lett. Giub. M. O. Parte I, *Omaggio alla Gerarchia cattolica*. Napoli, officina tipografia di R. Rinaldi e G. Sellito nell'abolito mercato a Forcella.

Haec I pars iam completa efformat volumen in 4° cum binis columnis, pag. 439.

Secunda pars, seu vol II: *Omaggio degli Oratori a S. Francesco* et ipsa in lucem prodiit, In 4° p. 769.

Tertiae partis, cui titulus: *Omaggio del Clero Secolare, regolare e dei Fedeli a S. Francesco*, iam publicati sunt Fasciculus I et II.

1884. Sermon sobre la divinidad de N. S. Iesucristo pronunciado por el M. R. P. Fr. Pedro Gual en el templo de S. Pedro el dia 27 de Abril de 1884. Lima, Imp. industrial, p. del Teatro 53 (In 8 p. 16).

V.

NECROLOGIA

Lacrymabilem iam annuntiavimus iacturam quam fecit Ordo Seraphicus in morte piissimi et eruditissimi P. Antonii Mariae a Vicetia. Et iure quidem dolendum: erat enim vir omnibus numeris absolutus; pietate, regulari observantia, miti zelo, eruditione insignis, de historia, philosophia, theologia peritissimus. Nulla ipsi deerat earum animi dotum quae religiosum Franciscalem, subditum aut superiorem, maxime commendant. Vicetiae ex piissima familia Borgo die 1 Martii 1834 ortus, a teneris annis pie educatus in patrio gymnasio summa cum laude humanis litteris operam navavit; et in primo adolescientiae flore de amplectendo seraphico Instituto cogitare coepit. Re mature perpensa, de prudentis viri consilio, admitti petiit inter Fratres Minores Strictioris Observantiae, Provinciae S. Antonii Venetiarum. Sacro habitu indutus Vicetiae in Conventu S. Luciae, et divinae vocationi diligentissime respondens, brevi omnium religiosarum virtutum praeclarum exemplum evasit. Philosophiae atque Theologiae apprime studuit singulari quidem profectu. Et studiorum curriculo emenso, primum Sacrum obtulit die 21 Septembris anni 1856. Tunc Reformatam Venetam Provinciam moderabatur praeclarissimus P. Bernardinus a Portu Romatino, qui hodie totum Seraphicum Ordinem sapientissime gubernat. Noverat ipse ceteris studiosis religiosa virtute, vi ingenii, studii amore atque scientia P. Antonium Mariam maxime praestitisse; ideoque eum sibi iure merito perdilectum dignum censuit qui in Lectorem institueretur. Hoc munere sibi commisso novus P. Lector, opportuna adhibita praeparatione, perfungi aggressus est eo consilio, quod praestantissimus P. Minister Provincialis suggesserat, ut in antiquum honorem scholasticae philosophiae ac theologiae studium restitueret. Quod quidem opus, obedientiae merito excitatus, fidenter suscipere ausus est. Diligentia summa Divi Aquinatis et S. Bonaventurae volumina evolvit, doctas paginas non tantum perlegit, sed super ipsas meditando assidue sudavit et alsit diu noctuque. Praesertim vero hausit altissimam sapientiam, quam Seraphicus Doctor suis libris impressam reliquit, eamque discipulis tradidit eo felici successu, ut non tantum bene instructi omnes evaserint, verum etiam praestantiores ingenio institui potuerint ipsi quoque in Lectores: et sic in Reformata Veneta Provincia, consilio P. Bernardini a Portu Romatino, studio et opera R. P. Lectoris Antonii Mariae a Vicetia, ab anno 1857 restituta fuit, plurimo studiosae iuventutis profectu, illa scholastica methodus, quae nunc hortamentis et favore sapientissimi Pontificis summi Leonis XIII fere undique in Seminariis ecclesiasticis instaurata et culta florescit.

Cum vero honor et decus magistri sit discipulus ille, qui singulari mentis acumine praeditus et institutoris assiduae curae respondens plurimos sapientiae fructus attulit, praeterire haud possumus ex primis discipulis P. Antonii Mariae a Vicetia fuisse P. Lectorem Fidelem a Fanna, qui operibus S. Bonaventurae edendis praefectus ad perquirendos atque conferendos antiquissimos codices totam perlustravit Europam, amplissimae suae doctrinae lucem undique diffundens, ita ut omnes scientiarum amatores admirarentur in uno homine tantam universae theologiae scientiam, extero-

rum idiomatum artisque paleographicae peritiam extitisse.

Studiis in Veneta Provincia optime dispositis, anno 1862 Romam vocatus fuit R. P. L. Antonius Maria, ut munere ibi fungeretur Secretarii Adm. R. P. Procuratoris Generalis. In Conventu S. Francisci ad Ripam degens, quae sui officii erant quam diligentissime adimplevit; et tempus quod supererat in describendis Sanctorum actibus impendebat.

Hoc studium ad fovendam sui ipsius et confratrum pietatem est prosequutus et speciali quidem amore etiam post suum reditum ad Venetam Provinciam. Tunc Religiosis turbine suppressionis huc illuc dispersis plurimum iuvit, typis vulgando a se diligentissime exarata nonnullorum Servorum Dei acta, prolixe quaedam, quaedam summatim descripta. Huiusmodi vitae non tantum Sanctorum laudatorum, verum etiam piissimi auctoris vivam referunt imaginem, et lectoribus manifeste apparet quanto religionis pietatisque studio, quantaque doctrina P. Antonius Maria praeditus fuerit. Doctissimus vir, iis perlectis asserere haud dubitavit ita P. Antonium Mariam Sanctorum vitas scripsisse, ut se sanctum esse ostenderit. De singulis, quae *novemdecim* sunt, dicere haud possumus, ne ultra debitum praesens memoria producatur; nobis tamen dicere liceat, omnibus numeris laudatissimas exstitisse, quas occasione beatificationis Servorum Dei Caroli a Setia et Humilis a Bisiniano prelo dedit. Nemo haec eruditissima atque pietate redundantia scripta perlegere potest, quin sibi ipsi displiceat et in eosdem beatos Coelites devotione affectus illos uti patronos exoret, ut ad ipsorum exemplum suam vitam reformare valeat.

Quamquam in plura studia et negotia distractum P. Antonii Mariae ingenium, nullae curae illum impedierunt quin exequeretur quod ipsi a multo tempore erat in votis. Experientia didicerat aureum Compendium Theologiae, quod seraphicus Doctor humili titulo Breviloquium vocavit, et ipse discipulis suis per annos plurimos explanaverat, aptius tyronibus evasurum, si notis atque schematibus ornaretur. Opus perdifficile quidem atque laboriosum fidenter est aggressus, quod ut perfectissimum evaderet assidua meditatione, maximo studio, summaque diligentia per annos plurimos adlaboravit, et tandem anno 1874, Venetiis, laudatissimum S. Bonaventurae Breviloquium, amplis adiectis illustrationibus et appendicibus edidit: et docti omnes in Italia, Germania et Gallia tanto favore illud exceperunt ut post annos sex nullum amplius extaret venale exemplar.

Tunc P. Antonius Maria, Seraphici Doctoris operibus iterum ac tertio perlustratis, novis appendicibus additis novisque illustrationibus ex recentioribus Pontificiis documentis, secundam paravit editionem, quae typis Herderianis anno 1881 Friburgi Brisgoviae in lucem prodiit, et amplissimis fuit meritis praeconiis decorata.

Hucusque religiosum virum pietate spectabilem, scientiaque fulgentem laudavimus; manet ut aliquid saltem leviter tangamus de eiusdem regularis disciplinae zelo, deque sollicita cura et operositate in promovenda restauratione Ref. Prov. S. Ant. Venetiarum. Qua Definitor et Secretarius Provincialis plurimum adlaboravit, consilio et opera Moderatorem Provinciae adjuvit, et tunc nonnulla perutilia fratribus sapienter statuta sunt. Cum vero anno 1877 electus fuerit in Ministrum Provincialem, ita restituendo Provinciae decori incubuit, ut nullis parcens laboribus totum se dederit ad reparanda civilis suppressionis damna, tum regulari observantiae, tum monasticis studiis illata. Collegium Seraphicum pro iuvenibus in Ordinem admitti postulantibus, haud satis tamen grammatica et litteris imbutis, instituit et ad optimam formam moralem atque materialem redegit. Novum seminarium pro Clericis Provinciae opportuno loco a fundamentis excitavit; magis magisque studia scholasticae philosophiae ac theologiae promovit, eo tamen consilio, ut iuvenes ad scientias comparandas intenti spiritum devotionis et pietatis minime in se exstinguerent, imo scientia ipsa pietatem iuvaret.

Per annos sex Ministri Provincialis munere summa cum laude perfunctus, labente anno 1883 Ministeriatum cessit suo successori Adm. R. P. Thomae a Vallibus Dominorum, quem consilio et opera qua Provinciae Custos, totis viribus adiuvare non destitit.

Videbatur adhuc per annos plurimos P. Antonium Mariam, quibus pollebat, sapientia,

consilio, virtute adlaboraturum fore in bonum non tantum Reformatae Venetae Provinciae verum etiam totius Ordinis et catholicae Ecclesiae: consilia tamen Dei humanis oculis abscondita sunt et inscrutabilia!

Die XVI Iunii proxime elapsi, Arupini, in Conventu S. Francisci correptus fuit infirmitate quae levis ab initio videbatur, tamen post quatuor dies ita gravis apparuit ut omnes tam pretiosam vitam adductam esse in maximum periculum et extremum discrimen noscerent. Hoc infirmum quoque minime latuit; singulari animi ardore sacramenta, quae migraturos ex hac luce solantur et roborant, petiit et devotissime suscepit, dein totum seipsum iterum ac tertio divinae voluntati offerens spiritum in osculo Domini emisit in sero diei 22 Iunii anni 1884.

Fratres coram altari sancti Sacrificii genuflexi flebant; et nunc Provincia Veneta, imo totus Seraphicus Ordo et sacrarum scientiarum cultores ob tantum casum quam maxime dolent.

Communi tamen moestitiae haud modicum solamen affert laeta spes fore ut tam benemeritus P. Antonius M. a Vicetia, qui vere doctus fuit in terris, fulgeat inter coelites quasi splendor firmamenti, et is, qui ad iustitiam erudivit multos, quasi stella lucescat in perpetuas aeternitates.

—

Ex ultimis e Mexicana Republica habitis notitiis, cum dolore didicimus mortem Illmi et Rmi P. Josephi Rico, Episcopi Sonorensis, qui flavae febri occubuit. In Consistorio diei 9 Augusti 1883 creatus, ovibus suis potius ostensus quam datus fuit desideratissimus Pastor. Eius electionem *Acta Ordinis* annuntiaverant, anno 1883, p. 122.

VI.
VARIA

—

DIE IX IULII
IN FESTO
SS. MARTYRUM GORCOMIENSIUM RHYTHMUS

Memoranda dies beata,
Gorcomiensium consecrata
Glorioso Sanguine!

Christi corporis viventis,
Romae vindices docentis
Prodis orbi Martyres.

Quas nam gratias referemus?
Quasnam laudes concinemus
Tuis coronis inclytis?

Probra, carceres ostendis,
Fustes, vincula, et horrendis
Colla appensa trabibus,

Tunsos ora, flammis ustos,
Fractos, coesos et onustos
Undique vulneribus:

Sacra membra sunt dissecta,
Et per fora circum vecta
Prostant pretio viscera.

Quanta impietas, quantus fremitus
Quanta caedes, quantus gemitus!
Quanta in unum crimina!

At relatae mox victoriae
Plaudit terra, plaudunt gloriae
Concinentes Angeli.

Hostium Christi frendet ira,
Crescit fides, surgunt mira
De sepulchro Martyrum.

Humiliata exultant ossa,
Medio in hyeme turgens fossa
Induit se floribus.

Christi fidem Vos confessos,
Christi amore Vos perpessos
Amor omnium invocat.

Cincti martyrum corona
Patriae genti fidei dona
Vestra lux illuminet.

Salve pastor Sociorum,
Nicolae, quem vis dolorum
Nec confusio terruit,

Binis laqueis cruentatis,
Coelum petis charitatis
Nova rosa purpurans.

Tuam passionem recolentes,
Cordis lacrymas fundentes
Osculamur vulnera.

Nihil obstat.
Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM S. C. INDULGENT.

ORDINIS MONACHORUM CAMALDULENSIUM

De Gregoriano Tricenario, de Altari S. Gregorii in Monte Coelio, et de Altaribus Gregorianis ad instar. (1)

Pro animabus e Purgatorio liberandis ab antiquis temporibus Christifideles celebrandas curarunt et curant Missas, quae Gregorianae, seu Gregorianum Tricenarium appellantur, quae nimirum per triginta continentes dies exemplo s. Gregorii Magni in quovis Altari dicuntur. In eumdem finem et ab antiquis pariter temporibus Christifideles offerri expostulaverunt et expostulant Missae Sacrificium in Altari s. Gregorii in eius Ecclesia Coelimontana. Tum in triginta illis Missis, tum in quavis Missa ad Altare s. Gregorii specialem fiduciam Christifideles et habuerunt et habent, velut si ipsae ita efficaces sint censendae ut anima, pro qua celebrantur, e Purgatorii poenis illico liberetur. Verum de duplici huiusmodi praxi dubitari coeptum est a praestantibus quibusdam viris, ea potissimum de causa quod huiusmodi Christifidelium fiducia haud solido fundamento inniti videatur.

Quod quidem adeo permovet hodiernum Abbatem generalem Monachorum Camaldulensium, quibus custodienda tradita fuit Ecclesia in qua Gregoriani Tricenarii praxis initium forte sumpsit et Altare s. Gregorii existit, ut Antecessoris sui preces urgeret et S. Congregationi Indulgentiis praepositae dubia aliqua authentice dirimenda exhiberet. Cum vero anteactis temporibus Romani Pontifices, praesertim Gregorius XIII plurima Altaria tum Romae tum alibi, formula usi solemni *privilegiata* declaraverint *ad instar* Altaris S. Gregorii in Monte Coelio, et Christifideles haud dissimilem a superius dicta fiduciam reposuerint et reponunt in Missis, quae huiusmodi in Altaribus ad iuvandas animas in Purgatorio detentas celebrantur; quumque haec Altaria *Gregoriana ad instar* nuncupata usque ad annum 1852 concessa, ob exorta dubia de discrimine Altaris *Gregoriani ad instar* ab Altari sine addito *Privilegiato*, Pius S. M. PP. IX die 15 Martii illius anni prohibuerit quominus in posterum concederentur, quoad res maturius perpenderetur et absolveretur, hinc opportunum visum est dubiis a Rmo P. Abbate propositis aliud ex officio subnectere et dirimere respiciens amussim suspensionem a S. M. Pio PP. IX indictam.

Dubia vero proposita haec sunt quae sequuntur:

1. Utrum fiducia qua Fideles retinent, celebrationem triginta Missarum, quae vulgo *Gregorianae* dicuntur, uti specialiter efficacem

(1) Uti perspicuum est, distinguenda sunt altaria Gregoriana ad instar (Altaris videlicet S. Gregorii Romae in Monte Caelio existentis) et altaria simpliciter privilegiata. De his diversis privilegiis cfr. probatos auctores, praesertim S. Ligorium, *Homo apostolicus* tom. II tract. XV, n. 78, et Ferraris, *verb.* ALTARE PRIVILEGIATUM, et Verb. MISSA art. XIV, Num. 24 ad 31.

ex beneplacito et acceptatione divinae Misericordiae ad animae a Purgatorii poenis liberationem pia sit et rationabilis, atque praxis easdem Missas celebrandi sit in Ecclesia probata?

2. Utrum fiducia qua fideles retinent, cecebrationem Missae in Altari S. Gregorii in eius Ecclesia Coelimontana uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae Misericordiae ad animae e Purgatorii poenis liberationem pia sit et in Ecclesia probata?

3. Utrum idem dicendum sit de Altaribus *Gregorianis ad instar?*

4. Utrum expediat revocare suspensionem novae concessionis Altaris Gregoriani latam ex mandato SSmi in Audientia die 15 Martii 1852?

Quibus in Congregatione Generali habita die 11 Martii 1884 in Aedibus Apostolicis Vaticanis Eminent. Patres rescripserunt:

Ad I. II. et III. Affirmative.

Ad IV. Consulendum SSmo, ut revocet suspensionem novae concessionis Altaris Gregoriani ad instar.

Die vero 15 eiusdem mensis et anni, facta de omnibus ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario relatione SSmo Dno Nostro LEONI Papae XIII, Sanctitas Sua Patrum Cardinalium responsiones approbavit et suspensionem novae concessionis Altaris Gregoriani ad instar sustulit.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 15 Martii 1884.

AL. CARD. OREGLIA A S. STEPHANO, *Praef.*
Franciscus Della Volpe, *Secretarius.*

—

RESCRIPTUM *quo conceditur Indulgentia tercentum dierum recitantibus sequentes preces pro animam agentibus.*

Beatissime Pater

Canonicus Dominicus Salvatori, moderator piae Unionis in favorem animam agentium ex universo mundo, humiliter exorat Sanctitatem Vestram, ut concedere dignetur tercentum dierum Indulgentiam devote recitantibus breves quae sequuntur preces.

PRECES

Aeterne PATER *propter amorem, quo prosequeris S. Josephum, inter omnes a Te selectum ad Tuas in terris implendas vices, miserere nostri pauperumque animam agentium.*

Pater, Ave *et* Gloria.

Aeterne divine FILI, *propter amorem quo prosequeris S. Josephum, Tuum in terris fidelissimum custodem miserere nostri pauperumque animam agentium.*

Pater, Ave *et* Gloria.

Aeterne divine SPIRITUS, *propter amorem quo prosequeris S. Josephum, custodem studiosissimum SSmae Virginis* MARIAE *tuae dilectae Sponsae, miserere nostri pauperumque animam agentium.*

Pater Ave *et* Gloria.

Sanctissimus Dominus Noster LEO *Papa XIII* in audientia habita die 17 Maii 1884 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui supra relatas preces, corde saltem contrito ac devote recitaverint, Indulgentiam tercentum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in *perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem s. Congregationis die 17 Maii 1884.

AL. CARD. OREGLIA A S. STEPHANO, *Praef.*
Franciscus Della Volpe, *Secretarius.*

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta seraphica.

PROLOGUS

Maximum profecto contulit DEUS Ecclesiae suae beneficium, dum ad eam sustentandam per viscera suae misericordiae saeculo XIII suscitavit B. Franciscum Assisiensem, eique Ordinem instituendum commisit, cuius sectatores vitam ducerent evangelicam, ut ita, spiritu apostolico repleti, ad apicem perfectionis protenderent et etiam opere, verbo et scripto omnium saluti efficaciter allaborarent atque hac ratione iterum renovarent faciem terrae.

Hunc fuisse duplicem Ordinis Seraphici finem a DEO intentum, non modo ipse S. Noster Patriarcha coelitus didicit et in Regula sua expressit, sed et Romani Pontifices saepius proclamarunt, ac ipsi rerum eventus per septem ferme saecula invicte comprobarunt.

Ipse DOMINUS revelavit S. P. N. Francisco, quod deberet vivere secundum formam sancti Evangelii, ad normam scilicet CHRISTI et Apostolorum, et ideo non modo DEO per contemplationem uniri, sed et alios CHRISTO lucrari. Eumdem proinde vitae tenorem filiis suis in Regula praescripsit, mandans eis, ut laborent et praedicationi insistant, sed sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire.

Ad hunc nobilissimum finem in Ordine suo obtinendum, perfectissima ac efficacissima media assignavit, quia non solum per tria vota sectatores suos a tribus salutis impedimentis, nimirum a propria voluntate, a bonis terrenis et a voluptatibus carnalibus removit, sed etiam perfectiorem quam in caeteris Ordinibus horum votorum observantiam inculcavit. Dedit eis insuper praecepta specialia ad actiones nonnullas CHRISTI et Apostolorum imitandas et ad ea, quae ad statum perfectionis a CHRISTO sunt praescripta melius exequenda. Tandem alia in sua Regula adiecit monita et exhortationes, quibus securius et arctius Salvatoris vestigia sequi valerent. De summa igitur excellentia et perfectione Regulae seraphicae nequit dubitari.

Mirum proinde non est, quod Summi Ecclesiae Pontifices tot encomiis illam extulerint. Nicolaus III (Const. *Exiit* in Procem.) de Fratrum Minorum Regula loquens, ait: « Hi sunt illius sanctae Regulae professores, quae evangelico fundatur eloquio, vitae CHRISTI roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiae et Apostolorum eius sermonibus actibusque firmatur. Haec est apud DEUM et PATREM munda et immaculata Religio, quae descendens a PATRE luminum, per Eius FILIUM exemplariter et verbaliter Apostolis tradita, et demum per SPIRITUM SANCTUM B. Francisco et eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. »

Nec minus eamdem Regulam laudat Clemens V (Constit. *Exivi*) ubi eam comparat horto Salomonis, ex quo CHRISTUS venustissimos flores colligit: et postea addit: « Haec est illa coelestis vitae forma et regula, quam descripsit ille confessor CHRISTI eximius, S. Franciscus, ac servandam a suis filiis verbo docuit pariter et exemplo. »

Simili modo de sanctitate vitae seraphicae et de primis Minoribus loquens Cardinalis Jacobus a Vitriaco, qui S. Franciscum in AEgypto se vidisse testatur, haec inter alia dicit:

« Haec est Religio vere pauperum CHRISTI et Ordo praedicatorum, quos Fratres Minores appellamus. Vere Minores, et omnibus huius temporis regularibus, in habitu et nuditate et mundi contemptu humiliores... Adeo primitivae Ecclesiae religionem, paupertatem et humilitatem in se reformare diligenter procurant, puras evangelici fontis aquas cum siti et ardore spiritus haurientes, quod non solum evangelica praecepta sed et consilia, vitam apostolicam expressius imitantes, modis omnibus adimplere laborantes, omnibus quae possident renuntiantes, seipsos abnegantes, crucem sibi tollendo, nudi nudum sequentes... Non solum praedicatione, sed et exemplo vitae sanctae et conversationis perfectae multos, non solum inferioris ordinis homines, sed generosos et nobiles ad mundi contemptum invitant, qui relictis oppidis et casalibus et amplissimis possessionibus, temporales divitias et spirituales felici commercio commutantes, habitum Fratrum Minorum, id est tunicam vilis pretii, qua induuntur, et funem, quo accinguntur, assumpserunt...

« Non solum CHRISTI fideles, sed etiam Saraceni et obtenebrati homines, eorum humilitatem et perfectionem admirantes, quando causa praedicationis ad ipsos intrepidi accedunt, grato animo necessaria providentes, libenter eos recipiunt.

« Haec est Fratrum Minorum sanctus Ordo et apostolicorum virorum admiranda et imitanda Religio, quos DOMINUS contra perditionis filium Antichristum et eius profanos discipulos credimus in diebus novissimis suscitasse. »

Merito proinde ipse S. Franciscus de Regula seraphica non a se inventa, sed a CHRISTO sibi dictata discipulis suis dicebat: « Fratres mei et filii charissimi, praeclare nobiscum actum est in concessione huius Regulae. Haec

enim, quae nobis proponitur, liber est vitae, spes salutis, arrha gloriae, medulla Evangelii, via Crucis, status perfectionis, clavis paradisi, pactum aeterni foederis. »

Et S. Bonaventura de ea loquens (Exp. in I. Cap.) dicit: « Tota Regulae substantia de fonte trahitur evangelicae puritatis. » Et iterum eamdem appellat « funiculum triplicem non facile rumpendum quo homo ad coelum trahitur. »

Deo proinde omni tempore vitae nostrae gratias agamus quam maximas, eo quod ad Religionem seraphicam nos vocare dignatus sit, in qua vitam evangelicam et apostolicam sequi tenemur, quae ad apicem perfectionis suos sequaces tam efficaciter perducit.

Et vero, quot sanctos viros haec miranda Regula Ecclesiae peperit a prima sua institutione ad nostra usque tempora!

Placeat hic aliqua audire ex iis quae in *Prologo* ad suum *Martyrologium Franciscanum* hac de re conscripsit P. Arthurus a Monasterio, Art. XVII:

« Constat igitur, ait, quam sancta fuerit instituta Religio Minoritica *tot divinis testimoniis communita, quae credibilia facta sunt nimis, in tot sanctis viris in observantia huius Regulae agentibus et finientibus dies suos, quorum nonnullos Sanctorum Catalogo Sedes eadem ex eorum vita et miraculis fecit adscribi,* ut olim inquiebat Summus Pontifex Nicolaus III (Constit: *Exiit*).

« Nunc autem multo plures, sanctitate ac miraculis illustres peperit idem Ordo Franciscanus, qui *fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates.* (Dan. 12-3) quorum tamen omnium nomina recensere haud onus suscepi. Quis horum numerum exprimere valeret? Soli Deo reservatur, *qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat* (Ps. 146-4); inter quos extant 27 canonizati ab Ecclesia catholica, multo plures Beatificati, 920 Martyres, et 1650 Confessores, qui vitae sanctitate et miraculis floruerunt. (1)

Nullum fuit saeculum, nulla aetas, nullumque tempus, quin in eo horto, deliciarum campo, fructus uberes non collegerit Filius Dei. Omnia certe nova et vetera poma servavit Christi Religio Minoritica. (*Cant.* V, 6). Odor illius, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. (*Gen.* 27, 27). Quasi vitis fructificavit odorem suavitatis; floresque eius, fructus honoris et virtutis atque sanctitatis. (Eccli. 24, 23).

« Ex omni gradu, conditione et aetate ingens numerus prodiit, qui mundi, carnis et diaboli devictis illecebris, spoliisque dotati opimis, gloriose in coelum ascenderunt micantium fulgore virtutum circumdati.

« Quorsum autem tantus Beatorum coetus excrevit? Plane ex pura, integra perfectaque Regulae Franciscanae observatione, quae sic incipit: « *Regula et vita Fratrum Minorum haec est: scilicet, Domini nostri* Jesu Christi *Sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia sine proprio et in castitate.* (Cap. I Reg. ff. Min.) » Hucusque Arturus de sanctitate Regulae seraphicae. Nec minorem ei laudem tribuit S. Vincentius Ferrerius, Ordinis Praedicatorum, dum, in Sermone de S. Francisco, loquens de Instituti Minoritici excellentia ac sanctitate dicere non dubitavit: *Qui illam Regulam servat, sanctus est, et quando moritur, posset canonizari.*

Porro quamvis non omnes, qui hanc Regulam ad litteram observant, ad apicem perfectionis perveniant aut heroicas sanctorum virtutes, quibus inter Beatos referri possent, assequantur, in arcta tamen ambulant salutis via, et, si in ea fideles permanserint, certam suam vocationem et electionem facient atque participes erunt omnium benedictionum, quas Seraphicus Pater, coelitus edoctus, istam Regulam zelantibus saepius praedixit. (1)

Tales enim vota, Regulae praecepta et consilia adamussim servantes, non modo a gravibus liberabuntur peccatis, sed in sancto Dei timore conversando mundum eiusque

(1) Qualiter iste numerus sit adauctus et melius cognitus, videre est apud R. A. P. Gaudentium *Introductio ad vitam Seraphicam*, p. 145, ubi ait: « Ex Ordine nostro Seraphico actu solemniter canonizati sunt 77, beatificati 133. Numerantur in illo ultra 1500 Martyres et ultra 5,000 confessorum. » Juxta *Acta Ordinis* anno I, habentur modo 87 Canonizati et 145 ab Ecclesia beatificati; 61 servi et servae Dei, quorum causa beatificationis iam introducta est; et plurium aliorum servorum et famularum Dei Processus pro introductione causae eorumdem conficiuntur.

(1) Vide has Benedictiones apud A. R. P. Gaudentium, *Introductio ad Vitam Seraphicam*, pag. 140.

fallacias fugient et contemnent, in omnibus Deo placere studebunt, atque iuxta monitum S. P. N. Francisci « attendent quod super omnia desiderare debent, habere spiritum Domini et sanctam Eius operationem, orare semper ad Dominum puro corde: et habere humilitatem et patientiam in persecutione et in infirmitate, et diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt et arguunt. » Hisce autem sensibus repleti, et propriae perfectioni iugiter studebunt, et simul Ecclesiae bono et animarum saluti efficaciter allaborabunt.

Et vero, hic fuit alter Ordinis Minoritici finis a Deo intentus, ut scilicet ruinas Domus Israel repararet et ubique terrarum Ecclesiae Christi subsidium semper praeberet. Sublimis sane vocatio, sive spectes divinam eius originem sive ipsius mandati excellentiam et magnitudinem consideres.

Non enim angelus aut archangelus, sed Ipse Altissimus locutus est B. Francisco, sicut olim prophetis et Apostolis, dum eos ad praedicandum misit. Ipsius Christi crucifixi legatione divinitus honoratur, et ex humili sanctuario S. Damiani exiit vox illa ter benedicta: *Francisce, vade et repara domum meam, quae ut cernis, tota destruitur*, qua Ordini seraphico in eius persona munus committitur saluti animarum vacandi, et, tum evangelicae vitae norma tum praedicatione, gloriam Dei ubique terrarum promovendi.

Idipsum Deus manifestare voluit Innocentio III Pontifici Maximo in visione hominis pauperculi Ecclesiam Lateranensem dorso sustinentis, dum Seraphicus Pater ad eum accessit Regulae suae approbationem rogaturus: unde et ipse, viso paupere Francisco, exclamavit dicens: *Hic est, qui opere et doctrina* Christi *sustentabit Ecclesiam.* Unde, nec dubius de oraculo, nec incertus de coelesti nuntio, agnoscens divinam dispositionem sententia apostolica « approbavit, ut ait S. Bonaventura, (1) Regulam, dedit de poenitentia praedicanda mandatum, et laicis Fratribus omnibus, qui servum Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri, ut verbum Dei libere praedicarent. »

Quid tam subito, tam efficaciter ad missionem simplicium et idiotarum pro poenitentia annuntianda supremum Ecclesiae Antistitem movere potuisset, nisi illam divinitus confirmatam, sub Spiritus Sancti directione agnovisset?

Hinc etiam Honorius III, Innocentii successor, anno tertio sui Pontificatus litteris ad universos Ecclesiae Archiepiscopos, Episcopos et Praelatos directis, approbatam divinitus a S. Romana Ecclesia hanc missionem denuntiat his verbis: « Cum, inquit, dilecti filii F. Franciscus et socii eius de vita et Religione Minorum Fratrum, abiectis vanitatibus huius mundi, elegerint vitae viam a Romana Ecclesia approbatam, ac serendo semina verbi Dei, Apostolorum exemplo, circumeant nationes, mandamus, ut ipsos recipiatis sicut catholicos et fideles, ob *reverentiam divinam* et nostram exhibentes vos favorabiles et benignos. »

Gregorius IX, Honorii successor, eiusdem *divinae missionis* non ingratam commendationem facit, in Bulla quae incipit: *Cum messis multa,* data pro Fratribus Minoribus ad terras Virgianorum et Paganorum proficiscentibus. Et in Bulla quae incipit: *Cum qui recipit prophetam*, de Fratrum Minorum vocatione esse affirmat: *more Apostolorum serendo semina verbi* Dei *diversas circuire regiones.*

Alexander IV, in Bulla quae incipit *Si novae,* Pontificatus anno primo, Ordinem S. Francisci vocat *novam militiam militaris Ecclesiae*. Idem in Bulla quae incipit: *Patris aeterni benignitas,* declarat. « Fratres Minores et Praedicatores Patris *aeterni benignitate* pro sui nominis attollenda gloria, et fidelium procuranda salute, inter personas plurimas divinis obsequiis deputatas, in Ecclesia sua sancta constitutos. » Unde ibidem infert. « Hi sunt dilecti Deo et hominibus Fratres Ordinis Minorum et Praedicatorum, qui suum semper affectum ad amorem coelestium dirigentes, virtutem divini Nominis per orbem terrarum publicant, et christianae Religionis ampliando cultum, vigili attentione desudant. Hi sunt qui vitam et merita beatissimi Pauli Apostoli contemplantes, gloriantur in sola cruce Domini, spernentes mundi solatia pro deliciis Paradisi. Hi sunt qui hostes animae per scutum fidei, loricam iustitiae, gladium spiritus, salutis galeam, hastam perseverantiae debellantes; obtinere satagunt, ut catholicis universis fidei,

(1) Vita S. Francisci. Cap. III.

spei et caritatis augmenta proveniant, ac perfidis veritatis via pateat et haeretica pravitatis insania evanescat, etc. »

Idem in Bulla quae incipit: *Non sine multa cordis amaritudine*, asserit. « Duos illos Ordines Fratrum Minorum et Praedicatorum esse velut eminentia candelabra et duo magna luminaria in Ecclesia DEI posita, ut sacrae doctrinae lumen diffundatur, et ubique per orbem CHRISTI Evangelium ardenter et efficaciter praedicetur. »

Haec Apostolicae Sedis oracula sufficiant, ut manifestum sit, Ordinem Seraphicum divinitus accepisse missionem et proinde obligationem contraxisse subministrandi Ecclesiae concionatores tam ad infideles quam ad fideles. In vim enim missionis divinae, in S. Francisco Ordini concreditae, Fratribus liberum non est a praedicatione abstinere, quam CHRISTUS Regulae dictator eis commisit ita ut, quod vere ex virtute suae missionis S. Paulus (Rom. I.) fateatur: *Graecis et Barbaris, sapientibus et insipientibus se debitorem*, non minus id ex vi status Frater Minor dicere possit. Cuius Ordini, mediante superiorum obedientia, intemerata praedicandi missio a CHRISTO, in Cap. IX Regulae, ad omnes concredita est, ad Saracenos autem et alios Infideles missio specialis, ab illis suscipienda, qui divina inspiratione voluerint ad eos ire et quos Ministri Provinciales viderint esse idoneos ad mittendum.

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1884 celebrata

—

X.

Collegium S. Mariae V. de Mercede in civitate Corrientes.

Die 10 Maji in dicto Collegio, praesidente A. R. P. Ioachimo Remedi, Commissario Generali, rite celebratum est Capitulum Guardianale, in quo electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII:

R. P. Cornelius Casali.

DISCRETI COLLEGII:

R. P. David Belli.
R. P. Philibertus Bocchio.

—

XI.

Obs. Provincia Assumptionis B. Mariae V. Fluvii Platensis in Republica Argentina, in America meridionali.

Die 31 Maji in Conventu magno Bonaerensi ad undecim mille Virgines Martyres, praesidente A. R. P. Abrahamo Argañaraz, Ex-Ministro Provinciali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Bernardinus Orellana.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Lucianus Chapo.

DEFINITORES PROVINCIAE:

A. R. P. Abraham Argañaraz.
R. P. Michael Lopez.
R. R. Josephus Rosa Quiroga.
R. P. Joannes Baptista Muro.

Ad istam Provinciam sequentes 9 Conventus pertinent:

Buenos Aires, undecim mill. Virginum.
Cordoba, S. Georgii, Conv. maximus.
Catamarca, Conv. Recollectionis.
Tucuman, S. Michaelis Archangeli.
S. Jacobi *del Estero.*
S. Annae de *S. Fé.*
Corrientes, S. Antonii Paduani.
Rioja, S. Francisci.
Mendoza, S. Francisci Solani.

—

XII.

Obs. Provincia S. Fidei de Bogotá.

Die 31 Maji in Conventu de Bogotá, praesidente A. R. P. Gregorio Pinella, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Gulielmus Gaitan.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Rufinus Ruiz.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Joannes Nepomucenus Becerra.
R. P. Virgilius Rodriguez.
R. P. Emmanuel Conde.
R. P. Ignatius Castillo.

—

XIII.

Obs. Provincia Seraphica.

Die 5 Junii in sacro Conventu S. Mariae Angelorum de Portiuncula prope Assisium, praesidente A. R. P. Antonio de Montefortino, Lectore jubilato et Ex-Ministro Provinciali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Paschalis a Cortona.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Stephanus a Castroplano.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Bernardinus a Castroplano,
R. P. Concordius a S. Anna.
R. P. Samuel a Cryptis S. Stephani.
R. P. Cherubinus a Cryptis S. Stephani.

—

XIV.

Obs. Provincia S. Ladislai R. in Hungaria.

Die 8 Junii in Conventu Kanizsaensi ad S. Josephum, praesidente Rmo P. Ministro Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt;

MINISTER PROVINCIALIS;

A. R. P. Sigismundus Eger.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Ludovicus Horvàth.

DEFINITORES PROVINCIAE:

M. V. P. Cyrillus Cernogaj.
M. V. P. Norbertus Nith.
M. V. P. Carolus Pakor.
M. V. P. Augustinus Szemanyi.

—

XV.

Obs. Provincia Corsicae.

Die 24 Junii in Conventu S. Mariae gratiarum Lavasinae, praesidente A. R. P. Perpetuo a Solerio, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt;

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Patrus a Volpajola.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Donatus ab Aretio.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Ambrosius a S. Anna.
R. P. Baldinus a Piscia.
R. P. Bonaventura a Murato.
R. P. Joannes Baptista a Montuolo.

—

XVI.

Recoll. Custodia S. Elisabeth Thuringiae.

Die 3. Julii in Conventu ad S. Bonaventuram in Paterson in Statibus foederatis Americae septentrionalis, praesidente A. R. P. Damaso Rüsing, Ex-Definitore Recoll. Provinciae SS. Cordis, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

CUSTOS PROVINCIALIS:

A. R. P. Damasus Rüsing.

CUSTODIAE DISCRETI.

A. V. P. Leonardus Malkmus.
A. V. P. Bonaventura Jahn.
A. V. P. Venantius Eder.
A. V. P. Dionysius Schuler.

—

XVII.

Ref. Provincia S. Mariae in Hungaria.

Die 14 Julii in Conventu Posoniensi, praesidente Rmo P. Ministro Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Casimirus Görög.

CUSTOS PROVINCIAE.

A. R. P. Martinianus Farmady.

DEFINITORES PROVINCIAE:

A. V. P. Ferdinandus Tallay.
A. V. P. Cyrillus Hampel.
A. V. P. Norbertus Mácz.
A. V. P. Wilhelmus Kurcz.

—

XVIII.

Ref. Provincia SS. Salvatoris in Hungaria.

Die 3 Augusti in Conventu Gyöngyösiensi, praesidente Rmo P. Ministro Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Marcus Bognár.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Jacobus Signarovics,

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Arsenius Karcsic.
R. P. Wolfgangus Zajicsek.
A. P. Henricus Nahlek.
R. P. Robertus Nagy.

—

XIX.

Ref. Provincia Tirolensis S. Leopoldi.

Die 7 Augusti in Conventu Sebatensi ad S. P. N. Franciscum, praesidente A. R. P. Arsenio Niedrist, dictae Provinciae Ex-Ministro Provinciali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Michael Erhart.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Arsenius Niedrist.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Generosus Heubacher.
R. P. Eustachius Puntner.
R. P. Joachimus Schrofenegger.
R. P. Joseph Maria Musch.

—

XX.

Obs. Provincia S. Joannis a Capistrano.

Die 11 Augusti in Conventu ad S. Stephanum Proto-Martyrem Budae, praesidente Rmo P. Ministro Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS;

A. R. P. Julius Amberger.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. R. P. Ivo Rodič.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Stephanus Sikercevic.
R. P. Marcellus Bokányi.
R. P. Gerardus Edinger.
R. P. Camillus Rubner.

—

XXI.

Ref. Provincia B. Mariae V. dolorosae in Galicia.

Die 28 Augusti in Conventu Jaroslaviensi, praesidente Rmo P. Ministro Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Joachimus Maciejczyk.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Hyacinthus Deszczutka.

DEFINITORES PROVINCIAF:

R. P. Petrus Dudziak.
R. P. Victor Druwicki.
R. P. Petrus Kubicki.
R. P. Melchior Kruczynski.

—

XXII.

Recoll. Provincia S. Joseph Belgii.

Die 28 Augusti in Conventu Trudonopolitano ad S. Franciscum Solanum, praesidente A. R. P. Aloysio Lauer, Definitore Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVICIALIS:

A. R. P. Rogerius Verbiest.

CUSTOS PROVINCIAE:

A. V. P. Paschalis De Scheemaeker.

DEFINITORES PROVINCIAE:

A. V. P. Ignatius Huchant.
A. V. P. Coelestinus Bruynincx.
A. V. P. Theodorus Vanderlinden.
A. V. P. David Fleming.

—

XXIII.

Ref. Provincia Bohemiae et Moraviae S. Wenceslai D. et M.

Die 11 Septembris in Conventu Pragensi B. Mariae V. ad nives, praesidente Rmo P. Ministro Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS:

A. R. P. Casimirus Adamek.

CUSTOS PROVINCIAE:

R. P. Anastasius Skolandy.

DEFINITORES PROVINCIAE:

R. P. Benno Zahradnicky.
R. P. Mauritius Roth.
R. P. Ludovicus Böhm.
R. P. Agnellus Fischer.

—

De Centenariis solemniis

B. JOANNIS DE DUCLA O. S. F.

in Galicia Austriaca
a die 12 ad 22 m. Julii. a. 1884

—

Revme P. Minister Generalis

Obsequii et laetitiae significationes, quas Tibi coram edidimus, cum duobus annis ante comitiis nostris Leopoliensibus praesideres, clare ostenderunt Paternitati Tuae Revmae, quanta devotione et grata voluntate Te prosequeremur non modo ob eximias virtutes tuas et praecipuum amorem, quem foves in Seraphicum Ordinem, verum etiam ob salutares fructus, quos pastoralibus tuis curis in bonum nostrum brevi tempore retulisti. Eosdem iterum sensus Tibi testati sumus, cum nuper huc rediens ad comitia Reformatae Provinciae pro tua benignitate nos revisere voluisti, ut de saecularibus festis nobiscum gratulareris quae, de recenti, in honorem B. Ioannis de Ducla celebravimus. — Eiusmodi in nos studium summo cum animi gaudio excepimus, tuaque laude vehementer excitari persensimus. Nunc vero consignata Tibi remittimus quae ex nobis audisti, ut in iis habeas superstes laborum nostrorum documentum, simulque tesseram illius arctae adhaesionis, qua Tibi coniungi profitemur.

Solertibus curis egregii nostri Ministri Provincialis referre acceptum debemus quidquid operae in hanc solemnitatem nos omnes impendimus. Hoc maxime a nobis requirebat huius Beati celebritas, qui vivens in aureo saeculo S. Bernardini Senensis et S. Ioannis a Capistrano magna apud nos eluxit sanctitatis fama, et post mortem miraculorum gloria; quibus permoti Poloni et Lithuani eum inter primarios Regni patronos adsciverunt et per Clementem Pp. XII hanc electionem confirmari postularunt. — Ut autem haec solemnitas tanto felicius in religionem cederet, quanto evidentius ab ipsa religione oriebatur, iussit et commendavit ipse Minister praemitti in omnibus Ecclesiis nostris triduanas supplicationes, quarum tempore sacri oratores de B. Ioannis virtutibus agerent, deque acquirendis Indulgentiis a Summo Pontifice concessis fideles edocerent. Quod feliciter gestum postea a litteris datis agnovimus, quum ex his sermonibus et precibus magna pietas in coelestem Patronum et frequentia Sacramentorum consequuta sit.

Haec sane nobis gratissima obvenerunt. Sed Leopolitani cives, qui *Beati* reliquias in Ara Maiori Ecclesiae nostrae conditas habent multo adhuc magis spectato cultu eas venerati sunt, uberemque causam praebuerunt, quamobrem nobis et ipsis toto corde gratularemur. Quod enim religiosa pietate decorum est, quod bono exemplo conspicuum, illud impensius in hoc tempore ac loco deprompserunt. — Certe ad id contulit Minister Provincialis, qui auspicato exercitiorum cursum, seu malueris Missionum, aperuit, quas superioris saeculi calamitas extinxerat, nec sperabantur revicturae. Ipse octiduum praedicando inauguravit, ipse perfecit. Quinque ex nostris eum subsequuti sunt in laborando et benemerendo, a quibus potiora optari non poterant, quae publicae devotioni ac tempori responderent.

Pascebat oculos simul et animos spectaculum confertissimae multitudinis, quam etsi ceteris amplior ecclesia nostra impar erat continendo; sed intime commoveri sensimus e missionum fructu, qui omni spe maior evasit. Poenitentes omnis aetatis et generis ad sacrum tribunal affluebant. Supra tredecim mille communiones apud nos datae latino ritu numerantur, absque iis quamplurimis in aliis ecclesiis, non exceptis Graecis catholicis in proprio ritu — Cum gaudio etiam conspeximus pias vicinarum Paroeciarum peregrinationes, quae consilio obsequutae ecclesiasticae auctoritatis ordinatim cum suis pastoribus ad Ecclesiam nostram procedebant. His non pauci se adiunxerunt populares nostri e reliqua Polonia huc advecti B. Joannem veneraturi. — Sacris autem faciendis per huius Octidui tempus libentissime se praestiterunt *prima die* Episcopus latini ritus et Vicarius Capitularis in sede vacante Severinus Morawski; altera die Archiepiscopus Leopoliensis armeni ritus Isaac Isakovics; *tertia* demum, pro absente Episcopo et Vicario Apostolico Metropoliae Graeci ritus Sylvestro Sembratovics, unus e Collegio Canonicorum, cui duo collegae adsistebant. Reliquis diebus sacra obiverunt religiosi So-

dales, Iesuitae scilicet, Dominicani, Conventuales et Carmelitae.

Commemorare nunc libet, quid in honorem quadringentesimi anni a glorioso huius Beati exitu Leopoliensis Communitas fecerit. Hanc pridem perrogaverat Minister Provincialis, num aliquam venerationis memoriam coelesti Patrono offerre vellet. Peracceptum omnes habuerunt religiosissimi Patris postulatum; cui, nequid satisfaciendo moram faceret, illico sessionem inierunt, ubi communi consensu decretum est « *Cum Civitas nostra A. 1648 ex oppugnatione Turcarum et Cosaccarum in maxima pericula venerit, omnesque Sospitatorem B. Ioannem totius Regni patronum confessi sint ad ejus tumulum aere et nomine Municipii Leopolientis grati animi votum persolvendum* ». Quod quidem votum, in serto ductilis argenti consistens et foliis quercus affabre laboratis intexto, dignissimus Praeses magna deductus pompa in ipsa die Solemnitatis super altari deposuit. — Iussum praeterea per totum Octiduum in Municipali turri explicari vexilla laetitiae; et quotidie in horis vespertinis monumentalem statuam Beati, quae excelsa eminet ante Ecclesiam, novo vaporis artificio illuminari,

Ultima dies erat et vergebat ad finem solemnitas, cum per vias urbis coepta est supplicatio visu dignissima cum Reliquiis Beati Coelitis, quam non minus viginti millia devotorum pie sequebantur. Aderant Sacri Praesules dicti superius, pariterque infulatus Peiesz Ruthenus, Pontificali ritu omnes induti, cum suis Capitulis, et cetero utroque clero numerosissimo. Inter eundum subingressa est primum Latinam Archi-Cathedralem, et Ruthenam in memoriam unionis, utriusque ritus, pro qua B. Ioannes maximos suscepit labores, dum in vivis ageret. Hinc denuo redeundo processit ad nostram Ecclesiam, ubi decantato hymno et lustrato populo benedictione, finis centenariis solemnis est impositus. Summus in iis eluxit Catholicae fidei ardor, summum in augendo religionis splendore studium, summa in S. Ecclesiam pietas, eiusque sacros ministros observantia. Quare in maximam excitati fuimus fiduciam erga Deum providentissimum, qui tanta devotione perspecta suam inde maiorem eliciat gloriam, et hunc Beatum accensendo inter Sanctos per edita miracula, et infundendo in nobis seraphicum fervorem, quo ille aestuabat. (1)

—

ARACOELI
(die 4 Octobris)

Ab illis, qui pubblicis negotiis in hac alma Urbe nunc praesunt, decisum est, ut Curia Generalitia antiquam suam habitationem deserere debeat, et quidem ut in illo venerabili loco, ubi per plura saecula Successores S. Francisci residentiam suam habebant, erigatur monumentum Victoris Emmanuelis. Valde timendum erat, ne hoc anno iam praefata decisio executioni mandaretur. Bonus Deus autem benigne nobis concessit, ut saltem currente anno in nostra habitatione remanere possemus. Hinc festum S. P. N. Francisci in venerabili nostra ecclesia Aracoelitana consueta solemnitate celebrare potuimus, quae solemnitas speciale hoc anno accepit augmentum. Nam dicto die meritissimus Ordinis nostri Protector, Eminentissimus ac Rmus D. Ioannes S. R. E. Cardinalis Simeoni ad ecclesiam nostram venit, ad altare S. P. N. Francisci incruentum sacrificium Deo obtulit, sub quo multos Tertii Ordinis Sodales Pane Eucharistico refecit. Finita autem Missa Ipse Eminentissimus Princeps professionem Tertii Ordinis coram eodem Altare sub consuetis caeremoniis in manus A. R. P. Andreae Lupori, Delegati Generalis, publice emisit. Huic solemni ac aedificanti actui adstiterunt duo Ordinis nostri Episcopi, tota Familia Aracoelitana necnon multi utriusque sexus Tertii Ordinis Sodales, quos omnes A. R. P. Delegatus ante professionis actum ad sectanda S. Francisci vestigia enixe exhortatus est ipsisque, finita professione, Papalem benedictionem impertivit.

MINISTERIA SPIRITUALIA.

Ref. Provinciae Bavaricae S. Antonii decursu anni capitularis 1883-84.

1. Exercitia spiritualia in diversis Monasteriis	8
2. Missiones in variis parochiis per octo dies habitae	8

(1) Haec retulimus ex litteris datis a Lectore iuris Canonici et pro-Secretario Provinciae P. Apollinari Gorgulinski.

3.	Conciones ex cathedra . . .	2168
4.	Homiliae et catecheses , . .	2208
5.	Confessiones in ecclesia. . .	465,100
6.	Communiones	470,000
7.	Haeretici ad fidem conversi . .	5
8.	Assistentiae morientium . . .	1527
9.	Viae S. Crucis solemniter erectae.	68
10.	Tertio Ordini adscripti . . .	2607

III.
MISSIONES

—

IMPERIUM SINENSE

Ex habitis notitiis a Missionibus nostris Sinensibus Vicariatus nostri in tranquillitate perseverant, nonobstante bello francosinensi. Attamen timoris ratio nondum cessavit, et variis in locis paganorum ira contra Missionarios europaeos et ipsosmet Christianos manifesta apparet. Ideo, prudentia suadente, nonnullae aedificiorum et ecclesiarum fabricationes suspensae remanent, ne persecutioni ansa praebeatur. Rogemus Dominum, ut, amoto omni periculo et pace composita, in his regionibus catholica fides crescere et florescere non desinat.

—

EPISTOLA

P. Pacifici Fenocchio, Missionarii in Vicariatu Chan-tong, Imperii Sinensis.

SUMMARIUM

1. Derelictus quidam puer a Missionario itinerante inventus baptizatur.
2. Cuiusdam vetulae mulieris fides et pietas in vitae extremis narrantur.
3. Prodigiosa sanatio et conversio puellae paganae.
4. Alia catechumena, per 50 annos in fide, oratione et jejunio perseverans inter paganos, tandem baptismi gratiam obtinet.
5. Indulgentiae de Portiuncula fructus facto comprobatur.

Cina, Chan-tong, il 17 Marzo 1884

Rmo P. Generale

1. È da molto tempo che voleva scrivere una mia per continuare a darle alcune relazioni di questa missione. Ora che ho un momento di tempo dopo la preziosa visita pastorale del mio degnissimo Vescovo Mgr. Eligio Cosi, da cui seppi V. P. Rma aver piacere di conoscere alcuni frutti spirituali di questa missione Francescana, io non lascio sfuggirmi questa occasione per farle noti alcuni fatti qui accaduti sotto ai miei occhi, e de' quali garantisco la esatta verità.

Nel giorno 13 del corrente marzo, mentre io stava nel paese di Uon-ton-cuan, mi venne la notizia esservi alla distanza di 4 miglia Romane una vecchia di 82 anni inferma, la quale per povertà era costretta a starsi colà, ove niun cristiano dimora. Saputa la sua necessità, tosto a piedi sono partito, non avendo che un cristiano per guida.

Passando per un luogo scabroso, vidi alla lontana un non so che, e da certi indizi mi parve che fosse un bambino abbandonato dai pagani. Tosto corsi a vedere, ne io mi era ingannato... Il cristiano pure correndo, nella sua semplicità faceva il segno della S. Croce, invocando i santi Nomi di Gesù e Maria. Sì, il Signore per sua bontà ha proprio voluto quest'anima; imperciocchè la creaturina, essendo gravemente inferma fu dai genitori gettata in quel luogo. Non ancora aveva reso l'ultimo respiro, ancora si dimenava, facendo sentire la sua debole voce. Io in quell'istante sentii la più viva impressione di gaudio per essere giunto colà in un momento sì prezioso. Essendo privo di altri mezzi, la felice creatura fu salva per una manata di acqua presa in un vicino lago. Dopo di averla così battezzata, ringraziai Nostro Signore di una sì bella ventura, e continuai il viaggio.

2. Arrivato nella stanza dell'inferma, la trovai in ginocchio. Versando non poche lagrime disse: Padre mio, ecco una delle più belle grazie che mi potesse fare il Signore. Oh!... quante volte bramai questo prezioso momento!... Son più di 3 anni che io ardentemente desidero di fare una buona confessione, e così prepararmi alla prossima mia morte.

Ma ahi... Così dicendo diede in un dirotto pianto e le cadde la testa sulle ginocchia nè più poteva articolar parola per una forte commozione, a cui era in preda! Dopo qualche istante rasciugandosi colla destra le lagrime continuò: Son circa tre anni che dimoro in questo misero luogo, ove niun cristiano abita,

nè sacerdote mai venne, nè in modo alcuno potei dare notizie di me ai cristiani; però non ho mai cessato di pregare il SIGNORE e farmi la grazia di potermi confessare prima di morire.

Ora adunque ecco che il SIGNORE mi esaudì; perciò mi confessi e l'anima mia sarà in pace e niente avrò più a temere; imperciocchè il SIGNORE oggi con me miserabile ha fatto mostra della sua misericordia. Io oltremodo lieto nel vedermi fatto strumento, per cui il SIGNORE comparte le sue grazie feci alla povera vecchia ben considerare la grazia che riceveva la quale grazia era un segno che quantunque derelitta dagli uomini, essa però non veniva da DIO abbandonata, e la esortai ad accrescere la sua gratitudine pel favore ottenuto. Dopo la confessione la povera donna non volle muoversi dalla sua posizione in ginocchio, dicendo non volersi muovere prima della mia partenza per mostrarsi così riconoscente alla Divina bontà per la grazia ottenuta.

Non è molto tempo che una giovane sposa pagana soffriva immensamente per un tumore alla regione dello stomaco. La pena per lei era intollerabile; niuna medicina poteva mitigare il suo dolore e quanti mezzi la poveretta mise in pratica, tutti furono vani. Un giorno venne visitata da una parente cristiana, e conversando fecero il seguente dialogo. La *pagana:* Eccomi cara mia, or in letto or a sedere; piena di dolori, senza posa nè di giorno nè di notte. — *Cristiana:* poveretta, dunque è vero che stai così male!... *Pagana.* Solo io so quanto patisco. — Così dicendosi scoperse alquanto il petto e mostrata la sua cancrenosa piaga, continuò: Vedi qui, per me forse è finita; la piaga va sempre di male in peggio... I medici vengono, veggono e si voltano dall'altra parte. — *Cristiana.* Veramente mi fai compassione!... Oh come è infierito questo bubbone!... *Pagana:* per me non è più pace, la morte mi fa spavento, la vita mi è oltremodo penosa. — La cristiana intenerita si rasciuga alcune lagrime che le sgorgarono spontanee, e chinata alquanto il capo stette un po' in silenzio, tenendosi gli occhi chiusi colla destra. Quindi con un certo vigore e risoluzione, come sicura del ritrovato, si rivolge più fiduciosa alla paziente, e le dice: Carissima mia, se mi obbedisci e avrai fede, tu potrai guarire... *Pagana.* Non lusingarmi; quante medicine presi, furono inutili, quanti medici vennero, hanno detto non mi possono curare. — *Cristiana.* Non dubitare, abbi fede, e spero fermamente che potrai guarire senza medici e medecine. — *Pagana.* Che cosa dici!... come sarebbe?... — *Cristiana.* Tu sai che io sono cristiana, adoro il DIO del Cielo e della terra, colui che manda e toglie il bene ed il male agli uomini. Egli ci ama che siamo sue creature, ed è grandissimamente misericordioso verso dei suoi. Alcune volte ci castiga per nostro bene, cioè per nostra emendazione. Dunque fa a mio modo, *fatti cristiana,* come io lo sono. Adora, e prega il *DIO del* cielo e della terra. Egli non è come gli uomini pagani che non ascoltano il povero; anzi il nostro DIO ascolta più gli uomini poveri che i ricchi. — *Pagana* ho sentito che chi fa i cristiani è il sacerdote europeo. — *Cristiana.* Veramente in generale e così; uno per essere battezzato deve prima ricevere lezione sul catechismo ed essere dal sacerdote approvato, ma il proposito di essere cristiani dobbiamo farlo noi prima di tutto. Chi veramente crede, spera e fa il possibile per imparare le orazioni ed il catechismo, in qualche modo è già cristiano. — *Pagana.* Se la cosa è così, tu insegnami le orazioni, e crederò tutto quello che credi tu. — *Cristiana.* No... tu deve credere tutto ciò che insegna la S. Chiesa. — *Pagana.* Va bene, ma io non so pregare. — *Cristiana.* Io t'insegnerò. — La nuova catecumena si mise in ginocchio colla cristiana, recita alcune preci cominciò di cuore a pregare a raccomandarsi a quel DIO che prima, per sua sventura *non* aveva mai conosciuto, ma presentemente *lo* conosce, lo adora e non riconosce *altro* SIGNORE che il DIO di tutte le consolazioni. La nostra santa fede che fece sanare il figlio del centurione, e guarì l'emorroissa, tosto operò sulla suddetta donna; imperciocchè tosto la inferma si sentì meglio. Io arrivato in quel luogo la trovai perfettamente risanata. Diede prova della sua fede coll'avere imparato tutto il catechismo, ed io stesso con sommo gaudio la battezzai solennemente.

4. Nè voglio lasciar passare sotto silenzio la fede di un altra cristiana della quale non

so se possa trovarsi le simigliante. Il fatto fu in questo modo. Io entrava per la prima volta in una piccola cristianità, quando ad una certa ora vidi venirmi innanzi una vecchietta di 68 anni, la quale dopo alcuni complimenti, si mise in ginocchio e mi disse: Padre, La prego di darmi il S. Battesimo. — Io non ti conosco, risposi; alzati e poi si vedrà. — No, riprese la donna, non è necessario di alzarmi; il catechismo lo so, dunque mi prometta di battezzarmi, poi mi alzerò contenta. — L'anno scorso fosti ammessa tra i catecumeni? quale nome ti fu imposto? — Sono 50 anni che sono catecumena e non mi fu imposto alcun nome. — Oh... Oh... la dici grossa! come sarebbe? — Io da giovane dimorai per alcun tempo con una cristiana, che mi diede un catechismo da leggere, poscia fui mandata sposa in luogo molto lontano, e d'allora in poi non vidi più cristiani; però ho imparato il catechismo ed alcune orazioni che sempre recito e sempre sperai di avere a trovarmi tra i cristiani e ricevere il S. Battesimo — Mentre questa tuttora parlava, il catechista mi si avvicina dicendo: non esiti ad esaudirla; imperciocchè, non solo prega, ma di più osserva due o tre digiuni alla settimana, stupii di trovare nella infedele una anima si prediletta; poscia con gaudio del mio cuore in giorno di Domenica amministrai il santo Battesimo.

5. Ancor una gloria del nostro inclito Serafico S. Francesco mi sia lecito di narrare in breve. Spesse volte nelle mie afflizioni mi sono assai consolato nel vedere questi miei cristiani che nutrono uno speciale amore verso il santo Patriarca. Chi non è ancora nel terzo Ordine, va a gara di associarvisi; i Terziarii poi con gran fede a lui ricorrono. Io nel far Missione trovando qualche cosa di difficile, li porto a confessarsi e comunicarsi, e veramente ci provo grande vantaggio per la salute delle anime. S. Francesco sta sempre qual forte campione a sostenere la S. Chiesa quando minaccia di cadere. Verso la fine dello scorso luglio mi trovava in un paese a far Missione ove quasi tutti erano agitati da gravi discordie. Misi in pratica molti mezzi; ma indarno, nè vollero sentir ragioni. Appressandosi il giorno della Porziuncola, feci del mio meglio per dilatare le gloria di S. Francesco ed esortare quelli di buona volontà a ben prepararsi por l'acquisto della santa indulgenza e pregare fervorosamente per la conversione dei peccatori. Fu molto il concorso, e passata la solennità non trovai resistenza; tutti fecero perfetta pace. Di più il 3 giorno di agosto venne da me una devota di S. Francesco e con tutta semplicità mi disse: Il tal vecchio mio zio, che sta da noi lontano due giorni di strada, ieri è andato in paradiso...— Che dici! rispose egli non è peranco morto e tu lo vuoi fare andar in paradiso?...— « Questa notte, continuò la donna, mentre io dormiva egli mi apparve tutto raggiante di gioia, risplendente come un sole, e mi disse: sappi ch'erano già 60 giorni che io soffriva nel Purgatorio; ieri però fui libero per l'indulgenza della porziuncula. » Io non ci credeva e le dissi essere un sogno; ma mi recò poi gran meraviglia il fatto che dopo alcuni giorni venne la notizia della morte di quel cristiano e veramente compivano 60 giorni nel 3 di Agosto!

—

AEGYPTUS

EPISTOLA *R. P. Placidi Toelle, Guardiani Conventus Cairensis, in qua nonnulla enarrantur de Anglica expeditione contra Mahdi.*

Le Caire, 28 September 1884.

L'intérêt du public en Egypte se porte avec un redoublement d'attention sur les péripéties de l'expédition du Soudan.

Un des caractères particuliers de cette campagne déjà longue et fertile en incidents tragiques est l'absence presque absolue de renseignemts sur ce qui s'y passe. Il en est ainsi depuis le début de l'insurrection, et tout au plus avons-nous quelques données certaines sur la catastrophe de Melbass, vieille déjà de plus d'une année.

Quant aux évènements de l'heure présente, tout au plus quelques télégrammes longuement espacés sont-ils venus nous révéler ce qui se passe au-delà de Berber et Dongola.

Dans ces circonstances, la moindre nouvelle acquiert une énorme importance, aussi les dépêches expédiées par le général Gordon sont-elles l'objet de tous les commentaires.

Ce que sont ces dépêches, nul ne le sait exactement, le Gouvernement ayant cru devoir les tenir secrètes et ne pas les faire insérer au Moniteur. Deux faits sont à peu près certains, c' est que Gordon se trouve à Karthoum dans d'excellentes conditions pour défendre la ville contre les rebelles et même pour leur infliger des pertes sérieuses; de plus une expédition suffisament forte a quitté la capitale du Soudan oriental sous le commandement du colonel Stewart pour marcher sur Berber et s'en emparer. Il semblerait dans ces conditions que l'expédition de Karthoum à Berber se présente avec infiniment moins de difficultés et par suite, avec beaucoup plus de chances de succès rapide que celle de Wadi Halfa à Karthoum. Dans tous les cas, si le projet du général Gordon réussit, la tâche de lord Wolseley se trouvera diminuée de moitié.

Mais depuis le jour où Stewart a quitté Karthoum qu'est-il advenu? Sur ce parcours long de prés de 400 Km. la petite expédition n'a-t-elle pas dû subir les assauts, plusieurs fois répétés des rebelles, encore nombreux sur les rives du fleuve? A quelle distance Stewart se trouve-t-il de Berber, ou la ville est-elle prise ainsi que semblent l'affirmer les dernières nouvelles?

A ces interrogations il est impossible de donner une réponse précise et pourtant combien ne serait-il pas utile d'être fixé sur tous ces points. Malheureusement, aujourd' hui comme toujours on marche dans l' inconnu, alors qu'il serait urgent d' être renseigné le plus exactement possible, les difficultés de l'expédition étant déjà suffisamment grandes.

La baisse inattendue des eaux du Nil est venue gravement compliquer la question et cependant il est permis d'espérer qu'avec les éléments dont on dispose, grâce à la valeur des troupes anglaises, à leurs ingénieux préparatifs, on pourra conduire à bien cette pénible entreprise. C'est là, question de temps et d'argent. L'expédition du Soudan qui déjà coûte à l'Egypte tant d' argent et de sang doit engloutir encore des sommes considérables.

Qui supportera cette lourde charge? L'Egypte ou l'Angleterre? Qui vivra verra. *Chi lo sa?*

Veuillez agréer, mon T. R. P.

NOVUS T. S. COMMISSARIUS
in Republica Peruviana

Defuncto, die 9 Augusti proxime elapsi, V. Fr. Aloysio Bieli, Obs. Prov. Taurinensis, in Republica Peruviana et Æquatoriana Terrae Sanctae Commissario, eius loco suffectus est a Superiore Generali, Adm. R. P. Leonardus Corteès, ex-Commissarius Generalis Collegiorum Reipublicae Peruvianae.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

Verzeichniss Aller aus dem unter dem Titel der gnadenvollen Mutter Gottes Maria bei den PP. Franziskanern zu Ingolstadt errichteten gemeinschaftlichen heiligen Messbunde vom 1. November 1882 bis 1. November 1883 neu aufgenommenen und in Gott selig entschlafenen Bundesgenossen mit Angabe des zur Lesung der heiligen Messe bestimmten Tages. Ingolstadt.

(Elenchus confoederationi missarum adscriptorum in Conventu Ingolstadiensi in Bavaria anno 1882-1883.)

1884. Rapport sur le Tiers-Ordre Franciscain, lu à l'assemblée des Directeurs réunis à Lourdes à l' occasion du pèlerinage des Tertiaires le 17 Avril 1884. par le R. P. Othon, de Pavie, des Franciscains de l' Observance, Gardien du Couvent de Bordeaux. Bordeaux Imprimerie catholique O. L. Favraud, fréres, 91 rue Porte-Dijeaux - in 12, pag. 20 (Prix 0, 10 centimes).

1884. Monsignor Bernardino *Trionfetti*, dei Min. Osservanti, morto *il* 9 Gennaio 1884. Biografia estratta dall' *Eco di San Francesco*. Fasc. V, del presente anno.

1884. Commentariolum de Veneta Provincia Reformata S. Antonii, Ordinis Minorum, editum studio et cura A. R. P. Antonii Mariae a Vicetia, eiusdem Provinciae chronologi, Lect. theologi et ex-Ministri Provincialis. Ad Claras Aquas. (Quaracchi) prope Florentiam, ex typog. Collegii S. Bonaventurae. In 8.°. p. 68.

1884. Studi Oratorii sopra S. Giovan Grisostomo, rispetto al modo di predicare dignitosamente e fruttuosamente per P. Lorenzo da Volturino, M. O. — Quaracchi, presso Firenze, tipografia del Collegio di San Bonaventura. In 8° pag. VIII-563. (L. 5, e franco di posta 5,50).

Ad manifestandum huius operis naturam et meritum hic referre iuvabit revisoris deputati iudicium, notissimi P. Hermenegildi a Chitiniano, qui sic ait: «... nell'opera non ho trovato che preziosi tesori di pura e santa dottrina. Il dotto e pio autore insegna l'arte della sacra eloquenza e della perfezione evangelica non con aridi precetti, ma coi vivi ed efficaci esempi del più illustre e maraviglioso imitatore di S. Paolo, esposti con nobile forma corrispondente alla eccellenza della materia. Egli con questo suo bel libro offre a tutti un dono di inestimabil valore e da recare utile in modo speciale a coloro che sono chiamati da Dio ad annunziare la sua parola.» In tres partes opus dividitur: I. *Il Grisostomo ed il suo apostolato in Antiochia.* — II. *S. Paolo ed il Grisostomo.* — III. *Il quarto secolo della Chiesa e l'episcopato del Grisostomo.*

1884. Cento visite al Dio dell'amore, operetta di un Francescano Minore Osservante. Quaracchi, tipografia del Collegio di S. Bonaventura, in 16° pag. 455. (L. 1,50 e franco di posta L. 2).

Adm. R. P. Daniel a Bassano, Defin. Generalis et huius libri revisor, haec ait: « Tutte ma specialmente le ultime di queste visite sono a mio parere un distillato di devozione e d'amore a Gesù Sacramentato e alla sua Madre divina costantemente invocata in esse. »

1884. Il mese Mariano abbellito, di 31 Litanie a tre voci, composto dal P. Sigismondo da Ienne, M. R. della Provincia Romana, organista nella R. Chiesa di S. Chiara di Napoli. (L. 5).

1884. Firmani inediti dei Sultani, di Costantinopoli ai Conventi Francescani ed alle autorità civili di Bosnia e di Erzegovina, per il P. Fabianich, dei Minori Osservanti. Firenze, Ricci, Via S. Gallo 31. In-16°, pag. 156.

1884. Le Tiers-Ordre Seraphique, d'après la Constitution: *Misericors Dei Filius* de Léon XIII, par le T. R. P. Léon, exprovincial des franciscains de l'Observance. Se trouve chez les Religieuses Franciscaines 38 rue de la Teste, Bordeaux. In-12, pag. 178.

1884. Cenno necrologico sul P. Rocco da Cancellara, ex-Provinciale dei Minori Riformati. Napoli, tipografia editrice degli Accantoncelli (In 8 p. 14).

Vita dell' Apostolo S. Giuda Taddeo special patrono nelle umane sventure scritta a sollievo degli afflitti dal P. F. Sempliciano della Natività, dei Minori Alcantarini della Provincia di Napoli. — Napoli, Tip. e libreria di Salv. Festa, S. Biagio dei Librai 102. In-12 pag. 272. (L. 2.)

1884. La Indulgencia de Porciuncula, su historia, e instrucciones para facilitarla á todos los fieles, por el M. R. P. Fr. Jose Coll, de la regular Observancia de N. S. P. S. Francisco. 2ª edicion. Santiago, imprenta del Seminario in 32 (0,15 cent).

1883. Un desengaño a los vivos y un obsequio a los defuntos por el M. R. P. Fr. Jose Coll, de los Menores Observantes, del Colegio de Missioneros para Tierra Santa y Marruecos de Santiago de Galicia. Madrid imprenta de los Señores Leziano y Compania, SS. Trinidad, G. In 18 pag. 116. (4 reales).

V.
NECROLOGIA

Adm. R. P. Fr. Antonius Millan et Fernandez, in oppido de Maiadahonda Archidioecesis Toletanae natus die 13 Iunii 1808 et Ordinem Minorum Observantium in Conventu Matritensi anno 1825 ingressus, pietate, regulari observantia, mansuetudine aliisque egregiis dotibus summopere enituit. Philosophiae et Sacrae Theologiae studiis feliciter transactis, ac sacerdotio insignitus, Magisterium Novitiorum et Scholasticorum exercens, vi decreti exclaustrationis ab Hispaniae Gubernio lati, fuit e claustris expulsus. Ex tunc in oppido de Pozuelo prope Matritum curam animarum gessit. Postea vero Matriti Monialium Discalceatarum Purissimae Conceptionis, in Monasterio *de las Descalzas Reales* vulgo nuncupato nunc commorantium, Vicarius nominatus, summa laude plenaque Superiorum fiducia dictum munus per triginta annos usque ad praesens obivit. Anno 1862 Definitor re-

nuntiatus, in proximo sequenti anno Commissarius Provincialis pro alma Castellae Novae Provincia a Rmo Patre Vice-Commissario Generali Ordinis pro Hispania fuit designatus. Audiendis multorum confessionibus semper intentus, simulque sacris concionibus frequenter dicatus, quidquid temporis supererat, omnibus omnia factus, proximorum saluti tam spirituali quam temporali se totum consecravit, quin corpori suo quietem daret. Demum laboribus fractus animam DEO reddidit die 6 Novembris 1883. Omnibus carus fuit, et si dicere fas sit, dilectus DEO et hominibus, cuius memoria semper grata perdurabit.

R. P. CANDIDUS BISORDI (1) A RIGOLI, Ref. Prov. Thusciae, natus anno 1832 et per annos 24 Missionarius in Imperio Sinensi et Vicariatu Hou-pe occiduo-Meridionali, placidissime in DOMINO obiit die 8 Iunii 1884 in Residentia *Kin-tseo-fou*. Anno 1859 ad praedictum Vicariatum pervenit et semper religione, pietate et erga Immaculatam Virginem devotione emicuit. In extremo vitae agone haec ultima verba protulit: O IESU, da mihi patientiam in tam acutis doloribus: MARIA, Mater mea, noli me derelinquere in hac hora », quibus dictis expiravit.

R. P. GREGORIUS CINTORA natus Stellae in Hispania die 12 Martii 1812 ex antiqua et diviti familia, prosperam in saeculo vitam agere potuisset. Sed spretis mundi illecebris, in tenera adhuc aetate seraphicam vestem induit in Provincia Burgensi. Tyrocinio studiisque completis, praedicatoris munus iam susceperat cum anno 1835, excitata in familias regulares politica commotione, P. Gregorius sicut caeteri confratres claustra deserere cogitur. Pace Hispaniae reddita cuidam Parocho dioecesis Pampilonensis de mandato Ordinarii adiutor deputatus fuit et huic muneri vigilanter incubuit. Cum vero ad alia vocatum se sentiret, Romam petiit, a supremo Ordinis Moderatore media Regulam observandi petiturus. Interea R. P. Matthias Breton, vir vere apostolicus, ad Urbem pariter venerat ut evangelicos operarios quaereret ad missiones Americae meridionalis destinatos. P. Cintora tam opportuna et providentiali occasione capta Superioribus se obtulit eosdem supplicans ut ad infidelium conversionem, cum obedientiae merito mitteretur. Voti compos factus cum aliis sociis, inter quos laudatus P. Breton, ad novi mundi littora appulit et mense iunio 1848 ad collegium Sucre in Bolivia pervenit. Per quadraginta annos in hoc collegio permansit iugiter apostolicis laboribus et verbi DEI praedicationi ac fidelium confessionibus vacans indefessus. Bis Guardianatus officium exercuit; per quindecim annos Terrae Sanctae Commissarius fuit et paucis ante mortem mensibus Magistri Novitiorum munere egregie adhuc fungebatur, donec, deficientibus corporis viribus, ab omni munere exemptionem a Superioribus obtinuit. Tempus quod his officiis adimplendis supererat in componendis religiosis impendebat cantionibus quas in populo diffusas operarii inter laborandum publice decantant. Ipsius sollicitudini debetur existentia sodalitatis a Sancto Vincentio de Paulo in civitate *Sucre* fundatae, ut nosocomii expensas sustineret, et per multos annos eiusdem Societatis quasi anima habitus est. Die 29 Iunii 1884 in DOMINO obiit et eius memoria in Boliviana republica, praesertim vero in civitate *Sucre* diu permanebit.

A. R. P. DANIEL AB AESIO, Minister Provincialis Ref. Provinciae Marchiae. Natus est die 4 Octobris 1817, et eodem die anno 1833 habitu nostri Ordinis fuit indutus. Peractis studiis, primo philosophiam, deinde theologiam cum laude et fructu docuit. Deinde cum infatigabili studio se dedit curae animarum. Ordinis nostri regulas adamussim observavit omnibusque confratribus semper charus fuit. Die 19 elapsi Septembris circa horam 3 pomeridianam, apoplexia tactus, inopinato mortuus est, deploratus a Provincia, cui praefuit.

(1) Erronee *Risardi* nominatus est in Fasciculo *Actorum Ordinis*, p. 146.

Nihil obstat.

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

TOTIUS ORDINIS MINORUM S. P. N. FRANCISCI
MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

Reverendis ac perdilectis in Christo Patribus, Fratribus, Sanctimonialibus nostrae jurisdictioni aut directioni subjectis, salutem et plenam in Spiritu Sancto consolationem.

Post longam septem mensium absentiam ecce iterum die 13ª hujus mensis in Urbem sani et incolumes, DEO adjuvante, feliciter redivimus. Quae fuerit peregrinatio nostra, ex narratione in *Actis* vulgata jam nostis: qualis fuerit, DEUS novit. Certe nihil aliud nobis proposuimus quam ut regnum DEI omnibus, per quos transivimus, praedicaremus, et sanctam Regulae nostrae ac religiosae disciplinae observantiam commendaremus: Filii autem nostri talia reverentiae ac pietatis erga Patrem et obsequii ad ejus exhortationes documenta exhibuerunt, ut dulcis spes Nobis arrideat fore ut uberiores fructus futuro tempore proferant, Illo opitulante, qui solus dat incrementum; nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, DEUS.

Quibus proinde dum meritam reddimus laudem, omnibus porro qui sanctis orationibus suis infirmitatem nostram apud DOMINUM commendarunt, gratias ex animo agimus, eosque iterum iterumque rogamus, ut una Nobiscum DEO gratias agant pro collatis nobis donis, Nosque suis precibus, praesertim in bonum totius Ordinis, iuvare non intermittant.

Scitis enim, Filii charissimi, statutam jam esse demolitionem hujus Residentiae nostrae, quam tamen adhuc habemus, et quoadusque licuerit servare contendemus, sin in turri Pauli III, saltem in parte, quae destructioni, uti asserunt, non subjicietur, antiqui Conventus, ne *Aram-Coeli* Capitolio supereminentem, SS. Virgini Deiparae dicatam, relinquamus.

Quod si externa vi coacti fuerimus Aramcoeli relinquere, scitis locum Curiae generalitiae parari in Collegio generali quod exstruendum suscepimus. Hujus Collegii et Ecclesiae Divo Antonio thaumaturgo dicatae fundamenta jam supra terram elevata circumquaque sunt, et opus ita celeriter procedit, ut intra duos annos ad finem perduci posse credamus. Sed, prout alias diximus, impensae enormes sunt, et nisi industria charitatis vestrae, Filii dilectissimi, pergat adhuc tanto operi perficiendo efficax auxilium praebere, ad angustias redigemur. Profecto fieri non potest ut Ordo necessariam, eamque ingentem, pecuniae summam statim subministret, quam idcirco mutuam accipere cogimur; sed necesse est ut quolibet anno, quamdiu debitum exstinguatur, unaquaeque Provincia, quantum potest, conferat ad debitum extinguendum, sive numerata pecunia, sive gratuita Missarum ad nostram intentionem celebratione. Multae quidem Provinciae tum in Italia tum extra Italiam laudabili aemulatione hoc primo anno opem suam contulerunt, quibus, uti decet, gratum animum nostrum profe-

rimus; aliae vero minus ferventes nobis visae sunt, quibus nihilominus compatimur; rogantes tamen, in nomine S. P. N. Francisci priores ne intermittant, alteras ut majorem sollicitudinem adhibeant, omnes ut etiam preces adjiciant ad impetrandum, per intercessionem D. Antonii, bona quaeque tum temporalia tum maxime spiritualia pro praesenti et futuro statu Collegii nostri, in Dei gloriam, Sanctae Ecclesiae subsidium, Ordinis nostri decus et incrementum.

Demum cupientes et orantes ut in visceribus Christi sitis omnes, omniumque Vestrum, Patrum, Fratrum, et Sororum sanctas orationes postulantes, seraphicam benedictionem Vobis peramanter impertimus.

Datum Romae, ex Aracoeli, die 22 novembris 1884.

Humilis et addictissimus in Domino Servus
Fr. Bernardinus, Minister Glis.

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII
LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS CONFIRMATUR IVDICIVM A CARDINALI ARCHIEPISCOPO COMPOSTELLANO LATUM SVPER IDENTITATE CORPORIS S. IACOBI M. APOSTOLI ITEMQUE SS. ATHANASII ET THEODORI DISCIPULORUM EIUS

LEO EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI
AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Deus Omnipotens, qui mirabilis est in Sanctis suis, providentissime voluit, ut, quum eorum animae coelo receptae gaudio perfundantur sempiterno, corpora condita terris singulari observantia colantur ab hominibus et religionis splendore honestentur. — In his vero Dei providentia et misericordia luculenter apparet, qui cum multa sinat per ea divinitus accidere, simul et utilitati consulit nostrae, et gloriae quam Sancti sui consequuntur in terris. Haec enim coelitum beatissimorum pignora, quae nobiscum manent, quoties invisimus, toties admirabilem praeclarissimarum virtutum seriem, quibus, illi in mortali vitae cursu in exemplum ceteris praeluxere, memoria repetimus, et ad eas imitandas vehementer adducimur. Sunt autem, teste Ioanne Damasceno, sanctorum corpora perennes in Ecclesia fontes, ex quibus tamquam rivuli salutares effunduntur in populos christianos dona coelestia, beneficia, et ea omnia quibus maxime indigemus. — Quapropter non mirum est si providentis Dei consilio nonnulla sanctorum corpora, quae antea in oblivione posteritate velut in tenebris delitescebant, his potissimum temporibus in lucem prodeant, quibus et Ecclesia maximis agitatur fluctibus, et egent christiani acriori ad virtutem incitamento. Hoc nostro vertente saeculo cum a potestate tenebrarum teterrimum indictum fuerit bellum adversus Dominum et adversus Christum eius, auspicato quidem et divinitus inventi sunt sacri cineres sancti Francisci Assisiensis, sanctae Clarae Virginis Legiferae, sanctorum Ambrosii Pontificis Doctoris, Gervasii et Protasii martyrum, Philippi et Iacobi Apostolorum. — Horum in numerum adsciscendi sunt sanctus Iacobus Maior Apostolus et discipuli eius Athanasius et Theodorus, quorum corpora nuper in templo principe civitatis Compostellanae reperta sunt.

Ex constanti et pervulgato apud omnes sermone, iam inde ab Apostolorum aetate, memoriae proditum est, publicisque Decessorum Nostrorum litteris confirmatum, sancti Iacobi corpus, postquam ille ab Rege Herode capitis damnatus martyrium fecerat, a duobus discipulis eius, Athanasio et Theodoro clam fuisse subductum. Hi cum valde metuerent reliquias sancti Apostoli nullas futuras, si Iudaei corpore potirentur, eo in navim imposito solverunt ex

Iudaea, deinde sospite transmissione attigere Hispaniam, eamque circumvecti ad extremas Gallaeciae oras appulerunt, ubi, uti pia et antiqua traditio habet, post CHRISTI in coelum ascensum sanctus Iacobus divino consilio apostolico munere functus erat. Ibi quum Hispaniensem civitatem quae Iria Flavia nominabatur, accessissent, in praediolo quodam manere decreverunt, mortalesque Apostoli exuvias, quas secum avexerant, in crypta saxo defossa intra loculum romano opere constructum condiderunt, parvumque super erexerunt sacellum. Sed exacto vitae cursu, cum Athanasius et Theodorus naturae concessissent, christiani, qui ea loca incolebant, tum propter eximiam de duobus viris opinionem, tum ne hi a corpore quod in vita sancte asservaverant post mortem seiungerentur, ambos in eodem sepulcro composuerunt unumquemque ad Apostoli latus. — Vexatis paullo post caesisque christianis, ubicumque terrarum Romani Imperatores dominabantur, sacrum hypogeum delituit aliquandiu. Verum ubi, tranquillitate parta, apud Hispanos homines, qui praecipua sancti Iacobi religione tenebantur, de translato eius corpore fama percrebuit, ad sepulturae locum concursus fieri coepit, haud minori fortasse pietatis studio quam quo Romae et alibi sepulcra Principum Apostolorum, et Hieromartyrum coemeteria visebantur. Labentibus vero annis cum barbari primum, deinde Arabes imperio ductuque Muzae invasissent in Hispaniam, et eas praesertim regiones, quae mare adiacent crebris incursionibus divexarent, sacer sepulcri loculus, exciso et everso sacello, sub ruinarum mole in obscuritate latuit diuturna. — Non tamen vetustate obliterata est apud Hispanos sacri pignoris memoria. Ineunte enim saeculo IX cum Rex Alfonsus, qui dictus est Castus, Hispaniam obtineret, et Iriae Flaviae Ecclesiae datus esset Episcopus Theodomirus, super cryptam, quae sancti Iacobi et duorum discipulorum reliquias contegebat, constans fama est veluti refixam caelo stellam splendidissimam apparuisse, quae suo fulgore indicium faceret loci, ubi sacri cineres conditi fuerant. Episcopus Theodomirus tanto felix auspicio auctori DEO supplicationes indixit, deinde submotis reiectisque veteris sacelli ruderibus, eo investigando pervenit, ubi, tamquam in cognato sepulcro, tria sanctorum corpora distinctis loculis iacebant. Tunc ut locus ille religione sanctus humanis esset praesidiis munitior, murum in circuitu eduxit, sacrumque thesaurum firmis substructionibus circumsepsit. Quae res ut ad aures Regis Alfonsi pervenerunt ad sanctum Apostoli sepulcrum venerabundus statim accessit, vetus sacellum in novam formam a solo reficiendum curavit, iussitque fundi illius possessionem, terminis ad tria millia prolatis, in templi tuitionem perpetuo adtribui. Urbs interea cryptae propinqua, quae hactenus Iria Flavia vocabatur, ex visu elucentis stellae potioribus auspiciis Compostellae sibi nomen imposuit. — Sed ad illustrandum Apostoli sepulcrum, praeter illud caeleste signum, non pauca divinitus facta sunt, ita ut non modo ex finitimis civitatibus et oppidis, sed a longinquis etiam locis ad sacros cineres supplicatum populi venirent. Quare Rex Alfonsus III Decessoris sui exemplum imitatus exaedificationem amplioris templi aggressus est, ita tamen ut antiquus loculus intactus maneret, et illud properata molitione absolutum regio sumptu exornavit.

Exeunte saeculo X efferatae Arabum copiae, rursus in Hispaniam irruptione facta, oppida complura diripuerunt, ac magna civium edita strage, omnia ferro et incendiis vastarunt. Nefandissimus Emirus Almansor, quem sepulcri sancti Iacobi cultus non latuerat, ad direptionem et eversionem animum iam intenderat, quod si perficere potuisset, maximum Hispanorum praesidium, et in quo erat eorum spes omnis, sese expugnaturum arbitrabatur. Quapropter iis, quos praedonibus suis praefecerat, imperat Compostellam recta proficiscantur, urbem adoriantur, templum et sacra omnia dedant igni delenda. At DEUS exortum iam et dilapsum incendium ad presbyterii limen restinxit, et Almansorem eiusque copias foedis torminibus percussit, quibus divexati Compostella discesserunt, et fere omnes cum Almansore subita morte perierunt. — Extabant adhuc sparsi circa hypogeum cineres hostilis ferocitatis reliquiae, divini praesidii documentum. Quibus e malis ubi se emersit Hispania, Compostellae Episcopus Didacus Pelaez, in ipsis ruderibus veteris templi ampliorem aedem ab inchoato excitavit, quae a posteriori Episcopo

Didaco Gelmirez, spledidiore cultu et maiestate aucta Basilicae nomine et iure donata est. Huius Episcopi praecipua cura fuit sacras reliquias sibi tradita recognoscere, et educto in sublime pariete, loculum inaccessum reddere. Quae inter agenda ex sacris ossibus particulam quamdam dissociare non dubitavit, eamque sancto Attoni Pistoriensi Episcopo adiectis litteris dono misit. Partem hanc ex hodierna peritorum inspectione compertum est demptam fuisse ex capite: ea enim est, quae apophisis mastoidea vocatur, sanguine adhuc respersa, utpote quae gladii ictu, quum caput cervicibus abscinderetur, percussa est. Hae reliquiae prodigiorum fama et avita civium religione sanctae singulari pietatis studio coluntur adhuc ab Ecclesia Pistoriensi. — Interea Hispaniensis Sanctuarii fama longe lateque pervulgata, innumerabiles peregrinorum cohortes ex universis fere terrarum partibus illuc confluebant, et adeo crevit frequentia, ut ingentibus peregrinantium catervis ad sancta Palestinae loca et ad limina Apostolorum Petri et Pauli, merito compararentur. Ac proinde Romani Pontifices Decessores Nostri dispensationem voti de peragenda Compostellana peregrinatione suscepti, Apostolicae Sedi reservarunt.

Saeculo XVI nondum exacto, cohorta est foeda et atrox tempestas, qua per Hispaniam fere totam saeviente, sacrum Apostoli sepulcrum in periculo fuit non tam communi, quam proprio. Indicto enim bello Hispanos inter et Britannos, hi, qui a catholica fide ad haeresim desciverant, praedari et diruere catholicorum templa, et sacra omnia violare et delere sibi constituerant. Quapropter Gallaecia, regione mari citima, exposito exercitu, sacras aedes everterunt, caelitum beatorum imagines, reliquias et quae omnia sanctiora habentur, haeretico furore combusserunt, deinde ad perniciosam, ut aiebant, superstitionem extinguendam, Compostellam versus castra moverunt. — Praeerat id temporis Compostellanae Ecclesiae piissimus Archiepiscopus Ioannes a santo Clemente, qui collatis cum Canonicis consiliis de sacris Sanctorum reliquiis tuto in loco recondendis, hanc praecipuam de sancti Iacobi exuviis curam sibi suscepit. Sed cum iam hostes instarent, tumultuario opere ab eo clanculum tria corpora condita sunt: cavit tamen ut novus loculus ex veteris illius, romano more constructi, ruderibus constitueretur, ut aliquod superesset posteris earum identitatis testimonium. Postquam recessum ab armis et belli pericula propulsata sunt, cives Compostellani, et peregrini qui ea loca frequentes adiverant pro certo habebant, sacros cineres eodem esse adhuc in loco ubi primitus composita requieverant. Posteri autem in ea opinione fuerunt qua maiores, ita tamen ut temporibus nostris censerent christifideles in abside sancti sacelli maioris eadem sacra pignora servari, quapropter illuc ad adorandum propius accederent, et Basilicae Clerus quotidianae supplicationi ibi cum antiphonae cantu finem poneret.

Cum vero Venerabilis Frater Noster S. R. E. Cardinalis Paya y Rico hodiernus Archiepiscopus Compostellanus aliquot abhinc annis restituendae Basilicae operam aggressus esset, consilium cepit, quod iamdiu agitabat animo, investigandi locum ubi sancti Iacobi, et discipulorum eius Athanasii et Theodori reliquiae sitae essent. Quare ad opus tanti momenti viros peritissimos delegit in ecclesiastica dignitate constitutos, qui operarios dirigerent. Sed praeter opinionem omnium res ceciderunt. Explorato enim toto hypogeo et latebris quotquot extant adhuc circum altare maximum nihil repertum est. Demum quo maior cleri et populi ad orandum ferebatur devotio, in centro scilicet absidis post altare maius, et ante aliud altare interius effossum est pavimentum, et cum opus ad duo cubita processisset, occurrit operariis arca, cuius in operculo crux insculpta videbatur. Arca erat lapidibus et lateribus confecta ex antiquiori crypta ac sepulcro excerptis. Remoto coram testibus operculo, ossa reperta sunt ad tria sceleta sexus virilis pertinentia. De iis omnibus Venerabilis Frater Cardinalis Archiepiscopus Compostellanus, secundum sacri Concilii Tridentini sanctiones, auditis doctorum piorumque virorum consiliis, et lectissimorum peritorum sententiis, processuales condidit tabulas, inquisitumque est, constaret ne in repertis reliquiis de identitate corporum sancti Iacobi Maioris Apostoli et duorum discipulorum eius Athanasii et Theodori? Haec omnia ad ecclesiasticae disciplinae praecepta perpendens, adhibitoque intelligenti iudicio,

annuit et approbavit. Deinde idem Venerabilis Frater Archiepiscopus Compostellanus acta omnia et sententiam suam ad Nos misit, petiitque supplex, ut sententia eadem supremo Nostrae Apostolicae auctoritatis iudicio confirmaretur.

Nos admotas Nobis preces benigne excipientes, cum probe noverimus venerabile sancti Iacobi Maioris sepulcrum inter celeberrima sanctuaria iure posse censeri, quae in toto orbe terrarum a christianis coluntur, sacrisque celebrantur peregrinationibus ad suscepta vota persolvenda: idemque a Decessoribus Nostris Paschali II, Callisto II, Eugenio III, Anastasio IV et Alexandro III datis constitutionibus fuisse privilegiis et honoribus ornatum et auctum, voluimus ut ad tantum negotium ea conferretur diligentia, quam semper Apostolica Sedes adhibere consuevit. Quamobrem ex Sacro Consilio sacris tuendis Ritibus praeposito, aliquot S. R. E. Cardinales destinavimus, nimirum Dominicum Bartolini Praefectum, Raphaelem Monaco Lavalletta, Miecislaum Ledochowski, Aloisium Serafini, Lucidum Mariam Parocchi, Angelum Bianchi et Thomam Zigliara; nec non eiusdem S. Congregationis praesules Officiales dilectos Filios Magistros Vincentium Nussi Protonotarium Apostolicum, Laurentium Salvati ab actis, Augustinum Caprara Quaesitorem de honoribus caelestium, una cum Aloisio Lauri Assessore; quibus idem negotium examinandum commisimus. Conventu habito ad Vaticanas Nostras Aedes die xx Maii vertentis anni, omnibus ad trutinam severa disquisitione vocatis, responsum datum est « *dilata, et ad mentem.* » Mens vero fuit ut nonnullae animadversiones gravioris momenti accuratius diiudicarentur. — Quae res ut expedite ad exitum perveniret, iussimus dilectum Filium Magistrum Augustinum Caprara Sanctae Fidei Promotorem Compostellam proficisci, ut ibi singula quaeque inspiceret, inquireret, referret. Ille testibus, quos prius iusiurandum adegerat, auditis; compositis nonnullis contradictionibus, quae in eorum relatione subesse videbantur; examinatis archeologiae, historiae et anathomiae peritis Matriti et Compostellae, qui de re sententiam ferrent; inspectis vetustioris loculi ruderibus et cum his, quibus arca reliquias continens constituitur, comparatis, nec non inspecto loco sub abside ubi hae inventae sunt; demum quum rursus percontatus esset peritos physicos de singulis sacrorum ossium partibus, Romam reversus accurata relatione demandato sibi munere perfunctus est. — Quare iisdem collectis comitiis ad Vaticanum die XIX Iulii huius anni dubitationum discussa caligine et veritatis lumine clarius exorto ad propositum dubium « An « sententia lata a Cardinali Archiepiscopo Com- « postellano de identitate reliquiarum, quae in « centro absidis sacelli maximi Metropolitanae « eiusdem Basilicae repertae sunt et sancto « Iacobo Maiori Apostolo, eiusque discipulis « Athanasio et Theodoro tribuuntur, sit con- « firmanda in casu, et ad effectum de quo « agitur? » Dilecti Filii Nostri Cardinales itemque Praesules Officiales considerantes omnia, quae proposita erant, ita vera et probata esse, ut refellere nequis posset, ideoque cognitionem rei certam adesse, quae secundum sacros canones et Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum Constitutiones in hisce negotiis desideranda est, ita rescripsere: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* »

Quae cum Nobis a dilecto Filio Nostro Dominico Cardinali Bartolini, eiusdem sacrorum Rituum Congregationis Praefecto relata fuissent, non mediocri Nos laetitia affecti sumus, et toto ex animo Deo Optimo Maximo gratias egimus, cui placitum est ut Ecclesia sua, in tanta praesertim temporum iniquitate, novo hoc thesauro ditesceret. Propterea supra dictam peculiaris sacrorum Rituum Congregationis sententiam libenter in omnibus ratam habuimus et confirmavimus. Insuper mandavimus ut die XXV Iulii sancto Iacobo Apostolo sacra Nostrum confirmationis decretum in Ecclesia Nationis Hispanicae sanctae Mariae de Monte Serrato in Urbe dicata, post Evangelii lectionem ex ambone publicaretur, praesentibus dilecto Filio Nostro Dominico Cardinali Bartolini Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, et dilectis Filiis Magistris Laurentio Salvati ab actis, Augustino Caprara Quaesitore de honoribus caelestium, una cum Aloysio Lauri Assessore et Ioanne Ponzi pro tabulario.

Nunc vero ea, quae per supradictum decretum constituta sunt solemniore Apostolicae

auctoritatis documento, novoque Nostrae confirmationis actu communire volentes, Decessorum Nostrorum vestigia persecuti, nempe Benedicti XIII, Pii VII et Pii IX, qui de identitate corporum sanctorum Augustini Pontificis Doctoris, Francisci Assisiensis, Ambrosii Pontificis Doctoris, Gervasii et Protasii martyrum iudicium tulerunt; Nos quoque quibuscumque dubitationibus et controversiis diremptis, Venerabilis Fratris Nostri Cardinalis Archiepiscopi Compostellani sententiam de identitate sacrorum corporum Beati Iacobi Maioris Apostoli, et sanctorum discipulorum eius Athanasii et Theodori, ex certa scientia, atque etiam motu proprio, Apostolica auctoritate approbamus et confirmamus et in perpetuum firmam et validam fore decernimus. Praeterea volumus et iubemus, ne cui fas sit sacras Reliquias, quae iam in veteri conditorio repositae sunt et sigillo super obsignatae, vel earum particulas dissociare demere vel adsportare sub poena excommunicationis latae sententiae, cuius absolutionem Nobis et Nostris Successoribus omnino reservamus.

Quamobrem committimus et mandamus universis et singulis Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis ceterisque Ecclesiarum Praelatis praesentes litteras in sua unumquemque provincia, dioecesi et civitate solemniter publicare, ea meliori ratione, quam expedire censuerint; ut auspicatissimus huiusmodi eventus ubique innotescat, atque aucto pietatis studio illum christiani omnes celebrent, sacrasque peregrinationes ad sacrosanctum illud sepulcrum, quemadmodum maiores nostri facere consueverunt; suscipiant. — Et quo efficacius pro Ecclesia Sancta Dei et pro universa christiana republica sancti Iacobi Apostoli et eius discipulorum patrocinium impetrare valeamus, omnibus et singulis christianis utriusque sexus, qui vere poenitentes die per locorum Ordinarios seligenda confessi, et Sacro Christi corpore refecti in templis ubilibet sancti Iacobi Apostoli Deo dicatis, et iis deficientibus in quolibet templo ab Ordinariis designando, pro instantibus gravissimis Ecclesiae necessitatibus eiusque exaltatione, pro haeresum improbarumque sectarum extirpatione sancti Iacobi suppetiis imploratis, pias apud Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam ac remissionem, quae per modum suffragii etiam animabus piacularibus flammis detentis applicari possit, benigne in Domino tenore praesentium concedimus.

Et quoniam nobilissima Hispanica Natio mirifica sancti Iacobi ope fidem catholicam integram inviolatamque servavit, ut Deus misericors ei gratiam impertire velit, propter quam in tanta errorum colluvione, Patrono suo apud Deum medio et sequestro ad sanctitatem religionis avitae et ad pietatis studium firmet animum, amplissimum privilegium ab Alexandro III Decessore Nostro ei concessum, lucrandi scilicet plenarium Iubilaeum eo anno quo festum sancti Iacobi XXV Iulii incidat in Dominicam diem, etiam pro venturo anno concedimus cum ea ipsa die sancto Iacobo sacra festa solemnia inventionis et elevationis corporis eius agenda erunt, ea servata methodo, et cum iisdem facultatibus in Constitutione ipsius Summi Pontificis data die XXV Iulii anni MCLXXIX contentis.

Has quoque litteras et quaecumque in eis contenta nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis aut invaliditatis vitio seu intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, sed semper et in perpetuum validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque ab omnibus cuiuscumque gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis censeri volumus; mandantes, ut earumdem praesentium transumptis etiam impressis manu tamen alicuius publici Notarii subscriptis, et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, ratificationis, reservationis, concessionis, relaxationis, commissionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octin-

gentesimo octuagesimo quarto, Kal. Novembris, Pontificatus Nostri anno septimo.

C. Card. SACCONI Pro-Datarius

F. Card. CHISIVS

VISA

De Cvria I. De Aquila e Vicecomitibvs

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cvgnonivs

—

NORMAE DE MUSICA SACRA

Quas S. R. C., approbante Summo Pontifice, ad omnes Italiae Episcopos direxit. (1)

Illmo e Revmo Signore,

Nell'intento di apportare un efficace rimedio ai gravi abusi, che si sono introdotti nella Musica Sacra in varie Chiese d'Italia, si è compilato il Regolamento annesso alla presente lettera circolare, il quale per cura della *Società di S. Cecilia* coll'accordo dell'Autorità Ecclesiastica ha preso già inizio nelle Arcidiocesi di Napoli, di Milano ed altrove. Tale Regolamento ha ottenuto dal Regnante Sommo Pontefice piena approvazione.

Pertanto il sottoscritto nel recare ció a notizia della S. V. Illustrissima e Reverendissima, viene ad invitarla a darsi premura, perchè ancora nelle Chiese di cotesta Diocesi siano accolte le norme contenute in esso Regolamento, come quelle che servono a mantenere nella sua maestà e santità una sì importante parte della Sacra Liturgia, allontanandone melodie indecorose e profane.

Nella fiducia che la S. V. con la sua prudenza e pastorale sollecitudine si adopererà che nella diocesi a sè affidata sia posto in pratica quando viene stabilito dal suddetto Regolamento, è lieto il sottoscritto di dichiararsi con la più distinta stima ed ossequio.

Di V S. Illustrissima e Reverendissima

Dalla Segreteria della Sacra Congregazione dei Riti, li 24 settembre 1884.

Umil. Dev. Servo

Lorenzo salvati

Seg. della S. C. dei Riti

(1) Etsi ad solos Italiae Praesules transmissae fuerint sequentes Regulae, nihilominus caeteris extra Italiam dioecesibus easdem convenire nemo non videt; ideo in *Actis* illas publicamus.

REGOLAMENTO
PER LA MUSICA SACRA

§ I.

Norme generali per la musica sacro-figurata vocale e strumentale permessa e proibita in Chiesa.

Art. 1. — La musica vocale figurata permessa in Chiesa è soltanto quella, di cui i canti gravi e pii sono adatti alla Casa del Signore ed alle divine Lodi, e servono mirando al senso della sacra parola ad eccitare vieppiù i Fedeli alla divozione. A tale concetto s'informerà la produzione di musica vocale in figurato, quando anche si accompagni all'organo o ad altri strumenti.

Art. 2. — La musica figurata da organo risponder deve all'indole, legata, armonica e grave di detto strumento. Lo strumentale in genere sostenga decorosamente il canto e non l'opprima con i fragori; e gl'interludî organici e sinfonici sempre originali rispondano alla serietà della sacra Liturgia.

Art. 3. — La lingua propria della nostra Chiesa essendo latina, solo questa dovrà usarsi nella composizione musicale sacro-figurata. Gli stessi mottetti saranno composti di parole tolte dalla Sacra Scrittura, dal Breviario, e Messale Romano, dagl'Inni di S. Tommaso d'Aquino, di altro Santo Dottore o da altri Inni e preci approvate ed usate dalla Chiesa.

Art. 4. — La musica vocale e strumentale proibita in Chiesa è quella, che per il suo tipo, o per la forma che la riveste, tende a distrarre gli uditori nella Casa d'Orazione.

§ II.

Proibizioni speciali per la Musica di canto in Chiesa.

Art. 5. — È severamente proibita in Chiesa qualunque musica per canto composta sopra *motivi o reminiscenze teatrali e profane* ovvero che sia foggiata a forme assai leggere e molli, quali sarebbero le *Gabalette* e *Cavalette* i *Recitativi* troppo spinti a modo teatrale, ecc. permettendosi gli a-soli, i duetti, i terzetti, se però di carattere melodico sacro, e legati all'assieme del componimento.

Art. 6. — È proibita ogni musica, nella quale le parole del sacro testo si trovino anche

in minima parte omesse, trasportate, spezzate, o troppo ripetute, o poco intelligibili.

Art. 7. — È proibito il dividere in pezzi affatto staccati i versetti del sacro testo nel *Kyrie, Gloria, Credo* ecc, a scapito della unità dell'assieme, come anche l'omettere o precipitare il canto di alcune parti nell'Ufficiatura, quali sono le risposte al Funzionante, l'*Introito Sequenza*, il *Sanctus*, il *Benedictus*, l'*Agnus* nelle Messe, ed i *Salmi*, le *Antifone*, l'*Inno*, il *Cantico Magnificat* nei Vesperi. L'omissione peró del *Graduale*, *Tratto*, *Offertorio*, *Comunione* in certe circostanze particolari, come di voci mancanti, col supplemento dell'organo vien tollerata.

Art. 8. — È proibito frammischiare inordinatamente il canto figurato nel canto fermo, e per conseguenza sono vietati i così detti *Punti* musicali nel *Passio*, in cui si deve seguire scrupolosamente il Direttorio. Sono solo permesse le risposte della Turba in musica polifona, su i modelli della Scuola Romana, segnatamente in Palestrina.

Art. 9. — È proibito qualunque canto, la cui soverchia durata protragga i Divini Offici oltre i limiti prescritti del mezzogiorno per la S. Messa, e dell'*Ave Maria* per il Vespro e la Benedizione: eccettuate quelle Chiese che usano di privilegî, o di consuetudini non riprovate a che l'Ufficiatura si estenda al di là delle dette ore, rimettendosi ciò all'arbitrio del Reverendissimo Ordinario.

Art. 10. — È proibito l'uso di certe inflessioni di voci troppo affettate, il fare soverchio rumore nel battere il tempo o nel dare gli ordini agli esecutori, il volgere le spalle all'altare, il cicaleggiare o qualunque atto sconveniente al luogo santo. Sarebbe quindi desiderabile che le cantorie non fossero costruite sulla porta maggiore del Tempio, e che gli esecutori fossero possibilmente invisibili, secondo il prudente ordinamento del Reverendissimo Ordinario.

§ III.

Proibizioni speciali per la Musica organica strumentale in Chiesa.

Art. 11. — È severamente vietato il suonare in Chiesa ogni benché minima parte o reminiscenza di opere teatrali di pezzi ballabili di ogni genere, come: *Polke, Walzer, Mazurche, Minuetti, Rondò, Scottisch, Varsoviennes, Quadriglie, Galop, Contradanze, Lituane*, ecc., di pezzi profani, ecc., come *Inni nazionali. Canzoni popolari, erotiche o buffe, Romanze*, ecc.

Art. 12. — Sono vietati gli strumenti musicali troppo fragorosi, come Tamburo, Gran-Cassa, Piatti e simili, non che gli strumenti propri dei giullari, ed il Clavicembale ossia Pianoforte Le trombe però, i flauti, timpani, ed altri istrumenti di simil specie che furon già in uso presso il popolo d'Israele per accompagnare le lodi divine, i canti e salmi davidici, sono permessi, purché vengano usati con perizia e moderazione, *specialmente in* occasione del *Tantum ergo alla* Benedizione col Santissimo Sacramento.

Art. 13. — È vietato l'improvvisare detto a *Fantasia* sull'organo a chiunque non sappia fare convenientemente, cioé in modo da rispettare non solo le regole dell'arte musicale, ma quelle altresì che tutelano la pietà ed il raccoglimento dei fedeli.

Art. 14. — Nelle composizioni sono da osservarsi le seguenti norme:

Il *Gloria* non sia diviso in tante parti separate con gli assoli, di genere drammatico. Il *Credo* pure sia composto tutto di seguito, e, se fosse concertato, i concerti di esso siano disposti in modo da formare un tutto ben connesso. Si evitino, per quanto si può gli assoli, foggiati a maniera di canto teatrale con alzata di voce (per non chiamarli gridi) che distraggano la devozione dei fedeli. E sopratutto si badi che alle parole sia mantenuto il posto che hanno nel rispettivo testo, cioé senza posposizioni.

§ IV.

Provvedimenti per impedire gli abusi della musica in Chiesa.

Art. 15. — Ogni Chiesa dovrà essere, per quanto é possibile, fornita del proprio conveniente Repertorio di musica di canto e di organo adatto all'esigenza delle sacre funzioni o della rispettiva Cappella musicale, quale potrebbe essere il *Repertorio dell'Organista* ed il *Repertorio economico di Musica Sacra* pubblicata per cura dell'*Associazione di S. Cecilia* in Mi-

lano (*) — Queste e altre simili pubblicazioni però s'intendono solo proposte, e non imposte ad *exclusionem* di qualunque altra potesse attuarsi e pubblicarsi da altri editori col consenso dei rispettivi Reverendissimi Ordinari sopra i criteri del presente Regolamento.

Art. 16. — Ogni Chiesa che voglia fare una conveniente scelta fra le diverse pubblicazioni di musica sacra buone o cattive, che si fanno continuamente dai diversi editori, potrà provvedersi del *Catalogo generale di Musica Sacra* che verrà pubblicato per cura della detta *Associazione*. in conformità agli Statuti approvati dalla Santa Sede, o di altra casa editrice ossequiente alle date prescrizioni. — Anche il suddetto *Catalogo generale* vien solo proposto, non imposto ad *exclusionem*, come all'articolo precedente.

Art. 17. — Oltre il Repertorio di Musica Sacra edita sarà permesso quello di Musica manoscritta, quale si conserva presso le diverse Chiese e Cappelle, ed altri Istituti Ecclesiastici, purchè ne sia fatta la debita scelta da una speciale *Commissione* intitolata di *S. Cecilia*, da fondarsi in tutte le Diocesi, con a capo l'*Ispettore Diocesano della musica Sacra*, sotto l'immediata dipendenza dei rispettivi Ordinari.

Art. 18. — Sarà quindi solo permessa nelle Chiese l'esecuzione di quelle musiche edite o inedite, le quali allistate nell'*Indice-Repertorio diocesano* portino il contrassegno col relativo bollo e visto della *Commissione di S. Cecilia* e del suo Ispettore dirigente, il quale con la lodata Commissione, e sempre sotto la dipendenza dell'Ordinario, senza pregiudizio dei superiori locali, potrà sorvegliare anche le esecuzioni sopra luogo, richiamare in sagrestia le produzioni eseguite o da eseguirsi, e verificare se corrispondano alle norme ed alle carte approvate col contrassegno del bollo e del visto, e potrà quindi riferire all'Ordinario e provocare all'uopo l'applicazione di energici provvedimenti contro i trasgressori.

Art. 19. — Gli Organisti ed i Maestri di Cappella rivolgeranno anzi tutto ogni loro cura ed abilità nella migliore esecuzione possibile della musica del rispettivo *Repertorio*. Potranno anch'essi nella loro perizia accrescerlo di nuove composizioni, purchè si conformino alle norme suddette, dalle quali nessuno potrà essere dispensato. I componenti stessi le Commissioni saranno soggetti alla mutua revisione dei loro lavori.

(*) Via S. Sofia, n. 1.

Art. 20. — Ai singoli Parrochi o Rettori di Chiese, è affidata l'esecuzione dell'*Indice-Repertorio* della Musica Sacra, compilato dalla *Commissione di S. Cecilia* ed approvato dal Reverendissimo Ordinario, anche sotto pena da imporsi dal medesimo in caso di trasgressione. Tale *Indice-Repertorio* potrà in seguito essere aumentato dalle nuove produzioni musicali.

Art. 21. — Le suddette *Commissioni* risulteranno di Ecclesiastici, ed anche di Secolari periti nelle cose musicali, ed animati di spirito profondamente cattolico. L'*Ispettore Diocesano* sarà sempre Ecclesiastico. La nomina e l'istituzione di tutti loro appartiene di dritto agli Ordinari Diocesani.

§ V.

Disposizioni pel miglioramento avvenire della musica sacra e delle sue scuole.

Art. 22. — A preparare il migliore avvenire della musica sacra in Italia, sarebbe desiderabile che i Reverendissimi Ordinarii procurassero di fondare o perfezionare, ove già esistano nei rispettivi istituti Ecclesiastici, massime nei Seminari, le scuole di musica figurata secondo i metodi più perfetti ed accertati. A tale scopo inoltre sarebbe opportuno che nei principali centri della penisola si aprissero scuole speciali di Musica Sacra, per allevare buoni cantori, Organisti e Maestri di Cappella, a quella guisa che si è già praticato lodevolmente in Milano.

Art. 23. — Il presente Regolamento verrà comunicato a tutti i Reverendissimi Ordinari, i quali lo parteciperanno al Clero, agli Organisti e Maestri di Cappella delle rispettive Diocesi, ed avrà vigore un mese dopo dalla detta pertecipazione dell'Ordinario. Dovrà pure questo Regolamento stare affisso sopra apposita tabella ia Chiesa accanto al leggìo dell'Organista, affinchè non venga mai per alcuna causa trasgredito.

II.
ACTA ORDINIS

AD FRATRES NOSTROS
Incimenta seraphica

PROLOGUS
(Continuatio)

Nullus igitur dubitare potest de divina vocatione qua tenemur Ecclesiam CHRISTI sustentare, et animarum saluti modis omnibus providere, cum tot Romani Pontifices hoc Orbi catholico tam aperte declaraverint. Sed id non minus evincitur ex ipsius seraphici Patris exemplo et verbis ad Fratres suos directis.

Mox enim ut S. Franciscus per S. Claram et Fr. Sylvestrum, quibus hoc divinitus fuit revelatum, audivit, se debere peregre proficisci et viam DOMINI populis praedicando docere, et ideo se a DEO vocatum esse ut non sibi soli vacaret, sed ut prodesset etiam aliis, subito facta est super eum manus DOMINI, et in fervore spiritus surgens totus ignitus virtute ALTISSIMI, dixit: *Eamus in nomine Domini*. Et assumptis in socios Fratre Massaeo et Fr. Angelo Reatino, exurgens continuo succinxit se, et nulla prorsus contracta mora, iter aggressus est. Ibat autem, ut refert Legenda, cum tanto fervore, ut divinum exequeretur imperium, ac si, facta manu DOMINI super eum, novam induisset e coelo virtutem.

Ardens ille zelus, quo tunc repletus fuit Franciscus, nedum unquam imminuerit, novum in dies sumpsit incrementum, ita ut S. Pater nihil amplius sitiret quam gloriam DEI et salutem animarum. Hinc continuae eius ad populum exhortationes, ut eum ad lamenta poenitentiae vocaret, hinc ardens illud desiderium omnes ad CHRISTUM convertendi gentes, atque si fieri potuisset, creaturas omnes ad laudandum et amandum suum Conditorem excitandi, hinc tot colloquia ad Fratres habita, ut in eis ignem illum coelestem accenderet.

Hanc obligationem suis filiis intimare cupiens S. N. Patriarcha, in quodam opusculo quod inscripsit: *Cur Fratres Minores dati sint mundo*, hanc quartam ponit causam: « Ut sint testes et sequaces verbo et opere tantae caritatis et affectionis CHRISTI ad salutem omnium animarum, per mundum discurrendo, ac verbo et exemplo praedicando, atque animas ipsius CHRISTI pretioso Sanguine redemptas ad ipsum verum Creatorem et Pastorem ac Redemptorem animarum ducendo. »

In Collatione autem *do vocatione Fratrum Minorum et de praedicando Verbo* DEI, haec ad eos dixit: « Consideremus, Fratres charissimi, vocationem nostram, qua vocavit nos misericorditer DEUS, non tantum pro nostra sed pro multorum etiam salute, ut eamus per mundum exhortando omnes *plus exemplo* (1), quam verbo, ad agendam poenitentiam de peccatis suis et ad habendam memoriam mandatorum DEI. » Cum igitur animarum salutem intima pietate appeteret, et fervida aemulatione zelaret, suavissimis se dicebat repleri odoribus, et velut ungento pretioso liniri, cum sanctorum Fratrum per orbem distantium odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci. Ex talium auditu exultabat spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis Fratres illos accumulans, qui verbo vel opere ad CHRISTI amorem inducerent peccatores.

Sanctus ille animarum zelus atque CHRISTI fidem propagandi studium discipulorum eius corda adeo etiam repleverant, ut nihil potius haberent quam fidelium saluti intendere, et paratos se exhiberent ad praedicandum Verbum DEI, quocumque eos mitteret obedientiae mandatum; neque laboribus neque periculis erant deterriti, dum ad longinquas aut barbaras destinabantur nationes.

Tot divinae voluntatis signis edocta et confirmata Familia seraphica, scopum sibi praestitutum omni tempore prosecuta est atque tum vitae evangelicae exemplo, tum apostolicis suis laboribus Ecclesiae CHRISTI splendori et incolumitati semper prospexit. Et vero, quid non Minoritae in Europa et in finibus orbis terrarum, in Asia, in Africa, denique in Novo Orbe patrarunt et modo praestant? Recollige

(1) Mirum est, quanta sollicitudine et quoties Fratres suos monuerit S. Franciscus, ut plus exemplo quam verbo populo praedicarent, et prius haurirent secretis orationibus quod postea sacris ostenderent sermonibus, prius intra calescerent, quam extra verba proferrent.

animo, quot hic Ordo purpureis rutilet martyrum rosis, vernet albicantibus confessorum liliis, quam multis divinissimis theologis. eximiis doctoribus, concionatoribus celeberrimis velut micantibus stellis hoc coelum seraphicum fulgeat. Considera insuper quid pro extirpandis vitiis et pro devotione fidelium adaugenda praestiterit, quibus misericordiae operibus deditus fuerit, et qualiter Ecclesiae necessitatibus et splendori omni tempore providerit, et in his omnibus se prodet Fratrum Minorum indefessus zelus et eximia in proximum charitas; fere ubique videbis eos, Deo adiuvante. non sibi solum nec paucis prodesse sed multis ita ut recte adverterit Hieronymus Platus, *Lib. de bono status religiosi*, c. 30. « Non modo aetas illa. qua primum hic Ordo prodiit, mirabiliter eius opera adiuta et illuminata est, sed totis quadringentis annis, quibus deinceps stetit, hoc semper egit ut Ecclesiam Dei quasi fulciret. »

Haec est igitur portio pauperum Crucifixi Fratrum Minorum, vita, opere, verbo et scripto Christi Ecclesiam quibusdam veluti fulcris sustentare, et continuis suis laboribus ruinas, quas in suis membris patitur, veluti restaurare.

Duplicem hactenus exposuimus finem ob quem Ordo Minorum, Altissimo revelante, fuit institutus et cui assequendo incumbere tenentur quicumque Religioni Seraphicae nomen dederunt et sub S. Francisci vexillo bellum Domini militare decreverunt. Hunc duplicem finem per omnia saecula semper prosecuti sunt et feliciter attigerunt quotquot Regulae professae fideles exstiterunt observatores.

Deo sint laudes, veros Regulae zelatores nunquam in Ordine Seraphico defuisse, his verbis delaravit Leo PP. X. in *Constit. Licet alias:* « Ipsi Fratres de Observantia et Reformati, veri et indubitati Fratres Ordinis B. Francisci et eius Regulae observatores semper fuerunt, ac divina favente gratia semper sunt futuri, sine aliqua interemptione seu divisione a tempore editae Regulae per B. Franciscum usque ad praesens. » Ita etiam semper praesidium aliquod et quidem magnum accepit et accipiet Ecclesia a veris filiis S. N. Patriarchae, qui ad normam Evangelii sancte viventes apostolico spiritu sunt repleti.

Verum haec fuit in instituendo Ordine Seraphico sincera Dei voluntas, ut quemadmodum illum ad finem mundi persistiturum decrevit, ita etiam omnes eius sodales sanctitate et zelo continuo fulgerent et hac ratione Ecclesiam Christi omni tempore sustentarent. Quod utique locum habuisset, si tota Familia Seraphica in Regulae suae observatione fidelis permansisset. Utinam tam praeclarum elogium de ea dare possemus! Sed eheu, non defuerunt tempora in quibus Ordo quoad magnam eius partem a pura Regulae observantia et a primaevo suo spiritu deflexit, uti iam ipsi S. Francisco in visione Statuae manifestaverat Deus. Et vero, haec est humanae naturae conditio et infirmitas, ut successu temporis, etiam solidissima infirmentur, fervida tepescant, et mundanum pulverem etiam purissima quaeque et sanctissima contrahant.

Hanc humanae fragilitatis sortem expertus est Ordo S. Francisci; nam aureis ille sanctitatis fulgor, qui initio emicabat, aliquando ad argenti colorem devenit, et labentibus saeculis aeris durities et ferri rubigo non semper ab Ordine abfuerunt. Saecularia enim paulisper invaluerunt desideria, disciplinae regularis observantia aliquando enervata est, et deficientibus virtutum studiis, nonnullis in locis Regulae praeceptis conculcatis, lugendus ille status advenit, qui S. Francisco in visione statuae ostensus est, quo de ipsa sancta paupertate quae totius Ordinis est decor et speculum, fili degeneres erubuerunt, et proprietates vel res pretiosas et superfluas, abiectis vilibus, admiserunt.

Talem fere iam fuisse quarumdam Provinciarum Ordinis statum initio generalatus S. Bonaventurae, ipse Seraphicus Doctor his verbis declarat: « Cum Ordo deberet esse sanctitatis totius speculum, in diversis orbis partibus in taedium vertitur et contemptum (1) ».

Peior autem fuit eius conditio saeculis XIV et XV. Tunc enim permulti in Ordinem irrepserant abusus. Non solum vita communis passim desiderabatur et pecunia impune tractabatur, sed multi erant conventus, quibus adnexa erat rerum proprietas, quam sancta Regula tam graviter prohibet. Altissima autem

(1) Litterae ad Ordinem anno 1257.

paupertate, quae est Ordinis nostri fundamentum, pedibus conculcata, totius regularis disciplinae aedificium undique dissolvebatur, atque ex omni parte in certam propendebat ruinam. Et revera, exercitia pietatis et litterarum studia quasi penitus negligebantur; vota et Regulae praecepta passim videbantur trangressa; atque, cum multi quae sua sunt quaerebantur, non quae sunt IESU CHRISTI, omnis timor DEI ex eorum cordibus evanuit. Interiori autem spiritu vacui religiosi, aut turpi otio, quod sentina est vitiorum indulgebant, aut rebus saecularibus et familiaritatibus, ex quibus scandala oriuntur, erant intenti. Unde factum est ut tales nec propriae saluti consulerent nec Ecclesiam amplius fulcirent, cui potius scandalum et luctum quam aedificationem et laetitiam prabebant.

Quis non credidisset in tanta disciplinae monasticae dissolutione actum fuisse de Ordine Seraphico qui a fine suae institutionis adeo deflexerat? Verum qui S. Francisco promiserat, Ordinem suum in finem mundi duraturum, et qui, ne personarum tum multitudine tum virtute deficeret, addiderat: « quod illis non nascentibus faceret alios nasci, » tanta hunc Ordinem dignatus est benignitate prosequi, ut nullo non tempore sanctos operarios suscitaret, qui et vineam hanc colerent et ruinas Ordinis huius repararent secundum verum et legitimum spiritum S. Francisci, sicut etiam praefatis saeculis misericorditer fecit.

Hanc peculiarem DEI Providentiam erga Ordinem Seraphicum pulchre descripsit Leo PP. X in Bulla Unionis, sequentibus verbis quae aureis litteris Annalibus nostris inscribi mererentur.

Sic loquitur Pontifex: «*Ite et vos in vineam meam*, ait homo ille Pater familias, qui plantaverat vineam mundi, Salvator atque Redemptor Dominus noster IESUS CHRISTUS, qui etiamsi curam gerat de omnibus cunctaque dirigat quae ipse fecit, attamen inter caeteras plantationes, quas per Ipsum PATER coelestis in solo plantavit militantis Ecclesiae vineam quamdam tam ardenti prosecutus est amore, ut suam velut propriam ubivis illam appellet; hanc siquidem vineam, sic assiduis, solertibus ac fidelibus excoluit agricolis, ut alios primo mane, alios hora tertia, sexta, nona, decima vero et undecima, quasi incessanter cultores transmiserit.

Haec est sacra illa Minorum Fratrum religio quae, virentibus caeremoniarum foliis, per viros apostolicos tamquam per palmites extensos a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, immo sapientiae et scientiae irrigavit montes et implevit terram. Haec est religio sancta et immaculata, in qua per speculum sine macula Redemptoris contemplatur praesentia, vitae CHRISTI et Apostolorum inspicitur forma, per quam priorum Ecclesiae fundatorum ante oculos Christianae plebis reducitur norma, quae demum nihil nisi divinum, angelicum, omni perfectione refertum CHRISTOQUE nihil nisi conforme, ut non immerito sua dicatur, repraesentat.

« Ad hanc vineam excolendam, primo mane, oriente iam sole misit ipse Pater familias Angelum illum ascendentem ab ortu solis, habentem signum DEI vivi, Beatum Franciscum, qui comitantibus mirae sanctitatis viris prima vitis huius iecit fundamenta. His successerunt viri religiosi, qui duce B. Bonaventura muros huius vineae, iam utique ruinam minantes, hora tertia TRINITATIS Sanctae virtute et adiutorio reparaverunt. Post hos veluti hora sexta prodierunt spiritu ferventes Fratres nonnulli, qui a sacro Viennensi Concilio tamquam a DEO missi et confortati enervatam pene disciplinae censuram ad sua principia revocarunt. Hora vero nona, moriente DOMINO suo, ingruentibus in dies malis et scandalosis huius vineae agricolis suscitavit spiritum adolescentiae, paucorum videlicet Fratrum, qui signifero Nominis IESU Bernardino ductore et praeside, sacri Concilii Constantiensis freti praesidiis, languentem, imo pene mortuum, per orbem universum Ordinem vivificaverunt. Novissime vero diebus istis quasi hora ultima, apparuerunt viri aliqui, qui zelantes pro domo Israel succiderunt lucos et demoliti sunt delubra, ac ubi abundabat peccatum, adiuvante DOMINO, curaverunt, per introductam reformationis normam, ut superabundaret gratia. »

Ex his liquido constat, advertit Rmus P. Gonzaga (1), quam grata sit DEO Opt.

(1) *De origine Seraphicae Religionis*, pag. 61.

Max. sacra haec Franciscana Religio, qualiterque sibi cura sit. Nam etsi eam ad tempus a recto tramite aliquantulum deviare sinat, non tamen in deformationis baratrum labi permittit. Quinimo sibi perpetuo ex illa septem millia virorum servat, qui non curvant genua sua ante Baal, quique pro tantae matris honore, dignitate atque nitore zelantes, eam in rectam, unde deflexerat, viam feliciter reducunt ».

Si igitur praeteritis temporibus promissis suis semper stetit misericors DEUS, Ordinis nostri incolumitati providendo, si praesertim instaurationem familiae Seraphicae tam mirabiliter operatus est saeculis XIV et XV, dum ubique fere mortua iaceret, quidni sperandum est pro eius sancta renovatione miserrimis hisce temporibus dum hanc, sicut ipsam Ecclesiam sponsam suam, tot persecutionibus et calamitatibus opprimi et affligi permittit, ut a suis foeditatibus et deformitatibus purgata, novam et vere seraphicam vitam iterato accipiat? Non enim alium ob finem multarum Provinciarum (2) violentam suppressionem divina Providentia disposuit, quam ut, malevolis et discolis ex Ordine sublatis, Fratres bonae voluntatis puram Regulae observantiam in repristinandis conventibus introducere possent et hac ratione novam suscitare familiam S. N. Patriarchae virtutibus et sensibus repletam.

Non ergo nos deterreat hostium nostrorum implacabile odium, quo non modo religiosos viros omnes exterminare vellent, sed ipsius Francisci nomen perpetua oblivione delere. Qui enim habitat in coelis irridebit eos, et ex ipsa suppressione, qua execrandum suum scopum attingere statuissent, ipsius Ordinis bonum et splendorem provocabit. Hoc iam apparet ex desiderio quo varii Fratres suppressi flagrant repristinandi aliquos Conventus, eosque praesertim in perfecta disciplina monastica stabiliendi. Eodem observantiae zelo accensae videntur nonnullae Provinciae nondum suppressae, sed in quibus Regulae transgressiones sat graves existunt quae tractu temporis inevitabilem eorum ruinam adducerent. Iam vero illarum etiam moderatores abusuum extirpationis totis viribus et modis omnibus incumbere sese exhibent paratos, a conventibus novitiatus et studiorum initium faciendo. Ex his sperare licet, tempus advenisse propitium quo DEUS Ordinem seraphicum ad primaevum suum statum et spiritum misericorditer vult reducere. Ut hunc finem attingat non modo Superiores maiores ardenti zelo accendit, ut Provincias etiam dissitas percurrant et visitent, quosvis tollant abusus et doctrinam in eis promoveant, sed et saluberrimum eis suggessit consilium publicandi Periodicum « *Acta Ordinis Minorum* » in quo, praeter multa perutilia et scitu necessaria quae in eis referuntur, fervidae etiam exhortationes ad Fratres nostros diriguntur, quibus ad perfectam Regulae observantiam et spiritum seraphicum assequendum concitantur.

Huiusmodi Incitamenta seraphica iussu et auctoritate Rmi P. Ministri Generalis in dicto Periodico iam direximus ad Fratres expulsos, quae non solum ab istis sed etiam a Fratribus nostris in conventibus degentibus libenter et cum fructu lecta fuerunt. Quod non sine magno gaudio animadvertentes, nunc etiam varia monita ad Fratres omnes sive in conventibus sive in missionibus versantes ducimus dirigenda.

In istis monitis ad omnes fratres nostros directis agemus de essentia et excellentia status religiosi, de tribus votis, de Regulae nostrae praeceptis sub gravi obligantibus, de statutorum dispositionibus, praesertim quoad modum intra et extra Conventum conversandi, de studio, de praedicatoribus et missionariis, ac demum de perfectione religiosa et spiritu seraphico.

Quia autem variae Provinciae suppressae, auxiliante DOMINO, Religiosos suos dispersos modo colligunt et novas Ordinis domus erigere student, maximi momenti est, ut statim ab initio sub fundamento vitae communis erigantur. Propterea in proximis Actorum fasciculis de vita communi primum agemus, postea de reliquis supramemoratis materiis, DEO adiuvante, successive tractabimus.

Haec igitur nova Incitamenta Seraphica, dilectissimi Fratres, debita excipiatis reverentia et submissione, tamquam ab Ipso DEO per legitimos Superiores ad vos directa. Eo autem animo ea legatis, ut fervorem spiritus

(2) Varias Provincias ob meram probationem fuisse dispersas iam antea fuit notatum.

et perfectioris observantiae stuum in vobisdi excitatis. Superiores autem prae caeteris rogamus et obsecramus, ut ea semper attente considerent, saepius animo revolvant, et, iis stimulati ad meliora charismata aemulanda, subditos etiam suos ferventiori et efficaciori modo monere possint, ut iuxta ea obligationibus suis monasticis satisfaciant et vitam vere seraphicam semper ducere studeant.

(Continuabitur)

—

NOVUS CONVENTUS IN BASTIA

(Prov. Corsicae)

Die 4 Octobris, in festo seraphici nostri Patriarchae, solemni ritu agebatur benedictio primarii lapidis novi conventus Observantis Provinciae Corsicae. Bastiae, praecipuae huius insulae civitati. Faxit Deus, intercedente B. P. Francisco, ut haec Provincia, iam a Decretis suppressionis anni 1880 praeservata, feliciter augmentum suscipiat, ita quidem ut cum coenobiorum numero crescat etiam seraphicae familiae ferventium filiorum numerus et apostolicae messi novi adiungantur operarii.

—

NOVUS CONVENTUS IN ANGLIA

Die 8 Octobris Eminentissimus ac Rmus D. Eduardus Cardinalis Manning. Archiepiscopus Westmonasteriensis, Londini in loco *Upton* solemniter benedixit ac posuit primarium lapidem novi Conventus, qui in honorem S. Antonii Paduani a Patribus Recollectae Provinciae S. Ioseph Belgii aedificatur. Iste Conventus est iam quintus, quem dicta Provincia in Regno unito fundavit. Speramus fore, ut hac ratione Seraphicus Ordo noster in Anglia reviviscat, qui olim ibi florentissimus fuit. S. P. N. Franciscus Fratrem Angelum a Pisa primum Ministrum Angliae instituit, qui una cum octo sociis anno 1220 in loco *Dover* appulit et in civitate *Canterbury* primum Conventum fundavit. Successu temporis Anglia quinquaginta quinque Conventus nostri Ordinis habuit, in quibus non solum vera disciplina regularis et sincera pietas, sed etiam egregia doctrina viguerunt. Anglia dedit Ordini nostro atque Ecclesiae Ioannem Duns Scotum, *Doctorem subtilem*, Alexandrum Halensem *Doctorem irrefragabilem*, Rogerium Baconem, scientiae prodigium, et alios multos viros conspicuos, permultosque martyres.

III. MISSIONES

—

IMPERIUM SINENSE

CONSECRATIO

VICARII APOSTOLICI

in Han-Kou (Hou-pe)

Die 14 Septembris vertentis anni, Dominica infra Octavam Nativitatis B. Mariae Virginis, episcopalem suscepit consecrationem Rmus P. Epiphanius Carlassare, nuperrime electus Vicarius apostolicus Hou-pe Orientalis et Episcopus titularis Madaurensis, post mortem Rmi D. Zanoli, eiusdem Vicariatus desideratissimi Praesulis. Episcopus consecrator fuit Rmus D. Volonteri, Vicarius Apostolicus Ho-Nan, qui et ipse a Rmo D. Zanoli consecratus fuerat ac Tertio Ordini seraphico adscriptus.

Ex epistola P. Angeli Vaudagna, die 17 Septembris exarata, compertum habemus animarum tranquillitatem adhuc persistere in praefato Vicariatu, non obstante bello franco-Sinensi et Sinenses Magistratus benevolentiam semper exhibere erga Missionarios protegendos. Sed contra e Provinciis Canton, Che Kiang et Fokien Missionarii, premente civili potestate, ad securiora loca perrexerunt.

—

NOVA MISSIO

Apud Indos Americae septentrionalis.

Recoll. Provincia SS. Cordis Iesu in Statibus foederatis Americae septentrionalis, quae iam plures Missiones fundavit apud pauperes Indianos (Cfr. *Acta Ordinis*, ann. III pag. 90)

in Congregatione Capitulari die 24 Iulii celebrata novam Missionem acceptavit apud *Chippewa*-Indos. Duo Patres et unus Frater laicus, qui ad inchoandam istam Missionem destinati sunt, in loco *Harbor Springs* habitant. DOMINUS ipsorum laboribus et sacrificiis copiose benedicere dignetur!

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

ASSERTIONES CENTUM AD MENTEM DOCTORIS SUBTILIS AC MARIANI V. IOANNIS DUNS SCOTI, Ordinis Minorum, ex universa theologia selectae et iam dudum theologiae morali R. P. Patritii Sporer sub appendicis forma a R. P. Kiliano Kazemberger annexae, nunc iuxta eiusdem Sporer theologiam Venetiis anno Domini 1731 editam, denuo typis edi curavit quidam tanti Doctoris humilis discipulus. — Lemovicis, apud Leblanc, Bibliopolam, Via Cruche d'or, 3. In 12 pag. 102.

CARMEN SERAPHICUM seu S. Bonaventurae ex Ordine Minorum. S. R. E. Cardinalis et eximii Doctoris, sententiae sententiarum Carmine digestae iuxta Romanam Vaticanam editionem Parisiis apud Nicolaum Vivenay, A. D. MDCXLVII proditam ad usum sacrae theologiae tyronum, nunc denuo typis dari curavit humilis quidam ac devotus tanti Magistri discipulus. — Lemovicis, apud Leblanc, Bibliopolam, Via Cruche d'or, 3. In-12 pag. 80.

1884. THIRD ORDER OF S. FRANCIS: lives of the Franciscan Saints, blessed and other remarkable personages, (from various authentic sources) by the Rev. F. Antonine Scannell. O. S. F. preceded by the encyclical and Constitution ot His Holiness Pope Leo XIII. Glascow. P. Donnegan and Co. Printers, 34 St. Enoch Square. In-32 pag. 299.

1884. ELOGIO FUNEBRE AL MOLTO REVERENDO P. ANTON MARIA DA VICENZA ex-Ministro Provinciale e attuale Custode della Riformata Provincia Veneta di S. Antonio, letto dal P. Giovanni da Rovigno lett. teol., nelle solenni esequie il di XXII Luglio 1884, trigesimo dalla sua morte. — Quaracchi, presso Firenze, tipogr. del Collegio di S. Bonaventura, in-8. pag. 23.

1885. LA DEMOCRAZIA CRISTIANA E LA RISTORAZIONE SOCIALE, secondo lo spirito di S. Francesco d'Assisi, memorie e considerazioni raccolte per cura di P. P., Terziario francescano. S. Benigno Canavese, Tipogr. Salesiana. In-16, pag. XVI-179 (prezzo 0,30)

V.
NECROLOGIA

—

AD R. P. FR. IULIANUS PEÑA, in Archidiaec. Toletana natus anno 1812, in Ordine Minorum Observantium anno 1831 solemnem professionem in Conventu Matritensi emisit. Sacro Presbyteratus ordine vix suscepto, e claustris a civili gubernio expellitur, sed exemplaris Religiosi normam semper servavit. Directione Monialium discalceatarum Purissimae Conceptionis per triginta circiter annos praeclare functus est. plurimum in fundatione diversorum eiusdem Ordinis Conventuum allaborando. In sacra Theologia Doctoris lauream promeruit et in rebus Liturgicis apprime fuit versatus. Post obitum R. P. Fr. Antonii Millan, Castellae Provinciae Commissarius Provincialis fuit renuntiatus. Regiae Catholicae Maiestatis Capellanus ab Honore nominatus, ac Cruce Commendatoris Regii praeclarique Ordinis Hispani insignitus est. Denique die 28 Iunii anni labentis in urbe Caraca (Guadalajara) animam DEO reddidit.

R. P. ROCHUS CLARAMUNT, Obs. Provinciae Aragoniae filius, seraphicum induit habitum anno 1826. — Studentium Magister factus, philosophiam docebat, quum in Hispania regularium Ordinum accidit violenta suppressio. Exsulare tunc statuit in Galliam. et ibidem morabatur, quum Adm. R. P. Ioseph Areso, ab Ordinis Moderatoribus suscepta missione. Provinciae S. Ludovici in hac natione restaurandae operam navare incepit. Tanto operi perficiendo venerando P.

Areso per decem annos adiutor fuit et in renascenti Provincia varia officia Guardiani, Definitoris et Magistri Novitiorum laudabiliter adimplevit. Expleto, ut promiserat, decennio in Hispaniam redux, in civitate Complutensi, ultimos vitae annos transegit, Monialium directioni et piorum librorum editioni addictus. Die tandem 13 Iulii vertentis anni supremum diem in DOMINO clausit.

R. P. VICTOR A GRADULIS, Lector Theologus, bis Definitor et Custos actualis Almae Seraphicae Reformatae Provinciae, die 25 Septembris currentis anni in sanctuario de Scarzolis Urbevetanae Dioeceseos, annis meritisque plenus in pace CHRISTI quievit. Hic vere Provinciae Pater, etsi vel a prima iuventutis aetate saeculo valedicere et Instituto seraphico nomen dare optaret ex corde, voti tamen, sic DEO disponente, nonnisi cum viginti esset annorum compos effectus est. Seraphici itaque Patris vestigiis ingressus, pietatis germina quae domi hauserat in dies thesaurizans, veri religiosi hominis virtutes praebuit. Anno tyrocinii magno fervore completo, philosophicis ac theologicis scientiis vacavit. Non multo post sacerdos factus et sacrae Theologiae Lector renunciatus, per plures annos Provinciae alumnis non tantum doctrina, sed vel maxime verae pietatis et regularis observantiae exemplis profuit. Absoluto magisterii cursu in Hospitium Sanctae Annae Urbis veteris, Superiorum iussu, se contulit, ad cuius familiae regimen paulo post destinatus, non minorem virtutibus excolendis, quam sibi subditis seraphico spiritu imbuendis operam dedit. Cruciatus DOMINI pia mente revolvens, sanctum Viae Crucis exercitium, cum poterat, pluries in die magno animi affectu exercebat; et ob illustria prudentiae et caritatis exempla, quae tum austeritate vitae, tum sacris confessionibus excipiendis protulit, magna in aestimatione a civibus habebatur. Ast, publicis perturbatis rebus et aliquorum hominum invidia, inde exulare coactus, vir DEI in sanctuarium de Scarzolis, ututi divinarum rerum contemplationi aptissimum, (situm est enim in solitario loco nemoribusque intercluso) se recepit; ubi anteactas virtutes severius exercens, eremiticam pene vitam ducebat. Saepe oculis in SS. Crucifixum Eiusque Matrem Perdolentem defixis, multum ante Eorum altaria expendebat temporis, orans et lacrymans. Ieiunia Regulae et Ecclesiae ita sibi cordi erant, ut unica tantum refectione, eaque interdum modica, utebatur. Humilitatem, caritatem fraternam, votorum observantiam, praecipue sanctam paupertatem toto dilexit animo. Insuper cum ipsa natura indolem nactus esset benignam, suavitate morum animique pietate adeo fratribus et saecularibus, presertim ultimis hisce temporibus, admirationi fuit, ut sibi omnium animos devinciret, ac a nonnullis sanctus appellaretur. Anno tandem 1880 cum quatuor iuvenes in illius solitudinis Conventu vocationem *rite* approbarent, relatu impossibile est, quam maximam in DOMINO perciperet laetitiam quotque salutis monita eis traderet! Et eius, qui haec scribit, quique unus ex illis novitiis extitit, adhuc in auribus dulciter insonant verba huius Venerabilis senis (80 enim ferme habebat annos): « Filioli mei, frequenter repe-
« tens, ut videtis, tempus resolutionis meae
« instat, et quoniam post tyrocinii annum
« obedientia vos alio mittet vosque forsan
« amplius non videbo, hoc unum a vobis
« precor, nempe vota vestra integre custodite,
« totis viribus diligite paupertatem, iugiter
« vacate orationi, et Beatissimam Virginem,
« uti matrem, habete. » Hisce cumulatus meritis, post longam infirmitatem mira toleratam patientia, omnibusque Religionis sacramentis munitus, vere nomine et re *Victor* migravit in coelum, lugentibus omnibus confratribus.

O quot estis seraphicae Religionis alumni, eius, quaeso, virtutes imitari non pigeat, eique requiem adprecari aeternam.

Nihil obstat.

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

DE SEDE ARCHIEPISCOPALI CARTHAGINIENSI RESTITVENDA.

LEO EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Materna Ecclesiae caritas, quamquam est in omne hominum genus aequabiliter diffusa et de gentibus singulis mirabiliter sollicita, solet tamen praecipuo quodam misericordiae sensu ad illas respicere, quas ab Evangelii complexu aut vis aut error abstraxerit. Nihil enim tam grave est, quam renascente superstitionis caligine obcaecari eos, quibus praeclarissimo Dei munere et dono lumen aliquando veritatis affulserat: nihilque tam miserum, quam semel in salutem vindicatos, in interitum relabi. — Atqui arcano Dei consilio istius modi calamitas sicut alias terras non paucas, ita Africam Romanam perculit, cum sapientiam christianam mature Afris cognitam et receptam maximarum tempestatum fluctus violenter extinxerint. In quo praeter modum luctuosa, fortuna Carthaginis: hanc quippe christianis non minus quam bellicis civilibusque praestantem laudibus calamitosae vicisissitudines suis ipsam ruinis oppressam funditus deleverunt. Harum cogitatio rerum facit ut Nos, officii Nostri apostolici memores, ad maritimas Africae oras, quae prope sunt in conspectu positae, non sine paterna pietate hoc tempore intueamur. Quoniamque videmus catholicum nomen satis iam in illo tractu reviviscere, volumus ut bona illa seges. quae uberes pollicetur fructus, cultura et curatione Nostra altiores quotidie radices agat, beneque Deo adiuvante adolescat. Quamobrem cum ad rei sacrae stabilitatem atque ordinem omnino plurimum referat, singulis christianorum societatibus suos sibique proprios praeesse Episcopos, arbitrati sumus, spectato Ecclesiae Africanae statu, Sedem Archiepiscopalem Carthaginiensem restitui, sublata administratione Apostolica, oportere.

Qua in re libet quidem aliquid cogitatione repetere de pristino eius Ecclesiae splendore atque a praeteritarum rerum memoria auspicium capere futurarum. Sane Ecclesiam Africanam e Romana prognatam esse constat cum ab ultima antiquitate traditum sit, si minus beatum Petrum, certe proximos eius successores Evangelium Afris attulisse. Apud quos christianum nomen apparet celeriter adultum altero enim nondum exacto saeculo, descriptis finibus impositisque rite Episcopis, plurimae per Africam Ecclesiae constitutae sunt. Easque disciplina floruisse vel ex eo coniici licet, quod ante exitum saeculi secundi Ecclesia catholica Pontificem ex Africa accepit, scilicet sanctum Victorem, qui, christiana republica naviter gesta, decennio post martyr occubuit. — Brevi autem intervallo non mediocris extitit copia sapientium hominum atque magnorum: Cy-

prianum intelligimus, Tertullianum, Aurelium, Evodium, Possidium, et qui non Africam modo sed universam christianam rempublicam unus maxime illustravit, Augustinum.

Ab ipsis vero Ecclesiae Africanae primordiis praestitisse Carthaginem nemo dubitat. Huius enim civitatis Episcopis ius est mature quaesitum ut ceteros potestate anteirent ipsaque Carthaginiensis Ecclesia, ut est apud Augustinum, (1) caput Africae appellaretur. Revera tanta erat Carthaginiensium Pontificum per Africam auctoritas, ut de caussis Ecclesiarum cognoscere consueverint; ita responsa Episcopis dare, legatos ad Principem mittere, concilia omnium provinciarum indicere. Qua de re perhonorificum et gravissimum est sancti Leonis IX decessoris Nostri testimonium, qui de iure archiepiscopatus Carthaginiensis sententiam rogatus, ad Thomam Episcopum sic rescripsit, *sine dubio post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus et totius Africae maximus metropolitanus est Carthaginiensis Episcopus; nec pro aliquo episcopo in tota Africa perdere potest privilegium semel susceptum a sancta Romana et apostolica Sede, sed obtinebit illud usque in finem saeculi et donec invocabitur in ea nomen Domini Nostri* IESU CHRISTI, *sive deserta iaceat Carthago, sive resurgat gloriosa aliquando. Hoc ex concilio b. martyris Cypriani: hoc ex Synodis Aurelii: hoc ex omnibus Africanis conciliis; hoc, quod maius est, ex venerabilium Praedecessorum Nostrorum Romanorum Praesulum decretis aperte monstratur.*

Verum non dignitate solum, sed etiam christianarum virtutum ac nominatim fortitudinis exemplis visa est Carthago antecellere. Etenim, si urbs Roma excipiatur, vix alia reperietur civitas quae tot martyres ac tam praeclaros Ecclesiae caeloque genuerit. Praedicatione et cultu serae posteritatis florent prae ceteris Perpetua et Felicitas, par feminarum nobilissimum, quarum tanto mirabilior victoria, quanto diutius cum quaesitissimis cruciatibus infirmitas sexus dimicavit. Nec minus inclyta magni Cypriani palma. Nam sanctitate et rebus gestis Carthaginem, stilo et litteris christianum nomen cum multos annos nobilitasset, ad extremum in media Ecclesia sua, spectantibus iis quos ipse ad martyrium instituerat, praeclarissima confessione defunctus vitam cum sanguine pro CHRISTO libens profudit.

Atque illud quoque memoriam Carthaginiensis Ecclesiae non parum commendat. Africanos episcopos ad eam vocatu Archiepiscopi convenire solitos de communibus religionis negotiis una deliberaturos. Ac plura quidem diversis temporibus condidere sapienter decreta, ex quibus non pauca supersunt, et quorum vel ad comprimendas haereses, vel ad morum disciplinam in Clero populoque sancte retinendam, plurimum valuit auctoritas. Fama memor celebrat in primis Concilium Carthaginiense tertium ab Aurelio episcopo viro fortissimo habitum, quo sanctitatis ingeniique sui lumen Augustinus attulit. — Huiusmodi vero tam salutares fructus, Episcopis Carthaginiensibus nitendo laborando perceptos, coniunctioni potissimum cum hac Apostolica Sede acceptos referri oportet. Cum enim esse intelligerent divino iure constitum ut Ecclesia Romana cunctarum Ecclesiarum princeps sit et magistra, et tamquam ex radice ad ramos, sic ex ea ad Ecclesias singulas omne principium vitae et viriditatis manare, nihil antiquius habere consueverunt quam ut permanerent cum successoribus beati Petri perpetuo atque intimo nexu devincti. Quod quidem varia litterarum monumenta, acta Conciliorum, legationes de gravioribus negotiis ad Pontificem romanum non raro missae, nominatimque Optati et Cypriani epistolae gravi auctoritatis pondere testantur. Atque illud est memoratu dignum, quod eiusmodi in apostolicam Sedem obsequium non diuturnitate temporis est, neque formidolosis illis rerum conversionibus debilitatum. Ex quo geminum Africa beneficium tulit, alterum ut in maximis suis calamitatibus perfugium quoddam et solatium in Apostolica Sede semper invenerit: alterum, ut romanorum Pontificum magisterio praesidioque freta perniciosissimas haereses partim repulerit, partim extinxerit.

Sed spatium temporis haud valde longinquum gloriosa emensa, consenescere Ecclesia Africana coepit et ad occasum deflectere, ita tamen ut multo fuisset victura diutius, nisi vitam illata vis peremisset. Non enim senio ipsa suo confecta interiit, sed barbarorum armis oppressa succubuit. Revera exploratum est quantum Afris malorum attulerint Vandali: quorum

(1) Epist. XXXXIII, num. 17.

effrenati exercitus ubicumque vestigium posuissent, ad direptiones urbium caedemque civium Arianae venena pestis adiungebantur: ac tantus erat ubique terror, ut catholici *nullatenus respirarent, neque usquam orandi aut immolandi concederetur gementibus locus.* (1) Saeculo autem septimo Saraceni, hostes christiani nominis, cum easdem provincias, more procellae, inundavissent, acerbissimae servitutis iugo indigenis imposito, Carthaginem ipsam tot iam fessam aerumnis, igne ferroque exciderunt, planeque perniciem et vastitatem Ecclesiae intulerunt. Quibus temporibus saeviente passim adversus fidem catholicam furore hostium, rursus martyrum seges, et magnus Confessorum numerus, et fortium Episcoporum et sacerdotum egregii manipuli extitere, ut prorsus sicut cum laude Africana Ecclesia adoleverat, ita cum dignitate occubuisse videatur. — Tantis autem in tenebris quae consecutae sunt, Carthaginienses Episcopi duo apparent, vix plus quam nomine cogniti: Thomas, de quo supra est facta mentio, et Cyriacus. Nam qui saeculo decimo quinto posteaque occurrunt, plerique omnes ornamentarii fuerunt.

Quinto a Saracenorum dominatione saeculo, cum germanae Ecclesiae vix pauca ac prope evanescentia vestigia in Africa superessent, inventus est in Italia, cui salutem Africani generis ingenti animo complexus, de religione catholica illic restituenda cogitaret. Is fuit quod nemo ignorat, Franciscus Assisiensis: qui Tunetum, ad oppidum Proconsularis Africae princeps Carthaginique proximum, Aegidium et Electum (2) alumnos suos submisit, iussitque in iis hominibus ad instituta catholica revocandis, quantum possent elaborare. Anceps et salebrosum inceptum, si quod aliud: in quo multum uterque desudavit caritate et fortitudine summa: alter vero sanctissimi propositi laudem nobili martyrio cumulavit. — Mox Gregorius IX decessor Noster alios ex illo ipso instituto viros eodem in culturam animorum legavit: illorum tamen laboribus barbarica vexatione interceptis, necessario factum est, ut terra Africa apostolicos viros ad saeculum usque decimum septimum nullos habuerit. Tunc demum, auctoritate sacri Consilii christiano nomini propagando, Praefectura apostolica instituta est, quae Algeriensem, Tripolitanam, ac Tunetanam provincias una complecteretur: eamque sodales Franciscales Capulati gerere iussi. — Deinde Praefectum Apostolicum seorsim creari placuit, cuius potestate quidquid est agri Tunetani subesset: iidemque religiosi sodales ad id munus electi. Qui laboriosum opus, animose susceptum, animo aeque excelso expleverunt, ut omnino dederint, quid caritas possit, passim documenta maxima. Nam in tam agresti Saracenorum immanitate incredibiles molestias pertulerunt; plurimique numerantur, qui caeli inclementia absumpti, qui ferro barbarorum sublati, qui vigiliis perpetuisque fracti laboribus martyrii honores delibarint. Sed eorum constantia religionis incremento mire profuit: nec exiguae illae utilitates putandae, quas recentiore memoria Afris pepererunt, nimirum paroeciae aliquot conditae, in eruditionem puerorum apertae, et quaedam in solatium calamitosorum pie instituta.

Ineunte hoc saeculo, cum militares Gallorum copiae in Africam adnavigassent, inque maritimis oris victrices consedissent, constituta ibidem provincia est, cuius imperium apud eos esse coepit. Haud multo serius, dato Algeriensibus Episcopo, amplissimae illae regiones, quae a Saracenis diuturno dominatu tenebantur, veteris dignitatis aliquid recepisse visae sunt. — Deinde Dioecesibus Constantinae et Orani institutis, pluribus locis, in quibus olim Ecclesia sospes et florens insederat, sanctissimi ritus catholici longo intervallo sunt restituti. Ipsa Tunetana regio, cum christianorum crevisset numerus, mutata in Vicariatum apostolicum Praefectura, Episcopum a Romana Sede accepit. Atque ex eo tempore provisa sunt multa ad christianam morum disciplinam salubria: amplificatae paroeciae: auctae scholae: sodalitates pietatis caussa plures coalitae.

Haec satis prospera initia spem plurimis fecerunt fore ut, deductis coloniis in eum tractum in quo sita Carthago fuit, revocari aliquando ab interitu posset Africarum princeps urbium, et secundum instituta maiorem novum

(1) Victor Vitentis *pers. Vand. lib. 1. c. 7.*

(2) Cfr. opus Adm. R. P. Marcellini a Civetia, *Storia delle Missioni francescane*, Vol. I, ubi de his egregiis Franciscalibus Missionariis agitur. (*Nota Redact.*)

a Pontifice Romano Episcopum accipere. Cui quidem spei partim respondisse exitum laetamur: cetera responsurum, Deo adiutore, non diffidimus. Nam Vicariatus Tunetani administrationem adeptus Archiepiscopus Algeriensis, S. R. E. Cardinalis Carolus Martialis Lavigerie, ad propagationem vir sapiens atque impiger animum appulit. Multas res perfecit utiliter spatio perbrevi: nec pauca suscepit ad excitandam e cineribus suis Carthaginem opportuna. Et sane in regione *Mègara* proxime a situ, quem Cyprianus cruore suo dedicavit nec longe a loco sepulturae eius, ipsis ruinis Carthaginiensibus aedes episcopales cum aedicula extruxit: ibique accolae et finitimi, praesertim egentes et calamitosi, miseriarum solatium quotidie reperiunt. Presbyteros in ipsa domo episcopali, itemque Tuneti, aliisque Vicariatus frequentioribus locis ad officia sacerdotalis muneris obeunda constituit: quibus ipsis officiis sodales Franciscales Capulati dare operam strenue perseverant. In regione, quae *Byrsa* audit, Seminarium Carthaginiense condidit: cuius alumni in novae Dioecesis spem succrescentes ad theologiam, ad philosophiam, ad humaniores litteras idoneorum doctorum curis magisterioque erudiuntur. Ad Paroecias pristinas novas adiunxit non paucas: unamque ex iis in sacello constituit, quod a sancto Ludovico nuncupatur, eo ipso in loco unde rex pientissimus ab hac brevitate vitae ad sempiterna in caelis bona evocabatur. Praeterea hospitalem domum senectute et egestate coniuncto incommodo laborantibus; valetudinarium aegrae plebi curandae: aedificia adolescentibus utriusque sexus educandis aperuit. Quibus illecti commodis et beneficiis satis multi iam incolere ea loca coeperunt in spem auspiciumque revicturae civitatis. Denique perfecit, ut ad tuitionem Archiepiscopi rerumque coeptarum absolutionem necessarii sumptus perpetuo suppeterent.

Igitur cum haec, quae commemorata sunt, diligenti consideratione momentoque singula suo ponderaverimus, perrogata etiam sententia sacri Consilii christiano nomini propagando; quod universae christianae reipublicae faustum sit, maximeque Afrorum saluti ac dignitati bene vertat, Sedem Archiepiscopalem Carthaginiensem harum litterarum auctoritate restituimus. Propterea que eos fines agri Tunetani, in quibus olim Carthago erat, quique hoc tempore quinque pagos complectuntur nempe *La Marsa, Sidi Bou Saiid, Douar es Chott, La Malga, Sidi Daoue* cum suis templis, oratoriis, piis etiam institutis, cumque universis utriusque sexus catholicis incolis, exire de potestate Vicarii Apostolici Tunetani, et Archiepiscopo Carthaginiensi in posterum subesse et parere iubemus.

E templis, quae sunt intra fines civitatis, Metropolitanum esto, quod is, qui haec decreta Nostra perfecturus est, maluerit, titulo tamen non mutato.

Archiepiscopus Carthaginiensis *Vicarium* sibi generalem pluresve, si res *postulaverit*, adsciscat: insuper consiliarios adiutoresque ad expedienda Archidioeceseos negotia ex ordine Cleri legat. — Idem controversias de matrimoniis, caussasque ceteras, de quibus Archiepiscopum cognoscere ius est, cognoscat et dirimat. Cetera omnia, quae ad pastoralis officii munus pertinent, libere gerat. — Synodos Dioecesanas constitutis lege temporibus habendas curet. Collegium Canonicorum Metropolitanorum, secundum praescripta legum ecclesiasticarum, ubi primum fieri poterit, instituat. Unus ex Canonicis primus esto in Collegio, Archidiaconi dignitate auctus duoque canonice eligantur, quorum alter Theologi, alter Poenitentiarii officium gerat. Seminarium Carthaginiense educandis sacrorum alumnis perpetuo addictum sit. — Per interregnum administratio Archidioeceseos geratur secundum praescripta Litterarum Apostolicarum Benedicti XIV *Ex sublimi* et *Quam ex sublimi*.

De Ecclesiis Suffraganeis, de finibus describendis, itemque reliquis de rebus, quae ad perfectam Archidioeceseos constitutionem pertineant, integrum Nobis esse volumus id quod expedire videbitur opportune decernere. — Demum Venerabili Fratri Nostro Carolo Martiali S. R. E. Cardinali Lavigerie, Archiepiscopo Algeriensi, Administratori Tunetano, mandamus ut ea omnia, quae his continentur Litteris Nostris, exequatur: idque vel per se, vel per interpositam personam in ecclesiastica dignitate constitutam.

Volumus autem omnia et singula, quae per has Litteras decrevimus, firma, stabilia, rata,

uti sunt, ita in omne tempus permanere: neque iis quidquam officere ullo modo posse, ne Nostras quidem et Cancellariae Nostrae regulas, quibus omnibus, horum decretorum gratia, derogamus. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras infringere, vel eis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo octigentesimo octogesimo quarto, Quarto Idus Novembris, Pontificatus Nostri anno septimo.

C. Card. SACCONI Pro- Datarivs.
F. Card. CHISIVS
VISA
De Cvria I. De Aquila e Vicecomitibus
Loco ✠ Plumbi
Reg. in Secret. Brevium
I. Cvgnonivs

—

DECISIO S. C. U. R. INQUISITIONIS

DE DUELLO

Illme ac Revme Domine. (1)

Litteris diei 24 septembris superioris anni datis, vicarius generalis Amplitudinis tuae proposuit tria sequentia dubia, scilicet:

1. Potestne medicus rogatus a duellantibus duello assistere cum intentione citius finem pugnae imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi ac curandi, quin incurrat excommunicationem Summo Pontifice simpliciter reservatam?

2. Potestne saltem quin duello sit praesens in domo vicina vel in loco propinquo sistere proximus ac paratus ad praebendum suum ministerium, si duellantibus opus fuerit?

3. Quid de confessario in iisdem conditionibus?

Emi PP. una mecum Inquisitores generales, haec dubia ad examen revocarunt in Congreg. generali habita feria IV die 28 labentis maii, ac re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Ad 1m Non posse, et excommunicationem incurri.

Ad 2m vero et 3m Quatenus ex condicto fiat, item non posse et excommunicationem incurri.

Dum haec tecum communico, ut pro opportunitate nota fiant, fausta omnia ac felicia tibi precor a Domino.

R. P. D. Episc. Pictaviens.

Romae, 31 maii 1884.
Addictissimus in Domino
R. Card. Monaco.

(1) Scribit Emus Cardinalis Poenitentiarius Episcopo Pictaviensi.

II.

ACTA ORDINIS

—

MONITA

Confratres rogamus, praesertim vero Ministros Provinciales, ut Curiam Aracoelitanam monere velint, quoties aliquis ex Patribus nostris *Acta* recipientibus, mori acciderit, ne in vanum continuetur defuncto Fasciculorum transmissio.

Praeterea obsecramus Confratres qui *Actorum* edendorum expensis Missarum voluntaria celebratione contribuere optaverint, ut non modo Ministrum Generalem aliumve e Curia Patrem de hac intentione praemoneant, sed etiam Missarum celebrationem differre curent, donec de earumdem assignatione certiores reddantur.

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta seraphica

TRACTATUS PRIMUS

DE FUNDAMENTO VITAE REGULARIS SEU DE PERFECTA VITA COMMUNI.

Praeviae considerationes circa tractandi argumenti gravitatem.

Quantum splendoris et ornamenti catholicae Ecclesiae ex disciplina monastica optime instituta accedat, amplissimis verbis declarat

Tridentina Synodus (1), quemadmodum, contra damna et offendicula propemodum infinita, quae in universam christianam gentem ex Regularium relaxatione promanant, ob oculos ponit.

Hanc ob causam, maximam adhibuit curam, ut Religiosi utriusque sexus digne sua vocatione ambularent, et singulari sollicitudine eorum reformationi providere studuit praecipiens (sess. 25. cap. 1.) « ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad Regulae quam professi sunt, praescriptum, vitam instituant et componant, atque imprimis quae, ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis, et castitatis, ac si quae alia sunt alicuius regulae et ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam necnon ad communem vitam, victum et vestitum conservanda, pertinentia, fideliter observent, omnisque cura et diligentia a superioribus adhibeatur.... ut ab illis non recedatur; cum compertum sit ab eis non posse ea, quae ad substantiam regularis vitae pertinent, relaxari. Si enim illa, quae bases sunt et fundamenta totius regularis disciplinae, exacte non fuerint conservata, totum corruat aedificium necesse est. »

Quod autem inter haec reformationis media pracipuum esse duxerit exactam observantiam vitae communis ex eo satis evincitur, quod secundo eiusdem Sessionis Capite speciali modo illam praescripserit dicens « Nemini igitur Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo acquisita tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur conventuique in corporentur. etc. »

Noverant quippe Sacri Concilii Patres, communitate bonorum florente, coenobia esse pulcherrima viridaria suavissimum honestatis et puritatis odorem perflantia, omnigenarum virtutum esse seminaria atque limpidissimos perennesque fontes, aquas effundentes saluberrimas in vitam aeternam salientes.

Ob similes rationes eamdem vitae normam graviter praecipiunt Pontifices Summi, et omnes cum sacrorum Ordinum institutores, tum disciplinae collapsae reformatores, qui omnium primum bonorum communitatem invexerunt.

In corporum austeritatibus definiendis alii severiores, alii blandiores extiterunt. Verum ad communem vitam quod attinet, summum rigoris apicem aemulati sunt omnes Religionum fundatores optime praecognoscentes, quod hac firmissima basi praejacta, quod superest, aedificium facillime assurgeret. Paupertatem siquidem castitas consequitur, et castitatem obedientia. Votorum antem observantia, ceu arbor foecunda suapte natura caeteros parit regularis disciplinae fructus et difficillimam efficit Regulae et *Constitutionum* violationem.

Si tot tantaque sunt bona quae ab exacta communis vitae observantia profluunt, innumera e contra sunt mala et damna, quae ex culpabili eius transgressione sequuntur.

Quod privatum Regularium peculium, communitati adeo adversum infestumque, venefica radix sit omnium abusuum et relaxationum, vel ex eo constare satis valet, quod sacri canones, ipsaeque Monachales Regulae et Constitutiones omnes in solos quasi proprietarios, ut vocant, tam dira anathematis fulmina iaculent eosque sacra privent sepultura, si ab ha luce proprietarii migraverint. Quae profecto teterrima supplicia, in hoc vitae cursu, omnia maxima et horrenda evincunt, quam immane monstruosumque sit in religiosis viris crimem illud, quod *proprietatis* nuncupatur, quantove in horrore semper illud fuerit toti antiquitati et maioribus nostris, ac universae Ecclesiae omnium maxime detestabile execrandumque. Hinc omni tempore, sed potissimum post Tridentinum Concilium, Romani Pontifices nullum non moverunt lapidem, *ut* collapsam Regularium disciplinam, communem vitam urgendo, instaurarent.

Nec frustra: nam innumerae Congregationes et Provinciae, Apostolicae Sedis cura et vigilantia ad primaevam disciplinam hoc modo conformatae, suavissimum sanctitatis spirant odorem. Quas vero non dedere poenas ea coenobia, quae apostolica Decreta surdis auribus exceperunt, moresque propriae professioni minus consentaneos emendare recusarunt? Nonne futurae successionis intercisa spe, tremendae sterilitatis interdicto mulctatae

(1) Sess. 25 de reform.

fuere? Quod ultimae severitatis supplicium a Clemente VIII primum inflictum successores renovarunt Pontifices, maxime Innocentius XII. Hic sanctissimus Pontifex Constitutionem edidit pro Italia et Insulis adiacentibus, qua illis Regularibus in suum sodalitium recipiendi iuvenes facultatem adimit, qui prius propriae, quam professi sunt, Regulae et Constitutionum et praecipue vitae communis observantiam in suos conventus non invexerint. Et ne fraudi locus pateret ullus, praecepit, ut sacrorum Ordinum Generales, Procuratores et Provinciales testimonium exhiberent Apostolicae Sedi manu propria atque sacro iureiurando munitum, quo affirmarent, in coenobiis, in quibus sacra essent iuvenes veste donandi et professi educandi, leges praefatas observari.

In hoc Decreto diei 18 Iulii anni 1695, quod incipit *Sanctissimus in* CHRISTO *Pater*, Sanctitas Sua declarat, se tunc solummodo licentiam, quam hactenus distulit, in conventibus designatis, recipiendi novitios benigne esse concessurum, cum Sacrae Congregationi de supramemoratis sufficienter constiterit.

Nihil sane hoc Apostolico Decreto validius, nihil salubrius pro disciplinae instauratione. Prospexerat Sanctissimus Pontifex, quam difficile sit inveteratos revellere mores, hominesque ab iis erroribus, quos pene nutricis lacte suxerunt, iisdemque innutritos abducere, et ad meliorem revocare frugem: idcirco divinam aemulatus Providentiam, cuius imaginem in Ecclesiae regimine refert, iis, qui corrigi renuunt, neglectis, ne saltem relaxationis virus in posteros promanaret, praefatam saluberrimam Constitutionem sapientia et prudentia summa refertam condidit, qua cavetur ne candidati regularem disciplinam professuri in ea ingrediantur coenobia, in quibus exacta legum et votorum, praesertim paupertatis, observantia non viget.

Quid plura? Ne temporis decursu aliquam sive *desuetudinem* sive *dissimulationem*, aut *silentium* allegare quispiam posset, peculiarem Congregationem Cardinalium erexit, seu erectam firmavit, ut scilicet Eminentissimi Patres tanquam speculatores domus DEI vigilesque Sanctuarii custodes, sartam tectam monasticam disciplinam tueantur, et adversus gliscentes in dies abusus vocem in tempore exaltent, ut numquam potestatem perpetuandae successionis iis Provinciis faciant, quae ad eam vivendi consuetudinem se conformare nolunt, quam Ipse in sua praefata Constitutione praescripsit ut denique *commentitiae tolerantiae, et chimerici silentii* larvam, qua sese tegere student, urbe et orbe exterminent.

Haec esse illius Congregationis munia, declarat Ipse Summus Pontifex in altera Constitutione, qua ipsam Congregationem erexit, cuius pauca verba subiicere lubet.

« Hinc est, ait Pontifex (1), quod nos prophetici illius moniti memores: *Clama, ne cesses. Quasi tuba exalta vocem tuam*: ut constans, enixaque voluntas nostra incoeptum opus huiusmodi peculiari studio, summaque animi contentione prosequendi magis ac magis omnibus innotescat, omnisque transgressoribus *vano falsoque silentii nostri praetextu* sese excusandi occasio penitus praecidatur, motu proprio praedictam Congregationem Cardinalium et Praelatorum super Disciplina Regulari tenore praesentium approbamus, et quatenus opus sit, etiam perpetuo erigimus et instituimus. Ipsius autem Congregationis facultates sint et esse debeant designandi pro Novitiatibus et Professoriis conventus, monasteria etc....., Decreta tum felicis recordationis Clementis Papae VIII Praedecessoris nostri, super Reformatione Regularium, *potissimum exactae vitae communis* observantiam promovendi, etc...»

Istius Constitutionis mandata exacte, quo ad ipsos attinet, servari semper curarunt EE. Patres; quandoquidem reipsa remissioris disciplinae Regularibus haudquaquam privilegium recipiendi adolescentes concedunt, nisi eorum Provinciales sacro iureiurando scriptis exarato testentur, quod in eorum designatis pro novitiatu et professis educandis coenobiis Regulae, Constitutionum Sedis Apostolicae ac Tridentini Concilii Decretorum floreat observantia.

Quae cum ita se habent, unde factum est, ut in multis Provinciis reformationis monasticae negotium confectum non fuerit? Nonne hoc horrendo periurio Provincialium tribuendum est, qui toties testati sunt, conventus, educandis praesertim professis destinatos, re-

(1) *Debitum pastoralis officii* anni 1698.

formatos fuisse, tametsi non essent? Et nonne Ipse Deus, utut longanimis et clemens, nostris temporibus hoc crimen castigavit?

Quidquid sit, efficacia sua carere non potuisset remedium, quod reparandae disciplinae monasticae praescripserunt Romani Pontifices, scilicet, quod in solis duntaxat conventibus, in quibus, non ad speciem, sed revera instauratae dîsciplinae splendor, et perfectae communitatis observantia in omnium oculis emicant, iuvenes monasticam profiterentur vitam et emissa professione educarentur.

Id exemplo manifesto omnium illarum Provinciarum constat, quae ab integris saeculis leges suas adamussim servant et, perfectae vitae communi assuetae, quae sit particularis, vix possunt intelligere. Quod factum, omnibus pervium, mendacii eos arguit, qui aiunt, haud posse diu durare disciplinae rigorem. Cur ii iuvenes, qui in optime institutis coenobiis educantur, severioris disciplinae iugum alacri fortique animo deferunt? Cur e vestigio qui inter remissioris disciplinae sodales instruuntur, vel ipsum reformationis et observantiae nomen exhorrent? Non sane aliunde quam ab educatione. Haec ergo sit ubique eadem iuxta praescripta Pontificia in perfectae praesertim communis vitae observantia fundata, et confestim eadem morum suavitas, idem sanctitatis fulgor ubique splendebit.

De hac igitur exacta bonorum omnium communitate verba facturi sumus, quia gràvissima est obligatio, qua eiusdem observationi devincti sunt regulares viri, et praesertim filii Divi Francisci. Ea est istius argumenti dignitas atque pondus, ut universa monastica disciplina eodem innitatur, ceu unico fundamento, quo submoto in praeceps ruat necesse est, quo consistente, undique verum assurgit, floret emicatque. Tolle communitatem, et sustulisti Religionem, tolle communitatem, et Religio non est Religio, non status perfectionis, sed status damnationis, ut inquit Peyrinus et vel ipsi benigniores theologi et ascetici.

Non est ergo quod anceps haereat, unde exordium reformationis ducere debeat, regularis disciplinae instaurator. Enimvero in cuiusque collabentis aedificii reparatione nulla securior arripi via potest, quam si fundamenta, quibus est excitatum, reficiantur. Igitur monasticae disciplinae bases perspiciendae sunt, et si laesae fuerint, reparandae. Primum autem, et pene dixerim, unicum istius disciplinae fundamentum illud est, quod posuit ipse Christus, voluntaria nempe paupertas. *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, et da pauperibus.* (Matth. 19.) Quae paupertas in bonorum temporalium communione potissimum elucet, et quo exactior est haec bonorum permixtio, eo est monastica paupertas perfectior. Porro ista omnia evidentius patebunt, si finem in quem universa disciplina monastica refertur, ob oculos paululum reducamus. Is autem alius non est, quam perfectio caritatis, cuius suavissimis vinculis, singuli Religiosi invicem, et omnes Deo devinciuntur. Hanc vero coelestem divinamque cordium agglutinationem terrenarum rerum communio fovet, alit et cumulate perficit. Firmamentum quippe caritatis, inquit Augustinus, est diminutio cupiditatis, et voluntaria divitiarum abdicatio convellit, nedum abscindit cupiditatis radicem. Igitur ut sublime reformationis aedificium consistere, et altius assurgere possit, eius fundamenta instauranda, et inconcussa firmitate roboranda sunt.

Stet proinde reformatorum cuique firma sententia, a rerum exactissima communitate, cuiusque vel minimi peculii vacua, reformationis facinus aggrediendum esse. Hanc ipsam viam inimus, cum devios ab evangelica semita, ad meliorem frugem revocare studemus. Primum scelerum sordes abstergimus, praeceptorumque observantiam inculcamus: deinde ceterarum virtutum exercitia suademus.

Haec est omnium theologorum et asceticorum concors sententia. Brevitatis gratia hic dumtaxat subiiciemus, quae scribit Joannes Nyder (de ref. tract. 2. c. 21.) « Secundum est, ait, ut per ea, quae cadunt sub professione principaliter inchoetur, videlicet per eradicationem vitiorum moralium, et per fundationem trium votorum Religionis principalium, obedientiam, castitatem, et paupertatem voluntariam potissime. Nam ubi rerum pura communitas non servatur, vix spes de profectu reformationis sperari potest. Qua communitate rerum adepta, omnes pene aditus

vitiorum praecludi valent; proprietate vero, vel, ut inquiunt, appropriatis et personalibus rerum relictis, statim omnes fere vitiorum aditus obstrui possunt. »

Accedit, quod nemo valeat hanc reformationem, quae in communis vitae renovatione sita est, cuiusquam austeritatis accusare, cum nihil commodius sit humanae naturae, quam alterius industria et servitute victum et vestitum praesto habere, et quacumque terrenarum rerum cura posita, omnia possidere. Nec ausint eam respuere, velut quippiam maioris perfectionis et decentiae: quoniam manifestum exploratumque est, communitatem bonorum, etsi iuxta nostram sententiam, ad essentiam voti paupertatis non requiratur, eius tamen non tantum esse fulcimentum sine quo vix aut ne vix poterit intactum servari, sed et complementum, in quam scilicet votum paupertatis naturaliter tendit. Advertendum autem praecipue, ex communi consensione et theologorum et canonistarum, vi gravissimi praecepti laudatae communitati devinctos esse Regulares, ita ut in omnium sententia illius observantia necessaria sit ad aeternam salutem assequendam, impedimento naturalis necessitatis sublato, vitae sustentandae: quando videlicet de communi vere necessaria non subministrantur.

Haec omnia apprime noscens supremus Ordinis nostri Moderator, tristi quippe experientia edoctus et summopere sollicitus de tuenda aut instauranda disciplina regulari in universa Familia Seraphica, alteram seriem *Incitamentorum ad omnes Fratres* directam publicari iussit in *Actis* Ordinis nostri, eaque exordiri praecepit a tractatu de Vita Communi, utpote fundamento totius observantiae claustralis. Quapropter, hisce mandatis humiliter obtemperantes, praefatum argumentum pertractandum suscepimus, atque de sequentibus, quae huc spectant, per varia capita, auspice Deo, disseremus:

1. De vita communi ad Scripturarum, Patrum, Conciliorum, Fundatorum Ordinum et Pontificum mentem.

2. De vita communi et peculio Regularium, iuxta mentem theologorum et Regulam Seraphicam.

3. De obligatione, qua Praelati obstringuntur, ad vitam communem in suos conventus introducendam, atque de subditorum reciproco debito, ad eam acceptandam, imo pro viribus procurandam.

4. Religiosorum deposita particularia ad examen vocantur, omnesque cavillationes communi vitae infestae et peculiis faventes dispellantur.

5. De methodo servanda, ut vita communis, ubi viget, conservetur, et ubi deest, valeat introduci.

(Continuabitur.)

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1884 celebrata

XXIV

Obs. Provinciae Chilenae.

Die I Septembris anni currentis, rite celebratum est Capitulum Provinciae SS. Trinitatis in Republica Chilena, in Conventu civitatis Sancti Jacobi de Chile ad B. Virginem de Succursu, praesidente Adm. R. P. Stanislao Maria Leonetti, Visitatore et Commissario Generali. Electi sunt:

Minister Provincialis:

Adm. R. P. Virginius Tabasso.

Custos:

R. P. Augustinus Celis.

Definitores:

R. P. Raymundus Carrera.
R. P. Bernardus Avaca.
R. P. Angelus Custos Polanco.
R. P. Franciscus Uribe.

XXV

ELECTIO

Vicarii Provincialis Ref. Provinciae Marchiae.

Ob mortem A. R. P. Danielis ab Aesio, Ministri Provincialis Ref. Provinciae Marchiae in Congressu Definitoriali die 30 Septembris habito sub praesidentia A. R. P. Wenceslai ab Aesio, ex-Procuratoris Generalis, rite electus est Vicarius Provincialis A. R. P. Faustinus de Apiniano, S. Theol. Lector Emer.

FRUCTUS MISSIONUM

Per Patres Ref. Provinciae S. Stephani reg. in Transsylvania, a Capitulo Provinciali an. 1883 usque ad primam intermediam Congreg. an. 1884 celebratam, auxiliante Deo, comportati.

Infantes e christianis parentibus baptizati	»	708
Sacramentum poenitentiae administratum sanis	»	31,950
» infirmis	»	1,767
Sacramentum Eucharistiae administr. sanis et infirmis.	»	29,265
» infirmis per mod. viatici.	»	665
Sacramentum extremae unctionis administratum	»	726
Adsistentia matrimonialiter copulatis	»	145
Conciones productae	»	1,511
Catecheses	»	2,499
Sepulturae mandati	»	335
Juvenes in scholis nostris vel instructi vel catechisati.	»	1,633
CONVERSI:		
E Calvinismo	»	8
E Lutheranismo	»	1
E Schismate	»	—
Ex arianismo	»	—
E Judaismo	»	1
Fideles in administraturis nostrae curae commissi	»	11,091

Signatum Mediae die 29 Julii, anno 1884.

Fr. POLYCARPUS LÀSZLÓ
p. t. Minister Provlis.

—

ELENCHUS (1)

Monasteriorum II et III Ordinis Seraphici
IN HISPANICA DITIONE ANNO 1884 EXISTENTIUM

Petitis a singulis locorum Ordinariis ex Hispania informationibus, hunc elenchum delineavimus, et per dioeceses monasteria enumeravimus, adiecta provinciae civilis designatione.

Pro singulis monasteriis expressimus:

1. Locum seu civitatem in qua inveniuntur, in lingua quidem vulgari, ut facilius agnoscantur;

2. Proprias uniuscuiusque Regulas, quas brevitatis causa ita indicamus:

Clar. pro Clarissis, sive primaevam S. Clarae Regulam, sive secundam ab Urbano IV mitigatam observent; (2)

Capuc. pro Capuccinis, quae primaevam S. Clarae Regulam profitentur cum constitutionibus a Patribus Capuccinis exaratis;

Concep. pro Conceptionistis, seu Monialibus a B. Beatrice de Sylva fundatis, inter quas emicuit V. Maria Agreda;

Francisc. pro Franciscanis seu Sororibus Tertii Ordinis Regularis, in communitate degentibus, plerumque sine clausura, et operibus misericordiae addictis.

3. Titulum Monasterii in lingua pariter vernacula.

4. Numerum tandem Monialium Professarum et Novitiarum.

Ex quibusdam dioecesibus, ut infra videbitur, omnia haec argumenta habere non potuimus; attamen ex indirectis informationibus coenobiorum nomina citare sategimus.

ARCHIDIOECESIS TOLETAN.
(Provincia civilis *Toledo.*)

			Professae	Novitiae
Toledo.	Clar.	S. Isabel de los Reyes.	24	2
»	Clar.	S. Clara.	14	
»	Clar.	S. Antonio.	18	1
»	Capuc.	Purisima Concep.	20	3
»	Concep.	(1) Immaculada Concepcion.	13	2
»	Concep.	S. Ana (2).	12	1
»	Franc.	S. Juan Bautista.	13	1
Madrilejos.	Clar.	S. Ana.	17	
Ocaña.	Clar.	Ntra Sra de la Asuncion.	21	
Puebla de Montalban.	Concep.	Purisima Concep.	13	

(1) Similem elenchum iam *Acta* publicarunt pro Hollandia, cfr. Ann. I pag. 71; — pro Belgio et Anglia, ibid. pag. 120; — pro Gallia, Ann. II, pag. 11 et 49; — pro America septentrionali, ibid. p. 99, — pro Veneta Provincia, pag. 67, — et Prov. Tyrolensi S. Leopoldi pag. 68.

(2) Maior pars Clarissarum in Hispania primam S. Clarae Regulam profitentur et *Descalzas* vel *Recoletas* vulgo nuncupantur; aliae *Urbanistas* vel *Franciscas* nomen habent. Notandum tamen est nomine *Franciscas* aliquando designari generatim omnes Ordinis S. Francisci Moniales tam II quam III Ordinis Regularis.

(1) Monasterium hoc Toletanum primum fuit et ideo caput nuncupatur Ordinis Conceptionistarum.

(2) Haec communitas praecedenti adiuncta est in eodem Coenobio.

Talavera.	Concep.	La Madre de Dios.	16	
Escalona.	Concep.	La Encarnacion.	9	
Torrijos.		S.ta Catalina.	9	2
Illescas.	Franc.	La Madre di Dios.	8	1
Fuensalida.	Franc.	El Espiritu Santo.	12	1

(Provincia *Madrid.*)

Madrid.	Clar.	Descalzas reales.	17	2
»	Clar.	La Concepcion y S. Pascual.	27	4
»	Clar.	La Encarnacion (vulgo de Costantinopla)	17	1
»	Concep.	(3) (vulgo del Caballero de gracia).	17	
»	Concep.	(Vulgo Las Latinas).	21	1
»	Capuc.	Immaculada Concepcion.	32	1
»	Franc.	La Divina Pastora.	29	18
Alcala.	Clar.	S. Clara.	17	
»	Concep.	S. Ursola.	22	1
»	Franc.	S. Juan de la Penitencia.	14	1
Ciempozuelos.	Clar.	S. Juan Evangelista.	20	
Chinchon.	Clar.	Immac. Concep.	14	
Valdemoro.	Clar.	La Encarnacion.	24	1
Pinto.	Capuc.	La Asuncion.	22	2
Aranjuez.	Concep.	S. Pascual.	42	
Torrelaguna.	Concep.	Pur. Concep. y S. Jose.	21	
Griñon.	Franc.	La Encarnacion.	12	1
Santa Juana de Cubas.	Franc.	S. Maria de la Cruz.	12	

(Provincia *Albacete.*

Villarobledo.	Clar.	S. Iuan de la Penitencia.	18	1
Alcaraz-Ciudad.	Concep.	S. Magdalena.	12	

(Provincia *Badajoz.*)

Sirnela.	Concep.	S. Francisco.	9	
Puebla de Alcocer.	Concep.	La Visitacion.	17	1

(Provincia *Guadalajara.*)

Guadalajara.	Clar.	S. Clara.	17	2
»	Concep.	SS. Trinidad.	42	3
Almona eid ed Zurita.	Concep.	Puriss. Concep.	19	
Pastrana.	Concep.	Puriss. Concep.	20	3

DIOECESIS CIVITATEN. (Prov. *Ciudad Real*).

Ciudad Real.	Clar.
Alcazar de S. Juan.	Clar.
Manzanares.	Clar.
Membrilla.	Clar.
Viso del Marquės.	Clar.

DIOECESIS CONCHEN. (Prov. *Cuenca.*)

Cuenca.	Clar.
Sisante.	Clar.
Belmonte.	Clar.

(3) Quum proprium amiserit coenobium, haec communitas vivit apud Descalzas reales in civitate Matritensi.

Villa nueva de Infantes.	Clar.
San Clemente.	Clar.
Priego.	Clar.
Villa de la Jara,	Clar.
Alcocer (Prov. Guadalajara).	Clar.

DIOECESIS CORIEN. (Prov. *Caceres.*)

Coria.	Clar.
Caceres.	Clar.
»	Clar.
Ceclavin.	Clar.

DIOECESIS PLACENTIN. (Prov. *Caceres*)

Plasencia.	Capuc.		16	
»	Francis.	S. Ildefonso de S. Isabel.	19	
Trujillo.	Clar.	San Francisco el real.	25	
	Concep.,	Santa Clara.	16	1

DIOECESIS SEGUNTIN. (Prov. *Guadalajara*)

Siguenza.	Clar.	Santiago.	20	
Molina.	Clar.	S. Clara.	26	1
Cifuentes.	Clar.	N. S. de Belen.	13	5

(Provincia *Soria*)

Medinaceli.	Clar.	S. Clara.	17	1
Almazan.	Clar.	S. Clara.	15	
Berlanga.	Concep.	La Purissima Concepcion.	12	

(Provincia *Segovia*)

Ayllon.	Concep.	La Purima Concepcion.	12	2

ARCHID. TARRACONEN. (Prov. *Tarragona*)

Tarragona.	Clar.	Sta Clara de Asis.	40	
Montblanch.	Clar.	Ntra Sra llamada de la Sierva.	26	3
Reus.	Franc.	Ntra Sra de la Providencia.	20	1

DIOECESIS BARCINONEN. (Prov. *Barcelona*)

Villa de Gracia.	Clar.	El Niño perdido.	20	
» »	Franc.	Ntra Sra Divina Providencia.	31	2
Sarria	Clar.	Asuncion de la Virgen.	35	2
»	Franc.	Sta Isabel.	28	2
Barcelona.	Franc.	Ntra Señora de la Misericordia.	26	
»	Franc.		10	8
»	Franc	Ntra Sra de la Divina Pastora.	22	11
S. Gervasio de Casolas.	Capuc.	Sta Margarita.	31	
Mataro.	Capuc.	Santa Maria.	23	5
Mataro	Franc.	Ntra Sra div. Providencia.	23	1
Badalona.	Franc.	div. Providencia Ntra Sra de la div. Providencia.	25	
»	Franc.		10	
Villanueva.	Franc.	div. Providencia Ntra Sra de la div. Providencia.	23	1

Garriga. Franc. 10
Hospitalet. Franc. 8
S. Felin de Llobregat. Franc. 8
S. Cucufate del Valles. Franc. 7
S. Juan de Vilasar. Franc. 8
Pueblo Nuevo Franc. 10
Vallirana. Franc. 8
Argentona. Franc. 7
Capellades. Franc. Ntra Sra de la Divina Pastora 12
Piera. Franc. Item. 8
Pla del Panades. Franc. Item. 6
S. Pedro de Ribas. Franc. Item. 7

DIOECESIS GERUNDEN. (Prov. *Gerona*)

Salt. Clar. Santa Clara. 12 1
Castello de Ampurias. Clar. Santa Clara. 15
Bañolas Franc. Divina Provid. 29 1
Figueras. Franc. Item. 33
Torroella de Montgri. Franc. Item. 16 3

DIOECESIS ILLERDEN. (Prov. *Lerida*)

Lerida. Clar. Immaculada Concepcion. 24

(Provincia *Huesca*)

Monzon. Clar. S. Esteban. 17

DIOECESIS DERTHUSEN. (Prov. *Tarragona*)

Tortosa. Clar. Virgen de las Nieves. 36
» Concep. Purissima. 23

(Provincia *Castellon*)

Castellon. Capuc. Preciosisima Sangre. 27
Onda. Clar. Purisima. 21 2
Villareal. Clar. Virgen del Rosario. 24 2
Viñaroz. Franc. Providencia. 19 1

DIOECESIS VINCEN. (Prov. *Barcelona*)

Igualada. Franc. Div. Pastora. 7 4
San Quirico de Besora. Franc. Div. Pastora. 8

DIOECESIS URGELLEN. (Prov. *Lerida*)

Balaguer. Clar. SSmo Cristo. 24 2

ARCHID. BURGEN. (Prov. *Burgos*)

Burgos. Clar. Sta Clara. 16
» Concep. S. Luis Rey. 15
Belorado. Clar. Sta Clara. 13
Briviesca. Clar. Sta Clara. 14
Castil de Lences. Clar. Sta Clara. 14
Castrojeriz. Concep. Sta Clara. 14 1
Lerma. Clar. Ascens. de N. S. J. 17 3
Medina de Pomar. Clar. Sta Clara. 16
Nofuentes. Clar. Sta M. de Rivas. 15
S. Martin de Don. Clar. Sta Clara. 17
Vivar del Cid. Franc. Ntra Sra del Espino. 13 1

DIOECESIS CALAGURITAN. (Prov. *Logrono*)

Arnedo. Clar.
Entrena. Clar.
Logroño. Clar.
Nágera. Clar.

DIOECESIS LEGIONEN. (Prov. *Leon*)

Cuenca de Campos. Clar.
Leon. Clar.
» Concep.

(Provincia *Valladolid*)

Villafrechos. Clar.

(Provincia *Zamora*)

Villalobos. Clar.
Villapando. Clar.

DIOECESIS BURGENSIS DE OSMA. (Prov. *Soria*)

Soria. Clar.
Peña de Duero (Prov. *Burgos*) Concep.

DIOECESIS PALENTIN. (Prov. *Palencia*)

Palencia. Clar. Ntra Sra de la Asuncion. 22
Astudillo. Clar. Sta Clara. 14 1
Aguilar de Campos. Clar. Sta Clara. 16
Calabazanos. Clar. Ntra Sra de la Consolacion. 13
Carrion de los Condes. Clar. Sta Clara. 15 1

(Provincia *Valladolid*)

Medina de Rioseco. Clar. La Pur. Concepcion. 7
Peñafiel. Clar. La Encarnacion. 12

DIOECESIS VICTORIEN. (Prov. *Burgos*)

Villasana. Concep. La Purisima Concep. 20 4

(Provincia *Santander*)

La Canal. Concep. La Pur. Concep. 16 3
Castro Urdiales. Clar. Santa Clara. 19
Escalante. Clar. Santa Clara. 26 4
Santillana. Clar. Santa Clara. 13

DIOECESIS VICTORIEN. (Prov. *Viscaya*)

Abando. Concep. Pur. Concep. 25 2
Begoña. Clar. Santa Cruz. 15
» Clar. Santa Clara. 18 1
Durango. Clar. San Antonio. 32 2
Luno (Guernica) Clar. Santa Clara. 20
Molinar (Gordejuela. Clar. Santa Isabel. 19 4
Orduña. Clar. Santa Clara. 20 1
Portugalete. Clar. Santa Clara. 13 2
Valmaseda. Clar. Santa Clara. 18
Villaro. Clar. Santa Isabel. 14 4

(Provincia *Alava*)

Alegria. Clar. S. Clara. 20 1
Salvatierra. Clar. San Pedro. 15 1
Vitoria. Clar. Santa Clara. 28 1

(Provincia *Guipuzcoa*)

Azcoitia Clar. Santa Clara. 26 1
Azpeitia. Franc. Purisima Concep. 31 1
Eibar (Isasi) Concep. Purisima Concep. 24
Elgoibar. Clar. Santa Clara. 20
Mondragon. Concep. Purisima Concep. 23
Oñate (Vidaurreta) Clar. Santisima Trinidad. 23 3
Oñate. Franc. Santa Ana. 24 2

San Sebastian.	Concep.	Jesu, Maria y Josè (de Loyola).	21	3
Segura.	Concep.	Purisima Concep.	24	
Tolosa.	Clar.	Santa Clara	23	5
Vergara.	Franc.	Santisima Trinidad.	23	3
Zarauz.	Clar.	Santa Clara.	21	

Archidioecesis Granaten. (Prov. *Granada*)

Granada.	Clar.	Santa Isabel de Ungria.	17	5
»	Clar.	Sta Inès Martir.	32	4
»	Clar.	Ntra Sra de los Angeles.	18	2
»	Clar.	La Encarnacion.	15	1
»	Clar.	Sto Angel Custodio.	14	1
»	Franc.	Immaculada Concepcion.	13	3
Loja.	Clar.	Santa Clara.	9	2
Alhama.	Clar.	Immaculada Concepcion.	19	

Dioecesis Carthaginen. (Prov. *Murcia*)

Cartagena.	Clar.	
Murcia.	Clar.	Recoletas.
»	Clar.	Urbanistas.
»	Francisc.	(Tres Conventus).
Cieza.	Clar.	
Lorca.	Clar.	
Mula.	Clar.	

(Provincia *Albacete*)

Hellin.	Clar.

Dioecesis Almerien. (Prov. *Almeria.*)

Almeria.	Clar.	Santa Clara.	6	1
»	Concep.	Purisima Concepcion.	24	3

Dioecesis Guadicen. (Prov. *Granada.*)

Guadix.	Clar:	San Francisco.	19
»	Concep.	San Francisco.	11

Dioecesis Ginnen. (Prov. *Jaen.*)

Andujar	Capuc.	El dulce Nombre de Jesus	21	1
Alcandete	Clar.	Santa Clara.	12	2
»	Franc.	Iesus y Maria.	12	1
Baeza	Clar	Sant. Antonio.	9	
»	Clar	Santa Catalina.	12	
Jaen.	Concep.	Santa Clara.	10	2
»	Clar.	La Concepcion (Bernardas)	13	
Martos.	Clar.	Santa Cruz.	15	1
Ubeda.	Clar.	Santa Clara.	12	2

Dioecesis Malacitan. (Prov. *Malaga.*)

Antequera.	Clar.	Sta Clara de Belen.	11
Ronda.	Clar.	Sta Isabel de los Angeles.	6
»	Clar.	Patrocinio de San José.	11
Velez-Malaga.	Clar.	N. S. de Gracia.	21
Malaga.	Clar.	Sta Clara.	20
»	Clar.	SS. Trinidad.	15
»	Capuc.		30
»	Concep.	Augustinas.	9

Archidioec. Compostellan. (Prov. *Coruna.*)

Santiago de Compostela.	Clar.
Coruña.	Clar.
»	Capuc.
Pontevedra (Prov. *Pontevedra*).	Clar.

Dioecesis Lucen. (Prov. *Lugo.*)

Monforte de Lemus.	Clar.	Immaculada Concep.	14

Dioecesis Mindonien. (Prov. *Lugo.*)

Mondoñedo (Ciudad).	Concep.	Purisima Concep.	9	
Rivadeo-Villa	Clar.	Santa Clara.	10	3
Vivero-Villa.	Concep.	Purisima Concep.	13	

Dioecesis Aurien. (Prov. *Orense.*)

Albariz.	Clar.	Santa Clara.	15	1

Dioecesis Oveten. (Prov. *Oviedo.*)

Villaviciosa.	Clar.	Immaculada Concepcion.	20

(Provincia *Zamora.*)

Benavente.	Clar.	Santa Clara.	20

Dioesesis Tuden. (Prov. *Pontevedra.*)

Tuy.	Franc.	Immaculada Concepcion.	14	1

Archid. Caesaraugustan. (Prov. *Zaragoza.*)

Zaragoza.	Clar.	Sta Maria de Jerusalen.	25	3
»	Clar.	Sta Catalina.	19	1
»	Franc.	Ntra Sra de Altabas.	19	1
Alagon.	Concep.	Purisima Concepcion.	23	
Eclza.	Clar.	Santa Espina.	21	1
Epila.	Clar.	Purisima Concepcion.	9	
Tauste.	Clar.	Santa Clara.	26	1

(Provincia *Teruel.*)

Baguena.	Clar.		25	1
Calamocha.	Concep.	Pur. Concep.	25	3
Cuevas de Cañar.	Concep.	Pur. Concep.	26	

Dioecesis Oscen. (Prov. *Huesca.*)

Huesca.	Clar.	Santa Clara.	23	2
»	Capuc.	Ntra Sra del Pilar.	25	1

Dioecesis Jacen. (Prov. *Huesca.*)

In hac dioecesi nullum adest Monasterium Ordinis.

Dioecesis Pampilonen. (Prov. *Navarra.*)

Los-Arcos.	Concep.	S. Francisco de Asis.	19	1
Arizcun.	Clar.	Ntra Sra de los Angeles.	27	3
Estella.	Clar.	Sta Clara de Asis.	22	
»	Clar.	La Conversion de S. Pablo.	23	1
Olite.	Clar.	Sta Engracia.	20	3
Tafalla.	Clar.	Purisima Concepcion.	25	1

Dioecesis Tirasonen. (Prov. *Zaragoza.*)

Tarazona.	Concep.	La Purisima Concep.	23	1
Miedes.	Concep.	S. Blas, Obispo y Mart.	19	2
Borjas.	Clar.	S. Sebastian Mart.	14	1
»	Concep.	S. Miguel y S. Gabriel.	20	
Calatayud.	Clar.	San Lorenzo Mart.	19	
»	Capuc.			

(Provincia *Soria.*)

Agreda.	Concep.	La Pur. Concepcion.	20	1

(Provincia *Logrono.*)

Alfaro.	Concep.	La Purisima Concepcion.	16	2

(Provincia *Navarra.*)

Tudela.	Clar.	Sta Clara.	21	1
»	Capuc.	La Purisima Concepcion y S. Corazon de Jesus.	21	

DIOECESISE TRULEN. ET ALBARACINEN. (Prov. *Teruel.*)

Teruel	Clar.	Santa Catalina.	22	1
Gea de Albaracin.	Capuc.	Ntra Señora de Dolores.	24	

ARCHIDIOECESIS VALLISOLETAN. (Prov. *Valladolid.*)

Valladolid.	Clar.	Asuncion de la Madre de Dios (*Vulgo* Descalzas Reales).	17	3
»	Clar.	Santa Clara.	11	4
»	Clar.	Jesus-Maria.	9	6
»	Concep.	Purisima Concep.	8	
»	Franc.	Santa Isabel.	14	2
Nava del Rey.	Clar.	Sagrados Coraçones (Vulgo Capuchinas).	25	
Fuensaldaña.	Concep.	Purisima Concep.	10	2
Medina del Campo.	Franc.	Santa Isabel.	18	1
Tordesillas.	Clar.	Santa Clara.	20	1

DIOECESIS ASTORICEN. (Prov. *Leon.*)

Astorga.	Clar.	Santa Clara.	14	1
»	Franc.	Santi Spiritus.	16	2
Ponferrada.	Concep.	P. Concep.	21	
Villafranca del Vierzo.	Clar.	Anunciada.	27	2

DIOECESIS ABULEN. (Prov. *Avila.*)

Avila.	Clar.	Sta Maria de Jesus.	23	1
»	Concep.	Purisima Concepcion.	14	
Arevalo.	Franc.	Sta Isabel Reina de Ungria.	14	

(Provincia *Valladolid.*)

Olmedo.	Franc.	Sta Isabel de Jesus.	19	2
»	Franc.	Purisima Concepcion.	19	3

(Provincia *Toledo.*)

Oropesa.	Concep.	S. Francisco de Asis.	6

(Provincia *Segovia.*)

Rapariegos.	Clar.	Sta Clara.	8

DIOEC. SALMANTIN. ET CIVITATEN. (Prov. *Salamanca.*)

Salamanca.	Clar.	Pur. Concep.	22	1
»	Clar.	Sta Clara.	11	
»	Clar.	Corpus CHRISTI	12	5
»	Clar.	Madre de Dios.	15	1
»	Clar.	Anunciacion de Ntra Sra.	8	1
»	Clar.	Sta Isabel.	11	1
Zarzoso.	Clar.	Ntra Señora de Porta Coeli.	18	
Alba de Tormes.	Clar.	Ntra Sa de la Visitacion.	16	
Ciudad-Rodrigo (Civitaten.)	Clar.	S. Isidoro.	3	

DIOECESIS SEGOBIEN. (Prov. *Segovia.*)

Segovia.	Clar. (4. Monasteria).
Cuellar.	Clar. 2. Monasteria).
El Espinar.	Clar.
San Ildefonso.	Clar.
Villacastin.	Clar.

DIOECESIS ZAMOREN. (Prov. *Zamora.*)

Zamora.	Clar.	Corpus Christi.	25	
»	Clar.	Item.	15	1
»	Clar.	Santa Marina.	15	
»	Concep.	Purisima Concepcion.	10	
Toro.	Clar.	Item.	18	3

ARCHID. HISPALEN. (Prov. *Sevilla.*)

Alcala de Guadaira.	Clar.	Sta Clara.	16	1
Arcos de la Frontera.	Concep.	Sta Maria de la Encarnacion.	18	
Bornos.	Clar.	Corpus *Christi.*	5	3
Carmona.	Clar.	Sta Clara.	8	1
»	Concep.	Pur. Concep.	13	
Constantina.	Clar.	Sta Clara.	6	
Ecija.	Clar.	Sta Iñes.	14	
»	Concep.	Pur. Concep.	16	3
Estepa.	Clar.	Sta Clara de Jesus.	6	3
Jerez de la Frontera.	Clar.	Madre de Dios.	30	
»	Clar.	San José.	15	
Lebrija.	Concep.	Pur. Concep.	9	
Marchena.	Clar.	Pur. Concep.	9	2
»	Clar.	Santa Clara.	19	5
Moguer.	Clar.	Santa Clara.	7	
Moron de la Frontera.	Clar.	Santa Clara.	24	1
Osuna.	Clar.	Santa Clara.	7	3
»	Concep.	Pur. Concep.	17	1
Puerto de Sta Maria.	Capuc.	S. Miguel.	31	
»	Concep.	Pur. Concep.	16	
Sanlucar de Barrameda.	Clar.	Regina Coeli.	17	4
Utrera.	Clar.	Santa Clara.	8	
Villamartin.	Concep.	Pur. Concep.	19	4
Sevilla.	Clar.	Sta Ma de Jesus	19	2
»	Clar.	Santa Clara.	21	3
»	Clar.	Sta Iñes.	31	1
»	Capuc.	Sta Rosalia.	28	2
»	Concep.	Sta Maria del Socorro.	17	3
»	Franc.	Poço Santo	20	3

DIOECESIS BADACEN. (Prov. *Badajoz*)

Badajoz.	Clar.	Urbanistas.
»	Clar.	Sta Ana.
Jerez de los Caballeros.	Clar.	Descalzas.
»	Clar.	S. Francisco de Asis.
La Parra.	Clar.	S. Francisco.
Zafra.	Clar.	
Almendralejo.	Clar.	
Llerena.	Clar.	
Merida.	Clar.	

Montijo.	Clar.			
Legura de Leon	Clar.			
Velencia del Ventoso.	Concep.			

Dioecesis Gaditan. (Prov. *Cadiz.*)

Cadiz.	Concep.	Delcalzas.	27	2
»	Concep.	Calzadas Sra Maria.	21	1
Alcala de los Gazules.	Clar.	Sta Clara y Pur. Concep.	17	1

Dioecesis Corduben. (Prov. *Cordoba.*)

Cordoba.	Clar.	Santa Cruz.	26	
»	Clar.	Santa Isabel de los Angelis.	25	1
»	Capuc.	San Rafael Arc.	21	1
Montilla.	Clar.	Santa Clara.	23	1
Lucena.	Clar.	S. Lud. Obispo	21	4
Palma del Rio.	Clar.	Asuncion.	15	
Cabeza del Buey.	Concep.		8	
Belarcazar.	Clar.	la S. Columna.	23	1
Pedroches.	Concep.	Concepcion.	4	
Hinosaia.	Concep.	Concepcion.	26	1

Dioecesis Canarien. (*Canarias*).

Tenerife. Clar.

Archid. Valentinen. (Prov. *Valencia.*)

Valencia.	Clar. (3 Communitates.)
»	Capuc.
Gandia.	Clar.
Jativa.	Clar.
Oliva.	Clar.
Buzafa.	Clar.
Consentaina (Prov. Alicante.	Clar.

Dioecesis Maioren. (*Baleares*).

Palma.	Clar.
»	Capuc.
»	Concep.
Sineu.	Concep.

Dioecesis Minorcen. (*Baleares*).

Ciudadela.	Clar.
Mahon.	Concep.

Archidi. Oriolen. (Prov. *Alicante.*)

Orihuela.	Clar.	S. Juan.	18	1
Elche.	Clar.	Encarnacion.	19	2
Huerta de Alicante.	Clar.	Sma Trinitad	28	4
Alicante.	Capuc.	Smo Sacramento.	24	2

Dioecesis Segobricen. (Prov. *Castellon de la Plana.*)

In haec diocesi Segorbe nullum invenitur hodie nostri Ordinis Monasterium, quamvis adsint plures Tertii Ordinis saecularis Congregationes.

Dioecesis Maniliae. (In insulis Philippinis.)

Manila. Clar. Concepcion Immaculada 34 1

Dioecesis Habana.

Habana. Clar. (1) Santissimo Sacramento 44

SUMMARIUM.

Ex elencho praecedenti comperimus in Regni Catholici ditione, nonobstante civili suppressione anni 1836, adhuc inveniri:

Clarissarum monasteria.	227
Conceptionistarum.	69
Capucinarum.	18
Tertii Ordinis Regularis.	52
Simul	366

Ex his Conventibus, 250 sunt, qui Monialium numerum transmiserunt, et in eisdem reperiuntur 5236 professae, atque 343 Novitiae; simul 5579 Sorores scilicet 15 per Monasterium, si medius sumatur numerus.

Si huic numero adiungatur numerus saltem medius Sororum, caetera 116 Coenobia remanentia inhabitantium, *ultra septem millia* Monialium pervenietur.

—

STATUS

NOSTRI ORDINIS (2).

Tempore ultimi Capituli Generalis anno 1862 celebrati, Ordo noster numerabat ultra 21000 Religiosos. Iste numerus per suppressionem multarum Provinciarum valde diminutus est.

Quamquam omnium Provinciarum completas et accuratas notitias de statu personali non habeamus, — desunt enim notitiae decem Provinciarum praesertim ex Observantibus, — tamen notitias quas habemus, publicamus sperantes fore, ut suo tempore statum magis accuratum exhibere valeamus.

Die 31 Decembris 1883.

RELIGIOSI VIVENTES

	Patres.	*Clerici.*	*Laici.*	*Universim*
Observantes	3225	569	1573	5367
Reformati	3622	549	2134	6305
Discalceati	461	129	365	955
Recollecti	626	230	442	1298
Universim	7934	1477	4514	13925

(1) In hoc monasterio adsunt 5 Sorores Monasterii Clarissarum Carthaginensis, et 5 Monasterii Venezuelae quae apud Sorores Habanenses refugium post violentam e propriis coenobiis electionem, invenerunt

(2) Anno elapso in Ordine Minorum Capuccinorum vivebant 7722 Religiosi, et in Ordine Minorum Conventualium anno 1882, Religiosi 1345.

Confecto iam praecedenti statu, ex Hispania accipimus statum quinque Provinciarum Observantium, in quibus degunt Religiosi 601. Ergo summa totalis hucusque habita 14526 (1).

Anno 1883 S. Presbyteratus Ordine initiati: Observantes 43, Reformati 56, Discalceati 9, Recollecti 20, universim 128.

RELIGIOSI ANNO 1883 DEFUNCTI

	Patres.	*Clerici.*	*Laici.*	*Universim*
Observantes	20	5	35	130
Reformati	100	3	55	158
Discalceati	14	4	5	23
Recollecti	17	2	7	26
Universim	221	14	102	337

III.

MISSIONES

E Republica Argentina

Ex epistola diei 4 Novembris proxime elapsi notitias habuimus de hostili agendi ratione huius Reipublicae contra Sanctam Sedem, cuius Delegatus Apostolicus, Excellentissimus D. Aloysius Matera, in exsilium eiectus fuit die 13 Octobris vertentis anni, concesso eidem praelaudato Praelato, ut e Reipublicae finibus exiret, unius tantum diei spatio.

Tanto scelere patrato, haud quievit civile Gubernium, sed contra Illmum et Rmum P. Bonaventuram Risso Patron, Episcopum Saltensemet Ordinis nostri alumnum, (1) sacrilega molimina attentare atque die 3 Novembris impiam *suspensionem* adversus legitimum Pastorem duosque alios sacerdotes statuere non erubuit. Huius nefandi Decreti, spiritualia Ecclesiae iura impudenter violantis, tenorem hic tradimus:

Buenos Aires, Noviembre 3 de 1884.

Considerando:

Que el Obispo de la Diòcesis de Salta, Fray Buenaventura Risso Patron, ha publicado una Pastoral atentatoria á las instituciones y á las leyes de la Nacion, incitando á desconocerlas, con menoscabo de su soberanìa y detrimento de sus autoridades, produciendo conflictos en la sociedad, en la familia, perturbando la conciencia pùblica y estableciendo incompatibilidades entre el cumplimiento de los deberes de los ciudadanos en su calidad de tales y el de los fieles como pertenecientes á la comunion católica;

Que el Obispo mencionado ha hecho uso indebido de sus facultades como Gobernador de la Diócesis, abusando de su autoridad espiritual para contrariar los mas legìtimos propósitos de los Poderes del Estado é imponiendo penas, tales como la privacion de sacramentos, cuya gravedad no puede ser desconocida, por lo cual deben ser consideradas como medios coercitivos para producir actos de verdadera rebelion;

Que tales procederes son manifiestamente contrarios á la tranquilidad y al órden en la Repùblica

Que en falta análoga han incurrido los Vicarios Foráneos de Santiago y de Jujuy, Don Rainerio J. Lugones y D. Emeterio Cau, y:

Atento la dictaminado por el Procurador General de la Nacion.

El Presidente de la Repùblica en Acuerdo General de Ministros

Decreta:

Art. 1. Queda suspendido el Rmo. Obispo de Salta, Fray Buenaventura Risso Patron, de la administracion y jurisdiccion que ejercia en el territorio de la Diócesis, conferidas por el Estado al presentarlo á Su Santidad y al acordar el pase á la Bula de Insti; tucion por decreto de Noviembre 23 de 1860.

Art. 2. Quedan separados del puesto que desempeñaban los Vicarios Foràneos de Santiago del Estero y de Jujuy.

Art. 3. Remítase cópia de los documentos respectivos á los Fiscales Nacionales de Salta, de Jujuy y de Santiago del Estero, á fin de que entablen ante el Juez Federal del distrito la accion que corresponde, contra S. S. I. el señor Obispo de Salta Fray Buenaventura Risso Patron, el Vicario Foráneo de Jujuy D. Demetrio Cau y el de Santiago D. Rainerio J. Lugones.

Art. 4. Comuniquese, etc.

ROCA — E. Wilde - B. de Irigoyen - V. de la Plaza - Francisco J. Ortiz - Joaquin Viejobueno.

Timendum est ne latius effervescat persecutio coeterosque huius infelicis Nationis Episcopos insectetur. Rogemus ut egregium confratrem Episcopum Saltensem Deus adiuvet ac confortetur in divinis Ecclesiae iuribus vindicandis.

(1) Ordo noster nunc probabiliter habet circa 15000 Fratres viventes.

(2) Cfr. catalogum Episcoporum Ordinis Anno I *Actorum* pag. 25. Rmus Episcopus Saltensis anno 1811 natus est et die 13 Julii 1860 episcopus Saltensis electus.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

MONITA

Rogantur Ordinis nostri scriptores ut ad Curiam Aracoelitanam transmitti curent operum suorum in *Actis* annuntiandorum duo exemplaria, quorum alterum in Archivio remanebit, alterum vero bibliothecae novi Collegii generalis adscribetur.

Hortamur quoque Confratres, ut ad nos eodem numero transmitti satagant aliorum scriptorum etiam saecularium opera edita, *ad Ordinem spectantia,* dummodo fidei catholicae et historiae veritati sint consona, et haec volumina in *Actis* pariter annuntiari curabimus.

—

1883. GESCHIEDENIS van den Eerdienst van het h. Sacrament in België door den E. P. Stephanus Schoutens Minderbroeder-Recollect (Recoll. Prov. Belgii). Antwerpen, Drukkerij Vanos-Dewolf, Beurzestraat ii.

Liber agit de devotione erga SS. Sacramentum in Belgio.

1884. GEDENKBUCH der St. Franciscus-Seraphicus-Gemeinde in Cincinnati, O., Festgabe zur 25 jährigen Jubelfeier der Consecration der St. Franciscus-Seraphicus-Kirche, 1859. 18-Dez.-1884. Cincinnati, Ohio: Druck von Mecklenborg et Rosenthal, 203 Vine-Strasse. 8° 288 Seiten.

1884. Eenige bladzijden uit de GESCHIEDENIS VAN HET KLOOSTER der EE. PP. Minderbroeders-Recollecten, te THIELT, door P. Fr. Adolphus Van Puymbrouck Minderbroeder-Recollect. (Recoll. Prov. Belgii).

Continet historiam Conventus Thiletani ad S. Crucem.

1884. DER SERAPHISCHE FÜHRER, ein Handbuch für die Mitglieder des dritten Ordens des hl. Franziskus: nach den neuesten Bestimmungen des hl. Vaters Papst Leo XIII, von einem Priester der Franziskaner-Custodie vom hl. Johannes Baptista. 586 pag. in 24° (Manuale tertii Ordinis a quodam Patre Custodiae Cincinnatensis S. Joannis Bapt.)

1884. SERAPHIC GUIDE, a manual for the members of the Third Order. (Manuale tertii Ordinis a quodam Patre Custodiae Cincinnatensis S. Joannis Bapt.)

Benziger Brothers, Cincinnati, New-York, St. Louis.

1884. SISTERS' MANUAL for the use of Communities of the Third Order Regular of St. Francis of Assisi, containing their Rule and practical explanations by P. Clementinus Deymann O. S. F. (Prov. SS. Cordis Jesu.) St. Louis, M° published by B. Herder 17 South Broadway.

Continet Regulam Tertii Ordinis S. Francisci a Leone X anno 1521 pro Fratribus et Sororibus sub tribus votis essentialibus in congregatione viventibus adaptatam, eiusdemque Regulae expositionem.

1884. LA REGOLA del Terz' Ordine di S. Francesco, tradotta in lingua Cinese da'nostri Padri di Hou-pé orientale.

1884. OFFICIA cum eorum diebus infra Octavam solemnitatum Epiphaniae, Dominicae Resurrectionis, Pentecostes, SS. Corporis Christi, et Nativitatis D. N. J. C. ad commodiorem usum Breviario Romano utentium, iuxta novam Rubricam. Neapoli, ex officina hospitii mendiculorum, in-12, pag. 136. (L. 0,75.)

1884. LA RÈGLE DE SAINTE CLAIRE ET LES CONSTITUTIONS DE SAINTE COLETTE, traduction nouvelle et littérale par l'abbé F. Demore, chanoine honoraire de Marseille, 4e édition, collationnée sur les originaux latins et approuvée par le Rme P. Général de tout l'Ordre des Frères Mineurs.—Marseille, Marius Olive, imprimeur del' Evêché, 39 rue Sainte. In 32, pag. 250.

1884. EXPLICATION DE LA PREMIÈRE RÈGLE DE SAINTE CLAIRE, avec un appendice sur son Testament spirituel et les Constitutions de sainte Colette, par l'abbé F. Demore, Chanoine honoraire de Marseille, revue, corrigée et approuvée par le Révérendissime Père Général de tout l'Ordre des Frères Mineurs. — Marseille, Marius Olive, imprimeur de l'Evêché, 39 rue Sainte. In 8. pag. 499.

Ambo haec opera peti possunt a Matre Abbatissa Clarissarum Monasterii Massiliensis in Gallia, rue Ferrari 69.

FRANCISCANAE EPHEMERIDES
anno 1884 in lucem editae

—

Anno elapso elenchum publicavimus omnium Ephemeridum franciscalium in orbe editarum. (1).

Nova folia hoc anno in lucem prolata sunt, quae hic referre operae pretium ducimus.

In primis memoranda sunt:

Analecta Ordinis Minorum Capuccinorum, quae hoc mense Decembris initium habuerunt et Ordinem Capuccinorum directe respiciunt, sicuti *Acta* ad Ordinem nostrum spectant.

El Eco Franciscano, Revista mensual consagrada a fomentar la devocion al Serafico Patriarca San Francisco de Asis, a propagar sus tres Ordenes y a promover en ellas las imitacion del santo Fundador, publicada por los Padres del Colegio de Missioneros para Tierra Santa y Marruecos establecido, en Santiago. — Santiago, establecimiento tipografico del Seminario conciliar central 1884.

Mense Maii vertentis anni initium sumpsit haec publicatio, cura Patrum Missionariorum Regularis Observantiae S. Jacobi de Compostella. Associationis pretium est 5 *pesetas* per annum intra Hispaniam.

The Pilgrim of Palestine, a Journal divoted to the interest of the sanctuaries of the catholic Church in the Holy Land. The *Pilgrim* will be issued quarterly. Office N. 135 West 31st street, New York. All Communications to be addressed to *Very Rev. Charles A. Vissani.*

In-4° pag. 8, et 4 columnae singulis paginis.

Uti dicitur in titulo, haec publicatio « *Peregrinus Palaestinae* » mense Julii 1884 initiata, singulis quaternis mensibus in lucem venit, cura et studio Adm. R. P. Caroli a Natiano, Min. Ref., Commissarii Terrae Sanctae in Statibus foederatis Americae septentrionalis, et pro annua associatione solvi debent 25 cents (id est L. 1,25.)

El eco de S. Francisco de Asis, revista catolica, continuacion de « *la verdad catolica* » (2ª epoca) Habana, establecimiento tipografico de Soler, Alvarez y Comp. Calle de Recla, 40.

Singulis etiam mensibus publicatur ab anno 1783, et primum volumen iam peti potest.

La Crociata, periodico mensile, illustrato, per la diffusione del Terz' Ordine di S. Francesco d' Assisi; Direzione, Torino, Via Principe Amadeo, 16. Abbonamenti, L. 1 all'anno, per 5 copie L. 4. (Serie 2ª.)

Petite Revue du Tiers-Ordre et des intérêts du Coeur de Jésus, publiée par la Fraternité de Montréal (Canada) avec l' approbation de Sa Grandeur Mgr. l' Evêque de Montréal. Elle paraît tous les mois *par livraison* de 32 pages et formera tous *les ans un* volume avec une table générale. L' abonnement est annuel et commence le 1er Février. (Le 1er numéro a paru le 1er Février 1884.)

Pro associatione scribendum: M. le Directeur de la *Petite Revue,* Collège Ste Marie, Montréal (Canada).

El Mensajero de S. Francisco de Asis, singulis mensibus Matriti editum a Patribus Capuccinis pro Tertiariis.

(1) Cfr. *Acta Ordinis* anno II, pag. 71 et 85. Notandum tamen est ex periodicis ibidem enumeratis pag. 85, *Semanario Catolico* iam cessasse.

NECROLOGIA

—

Rmus Dnus Ephisius Chiais. Natus Casolini die 17 Februarii 1808, Seraphicum Ordinem ingressus est in Obs. Provincia Taurinensi S. Thomae. Anno 1836 se contulit ad Missiones Sinenses, ubi strenue ac fideliter pro salute animarum laboravit. Die 24 Februarii 1884 electus fuit Episcopus titularis Syenensis et Vicarius Apostolicus de *Chen-sy.* Tota eius vita, prout scribit ipsius Coadiutor et successor, non fuit nisi perlonga bonorum operum series. Vicariatum ipsi concreditum rexit magna prudentia temporibus difficillimis. Amatus a Missionariis et a populo christiano, ac etiam ab ipsis paganis aestimatus et veneratus est. Fractus laboribus in bonum gregis sui exantlatis, die 12 Aprilis anni currentis, obdormivit in Domino.

R. P. Vigilius Lorenzoni, Vice-Commissarius Terrae Sanctae in Republica Argen-

tina, post brevem aliquot dierum infirmitatem, ex hac vita migravit ad DOMINUM die 5 Augusti nuper elapsi, annos. natus aetatis 63, Religionis 45, sacerdotii 38, et Missionis in America 28. Reformatae Provinciae seraphicae professus, P. Vigilius laudabilem se exhibuit humilitate, prudentia et operositate. Numquam otio, animae inimico, ut ait seraphicus Pater, traditus visus est; sed ministerio suo et sacris confessionibus audiendis assiduus, spiritus fervorem in templo ostendebat, et erga omnes caritatis officia monstrabat.

A. R. P. VINCENTIUS SALINOVIC', Obs. Prov. SS. Redemptoris in Dalmatia ex-Minister, die 3 Junii 1827 natus est prope civitatem Macarsca. Junior adhuc Ordinem ingressus anno 1852 sacerdotio fuit insignitus. In universitate Viennensi, superiorum iussu, studia perfecit, ut Lectoris munus in propria Provincia postea susciperet. Revera ad suos reversus, in franciscali Gymnasio Siniensi, mathematicas physicasque scientias docuit, necnon italica et germanica idiomata. Inter Lectores Jubilatos adnumeratus, Custos Provinciae et subinde Minister Provincialis anno 1879 fuit renuntiatus. In diversis muneribus adimplendis sollicitum se exhibuit. Mense Augusti in Conventu Imothae febri correptus, et per duos menses doloribus patienter toleratis, die tandem 27 Septembris 1884, sacramentis confortatus, in DOMINO quievit. R. I. P.

A. R. P. IOSEPH MARIA MUNILLA, in dioecesi Calagurritana anno 1817 natus, habitum seraphicum induit Agredae in Conventu S. Iuliani anno 1833. Biennio vix transacto post emissam professionem, ex violenta Regularium suppressione claustrum deserere coactus, ad Stellae (Estella) Conventum qui tunc unicus permanserat, se contulit. Sed deficiente loco, quamvis singulae cellae duos et saepe tres Fratres ex aliis coenobiis recepissent, admitti non potuit. Sacerdos factus, animarum curam diu gessit, vel Monialium directioni incubuit, Provinciae tandem Burgensis Commissarius Provincialis renuntiatus, in propagando Tertio Ordine saeculari et in restituendo Conventu S. Victoris, impigre allaboravit. Supremum diem in DOMINO clausit die 29 Septembris, annos natus 67.

A. R. P. WENCESLAUS AB AESIO, ex-Procurator Generalis Minorum Reformatorum, cuius Necrologiam proxime dabimus.

VI.
VARIA

—

MONUMENTUM
IN HONOREM S. PATRIS FRANCISCI
ERECTUM

Prope civitatem Ausonensem, in Hispania.

Vetus mos apud populos nationum invaluit ad memoriam facinorum, hominumque celebrium recolendam praeclara monumenta, ut sunt templa, turres, sepulchra, lapides, arcus triumphales, erigendi. Hic mos tam alte defixus in hominum animis invenitur, ut non solum cultae nationes, sed etiam barbarae et silvestres illius memoriam nobis reliquerint. Medi et Persae, Indi et Aegyptii, Sinenses et Iaponenses, Graeci ac Romani, Iudaei et Christiani, sua habent monumenta, et facta vel virtutes in illis insculpta festive commemorantur.

Apud populum Hispanicum plura etiam inveniuntur monumenta, plures extant memoriae insignis illius viri Seraphici P. N. Sancti Francisci, ubi virtutes ac miracula apud Hispanos facta devote commemorantur, praecipue in regione Cathalaunica, pluries a sancto viro visitata ipsiusque miraculis ditata. Horum primum, Conventus Barcinonensis, deinde Gerundensis, postea Illerdensis, et quarto Cerverensis nomiminatur. Sed ceteris praetermissis unum tantum memorare intendimus propter rerum eventus qui apud illud evenere.

Sanctus Pater anno 1211 et anno 1214 terram Cathalaunicam perlustravit semper benefaciendo, et sua virtute plures ad CHRISTUM convertendo. Transiens autem per civitatem Ausonensem hospitio receptus est, sed vir DEI solitaria loca quaerens, ad nemus tertio ab urbe milliario dissitum nocte se contulit, ut liberere caelestibus vacaret. Nocte in divinis contemplationibus traducta, mane deliquium dicitur passum fuisse. Ab homine agricola sive casu transeunte sive inspiratione divina ducto semianimis inventus est. Stupefactus homo

interrogavit: Quid est hoc, serve Dei? Quid possum tibi facere? — Franciscus pietate agricolae commotus, respondit: Affer mihi aquam. Statimque bonus homo aquam portavit, et sancto dedit. « Unde, ait Sanctus, aqua ista? » « Ex puteo domus meae, » respondit agricola. Franciscus aquam degustavit, et parumper animatus, Deo gratias agens, dixit: « Certe, puteus, qui talem aquam subministrat, puteus vitae appellari meretur. » Ex tunc domus, quae prope puteum invenitur, domus putei vitae adpellatur usque in hodiernam diem. Plures autem, qui hanc aquam degustarunt a suis malis liberati sunt, beneficiumque salutis aliasque gratias divinitus receperunt.

Hoc in loco, vulgo *san Frasesch s'hi moria*, capellam Deo in memoria B. Francisci consecrarunt illius domus fideles, dum adhuc in terris Sanctus vitam ageret. Anno enin 1226 Franciscus ex hac vita migravit, et monumentum anno 1225 erectum esse constans ac numquam interrupta traditio tenet. Hoc autem in gloriam redundat maximam Seraphico P. Francisco, cum de nullo alio, praeter Beatissimam Deiparam, coeli Reginam, ac B. Petrum Apostolum, legatur habuisse templa dum vitam agerent, ubi eorum virtutes memoria tenerentur. (1)

Novissimis istis diebus Summus Pontifex Christi in terris Vicarius, illum voluit nobis proponere tamquam exemplar, cui nos conformes efficiamur, ut ad Deum secure perveniamus. Ex hac ocasione, duobus abhinc annis, ad sacrum monumentum invisendum accurrerunt prope quadraginta fidelium millia, vocem supremi Pastoris audientes, errores universos proscribentes, et unanimiter conclamantes: *Fides Ecclesiae est fides nostra! Lex Ecclesiae lex nostra! Pastor noster est Leo, Christi in terris Vicarius! Vivat Leo XIII!*

Occasione Encyclicae *Humanum genus*, qua Secta Massonica damnatur, sicut errores omnes epochae praesentis, novam peregrinationem indiderunt iuvenes Societatis Catholicae Vicensis et die 16 Novembris felici coronoraverunt exitu. Operae pretium erat monumentum commemorativum erigere relati eventus anni 1882, et in hac peregrinatione opus coronatum est erectione lapidis sequenti inscriptione decorati.

D. O. M.

HOC . LOCO . VIII . ID . OCT . AN . MDCCCLXXXII. – PROPE . QVADRAGINTA . MILLIA . FIDELIVM . VTRIVSQVE SEXVS . ADVNATA . SVNT — PEREGRINAT . CAVSA . AD HANC . SACR . AEDEM . S. . FRANSESCH . S'HI . MORIA . VOCATAM — QVUM . ENIM . INSOLITI . HONORES . PARARENTVR . VBIQVE . D . FRANCISCO . ASSISIENSI — OB . SEPTINGENTESIMVM . DIEM . SVVM . NATALEM . ANNIVERSARIVM . RECVRRENTEM — LEO XIII . PONT . M . SIBI . VALDE . CORDI . ESSE . DIXIT . ENCYCLICA « AVSPICATO » — HOS . HONORES . AVGERE . ALIORVMQVE . PIETATEM . EXCITARE — QVAPROPTER . NOBILIS . *IVVENTVTIS* . CATHOL . SODALITAS . BARCIN . — *ALIAS* . *EIUSDEM* . GENERIS . CATHAL . S . P . VOLVNTATI . OBSECVNDANS — AD . INVISENDAM . D FRANCISCI . AEDICVLAM . AVSON . INVITAVIT — QVARUM . SOCII . VNA CVM . PLVRIMIS . ALII . CHRISTI . F.D. . FERE . TOT . HANC . PLAN . IMPLEVERE — AD . EOS . IGITUR . EGREGII . CONCIONATORES . VERBA FECERVNT — IN . TVRMAS . DIVISOS . PER . AGROS — EORVMQVE . ANIMOS . AD . PIETATEM . COLENDAM . MORES . CORRIGENDOS — AD . SANCTORVM . S. FRANCISCI . ASSISSINATIS . MAXIME . VESTIGIA . PROSEQVENDA . INCENDERVNT — QUIPPE . AD . REGNVM . COELESTE VIAM . HOC . MODO . STRATVROS . — CORAM . EPISCOPIS . REGIONIS . ET . BARCINONENSIS . — TOTUM . HOC . MAGNA . OMNIUM . PLAVSV . PERACTVM EST — PRAESERTIM . IVVENT. . CATHOL. . AVSONENSIS . SOCIETATIS — QUAE . ET . HUNC . EX . SUO . ET ALIOR. AERE . AD . PERPETVAM . REI MEMORIAM.

P. C.

VIII . ID . OCT . MDCCCLXXXIV

Haec peregrinatio multo fervore multaque pietate ac devotione peracta est, adunatis viginti millibus fidelium fidem publice profitentium, sacrisque hymnis gloriam S. Patris Francisci personantium. Juvenes societatis in votis habent erectionem novae Ecclesiae et coenobii pro Fratribus Franciscalibus, ad perenne testimonium harum celebrium peregrinationum posteris transmittendum. Faxit Deus, ut adiuvante ac confortante benedictione S. P. Francisci, propositum sibi opus consummare praevaleant.

—

ORPHANOTROPHIUM *SANFELICE*

Flagellum morbi asiatici ultimis hisce mensibus in tota fere Italia, praesertim autem Neapoli, saeviens, filiorum filiarumque S. P. N. Francisci caritatem erga pauperes infirmos

(1) De Beata Coeli Regina, monumentum maximum habet Hispania in civitate Caesaraugustana. De B. Petro in Historiis Ecclesiasticis legimus, quod SS. Marcus, Sabinianus, et Maternus templa illi dicaverint.

mirifice excitavit et inflammavit. Nam multi Patres et Fratres primi Ordinis nec non Sodales tertii Ordinis utriusque sexus, tam saeculares quam regulares, vitam suam ponentes pro Fratribus suis, infirmis dira lue infectis servire, eis S. Religionis solatia afferre et quodlibet auxilium praestare non cessarunt. Non pauci eorum in hoc sancto servitio eodem morbo infecti ex hac vita migrarunt, egregii sui sacrificii mercedem a DEO recepturi.

Cessato nunc maxima ex parte praefato flagello, Sodales tertii Ordinis Neapoli, animadvertentes. multos infantes luctuoso isto tempore amisisse parentes et necessaria non habere ad sufficientem educationem obtinendam, orphanotrophium pro istis pauperibus infantibus fundare statuerunt. Hoc orphanotrophium in perenne testimonium et monumentum illius egregiae caritatis, quam Eminentissimus dictae civitatis Archiepiscopus tempore praefati flagelli, mundo universo admirante, exercuit, *Orfanotrofio Sanfelice* vocare volunt. Summus Pontifex de hac intentione certior factus, non solum istud pium opus laudavit et approbavit, sed etiam omnes, qui ad illud perficiendum concurrere volunt, speciali sua apostolica benedictione ditavit.

Superior Tertii Ordinis Neapolis per litteras diei 29 Septembris a. c. omnes Sodales tertii Ordinis intra Italiae fines degentes suppliciter rogat, ut dictum opus eleemosynis suis adiuvare velint.

Nos, de his Directores tertii Ordinis libenter certiores reddentes, speramus, fore, ut ipsi Sodalibus tertii Ordinis sibi concreditis praefatum bonum opus enixe commendent eosque exhortentur, quatenus opus quod in spiritu S. P. N. Francisci inchoatum est, eleemosynis suis pro viribus adiuvare non omittant.

—

DE INDULGENTIA ASSISIENSI

AD

SS. ANGELORUM REGINAM

HYMNUS

Regina Virgo Coelitum
Noctis per auras fulgidas
In Aede sacra visceris
Ducta Angelorum millibus.

Quam pulchra frontis emicant
Flexa in coronam sidera!
Quam dulcis oris caritas
Prodire corde noscitur!

Throno in excelso considens
Rerum potiris omnium:
Habes in ulnis Filium,
Habes salutis munera.

Iam facta coeli Regia
Aedes sacrata cernitur,
Miris resultans gaudiis,
Miris et hymnis gloriae.

Franciscus orans, intima
Virtute cordis excitus,
Miratur haec et obstupet
Victus nitenti lumine.

« Haec, clamat, Urbs coelestium,
Haec Aula vera est Numinis!
Quae nil merentem gratia
Visis supernis auxerit?

O Sponse, JESU, Sanguinis,
Signa haec beata tempora:
Per Te caligo mentium,
Peccati et umbra solvitur.

Hac quisque in Aede oraverit,
Quam nunc benigne visitas,
Veniam suorum criminum
Dono doloris impetret.

Da sontibus tu lacrymas,
Spes una poenitentium:
Discinde cordis victimam,
Tuoque amore concrema.

O Sancta Mater, respice
Tibi annuentem Filium,
Tua namque sunt quot contulit
Redemptionis munera.

Opem dolentes Spiritus,
Quos purgat ignis, expetunt:
Agent fideles gaudia,
Agent triumphos Angeli. »

IESU et MARIAE sit gloria,
Qui se revelant parvulis
Cum PATRE et almo SPIRITU
Laudentur omne in saeculum.

Nihil obstat.
FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

TABULA MATERIARUM

PERIODICI

ACTA ORDINIS MINORUM

ANNO 1884.

—

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

II.

ACTA ORDINIS

Capitula Provincialia anno 1884 celebrata

III.

MISSIONES

IV.

BIBLIOGRAPHIA

V.

Necrologia

VI.

Varia

Errata Corrige

Pag. 16 Col. 1. Lin. 21. *Acie ingeniis*, lege: *Acie ingenii.*
Pag. 40. Col. 2. Lin. 34. *Genarali*, lege: *Generali.*
Pag. 53. Col. 1. Lin. penultima, *Marius Markovic*, lege: *Marianus Markovic.*
Pag. 80. Col. 2. Lin. 8. *correnti*, lege: *cocenti.*
Pag. 134. Col. 2. Lin. penultima, *Fevershaṁ*, lege: *Faversham.*
Pag. 134. Col. 2. in annotatione, *faetae sunt*, lege: *factae sunt.*
Pag. 139. Col. 1. in annotatione, *De pileo sacrificio*, lege: *De pileo in sacrificio.*
Pag. 171. Col. 1. in fine *A. R. P. Patrus*, lege: *A. R. P. Petrus.*
Pag. 171. Col. 2. Lin. *pubblicis*, lege: *publicis.*
Ibidem Lin. 27. *manus*, lege: *manibus.*
Pag. 197. Col. 1. ultima Lin. *vicisissitudines*, lege: *vicissitudines.*
Pag. 201. Col. 1. Lin. 32 *Pontifice*, lege: *Pontifici.*
Pag. 205. Col. 2. Lin. 6 *dispellantur*, lege: *dispelluntur.*

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

BREVE APOSTOLICUM

quo Indulgentiae concessae sunt pro sacris Missionibus, quas Patres Ordinis nostri praedicant in regionibus Gallicae ditioni subiectis.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Exponendum curavit Nobis dilectus filius Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, in bonum sacrarum Missionum, quas Fratres sui Ordinis in regionibus Galliae ditioni subiectis habebunt, cessurum esse si quidem eas Indulgentias tam plenarias quam partiales Christifidelibus pro hac re impertiamur, quae alias ab hac Sancta Sede Fratribus Ordinis S. Francisci Cappuccinis Provinciae Rhenano-Westphalicae eadem Missionum occasione concessae sunt. Quare a Nobis impense postulavit, ut ea in re opportune providere Apostolica benignitate dignaremur. Nos igitur piis hisce precibus benigne annuere volentes, deque Omnipotentis DEI misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui coram Cruce in fine Missionum, quas Fratres Ordinis Minorum de Observantia et Reformatorum in regionibus Gallicae ditioni subiectis existentes peregerint, erecta, die erectionis eiusdem Crucis, die huiusmodi erectionis anniversario, vel Dominica proxime sequenti, insuper Inventionis et Exaltationis SSmae Crucis D. N. J. C. diebus festis vel Dominica respective insequenti per aliquod temporis spatium pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, et Ecclesiam Parochialem loci, ubi Crux erecta est, devote visitaverint, quo die praefatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in DOMINO concedimus. Iisdem vero Christifidelibus, qui ter saltem concionibus Missionum, ut supra dictum est, a memoratis Fratribus peragendarum interfuerint, et vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti Parochialem loci Ecclesiam, ubi Missio habita est, devote visitaverint, atque ibidem, ut ante diximus, oraverint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem in DOMINO tribuimus, quam quidem pro extraneis, etiamsi alibi, idest extra Paroeciam, in qua Missio habetur, sacramentalem Confessionem et Communionem faciant, ad quindecim usque dies post Missionem finitam prorogamus. Praeterea omnibus utriusque sexus Christifidelibus saltem corde contritis, qui cuilibet ex dictis concionibus devote interfuerint, et quamlibet Ecclesiam publicam devote visitaverint, ibique ut supra oraverint; tum etiam quoties ante Crucem in fine Missionum ut supra erectam septies Salutationem angelicam devote recitaverint, septem annos ac totidem quadragenas: qua tandem vice ante praefatam Crucem quinquies Orationem dominicam et Salutationem ange-

licam in honorem SS. Vulnerum CHRISTI pie recitaverint, trecentos dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae DEO in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII Aprilis MDCCCLXXVIII, Pontificatus Nostri Anno Primo.

PRO DNO CARD. ASQUINIO
D. JACOBINI *Substitutus.*

L. ✠ S.

—

BREVE APOSTOLICUM

quo Monasterium S. Clarae in civitate Assisiensi immediatae jurisdictioni S. Sedis subjicitur et dictae jurisdictionis exercitium Cardinali Protectori Ordinis nostri delegatur.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Postquam Virgo spectatissimis inclyta virtutibus ASSISIENSIS CLARA corporis soluta vinculis in coelum evolavit, altero nondum elapso anno, fel. rec. Alexander IV magnae in Hernicis solemni ritu eidem CLARAE Virgini coelitum honores decrevit. Idemque Pontifex Summus, datis de hac re Episcopis Perusino, Spoletano et Assisiensi litteris, quinto a praedicta solemnitate anno vertente, prudentissime iussit, hujusce Virginis exuvia ab Aede Georgii M. in templum ad honorem ejusdem CLARAE V. munificentia Pontificis praefati extructum transferri. Quanta pietate et cultu, quanto gaudio et consolatione reliquias dilectissimae Matris suae a Clarensibus Monialibus exceptae sint, mente animoque concipi potest et verbis exprimi nequit; eaedemque sacro huic thesauro omni cura diligentiaque advigilarunt. Quod autem hujusce saeculi initio, anno scilicet MDCCCXX, in bonorum omnium, ac praesertim Sa. mem. Pii VII Praedecessoris Nostri solatium evenit, ut in Gregoriana Fratrum Minorum Basilica Seraphici Patris Francisci corpus inveniretur, idipsum anno MDCCCL exuviis S. CLARAE V. contigit. Enixis enim precibus rec. mem. Pius IX Decessor Noster ab Assisinatium Episcopo rogatus, perspectis antiquae et probatae fidei documentis, eidem commendavit Episcopo, ut collatis consiliis diligentem ad exquirendas Virginis CLARAE reliquias operam impenderet. Ex quo factum est, ut hae Sacrae Reliquiae sub maximo enunciati Templi Altari inventae sint, prout vetera monumenta testabantur. Felicissimi hujus eventus et Nos Episcopatum Perusinum tunc temporis gerentes, una etiam cum aliis Sacrorum Antistitibus Umbriae testes fuimus, sacrasque Reliquias illas in lucem excitas recognovimus, et communi cum omnium plausu publicae fidelium venerationi proposuimus, tantaque solemnitas grata adhuc jucundaque memoria recolitur. Jamvero ad sublimem Beatissimi Petri cathedram evecti aliquod peculiaris curae et benevolentiae, quibus constanter, ex commendatione quoque Decessoris Nostri Pii IX, illud Monasterium prosequuti sumus, sollemne testimonium exhibendum censuimus. Quare ad augendam praefati Monasterii dignitatem in eam mentem venimus, ut illud immediatae Nostrae ac Successorum Nostrorum successioni reservemus et subjiciamus. Nos igitur motu proprio ac matura deliberatione Nostra ASSISIENSE MONASTERIUM S. CLARAE a quavis jurisdictione eximimus, ac tenore praesentium exemptum declaramus; illudque et Moniales aliasque personas omnes eodem in Monasterio conviventes cum omnibus eidem inhaerentibus perpetuum in modum Nostrae ac Successorum Nostrorum immediatae jurisdictioni subjicimus, et subjectum decernimus atque edicimus. Hujusmodi autem jurisdictionem Venerabili Fratri Nostro Aloysio Card. Bilio Episcopo Sabino, uti apud S. Sedem Protectori universae Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia

Familiae, ejusque hoc in munere Cardinalibus successoribus, perpetuis futuris temporibus delegamus. Decernentes hasce Nostras Litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, eisque, ad quos spectat et pro tempore spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque judices et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, necnon S. R. E. Cardinales, horumque Congregationes, judicari ac definiri debere, irritumque et inane quodpiam secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, necnon ejusdem Monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxx Julii MDCCCLXXX Pontificatus Nostri Anno tertio.

TH. CARD. MERTEL.

—

DECISIO

S. CONGR. S. U. INQUISITIONIS

concernens Craniotomiam.

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Eminentissimi PP. mecum Inquisitores Generales in Congregatione generali habita Feria IV. die 28 labentis Maii, ad examen revocarunt dubium ab Eminentia tua propositum « An tuto doceri possit in scholis catholicis licitam esse operationem chirurgicam quam *craniotomiam* appellant, quando scilicet, ea omissa, mater et filius perituri sint, ea e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte? » Ac omnibus diu et mature perpensis, habita etiam ratione eorum, quae hac in re peritis a catholicis viris conscripta, ac ab Eminentia tua huic Congregationi transmissa sunt, respondendum esse duxerunt: *Tuto doceri non posse.*

Quam responsionem cum SS. D. N. in audientia ejusdem Feriae ac diei plene confirmaverit, Eminentiae tuae communico, tuasque manus humillime deosculor.

Romae, 31 Maii 1884

humillimus et addictissimus servus verus

R. CARD. MONACO

Eminentissimo Archiepiscopo
Lugdunensi.

—

DECRETUM S. C. INDICIS

FERIA IV DIE 19 DECEMBRIS 1884.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum habita in Palatio apostolico vaticano die 19 Decembris 1884 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Siete Tratados por Juan Moltalvo en dos tomos. Besanzon, imprenta de José Jacquin, 1882.

Nouvelles études d' histoire religieuse, par Ernest Renan. Paris, Calmann Lévy, éditeur, 1884.

Auctor operis (Giuseppe Sandrini) *cuius titulus:* Saggio di letture giovanili ad uso delle scuole popolari: prohib. *decr. 23 Aprilis 1860, laudabiliter se subiecit et illud reprobavit.*

Auctor operis (Fr. Gaspar) *cuius titulus:* Der Vernunftstaat nach seinen Rechten und Pflichten: *Latine*: Status rationalis, eiusque iura et obligationes: Luxemburgi, 1883; prohib. *decr. 9. Maii 1884, laudabiliter se subiecit et illud reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc. Datum Romae die 19 Decembris 1884.

Fr. Thomas M. Card. Martinelli
Praefectus.
Fr. Hieronymus Pius Saccheri
Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 22 Decembris 1884 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

—

REGULAE

OBSERVANDAE A SACERDOTE CAECUTIENTE IN CELEBRANDA MISSA VOTIVA B. M. V.

Sacerdos caecutiens, si Apostolicum obtinuerit Indultum celebrandi quotidie Missam votivam B. M. V., sequentes regulas observare debet:

1. In dicta Missa semper uti debet paramentis albis.

2. Semper potest dicere, (exceptis tribus ultimis diebus majoris hebdomadae) Missam votivam assignatam secundum tempus, vel illam quae assignatur pro tempore, quod currit a Pentecoste usque ad Adventum.

3. Nequit in ea legere orationem officii currentis; debet tamen orationes illas dicere, ~~quae dictae~~ Missae votivae conveniunt, scilicet secundam de Spiritu Sancto, tertiam *Ecclesiae* vel pro Papa.

4. Collecta ab Ordinario praescripta omittitur.

5. Non dicitur *Gloria* (nisi in Sabbato) neque *Credo*. Etiam diebus Dominicis omittitur Symbolum.

6. Die Nativitatis Domini unam dumtaxat Missam votivam B. M. V. celebrare potest.

7. Diebus non vetitis potest dicere Missam de Requie.

8. Dicere debet Missam votivam, et non de Requie, in Feriis majoribus et Vigiliis privilegiatis, in quibus prohibentur Missae privatae defunctorum.

9. Si miser Sacerdos plane caecus evadat, necesse est, ut a celebrando abstineat, donec novum impetraverit Indultum: quo obtento tenetur sub gravi uti assistentia alterius Sacerdotis, tametsi obligatio ishaec expresse non fuerit Indulto apposita.

10. Conditiones appositae in ejusmodi privilegiis sunt obligatoriae, non autem simplicis ritualitatis.

(Cfr. S. R. E. 20 Sept. 1806, 12 April. 1823, 23 Febr. 1839, 14 April. 1840, *17 Aug.* 1860, 28 April. 1866).

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica

—

CAPUT I.

DE VITA COMMUNI AD SCRIPTURARUM, PATRUM, CONCILIORUM, FUNDATORUM ORDINUM ET PONTIFICUM MENTEM

Christus Dominus, Verbum et Sapientia Patris aeterni, e coelis in terram venit, ut paupertatis pretium et dignitatem non tantum verbo, sed et exemplo sanciret. *Ego*, inquit, *mendicus sum et pauper,* Dominus *sollicitus est mei.* (Ps. 39.)

Et vero, dicente S. Anselmo (de Sacramentis) « ita pauper fuit, ut veniens in mundum non sua, sed aliena domo nasceretur, natus propter inopiam loci, in praesepio brutorum animalium poneretur, et vivens in mundo non haberet ubi caput reclinaret, nec moriens ut nuditatem suam tegeret, nec mortuus ubi involveretur, nec sepulchrum aut locum ubi corpus mortuum locaretur ».

Hanc paupertatem penuriamque pertulit Christus, tota vita nihil proprium possidens, sed aliorum eleemosynis vivens, ut efficacius mundi saluti consuleret, nosque coelestium

virtutum divinorumque charismatum opulentos efficeret, iuxta illud Divi Pauli (2. Cor. c. 8.) « *Scitis enim gratiam Domini nostri* Jesu Christi, *quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.*

Quapropter Apostolos tamquam fundamenta et luminaria suae Ecclesiae eligere statuens, non alios ad hoc officium admittere voluit, quam qui parati essent similem paupertatem sectari, Eumque nudum omnium rerum perfecta abdicatione imitari. Unde cupientibus Eum sequi, haec ipsis facienda praescribebat: *Si vis perfectus esse, vade et vende quae habes et da pauperibus et veni sequere me.* (Matth. xix.) Quem paupertatis gradum sequentibus verbis extollit S. Hieronymus ad Demetriadem scribens: « Apostolici fastigii, perfectaeque virtutis est, omnia vendere et pauperibus distribuere, et sic levem et expeditum cum Christo ad coelestia sublevari. »

Haec eadem Salvatoris verba paucis expendere iuvat, quia continent monasticae et praesertim seraphicae paupertatis expressam materiam, cum remotam, ut vocant, nempe divitiarum privationem, tum proximam, videlicet dominii abdicationem, atque etiam quia fundamentum sunt eorum, quae in hoc tractatu de Vita Communi dicenda occurrent.

In hac igitur quam Christus consulit venditione, in alterius voluntatem dominium rerum transfertur, et pretium in pauperes tribuitur, atque rerum necessariarum usus ab aliena voluntate, christiana humilitate et patientia expectatur. Porro qui bonis suis hocce modo eruitur, non proprietate dumtaxat seu dominio, verum etiam omni utendi facultate seu iure sese privat.

Fateamur igitur oportet, Regulares, qui *ritu solemni* hoc consilium vovent, ei bonorum temporalium proprietate et usu quoque spoliari hoc in sensu, ut nihil iuris in res temporales sibi reservent, sed tamquam Jesu Christi pauperes usum bonorum temporalium ab aliorum liberali administratione suscipiant.

In iisdem etiam verbis abdicationem omnium rerum, tam in communi quam in particulari iudicari, patet ex illis verbis *vende quae habes* (utique *omnia,* uti reflectit S Hieronymus) *et da pauperibus.* Qui enim omnia *vendit,* iam dominium a se abdicavit; qui *dedit pauperibus*, se iuris usu et omni qualicumque dominio spoliavit. Alioquin si in communi ius aliquod utendi reservatum fuisset, non oportuisset vendere aut pauperibus dare, sed in commune ius conferre, ut de illis cum communi multitudine donans sustentari potuisset. Summam autem illam abdicationem confirmant verba sequentia et totus discursus cum iuvene habitus: *Veni*, ait Salvator, *sequere me*, quasi diceret: cum vendideris et pauperibus dederis, tunc demum omnibus denudatus, venire et sequi me poteris.

Tandem doctrinam repetit Christus (Luc. 14) dicens: *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Certe non renuntiat omnibus omnino. qui in communi et maxime in particulari expendenda reservat. Tandem maius adhuc sacrificium a suis sequacibus exigit Christus dicens: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum; et tollat crucem suam, et sequatur me,* (Matth. 16). In qua verba S. Gregorius reflectit: « Fortasse laboriosum non est homini relinquere sua. sed valde laboriosum est homini relinquere semetipsum ».

Hanc porro omnimodam abdicationem tam in communi quam in particulari energice commendant verba Christi (Matth. vi.) ubi loquens Apostolis dicit: « Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non eflodiunt nec furantur: *ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (1) ».

Apostolos hanc doctrinam Christi Eiusque exemplum in hac summa rerum abdicatione

(1) Haec Christi verba iam ex nunc menti impressa habeant quicumque sine vera necessitate peculium sibi constituere praesumunt. Nimis verum est tales non raro cor suum denariis apponere. Hoc enim est eorum thesaurus, quod habent in pretio, quod amant, quod aestimant, quo delectantur, quod eis est charissimum, in quo studia sua collocant, et ad quod operam suam impendunt. Unde quandoque fit ut illa communitatis officia declinent quae parum aut nihil pecuniae conferunt, et ad illa aspirent quae maiora emolumenta procurant. O ter quaterque lugendi Religiosi, qui terrenum thesaurum coelesti præferre non horrescunt! O miserae Provinciae, in quibus tales abusus existunt!

sectatos fuisse, manifeste ostendunt verba S. Petri ad divinum Magistrum (MATTH. 19.) nomine totius collegii apostolici directa: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Et vere, ut ait S. Gregorius, (HOM. 5 in Evangelia,) « multum reliquit qui nihil sibi retinuit: multum dimisit qui cum re possessa concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus, ergo tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt »

Discipulis CHRISTI ita terrenis omnibus spoliatis, subsistendi modum subministrare debuit Salvator. Ne autem et in hoc rerum cupiditas aut vana sollicitudo locum habere possent, omnem imprimis ab eis humanam prudentiam removet dicens (MATTH. 10.) « Nolite possidere aurum aut argentum, nec pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas habeatis, neque calceamenta, neque virgam. » Et statim, ostendens alieno ipsos subsidio esse sustentandos, addit: « Dignus est operarius cibo suo. In quamcumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate, quis in eo dignus sit: et ibi manete donec exeatis. »

Voluit igitur eos pro sustentatione corporali divinae Providentiae unice confidere, iuxta id quod de Ipso scriptum erat: *Ego mendicus sum et pauper,* DOMINUS *sollicitus est mei.* (Ps. 39.) Et ut hanc fiduciam in eis firmaret, septem rationes in DEO confidendi eis suggerere dignatus est. (MATTH. VI.) Prima petitur a cura corporis nostri, quam gerit DEUS. Et vere, ut ait S. Chrysostomus, (HOM. 57 ad populum): *Pascente* DEO, *non est opus nos esse sollicitos.* Nam, *divites eguerunt, et esurierunt, inquirentes autem* DOMINUM *non minuentur omni bono.* (Ps. 33.) Secunda ratio petitur ab avibus, ~~quas DEUS curat et pascit.~~ Tertia, quod omnis nostra sollicitudo inanis sit sine DEO. Quarta a liliis et foeno, quae vestit et ornat DEUS. Quinta, quod haec sollicitudo paganorum sit, non christianorum. Sexta, quia ad DEI scientis omnia et gubernantis Providentiam pertinet de victu nobis providere, ut quaerentibus regnum DEI alimenta adiiciat. Septima, quia sufficit diei malitia sua.

Jam vero, Apostolos huic mandato semper fideles exstitisse, DEUMQUE semper eorum necessitatibus providisse, satis patet ex verbis CHRISTI tempore passionis ad eos directis. (LUCAE 22-35:) *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.*

Verba sane consolatione plena, praesertim pro filiis divi Francisci, qui eamdem vitae normam amplexati sunt eamque semper providentiam a septem fere saeculis sunt experti!

Vult enim etiam Seraphicus Pater, ut Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sed tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate DOMINO famulantes vadant pro eleemosyna confidenter, eisque firmiter praecipit, ut nullo modo denarios vel *pecuniam* recipiant per se vel per interpositam *personam.* Tandem Seraphicus Pater omnimodam etiam sui ipsius abnegationem a discipulis suis exigit, ut, sicut Apostoli, ad apicem perfectionis protendere possent.

Juxta hanc igitur formam sancti Evangelii voluit DEUS ut viverent filii S. Francisci, uti iam ab Ordinis incunabulis Patriarchae nostro coelitus fuit manifestatum. Cum enim vocationem primi sui discipuli Bernardi a Quintavalle probare vellet, exposcens a DEO trino testimonio sanctum eius propositum confirmari, ter Evangeliorum librum aperuit, et in prima libri apertione illud occurrit: *Si vis perfectus esse, vade et vende quae habes, et da pauperibus.* In secunda: *Nihil tuleritis in via.* In tertia: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* « Haec est, ait statim vir sanctus, vita et regula nostra, omniumque qui nostrae voluerint societati coniungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, et perfice quae audisti. »

Quod autem, sicut Apostolis, veris Regulae ~~nostrae sectatoribus divina Providentia~~ numquam etiam defuerit, nimis notum est quam ut probari debeat. Sufficiat hac de re verba Patris a Lapide (Comm. in caput VI MATTHAEI) referre, ubi ait: « Sane magni et continui instar est miraculi, videre tot Religiosos et Religiosas Ordinis S. Francisci paupertatem professas, sine censu, sine redditu, honeste tamen et commode ex fidelium eleemosynis vivere: nimirum hic elucet DEI erga suos pauperes providentia. Hic impletur illud Psaltis, quod S. Franciscus suis profecturis pro viatico dabat:

Jacta super Dominum *curam tuam, et Ipse te enutriet* (Ps. 54-22). Hinc in Hispania Franciscano cuipiam nomine S. Francisci petenti eleemosynam, nullus audet negare, sed omnes liberaliter sua offerunt. Idem faciunt aliae nationes Christianae. »

Verum haec verba Patris Cornelii a Lapide applicari tantum possunt Minoritis Regulam suam et praecipue vitam communem rite servantibus, iuxta id quod ipse Seraphicus Pater eis praedixit dicens (Collatione v.) « Quantum Fratres declinabunt a paupertate, tantum mundus declinabit ab eis, et quaerent et non invenient; si Dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet, quia mundo dati sunt ad salutem. »

Hinc advertunt passim Visitatores Provinciarum, illas religiosas familias, quae laxate vivunt et in quibus communitas bonorum desideratur, multis indigere quoad sustentationem corporalem, et vel ipsos infirmos absque debita cura relinqui, nec ab eis quidem qui peculium habent eorum necessitatibus subveniri. Quod quam grande sit piaculum novimus ex Regula, quae sub mortali iubet, ut alii Fratres eis serviant sicut vellent sibi serviri.

Haec igitur est gloria Ordinis nostri, quod ad normam Apostolorum altissimam profiteri debeat paupertatem et quod per hanc omni tempore tot sanctitatis fructus protulerit et tot mirabilia in Ecclesia Dei operari potuerit. Sanctus enim Chrysostomus (hom. 46 sup. Matth.) totum triumphum Apostolorum de universo orbe his verbis attribuit evangelicae paupertati: « Si duodecim homines orbem terrarum convertunt, excogita quanta sit nostra malitia, cum tanti existentes, eos qui errant non possumus corrigere, quos decem millibus mundis oportebat sufficere et esse fermentum. Sed (dices) signa habebant? sed non signa eos mirabiles fecerunt; multi enim, etiam daemones proiicientes, quia iniquitates operati sunt, non facti mirabiles, sed puniti fuerunt. Sed quid, inquam, est quod eos magnos ostendit? *Pecuniarum contemptus, gloriae despectus, ab omnibus vitae huius negotiis ereptio.* Quia si hoc non habuissent, etiamsi decem millia mortuorum suscitassent, non solum nulli profecissent, sed et seductores aestimati essent. »

His consonat Damascenus (lib, 3) cum dicit: « Evangelium divinae cognitionis praedicatum non in bellis et carneis exercitibus adversarios devincens, sed pauci, nudi, pauperes et illiterati, verberati et mortificati, crucifixum mortuum praedicantes, sapientibus et insipientibus praevaluerunt. »

Mirum proinde non est S. P. N. Franciscum sanctam paupertatem tantum amasse, eamque tot laudibus exaltasse tantaque sollicitudine suis Fratribus commendasse.

Praeter hucusque exposita, inquirere forsan quis vellet, utrum Apostoli in societate Jesu communem vitam servaverint. Haec autem quaestio, nostro quidem iudicio, non modo otiosa, sed et iniuriosa Salvatori censenda est. Cum enim hoc vitae genus effectus sit charitatis fraternae, ubinam perfectius servari debuit quam in collegio apostolico? Hinc dicendum potius est cum aliquo scriptore: « Christum Jesum perfectissimam communionem re et facto cum suis Apostolis coluisse, res compertissima est et aliter suspicari scelus est. »

Unde etiam noluit Deus ut Evangelistae hac de re specialem mentionem facerent, quamvis S. Lucas id praestiterit de primorum fidelium vita sermonem instituens. Et revera, ut verbis S. P. N. Francisci utamur, si mater nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debuit piissimus Jesus diligere et nutrire charos suos Apostolos, quibus omnia relinquere iussit, ut Ipsum sequerentur? Notandum tamen, magnam dari differentiam inter vitam communem, quam Jesus duxit cum Apostolis, et eam quam primi fideles servarunt et Religiosi in monasteriis ducunt. Ipse enim neque domum neque pecuniam habebat, sed pura liberalitate fidelium cum suis discipulis vivebat. Unde tempore praedicationis in hospitio recipiebantur, et dum iter faciebant cum Jesu a piis mulieribus necessariam sustentationem recipiebant. Sic legimus apud S. Lucam (viii 1, 2, 3.) « Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat, praedicans et evangelizans regnum Dei: et duodecim Apostoli cum eo, et mulieres aliquae quae erant curatae... et Maria Magdalene... et aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis. » Caeterum qui misertus est super turbam famelicam et

in eius gratiam panem multiplicavit, discipulos suos de necessariis etiam semper paterne providit, et communi mensa cum eis assedit (1) omnium servum et ministrum se esse declarans. Hinc in ultima coena ad eos dixit (Luc. xxii, 2 et seqq.) « *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Alludit nempe ad quotidianum panem in tribulatione sumptum, et Apostolis suis remunerationem promittens addit: Et *ego dispono vobis sicut disposuit mihi* Pater *meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.*

(Continuabitur.)

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1884 celebrata.

XXV

Collegium civitatis Catamarcae in Republica Peruviana.

Die 18 Octobris 1884 in Collegio civitatis *Catamarcae* in Republica Peruviana celebratum fuit Capitulum Guardianale, in quo electi fuerunt:

Guardianus Collegii:

R. P. Pacificus Ferrà.

Discreti Collegii:

R. P. Antonius Berduque.
R. P. Leonardus Mogollon.
R. P. Leonardus Badiola.
R. P. Emmanuel Vergaer.

XXVI

Ref. Provincia S. Bernardini in Aprutiis

Die 16 Decembris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

Minister Provincialis:

A. R. P. Diomedes a Penscocostantio, Missionarius Apostolicus emeritus.

Custos Provinciae:

R. P. Angelus Maria a Capestrano.

Definitores Provinciae:

R. P. Valerius ab Alvito.
R. P. Joel a Traiecto.
R. P. Salvator a Scanno.
R. P. Seraphinus a Galliano.

NOVA ECCLESIA

in Provincia SS. Cordis

Patres Recoll. Provinciae SS. Cordis Jesu ante 9 circiter annos Indianopoli in statu *Indiana* in America septentrionali novum Conventum fundarunt. Ob defectum ecclesiae divina officia ad interim in una parte dicti Conventus peregerunt. Nuper novam ecclesiam aedificarunt, quam mense Decembri anni proxime elapsi Rmus D. Franciscus Chatard, Episcopus Vincennopolitanus ritu solemni dedicavit in honorem SS. Cordis Jesu.

PATRES NOSTRI IN CONCILIO BALTIMORENSI.

Concilium Plenarium Baltimorense tertium in Statibus foederatis Americae celebratum fuit a die 9 Novembris usque ad diem 7 Decembris anni proxime elapsi, cui sequentes Patres nostri Ordinis interfuerunt:

A. R. P. Vincentius Halbfas, Minister Provincialis Recoll. Provinciae SS. Cordis Jesu;

A. R. P. Theophilus Pospisilik, Custos Ref. Custodiae Buffalensis Immaculatae Conceptionis;

A. R. P. Lucas Gottbehoede, Custos Ref. Custodiae Cincinnatensis S. Joannis Baptistae;

A. R. P. Damasus Rüsing, Custos Recoll. Custodiae S. Elisabeth Thuringiae;

A. R. P. Leo a Saracena, Ex-Custos Buffalensis, Theologus Rmi D. Episcopi Hartfordiensis; et

A. V. P. Ferdinandus Bergmeyer, Custos Provinciae SS. Cordis Jesu, Theologus Rmi D. Episcopi Vincennopolitani.

NOVUS CONVENTUS IN PORTUGALLIA

Die 8 Decembris nuper elapsi, auspice Immaculata Deipara, Ordinis nostri Patrona, solemniter cultui restituta est ecclesia antiqui

(1) Hoc etiam post resurrectionem aliquoties fecisse legitur.

Conventus S. Bernardini prope *Peniche*, in dioecesi Ulyssiponensi, adstantibus circiter 1500 fidelibus ad Missae solemnia, inter quae ad populum sermonem habuit R. P. Antonius a Praesepe, Guardianus Conventus Varatojani. Praelaudatum Conventum S. Bernardini Patres de *Varatojo* mense Junii 1884 iam occupaverant, ibidemque iuvenes Clericos instituendos collocarant.

NOVUS CONSULTOR

SS. D. N. Leo PP. XIII nominavit Consultorem Commissionis Cardinalitiae studii historiae ecclesiasticae *A. R. P. Marcellinum a Civetia,* Definitorem Generalem, Missionum Ordinis historiographum et S. Congregationis de Propaganda Fide iam Consultorem.

CARDINALES PROTECTORES
Ordinis Nostri

1. *Hugolinus,* postea Gregorius IX, natus Anagniae ex Comitibus Signiae. Electus Protector anno 1217, et Summus Pontifex 1227. Protectoris titulum sex menses in Pontificatu retinuit. Obiit Romae die 22 Augusti 1241.

2. *Raynaldus*, filius fratris Gregorii IX, deinde Alexander IV. Electus Protector anno 1227, et Pontifex die 12 Decembris 1254. Die 4. Octobris 1255 per Bullam *Inter alia* indulsit, ut Ministri Generales statim ac iuxta Regulam et Constitutiones electi fuerint, officium suum in omnibus libere valeant exercere. Ordinem protexit usque ad mortem. Obiit Viterbii die 25 Maii 1261.

3. *Joannes Caietanus Ursinus*, Romanus, postea Nicolaus III. Electus Protector 1261, et Pontifex die 25 Novembris 1277. In Pontificatu duobus annis Protectoratum Ordinis retinuit, quem nepoti suo committens inquit: « Damus tibi potissimum, quod habemus; tradimus cordis nostri delicias, pupillam oculorum nostrorum. » Die 22 Augusti 1280 obiit Suriani, ubi anno 1279 famosam fecerat Decretalem *Exiit qui seminat.*

4. *Matthaeus Rubeus Ursinus*, Romanus. Electus 1279. Obiit anno 1307.

5. *Fr. Joannes Minius de Murrovallium*, Picenus, iam decimus quartus Minister Generalis Ordinis, et postea Cardinalis Episcopus Portuensis. Electus Protector 1307, interfuit Concilio Viennensi, ubi die 6 Maij 1312 Clemens V edidit celebrem Regulae declarationem *Exivi de Paradiso.* Obiit Avenione 1312.

6. *Arnaldus de Pelagrua,* Gallus, Burdigalensis. Electus 1313. Obiit 1334.

7. *Jacobus Caietanus de Stephanellis,* Romanus. Electus die 23 Julii 1334. Fuit Ordini addictissimus. Obiit Avenione 23 Junii 1343, sepultus in Capella ab ipso aedificata in Vaticano.

8. *Talairandus,* Gallus, Comes Petragoricensis. Electus 1343. Obiit Avenione die 17 Januarii 1364.

9. *Nicolaus de Ressa,* Gallus. Electus 1364. fuit diligens Protector Ordinis, quem etiam rexit ut Vicarius ab anno 1366 usque ad Capitulum sequentis anni. Obiit Romae 1369.

10. *Philippus Cabassole*, Gallus. Electus 1369. Obiit Perusiae 27 Augusti 1372.

11. *Gulielmus de Judicibus,* Gallus, utriusque iuris consultissimus. Electus 1373, quo anno Gregorius XI Protectoris auctoritatem coarctavit. Obiit Avenione die 28 Aprilis 1374. (Ab eo tempore usque ad annum 1390 nullus invenitur Ordinis Protector ob Ecclesiae schisma.)

12. *Franciscus Carbonus*, ex nobilissima Neapolitana familia, Ordinis Cisterciensis. Electus 1390. Effecit, ut Clarissarum regimen Ordinis Praelatis committeretur. Obiit Romae 19 Junii 1405.

13. *Jordanus Ursinus,* Romanus. Electus 1405. Observantes ex sanctuario Montis Alvernae deturbatos restituit. Obiit 29 Maii 1439.

14. *Julianus Caesarinus*, Romanus. Electus 1439. Legatus Apostolicus contra Turcas, in clade Varniensi die 10 Novembris 1444 gloriose occubuit.

15. *Dominicus Capranica,* Romanus. Electus 1445. Obiit Romae 1 Septembris 1458.

16. *Bessarion Trapezuntinus,* Graecus, Ordinis S. Basilii. Electus 1458. In controversia Sanguinis Christi S. Jacobum a Marchia defendit. Obiit Ravennae 18 Novembris 1472.

17. *Fr. Petrus Riarius,* Savonensis, Minorita, Sixti IV sororis filius. Electus 1472, aetatis suae anno 28 praemature obiit Romae die 5 Januarii 1474.

18. *Iulianus de Ruvere,* Savonensis, Sixti IV fratris filius, et postea Julius II. Electus Protector 1474, et Pontifex 1 Novembris 1503. Obiit 11 Februarii 1513.

19. *Dominicus Grimanus,* Venetiarum principis filius. Electus 1503, obiit Romae 27 Augusti 1523, translatus Venetias ad ecclesiam S. Francisci de Vineis.

20. *Andreas de Valle*, Romanus. Electus 11 Decembris 1523. Obiit Romae 3 Augusti 1534, sepultus in cappella suae familiae in ecclesia Aracoelitana.

21. *Fr. Franciscus Quignonius,* Hispanus, iam Ordinis 47mus Minister Generalis. Electus 1534. De Ordine et Ecclesia ac Urbe meritissimus. Pie obiit Verulis die 27 Octobris 1540, fuitque Romam translatus ad suam titularem ecclesiam S. Crucis in Jerusalem, ubi in eius monumento legitur: « De morte ac resurrectione cogitans vivens sibi posuit. Exspecto donec veniat immutatio mea ».

22. *Rudolphus Pius,* Carpii comitis filius. Electus 1540, Felicem Perettum, postea Sixtum V, valde dilexit, et ad Ordinis et Ecclesiae dignitates promovit. Obiit Romae 10 Julii 1564.

23. *S. Carolus Borromaeus,* Mediolanensis, Pii IV sororis filius. Electus 1564. Ecclesiae suae regendae totus intentus, primo sibi adscivit Vice-Protectorem, postea vero munus dimisit. Obiit Mediolani die 3 Novembris 1584.

24. *Julius Feltrius de Ruvere,* filius Ducis Urbinatis. Electus 1570. Obiit plenus meritis Forosempronii die 5 Septembris 1578; ac translatus Urbinum requiescit in ecclesia S. Clarae,

25. *Franciscus Alciatus*, Mediolanensis. Electus 1578. Ultimus fuit, qui totam Franciscanam Familiam, comprehensis Conventualibus et Capuccinis, eodem titulo protexit. Obiit Romae die 24 Maii 1580, sequenti apud Carthusianos epitaphio laudatus: « Virtute vixit, memoria vivit, gloria vivet ».

26. *Ferdinandus de Medicis,* Magni Ducis Hetruriae germanus. Electus anno 1580. Anno 1588 demortuo sine prole Fratri succedens, coactus Cardinalatum dimittere, titulum quidem Protectoris, non vero protectionem abdicavit.

27. *Hieronymus Matthaeius,* Romanus. Electus anno 1588 a Sixto V. Obiit Romae 3 Decembris 1603. Sepultus est in sacello gentilitio in ecclesia Aracoelitana.

28. *Pompeius Arigonius,* Romanus. Electus anno 1604. Factus Archiepiscopus Neapolitanus, apud Neapolim obiit die 4 Aprilis 1616.

29. *Fabritjus Verallus,* Urbani VII affinis. Electus anno 1616. Romae obiit 17 Septembris 1624. Post eius mortem Protectoris officium fere novennio vacavit, quia Summus Pontifex nullum alium suffecit.

30. *Franciscus Barberinus,* Florentiae natus, germani fratris Urbani VIII filius. Electus die 12 Februarii 1633, Franciscanorum amantissimus et ultra 45 annos egregius Protector. Senio confectus die 28 *Augusti 1678* officium resignavit. Obiit Romae anno 1680. Sepultus in ecclesia S. Laurentii in Damaso.

31. *Alderanus Cybo*, Secretarius Status Innocentii XI. Electus die 9 Novembris 1678. Innocentius XII edito Brevi *Christifidelium* die 16 Februarii 1693 cuiusque Ordinis Protectorum facultates coarctavit. Obiit Romae anno Jubilaei 1700.

32. *Fabritius Spada,* Romanus, Secretarius Status Innocentii XII. Electus 14 Decembris 1700. Obiit 15 Junii 1717.

33. *Laurentius Casonus,* Sarzanensis. Electus 31 Januarii 1718. Obiit Romae 19 Novembris 1720.

34. *Laurentius Corsinus,* Florentinus, postea Clemens XII. Electus Protector anno 1720, et Pontifex 12 Julii 1730. Ordinis protectionem quoad titulum duobus annis cum dimidio, et quoad rem usque ad mortem servavit. Obiit die 6 Februarii 1740.

35. *Traianus de Aquaviva,* Neapolitanus. Electus die 12 Januarii 1733. Obiit Romae die 2 Martii 1747.

36. *Hieronymus Columna*, Romanus, consanguineus illius Joannis Cardinalis Columnae de S. Paulo, qui fuit primus S. P. N. Francisci fautor coram Innocentio III. Electus anno 1747. Obiit die 18 Januarii 1763.

37. *Aloysius Maria Torregiani,* dictus *Cardinalis ab eleemosynis*, Florentinus. Electus die 28 Januarii 1763. Obiit die 6 Januarii 1777.

38. *Bernardinus Giraud*, Romanus. Electus a Pio VI die 14 Januarii 1777. Repentino morbo correptus obiit die 6 Maii 1782.

Post eius mortem dictus Pontifex, nostri amantissimus, protectionem per quinque fere annos sibi reservavit.

39. *Romualdus Braschi de Honestis,* Pii VI ex sorore nepos. Electus die 27 Martii 1787, avunculi amorem erga Minores aemulatus, triginta per annos Ordinis res efficaciter promovit. Obiit Romae die 30 Aprilis 1817.

40. *Petrus Franciscus Galleffi,* Genuensis, Clericus Regularis S. Pauli, Secretarius Status Gregorii XVI. Electus die 9 Maii 1817. Obiit Romae die 18 Junii 1837.

41. *Aloysius Lambruschini,* Genuensis, Clericus Regularis S. Pauli, Secretarius Status Gregorii XVI. Electus anno 1837. Basilicam S. Mariae Angelorum de Portiuncula terraemotu collapsam mireque instauratam die 8 Septembris 1840 solemnissime consecravit. Obiit Romae die 12 Maii 1854.

42. *Antonius Maria Cagiano de Azevedo,* Dioecesis Aquinatis in regno Neapolitano. Electus anno 1854. Sub eius praesidentia Capitulum Generale anno 1862 in Conventu Aracoelitano fuit celebratum. Obiit Romae die 13 Januarii 1867.

43. *Aloysius Amat,* Calaritanus, Episcopus Ostiensis, electus anno 1867. Obiit Romae die 30 Martii 1878.

44. *Aloysius Bilio,* Taurinensis, Maior Poenitentiarius, Clericus Regularis S. Pauli. Electus anno 1878. Obiit Romae die 30 Januarii 1884.

45. *Joannes Simeoni,* Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide. Electus est die 12 Martii 1884, quem Deus conservet ad multos annos.

III.
MISSIONES

LITTERAE
S. C. DE PROPAGADA FIDE

quibus monentur religiosae Familiae, quae orientalium Missionum curam susceperunt, ut exigant studium respectivarum linguarum ab illis, qui huic s. ministerio mancipare se velint.

Reverendissime Pater,

Quandoquidem, miserante Deo, ostium ad conversionem haereticorum et schismaticorum quotidie latius aperiri dignoscitur; et regiones iam albae ad messem videntur, oportet eos praeprimis qui ab Apostolica Sede ad hoc opus procurandum mittuntur, prudenti usos oeconomia, collatisque viribus et consiliis alacrius coeptis insistere, satagentes ne unquam ea careant scientiarum ac litterarum cognitione, quae in diversis missionum locis necessaria est ad apostolicum munus rite ac utiliter obeundum. Cum enim fides, docente Apostolo, per auditum sit, auditus per verbum Christi, nemo autem credat nisi audiat praedicantem, necesse est hunc eo uti sermone quam auditores probe noverint et intelligant. Nisi enim, ait apostolus Paulus (I. Corinth. XIV. 9), *vos per linguam.. manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo; et nihil sine voce est. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus; et qui loquitur, mihi barbarus.* Quamobrem in Ecclesiae primordiis divinitus et praeter ordinem factum est, ut Apostoli omnia loquerentur genera linguarum; quarum notitiam in illis rerum adiunctis humano studio assequi non poterant. Ecclesia autem constituta, tale subsidium non a Deo praeter ordinem expectandum fuit, sed humano labore atque industria comparandum. Quare nil crebrius atque instantius ab Apostolica Sede desideratum est, expetitum, iussum, quam ut missionarii tempestive addiscerent et probe callerent linguas, quibus populi ab ipsis erudiendi uti consueverunt; eamque ob causam plura S. Congreg. de Propaganda Fide decreta prodierunt, quae etiam apostolicarum missionum collegia respiciunt, in quibus religiosi viri ad christianam fidem catholicamque religionem propagandam mittendi opportune instituuntur. Etsi vero in calamitosis hisce temporum adiunctis ea vix, aut ne vix quidem, consistere possint, non tamen necessaria media volentibus et conantibus deficiunt. Nulla enim est ferme ex celebrioribus Europae urbibus, in qua sive ad commercii negotia utilius procuranda, sive ad diplomaticas relationes tutius fovendas, Orientalium linguarum scholae desiderentur.

Has vero praevertisse visa est Apostolica Sedes, quandoquidem post editum oecumenici concilii Viennensis decretum de orientalium linguarum cathedris apud praecipuas nonnullas

universitates instituendis, eas in Pontificio romano Athenaeo erexit, atque ad novissima haec tempora, quoad licuit, fovit atque aluit. Novissime vero s. m. Pius PP. IX sollicitus quam qui maxime de Ecclesiarum ritus orientalis miserrima conditione relevanda, hoc etiam in earum utilitatem sancivit, ut peculiares linguarum quae apud illas usurpantur cathedrae in hac alma Urbe extarent, in quibus tum litteralis tum vernacula earum loquendi atque scribendi forma traderetur; quod sacrae huius Congregationis cura ac studio in aedibus s. Apollinaris penes Pont. seminarium romanum iampridem factum est. Hac ratione provide consultum fuit procurandis eidem Congregationi fidelibus doctisque interpretibus, atque etiam missionariis citius atque utilius instituendis. Decessoris sui vestigiis inhaerens SSmus D. N. Leo div. prov. PP. XIII, studiosissimus et Ipse restituendi iamdiu discissam apud orientales Ecclesias catholicam unitatem, tanto operi adiutricem manum strenue admovit, dato etiam mandato, ut solertissimi ex earumdem scholarum auditoribus, cura sacrae hujus Congregationis, in Orientem mittantur, ut linguas, ritus moresque ecclesiarum orientalium ipsi coram audiant, inspiciant, penitus addiscant. Quo scholarum praesidio si usi fuerint qui sacris missionibus in illis regionibus obeundis se devovere intendunt, celerius atque utilius diversas quae illic usurpantur linguas callebunt, et ubi ad praestituta sibi loca devenerint, servi inutiles diu non erunt, verum sacris suis ministeriis citissime perfungi poterunt.

Quam ob rem sacra haec Congregatio pro negotiis orientalibus universos moderatores religiosarum Familiarum, quae orientalium missionum curam susceperunt, sedulo graviterque monet, ut studium linguarum, quae eum in finem necessariae sunt, ab iis omnino exigant qui ad sacrum illud ministerium incumbere velint. Missionum autem Praefectis mandat, ut id ipsum severe exigant; et quos noverint desides in hac sui muneris parte adimplenda, huic S. Congregationi denunciare non morentur. Demum RR. PP. DD. Delegati apostolici pro suo munere ad omnimodam praemissorum exequutionem advigilabunt, et memoratam S. Congregationem edocere non praetermittent.

Hisce praesidiis, praeter alia, instructi apostolici viri, quibus datum est catholicae fidei veritatem atque unitatem promovere, ad animarum salutem procurandam quotidie magis incumbant, minime dubitantes quin misericors Deus opus quod coepit perficiat, confirmet solidetque, et Ecclesiam catholicam aberrantibus ovibus in unicum Christi ovile adductis, nova iugiter filiorum accessione laetificet.

Datum ex aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 22 iulii 1883.

Ioannes Card. Simeoni *Praefectus.*
Seraphinus Cretoni,
Secretarius pro Negot. orientalibus.

—

Nomina Religiosorum
Ordinis nostri, qui anno 1884 ad exteras Missiones destinati sunt.

I.

Ad Missiones Terrae Sanctae

1. *P. Hieronymus a Sijano,* Sacerdos professus Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.
2. *P. Aloysius Cimarelli de Fulgineo,* Sacerdos professus Obs. Provinciae Seraphicae.
3. *P. Joannes de Melita,* Sacerdos professus S. Custodiae T. S., Missionarius Apostolicus.
4. *P. Michael de Cora,* Lector Theol. Generalis, Obs. Provinciae Romanae.
5. *P. Nicolaus de Monte Vidone Conradi,* Sacerdos professus Ref. Provinciae Marchiae.
6. *P. Augustinus Holohan,* Sacerdos professus Recoll. Provinciae Hiberniae.
7. *P. Thomas a Cora,* Sacerdos professus Obs. Provinciae Romanae.
8. *P. Apollinaris Leibert,* Sacerdos professus Recoll. Provinciae Saxoniae, Missionarius Apostolicus.
9. *P. Stanislaus Kraus,* Sacerdos professus Recoll. Provinciae Saxoniae, Missionarius Apostolicus.
10. *P. Hermannus Joseph Dreimüller,* Sacerdos professus Recoll. Provinciae Saxoniae, Missionarius Apostolicus.
11. *Fr. Aloysius de Castronovo,* Laicus professus Obs. Provinciae Vallis Mazzariae.
12. *Fr. Isidorus Maria a Roscoff,* Laicus professus Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

13. *Fr. Franciscus Echeverria,* Laicus professus Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

14. *Fr. Raymundus a Villalba,* Laicus professus Obs. Provinciae S. Ludovici.

15. *Fr. Marcardus Timpfler,* Laicus professus Ref. Provinciae Tirolensis S. Leopoldi.

16. *Fr. Romualdus ab Arpino,* Laicus professus Ref. Provinciae Tusciae.

17. *Fr. Joseph de Alexandria ab Arce,* Tertiarius Obs. Provinciae Vallis Mazzariae.

18. *Fr. Prosper a S. Donato,* Laicus professus Ref. Provinciae Aprutiorum.

II.

AD MISSIONES SINENSES

Ad Vicariatum Apostolicum de Chan-tong

19. *P. Pius a Neptuno,* Sacerdos professus Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

20. *P. Rochus ab Arenis*, Sacerdos professus Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

Ad Vicariatum Apostolicum de Chan-sy

21. *P. Hugolinus Villeret a Dorlanio,* Sacerdos professus Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

22. *P. Theodoricus Balat a S. Martino Tauri,* Sacerdos professus Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

Ad Vicariatum Apostolicum in Chen-sy.

23. *P. Stephanus Rougé a Beauteville,* Sacerdos professus Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

24. *P. Amadeus Tissot de la Barre de Merona a Parisiis,* Sacerdos professus Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

Ad Vicariatum Apostolicum in Hu-nan meridionali.

25. *P. Edmundus Roediger,* Sacerdos professus Recoll. Provinciae SS. Cordis Jesu.

26. *P. Joannes a Capistrano Goette*, Sacerdos professus Recoll. Provinciae SS. Cordis Jesu.

III.

AD MISSIONEM CONSTANTINOPOLITANAM

27. *P. Pacificus de Collepardo*, Sacerdos professus Ref. Provinciae Romanae.

28. *P. Odoricus a Genua*, Sacerdos professus Ref. Provinciae Genuensis.

29. *P. Simeon Wilizynski*, Sacerdos professus Ref. Provinciae Poloniae Maioris.

IV.

AD MISSIONES ALBANIAE

30. *Fr. Paschalis Menes de Artenio*, Laicus professus Obs. Provinciae Jadrensis.

31. *Fr. Jovita Ravagni de Cadine,* Laicus professus Ref. Provinciae Tirolensis S. Vigilii.

V.

AD MISSIONES IN BOLIVIA

Ad Collegium Apost. de Taratá.

32. *P. Angelus Grosso*, Sacerdos professus Obs. Custodiae Melitensis.

33. *Fr. Gabriel de Teano,* Tertiarius Obs. Provinciae Romanae.

Ad Collegium Apost. in Tarija.

34. *P, Zacharias de Salutio*, Sacerdos professus Ref. Provinciae Tusciae.

35. *P. Terentius de Villa de Roti,* Sacerdos professus Ref. Provinciae Tusciae.

VI.

AD MISSIONES IN REPUBL. CHILENA.

Ad Collegium Apost. de Castro.

36. *Fr. Ludovicus Melloni*, Laicus professus Obs. Provinciae Bononiensis.

VII.

AD MISSIONES IN REPUBL. ARGENTINA

Ad Collegium Apost. de Salta.

37. *P. Franciscus Maria a Novaria*, Sacerdos professus Ref. Provinciae Insubriae.

38. *Fr. Petrus Papini,* Clericus professus Obs. Provinciae Tusciae.

COMMISSARIUS TERRAE SANCTAE

Die 1 Januarii 1885 electus fuit Commissarius Terrae Sanctae pro regionibus Peruvii et Aequatoris A. R. P. LEONARDUS CORTES, Ex-Commissarius Generalis.

In Republica Aequatoriana in civitate Guayaquil adest Vice-Commissarius Terrae Sanctae, R. P. Bernardinus Alexandrini, et in civitate Quito R. P. Franciscus pariter Vice-Commissarii munere fungitur. Ambo a praefato P. Commissario dependent.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

Nova editio

Diurni Romano-Seraphici

Rmus P. Minister Generalis novam editionem Diurni Romano-Seraphici parandam curavit cum omnibus novis festis propriae stationi assignatis.

Diurnum hoc in 8° maj. *pro Choro* prodiit circa initium anni elapsi (Cf. *Acta Ordinis*, Ann. III. p. 47.).

Circa finem anni elapsi prodiit Diurnum parvum in 32, sub sequenti titulo:

Horae diurnae breviarii romano seraphici a SS. D. N. Pio Papa VI dudum approbatae ac Reverendissimi P. Bernardini a Portu-Romatino, totius Ordinis Fratrum Minorum Ministri Generalis cura impressae et officiis novis locupletatae. Mechliniae, H. Dessain, Summi Pontificis, S. Congregationis de Propaganda Fide et Archiepiscopi Mechliniensis typographus. MDCCCLXXXIV.

Diurnum hoc parvum a Curia Aracoelitana procurari potest pro pretio L. 2,75; ligatum pro pretio L. 4. (In praefato pretio non continentur transmissionis expensae).

1872. Rudimentos del Àrabe que se halla en el imperio de Marruecos, con numerosos ejercicios y temas aplicados á la teoria, por el P. Fr. José de Lerchundi, misionero Franciscano Observante en Tetuan, con las licencias necesarias. — Madrid, imprenta y estereotipia de M. Rivadeneyra, calle del Duque de Osuna, número 3. — pag. XII. 1ª parte 421, 2ª parte 70.

1885. Analecta Franciscana sive Chronica aliaque varia Documenta ad historiam Fratrum Minorum spectantia, edita a Patribus Collegii S. Bonaventurae, adiuvantibus aliis Patribus eiusdem Ordinis. Tomus I. Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam, ex typographia Collegii S. Bonaventurae. In 8. gr. pag. 450 (L. 8 franco).

Huius publicationis scopum Editores in praefatione ad istum tomum primum sequentibus verbis indicant; « Plurima priorum Ordinis saeculorum monumenta collecta, excerpta, digesta inveniuntur in Annalibus Waddingi, in Orbe Seraphico P. Dominici a Gubernatis, in Chronologia historico-legali, aliisque operibus. Ipsa autem magnorum illarum collectionum indoles non permisit, ut haereretur in specialioribus singularum Provinciarum et Conventuum memorabilibus enarrandis. Remanet igitur post tot opera magnum spicilegium rerum quae dignae sunt, ut ab oblivione vindicentur. Incitati igitur consilio et adiuti opera complurium gravium Ordinis nostri Patrum, atque suffulti auctoritate Rmi nostri Ministri Generalis, conati sumus ea cujusvis generis documenta, imprimis chronica antiquiora, colligere et in lucem edere, quae idonea videntur, tum ut expleant lacunas praedictorum Annalium, tum ut pleniorem et specialiorem Ordinis nostri notitiam praebeant, tum etiam ut confratres nostros legentes efficacibus stimulis incitent ad aemulanda maiorum nostrorum praeclara virtutum et laborum exempla. Quamquam in animo est, his Analectis praecipue inserere opuscula nondum typis expressa, nihilominus non excludenda nobis videntur ea opuscula, quae edita quidem sunt, sed oblivioni tradita vel rarissima et acquisitu difficillima, dummodo maioris sint momenti. »

In isto primo tomo Analectorum publicantur.

1. *Chronica fratris Iordani a Iano.*
2. *Missio Seraphica in imperio Sinarum.*
3. *Cosmographia Franciscano-Austriacae Provinciae.*
4. *Fratris Thomae Eccleston liber de adventu Fratrum Minorum in Angliam.*
5. *Chronica anonyma Fratrum Minorum Germaniae.*
6. *Commentariolum de Veneta Provincia Reformata S. Antonii.*
7. *Parva Chronica Provinciae Seraphicae Reformatae.*

V.

NECROLOGIA

—

Rmus Dnus Bonaventura Rizo. Natus est Catamarcae in Dioecesi Saltensi ex Confoederatione Argentina in America meridionali. Seraphici Ordinis nostri habitum sumpsit in Obs. Provincia Assumptionis B. M. V. Fluvii Platensis. Die 13 Iulii 1860 electus est Episcopus Saltensis. Per 24 annos Dioecesim magna prudentia rexit et populi commissi amorem sibi devinxit. Jura S. Ecclesiae eximia fortitudine defendit, quapropter a malevolo gubernio, uti narravimus, exilii decretum contra ipsum fuit publicatum. (1) Priusquam autem hoc Decretum executioni mandaretur, Divina Providentia hunc fidelem servum ad aeterna

(1) Cfr. *Acta Ordinis*, Anno III, pag. 212.

tabernacula vocavit. Die 6 Novembris 1884 apoplexia tactus est, et die 13 ejusdem mensis in DOMINO obdormivit. Ultima ipsius verba fuerunt: *Quam dilecta tabernacula Tua, Domine!* et: *Domine, si adhuc sum neecessarius populo tuo, non recuso laborem.*

ADM. R. P. WENCESLAUS PIERALISI AB AESIO. Nemo in hac temporis angustia a nobis, recenti calamitate commotis, laudationem P. Wenceslai ab Aesio nuper defuncti meritis parem exigat: summa tantum ingenii et virtutum lineamenta dabimus, quae desideratissimi viri imaginem referant et iacturae lacrymas aliquo solamine abstergant.

Aesii piis parentibus ortus, anno 1820 die 28 mensis Iunii, pietate et innocentia morum a puero splenduit; adolescens in patrio gymnasio humanas litteras didicit, et ab ipsis litterariis exordiis tanta mentis acie emicuit, ut praeceptores admiratione ducti de eo magna praenunciarent. Anno aetatis suae sextodecimo, gymnasiali cursu summa cum laude absoluto, Ordinem seraphicum in Reformata Provincia Picena amplexus et professus est.

Mox ad Philosophiae ac Theologiae studia incubuit, satis amplam ingenio suo palaestram, in qua prae confratribus singulariter excelluit.

Studiorum curriculo feliciter emenso, Superiorum iussu ingenii vires periclitatus est in Philosophiae et Theologiae concursibus, quos multa cum laude sustinuit, unanimique Patrum suffragio ad primarias Provinciae cathedras fuit destinatus. Tunc scholasticorum Doctorum scripta diligentius et plenius evolvit, eorumque doctrinam eo quo pollebat mentis acumine meditatus, formulas quasdam ad trutinam revocavit emendavitque, et claro eloquio a facilioribus ad difficiliora planam fecit discenti iuventuti sapientiae viam.

Ideoque mirum non est quod per talem tantumque Lectorem instauratis studiis, ex Reformata Provincia Picena plurimi prodierint iuvenes, qui in philosophicis ac theologicis disciplinis optime exculti matrem Provinciam et Ordinem universum illustraverint.

In publicis vero disputationibus, quae in Ordinis generalibus studiis fieri solent, quanta P. Wenceslaus sapientia theologica praestaret maxime patuit: tunc ex illius ore quasi ex fonte pleno clarissimae validissimaeque fluebant ad dogmata defendenda ac declaranda rationes: et aliquando accidit ut coram pluribus theologis non ultimae notae ad disputationem coactus, adversariorum argumentis apertissime refutatis, pro sua sententia multas insuper rationes adduxerit ad convincendum quemlibet reluctantem validissimas.

Illius scientia extra claustra quoque claruit: ad Philosophiam et Theologiam in episcopali seminario docendam et explicandam Pisaurum vocatus, suo munere tanto discipulorum profectu tantoque plausu est perfunctus, ut post quinque lustra adhuc viva et honoratissima apud Pisaurenses P. Wenceslai memoria extet. In eadem civitate degens non tantum ecclesiasticorum virorum, verum etiam et saecularium admirationem in se concitavit. Instanter rogatus, detrectare non potuit munus concionandi ad civicos magistratus et gubernii ministros, pro spiritualibus exercitiis congregatos: tunc apostolico zelo incensus, eloquentia omnino singulari, de iis a quibus abstinendum, quaeque exercenda sint christianis viris in potestate constitutis, tanta vi tantisque validis rationibus est allocutus, ut multo tempore post et memoria et fructus sermonum P. Wenceslai perduraverint, et ad satisfaciendum devotioni plurimorum eosdem sermones typis edere debuerit.

Anno 1859 Revmus Archiepiscopus Urbinatensis pro synodo Provinciali a se convocata idoneum Theologum a Rmo P. Ministro Genli Ordinis petiit; et ad id muneris electus ac designatus fuit P. Wenceslaus, qui expectationi optime respondens inter doctos Theologos facile princeps eminuit.

Quamvis vero sapientia theologica plurimum praestaret, nunquam rationalis philosophiae studium intermisit, imo praecipue adamavit: et operibus de hac disciplina editis philosophi clarissimi nomen sibi comparavit. Prodiit primum Ethica, postea Logica; et utramque eruditissimi viri commendarunt. Latino idiomate novissime edidit Methaphisicae Institutiones, quas ad bonorum studiorum profectum maxime profuturas aptissimi judices sunt opinati: nam ratiocinatione, perspicuitate, et argumentorum robore plurimis hujusmodi institutionibus praestant.

Praeter studia, a quibus nunquam interquievit, onus etiam regendi in perturbatissimo tempore non recusavit, et tanta cum sollicitunine ac prudentia per annos decem et amplius Prominístrum egit, ut suppressae Provinciae et tot sanandis vulneribus melius providere nequiverit. Ob haec et alia merita renunciatus fuit Romae Procurator Generalis totius Reformatae familiae, cujus quidem res et necessitates firmum praesidium et opem in ejus solertia invenerunt. Laudatissime ad praefinitum tempus hoc munere perfunctus, a SSmo Leone Pp. XIII diplomate Consultoris S. Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum decoratus, in suam Picenam Provinciam se recepit, ubi iterum philosophicis studiis se dedit.

At jam dolor, quo eum ereptum e sinu nostro lugemus, fit nobis ob genus mortis acerbior et penetrabilior. Mane erat diei 22 superioris Octobris, et in cubiculo cum suis olim discipulis inter colloquiorum suavitates assidebat, cum decima hora usu loquendi repente destituitur, et pronus e sedili collabens in terram, post brevissimum tempus et impertitam sacramentalem absolutionem expiravit. Nullum tam repentini casus praecesserat signum, et prosperrima florebat valetudine. Quis fuerit circumstantium stupor, quae totius Aesii ad rumorem praecipitis mortis consternatio, nec verbis exprimi, nec cogitatione perpendi potest.

Venerandus Aesinus Episcopus ingentem animi dolorem e gravissima jactura susceptum religiosae familiae significavit, et salutarem Hostiam pientissimasque preces pro desideratissimo Patre obtulit. Pia quoque suffragia a cunctis confratribus vehementer exposcimus ut si forte adhuc non sit adepta aeternam requiem aeternamque lucem in splendoribus sanctorum electissima anima nostri P. Wenceslai, cito assequatur.

A. R. P. Pacificus Fidelis a Recineto. Natus est die 3 Decembris 1802, et Seraphicum Ordinem nostrum ingressus est in Obs. Picena Provincia die 17 Maii 1821. Magno fervore studio atque orationi incumbens, brevi tempore in scientiis et religiosis virtutibus multum profecit. Quamobrem a Superioribus institutus Lector philosophiae et S. theologiae, utramque disciplinam in variis Provinciae Conventibus laudabiliter et cum fructu docuit. Diu vixit in Conventu S. Crucis Maceratae, ubi officio Praefecti studiorum functus est. Semetipsum semper magis sanctificare studens, etiam aliorum saluti procurandae iugiter erat intentus, tum per verbi divini praedicationem tum per S. Poenitentiae sacramenti administrationem, tum per varios libros eximia doctrina et pietate refertos, quos scripsit, et quorum plures publici iuris facti sunt. Humilitatis studiosissimus numquam adduci potuit, ut Ordinis dignitates, *praesertim* Provincialatus munus, susciperet. *Post suppressionem* ad Conventum Castri Gualdi se recepit, ubi ultimis annis visum amisit. Istam probationem aliasque tribulationes mira patientia sustinuit usque ad mortem. Ultimum suum diem clausit die 30 Novembris, confratribus vitae seraphicae exemplum relinquens.

V. Fr. Aloysius Bieli, Laicus Obs. Provinciae S. Thomae Taurinensis, Commissarius Terrae Sanctae in Republicis Peruviana et Æquatoriana, pie obiit Limae die 9 Augusti 1884. Natus 1806, et anno 1858 T. S. Commissarius institutus, per 26 annos officium suum laudabili cum zelo adimplevit, et omnium animos tam Fratrum quam fidelium sibi devinxit.

Prelo iam subiecto praesenti fasciculo, triste nuntium accipimus de inexpectata morte Adm. R. P. Bernardi Van Loo, ex-Procuratoris Generalis Recollectorum, cujus animam omnium suffragiis commendamus. ~~Verus hic filius~~ S. P. Francisci, de Ordine nostro optime meritus, auctor fuit Tractatuum quibus titulus: *Incitamenta seraphica*, quorum in praesenti fasciculo adhuc habetur continuatio. Eius biographiam tempore suo dabimus.

Nihil obstat.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria VI die 28 Novembris 1884.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica, Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Repubblica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri sequens Opus damnatum atque proscriptum a Sac. Cong. S. Universalis Inquisitionis Decr. Fer. IV die 26 Novembris 1884.

La Scomunica di un' idea — Risposta al Cardinal Vicario di Roma per Monsignor. (titolo usurpato) *G. B. Savarese* — Roma, Stabilimento di Edoardo Perino, 1884. Opus praedamnatum ex Regula 2. Indicis Tridentini, quae est tenoris sequentis: « Haeresiarcharum libri, tam eorum, qui post annum MDXV, haereses invenerunt, vel suscitarunt, quam qui haereticorum capita, aut duces sunt, vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zwinglius, Calvinus, Balthasar Pacimontanus, Schwenckfeldius, et his similes, cuiuscumque nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur. Aliorum autem haereticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur. »

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedictum Opus damnatum atque proscriptum, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illud tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO D. N. LEONI PAPAE XIII. per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 28 Novembris 1884.

FR. THOMAS M. CARD. MARTINELLI
Praefectus

Fr. Hieronymus Pius Saccheri.
Ord. Praed. S. Ind. Congreg. a Secretis

Loco ✠ Sigilli

Die 29 Novembris 1884 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

—

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

Dubia nonnulla respicientia Episcoporum auctoritatem in moniales clausurae obnoxias.

Die 16 Iulii 1884.

Sub die 16 Iulii 1884 dubia sequentia proposita fuerunt diluenda S. Congregationi Ep. et Reg., nimirum:

I. An Episcopus, auctoritate propria, permittere valeat, ut recipi possint in Monaste-

riis clausurae subiectis, mulieres quae ingredi cupiunt veluti *pensionariae?*

II. Pariter potest Ordinarius, auctoritate propria, ad tempus vel in perpetuum monialem aliquam de uno ad aliud Monasterium transferre, etiam Ordinis eiusdem, iusta interveniente causa?

III. Potestne tandem Ordinarius, auctoritate propria, transferre aliquam monialem quando eadem electa fuerit in Superiorissam alterius monasterii, aut censeat utilem esse et expedire translationem eiusmodi cum hoc munere?

Sacra Congregatio Emorum Cardinalium negotiis Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis precibus die 16 Iulii 1884 mandavit rescribi: » *Negative in omnibus.* » (1)

—

INDULGENTIAE

quas Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII impertitur christifidelibus qui retinentes aliquam ex coronis, Rosariis, Crucibus, Crucifixis, parvis statuis, numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis praescripta pia opera adimpleverint. (2)

MONITA

Ut quis valeat indulgentias lucrari, quas Summus Pontifex Leo XIII impertitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui retinent aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, ac numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis requiritur:

1. Ut Christifideles in propria deferant persona aliquod ex enunciatis obiectis.

2. Quod si id minime fiat, requiritur ut illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retineant, et coram eo devote praescriptas preces recitent.

3. Excluduntur ab apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta.

4. Imagines repraesentare debent Sanctos, qui vel iam consueta forma canonizati, vel in martyrologiis rite probatis descripti fuerint.

Hisce praehabitis indulgentiae, quae ex Summi Pontificis concessione *ab eo acquiri* possunt, qui aliquod ex supradictis obiectis retinet, et pia opera, quae ad eas assequendas impleri debent, recensentur.

Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit coronam Dominicam vel aliquam ex coronis B. V. MARIAE aut rosarium eiusve tertiam partem aut divinum officium, vel officium parvum eiusdem B. Virginis aut fidelium Defunctorum, aut septem psalmos poenitentiales aut graduales, vel consueverit catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus opitulari, aut missae interesse, eamve peragere si fuerit Sacerdos; quisquis haec fecerit vere contritus et peccata sua confessus ad S. Synaxim accedet quolibet ex infrascriptis diebus, nempe Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, itemque diebus festis SSmae Trinitatis, Corporis DOMINI, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. V. MARIAE, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph Sponsi eiusdem B. MARIAE Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi, Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae, et Omnium Sanctorum; eodemque die devote DEUM exoraverit pro haeresum et schismatum extirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque S. Ecclesiae necessitatibus, quolibet dictorum dierum plenariam indulgentiam lucrabitur.

Quisquis vero haec omnia peregerit in

(1) Mirum non est taliter respondisse s. Congregationem propositis dubiis; nam moniales clausurae obnoxiae a iurisdictione Ordinariorum eximuntur. Hinc Episcopi, qui specialiter delegata a Sede Apostolica non utuntur auctoritate, nullum iurisdictionis actum explere valent in eiusmodi monasteriis. Et quoties hac delegata auctoritate Apostolica utuntur, id ostendere tenentur, ne eorumdem dispositiones irritae et nullius valoris censeantur. (Ita *Acta Sanctae Sedis*). Addendum est praedicta dubia respicere Monasteria in quibus observatur clausura papalis, non autem illa, in quibus viget tantum episcopalis clausura; haec enim posteriora ab Ordinarii iurisdictione pendent.

(2) Quum saepissime de his indulgentiis fiant quaestiones, praedictum elenchum, typis S. C. de Propaganda fide editum publicamus, in commodum Nostratum et eorum praesertim, qui eamdem benedictionem concedendi facultatem obtinuerunt. *(Nota Redact.)*

aliis festis Domini et B. V. Mariae quolibet dictorum dierum indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum acquiret; quavis Dominica vel alio anni festo indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum lucrabitur; sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, centum dierum iudulgentiam acquiret.

Praeterea quisquis consueverit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel officium parvum B. Mariae Virginis, vel fidelium Defunctorum, aut vesperas, aut nocturnum saltem cum laudibus, aut septem psalmos poenitentiales cum litaniis adiectisque precibus, quoties id peregerit, centum dierum indulgentiam consequetur.

Quisquis in mortis articulo constitutus animam suam devote Deo commendaverit, atque iuxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV in Constitutione quae incipit *Pia Mater* sub die 5 Aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem oppetire, vere poenitens, confessus et S. Communione refectus, et si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, SSmum Nomen Iesu, plenariam indulgentiam assequetur.

Quisquis praemiserit qualemcumque orationem praeparationi Missae vel Sanctae Communionis, aut recitationi divini officii, vel officii parvi B. Mariae Virginis, toties quinquaginta dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis in carcere detentos aut aegrotantes in nosocomiis inviserit, iisque opitulatus fuerit, vel in Ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties bis centum ~~annorum~~ dierum indulgentiam lucrabitur.

Quisquis ad æris campani signum mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe *Angelus Domini*, aut eas ignorans recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, centum dierum indulgentiam acquiret.

Eamdem pariter consequetur indulgentiam, qui Feria sexta devote cogitaverit de passione ac morte Domini Nostri Iesu Christi, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverit.

Is, qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere poenituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devoteque ter recitaverit *Pater* et *Ave Maria* in honorem SSmae Trinitatis, aut in memoriam Quinque Vulnerum D. N. Iesu Christi quinquies pronunciaverit *Pater* et *Ave Maria*, centum dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis devote pro fidelibus oraverit, qui sunt in transitu vitae, vel saltem pro iis dixerit *Pater noster* et *Ave Maria*, quinquaginta dierum indulgentiam consequetur.

Omnes indulgentiae superius expositae a singulis Christifidelibus vel pro seipsis lucrifieri possunt, vel in animarum purgatorii levamen applicari.

Expresse declarari voluit Summus Pontifex, supradictarum indulgentiarum concessione, nullatenus derogari indulgentiis a Praedecessoribus Suis iam ~~concessis pro quibusdam~~ operibus piis superius recensitis, quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore plene manere.

Iubet deinde idem Summus Pontifex indulgentias Christifidelibus concessas, qui retinent aliquot ex praedictis obiectis iuxta decretum sa: m: Alexandri VII, editum die 6 Februarii 1657 non transire ab illis, pro quibus benedicta fuerint, vel illis, quibus ab iis prima vice fuerint distributa; et si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem obiectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium; nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc, ut indulgentiam communicent, secus eamdem indulgentiam amittent; itemque recensita obiecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venundari, iuxta decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praepositae editum die 5 Iunii 1721.

Praeterea idem Summus Pontifex confirmat decretum sa: me: Benedicti XIV editum die 19 Augusti 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc. uti supra impertitae, non intelligi privilegio gaudere altaria, ubi huiusmodi obiecta collocata fuerint, neque pariter Missas, quas Sacerdos eadem secum deferens celebraverit.

Insuper vetat, ne qui morientibus adsistunt benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum

huiusmodi crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta, cum satis provisum fuerit ab eodem Pontifice Benedicto XIV in praecitata Constitutione *Pia Mater*.

Tandem Sanctitas Sua vult et praecipit praesentem elenchum indulgentiarum pro maiori fidelium commodo edi typis posse non solum latina lingua vel italica, sed alio quocumque idiomate, ita tamen, ut pro quolibet elencho, qui ubicumque et quovis idiomate edatur, adsit approbatio S. Congregationis Indulgentiarum.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione, aut dispositione in contrarium, etiamsi speciali mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praepositae die 23 Februarii 1878.

A. Card. Oreglia a S. Stephano Praefectus.

A. Panici Secretarius.

Concordat cum originali typis S. Cong. de Propaganda fide edito.

Romae ex Secretaria S. C. Indulgentiarum, die 21 Februarii 1885.

Sarra
Substitutus.

—

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS

Ministro Generalis Ordinis Capuccinorum aliisque Patribus, vitam (1) *S. P. Francisci imaginibus ornatam die 18 Decembris offerentibus.*

« Mirum opus perfecistis, dilectissimi filii: et nostrum erit gaudium ac solamen quotidie illas de S. Francisco sensim perlegendi pagellas. Tot et tantas in hocce libro aggerastis pulchritudines quod vix in decursu anni evolvere poterimus. Ast amplior adhuc et inexhausta nostra erit in D. Franciscum admiratio. Illum siquidem seraphicum Virum a tenerrimis annis praediligere nos edocuere paterna eloquia. Illum invocare nostris in necessitatibus habuimus solemne. Et certe dulcis perdurat memoria ultimae peregrinationis nostrae ad Alverniae iuga. Tunc enim nos ad profectum paratos, circumadstantibus venerandi istius Coenobii Fratribus, afflatus quidem coelestis impulit, ut ipsis sensa cordis nostri erga S. Franciscum intima expromeremus. Et revera tanta fuit, Deo dante, verborum copia, tantaque vis, ut Fratres prae teneritudine cordis collacrymarentur, et nos etiam a fletu abstinere non valentes, finem sermoni inopinato apposuimus; et assumpto baculo, ad Bibienam usque descendimus, seraphicum virum in corde laudantes. Et coelestis pariter erat afflatus ille validus quo, vix ad supremum Ecclesiae fastigium elevati, impulsi sumus *ut, in tantis* calamitatibus et miseriis, *Franciscum advocaremus* patronum, et vim regenerativam in eius Ordine Tertio christianae societati repositam ostenderemus.

Quare, dilectissimi filii, ut toto conamine adlaboretis ad Tertium propagandum Ordinem volumus: siquidem Tertius Ordo homines vere christianos efficit, non solum per positivas regulae, quam necessitatibus hodiernis accommodavimus, praescriptiones, sed etiam per negativam, ut ita dicamus, actionem, nempe per salutiferas prohibitiones, quibus animae a malo retrahuntur et vitiis, a theatris et coetibus inhonestis, a luxu et immoderata cupiditate, ab odiis et rixis, quae ruinae saepe saepius sunt occasiones. Adlaboremus igitur cum Divo Francisco, quum enim quis efficitur Tertiarius eo ipso vere christianus est; ecce anima salvata. Dein alter et alius et decem et mille, et sic sensim, per Tertium Ordinem, virtus regenerans undequaque diffunditur. Multum de S. Francisco speramus, multum confidimus; quia Illum plurimum invocamus; siquidem *singula die* antequam ad altare accedamus, duodecim *Pater* et *Ave* cum *Gloria Patri* recitamus. Ita, ita; Papa ipse seraphicum Tertiariorum pensum quotidie persolvit. »

(*Analecta Ord. Min. Capuc.*)

—

(1) Cfr. infra Bibliographiam.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica

—

CAPUT I.

DE VITA COMMUNI AD SCRIPTURARUM, PATRUM, FUNDATORUM ORDINUM, CONCILIORUM ET PONTIFICUM MENTEM

(Continuatio)

Paupertatis virtutem, quam CHRISTUS DOMINUS verbo suo atque exemplo summopere commendavit, primi christiani magno fervore imitati sunt. Salutaribus ipsius verbis edocti ac sanctis eius exemplis incitati, eamdem vivendi formam sequi studuerunt, quam ipse divinus Magister una cum sanctis Apostolis suis mundo monstravit. Propterea omnibus terrenis bonis se spoliaverunt, ut se totos DEO consecrarent et coelestes thesauros in sanctae paupertatis exercitio reconditos consequerentur.

Modum autem, quo primi christiani evangelicae paupertatis consilium executioni demandarunt, clare et distincte describit S. Evangelista Lucas dicens: *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia. Possessiones et substantias, vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat* (1). Fusius adhuc et expressius hanc apostolicae paupertatis praxim sanctus historicus narrans dicit: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* (2).

Primi christiani igitur perfectam vitam communem ducebant. Bona omnia communia erant, uni vel pluribus ministris concredita. Hi soli singulis distribuebant, prout cuique opus erat, victum et tegumentum. Nullus inter eos egens, nullus dives. Ananias una cum uxore Saphira, quia divenditi agri pretii partem sibi retinuit, repentinae mortis poena mulctatus est. Tanta severitate in proprietariorum coryphaeum DEUS animadvertit, ut omnes posteros ad vitam communem adstrictos ab usu proprii peculii absterreret.

Haec est illa vitae forma, quam Apostoli Sancto Spiritu repleti tamquam fundamentum posuerunt illius coelestis perfectionis, quae in charitate sita est, quaeve amoris et concordiae vinculis homines invicem et cum DEO coniungit. Quam solidum quamque aptum sit hoc fundamentum, cui evangelicae perfectionis aedificium superstruatur, facile quisque sibi persuadebit, cum secum consideraverit, temporalium rerum proprietatem fovere et augere in dies cupiditatem. Haec autem cupiditas corda animosque seiungit atque in contrarias abstrahit factiones. Cum itaque perfecta vita communis omnem auferat proprietatem, radicem quoque contentionum, rixarum et dissidiorum evellit, coelestium bonorum communionem inducit et ad fastigium evangelicae perfectionis viam aperit planissimam. Hinc est, quod S. Lucas temporalium bonorum communitatem et cordium unitatem atque concordiam animorum una resplenduisse testatur: *Erat cor unum, et anima una. Erant illis omnia communia.*

Revera haec communio bonorum magnum est virtutis et perfectionis compendium. Nam non solum ingens est charitatis mutuae incentivum, sed etiam amorem et affectum avocat a rebus terrenis et a vana saeculi huius sollicitudine, eumque totum transfert in DEUM et res coelestes, facitque, ut homo totus DEO adhaereat, in eoque omnem spem et amorem collocet, tempusque et aptitudinem suggerit vacandi rebus coelestibus.

Hoc luculenter apparet in primis CHRISTI fidelibus, de quibus refert S. Lucas: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis, collaudantes* DEUM, *et habentes gratiam ad omnem*

(1) Act. II, 44, 45.
(2) Act. III, 32, 34, 35.

plebem (1). Unde haec perfecta vita communis parit etiam animi pacem, serenitatem, laetitiam et iubilum perpetuum. Haec ergo vita est quasi inchoatio illius vitae felicis, quam beati agunt in coelo.

Quis haec omnia considerans non mirabitur primitivam illam Ecclesiam Hierosolymitanam, quae amoris divini et sanctitatis zelo accensa tanto rerum terrenarum contemptu, quae sursum sunt quaerere, quae sursum sunt sapere, prae omnibus curavit et in deliciis habuit?

Voluit Deus in his primis fidelibus dare perfectum exemplar vitae christianae, quod omnia deinceps saecula intuerentur et imitarentur. Eorum vita monastica vel regularis vita dici potest; de ipsis enim scribit S. Hieronymus: *Talis primo credentium fuit Ecclesia, quales nunc monachi esse nituntur et cupiunt, ut nihil unquam proprium sit. Nullus inter eos dives, nullus pauper. Patrimonia egentibus dividuntur, ut orationi vacetur, et psalmis doctrinaeque et continentiae, quales et Lucas refert primum Hierosolymis fuisse credentes* (2).

His ergo ducibus glorientur Religiosi omnes, eorumque virtutem et ardorem aemulentur, ut sint sancti totique Deo consecrati, sicut primi illi fideles a S. Paulo et aliis passim nuncupantur *Sancti*. Speciali autem modo nostri Ordinis Religiosi sanctam paupertatem amare et exercere debent; ipsis enim a S. Fundatore dictum est: *Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, charissimos Fratres meos, haeredes et reges Regni coelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus autem sublimavit. Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium. Cui, dilectissimi Fratres, totaliter adhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri* Iesu Christi *in perpetuum sub coelo habere velitis* (3).

Sciant vero omnes Religiosi, se evangelicam primorum fidelium paupertatem sectari et aemulari non posse, nisi ad eorum exemplum omnia bona sint communia, et quidem modo perfecto. Apostolicae enim communitatis indoles et natura haec est, quod omnia bona, quocumque modo obvenientia, communia sint, quod soli officiales administrationem habeant, eaque omnibus et singulis distribuant, prout cuique opus esse perspexerint. Hinc satis non est ad hanc communitatem, quod bona monasterio incorporentur et sub monasterii dominio constituantur, usus autem penes ipsos subditos remaneat, quoniam commentitia foret communitas isthaec, non apostolica. Sed eodem modo permisceri debent omnia quocumque modo obvenientia, sive sponte oblata, sive propria industria parta, quo permiscentur eleemosynae ostiatim emendicatae. Hocce communi patrimonio omnes ali debent et vestiri, nemo tamen quidpiam sibi accipere licite valeat absque Praelati licentia, cuius tamen potestas limitata est.

(1) Act. II. 42, 46, 47.

(2) S. Hieron. in vita S. Marci.

(2) Reg. cap. VI.

Haec laudata vita communis in *Ecclesia* Dei nullo umquam tempore prorsus cessavit. Primis enim Ecclesiae temporibus inter omnes fere christianos viguit. Frigescente vero dein laicorum fervore, in clericis continuavit, ex quo nomen canonicorum effluxit promiscue a clericis usurpatum. Canonici etenim vocabantur clerici in fraternitate viventes, prout erant omnes clerici in primitiva Ecclesia. Unde S. Dionysius Carthusianus (1) expresse dicit: *Clerici vocantur canonici, quoniam regularem et rectam tenentur ducere vitam* (2).

Reservatus fuit postmodum talis vivendi usus ad clerum ecclesiarum cathedralium una cum Episcopo vitam ducentem communem in claustris prope ecclesiam constructis.

Collabescente tamen fere ubique hoc pio et sancto communiter vivendi instituto, plurimi sancti Patres, Patriarchae et Fundatores, afflati Sancto Spiritu, varias successive instituerunt Religiones, assignatis ac traditis suis alumnis peculiaribus regulis, sub quarum observantia in perfecta et exacta vita communi magis ac magis in studio virtutis proficerent sicque apostolica vitae communis forma ac regula novo splendore revivisceret.

S. Paulus et S. Antonius duo Monachorum genera in Aegypto instituerunt; alter Eremitarum seorsim sine Praefecto degentium; alter Coenobitarum in unam coeuntium societatem sub uno Praeposito. Passim tamen ex eremo ad coenobium, et ex coenobio ad eremum transire potuerunt. Temporis decursu

(1) Tract. de vita canonicali.

(2) Per graecam vocem *Canon* intelligitur *Regula*.

autem vita coenobitica praevalere coepit, praesertim post Regulam S. Pachomii, quam dictante angelo scripserat. Non diu intra Aegypti limites monastica institutio coarctata est, sed inde egressa in omnes fere regiones sese diffudit. S. Hilarion, S. Antonii discipulus, ex Aegypto in Syriam, S. Basilius in Pontum Asiamque minorem hanc disciplinam transtulerunt. Porro illico ac S. Athanasius Romam pervenit, mediante vita S. Antonii a se conscripta, plurimos ad vitam monasticam in Italia inflammavit. Praecipuus vero vitae monasticae fundator et propagator in Occidente dicendus est S. Benedictus, cui postea multi alii sancti viri successerunt, qui diversos Ordines, Deo inspirante, instituerunt, eisque peculiares Regulas praescripserunt. Isti sancti Fundatores omnes discipulis suis vitam communem praecipiunt, et proprium peculium minime admittunt. Ad eamdem vitam communem perfectam ducendam S. Concilia et Summorum Pontificum Decreta Religiosos obligant, prout paucis verbis indicabimus.

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1884 celebrata.

XXVII.

Obs. Provincia Barensis S. Nicolai.

In Congressu diei 25 Novembris a Rmo P. Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Raphael ab Andria.

Custos Provinciae

A. R. P. Augustinus a Barola, Ex-Provincialis.

Definitores Provinciae

R. P. Aloysius ab Andria.
R. P. Joannes ab Andria.
R. P. Raphael a Bitunto.
R. P. Josephus Antonius a Ruvo.

—

XXVIII.

Collegium S. Antonii de Ica in Republ. Peruviana.

Die 16 Decembris in dicto Collegio, praesidente A. R. P. Ignatio Maria Sans, Commissario Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

Guardianus Collegii

R. P. Bonaventura Selny.

Discreti Collegii

R. P. Anicetus Lopez.
R. P. Bernardinus Damarē.
R. P. Franciscus Bohigas.
R. P. Joachim Estrach.

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1885 celebrata.

I.

Ref. Provincia S. Nicolai Barensis

A Rmo P. Ministro Generali cum suo Definitorio in Congressu habito die 20 Januarii 1885 nominati sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Joannes Dominicus a S. Eramo.

Custos Provinciae

A. R. P. Joannes Thomas a S. Eramo.

Definitores Provinciae

A. R. P. Jacobus a Palo.
R. P. Joannes Dominicus a Carbonaria.
R. P. Constantinus a S. Eramo.
R. P. Seraphinus a Putignano.

—

II.

Electio Vicarii Provincialis
Ref. Provinciae Bavariae.

Ob mortem A. R. P. Francisci Xaverii Lohbauer, Ministri Provincialis Ref. Provinciae Bavariae, in Congressu Definitoriali die 20 Januarii in Conventu Monacensi ad S. Annam habito, rite electus est Vicarius Provincialis *A. R. P. Leo Seidl*, Ex-Minister Provincialis, S. Theologiae Lector Generalis Emeritus.

—

III.
MISSIONES

IMPERIUM SINENSE

EX LITTERIS

Illmi Dni ALOYSII MOCCAGATTA, *Vicarii Apostolici in Chan-sy, datis die 14 Septembris anni 1884 ad Praesidem* PROPAGATIONIS FIDEI *Lugdunensem.*

Summarium

1. **Prodigiosa conversio cuiusdam viri idololatrae christianorum persecutoris.**
2. **Mulieris a daemone obsessae liberatio et conversio.**
3. **In quodam pago contra christianos seditio.**
4. **Christianorum multiplicatio.**

1. Non minimum inter alia multa christianae fidei praedicationis obstacula his in regionibus illud est, quod nonnunquam audax quidam idololatra exsurgit, qui pecunia potens omni modo, etiam persecutionibus cuiusvis generis, conversiones impedire conatur. Ad huiusmodi obstaculum amovendum nil fere conferunt adhortationes, minae, lites vel alia humana remedia; sed patientia opus est et oratione usquedum DEUS ipse non humano sed supernaturali modo illud removeat.

Hoc accidit in quadam recenti Christianitate, ubi eiusdem pagi idololatra tantopere oderat christianam religionem, ut quos poterat ab ea amplectenda impediret, et in omni occasione Christianos eorumque religionem maledictis incesseret; immo non semel protestaretur ac iuraret, quod si totus pagus christianus fieret, ipse tamen idololatra persisteret, et usque ad mortem christianam religionem persequuturus foret.

Iamvero Missionarii et Catechistae, necnon ceteri auctoritate praestantes omnia pertentarunt, quibus eius odia contra religionem nostram lenirent, sed frustra cum magis effervesceret; nec dici potest, quanta ab huiusmodi inimico pertimescenda erant pericula, nisi DOMINUS remedium attulisset tradendo eum Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret.

Quadam ergo nocte tota eius familia a daemone obsessa est; uxor mirum in modum intumuit facie, quae horribilis adspectu erat, et in angulo domus se contorquens frendendo dentibus incutiebat terrorem: duo filioli hac et illac discurrebant per domum ululantes, nec stare, nec silere ullo modo valebant. Is vero semet caedi flagellis sentiebat; facie et animo conciderat, nec die nec noctu quietem capere poterat. Advocavit pluries suae religionis sacerdotes; sed, nedum aliquid adiumenti sibi acciperet, filium etiam laqueo suspensum invenit.

Tunc coepit resipiscere, serio dubitans, num ex odio, quo christianos insequebatur, haec mala pateretur. Petiit itaque, ut quidam Missionariorum servus in domo sua dormiret Quod cum per tres noctes fieret, somnum recipere potuit, et etiam mente sanatus est. Nam cognita malorum causa christianos humiliter rogavit, ut daemones e domo sua expellerent, promittens se cum tota familia christianum fore, si pro rogatu hoc facerent. Annuentes itaque christiani supplicationem inierunt, eiectisque e domo omnibus signis superstitiosis, et undequaque adspersa aqua benedicta, ante Crucifixi imaginem genuflexi S. Rosarium recitare coeperunt. Mirabile dictu! inter recitationem mulier et filius superstes melius se habuerunt, eaque peracta, omne infestationis et invaletudinis vestigium evanuit. Obtentam gratiam sequutae sunt lacrymae. Idololatra procidens in terram deprecatus est veniam, petiit cum tota familia inter cathecumenos adnumerari, et voto res cessit. Post paucos menses baptismum recepit, et vere christianus effectus tres alias familias ad CHRISTI fidem convertit.

2. Mirabilis huius eventi fama, quum in vicinos pagos, ubi haud pauci eodem spiritu maligno vexabantur, venisset, animos incolarum perquam concitavit. Erat quaedam femina ethnica, 30 annorum nata et 12 annis iam viro nupta, quae saepissime a spiritu malo obsessa excruciabatur, ita ut furens non domesticos modo, sed vicinos quoque turbaret; quamobrem vir eius, eadem fama permotus, praedictam communitatem christianam adiit rogaturus, ut aliquem suorum ad se mitteret, qui interpositis precibus miserae uxori suae consuleret. Eius petitioni illico delatum est. Igitur missus est quidam munere, ut aiunt,

catechista, qui ob fidei scientiam laureatus quidem, sed nonnihil superbia elatus erat. Is ut obsessam coram se adduci fecerat, mox a daemone superbiam et alia peccata sibi exprobrari audire debuit, sicque re tentata quidem ast infecta, ad sua rediit merito confusus. DEUS enim superbis resistit.

In eius locum dein alter fuit destinatus aetate provectior et prisca virtute christianus, qui licet in litteris priore minus versatus, tamen sincerae fidei doctrina probe doctus, zelo religionis et humilitate eminebat; quas virtutes ad destruenda opera satanae plurimum conferre in certis habetur.

Hic, socio adscito, postquam aqua benedicta obsessam aspersisset, praemissis ad DEUM precibus, spiritum malum, ut feminam derelinqueret, firmùs provocavit; cui daemon reposuit: « Tu peccator vis me ex hac femina, quam 12 annis ut meam obsideo, pellere? Id, quod mentis tuae est, minime tibi succedet; cures ergo potius ea, quae tui muneris sunt, satis enim molestiarum mihi facis, dum solito tuo *nan-nan* (1) hunc populum seducendo ad CHRISTUM convertis; itaque ne tempus inanis teras, velim, hinc abeas ». Ad haec respondit catechista: « Verum quidem est me peccatorem esse, immo fateor et maiorem me esse, quam tu opinaris; attamen hoc non obstante, te nequam execror atque nomine et virtute Domini nostri JESU CHRISTI iubeo, ut hanc feminam deseras ». Porro quum idem magno animi fervore et plenus in DEUM optimum confidentia preces diceret, daemon exivit quidem, sed brevi rediit obsessam vexatum; sicque aliquoties fiebat, ut iam exiret iamque rediret. Ultimo daemon furiosus atque fremens feminam in atrium actam reliquit, quasi mortuam, neque amplius redivit. Ipsa vero post haec in se rediens, et viribus decursu temporis recuperatis, pro tanto eliberationis beneficio primum DEO optimo maximo, dein catechistae dignas egit gratias. Tam manifesto DEI miserentis documento perculsa ipsa cum tota familia sua fidem JESU CHRISTI professa est. Hoc mirabile factum aliorum adhuc octo ex vicinia sic permeavit animos, ut, manifestae operationi divinae resistere non valentes, et ipsi CHRISTO JESU nomen dederint. Conversio isthaec evenit in pago, qui ad civitatem *Nin-Vu-fou* pertinet, et ubi hucusque nullus christianus fuit; quapropter ab his conversis, qui sunt fidei semen primo iactum, in futurum non parum fructus spiritualis speratur!

3. Duobus abhinc annis altero in pago, cuius nomen pariter ob varias rationes reticemus, nonnulli ad CHRISTUM fuere conversi, quorum numerus brevi ita augebatur, ut hieme praeterita fere medietas pagi ad CHRISTUM accesserit. Quapropter ethnicus quidam opulentus, superstitione sua incitatus, varias molestias et persecutiones in eos incitabat. Christiani ad tollendas controversias, quae inter ipsos et ethnicos evenire possent, tentarunt, ut amica inter se conventione dictus pagus in duas divideretur communitates. Similis pagorum divisio frequens est in partibus Chinae australibus, ubi christiani maiori munero reperiuntur. Ethnici huic christianorum consilio visi sunt initio minus favere, ast quum observassent hanc divisionem utrique parti utilem fore, omnes consensere, illo opulento, qui christianis lites continuo obmovebat, excepto. Sed unus, ut aiunt, nullus. Tandem ut pax stabiliretur optimates utriusque partis in domo oppidana congregati, ubi, sumptis more regionis cibis aliquanto recreati, tam quoad onera quam quoad emolumenta, utrique parti communia, convenerunt; itaque ex hac conventione duo fana ethnica christianis obtigere, unum intra, alterum extra pagum, quod ultimum aliquanto etiam vitiatum fuit.

Pacta conventionis ad leges vigentes nominibus optimatum loci subscriptis munita fuerunt. Ne tamen et his aliquid deesset, etiam dictus vir opulentus, christianis inimicus, rogatus animo quidem aegro subscripsit.

His rebus bene actis, christiani illico fanum illud extra pagum, quod maius erat, eiectis idolorum fragmentis, emundatum in ecclesiolam necessariis bene instructam commutarunt, quam et missionarius rite benedixit.

Verum spes illam ecclesiolam vi pacti possidendi christianos fefellit; inimicus enim JESU CHRISTI, qui, ut supra narratum est, hominem divitem ad vexandos christianos novellos provocabat, etiam hic de christianis vindictam sumere quaerebat; DEUS vero ob fines sibi

(1) *Nan-nan* i. e. orationes ethnicorum sacerdotum qui Bonzi vocantur.

notos, interim id fieri permittebat, cuncta dein in bonum spirituale benigne conversurus.

Igitur christiani vi conventionis initae quasi securi non eam sacello custodiendo adhibuere curam, quam loci adiuncta secus postularent; neque animum attendebant ad malitiam daemonis, qui se e fanis suis eiectum esse aegerrime ferebat. Sicque evenit, ut opulentus ille christianis infestus, per subornatos familiares suos noctu sacello ignem supponi curaverit, quo brevi in flammas erumpente omnia, praeter muros laterales, incendio deleta fuerunt. Christiani quidem ad restinguendas flammas concurrerunt ast iusto tardius. Hoc facinus christiani aeque ac ethnici detestabantur. Evenit hoc infortunium mense Februario anni 1883. Interim nostri tristi experientia cautiores facti alterius ecclesiolae, quae in pago sita est, sollicitam curam gerere coeperunt, hinc etiam ei certus custos assignatus est; novus hic custos olim fuit sacerdos ethnicus, sed dein gratia Dei illuminatus cum tota domo sua ad christianam fidem transiit. Quum dein auctor incendii praedicti certo innotuisset, christiani eum Mandarino detulerunt, quin tamen eorum querelis satis fuisset factum; nam Mandarinus, re per suos satellites rite cognita, facinus hoc reis exprobravit, non tamen eos iustis poenis affecit. Nostri dein, ne inanibus ultro implicarentur controversiis, ab actione sponte destitere; neque enim consultum putatur huiusmodi res controversas coram ethnico iudice tractare, qui in similibus casibus non potest nisi crimen considerare idolis suis illatum.

4. Quod profectum huius missionis attinet, satis est notare numerum conversorum, qui est dulcissimus fructus laboris apostolici.

In districtu ubi praefati obsessi virtute Christi sunt eliberati conversi adsunt . 350.
In loco, ubi ecclesiola incendio fuit deleta conversi sunt ad . . . . . 400.
In proximis duobus pagis ad austro-occidentem conversi sunt . . . . . 500.
Et in aliis partibus adhuc nonnulli . .

——
1250

Praeterea exaedificatae sunt multae ecclesiae maiores et minores, quas inter eminet una trium navium venustissima; empta sunt porro in diversis christianorum communitatibus atria in capellas commutanda; quae proxime erunt multiplicandae, quia christianorum numerus in dies erescit; in primis augeri videtur numerus catechumenorum, qui sunt in 200 pagis hinc inde adhuc dispersi, pro quibus pariter capellae erigendae veniunt.

Rogo dein huic operi evangelico faveant illudque una cum dignissimis missionariis protegere velint et sinceros venerationis sensus contestando maneo.

Illustrissimi Domini
Chan-Sy, die 15 Septembri 1884.
humillimus et devotissimus Servus
Fr. Aloysius Moccagatta
Episcopus et Vicarius Apostolicus
Chan-sy.

—

DE VITA RMI D. EPHISII CHIAIS
Vicarii Apostolici Chen-sy.

Ephisius Chiais anno 1807 in Pedemontii oppido, quod Casalinum vocant, ingenuis parentibus natus est. Horum maiores quidem Nicia civitate oriundi erant; sed anno 1789, dum atrox factionis Jacobinorum furor in catholicos atque sacerdotium saeviret, imminens persecutionis discrimen evitaturi ad Casalinum demigrarunt.

Ineunte aetate in litterarum rudimentis magistro usus est quodam sacerdote, Ordinis s. Francisci Fratrum Capuccinorum, qui tunc, suo Ordine suppresso, ibidem sacellani et ludimagistri munere fungebatur; neque dubitandum est, quin ab hoc s. Francisci filio cum litteris seraphicum quoque spiritum acceperit. Itaque quum illam aetatem esset adeptus, qua certum vitae genus deligi soleat, Ordini s. Patris nostri Francisci ~~in provincia Pede~~montana Observantium, ut optaverat, adscribi obtinuit; ubi dein in conventu s. Thomae Taurini per aliquot annos scientiis liberalibus et s. Theologiae diligentissime studebat. Et quia ea in iuvene religioso observata fuit animi indoles, qua non pauci, Deo iuvante, in primis sacris missionibus apti fiunt, missus est Romam ad conventum s. Bartholomaei in insula (ex quo multi prodivere insignes fidei praecones), ubi scientiae de controversiis fidei et linguis orientalibus ultro operam daret. Postquam scientiis

apprime imbutus et sanctis morum praeceptis conformatus esset, iussu superiorum, iter maritimum Chinam versus adgressus est una cum duobus sacerdotibus sociis, quorum unus fuit P. Antonius Feliciani ex Provincia Marchiae, alter vero dominus Comes de Besi, deinde episcopus *Chan-Tong* et administrator *Kian-Nan*. Phasello gallica circum procurva Africae littora vectus, quot animi angores, quotque imminentia vitae pericula hac tempestate pertulerit, relatu est difficile. Tandem ad Maccao urbem, quae Lusitanis subest, felix pertingit, ubi aliquanto quiete vires reficere sperabat; ast in cassum, nam praefectus eius provinciae sub praetextu ius patronatus Lusitanorum tuendi, missionariis romanis omnem in Chinam ingressum prohibuit, nostrumque P. Ephisium eodem praetextu maximis vexabat fastidiis.

Quapropter hic animo constituit, ut ex illa provincia, insciente praefecto, abiret, ideo in arbitrium duorum catholicorum se committens felici audacia Chinam intravit. Verum solo mutato, haud mutata fuere impedimenta; nam praeter difficultates, quae ex regionis huius coelo, hominum indole, lingua et moribus diversis proveniunt, imminens vitae periculum eumdem continuo exagitabat. Fuit enim tunc lege Sinica cautum, ut missionarii advenae deprehensi capite plecterentur. Longum omnino esset omnes acerbitates calamitatesque, quibus affligebatur enarrare, quamobrem ex multis aliqua tantum charae eius vitae momenta paucis referam.

Post annum a suo ex Italia discessu in *Chan-Sy*, apud Reverendissimum Salvetti, qui tunc vicarium apostolicum etiam nostrae provinciae agebat, aliquot mensibus morabatur, quod tempus addiscendae linguae impendebat. Brevi dein, necessitate dioeceseos sic exigente, vix aliquid lingua sinensi eloqui valens, ad communitatem quamdam christianorum, quae ibidem *christianitas* vocari solet, missus est. Ubi officio suo satisfacturus incoeptum difficilis linguae studium improbo labore prosecutus est, neque sine effectu optato, nam difficillima haec lingua dein facilius atque expeditius uti videbatur quam ipsa sua vernacula.

Episcopus Salvetti perspectis P. Ephisii animi et ingenii dotibus, eum ad graviora munia obeunda vocari rite intellexit, quare et vicarium suum huius provinciae generalem nominavit; quo munere laudabiliter functus est usque ad ann. 1843, quo adveniente Reverendissimo Alphonso de Donato, provincia haec a vicariatu apostolico *Chan-Sy* separata est.

Vicarius generalis sui episcopi non raro ex subditorum fragilitate angoribus atque molestiis implicabatur, quin tamen unquam animo deiici observaretur. In territorio, quod suae curae commissum fuit, tres solum sacerdotes erant; unde factum, ut quaedam christianitates decem et ultra annos Missionarium non viderint. Quibus ex causis, ut naturae humanae est, nonnulla disciplinae minus convenientia enata sunt, quae ipsum vicarium generalem repetitis humiliationibus affligebant; nonnulli enim vel animi pertinacia vel elatione vana abrepti, eius dicto minus obedientes, vel quod non raro ad pernoscendam virtutis sinceritatem evenit, eum apud episcopum falso accusantes, auctoritatem vicarialem imminuebant; ipse tamen omnia animo perferebat fortissimo. Praecepta sui antistitis, ut virum ecclesiasticae militiae adscriptum decuit, ex animo prompte et fideliter exequebatur, certo ratus tunc cuncta tutissime agi, dum ex obedientia in superiores peraguntur.

Hic provinciae huius status erat. Quare mox in principio sui muneris, toto auctoritatis suae pondere eo niti coepit, ut, si quae vitia fuerint, eradicarentur, virtus denuo implantaretur. In excipiendis fidelium confessiosionibus, sanandis matrimoniis, infantibus sacro lavacro abluendis, verbo Dei praedicando maxime assiduus, forma gregis et missionariorum exemplum factus est. Decursu temporis numerum missionariorum auxit, remque religionis prudenter tractando effecit, ut vicariatui suo prorsus nova forma, spem optimam pandens, induceretur.

Ad cultum sacrum promovendum tanto amore et constantia animum adplicuit, ut quamvis pauperrimus, tamen continuo aliquid ad Dei gloriam aut reficeret aut aedificaret. Dominus autem Deus, qui zelosos semper iuvat, ei abunde benedicebat; nam qui in ingressu episcopatus sui paucas reperiit ecclesias, mortuus in omni fere christianitate aut ecclesiam aut vero capellam, prout necessitas exigebat, et domum pro Missionario reliquit. Exaedificavit

porro seminarium magnum. Ab imperatore Chinensium, interventu legati Galliae, duas domos, quae in maioribus provinciae civitatibus *Si-nan-fu* et *Chan-tong* sitae erant, obtinuit, et quia passim destructae erant, eodem reaedificavit, duoque ibidem omnibus necessariis provisa orphanotrophia erexit.

Anno 1847 consecratus episcopus et datus reverendissimo Alphonso de Donato bonae memoriae episcopo coadiutor, quod tamen officium, episcopo post aliquot menses defuncto, cessavit. Ab hoc tempore omnem curam et sollicitudinem fidelibus suis, quos toto patris affectu amabat, consecravit, vitamque vivebat episcopo dignissimam, utpote bonorum operum plenam.

Inter cetera enituit in illo prudentia in primis et consilium, quibus sapienter usus mirum quantum ecclesiae suae profuit; nam non modo bonos, sed et infensissimos sibi devincire noverat; inter suos ita demissus fuit, ut tamen ex familiaritate nihil dignitati ademptum fuerit. In rebus difficillimis atque periculis praesentissimis illo usque fuit consilio, ex quo quisque prudens semper tutissime agere posset. Hinc intelligi potest causa, cur non modo a christianis, sed ab iis quoque, quia fide nostra alieni sunt, maximi haberetur. Dum seditio Mahometanorum quosque obviantes igne ferroque crudelissime trucidaret, cura et auctoritate episcopi interposita, christianis parcitum fuit. Hoc Mahometanos seditiosos aestimium vel inde sui apud metiri potest, quod eum saepius serio invitaverint, quo eorum rex fieri vellet.

Tempore persecutionis de tyrannorum intentis prudenter coniiciendo, satellitum manus, qui eum ad mortem quaerebant, Domino iuvante, creberrime felix declinavit; haud raro ad vitam suam ecclesiae servandam vel intempesta nocte fugam arripiebat.

Fidei dilatandae et conservandae studiosissimus fuit, ab exequendis, quae sui officii erant, laboribus, nulla difficultate nulloque discrimine detineri potuit; quoties visus est vestibus ad modum medicorum huius regionis indutus, ethnicorum domos quaerere, intrare, ut, externa forma medicus, alicui occulto catholico familiae ethnicae ultima sacramenta conferret! In pauperes misericordiae, in peregrinos hospitalitatis erat summae. Domus eius cunctis patebat, eleemosyna nulli negata; in primis eius charitas enituit annis 1877 et 1878 dum Chinensium regio summa frugum penuria premeretur; nam non modo christianis sed ethnicis quoque eleemosyna, quam christiani Europae elargiebantur, diligentissime consuluit. Quapropter christiani et alii non pauci, quod in vivis sunt, ipsius charitativae curae in acceptis referre debent.

Demum aetate provectus, laboribus fractus, atque periculis afflictus morbo apoplectico corripitur, cui ad extremos usque spiritus mederi nequivit. Pie in Domino obiit die 12 Aprilis, sabbato hebdomadae maioris, omnibus morientium sacramentis et benedictionibus rite provisus. Eius corpus in coemeterio publico interim repositum, postmodum tumulo in ecclesia penes praedecessorem suum inferendum. Defunctus episcopus Chiais erat corpore parvo, vultu oblongo, fronte lata, ore placide subridente, barba longa et veneranda, verbo: adspectus eius erat ad maiestatem compositus. In rebus agendis secundis aeque et infaustis constans et invictus, in se ipsum severus, in alios mitis; in officiis suis exequendis conscientia tenera; honori suo et tuendis sacerdotum bonis moribus semper ita intentus fuit, ut ideo sui eum et tenere amaverint et pie timuerint.

—

NOVUS VICARIUS APOSTOLICUS
in Chan-tong

Per Breve emanatum die 10 Februarii vertentis anni ex S. Congregatione de Propaganda fide, Illmus et Rmus P. Beniaminus Geremia, Observantis Provinciae S. Ferdinandi, renunciatus est episcopus titularis Usolensis et Vicarius Apostolicus *Chan-tong*, defuncto Rmo D. Eligio Cosi, ~~eiusdem Provinciae~~ Vicario.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

SAINT FRANÇOIS D' ASSISE

I. Vie de Saint François. II. Saint François après sa mort. (Publié par les soins des

T. R. P. Arsène de Chatel, Provincial des Frères Mineurs Capucins de Paris, T. R. P. Louis Antoine de Porrentruy Supérieur des Capucins de Marseille et de M. l'Abbé Brin, pretre De S.t Sulpice.) Paris, Librairie Plon et C.ie, rue Garancière, 10, in 4.° pag. 430. (prix 50 fr.)

Eximium annuntiamus opus, quod in spiritualem animarum aedificationem et S. P. N. Francisci cultum magis ac magis promovendum, necnon praedilecti Ordinis nostri decorem, certo certius evasurum fore, a conspicuis viris, rei litterariae praesertim ex estheticae peritis, merito reputatur.

Porro splendidum illud monumentum, quasi mole triplici superelevatum conspicimus:

1. *Doctrinale* fundamentum, admirabilem nempe Leonis XIII Encyclicam « *Auspicato concessum eos*, » qua ubique terrarum, « Os sufficiens orbi, » aureas spargens syllabas, gloriam D. Francisci grandiloquo decantavit hymno, missionemque Seraphico Viro divinitus praefixam, et ipsius tres Ordines fructu multiplici decoros.

2. *Historicum*, vitam scilicet Seraphici Patris, eleganti simplicitate et peramanti corde descriptam; familiae franciscalis vicissitudines, ac varios ex una stipite frondosos et floriferos ramos; mira opera, virosque verbo et opere potentes.

3. *Artisticum*, illam dicimus iconum stupendam seriem, in qua famosiora cuiusque aetatis opera, per selectissimas incisorio, chromotypico, aut heliographico labore delineationes, ad numerum fere trecentorum, recensentur.

Hic Giottus et Angelicus a Fesulo picturam immutant in precem immortalem. Hic Andraeas della Robbia, hic schola Senensis de Simone di Martino et Sano di Pietro merito glorians. Hic etiam magister Perusinus, scholae umbrae dux et Raphaelis Urbinatis praeco. Hic Benouville et Flandrin quos Gallia miratur. Hic nobilissima Hispanorum gens, Murillo et Alphonsi Cano opera seraphico Patri devotissime offert. Hic Van-Eyck, Rembrandt, et scholae germanicae magistri, vivido colore commendabiles. Hic stemma Galliae regium, armumque potentum, humilis Francisci chorda circumornat.

Nec nudam putare velis et exanimem illam esse nomenclaturam. Nam « ad Francisci cogitationem aura « quaedam afflatusque humano augustior, ingenia no« strorum concitavit, ita quidem ut in eius rebus ge« stis pingendis, fingendis, caelandis, summorum ar« tificum industria certavit ». Quae verba gloriosi Pontificis nostri, veluti amplo commentario, illustravit quidam Galliae scriptor, eruditione summus et in re artistica atque litteraria eximius, qui inspirationem per omnes humaniores artes, a Divo Francisco, veluti a vivifico et perenni fonte manantem, mire describendo, dignam monumento coronidem apposuit.

Quas omnes artium locupletes opes, A. R. P. Ludovicus-Antonius, harmonice connexuit, quasi unius fabricae dolatos et perpolitos lapides, unius poematis conspirantes cantus, unius tandem amoris erga Franciscum consonantia carmina.

(Ex *Analectis Ordinis Capuccinorum*, Fasc. II.)

Almanach du Tiers-Ordre pour l'année 1885, à l'usage des Tertiaires et Cordigères de Saint François, sous la direction des PP. Franciscains de l'Observance. Neuvième année. — Se trouve chez les Religieuses Franciscaines, 38, rue de la Teste, à Bordeaux. (35 centimes).

1884. Abd-el-Kader ossia *Stragi del Libano e di Damasco nel 1860*. Racconto storico del P. Perpetuo Dionigi Damonte, M. O., ex-Missionario Apostolico in Terra Santa e Parroco di Piazzano Monferrato, con illustrazioni. Torino — Collegio degli Artigianelli — Tip. Lit. e Lib. San Giuseppe — Corso Palestro, 14. In 12, pag. 193 (L. 1).

Musica sacra. Strofette per la Via Crucis a due voci Violoncello controbasso ed organo esteso; parole di Metastasio, musica del P. Cherubino da Maddaloni M. O., allievo di P. de Marco, approvate dalla commissione arcivescovile di Napoli. — Napoli, à l'avantage, Via Baglivo Uriés 27. (L. 12.)

1884. The new Franciscan Manual and Seraphic treasury of prayers and devotions; with Encyclical, Constitution, new Rule and Ceremonial of the Third Order, by His Holiness Leo XIII; also the Archiconfraternity of the Cord, and indulgenced devotions; to which are added Epistles and Gospels, and a choice collection of hymns. By Fr. Jarlath Prendergast O. S. F. (Recoll. Provinciae S. Joseph Belgii). Dublin, James Duffy et Sons, 15 Wellington Quay, and 1 Paternoster Row, London.

Manuale tertii Ordinis.

1884. Porziuncula ossia storia di S. Maria degli Angeli e dell'origine Francescana, pel P. Barnaba d'Alsazia, M. O., Penitenziere Apostolico. Con due piante. Tradotta dalla seconda edizione francese pel P. Cristoforo da Lanciano M. O. Foligno, regio stabilimento F. Campitelli. (L. 1).

V.

NECROLOGIA

—

RMUS P. ALEXANDER CANTOLI DE CRECHIO, *Episcopus Bovinensis.* — Dies sexta Maii anni XII huius saeculi, et decima sexta superioris Octobris conspicuae vitae cursum aperuerunt et clauserunt. Hanc diu novit Provincia S. Bernardini in Ad. R. P. ALEXANDRO DE CRECHIO, quem pietas ad magnum decus extulit, et doctrina multiplici eruditione exornavit. Proh! quantum humilis et tantumdem praeclarus S. Francisci filius! Qui typus austeritatis antiquae in nova perpolita civilitate! Dilectus ut pater in religiosa Provincia, admiratus ut insigne Episcopatus ornamentum, habitus in exemplum totius perfectionis in utraque vita, hodie non est nisi in memoria imperitura seraphici Ordinis et gregis sui, qui damnum orbitatis moeret.

Jure CRECHIUM, rurestris locus Theatini districtus et Ortonensis Dioecesis sibi gloriatur tanto viro dedisse natalia e parentibus quidem mediocris fortunae, sed non mediocris pietatis *Joachimo Cantoli et Maria Antonia Carulli.* His revera acceptum ferri debet, si vel a primis annis virtute informaretur, et rudimenta illius vitae perfectionis poneret, quam postea secutus est. Nondum enim viginti annos natus Regulari Observantiae se adscripsit; et in sacro *Ursuneae* recessu probatus omnium opinionem superavit. Emissis votis studium voluntatis et religiosae perfectionis auxit. Solertissimam Philosophiae ac Theologiae operam impendit; et cum alterum alterius auxilio egeat, ampliorem litterarum culturam, et Historiae praesertim seraphicae, cognitionem adiecit; in qua adeo versatus erat, ut paucos pares invenisset, qui de chronologia, de rebus gestis, earumque causis securius agerent. Constantissime tamen animadversum est, se a litterati hominis fama alienissimum esse, sed sicut in ceteris rebus, ita et in studiis solam DEI gloriam quaerere, eamque exoptare. Quare verebatur multum studii in studio ponere, quo ab hominibus agnosceretur; sed sapere, quo DEI honorem et Ordinis decus promoveret, quo seipsum et alios perficeret, quo ignaviam et desidiam multis obnoxiam periculis defugeret. hoc lucrosam talenti exactionem asserebat, hoc sapientiam et caritatem autumabat.

Sacerdos factus, in concursibus Neapolitano et Assisiensi ad cathedras Ordinis ex obedientia aspiravit. Docuit primum Philosophiam in conventu Palenae, cuius etiam regimen obtinebat. Memoriae mandatum est vel in ipso aditus die perfectam Fratribus suasisse Regulae observantiam; qui reapse, quidquid provisionum et eleemosynarum supererat, statim pauperibus distribuerunt; testatumque non solum Divinam Providentiam numquam defuisse, sed quodam die prope meridiem abesse creditam illico mensam apparasse superabundanti fidelium caritate. Traditum pariter in hebdomada sancta iussisse diu noctuque ad SS. Sepulchrum incendi quidquid cerae in promptu haberetur, pollicendo seu potius praesagiendo DEI Providentiam in solemnitate Paschali abunde subventuram. Quod eventus comprobavit.

Prosecutus est postea in aliis conventibus Philosophiae ac Theologiae magisterium, in quo nemo eo melius et sanae doctrinae copia et conspicuae pietatis exemplo de nostra seraphica iuventute promeruit. Hac de causa desideriis oportuit satisfieri Episcoporum Teramensis et Aquilani, quorum alter ad classicam litteraturam et Theologiam, alter ad Philosophiam tradendam in suis seminariis eum per vices expetiverunt; et supervacaneum est dicere quanta doctrinae et virtutis vestigia tum per institutionem, tum per concreditum conscientiae regimen in alumnis impresserit, cum vel ipsi sacri Praesules aperte hoc declaraverint.

Inter hoc tempus (A. 1844) ad iunioris cleri utilitatem scriptionum collectionem edidit singulis mensibus prodeuntem et titulo inscriptam *Theophilologi*, cui exarandae satis culti sodales Ordinis, aliique litteratores adiutricem operam praestiterunt. Hoc sane utili labore, quem Ecclesiae pastores meritis laudibus prosecuti sunt, falsae scientiae pericula amovere, et improvidam regere discendi cupiditatem sibi proposuit. Sed brevi expensae fructum excesserunt et ab opere desitum est. Ceterum hoc eodem pietatis sensu scripta informantur, quae posterius edidit, inter quae praecipue nominamus *Viam doloris, seu Crucis — Triumphum SS. Martyrum — Specimen praerogati-*

varum Summi Pontificis — Explanationem Regulae I Ord. S. Francisci, et *Manuale Praelati in Visitatione.* Sunt et aliqua alia minoris momenti ut *Collectanea proverbiorum,* et *Eluviones Tyberis.* Si rem maioris operis in adversariis suis reliquerit, adhuc nobis non constitit.

Docere et scribere adeo in natura eius erant, ut ab iis unquam divelli posse videretur. Jubente tamen obedientia nihil erat, quod eum retardaret, aut impediret quominus hoc vel illo officio fungeretur. Hinc Secretarium, Definitorem et Custodem Provinciae egit: imo, exorto quodam animorum dissidio, Vicari[1] Provincialis onus suscepit, et continuo sensus mutuae concordiae restituit. Qua comperta in reb us agendis prudentia, electus est a Ministro Generali Secretarius et Chronologus Ordinis.

Datum est nobis hoc tempore virum agnoscere et admirari in Aracoelitana familia virtutum omnium exemplo praelucentem. Sed magis postea veneratae sunt Provinciae Neapolitana, Calabra, Molisiensis, et serius Romana, ad quas Visitator Generalis missus est. Discedebat ab Urbe peregrinantium more cum Rosario prae manibus et mantica in tergore, continuum iter faciens ad quadraginta interdum millia passuum sub aestivo sole et pedibus sanguine inspersis. Quocumque conventuum perveniebat, primum ecclesiam intrabat Sacramentum adoraturus. Media nocte, etsi a via defatigatus et aegre se movens, divino intererat Officio. Nullum Provinciae locum invisere praetermittebat cum quanto pietatis populorum proventu et Religiosorum consolatione dicere non attinet. Quibus videbatur, velut si coram adesset S. Franciscus, humilis, placidus, omnibus par, nihil pro se accipiens, omnesque vinculo amoris sibi iungens. Dolendum vero est, quod A. 1871 Ortonam profectus, ut documenta conquireret de vita et virtutibus Ven. Fr. Laurentii a Villamagna, cuius corpus ibidem colitur incorruptum, non parum molestiarum a novis hominibus pateretur, qui eum tamquam Vaticani emissarium reputarunt. Nihil hoc stultius, et magis ab eo alienum, qui res Romanas non ab hominum arbitrio, sed peculiari prorsus Dei consilio regi ac gubernari existimabat. Quare intelligens eam rem ex agitatione temporum et abreptis in transversum mentibus accidisse, incoepto desistens, reversus est unde venerat.

Paulo post reditum Romam, a summo Pontifice, qui resciverat perpessam iniuriam, renunciatus est Episcopus Bovinensis. Quod munus cum defugere conaretur, Pius IX, simul ut vidit et audivit, ex obedientia imposuit, eique pro mensa centum scutata in singulos menses assignavit, quae, ut in antecessum dicamus, integra semper pro alendis orphanis et puellabus in matrimonium collocandis reliquit. Consecratus in ecclesia Aracoelitana urbem episcopalem adiit inter ingentes populorum laetitias. Eo sane laetandum erat, cuius voce et exemplo Dei legem et virtutes omnes didicissent. Si enim singula in hoc memorando Episcopatu persequamur, omnia digna, omnia sancta abs se facta comperiemus. Solitus dicere S. Francisci filium nunquam debere Patris sui legem oblivisci, nihil de professa regula et de instituti usibus immutavit. Nemo rerum pauperior, nemo caritatis ditior; mensa frugalior erat, quam cum pane eleemosynae vescebatur.

Primus ipse fuit, qui Bovini typographicae artis usum invexit. Praecipuam curam habuit ecclesiasticae disciplinae, et litterarum scientiarumque studia in seminario promovit. Dioecesanam Synodum coegit, quae apostolicas laudes meruit; eamque consultis animarum pastoribus quovis anno perficere sategit. Nunquam in opere et studio cessavit invisendae Dioecesis, quam saepe quaquaversus peragravit, ubique docens, ubique praedicans. Simplex erat eius eloquium ut Evangelium, sincerum ut verbum caritatis, unde manabat.

Ad perficiendam in eo sanctitatis imaginem nihil aliud forte supererat, quam ultimi vitae dolores, quibus ferendis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae Christi acciperet. Omnia ad extremum usque vitae spiritum patientissime toleravit. Dimidio mensis Julii apoplexis ictu correptus offusas coepit pati caligines, mutilas proferre voces et alieno prorsus auxilio indigere. Praesentiens finem suum cernebatur prolixius orare, adesse quotidie sancto Missae Sacrificio, omnesque religionis actus devotissime peragere. Morbo gravatus et lectulo doloris affixus, serenus tamen et quietus, ad ultima pervenit. Vesperi XVI

Octobris ad signum salutationis angelicae proferens Ave Maria, quam semper in ore et in corde habuit, pia victima divinae voluntatis factus est, et placidissime expiravit.

Die 31 Aprilis iam elapsi anni 1884, in Domino supremum diem claudebat Adm. R. P. Rochus a Cancellaria, Ref. Prov. Basilicatae bis ex-Minister, aetatis suae anno 79 et religionis 63. Ordinis amore et observantiae zelo enituit, ideoque furente anno 1861 exercitus subalpini invasione, nocte captus et in carcerem coniectus est, ex quo nisi post viginti menses liber exiit. Libertati restitutus, persecutionem sustinere non destitit et in varias civitates exulare debuit Jure meritoque quidam sacerdos amicitia iunctus sequentem epigraphiam Patris Rochi memoriae dedicavit:

« Qui in Domino vivit, in Domino moritur; in Deo, tu, *Pater Roche e Cancellaria,* vixisti, in Deo mortuus es. Hoc clare fecerunt opera tua. In Religione confratrum tuorum lux fuisti, verbis, moribus, exemplo. In saeculo vincula, persecutiones, verbera, minas mortis non timuisti; alia verba non dicens nisi quae Dei erant: *Vivat* Deus. Nunc de sinu Abrahae quo es pro charis tuis tibi sanguine iunctis, et pro certis amicis ora ».

Pacem aeternam adprecamur R. P. Antonio Nori a Monte majori, Sacerdoti Obs. Provinciae Picenae, qui per fere quadraginta annos munus Guardiani egregie sustinuit, educationi seraphicae iuventutis solerter et patienter incubuit et religiosarum virtutum exempla fratribus suis imitanda reliquit. Obiit die 15 Decembris 1883 in Conventu Montis florentini quum annos 70 iam excessisset.

Die autem 20 eiusdem mensis et anni in Conventu Saxiferrati in pace quievit R. P. Jacobus a Monsano, annos natus 66, filius praefatae Provinciae Picenae, regulae observantia, pietate et prudentia praestans, quique per annos vigintiquinque Confessarium et Directorem ordinarium Monialium Clarissarum eiusdem civitatis optime egit. Huic etiam confratri nostro carissimo requiem a Domino precamur sempiternam.

Adm. R. P. Jeremias a Monte sanctiviti, Lector Theologus Ref. Prov. Marchiae, obdormivit in Domino Romae die 6 Augusti 1884. Per duodecim annos in Conventu et Collegio Missionum S. Petri in Monte aureo Urbis Vice-Procuratoris Missionum nostrarum officio laudabiliter functus est.

A. R. P. Vincentius Mecozzi. Tergeste piis parentibus die 14 Februarii 1815 natus, juvenili aetate in Obs. Provincia Picena Ordinis nostri habitu indutus est. Per vitam vere franciscanam, quam semper ducebat, Provinciam suam honestavit atque Confratribus suis et saecularibus magnae aedificationi erat et exemplo. Officiis Lectoris S. Eloquentiae, iteratis vicibus Definitoris Provinciae necnon Praefecti Missionum Franciscalium in Piceno ac Visitatoris tum Generalis tum Provincialis laudabiliter functus est. Plures libros *scripsit* et publici juris fecit, quos periti *magni aestimant* et multum laudant. Assiduus in confessionibus excipiendis pietatem, qua ipse aestuabat, etiam animabus sibi concreditis infundere sedulo studebat. Post longam et dolorosam infirmitatem, quam eximia patientia sustinuit, ex hac vita migravit die 2 Decembris 1884.

Per telegramma die 26 Januarii proxime elapsi e civitate *Shang-haï* trasmissum, infaustum nuntium mortis Illmi ac desideratissimi D. Eligii Cos, Vicarii Apostolici *Chang-tong*, ad curiam generalitiam pervenit. RmusD. Cosi Obs. Provinciae *Thusciae* filius natus est in *Pontassieve*, Archidioecesis Florentinae die 6 Maii anni 1819. Iunior ahduc ad sinenses Missiones destinatus, electus est episcopus titularis Prinensis die 5 Februarii anni 1865, et Vicarius apostolicus *Chan-tong* die 27 Septembris 1870. Inter alia vitae apostolicae opera, de quibus in posterum disseremus, felici ingenio et assidua opera invenit novam methodum linguam sinensem latinis typis edendi, in commodum presertim Missionariorum. Huius insignis Praelati animam Confratrum suffragiis commendamus.

Nihil obstat.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

BREVE

quo Societas VIÆ CRUCIS PERPETUÆ *nuncupata indulgentiis ditatur.*

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Supplicatum nuper Nobis fuit nomine dilecti filii Ministri Provincialis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Provinciae S. Ludovici in Gallia, ut piam Christifidelium Societatem, quae in Ecclesia Coenobii Burdigalensis eiusdem Ordinis initium habuit, et inde per totam Galliam diffusa est, ad sacrum Exercitium Viae Crucis perpetuae propagandum canonice erectam, spiritualibus Indulgentiarum muneribus ditare Apostolica Benignitate dignaremur. Nos autem, ut pium hoc opus maiora in dies ad DEI gloriam utilitatemque Fidelium suscipiat incrementa, oblatis Nobis precibus annuendum censuimus. Itaque de Omnipotentis DEI misericordia ac BB. Petri et Pauli App: eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Societatem Viae Crucis, ut vocant, Perpetuae, in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam: ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Societate Confratribus et Consororibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen JESU, ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam: nec non iisdem nunc et pro tempore inscriptis dictae Societati Confratribus et Consororibus vere quoque poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui Ecclesiam quamlibet Dioecesium Gallicarum in qua SSmum Eucharistiae Sacramentum adservetur, die festo Societatis principali, Dominica tertia Septembris, ac diebus festis S. Francisci Assisiensis et S. Leonardi a Portu Mauritio a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, atque ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione et peccatorum conversione pias ad DEUM preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae DEO in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, misericorditer in DOMINO concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis confratribus et Consororibus praemissa peragentibus aliqua alia Indulgentia similis perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, illa revocata sit, prouti per praesentes Apostolica Auctoritate revocamus: atque si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata iam sit, vel in posterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet insti-

tuatur, priores et quaevis aliae Litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso pariter nullae sint. Volumus pariter ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI Januarii MDCCCLXXIX, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Pro Dmno CARD. NINA, *a Secretis Status*

D. JACOBINI, *Substitutus a Brevibus*

(L. ✠ S.)

Vidimus et executioni mandavimus ac etiam translationi eiusdem Societatis ad ecclesiam Aracoelitanam Urbis consensimus.

Burdigalae die 10 Martii 1884.

† *A. V. Archiep. Burdigalen.*

—

RESCRIPTUM S. C. INDULG.

quo Societatis VIÆ CRUCIS PERPETUÆ *sedes primaria ad ecclesiam Aracoelitanam Urbis transfertur.*

BEATISSIME PATER,

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit, in ecclesia coenobii Burdigalensis eiusdem Ordinis existere piam Christifidelium Societatem ad sacrum exercitium Viae Crucis perpetuae propagandum canonice erectam, ac a Sanctitate Tua per Litteras Apostolicas in forma Brevis, perpetuis futuris temporibus valituras, d. d. 21 Januarii 1879, spiritualibus indulgentiarum muneribus benigne ditatam.

Ut autem pium hoc opus maiora in dies ad DEI gloriam utilitatemque fidelium suscipiat incrementa, orator enixis precibus supplicat, ut Sanctitas Tua praefatae piae Societatis sedem principalem ex ecclesia dicti coenobii ad ecclesiam Aracoelitanam Urbis canonice translatam Apostolica Auctoritate declarare dignetur, ita ut omnes Urbis et Orbis Christifideles ibidem in dicta pia Societate describi in posterum valeant ad normam datae ab hac S. Congregatione sub die 26 Novembris 1880 declarationis decreti diei 13 Aprilis 1878 de absentibus non adscribendis ad pias sodalitates, ac huiusmodi descriptionis virtute, indulgentiarum per memoratas Litteras Apostolicas concessarum participes fiant.

Quam gratiam etc.

Sanctissimus Dominus Noster LEO Papa XIII in Audientia habita die 15 Martii 1884 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro petita translatione piae *Sodalitatis*, de qua in precibus, servatis *de iure servandis.* Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 15 Martii 1884.

Al. CARD. OREGLIA A S. STEPHANO, *Praef.*

Franciscus della Volpe, Secr.

II.
ACTA ORDINIS

—

DE PIA SOCIETATE *A S. VIA CRUCIS PERPETUA* NUNCUPATA.

—

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
IAM S. THEOLOGIAE LECTOR
VENETAE PROVINCIAE EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
S. R. C. CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

Quum devotio erga divinissimam JESU CHRISTI Passionem saluberrimum et efficacissimum medium tum ad peccata deploranda, vitanda, emendanda, tum ad calamitates vitae patienter ferendas semper in Ecclesia Catholica habitum sit; quum potissimum, nunc temporis, erumpentibus undique inimicis Crucis CHRISTI, quam maxime necessarium esse videatur ut Christifideles non erubescant JESUM

Christum crucifixum profiteri, eiusque Passionem assiduo magis cultu recolere et venerari; nos, qui, licet indigni, locum tenemus concrucifixi Patriarchae Nostri S. Francisci, eique Ordini praesumus cuius custodiae a septem fere saeculis sacra Calvarii Loca commissa fuerunt, officii nostri esse ducimus pridem institutam Piam Societatem a *Sacra Via Crucis perpetua* nuncupatam ratam acceptamque habere, et fovere.

Quapropter, cum ad uniformem huius Piae Societatis directionem nonnullae regulae adprobationi nostrae subiectae fuerint, nos hisce nostris litteris eas libenti animo adprobamus, ac vehementer in Domino commendamus.

Sunt autem quae sequuntur:

STATUTA
PIAE SOCIETATIS *A S. VIA CRUCIS PERPETUA* NUNCUPATAE

Natura huius Societatis

Pia Societas a *S. Via Crucis perpetua* quaedam est Christifidelium communio, qui Viae Christi dolorosae tam salutiferum exercitium singulis hebdomadibus vel saltem singulis mensibus ad determinatos fines peragere intendunt, et quodam modo perpetuum reddere sibi proponunt.

I. — *Fines.*

Piae Societatis a *Via Crucis perpetua* nuncupatae *finis generalis* est, multiplicatis S. Viae Crucis exercitiis, saepius recolere dolorosissimam Domini nostri Jesu Christi Passionem, eiusque meritorum largiorem sibi et aliis procurare applicationem.

Fines speciales sunt: 1. Reparare iniurias quae Deo et Domino Nostro Jesu Christo quotidie inferuntur; 2. Supplicare pro conversione peccatorum; 3. Satisfacere pro animabus Christifidelium in purgatorio detentis, praesertim illorum, qui huius Societatis membra in vita fuerunt; 4. Implorare S. Matris Ecclesiae exaltationem.

II. — *Sedes primaria.*

Sedes primaria huius piae Societatis, ex rescripto S. Congregationis Indulgentiarum dato die 15 Martii 1884, est ecclesia Aracoelitana Ordinis Fratrum Minorum de Observantia in Urbe.

III. — *Sedes secundariae.*

Sedes secundariae seu associationum centra de iure existunt in omnibus ecclesiis vel publicis oratoriis adnexis ad conventus, residentias vel domus, quae quoquo modo subsunt iurisdictioni Ministri Generalis totius Ordinis Minorum.

IV. — *Facultas adscribendi.*

Ad piam hanc Societatem adscribendi facultatem habent omnes in praedicto Ordine Superiores, vel eorum in absentia vices gerentes, tum per se tum per suos subditos, ab iis deputatos.

V. — *Centra et Directores.*

Potest insuper praedicti Ordinis Minister Generalis associationum centra de licentia, Ordinariorum, erigere in ecclesiis vel publicis oratoriis locorum, in quibus non existunt conventus, residentiae, vel domus Ordinis. Harum associationum Directores a iure fiunt sive Parochus pro tempore, sive Cappellanus respective pro ecclesia sua, in qua rite institutum centrum habetur.

VI. — *Zelatores vel Zelatrices.*

Ut autem praesentium adscriptio facilior reddatur ac pro viribus promoveatur, possunt memorati Ordinis Superiores Generalis ac Provinciales, et Custodes regiminis intra limites suae iurisdictionis instituere Zelatores vel Zelatrices, etiam laicos, cum facultate subdelegata adscribendi. Huiusmodi autem institutio scripto fiat, (1) moneanturque praedicti Zelatores vel Zelatrices, ne adscribant alios, quantum fieri potest, nisi qui iniunctum opus adimplere et indulgentias lucrari intendunt.

VII. — *Conditiones adscriptionis.*

Ut quis ad hanc piam Societatem legitime adscriptus haberi possit requiritur, ut eius nomen inscribatur in piae huius Societatis regesto, quod asservatur in memoratis sede primaria vel associationum centris, vel saltem

(1) Huius institutionis formula habetur in opusculo, cui titulus: *Statuta Societatis a S. Via Crucis perpetua nuncupatae.* Invenitur opusculum apud Curiam Aracoelitanam.

eius nomen descriptum habeatur a Zelatore vel Zelatrice rite instituto. Monentur autem huiusmodi Zelatores vel Zelatrices, ut adscriptorum nomina saltem singulis annis mittant ad praefatam piae Societatis sedem primariam vel ad quoddam e praedictis associationum centris.

VIII. — *De solemniori bis in anno Via Crucis peragenda.*

Hortantur Directores ut bis saltem in anno, in Dominica scilicet Passionis, et in prima Dominica Novembris, solemnius exercitium Viae Crucis in respectiva ecclesia peragi faciant, et piae Societatis scopus ac fines commendentur ac promoveantur.

IX. — *De sodalium obligatione.*

Ad sodalium obligationem quod attinet, hi in duas distinguuntur classes vel sectiones; alii enim se obligant ad pium S. Viae Crucis exercitium peragendum singulis hebdomadis, alii vero singulis mensibus, die ipsis assignato ab adscribente, vel ab ipsis electo.

Consulitur autem ut sodales in eodem loco commorantes distinguantur in parvas societates respective septem vel triginta personarum, ex quibus singulae singulis hebdomadae vel mensis respective diebus S. Viae Crucis exercitium peragant.

Supradicta vero sodalium obligatio nullum conscientiae vinculum inducit; qui autem eidem obligationi *habitualiter* non satisfaciunt, hoc tempore durante concessis indulgentiis privati existunt.

X. — *De Crucifixo ad Viam Crucis benedicto.*

Qui exercitium S. Viae Crucis peragere legitimo impedimento prohibentur, susceptae obligationi, de qua N° IX praecedente, satisfaciunt, adhibendo *Crucifixum Viae Crucis* vulgo nuncupatum, ac praescriptas in huiusmodi usu preces rite persolvendo.

XI. — *Indulgentiae.*

Indulgentiae plenariae Societatis a Via Crucis perpetua nuncupatae Sodalibus a S. Sede benigne concessae, sunt quae sequuntur, ex Brevi diei 21 Januarii 1879:

1. In die primo singulorum ingressus.
2. In mortis articulo.
3. In festo Societatis principali, VII Dolorum B. MARIAE Virginis, Dominica tertia septembris.
4. In die festo S. P. Francisci Assisiensis, die 4 Octobris.
5. Et S. Leonardi a Portu Mauritio, Confessoris, die 26 Novembris.

Insuper lucrari possunt sodales caeteras multiplices indulgentias quae a Summis Pontificibus exercitio Viae Crucis adnexae sunt.

Igitur omnibus Superioribus localibus Ordinis nostri, et Reverendis Parochis aut Ecclesiarum Rectoribus, ubi Sacrae Viae Crucis Stationes legitime erectae sunt, *horum statutorum observationem inculcamus, optantes potissimum* ut superius commendatas series septem vel triginta fidelium, quorum unusquisque semel in hebdomada vel in mense Viae Crucis exercitium ad intentos fines peragere velit, studeant efformare.

Datum Romae, ex Aracoeli, die 10 Februarii 1885, in Festo Commemorationis Passionis D. N. J. C.

FR. BERNARDINUS
Min. Glis.

—

RMUS P. MINISTER GENERALIS HORTATUR SINGULOS ORDINIS SACERDOTES

ut ante vel post Sacrum sequentem orationem recitare velint.

OMNIPOTENS sempiterne DEUS, aedificator et custos Hierusalem civitatis supernae, sub cuius nutu vitae nostrae momenta decurrunt: Qui nos famulos tuos in hac sacra Religione ad tibi fideliter serviendum, die ac nocte in lege tua meditandum, ad tui divini honoris augmentum, nostrum profectum, proximorum exemplum, misericorditer coadunasti; Qui etiam licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosus operaris in minimis; aedifica, benedic, defende, et muro custodiae tuae circumda coenobia nostra cum omnibus tibi famulantibus in eis, ut sint semper domicilium stabilitatis, sanctitatis et pacis. Hostes visibiles et invisibiles ab eis remove, carnalia desideria repelle, regularis disciplinae augmentum concede, necessariarum rerum sufficientiam indulge. A domibus nostris,

DOMINE, spiritales nequitiae repellantur, et aerearum discedat malignitas tempestatum. Careant omni discordia, liberentur a noxa: non in eis resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiae latentis inimici, nec permittas, DOMINE, domos nostras aut famulos tuos scandalis, vel criminibus confundi, aut incendio gravari, quos e mundi periculoso pelago extractos, ad bravium supernae vocationis accendis. Sed si quid est quod aut incolumitati, aut saluti inhabitantium in eis invidet, aut quieti, per invocationem tui sancti Nominis, et huius per me offerendi (vel oblati) Sacrificii immolationem effugiat atque discedat, ut tua divina Providentia in omnibus provide sint directae, et ab omni impugnatione defensae. Per CHRISTUM Dominum nostrum. Amen. (1)

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica

–

CAPUT I.

DE VITA COMMUNI AD SCRIPTURARUM, PATRUM, FUNDATORUM ORDINUM, CONCILIORUM ET PONTIFICUM MENTEM

(Continuatio)

Omnes Fundatores eo fine Ordines suos instituerunt, ut scholae essent perfectionis evangelicae. Propterea necessarium fuit, ut illa media, quae ad hunc finem assequendum CHRISTUS ipse praescripsit eiusque discipuli executioni mandarunt, ipsi quoque adhibenda praescriberent. Porro perfectio evangelica nutritur caritate; caritatis autem praecipuus character est humanorum cordium cum immutabili bono coniunctio eorumque invicem confoederatio. Cordium vero unitatem a bonorum temporalium communione plurimum pendere S. Scriptura testatur, prout nuper indicavimus. Etenim, quia caritas communes habet coelestes thesauros, communia quoque facit bona terrena. Et quemadmodum prima hominum a DEO recessio ac ab invicem separatio ab amore proprii boni seu proprietatis ortum duxit, ita pariter ad pristinae illius beatae unionis ac coelestis commercii instaurationem inducendam consulit Salvator noster bonorum temporalium communionem. Iste ergo est finis, hae sunt rationes, quibus nixi Ordinum Fundatores in Regulis suis perfectam vitam communem praescripserunt. Nimis longum foret, si omnium Ordinum praescriptiones vitam communem concernentes indicare vellemus. Quamobrem paucos dumtaxat textus recensemus, quibus in diversis Regulis vita communis directe vel indirecte praecipitur.

Regula S. Basilii perfectam vitam communem praescribit sequentibus verbis: « Omnimode fugiendum nobis est, ne privatim omnino quidquam possideamus praeter ea, quae promiscue simul comparantur ». Et ne quis putet, ista verba continere merum consilium, statim additur: « Si quis proprium sibi dicit aliquid, sine dubio alienum se facit ab electis DEI et charitate DOMINI ». (1)

Regula S. Pachomii haec habet: « Nemo in domo sua et in cella sua habeat praeter ea, quae in communi monasterii lege praecepta sunt: non tunicam laneam, non pallium ... non paucos nummos, ... aut aliud variae supellectilis, exceptis his, quae a Patre monasterii per domorum praepositos dividentur ». (2)

S. Augustinus in sua Regula, quam non solum Augustiniani sed etiam multi alii Regulares profitentur, vitam communem cuiusque peculii expertem atque in Actibus Apostolorum descriptam his verbis praecipit: « Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Sic enim legitur in Actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia, et distribuebantur unicuique, prout cuique opus erat ». (3) Hoc Regulae praeceptum sanctus Pater in quodam sermone ad fratres suos clarius explicat dicens: « Nostis omnes sic nos vivere in ea domo, quae dicitur domus Episcopi, ut quantum possumus, imitemur eos Sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum. Nemo dicat aliquid proprium. Sed erant illis omnia communia. Non attuli aliquid, non veni ad hanc ecclesiam, nisi cum iis indumentis, quibus illo tempore vestiebar. Et quia hoc disponebam in monasterio esse cum fratribus, cognito instituto et voluntate mea,

(1) A Curia Aracoelitana peti potest haec oratio separatim edita.

(1) Reg. cap. 35.
(2) Reg. art. 81.
(3) Reg. cap. I.

« beatae memoriae senex Valerius dedit mihi « hortum illum, in quo nunc est monasterium; « coepi boni propositi fratres colligere compares « meos, nihil habentes, sicut nihil habebam . . . « Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in socie- « tate nostra habere aliquid proprium. Sed forte « aliqui habent, — nulli licet. Si qui habent, « faciunt quod non licet . . . Malum est cadere « a proposito, sed peius est simulare propositum. « Ecce dico, audite, qui societatem communis « vitae iam susceptam, quae laudatur in Actibus « Apostolorum, deserit, a voto suo cadit, et a « professione sancta cadit. Observet Judicem, « sed Deum, non me. Ego scio quantum malum « sit profiteri aliquid, nec implere. Vovete, in- « quit, et reddite Domino Deo vestro, et, melius « est non vovere, quam vovere et non red- « dere ». (1)

Saepe recogitent atque serio considerent Religiosi omnes haec S. Augustini verba, quibus perfectam vitam communem describit et peculii usum illicitum esse declarat!

Idem Sanctus, ut auferat omnem occasionem violandi vitae communis praeceptum, Fideles admonet, ne cuiquam fratrum in particulari aliquid conferant. « Et vos, dicit, ex- « hortor, fratres mei, si aliquid vultis clericis « dare, sciatis, quia non debetis quasi vitia eorum « fovere contra me. Omnibus offerte, quod vultis « offerte de voluntate vestra, quod commune « erit; distribuetur unicuique sicut unicuique « opus erit ». (2)

S. Benedictus, monachorum Occidentis Patriarcha, non minus clare et severe bonorum omnium communitatem praecipit et eiusdem violandae occasiones omnes radicitus amputandas iubet in sua Regula, in qua dicit: « Prae- « cipue hoc vitium peculiare radicitus amputan- « dum est de monasterio, ne quis praesumat ali- « quid dare aut accipere sine iussione Abbatis, « neque habere aliquid proprium, nullam om- « nino rem, neque codicem, neque tabulas, neque « graphium, sed nihil omnino: quippe quibus « nec corpora sua nec voluntates licet habere « in propria potestate. Omnia vero necessaria « a Patre sperare monasterii, nec quidquam liceat « habere, quod Abbas non dederit aut permiserit. « Omniaque omnibus sint communia, sicut scrip- « ptum est (Act, 4) nec suum quisquam aliquid « dicat aut praesumat. Quod si quisquam hoc « nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, « admoneatur semel atque iterum; si non emen- « daverit, correptioni subiaceat (1). Et ut hoc « vitium peculiare radicitus amputetur, dentur « ab Abbate omnia, quae sunt necessaria » (2).

Constitutiones Ordinis Praedicatorum dicunt: « Antequam stabilitatem et communem « vitam promittant, et obedientiam Praelato et « successoribus suis faciant, tempus probationis « eis assignetur » (3). Postea dicitur: « *Doceat* « *eos sine proprio vivere, sicut mandatur in* « *Regula, ubi dicitur: Nec dicatis aliquid pro-* « *prium, sed sint vobis omnia communia* ». (4)

Seraphicus S. P. N. Franciscus angustiorem adhuc calcandam paupertatis viam fratribus suis praescripsit, quoniam vel ipsam pecuniarum receptionem et usum severissime prohibuit. « Praecipio firmiter, inquit, Fra- « tribus universis, ut nullo modo denarios vel « pecuniam recipiant per se vel per interpositam « personam. » (5) Et postea: « Fratres nihil « sibi approprient nec domum, nec locum, nec « aliquam rem ». (6) In peculiari capitulo agemus fusius de vita communi secundum mentem Ordinis nostri servanda.

Austeram pariter paupertatem praecipit S. Franciscus de Paula, Fundator Fratrum Minimorum, qui in Regula sua dicit: « Prae- « terea sub paupertate evangelica perpetuo mi- « litantes omnes dicti Fratres, clerici et laici, « pecunias nullatenus tangant, nec illas scienter « deferant ». (7).

S. Ignatius, ut observantia paupertatis in Societate Jesu semper floreret, legem condidit, qua omnes professi spondere obstringuntur, se numquam consensuros promissae paupertatis remissioni, sed in id potius operam daturos, ut pro temporum ratione potius restringatur. « Quicumque, ait, in ea, (Societate) profes- « sionem emiserint, se ad innovationem Consti- « tutionum in iis, quae ad paupertatem perti- « nent, nihil facturos promittant, nisi aliquo

(1) Serm. 49.
(2) Serm. 50.

(1) Reg. cap. XXXIII.
(2) Reg. cap. LV.
(3) Const. cap. XIII.
(4) Const. cap. XIV.
(5) Reg. cap. IV.
(6) Reg. cap. VI.
(7) Reg. cap. V.

« modo pro rerum occurrentium ratione in Do-
« MINO magis restringendam iudicarent ». (1).

Alii Ordines religiosi, tum antiqui, tum recentiores, immo et Congregationes, in quibus emittuntur dumtaxat vota simplicia, vitam communem pariter praescribunt.

Ordinum Fundatores eorumque in gubernio successores illas leges, quas aut experientia, aut alia ratione observatu difficiles invenerunt, vel temperarunt vel penitus abrogarunt, aliasque pro temporum ratione substituerunt. Superiores difficilem quidem experti sunt vitae communis observantiam, et bene intellexerunt, peculiorum abusum saepissime scopulum esse, ad quem allidit Religiosorum fragilitas: nihilominus autem tantum abest, ut istius vitae communis legem vel in minimo laxaverint, quod econtra eam novis semper statutis et mandatis roboraverint, munierint, firmaverint. Omnium ergo Fundatorum mens atque seria voluntas est, ut vita communis ab omnibus Religiosis suis observetur. Persuasi enim erant, vitam communem esse fundamentum vitae religiosae, et sine hoc fundamento Ordinem diu stare non posse. Cuiusvis etiam Ordinis historia satis superque testatur, cum observantia vitae communis in monasteriis stare et cadere totam disciplinam regularem. Hoc optime noscentes illi, qui collapsam disciplinam in aliquo monasterio restaurare voluerunt, ante omnia vitam communem restituere studuerunt. Hac enim restaurata, etiam ceterarum legum observantiam sine magna difficultate introducere potuerunt.

Quae ab Ordinum Fundatoribus de vita communi servanda praescripta sunt, S. Ecclesia non solum rata habuit et adprobavit, sed etiam *multis decretis*, tum a S. Conciliis tum a Romanis Pontificibus editis, vitae communis observantiam inculcat et urget.

S. Concilium Lateranense III, sub Alexandro III anno 1179 celebratum, vitam communem praecipit, peculium quodlibet damnat, et poenas infligit severas Superioribus, qui praeceptum non impleverint vel impleri non curaverint (2). « Monachi nequaqam habere permittantur pecu-
« lium. Qui vero peculium habuerit, nisi ei ab
« Abbate fuerit pro iniuncta administratione per-
« missum, a communione removeatur altaris, et
« qui in extremis cum peculio inventus fuerit et
« digne non poenituerit, nec oblatio pro eo fiat,
« nec inter fratres recipiat sepulturam. Quod
« etiam de universis Religiosis praecipimus, sci-
« licet quod non habeant peculium seu pro-
« prium ». (1)

(1) Const. 6. part. cap. II.

(2) Can. 10.

Quoniam ex morum depravatione haereses omnes, deplorabili experientia teste, originem trahunt, S. Concilium Tridentinum, ut ab imis haeresum radices praecideret, non canones dumtaxat, quibus catholicam fidem surtam tectamque tueretur, condidit, verum etiam christianorum moribus reparandis consentanea aptavit remedia. Et quia populi christiani reformatio morumque integritas ab ecclesiastici ordinis sanctitate plurimum pendet: praecipuus sacrae Synodi scopus fuit, ut profligatis haereticorum erroribus, ecclesiasticae disciplinae pristinum restitueret splendorem. Porro huius disciplinae nobilissima pars est disciplina monastica, quae secundum respectivas Regulas bene observata in universam CHRISTI Ecclesiam clarissimam diffundit lucem, totiusque sanctuarii decus est et ornamentum. Pro reformatione istius, ubi collapsa est, disciplinae, et pro perenni, ubi viget, custodia S. Concilium Tridentinum sequentia statuit:

« Quoniam non ignorat sancta Synodus,
« quantum ex monasteriis pie institutis et recte
« administratis, in Ecclesia DEI splendoris atque
« utilitatis oriatur; necessarium esse censuit,
« quo facilius et maturius, ubi collapsa est vetus

(1) Conferatur etiam Cap. *Cum ad monast.* 7, de statu Monach. « Prohibemus districte sub obtestatione « divini iudicii, ne quis monachorum proprium aliquando « possideat; et si quis habuerit proprium aliquid, incon- « tinenti resignet. Si vero post haec proprietatem aliquam « habere aliquis fuerit deprehensus, regulari monitione « praemissa, de monasterio expellatur. Neque ulterius « recipiatur, nisi poeniteat secundum monasticam di- « sciplinam. Quod si proprietas apud quemquam fuerit « inventa in morte, cum eo in signum perditionis, extra « coemeterium in sterquilinio subterretur, sicut B. Gre- « gorius in Dialogo narrat se fecisse. Unde si quidpiam « alicui fuerit specialiter destinatum, non praesumat « illud accipere, sed Abbati seu Priori vel Cellario assi- « gnetur; nec aestimet Abbas quod super habendo pro- « prio possit cum aliquo dispensare. Quoniam abdicatio « proprietatis, sicut et custodia castitatis adeo est annexa « Regulae monachali, ut nec Summus Pontifex possit « indulgentiam concedere ».

« et regularis disciplina instauretur, et constan- « tius, ubi conservata est, perseveret, praecipere, « prout hoc decreto praecipit, ut omnes Regu- « lares, tam viri, quam mulieres, ad Regulae, « quam professi sunt, praescriptum, vitam in- « stituant et componant: atque in primis, quae « ad suae professionis perfectionem, ut obedien- « tiae, paupertatis et castitatis, ac si quae alia « sunt alicuius Regulae et Ordinis peculiaria « vota et praecepta, ad eorum respective es- « sentiam, necnon ad COMMUNEM VITAM, victum « et vestitum conservanda pertinentia, fideliter « observent: omnisque cura et diligentia Supe- « riorum adhibeatur, tam in capitulis genera- « libus et provincialibus, quam in eorum visita- « tionibus, quae suis temporibus facere non « praetermittant, ut ab illis non recedatur: cum « compertum sit, ab eis non posse ea, quae ad « substantiam regularis vitae pertinent, relaxari; « si enim illa, quae bases sunt et fundamenta « totius regularis disciplinae, exacte non fuerint « conservata, totum corruat aedificium necesse « est ».

« Nemini igitur Regularium, tam virorum, « quam mulierum, liceat bona immobilia vel « mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam « quovis modo ab eis acquisita, tamquam pro- « pria, aut etiam nomine Conventus, possidere « vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, « Conventuique incorporentur. Nec deinceps « liceat Superioribus bona stabilia alicui Regu- « lari concedere, etiam ad usumfructum, vel « usum, administrationem aut commendam. Ad- « ministratio autem bonorum monasteriorum seu « Conventuum ad solos officiales eorumdem, ad « nutum Superiorum amovibiles, pertineat. Mo- « bilium vero usum ita Superiores permittant, « ut eorum supellex statui paupertatis, quam « professi sunt, conveniat; nihilque superflui in « ea sit; nihil etiam quod sit necessarium, eis « denegetur. Quod si quis aliter quidquam te- « nere deprehensus aut convictus fuerit, is bien- « nio activa et passiva voce privatus sit, atque « etiam iuxta suae Regulae et Ordinis consti- « tutiones puniatur. » (1).

Communitas rerum, quam Concilium Tridentinum praescribit, ea est, quam CHRISTUS Dominus consulit et Ordinum Regulae praecipiunt. Satis vero Concilio haud fuit, vitam communem praecipere, sed ad profliganda omnia commenta, quae, ut sua Statuta eluderet, excogitare posset sagax divitiarum cupiditas, simul vetat Regularibus omnibus, bona sive mobilia sive immobilia quovis modo acquisita tamquam propria, vel etiam nomine Conventus, possidere vel tenere. Deinde mandat, omnia bona Superiori consignari debere atque Conventui incorporari, seu cum communi Conventus patrimonio confundi et permisceri. Superioribus impertiendi subditis bona stabilia, etiam ad usumfructum *vel usum*, adimit potestatem. Bona omnia *monasteriorum* per solos officiales ad nutum *Superioris* amovibiles iubet administrari. Praelatos admonet, ut Religiosis de communibus bonis ita provideant, ut nihil superflui sit, nihilque necessarii desit. Demum poenas decernit, quibus horum decretorum transgressores plectendi sunt.

Post haec decreta, quae regularis disciplinae basim atque substantiam intime tangunt, pluribus aliis per distincta capita editis pro Regularium reformatione ordinationibus: S. Concilium earum omnium exactam observantiam pro omnibus coenobiis et monasteriis praecipit, non obstantibus quibuscumque privilegiis, constitutionibus, consuetudinibus vel praescriptionibus, etiam immemorabilibus. Episcopis omnibus, Abbatibus, Generalibus aliisque Superioribus mandat, ut omni conatu, nullaque interposita mora, haec omnia et singula observari curent. Si qui vero in executione minus solliciti reperti fuerint, mandat, ut Episcoporum negligentiam Concilia suppleant, Regularium vero capitula provincialia et generalia provideant.

Ex his tum Lateranensis tum Tridentini Concilii decretis constat, mentem et seriam voluntatem S. Ecclesiae esse, ut ab omnibus Regularibus vita communis perfecte observetur et proprii peculii usus omnino respuatur.

Ita etiam Episcopi et Praelati oecumenici Concilii decreta intellexerunt, prout apparet ex variis Conciliis provincialibus, quae, absoluto Concilio Tridentino, celebrata sunt ac in quibus decreta Concilii publicata et magis explicata fuerunt. Anno 1565 habita est Synodus Cameracensis, Episcoporum Doctorumque numero veneranda, quorum plures Concilio Tridentino interfuerunt, atque pro eiusdem exe-

(1) Sess. XXV. Cap. I et II *De Regularibus et Monialibus*.

cutione quoad vitam communem a Religiosis servandam statuerunt: « Cum sacrosancta Sy-« nodus Tridentina praeceperit ea quae ad com-« munem vitam, victum, vestimentum, pertinent « fideliter observari, mandat haec Synodus om-« nibus Religiosis, ut diligentissime paupertatis « votum tamquam ineffabilis cuiusdam et dul-« cissimae quietis causam custodiant; neque « proprietatis vitio violent. Caveant igitur, ne « quid ita sibi retineant, ut communitati nolint « esse commune ». (1) Pariter eadem Synodus praecipit, « ut omnis illa pecunia, vel res, quam « Monachus vel Monialis acquirere labore, sive « industria, sive amicorum liberalitate, seu de-« nique qualibet alia occasione possit, Superiori « tradatur, et ad nutum eius tamquam res com-« munis expendatur ». (2)

Concilium Audomarense anno 1583 celebratum *in virtute sanctae obedientiae* Dei *loco* Religiosis praecipit vitam communem, et addit, per hoc non aliud se praecipere, quam id, quod Superiores ex officio prorsus curare; Religiosi vero ex ea, quam Deo fecerunt, sponsione observare teneantur. (3).

(Continuabitur)

—

DE COLLEGIIS SERAPHICIS.

Nomine « *Collegium* » communiter non solum societates, sodalitates seu corporationes plurium personarum saecularium aut ecclesiasticarum ad eumdem finem obtinendum comprehenduntur, sed etiam aedificia, in quibus huiusmodi corporationes congregantur, nomine « Collegium » veniunt. — Quod attinet rem nostram, ipsum S. Concilium Tridentinum (Sess. 23. de Reform. cap. 18.) ea instituta, in quibus pueri ad Dei ministerium educantur nomine « *Clericalia puerorum Collegia* » designavit, qua de causa usus communis nomen « *Seminarium clericale* » domibus reservavit, in quibus Candidati sacerdotii absolutis studiis humanioribus S. Theologiae vacant, necessariam practicam introductionem in sacerdotium acquirunt et servatis interstitiis ad Ordines Maiores admittuntur.

In sequentibus praeprimis de « *Clericalibus Collegiis* » puerorum pro statu religioso ac sacerdotali educandorum, et instituendorum tractabimus. Cum autem « *Clericalia Collegia puerorum* » pro ministerio ecclesiastico educandorum certe prius extiterint pro Clero saeculari quam pro Regularibus et conditiones atque motiva fundationis memoratorum Collegiorum pro utrisque partibus fere eadem sint, et insuper status regularis semper respicere debeat normas, quas S. Mater Ecclesia pro huiusmodi fundationibus constituerit: hinc in *prima parte* huius tractatus « *de Clericalibus puerorum Collegiis* » in genere, et in *secunda parte*, « *de Collegiis nostris seu Seraphicis* » in specie dicemus. Proponemus Collegiorum nostrorum *necessitatem*, eorum iam in primaevae S. Ecclesiae aetate *existentiam*, eorumque *commoda, constitutionem* et *disciplinam* atque *favores*, quibus S. Mater Ecclesia huiusmodi instituta amplexa est et viri sancti eadem promoverunt.

I.

De Collegiis Clericalibus in genere.

1. Est ergo « *Collegium Clericale* » locus seu schola, in qua alumni pro vocatione status sacerdotalis instituuntur et educantur. Ex se patet, quod sacerdotes propter singularem gravissimamque in societate humana vocationem et propter excelsam dignitatem suam etiam singulariter atque eminenter educari debeant. Haec educatio necessario in multis differt ab ea, quae necessaria est iis, qui in societate humana saecularem tantum etsi quam maxime eminentem dignitatis gradum teneant. Hac de causa officiales saeculares et Ecclesiae ministri sacerdotales nec iisdem scientiis nec eadem educatione formari et institui poterunt. Saecularis tantum cultura, etsi summam complecteretur scientiam, hac ea ratione nullum ad sacerdotium adaptat; ut hoc digne suscipiatur et administretur, etiam internus progressus internaque cultura omnem scientiam longe supereminens in suscipiente requiritur. Cum vero omnium virorum ecclesiasticorum communis persuasio haec sit, quod Candidati sacerdotii, non solum ut quiete studiis suis vacare, sed etiam et quidem potissimum animo et vita externa ad vocationem suam apti reddantur, a periculosa conversatione et a libera

(1) Tit. 8 de Monachis. cap. 9.
(2) Ibid. cap. 10.
(3) Tit. 17. cap. 6.

conformatione cum saeculo retineantur: hinc ad hunc scopum obtinendum propria instituta sustentari debent et haec instituta « *Collegia clericalia* seu *Seminaria* » vocantur, ex quibus continuo novi successores sacerdotii ecclesiastici adducuntur et excoluntur. In haec Collegia et Seminaria alumni iuxta circumstantias et Constitutiones a primis iuventutis annis, si ad statum sacerdotalem inclinaverint, recipiuntur, aut eadem tunc ingrediuntur, quando studia humaniora iam absolverint, ut sic ibidem quasi ultimam formam status sacerdotalis sibi acquirant.

2. Huiusmodi clericalis educatio ad sacerdotium primis Religionis christianae temporibus nec possibilis fuit nec necessaria, cum divina gratia tunc temporis modo extraordinario operaretur et recens spiritus religionis salvificae animos tanta potentia excitaret, ut multa non essent necessaria aut quasi eo ipso accederent, quae successu temporis solummodo disciplina et studiis scientificis acquiri poterant. Attamen certe iam istis temporibus Episcopi iuxta monitum S. Pauli ad Timotheum (I. Tim. 5, 22.) eos, quibus manus suas imponere voluerunt, antea intelligentia et spiritu suscipiendi ministerii initiarunt et in necessariis instituerunt, quamvis notitiae de formalibus ad hoc institutis ad nos non pervenerint.

Sed iam ad finem secundi saeculi *schola catechetica Alexandriae* pro educatione et institutione sacerdotum maximi fuit momenti; etiam de Clericorum scholis *Emesae* et *Nisibi* in Syria, *Antiochiae* et *Caesareae* historia seculi tertii et quarti refert. — Porro negari nequit, *vitam monasticam* quoad educationem Cleri multum valuisse; etenim fere omnes Ecclesiae Doctores a saeculo quarto usque ad saeculum sextum aut Monachi fuerunt aut ex eorum scholis prodierunt. — Tempore *S. Augustini* separata Clericorum educatio iam adeo necessaria visa est, ut vitam communem Clericorum inter Clericos suae sedis episcopalis introduceret et cum hoc instituto simul etiam educationem Clericorum inferiorum pro Ordinibus maioribus coniungeret. Et intime persuasus, quod illi tantummodo digni futuri sint sacerdotes, qui non immediate ex vita saeculari pedem suum in sanctuario ponerent, nulli manus suas imponere voluit, nisi prius sub ipsius oculis institutus et educatus fuisset. — Eiusdem sententiae fuit etiam Papa *S. Leo I Magnus,* qui Episcopis scripsit, ut illos tantum ordinarent, qui ab aetate puerili in disciplinis ecclesiasticis exercitati in iisdemque accrevissent. Postea sub Pontificatibus *S. Gregorii, S. Agapiti,* etc. Hypponense S. Augustini institutum invenimus etiam Romae summe florens. (Conf. Thomassin. V, et N. Eccl. discipl. P. II. L. I. c. 95.) Eodem modo *Hilarius* Episcopus Arelatensis, *Martinus* Turonensis saeculo quinto sustentarunt Seminaria, ex quibus multi praestantissimi prodierunt Sacerdotes. — *Synodus Toletana,* an. 531, ordinavit, ut qui pueri secundum voluntatem parentum suorum ad statum clericalem essent destinati, accepta Tonsura, in domo ecclesiastica sub oculis Episcopi instituerentur; decimo octavo aetatis suae anno votum castitatis emitterent, et vigesimo anno, si probati inventi fuissent, ad Ordinem Subdiaconatus promoverentur. Hoc statutum *Chrodegangus Metensis* (c. 760) nonnullis cum amplificationibus in Regulam suam recepit. Ante omnes autem *Ordo S. Benedicti* inde a saeculo septimo educatione Clericorum excelluit, ubique in monasteriis suis etiam scholas constituens, et haec Clericorum institutionis forma fere ubique fuit recepta, ita ut instituta Clericorum eorumque a iuvenili aetate educatio et disciplina hoc et proxime elapso tempore praedominantem haberet *monasticum caracterem.* Tamquam meritissimus vero scholarum claustralium promotor extitit *Imperator Carolus Magnus*, qui omnem lapidem movit ad scholas fundandas, et an. 787 publicavit celebrem illam « Constitutionem de scholis per singula episcopia et monasteria instituendis » (Conf. Baluz. Capitul. R. F. tom. I.), secundum quam in omnibus Capitulis Cathedralibus et Abbatiis, ubi scholae nondum invenirentur, tales fundarentur praesertim ad instituendos et educandos Clericos. Sic initio saeculi noni saltem in Occidente adhuc floruit educatio Cleri ad mentem Ecclesiae constituta.

3. Sed defuncto Imperatore Carolo Magno (†814), exortis fere continuis bellis, dimissa vita canonica in sedibus episcopalibus, atque multis in regionibus delapsa disciplina Ordinis S. Benedicti, ac Sede Apostolica partium studiis in Italia depressa aliisque tempo-

rum iniuriis etiam educatio Clericorum maximam fecit iacturam. — Saeculo autem duodecimo res institutionis et educationis Clericorum totaliter immutata est. Indigentiis temporum non amplius sufficientibus scholis cathedralibus et claustralibus, fundatae sunt *Universitates*, quae sacerdotium aspirantibus commoda quidem sed etiam incommoda et vocationis detrimenta attulerunt. Scientiae splendor vitaeque libertas in iisdem omnia attraxit, omnesque iuvenes, quibus conditio sua hoc concessit, ad easdem accelerarunt. Cultura scientifica promovebatur, sed disciplina relaxabatur; et quamvis Ecclesia periculis imminentibus fundatione Collegiorum Clericorum in sedibus Universitatum providisset, tamen omnia mala ex hac immutatione provenientia praecavere non valuit. Summi Pontifices saeculo XIV et XV omnem adhibuere conatum, ut saltem scholae cathedrales continuarentur; ast *Schisma occidentale* et universalis hoc tempore depravatio Cleri omnem fere conatum frustravit. Tandem saeculo XVI sic dicta *Reformatio Protestantica* in orbem catholicum introrupit. In maiori parte Universitatum, quae Principum Protestantismo faventium erant, Professores haeresim docentes fovebantur, haeresi autem sese opponentes aut violenter opprimebantur aut expellebantur et Universitates deinde Principum sententia tamquam Protestanticae declarabantur. Sic etiam res catholicae institutionis et educationis in pessimam redigebatur conditionem.

4. Hinc *S. Concilium Tridentinum* etiam reformationem institutionis et educationis Cleri aggredi et quoad hoc certas normas statuere debuit. Matura deliberatione habita, Patres in Sessione 23 (an. 1563) in suo « Decreto de Reformatione » pro educatione clericali principaliter ad ea statuta fundamentalia redierunt, quae saeculis prioribus, tempore florentis Ecclesiae status, observari solebant. (*)

Ducta persuasione, iuventutem sine accurata ac bene ordinata educatione christiana ad mundi voluptates esse pronam, eamque nisi a tenera aetate ad religionem pietatemque instituatur, antequam vitiorum habitus totos homines infecerit, nunquam sine speciali divina gratia in disciplina ecclesiastica perfecte esse perseveraturam, S. Synodus Tridentina decernit: ut omnes Ecclesiae cathedrales et metropolitanae iuxta mensuram mediorum et extensionem Dioeceseos fixum numerum puerorum ex Dioecesi, aut, si in hac inveniri non possent, ex tota Provincia recipiendorum, in Collegio sustentare, religiose educare et scientiis ecclesiasticis institui curare debeant. In delectu puerorum praecipue pauperiores respiciantur, quin tamen divites excludantur, qui vero suis expensis sustententur. Collegio adscribendi aetate sint saltem *duodecim annorum*, et post suum introitum Tonsuram recipiant ac veste ecclesiastica induantur, etc. — Audi ipsa memorati verba Decreti S. Concilii.

« Cum adolescentium aetas, nisi recte in-
« stituatur, prona sit ad mundi voluptates se-
« quendas; et, nisi a teneris annis ad pieta-
« tem et religionem informetur, antequam vi-
« tiorum habitus totos homines possideat,
« nunquam perfecte, ac sine maximo, ac sin-
« gulari propemodum Dei omnipotentis au-
« xilio, in disciplina ecclesiastica perseveret:
« sancta Synodus statuit, ut singulae cathe-
« drales, metropolitanae, atque his maiores
« ecclesiae, pro modo facultatum, et dioecesis
« amplitudine, certum puerorum ipsius civi-
« tatis et dioecesis, vel eius provinciae, si ibi
« non reperiantur, numerum in collegio ad
« hoc prope ipsas ecclesias, vel alio in loco
« convenienti, ab Episcopo eligendo, alere ac
« religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis
« instituere teneantur. In hoc vero Collegio
« recipiantur, qui ad minimum duodecim an-
« nos, et ex legitimo matrimonio nati sint;
« ac legere, et scribere competenter noverint;
« et quorum indoles et voluntas spem afferat,
« eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inser-
« vituros. Pauperum autem filios praecipue
« eligi vult; nec tamen ditiorum excludit, modo
« suo sumptu alantur, et studium praeseferant
« Deo et Ecclesiae inserviendi. Hos pueros
« Episcopus in tot classes, quot ei videbitur,
« divisos iuxta eorum numerum, aetatem, ac
« in disciplina ecclesiastica progressum, partim

(*) IV. Tolet. in C. Omnis aetas. 12. q. 1. gen 8,21.; — Conc. Aquisgran. cad. 135. — Lateran. sub Leone X. sess. 9. de reform. curiae. — Constitutio Alexandri III. part. I. c. 18. et in 2 Lateran. c. 2. in c. «Quia nonnullis, de Magistris; sup. sess. 5, cap. I. de Reform. — C. « Quae ipsis, » dist. 38.

« cum ei opportunum videbitur, ecclesiarum « ministerio addicet; partim in Collegio eru« diendos retinebit; aliosque in locum educ« torum sufficiet; ita ut hoc collegium DEI « ministrorum perpetuum seminarium sit. Ut « vero in eadem disciplina ecclesiastica com« modius instituantur, tonsura statim atque « habitu clericali semper utentur; gramma« tices, cantus, computi ecclesiastici, alia« rumque bonarum artium disciplinam discent: « sacram scripturam, libros ecclesiasticos, ho« milias Sanctorum, atque Sacramentorum tra« dendorum, maxime quae ad confessiones « audiendas videbuntur opportuna, et rituum, « ac caeremoniarum formas ediscent. Curet « Episcopus, ut singulis diebus Missae sacri« ficio intersint; ac saltem singulis mensibus « confiteantur peccata; et iuxta confessoris « iudicium sumant Corpus Domini nostri JESU « CHRISTI; Cathedrali, et aliis loci ecclesiis « diebus festis inserviant. Quae omnia atque « alia ad hanc rem opportuna, et necessaria « Episcopi singuli, cum consilio duorum ca« nonicorum seniorum, et graviorum, quos « ipsi elegerint, prout SPIRITUS SANCTUS sug« gesserit, constituent; eaque ut semper ob« serventur, saepius visitando operam dabunt. « Dyscolos et incorrigibiles, ac malorum mo« rum seminatores acriter punient; eos etiam, « si opus fuerit, expellendo: omniaque impe« dimenta auferentes, quaecumque ad con« servandum et augendum tam pium et san« ctum institutum pertinere videbuntur, dili« genter curabunt, etc. etc. » (S. Concil. Trid. Sess. 23. Decr. Reform. cap. 18.).

Intentio, qua S. Synodus quoad hoc Decretum ducta fuerit, neminem latet. Vult, ut qui postea dignitate sacerdotali insigniti Altari serviant, non amplius varia insidiosa itinera vitae humanae percurrant, sed incorrupti ex sinu familiae christianae in sinum instituti recipiantur, in quo sub paterna directione a religiose excultis et moraliter integris viris in necessariis profanis ac theologicis scientiis instituantur et ad vere piam vitam clericalem educentur.

5. Sancta Sedes Apostolica atque zelosi Episcopi, et ante omnes *S. Carolus Borromaeus* praesertim in Italia omnem lapidem moverunt, ut hanc S. Concilii Trid. ordinationem continuo executioni darent; extra Italiam autem, praesertim in Germania, Episcopi parum tantum ad exequendum hoc Reformationis ecclesiasticae decretum conferre valuerunt. Mirabilia autem quoad hoc praestiterunt *Iesuitae, aliique Ordines et Congregationes regulares*, v. gr. Somaschae, Barnabitae et Piaristae, quos Optimus DEUS hoc tempore quasi ad hoc in S. Ecclesia sua suscitavit. Profecto, ante omnes alios Jesuitae palmam retulerunt. Summa prudentia, circumspectione et pietate in omnibus terrae plagis sua collegia fundarunt et cum iisdem instituta pro puerorum educatione et institutione coniunxerunt, et *quidem mirabili eventu* non solum pro Clero saeculari, sed etiam pro republica christiana, ita ut Societas JESU quoad artem educandi semper sit mansura magistra, ad quam hucusque omnes, qui bona Collegia aut Seminaria clericalia voluerunt fundare plus minus ac in condendis pro iisdem statutis iure merito respexerunt.

Quae autem usque ad saeculum XVIII « Collegia Clericalia » effecta fuerunt, ad finem praefati et ad initium huius saeculi fere omnia fuerunt destructa et ad nihilum fere redacta. *Jansenismus, Gallicanismus* in Gallia et in confinibus, ac subsequens *Frebronianismus et Josephinismus* in Germania et Austria infensissimi erant inimici institutorum a S. Sede tantopere desideratorum. Ad haec accessit suppressio *Societatis Jesu;* subsecuta sunt dein *revolutio gallica,* bonorum ecclesiasticorum *saecularisatio* in Germania, *suppressio Ordinum* regularium multarumque *Dioecesium dismembratio aut totalis abolitio.* Ad haec venit arrogantia Principum ac Parlamentorum, quae quoad scholas omnem principatum reipublicae vindicarunt et Ecclesiae DEI non solum nullam quoad leges in scholis observandas ingerentiam concesserunt, sed potius Religioni christianae et Ecclesiae catholicae infensissimas condiderunt leges, secundum quas iuventus christiana esset educanda.

Utique S. Sedes Apostolica inde a primis huius saeculi annis a Guberniis Galliae, Germaniae, Austriae, etc. per s. d. Concordata et Conventiones quoad « Collegia clericalia » aliquot limitatas concessiones obtinuit, ut in multis Dioecesibus Collegia iterum restituerentur; sed istae « Concessiones » ultimis

duobus decenniis fere ubique a Guberniis — iniustissime ab iisdem rescissis Concordatis et conventionibus cum S. Sede initis — abrogatae atque ablatae fuerunt. Parlamenta non solum sua gubernia tamquam neutra seu sine confessione (inconfessionalia, uti dicunt) et ad omnes Religiones indifferentia, sed etiam omnes scholas publicas inconfessionales et ab Ecclesia totaliter disiunctas declararunt, libertatem doctrinae proclamarunt, omnisque furfuris hominibus, imo etiam Judaeis aditum ad officia Praeceptorum et Professorum in scholis catholicis aperuerunt, plus minusve seclusis Presbyteris et Religiosis. Ad haec omnia tandem venit universalis obligatio ad rem militarem, ita ut nec candidati sacerdotii sint exempti, et iam ordinati sacerdotes ad militiam adigantur; etenim haec Massoneriae tessera est: « ut iuventus ubique corrumpatur et generatio incredula accrescat ».

Ex hucusque dictis sat evidens erit, quam necessaria sint « Collegia Clericalia » praesertim tempore nostro et quanta commoda huiusmodi instituta afferant Ecclesiae Dei. — Quod vero tandem attinet eorumdem dispositionem seu disciplinam, ipsa S. Sedes Romae, in centro Catholicitatis, quasi exempla seu formas constituit, secundum quas huiusmodi instituta fundentur ac dirigantur.

His iam in genere de « Collegiis Clericalibus » dictis tractandum erit in specie de « Collegiis Seraphicis ».

(*Continuabitur*)

III.
MISSIONES

—

Ex Collegio Missionariorum S. Mariae Angelorum in civitate Tarija REIPUBLICAE BOLIVIANAE, IN AMERICA MERIDIONALI, *26 Novembr. 1884.*

Admodum Reverende Pater,

Illo temporis momento, quum Roma ad sacrum hoc Americae Collegium reversurus eram, promisi Paternitati tuae, ut aliqua, de hoc Collegio quae scitu digna essent, scripto referrem, quod nunc grato animo praesto.

Iter nostrum esto longum atque asperrimum, tamen, Domino iuvante, feliciter absolvimus; in aliquibus locis maritimis, uti ad *Montevideo*, dein prope insulam *Flores* et demum iuxta *Maldonado*, quum super morbo asiatico, quem cholera vocant, suspecti haberemur, 24 dies cunctandum nobis erat; in nonnullis vero Americae civitatibus, puta *Buenos Aires, Tucuman* et *Salta*, aliquanto moram trahere debuimus tum ut nonnihil quiete reficeremur, tum vero, ut necessariis provideremur pro itinere, quod deinceps equo praesertim erat agendum. Tandem die 17 Octobris, quae fuit itineris nostri 93, ex quo portu Genuensi solvimus, ad Collegium hocce nobis desideratissimum salvi atque sani pervenimus, a fratribus nostris et civibus magna amoris et reverentiae contestatione excepti. Quantae consolationi, Admodum Rde Pater, nobis fuit denuo, sacrum hoc coenobium ingredi, hos venerandos evangelii precones coram salutare, et dilectissimos fratres amplecti posse, vix describi potest. Augebatur animi gaudium, ex eo quod novellos operarios in hanc vineam Domini adduxerimus, qui spe in Deum freti ad onera apostolica, quae collegium a suo origine exercet, supportanda, sunt animo promptissimi. Actis proin Domino Deo nostro gratiis, id unice ab eo rogavimus, ut coelesti suo adiutorio sacris laboribus, ad quos nos vocavit, benignus adsistere vellet.

Fratres huius Collegii, quod fidei inter silvestres gentes indianas propagandae destinatum est, et septem, ut ita vocantur, Reductiones inter *Chiriguanos* dirigit, abhinc duobus annis continuis malevolorum hominum obtrectationibus et calumniis cum privatim tum et aperte medio praelo dure exagitabantur; quibus tamen calumniis haud aliud efficacius opponi poterat, quam ipse dulcis evangelicorum laborum fructus. Ad cognoscendum Missionariorum vitam apostolicam et indefessos labores, multum contulere notitiae, quas palam fecit illustris viator gallicus dominus Arthurus Thouar; is enim, quum in has partes venisset, atque horum missionariorum labores et voluntariam in bonum proximi sui oblationem conspexisset, multa de iis cum societate geographica Parisiensi communicavit (1). Quas

(1) Huius relationis sequentia citare interest: « . . . . . . Des hommes venus de loin, abandonnant famille et patrie (j'ai cité les R. P. Franciscains),

deinde notitias publici iuris factas etiam ephemerides rerumpublicarum Argentinae et Boliviae typis iterato descripserunt. His tamen non obstantibus adhuc sunt nonnulli, qui modo ubi possunt, missionarios affligere pergunt.

Attamen adiuncta haec temporis nostri quamvis nunnunquam asperrima, tamen constanti missionariorum patientiae tandem cedere debent; nam non modo *Chiriguanos* ad fidem JESU CHRISTI conversi, in retinendis fidei praeceptis sunt tenaces, sed et nova atque certa spes affulsit fore, ut et aliae duae gentes ad ovile Divini Pastoris brevi recipiantur. Una earum, quae sexcentas personas complectitur, *Noctenes* nuncupata, nunc in antiquo suo loco, a S. Antonio Paduano dicto, quem olim dereliquerat, habitacula sua denuo figere coepit. Altera vero, personarum numero maior priore, penes missionem S. Francisci Solani ad ripam fluminis *Pilcomayo,* ubi et olim habitabant, novum pagum condere pergunt. Faxit DEUS, ut feroces hae gentes quamprimum suavi iugo sancti Evangelii se submittant, obtineaturque spiritualiter fructus eius seminis, quod sanctus Franciscus per zelosos huius collegii Fratres viginti abhinc annis spargere coepit.

Libet et de collegio ipso quaedam adnotare. In eo disciplina religiosa strictissime observatur, non obstante imminuto Fratrum munero. Omnes fratrum actus atque labores, sapienter distributi, assignato sibi tempore fiunt, uti officium divinum, meditationes, studium, morales conferentiae, etc. Confessiones poenitentium indefesse excipiuntur et sermones ad populum frequentes habentur. R. P. Dionysius Guerini, zelosus huius Collegii Guardianus, tres misit sacerdotes, qui, inter fideles hinc 50 incirca milliaria distantes, quartum iam in mensem sacrum missionis opus magno cum spirituali lucro exercent. Neque praetereundum est duos ex hoc Collegio deputatos esse Patres, qui de mandato archiepiscopi Platensis parochiam huius civitatis, ad 14 millia animarum aestimatam administrant; denique clero saeculari his in partibus, dum necessitas exigit, frequentissima opera spiritualis praestatur.

Quoad catholicam puellarum huius civitatis educationem, iustam laudem tribuere debeo Sororibus Congregationis a S. Anna nominatae, quae mense Aprili elapsi anni huc pervenerunt. Licet duodecim tantum numerentur, puellis in schola informandis et infirmis in nosocomio curandis sedulam operam navare inceperunt. Paucis adhuc emensis ab adventu mensibus, iam in omnium ore versatur elogium Sororum, quae omnes Tertio Ordini S. P. Francisci aggregatae sunt, et a Missionariis Collegii nostri in spiritualibus adiuvantur.

Postremo Paternitatem tuam revereor et sum

Humillimus in CHRISTO Confrater
Fr. SEBASTIANUS PIFFERI
Min. Obs. Miss. Apost.

poussés par un profond sentiment de foi, d'abnégation, ont planté la croix du CHRIST au milieu de ces déserts, ont prêché des paroles de paix, ont affronté mille fois la mort; seuls en face de la nature la plus sauvage, ils ont à force de travail, de sacrifices sans nombre, soumis près de 10,000 Indiens, construit des missions, des villages, etc.

Le docteur Crevaux, émerveillé en face de tant d'efforts ignorés, de si brillants résultats obtenus, vous avait fait connaître l'année dernière, l'œuvre de géants, accomplie par ces Religieux dont la science et les connaissances égalent la modestie.

Ils m'ont prodigué les marques les plus vives de sympathie, d'amitié; le P. Doroteo Giannecchini, préfet des missions, m'a communiqué avec autant de générosité que de franchise tous les renseignements intéressants sur les indigènes du grand Chaco et en particulier sur les Tobas, au milieu desquels il a vécu quatorze ans comme Père convertisseur à la mission de San Francisco du Pilcomayo ».

(*Société de Géographie de Paris, séance du 9 Novembre 1883.*)

HOU-PE OCCIDUO-MERIDIONALIS

Secundum epistolam diei 10 Nov. in *Hou-pe* occiduo-meridionali pax vigebat et securitas pro Missionariis ita quidem ut exclamare possit P. BASILIUS GORGES, eiusdem epistaolae uctor: « In hac regione bellum ordinarie *praevalet* in tempore pacis, et nunc, dum grassatur bellum franco-sinense, tranquilla pace fruimur. » Rmus FILIPPI, omnesque eiusdem Vicariat. Missionarii tunc optime se habebant.

EX HOU-PE ORIENTALI

E contra P. BONIFACIUS OOMSELS, Missionarius in Vicariatu *Hou-pe* orientalis, die 5 Decembris 1884 scribit in suo districtu continuum sermonem esse de bello Franco-Si-

nensi. « Ideo, addit, populus contra Europaeos valde commotus videtur. Iubentibus Mandarinis, passim affiguntur in publicis plateis edicta quae praemium promittunt cuilibet sive Gallum militem, sive Gallorum complicem occisuro. Reipsa non ignorant isti Mandarini ne unum quidem inveniri Gallum militem in circuitu et ultra centena leucarum millia, sed tali abutuntur praetextu ad excitandos Paganos contra Christianos ipsosque Missionarios. »

IV.
BIBLIOGRAPHIA

1882. Het Vagevuur door P. F. Bertinus Hermans (Lect. S. Theol. Recoll. Prov. S.Ioseph Belgii) Sint-Truiden (Trudonopolis) Schoofs-Herman.

1883. The little Shraphic Manual of the Archiconfraternity of the Cord of St. Francis from authentic sources, by Fr. Iarlath Prendergast, O. S. F. (Recoll. Prov. S. Joseph Belgii),

(De Archiconfraternitate Chordae S. Francisci.)

Jura specialia, Provinciae Bosnensium et custodiae Hercegovensium Franciscanorum edidit P. P. Jelenez, rectius P. Fl. Nedic'. Djakovae. 1883.

Ruska Sinoda (Synodus Russiaca seu constitutio ecclesiae Russiacae) scripsit P. I. Miolin provinciae SS. Redemptoris in Dalmatia Sacerdos. Jadrae 1884.

Stanje Redodrzave Bosne Sreberne (Status provinciae Bosnae Argentinae ab excidio regni Bosniae usque ad novissimam occupationem), scripsit P. Martinus Nedic' eiusdem provinciae ex-minister. Djakovae 1884.

Poraz Basa (Basae profligati) cecinit idem. Quinqueeclesiis (Pécs) 1884.

1884. Apuntes historicos sobre la fundacion del Colegio de San Carlos y sus Misiones en la Provincia de Santa Fé por Fr. Vicente Caloni, actual Prefecto de Misiones. Buenos Aires, Imprenta y Libreria de Mayo, calle Perù 115. — Pag. 87 in 4.

1884. Firmani inediti dei sultani di Costantinopoli ai conventi francescani e alle autorità civili di Bosnia e di Erzegovina illustrati e pubblicati dal Padre Donato Fabianich dei minori osservanti. Firenze tipografia di Mariano Ricci via S. Gallo N. 31 pag. 156

1884. Parva chronica provinciae seraphicae reformatae, edita cura A.R. P. Aloysii a Pedelama eiusdem provinciae ex-ministri. Ad Claras Aquas prope Florentiam ex typographia collegii S. Bonaventurae, pag. 46.

Radosnica prigodom ustolbe i imendana presvietlog i prec'. gospodina fra Mariana Markovic'à reda sv. Franje redodrzàve Bosanske . . . biskupa Danabaskoga . . . (Ode, quam, dum reverendissimus dominus fr. Marianus Markovic' episcopus Danabasien. Sedem episcopalem die 19. August. 1884 capesseret, cecinit P. Franciscus Florian. Nedic' seminarii Religiosorum Quinqueecclesiensis superior.

Svibanjsko cviec'e (Flores mensis Maii) scripsit P. Josephus Kovac'evic' provinciae Capistranae sacerdos. Zagrabiae 1885.

Dva Zarobljenika (Duo Captivi) enarratio historica ex seculo XVII. scripsit P. Bonus Nedic' Salinas. Quinqueecclesiis 1885.

1885. Our Lady's Almanack for the year of grace 1885, beeing the fourth year of publication. By the author of « the Pilgrim' s Maywreath ». (P. Thaddaeus Hermanns, Recoll. Prov. S. Joseph Belgii).

Calendarium B. M. V., in quo notantur pro quolibet anni die gratiae, quae vel B. Mariae V. a Deo sunt concessae, vel ab aliis eius intercessione sunt obtentae.

V.
NECROLOGIA

Recollectorum Provinciam S. Iosephi in Belgio ingens luctus occupat; mortem enim plorat, etsi coram ideo pretiosissimam R. A. P. Bernardi Van Loo, de Provincia sua et de toto Ordine optime meriti.

In oppido Gandavensi lucem auspicatus, pueritiam suam et adolescentiam multo pietatis specimine decoravit. Studia maiora in alma Lovaniensi Universitate confecit, ibidem Baccalaureatus insignitus honore, sacerdotio initiatus, tandem convolavit ad Franciscanorum coetum, ac in coenobio Thiletano Recollectorum religioso habitu donatus est anno 1844. Pietate ac scientia ad maiora Provinciae munia designatus, primam dogmaticae Theologiae

cathedram in Trudonopolitano conventu ascendit, Lectoratusque munus per aliquot annos summo cum applausu obivit. Anno 1850 Commissarius et Visitator Apostolicus mittitur ad Hollandiae partes, ut in Provincia Germaniae Inferioris Capitulis ceterisque negotiis praesideret. Postea eodem nomine peragravit antiquam Hiberniae Franciscanorum Provinciam. Interim, subinde propriae familiae Definitor ac tandem Minister electus est, et triennium suum multa cum laude peregit. In Comitiis Generalibus, anno 1856 Romae, in Aracoelitano Coenobio habitis, P. Benardus orationem latinam habitu, coram Patribus capitulariter congregatis, horumque in consessu electus est in Procuratorem Generalem Recollectorum et Alcantarinorum. Per sexennium Romae commoratus, officium sibi concreditum cum summo zelo et charitate eximia obivit. Pluries, Apostolica auctoritate, Italiae Provincias visitavit, dum otia sua, certe non frequentia, librorum compositioni dicavit. Scripsit utilissimum opusculum *Stimulus Seraphicae conversationis*, quod proxime insecutus est libellus *Brevis conspectus Missionum Ordinis Seraphici*. Opus quoque magna eruditione refertum vulgavit cui titulum imposuit: *Introductio in Theologiam dogmaticam*. Anno 1856 iam publici iuris fecerat *de iusta permissione mali ad mentem S. Bonaventurae*.

In patriam redux, quamvis valetudine debilitatus, totum se dedit muneri apostolico. Zelus animarum, quo flagrabat, nullam concessit illi quietem; gloriam Dei et SS. Deiparae, reformationem morum, peccatorum conversionem, indefesso labore, innumeris concionibus promovere studebat. Directionem animarum, etiam Sanctimonialium in deliciis habuit; solida enim eius doctrina, summa prudentia, unctio spiritualis plane admirabilis, cui pauci resistebant, multis animis ad sanctitatem anhelantibus, summum amorem divinum instillabant — In Comitiis Provincialibus, Praeride Rmo P. Bernardino a Portu Romatino, Generali Ministro, in Conventu Trudonopolitano A. 1872 habitis, iterum in Ministrum electus est, in quo munere, triennio expleto, ad tres ulteriores annos confirmatus fuit. Interim semel et iterum Commissarii, visitatoris Generalis Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia munere, egregio cum zelo functus est, annis scilicet 1876 et 1879.

Ingeniosus semper fuit in administrandis adminiculis ad pietatem christianam in republica provendam. Hinc, ut tertii Ordinis sectatoribus in saeculo viventibus provideret, ad eorum aedificationem Ephemerides pias singulis mensibus fasciculo edendas condidit, quae inscripsit *Le Messager de St. François*, quod opus, lingua gallica et flandrica scriptum, hodiedum iuxta fundatoris intentionem spiritum seraphicum inter saeculares propagare non cessat.

Anno 1881 a supremis *Ordinis moderatoribus*, instituto in *commune Religionis nostrae* commodum *periodico cui titulus: Acta Ordinis*, tale consilium summo animi iubilo non solum excepit, sed opem ac laborem praestare, quamvis modestia reluctante, non dubitavit, atque *Incitamenta seraphica* spiritu S. Francisci referta, approbante generali Definitorio, exaravit.

Tandem bonorum operum meritis cumulatus, honoratus illustrium Praelatorum necessitudine ad sapiens eius consilium confugientium, fretus fratrum suorum amore et admiratione, ad ultimam vitae metam propinquans nihil de vitae suae laboribus remittebat, omnibus assiduitate in exercitiis chori et communitatis exemplum existens.

Iam viribus fractus nihilominus, Provinciae suae prodesse studens, nuperrime in congregatione Definitoriali, Mechliniae, sedem suam occupabat. Post ultimam comitiorum sessionem, mortem praesentiens, Patrem, quem ad conscientiae moderamen adhibebat, ipse accersivit, ut supremam sacramentalem expiationem morti iam proximus perageret. Tandem exeuntium Sacramentis rite munitus, inter suorum supplicationes et lacrymas animam suam placidissime exhalavit 16 Ianuarii 1885. — Exequias eius, quae, multo adstante populo, in ecclesia conventus celebratae fuerunt, Illmus Archiepiscopus Mechliniensis sua praesentia condecorare et solemnem absolutionem super dilecti confratris exuvias peragere dignatus est. R. I. P.

Nihil obstat.
FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens. resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

BREVE

quo in Italia insulisque adiacentibus tollitur Provinciarum partitio in varias Custodias.

PIUS PAPA IX.

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Quae ad curandum, tuendumque bonum regimen in religiosis familiis conducere possunt, ea Nos libenter exequimur, ut in iis disciplina vigeat, sine qua florere ipsae nequeunt in Ecclesiae ornamentum et commoditatem. Iam vero exposuit Nobis dilectus filius Bernardinus a Montefranco Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci ex divisione Provinciarum eiusdem Ordinis in Custodias, atque ex usu peragendi electiones Superiorum alternatim ex qualibet Custodia plurimum incommodi provenire: siquidem religiosi viri ius suffragii habentes, seu vocales, ut aiunt, plerumque contra conscientiam, et iuramentum de meliore eligendo cogantur eligere in Ministrum Provincialem., in Custodem, Definitores, et Guardianos non digniores, sed ratione Custodiarum minus dignos, quippe in Custodiis ipsis, in quas ius cadit electionis, saepe saepius digni minime reperiantur. Hoc ipsum optime innotuit Capitulo Generali memorati Ordinis Minorum, quod habitum est anno MDCCCLVI. quippe in Sessione praecedenti VIII. die XXVI. Aprilis eiusdem anni sancitum est, aut tolli Provinciarum Custodias, aut nulla habita ratione Custodiarum, Ministrum Provincialem eligi debere in posterum ex toto Provinciae corpore. Quapropter dictus Minister Generalis preces Nobis admovit, ut ex Auctoritate Nostra Apostolica memoratas Custodias per Italiam, Insulasque adiacentes in bonum Ordinis tollamus, ea tamen conditione, ut ubi sunt Custodiae exterorum, ne ipsi contempti videantur, pro bono pacis exteris eisdem religiosis praefinitis temporibus Moderatorum, seu superiorum officia deferantur, quae usque dum seu per Statuta, seu per vim Apostolicarum Sanctionum obtinuerunt. Nos igitur maxime exoptantes, ut Moderatorum officiis ii praeficiantur religiosi viri, qui munus suum tueri recte queant ad retinendam, promovendamque sui Ordinis disciplinam memorati Ministri Generalis precibus adnuentes, omnes et singulas Custodias Provinciarum per Italiam, et Insulas adiacentes in dicto Ordine Fratrum Minorum S. Francisci quolibet Titulo et qualibet auctoritate institutas de plenitudine Apostolicae Potestatis tollimus abolemus, sic ut in posterum nulla Provinciarum in Custodias partitio existat. Volumus tamen atque mandamus, ut in iis tantum Provinciis, ubi existunt Custodiae exterorum iuxta praefinita tempora religiosis exterarum nationum Superiorum munia et officia deferantur, quae adhuc vel per Statuta, vel per Apostolicas Constitutiones obtinuerunt. Ita volumus, iubemus, mandamus, non obstantibus Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus nec non dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis Statutis consuetudinibus

ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii MDCCCLIX. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

V. Card. Macchi.

Loco ✠ Sigilli

—

BREVE

quo indulgetur ut quilibet ex Ordinis Fratribus qui de Superiorum licentia a Conventu abfuerit, et unum tantum habuerit eiusdem Ordinis sacerdotem, hoc in casu alium quemlibet presbyterum sive saecularem sive regularem ab Ordinario rite approbatum adire eique peccata sua confiteri possit. (1)

PIUS PAPA IX

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quod in religiosis Familiis a Generalium Comitiorum sanctionibus statutum fuit, ut nimirum cuiuslibet regularis Instituti sodales expresse professi, sive presbyteri, sive laici, apud confessarios eiusdem Religionis dumtaxat rite approbatos peccata sua confiteri, ab eisque sacramentalem absolutionem recipere possent, id etiam in Ordine Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum a Definitorio Generali constitutum iampridem fuit, et in pluribus Generalibus eiusdem Ordinis Comitiis confirmatum.

Verum cum ex ea lege persaepe contingeret, ut eiusdem Instituti alumni, qui sacris Missionibus, vel praedicando Verbo Dei addicti, vel alia legitima de causa a suis coenobiis et longe et diu abessent, ob Confessarii defectum vel a faciendo Sacro, vel a SSmo Eucharistiae Sacramento percipiendo se abstinerent non sine populi, apud quem versarentur, vel admiratione, vel scandalo, aut etiam, evitandi scandali gratia, ad divinum sacrificium celebrandum, vel Angelorum panem sumendum accederent cum animi et conscientiae anxietate; hinc ad occurrendum huic malo gl. me. Benedictus XIV Praedecessor Noster per similes in forma Brevis litteras datas die 30 Martii anni 1742, contrarium quodlibet Decretum, seu statutum, a Generali eiusdem Ordinis Definitorio editum, et a Capitulis Generalibus probatum, atque etiam a Sede Apostolica confirmatum revocando, statuit, decrevitque, ut quilibet ex Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, sive in sacro Presbyteratus Ordine constitutus, cuiuscumque gradus, dignitatis, conditionis, sive laicus, sive conversus, qui de suorum Superiorum licentia, ex legitima qualibet causa, sive praedicandi verbum Dei quocumque tempore, sive sacras Missiones obeundi, sive iter agendi et alicubi commorandi, ubi nullum coenobium, seu hospitium, ac nullus frater dicti Ordinis existat, libere ac licite possit quemlibet *presbyterum* saecularem ab Ordinario *loci, seu Regularem* a Superiore suo ad sacras confessiones rite probatum adire, eique peccata sua confiteri, atque ab eodem sacramentalem absolutionem obtinere, etiam quoad casus per Constitutiones et statuta dicti Ordinis reservatos, incursasque proinde censuras, recepta salutari poenitentia, praestitaque obligatione se statim, quoad ei licuerit, coram suo Regulari Superiore praesentandi, iterumque super casibus et censuris huiusmodi absolutionem impetrandi.

Hac tamen memorati Nostri Praedecessoris providentia consultum haud est in singulis casibus conscientiarum tranquillitati; quippe religiosi fratres, iique praesertim, qui sacras Missiones obeunt, cum iter agentes unum tantum habeant religiosum sodalem presbyterum, penes quem sua peccata queant confiteri, si aliquam ob causam deterreantur a confessione apud illum peragenda, in maxima conscientiae anxietate versentur oportet; atque idcirco a dilecto Filio Felice a Lipari, hodierno eiusdem Ordinis Procuratore Generali, supplicatum Nobis est, ut memoratam Benedicti XIV Praedecessoris Nostri concessionem ad illum etiam casum extendamus, quo unus tantum praesto sit ex eadem religiosa Familia sacerdos, a quo sacramentalis peccatorum absolutio possit obtineri.

Nos igitur cuique incommodo occurrere volentes, quod in perniciem animarum redundaret, exemplum sequuti fel. rec. Benedicti XIV Praedecessoris Nostri, de Apostolicae potestatis plenitudine, quodcumque statutum a Generali Ordinis Definitorio editum et per Capitula Generalia probatum, atque etiam a Sancta Sede

(1) Quum hoc Breve iam publicatum fuerit in nonnullis Provinciis, ut in *Actis* insereretur operae pretium duxit Rmus P. Generalis, ut sic facilius omnibus innotesceret.

confirmatum, hac tantum ex parte revocantes et infirmantes, concedimus atque indulgemus, ut quilibet et fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, sive in sacro Presbyteratus Ordine constitutus, cuiuscumque status, gradus et dignitatis, sive laicus, sive conversus fuerit, qui de Superiorum suorum licentia a Conventu abfuerit, quacumque legitima ex causa, sive praedicandi verbum Dei quocumque tempore, sive obeundi sacras Missiones, sive iter agendi, et in locis commorandi ubi nullum coenobium, sive hospitium sui Ordinis existat, atque unum tantum habeat Religiosum eiusdem Ordinis sacerdotem, apud quem sua peccata confiteatur, hoc in casu libere et licite possit quemlibet presbyterum saecularem ab Ordinario Loci, seu Regularem a Superiore suo Regulari rite probatum adire, eique peccata sua confiteri, ab eoque obtinere sacramentalem absolutionem etiam quoad casus per statuta Ordinis reservatos, incursasque proinde censuras; praestita tamen obligatione se statim, ut primum licuerit, Superiori suo Regulari praesentandi, atque iterum super casibus et censuris huiusmodi absolutionem ab ipso impetrandi. Decernentes has praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis in omnibus et per omnia plenissime suffragari etc. etc. etc. Non obstantibus Constitutionibus etc. ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 27 Septembris 1852 Pontificatus Nostri Anno Septimo.

A. Card. Lambruschini.

—

DECRETUM S. C. INDICIS
Feria II die 23 Martii 1885

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico Vaticano die 23 Martii 1885 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Della Educazione religiosa e civile delle fanciulle in conformità alle attuali condizioni d'Italia. Dialoghi del Prof. Sac. Ambrogio Garavaglia, Cav. de' Ss. Maurizio e Lazzaro, e della Corona d'Italia, vol. 2. Milano, Fratelli Dumolard editori, 1884. *Auctor laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.*

Prof. Filippo Cicchitti-Suriani della chiesa cattolica italiana. La Religione nella Scienza e la Tirannide della Coscienza con prefazione di Mons. G. B. Savarese. Roma, Forzani e C., tipografi del Senato, editori, 1885.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 23 Martii 1884.

Fr. Thomas M. Card. Martinelli
Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri
Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis

Loco ✠ Sigilli.

Die 28 Martii 1885, ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

—

DECISIO

S. Congregationis Indulgentiarum concernens Benedictionem Papalem in articulo mortis.

Beatissime Pater,

Professor Theologiae Moralis Seminarii Mechliniensis ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, enixe solutionem sequentium dubiorum expetit.

I. An, non obstante S. C. Indulgentiarum declaratione die 23 Aprilis 1675, quae habet: « Indulgentiam plenariam in articulo mortis *in vero tantum articulo accipi* », haec indulgentia, seu benedictio Apostolica (quamvis in vero articulo mortis tantum lucranda ut supponitur) impertiri tamen iam potest simul ac quis versatur in periculo mortis prudenter existimato, seu rationabiliter praesumpto, ita ut servari queat hic existens consuetudo eamdem concedendi quando exeuntium sacramenta conferuntur, sive magis urgens periculum expectari possit, sive non?

II. Quod si ad primum respondeatur negative, an saltem in dubio, utrum Benedictio Apostolica debito tempore fuerit concessa, haec, urgente magis periculo, iterari potest in eadem infirmitate, ideo quod forte prior concessio fuerit invalida ob defectum veri mortis articuli?

III. In una ditionis Belgicae 12 Martii 1855, legitur: « Cum Sacra Congregatio Indulgentiarum in una Valentinen. sub die 5 Februarii 1841, sequenti dubio:

« Utrum infirmus pluries lucrari possit Indulgentiam plenariam in mortis articulo a pluribus sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam? Resolutionem dedisset: *Negative* in eodem mortis articulo, exinde quaeritur:

« 1. Utrum vi praecedentis resolutionis prohibitum sit infirmo in eodem mortis periculo permanenti, impertiri pluries ab eodem vel a pluribus sacerdotibus hanc facultatem habentibus Indulgentiam Plenariam in articulo mortis, quae vulgo Benedictio Papalis dicitur?

« 2. Utrum vi eiusdem resolutionis item prohibitum sit impertiri pluries infirmo, in iisdem circumstantiis ac supra constituto, Indulgentiam plenariam in articulo mortis a pluribus sacerdotibus hanc facultatem, ex diverso capite habentibus, puta ratione aggregationis confraternitati SS.mi Rosarii, Sacri Scapularis de Monte Carmelo, SS.mae Trinitatis, etc.? »

Ad duo haec dubia iuxta collectionem Prinzivalli, quae authentica recognita fuit, Sacra Congregatio Indulgentiarum respondit:

Ad primum et secundum: *Negative*, firma remanente resolutione Valentinen. Sub die 5 Februarii 1841.

Iuxta authenticam vero collectionem, quae anno 1883 prodiit Ratisbonae, eadem Sacra Congregatio respondendum censuit:

Affirmative ad utrumque, firma remanente resolutione in una Valentinen. Sub die Februarii 1841.

An hoc responsum ultimum ut authenticum habendum est, ita ut mutanda veniat praxis Sacerdotum, qui solent ex diverso capite Benedictionem Apostolicam in eodem mortis articulo pluries impertiri?

Sacra Congregatio Indulgentiarum et ss. Reliquiarum propositis dubiis respondit:

Ad I. *Standum declarationi, d. d. 23 Aprilis 1675.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Ad III. *Servetur adamussim responsio prouti prostat in postrema editione Ratisbonensi cura et typis Frid. Pustet.*

Pro E.mo CARD.
AL. OREGLIA A S. STEPHANO
L. CARD. BONAPARTE
FRANCISCUS DELLA VOLPE *Secretarius.*

—

RESCRIPTUM

S. C. Indulgentiarum, quo nonnullis orationibus indulgentiae conceduntur.

Beatissime Pater,

Petrus Bugarini, sacerdos Romanus, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus enixe rogat, ut sacerdotibus et in sacris constitutis devote recitantibus sequentem orationem:

« JESU dilectissime, qui ex singulari be-
« nevolentia me, prae millenis hominibus, ad
« tui sequelam et eximiam sacerdotii digni-
« tatem vocasti, largire mihi, precor, opem
« tuam divinam ad officia mea rite obeunda.
« Oro Te, Domine JESU, ut resuscites hodie
« et semper in me gratiam tuam, quae fuit
« in me per impositionem manuum episco-
« palium. O potentissime animarum Medice,
« sana me taliter, ne revolvar in vitia, et
« cuncta peccata fugiam: Tibique usque ad
« mortem ita placere possim. Amen »

Indulgentiam tercentum dierum benigne concedere dignetur, nec non eisdem Indul-

gentiam dierum centum, qui devote recitaverint iaculatoriam precum uti sequitur:

« Bone Jesu, rogo Te per dilectionem,
« qua diligis Matrem tuam: et sicut vere Eam
« diligis, et diligi vis, ita mihi des ut vere
« Eam diligam ».

SSmus D. N. Leo Papa XIII omnibus, de quibus in precibus, qui corde saltem contrito ac devote praedictas preces recitaverint, petitas Indulgentias, semel in die lucrandas, benigne concessit. Praesente in perpetuo valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem sacrae Congregationis die 14 Augusti 1884.

L. Card. Bonaparte, *pro Praef.*
Franciscus della Volpe, Secretarius.

—

DECRETUM S. R. C.

de Officio et Missa in honorem B. M. V. a Bono Consilio noviter approbatis.

Ordinis Eremitarum Sancti Augustini

Quo Fidelium pietas erga Deiparam Virginem sub titulo a Bono Consilio in dies succrescens, magis magisque foveatur, Rmus Dnus Aloysius Sepiacci Episcopus Callinicen. Procurator Generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, novum Officium cum Missa in honorem ipsius Beatae Mariae Virginis concinnare curavit, quod Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII supremae sanctioni humillime exhibuit. Quum vero Sacra Rituum Congregatio de mandato ejusdem Sanctissimi Domini Nostri praefatum Officium cum Missa accurato examine expenderit, ac probari posse censuerit juxta exemplar huic Decreto praevium, a se emendatum ac dispositum, Sanctitas Sua, referente infrascripto Secretario, sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habens, Officium ipsum cum Missa substituendum alteri hucusque adhibito, in usum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, aliorumque Regularium Institutorum (1) ac Dioecesium, quibus illud recitare jam concessum est, benigne approbavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 18 Decembris 1884.

D. Cardinalis Bartolinius *S. R. C. Praefectus*
Laurentius Salvati *S. R. C. Secretarius*

Concordat cum Originali. In fidem ecc. Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis hac die 30 Januarii 1885.

Pro R. P. D. Laurentio Salvati *Secretarius*
Joannes Can. Ponzi *Substitutus*

—

NOVUS EPISCOPUS
Ordinis Nostri

In Consistorio secreto diei 27 Martii a. c. ad dignitatem episcopalem promotus est:

Rmus D. Fr. Gregorius Maria Aguirre y *Garcia*, Sacerdos professus Discalc. Provinciae Apostolicae S. Gregorii, Guardianus Conventus Civitatis Realis *(Ciudad Reale)* in Hispania, pro ecclesia cathedrali Lugensi in Hispania.

In eodem Consistorio nominatus est

Rmus D. Fr. Fidelis Abbati, Ref. Provinciae Bononiensis, pro ecclesia cathedrali de Chio, qui die 17 Martii 1863 creatus fuit Episcopus Sanctoriensis, et post voluntariam abdicationem translatus fuit ad Sedem titularem Gerrensem die 22 Septembris 1879.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica

CAPUT I.

DE VITA COMMUNI AD SCRIPTURARUM, PATRUM, FUNDATORUM ORDINUM, CONCILIORUM ET PONTIFICUM MENTEM.

(Continuatio)

Sacrosanctum Concilium Tridentinum vitam communem ab omnibus Religiosis servandam praescripsit et peculii usum prohibuit. Hoc Ecclesiae praescriptum numquam fuit revocatum vel legitime abrogatum, sed in suo robore permanet. Romani Pontifices optime scientes, vitam communem maximi esse mo-

(1) Quamvis hoc Decretum spectet ad Ordinem nostrum, qui a pluribus abhinc annis festum B. M. V. a Bono Consilio obtinuit, nihilominus obligatio novi Officii non urgebit nisi in nova editione facienda Breviarii vel Missalis Romano-Seraphici.

menti pro quolibet coenobio, peculii autem abusum magnum inferre damnum regulari observantiae, magno zelo Tridentina Decreta innovabant eorumque observantiam semper inculcabant et urgebant.

Clemens VIII die 25 Junii 1599 edidit Constitutionem, in qua pro conservanda vita communi in monasteriis sequentia praescribit:

1. « Nullus, etiam Superior, bona immo« bilia vel mobilia, pecuniam, proventus, cen« sus, eleemosynas, sive ex concionibus, sive « ex lectionibus, sive pro Missis celebrandis, « aliove iusto labore et causa acquirantur, « etiamsi subsidia consanguineorum, aut pio« rum largitiones, legata, aut donationes fue« rint, tam proprio, quam etiam nomine Con« ventus possidere possit; sed ea omnia statim « Superiori tradantur, et Conventui incorpo« rentur, quo communis inde victus, et ve« stitus omnibus suppeditari valeat ».

2. « Nullis Superioribus liceat alicui Re« gulari bona stabilia etiam ad usumfructum, « vel usum, administrationem, aut commen« dam, etiam depositi, aut custodiae nomine « concedere ».

3. « Rerum vero ad necessitatem conces« sarum nullus quicquam possideat ut pro« prium, neque ut proprio utatur ».

4. « Qui in praemissorum aliquo deli« querit, poenas nedum a Concilio Triden« tino praescriptas, sed alias quoque multo « graviores, Superiorum arbitrio imponendas, « incurrat ».

5. « Nulla quorumcumque Superiorum « dispensatio, nulla licentia quantum ad bona « immobilia vel mobilia Fratres excusare pos« sit, quominus culpae et poenae ab eiusdem « Concilii decretis impositae, et ipso facto « incurrendae obnoxii sint, etiamsi Superiores « asseverent huiusmodi dispentationes aut li« centias concedere posse, quibus in ea re « fidem minime adhiberi volumus ».

6. « Fratrum vestitus et supellex cellarum « ex communi pecunia comparetur, et omnino « uniformis sit Fratrum et quorumcumque « Superiorum statuique paupertatis, quam pro« fessi sunt, conveniat. Nihil etiam quod sit « necessarium alicui denegetur ».

7. « Quaecumque Fratrum vestes, sive « laneae sive lineae, omnisque alia supellex « in aliquem commodum Conventus locum « deferantur, ibique ab uno vel duobus Fra« tribus huic muneri deputatis diligenter cu« stodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout « cuique opus fuerit, subministrari opportune « possint ».

Adeo perspicuae sunt istae Pontificis ordinationes, ut nullis interpretationibus circumveniri valeant.

Clarioribus verbis, strictioribus clausulis et formulis Summus Pontifex vix uti potuisset, ut communis vitae obligationem exprimeret et pecula eliminaret, et ut tergiversationibus et commentis aditum praecluderet. *Per hanc Constitutionem* illorum *opiniones omnino improbantur*, qui asserunt, *Regulares posse habere* peculium de licentia Superiorum et dependenter ab eorum voluntate et nutu; cum clamet inclametque Summus Pontifex, nullam hac in re Superioribus adhibendam esse fidem, etiamsi asseverarent, se posse licentiam habendi peculium impertiri.

Decreta Clementis VIII, iussu et auctoritate Urbani VIII, die 21 Septembris 1624 in Decreto de Regularibus Apostatis et Eiectis a S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum fuerunt confirmata et innovata.

Innocentius X, proximus Urbani VIII in Pontificatu successor, non modo vitam communem a Concilio Tridentino et Clemente VIII praeceptam servari mandat, verum etiam plura edidit Decreta, quibus obstacula, quae vitam communem impedire possent, sustulit. In Decreto suo edito anno 1654, quod incipit *Ad propagandam*, inhibet Praelatis, ne ad habitum Religionis novitios admittant, nisi sub expressa conditione communitatis servandae iuxta Tridentina Decreta et Clementis VIII Constitutionem, *sub exacta tamen vita communi ad praescriptum Regulae, non obstante quavis laxiori consuetudine, seu potius corruptela in contrarium introducta, servataque forma sacrorum canonum Concilii Tridentini et Constitutionum Apostolicarum, ac praecipue Decretorum s. m. Clementis Papae VIII.*

Innocentio X successit anno 1655 *Alexander VII,* qui pariter antecessorum Decreta pro Regularibus innovavit atque sub eadem conditione communitatis servandae dumtaxat

novitios ad religiosum habitum admittendi licentiam concessit.

Innocentius XII, praedecessorum suorum zelum aemulatus, non solum Tridentina Decreta, quae vitam communem a Regularibus servandam praecipiunt, confirmavit, sed etiam peculiarem Cardinalium Congregationem deputavit pro disciplina regulari conservanda.

Haec S. Congregatio die 18 Julii 1695 edidit Decretum, quod incipit *Sanctissimus in Christo,* in quo sequentia a quolibet Religioso saepius et serio consideranda leguntur: « Sacra « Congregatio ab eodem Sanctissimo Domino « nostro super disciplina Regulari specialiter « deputata de mandato Sanctitatis Suae prae- « sentis Decreti tenore denunciat omnium et « singulorum Ordinum regularium Superio- « ribus tam Generalibus quam Provincialibus, « ut statuant omnimodam observantiam Re- « gulae, Constitutionum cuiuscumque Ordinis « et Decretorum Apostolicorum, praecipue « vero EXACTAE VITAE COMMUNIS. Postquam « vero regularem observantiam et signanter « quoad exactam vitam communem cum ef- « fectu stabilitam fuisse tum ex eorumdem « Superiorum Generalium, seu Provincialium « relatione, quam Praepositi et Fratrum in « praefatis Conventibus degentium iureiurando « firmato testimonio . . . . eidem Sacrae Con- « gregationi sufficienter constiterit; tunc San- « ctitas Sua antedictam licentiam, quam ha- « ctenus distulit, novitios ibi recipiendi, be- « nigne concedet ».

« Porro ne regularis disciplina dum in Con- « ventibus iam erectis statuitur, relaxetur in « erigendis, et quod una ex parte construitur, « simul ex altera parte destruatur, S. Con- « gregatio, Sanctitate Sua pariter approbante, « statuit atque decernit, nulla imposterum « monasteria, collegia, domos, conventus aut « alia religiosorum virorum loca fundari, erigi, « aut quovis modo institui debere, nisi sub « expressa obligatione exactae vitae communis « ab omnibus Religiosis ibi commorantibus « perpetuo et inviolate servandae . . .

« Ad extremum eadem S. Congregatio « Regulares omnes, cuiuscumque Ordinis et « Instituti sint, Sanctitatis Suae verbis serio « admonet, et in DOMINO obtestatur, ut omni « mora postposita, sicuti filios obedientiae « decet, ad Regulae quam amplexi sunt, prae- « scriptum vitam instituant et componant, « Decretisque Apostolicis pro aeterna eorum « salute editis sincere ac fideliter pareant, nec « ab eorum observantia inanibus interpreta- « tionibus et fallaciis, aut relaxationum praetex- « tibus ad excusandas excusationes in peccatis « abduci se sinant, sed professionis suae me- « mores, qua se totos DEI obsequio manci- « parunt, susceptum christianae perfectionis « iter, arduum quidem, sed divinae charitatis « dulcedine aspersum, abiectis terrenarum « rerum curis alacriter prosequantur. Nimis « enim turpe esset, eos ad saecularia desi- « deria, quibus semel aspirante DOMINO re- « nunciarunt, animum revocare, et obligatam « DEO, qui non irridetur, primam fidem ir- « ritam facere. Meminerint se ad peculiarem « SALVATORIS nostri sequelam vocatos, qui « cum dives esset, propter nos egenus factus « est, veterumque illorum fidelium imitatores « ac veluti haeredes esse, quorum erat cor « unum et anima una, nec quisquam eorum, « quae possidebat, aliquid suum esse dicebat; « ideoque in regularis vitae ac praecipue in « sanctae paupertatis, quae est parens quae- « dam generatioque virtutum, proposito per- « severent, omnem solicitudinem suam pro- « jicientes in eum, cuius oculi in pauperes « respiciunt, qui non derelinquit sperantes in « se, sed dives in misericordia centuplum et « vitam aeternam propter nomen suum relin- « quentibus omnia repromisit ».

Clemens XI Innocentii XII aliorumque Romanorum Pontificum legem de vita communi servanda sub poena non acceptandi iuvenes ad habitum Religionis iis in coenobiis, in quibus eiusmodi communitatis observantia non vigeret, confirmavit atque severissime exequi curavit.

Horum Pontificum successores pariter vitae communis observantiam semper urgebant.

Pius VII anno 1814 vix Romam reversus, continuo consilium coepit de restituendis Ordinibus regularibus, qui eo tempore in rerum omnium perturbatione, impiorum hominum opera, eversi et propemodum exterminati fuerant. Sensit enim, quanti interesset, quamcitius Ecclesiam civilemque societatem eos Ordines recuperare, ex quibus cuiuscumque ge-

neris bona perceperant, noluitque eas tantis tamque utilibus subsidiis, praesertim difficillimis illis temporibus, diutius carere. Quamobrem omni studio in eo elaborandum existimavit, ut impedimenta et difficultates tolleret, quibus haec Ordinum instauratio retardabatur, utque ea iuberet, quibus ad veterem disciplinam Ordinibus revocatis, maior splendor et dignitas iis accederet. In hunc finem die 22 Augusti 1814 per S. Congregationem Episcoporum et Regularium Decretum publicavit, quo aliquae domus religiosae aperiri iubentur et aequissimis legibus muniuntur. In hoc Decreto omnes Regulares monentur, ut minime per suppressionem a sacris illis vinculis se absolutos putent, quibus peculiari Dei servitio se solemniter obstrinxerunt, et hortantur, ut certatim et enixe reditum ad proprium Ordinem, unde violenter fuerunt expulsi, impetrare et obtinere properent, et religiosae perfectionis amore et suorum Ordinum dignitatis tuendae studio prompti paratique sint ad implenda ea, quae in ipso Decreto praecipiuntur. Deinde quaedam normae praescribuntur, quae in eiusmodi domibus religiosis instaurandis observari debeant. Inter alias ordinationes S. Congregatio etiam sequentia praescribit: « Omnes qui eas in domus recipi « cupiunt, scriptis libellis id postulabunt et « chyrographo promittent, se Regulam sui « Ordinis propriam servaturos, *praesertim « quod ad vitam communem* pertinet ». (1)

« Quibus in coenobiis et domibus sanctissima perfectae vitae communis disciplina « vigebat, ea omnino in posterum retineatur. « In reliquis omnibus domibus, cuiuscumque « generis et appellationis, *vita communis re- « stituatur* in iis, quae victum, vestitum, me- « dicamenta morbis curandis et itinera iussu « Ordinis suscepta respiciunt. De annuis vero « praestationibus quae *Livelli* dici solent, aliis- « que pecuniis, quae religiosis viris quocum- « que nomine obvenerint, Decreta serventur « Romanorum Pontificum, quibus praecipitur « ut quamprimum in commune aerarium in- « ferantur et ea ratione custodiantur, quam « singulorum Ordinum Regulae et Constitu- « tiones praescribunt ». (2)

(1) Decr. cit. n. 6.
(2) Ibid. n. 10.

Utinam omnes Regulares ubique locorum S. Sedi obtemperassent et has de vita communi servanda ordinationes, prout erant obstricti, executioni mandassent! In hoc casu Ordines regulares brevi tempore primaevo splendore reflorescere et ubique Ecclesiae Dei summo solatio et subsidio esse potuissent. Ast multis in locis post magnam illam perturbationem monasteria quidem fuerunt denuo restituta, vita autem vere religiosa in ipsis minime introducta. Religiosi non pauci, qui diu in medio mundo commorati fuerant ibique mundanarum rerum, et praesertim pecuniae amore capti, mundum quidem *reliquerunt* et ad monasterium se iterum *receperunt, illum* autem affectum *mundanum* secum *portarunt* ad coenobium, ibique contra sui status obligationes et contra expressam Ecclesiae prohibitionem peculium habere non erubuerunt. Et, quod magis dolendum est, non defuerunt Superiores, qui vel ex pusillanimitate, vel ut suorum Religiosorum numerum augerent, contra Ecclesiae mandatum eiusmodi abusum permittebant. Hinc factum est, ut ab illo tempore in quibusdam coenobiis vitae communis idea prorsus perierit, ita ut Religiosi ibi degentes et essentiam et obligationem vitae communis omnino ignoraverint cum maximo damno vitae religiosae.

In aliis autem monasteriis permultis perfecta vita communis, et cum ipsa vera disciplina regularis, fuit introducta; et ista monasteria, benedicente Domino, et numero et merito Religiosorum crescebant atque pietatis et observantiae regularis exemplo Ordines suos illustrabant et mundo aedificationi erant.

Post perturbationem gallicam multa monasteria suppressa fuerunt restituta; multa eorum autem non diu in suo statu permanserunt. Nam nostris temporibus, quibus inimici crucis Christi implacabile bellum adversus Dei Ecclesiam gerunt, nova suppressio Religiosorum variis in regnis supervenit, quae multas Ordinum Provincias fere ad nihilum redegit. (1) Ut autem saluti tot Religiosorum, qui eo tempore e coenobiis fuerunt exturbati, prospiceret, S. Sedes Apostolica per S. Poeni-

(1) Quoad nostras Provincias cfr. *Acta Ordinis*, an. I. pag. 66, ubi earum elenchum publicavimus et suppressiones indicavimus.

tentiariam et per S. Congregationem Episcoporum et Regularium opportunas publicavit ordinationes easque a Religiosis suppressis observandas praescripsit. (1) In istis ordinationibus statutum est, ut Religiosi expulsi, qui ad aliud coenobium recipi non possint, in peculiarem aliquam domum conveniant ibique Regulam, quam professi suut, meliori quo fieri potest modo, observare non omittant. Pariter statutum est, ut Religiosi, qui in eiusmodi domo in communitate cum aliis Religiosis vivunt, pensiones titulo compensationis pro damnis a gubernio sibi illatis quidem recipere, eas tamen apud Superiores pro bono TOTIUS COMMUNITATIS deponere teneantur. (2)

Si ergo in eiusmodi domibus, in quas Religiosi ad interim se recipiunt, et quae proprie *monasteria* dici nequeunt, a Religiosis ibi insimul viventibus secundum voluntatem Ecclesiae vita communis observari debeat: quanto maior obligatio servandae communitatis adesse debet pro monasteriis formatis et canonice erectis! Quotiescumque S. Sedes pro erectione canonica alicuius Conventus Beneplacitum Apostolicum concedit, (3) hoc fit semper sub expressa conditione, ut ibi perfecta vita communis observetur. Rescriptum, quo Beneplacitum Apostolicum conceditur, sequentem tenorem habere solet: . . . « SSmus benigne « annuit ac propterea mandavit, committi « praefato Ordinario, ut ad petitam erectio« nem enunciati Conventus pro suo arbitrio « et conscientia devenire possit et valeat: ita « tamen, ut ante praefatam canonicam erec« tionem omnia in dicto Conventu habean« tur, quae de iure requisita sunt ad formam « sacrorum Canonum et Apostolicarum Con« stitutionum, in eoque *vita communis perfecta* « *servetur* etc. » Sub hac ergo conditione, ut in respectivo Conventu perfecta vita communis servetur, dumtaxat Episcopus ad canonicam erectionem Conventus procedere potest.

Ex superius breviter relatis satis constat, sanctae matris Ecclesiae catholicae intentionem et seriam voluntatem esse:

1, ut vita communis perfecta ab omnibus Religiosis cuiuscumque Ordinis et Instituti servetur;

2, ut vita communis, ubi viget, conservetur, et ubi deest, introducatur;

3, ut novus Conventus non erigatur, nisi sub vitae communis obligatione;

4, ut Religiosis peculium nullatenus permittatur;

5, ut nullus Religiosus bona immobilia vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, habeat, neque tamquam proprias neque etiam nomine Conventus;

7, ut pecuniae a Religioso labore acquisitae et eleemosynae, etiam a consanguineis acceptae Conventui incorporentur, et inde toti Communitati necessaria suppeditentur;

8, ut Religiosus, qui aliter quidquam tenere deprehensus vel convictus fuerit, privatione vocis activae et passivae per biennium, remotione a communione altaris et aliis poenis iuxta cuiusvis Ordinis Constitutiones puniatur;

9, ut qui in extremis cum peculio inventus fuerit, et digne non poenituerit, sepulturam inter Fratres non recipiat;

10, ut Superiori asseveranti, se posse super habendo peculio dispensare, fides adhibenda non sit;

11, ut Religiosus, non obstante permissione Superioris, poenas a Concilio Tridentino

(1) Summarium dictarum ordinationum publicavimus *Acta Ordinis*, an. I. pag. 167.

(2) S. Poenitent. 18 April. n. i. et n. 3.

(3) Constitutiones Apostolicae pro erigendis novis Conventibus sunt observandae etiam extra Italiam, et in aliis Provinciis ultra montes, prout declaravit Urbanus VIII, die 30 Januarii 1638, et Innocentius X in Constitutione *Instaurandae* edita Idibus Octobris 1652. Quoad Beneplacitum Apostolicum nonnulli Doctores censuerunt, necessitatem illud obtinendi sublatam esse a Concilio Tridentino, sess. 25, cap. 3 de Regularibus, ubi sancitur, quod « nec de caetero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius Dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta ». At praevaluit contraria opinio, quod scilicet S. Synodus mentionem dumtaxat faciens de licentia Episcopi minime derogaverit legi de Beneplacito Apostolico obtinendo. Benedictus XIV in libro de Synodo Dioecesana, lib. 9. cap. 1. n. 9, relatis Doctorum sententiis, concludit: « Quare communis hodie et in tribunalibus recepta est opinio, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria fundare sola Episcopi localis auctoritate. sed Apostolicae Sedis licentiam praeterea necessariam esse ». Et LEO XIII in Constitutione *Romanos Pontifices* diei 8 Maii 1881 declarat: « sodalibus religiosis novas sibi sedes « constituere. erigendo novas ecclesias, aperiendove « coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius ex« pressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, « non licere ». (Cfr. *Acta Ordinis*, an. I. pag. 56.)

et a Constitutionibus Apostolicis inflictas incurrat;

12, ut Superiores ex communi aerario monasterii omnibus necessitatibus Fratrum, secundum status et personarum exigentiam, opportune provideant.

(*Continuabitur*)

DE COLLEGIIS SERAPHICIS.
II.
(*Continuatio*)

1. Prout iam nonnulli cives Romani S. Benedicto (†543) adhuc Sublaci commoranti filios suos adduxerunt, ut eos educaret, ita et S. Patriarcha ipse in Regula sua (cap. 53.) discipulos suos adhortatus est, ut pueros educandos et instituendos recipiant, ut sic ex iisdem Ordinis sui alumnos acquirerent. Et hoc in illo tempore et proxime sequentibus quinque saeculis certe necessarium fuit; etenim Ordo S. Benedicti a providentia divina erat vocatus, ut illam magnam gentium populorumque universorum mutationem sedium hos ipsos populos aut ab haeresi Ariana aut ex gentilitate ad fidem catholicam adduceret. Hinc per totum Occidentem diffusi Benedictini ex ipsis his populis alumnos sibi acquirere debuerunt, et hoc scholis tantum atque collegiis ipsis possibile fuit. Ex his sufficientes ipsis accreverunt vires, quibus populos Occidentis ad fidem convertere et cultura christiana imbuere potuerunt.

Res totaliter alia erat tempore S. P. N. Francisci. Tunc temporis unitas in fide catholica in toto Romano-Germanico Imperio, in Gallia, Anglia etc. viguit. Si Albigensium errores exceperis, nulla alia haeresis regna, Universitates aliasque scholas vel publica instituta turbavit; imo Professores publici solemni iureiurando ad doctrinas suas catholice tradendas erant adstricti, et mores severissimis legibus ecclesiasticis et politicis coërcebantur; et hac de causa hoc medii aevi tempore et saeculis proxime sequentibus necessarium non fuit, ut Ordo Seraphicus postulantibus acquirendis medio Collegiorum provideret. Hinc etiam Franciscani in India orientali, qui primi et iam 50 annis ante Jesuitas eo advenerant et pro instruenda indica iuventute Collegia fundaverant: cum post adventum Patrum Jesuitarum cernerent, eosdem ex peculiari instituto intendere iuventuti educandae, partem Collegiorum, quae per 50 annos tunc usque laudabiliter tenuerant, ipsis Jesuitis resignarunt: ut, prout dixerunt, ad excellentiora munia, his relictis, pergerent obeunda, nempe disseminationem Evangelii, praedicationem verbi Domini, conversionem animarum, administrationem Sacramentorum etc., quae Religio Seraphica tamquam proprium finem amplectitur: charitatem proximi litteris addiscendis praeferens, veluti quid posterius ac secundarium, seu minus principale. (Conf. Fr. Arthur. a Monast. Martyrolog. Franciscan. ad diem 31. Aug. § 29, pag. 423.)

2. Quamvis autem *in Regula Seraphica de Collegiis* vel sic dictis *Probandatis* nil directe occurrat, tamen S. P. N. Franciscus maxime solicitus officia Fratrum erga illos, qui Ordini ascribi cupiunt, proponit atque determinat, bene sciens, in quolibet Ordine summi esse momenti, ut nonnisi membra digna in illo recipiantur.

Cum quis Ordinem religiosum ingredi cupit, omnino opus est, ut a Deo ad illum sit vocatus. In statu enim religioso praeter praecepta divina etiam evangelica consilia sub culpa mortali observari debent, ut est vivere in obedientia, sine proprio, et in castitate. Hoc vero non omnium esse, Christus declaravit dicens: « Non omnes capiunt verbum hoc; qui potest capere, capiat » (Marc. 19). Et alibi idem Dominus dixit: « Quis volens turrim aedificare, nonne computat prius, si habeat sumptus ad perficiendum eam? » (Luc. 14). Quibus verbis satis instruimur, quod non quilibet habeat necessarios sumptus ad perficiendam turrim spiritualis aedificii: et ideo, quicumque illam aedificare voluerit, prius metiri debet vires suas, et habilitatem, *si ad* tantam provinciam subeundam sint *proportionatae* et dispositae. Ideo etiam S. Franciscus noluit, ut quis ad ingressum Ordinis compellatur, sed ait: « Si qui *voluerint* hanc vitam recipere etc. » « Loquitur, ait S. Bonaventura, » conditionate, Dominum sequendo dicentem: « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus etc. » (Matth. 19.) « Religionis enim huius propositum, ut nullum terrenum expectari possit emolumentum, nulli necessitate imponitur, nec carne et

sanguine suggeritur, sed ab illo inspiratur, de quo dicit: « Non potest homo accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de coelo ». (Joann. 3). S. Bonav. — Vide ex hoc, quanti sit momenti, ut qui ad statum religiosum vocatos se sentiunt, *hanc divinam vocationem etiam conservent*.

Regula Seraphica Ministris in receptione Novitiorum etiam praescribit, ut candidatos « diligenter examinent de fide catholica et ecclesiasticis Sacramentis » (Cap. II.) « Hoc ait S. Bonaventura, « pro illis dicitur partibus, ubi contingit aliquos haereticos inveniri. Praedictum examen ergo necessario et sub praecepto institui debet, cum rationabiliter ex circumstantiis agnosci poterit, quod periculosum esset, illud omitti. Imo inquisitio eo accuratior fieri debet, quo maiora male suspicandi motiva praebent vel parentes suspectae fidei vel patria haeresi infecta, vel praecedens cum incredulis, aut haereticis conversatio, vel locus studii cum principiis catholicis haud bene convenientis aut plane contravenientis. — Cum fides de ecclesiasticis Sacramentis iam in fide catholica contineatur, nonnulli iure putant, a S. Patre examen circa usum et frequentationem Sacramentorum praescribi, quoniam exinde status moralis iuvenum facilius dignosci potest. — Omni quoque iure dicitur, non solum de fide theoretica, sed etiam de fide practica examen postulari, quia, ut iterum ait S. Bonaventura, « minorum examinatio in maioribus implicatur ». — Et sane ex ipsis Regulae verbis constat, S. P. Franciscum tales sequaces desiderare, qui non solummodo rectam fidem interius teneant, sed etiam ore, et opere fideliter confiteantur, qui Evangelium non erubescant, sed pro honore Dei omnia pati velint, et sic usque in finem perseverantes existant.

Hae sunt ergo primae conditiones pro omnibus « *qui voluerint hanc vitam accipere:* » ut scilicet vocationem suam fideliter conservent, et *firmi sint in fide catholica* et in *fideli eiusdem confessione per vitam practicam*.

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1885 celebrata.

III.

Obs. Provincia Picena.

Die 26 Martii in Conventu S. Martini penes Arceviam, praesidente Adm. R. P. Andrea Lupori, Procuratore Generali Ordinis, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Josephus a Montebirotio.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Aloysius a Fabriano, L. J.

DEFINITORES PROVINCIAE

A. R. P. Dominicus a Veragrano, L. J.
A. R. P. Bernardus a Claravalle, L. J.
A. R. P. Emygdius a Montedivipauli, L. J.
R. P. Franciscus Maria a Macerata, Aggr.

—

IV.

Electio Vicarii Provincialis Ref. Provinciae Croatiae-Carniolae S. Crucis.

Cum die 19 Martii a. c. pie in Domino obierit A. R. P. Bonaventura Sell, Minister Provincialis Ref. Provinciae Croatiae-Carniolae S. Crucis, a Ven. Provinciae Definitorio die 8 Aprilis electus est eiusdem Provinciae Vicarius Provincialis *A. R. P. Eustachius Ozimk*, Ex-Minister Provincialis.

—

NOVUS TERRAE SANCTAE COMMISS. GENERALIS PARISIENSIS.

Quum R. P. Victor Bernardinus a Rothomago, Commissarius Generalis Terrae Sanctae in civitate Parisiensi, ex infirma salute suum dimiserit officium, quo per novem circiter annos cum accurata prudentia functus fuerat, in Congressu Definitorii Generalis die 10 Martii proxime elapsi Adm. R. P. Maria a Brest, iam Procurator Missionum Ordinis in Gallia, ad praefatum officium assumptus est; in Conventu Parisiensi *rue des Fourneaux 83*, sicuti antecessor, residentiam habebit.

—

EPISTOLA (a)

Rmi Episcopi Valvensis et Sulmonensis de festo S. Joannis a Capistrano ad universam Ecclesiam extendendo.

Illme ac Rme in Christo Frater

Optime nosti iis Sanctis, qui speciali ratione bene meriti sunt de tota Christiana Republica, sanctam matrem Ecclesiam cultum exhibuisse semper specialem, praesertim praecipiendo, ut de his Officium et Missa celebrentur ab universa Ecclesia.

Neminem vero latet S. Joannem a Capistrano multifariam multisque modis universam Dei illustrasse Ecclesiam non solum humili, poenitenti ac piissima vivendi ratione inter Fratres Minores Ordinis S. Francisci Assisiensis, sed etiam magnis exantlatis laboribus, tum verbo Dei ubertim disseminando dissitis etiam regionibus, tum Inquisitoris officio fungendo, ut Fraticellorum aliorumque haereticorum radicitus evellerentur sectae, tum Regum ac Principum animis pacificandis, tum retundenda Judaeorum audacia, tum extinguendo Gaecorum schismate in Florentino Concilio, tum demum Turcarum copiis inexperto milite profligandis, quae fidei et cervicibus Christifidelium in Hungaria parabant ruinam.

Nos istis moti rationibus vix dum nullis Nostris meritis, sed Dei tantum inscrutabili consilio has procurandas suscepimus Dioeceses, nihil antiquius habuimus, quam huius Sancti provehere cultum; immo hoc Nostrum onus putamus, quia Capistrani Civitas est in Dioecesi Valvensi. Cum vero hoc anno quintum ab eius nativitate saeculum finem habeat suum, cumque hanc nacti occasionem Capistranenses solemniter huius Festum celebraturi sint, qui iam miraculis fulgens ab Alexandro VIII inter Sanctos relatus est, opportunum ducimus enixis precibus Summum rogare Pontificem, ut dignetur ad universam Ecclesiam extendere huius Officium et Missam, quae a Clero harum Dioeceseon, a Fratribus Ordinis S. Francisci Assisiensis et ab aliis iam antiquitus celebratur.

Ut vero facilius id assequi valeamus, rogamus Te, Illme ac Rme in Christo Frater, ut una Nobiscum hac de re supplicare digneris apud Beatissimum Patrem; vel (quod satius videtur) per epistolam Nobis significare in Tuis votis esse, ut supplici libello a Nobis Beatissimo Patri porrigendo Tuum inter postulatores addatur nomen.

Fac, quaesumus, ut quam citius Tuas super his accipiamus literas.

Dum reverenter Tuas deosculamur manus, Nos Tibi addictos profitemur.

Sulmone ex Episcopali Palatio die 10 Marti 1885.

✠ Tobias *Episcopus Valven et Sulmonen*

(Loco ✠ Sigilli)

(a) Confratres rogantur, ut data occasione, hoc negotium Rmis DD. Episcopis commendare faveant.

III.

MISSIONES

LITTERAE CIRCULARES S. C. DE PROPAGANDA FIDE

de nonnullis observandis a Missionum moderatoribus in suis cum eadem S. C. *relationibus.*

Illme et Rme Domine

Ut Missionum tam variae ac multiplices res rite examinentur ac facilius expeditiusque tractentur, Sacra haec Congregatio Antistites aliosque Missionum Moderatores identidem de nonnullis admonuit quae ipsis observanda essent in suis cum eadem S. C. relationibus. Quorum quidem observatio adeo opportuna in dies apparet ut, quae iam fere omnia per plures circulares litteras singulis Missionum Praesulibus sunt enunciata, ea nunc in memoriam ipsis revocare visum sit, ut scilicet:

1. De regionibus sibi commissis plenam statuto tempore S. Congregationi rationem reddant iuxta *Quaestiones* quae in apposito libello indicantur.

2. Quotannis mutationes, si quae forte in respectivis Missionibus factae fuerint, notificent.

3. Nonnisi ex praevia S. Congregationis venia et rescripti tenore servato ullum Romam, ut in Urbanum Collegium cooptetur, adolescentem mittant (Litt. Circ. 1 Aug. 1854).

4. Meminerint gravi sese obligatione teneri quolibet anno diligenter perquirendi de statu singulorum qui, ad ipsorum respective Mis-

sionem quovis modo pertinentes, alumni fuerunt S. Congregationis, deque illis eorumque statu, exercitiis ac locis eamdem Congregationem monendi (Const. Alex. 20 Iulii 1660).

5. Epistolas, petitiones nec non acta ad causas ecclesiasticas pertinentia nonnisi latine aut italice vel saltem gallice scripta ad S. Congregationem transmittant (Litt. Circ. 28 Sept. 1868).

6. Cum de pluribus negotiis ad S. C. referunt, efficiant ut unumquodque ex iis proprium habeat folium (Litt. Circ. 5 Aug. 1878).

7. In petitione facultatum alias concessarum postremi rescripti diem nedum mensem atque annum accurate commemorent (Litt. Circ. 15 Dec. 1883).

8. In litteris responsivis numquam omittant numerum referre (italice *Numero di Protocollo*) quem relativa S. Congregationis epistola in capite inscriptum habet (Litt. Circ. 15 Dec. 1883).

9. Eam ephemeridem, quae suppeditandis circa statum religionis in propria Missione notitiis potissimum apta videtur, ad S. C. mittant (Litt. Circ. 2 April. 1884).

10. Ne grave sit iis operum quae de rebus Missionum, vel utcumque in Religionis bonum in Missionibus typis mandantur aliquod exemplar *ad S. Congregationis Archivum* directe transmittere.

Haec omnia Tibi enixe commendans, Rme Dne, precor Deum ut Te in omnibus benigno favore prosequatur.

Die 12 Martii 1885.

✠ D. ARCHIEP. TYREN.
S. C. de Prop. Fide Secret.

FAVORES

A S. SEDE APOSTOLICA

benefactoribus Terrae Sanctae concessi.

S. Congregatio de Propaganda Fide per Litteras diei 8 Aprilis a. c. Rmum P. Ministrum Generalem certiorem reddit, SSmum D. N. LEONEM PP. XIII in Audientia die 15 Martii habita ab Illmo ac Rmo Dno Dominico Jacobini, Archiepiscopo Tyrensi necnon praefatae S. Congregationis Secretario, ad magis magisque excitandam pietatem fidelium totius Orbis erga Missionem Franciscanam Terrae Sanctae specialem Benedictionem Apostolicam concessisse omnibus et singulis Fidelibus, qui suis orationibus, eleemosynis aliisque piis operibus praefatae Missioni a septem fere saeculis Ordini nostro concreditae subvenerint eiusque incrementum pro viribus promovere studuerint.

Dum haec Fratribus nostris, et praesertim Commissariis Terrae Sanctae necnon Periodicorum Tertii Ordinis Directoribus, laetanter annuntiamus, simul in mentem revocamus eximias illas gratias, quas s. m. Pius PP. VI in sua semper vigente Constitutione pridie Kalendas Augusti 1778 edita, (1) quae incipit *Inter caetera Divinorum,* benefactoribus Terrae Sanctae concessit. In dicta Constitutione laudatus Pontifex dicit:

« Nos inexhausti Ecclesiae thesauri Di-
« spensatores a DEO constituti cunctos Fideles
« qui temporalium partem bonorum superna
« providentia eis traditorum in pium illud
« sanctumque christianae charitatis opus *(nempe*
« *Missionis Terrae Sanctae)* relicturi erunt, om-
« nium spiritualium fructuum et meritorum ex
« sacrosanctis sacrificiis, orationibus, ieiuniis,
« poenitentiis, laboribus, peregrinationibus,
« aliisque religiosis operibus, quae non modo
« eiusdem Ordinis Professores, sed etiam Chri-
« stifideles ipsa sancta Loca incolentes, aliique
« ad ea accedentes, et illa venerantes, bene-
« dicente DOMINO, peragent et facient, pro-
« venientium, in eorum reatuum expiationem,
« et aeternae gloriae praemium speciali, quo
« possumus, modo auctoritatis Nostrae pleni-
« tudine participes et consortes in DOMINO
« facimus, atque ad eorumdem fructuum et
« meritorum consortium et communionem
« aggregamus: indubiam foventes spem, quod
« iidem Fideles ad tam uberem sanctamque
« communionem admissi constantissimi in illa
« perseverabunt cum gaudio, gratias agentes
« DEO PATRI, qui dignos eos fecit in partem
« sortis Sanctorum adscribi ».

SUMMUS PONTIFEX

Imperatori Sinensium Missiones commendat.

Missionarii et Christiani non pauci in diversis Sinarum Districtibus degentes occasione belli ibi saevientis diram passi sunt persecu-

(1) Cfr. Bullarium Pontificium S. Congregationis de Propaganda Fide, Romae 1841, tom. IV. pag. 174.

tionem. Magno cordis dolore hoc animadvertens Summus Pontifex Leo XIII, ut dictarum Missionum incolumitati prospiceret, die 1 Februarii a. c. humanissimas Litteras direxit ad Sinarum Imperatorem.

Summus Pontifex in dictis Litteris Imperatorem obtestatur, ut in praesenti rerum discrimine Christianos Sinenses necnon Missionarios, qui ex Gallia, Italia, Belgio, Hollandia, Hispania et Germania a Romano Pontifice in Sinas missi sunt, benignitate sua complectatur et firmissimo patrocinio protegat, ita ut nihil detrimenti capiant, et Missionarii in munere suo tuta libertate fruantur; quia Missionarii a negotiis politicis abstinere et toti in eo esse debeant, ut sapientiam Jesu Christi disseminent et tueantur, quapropter eorum opera rebus publicis semper sit salutaris; et quia Christiani secundum sanctae nostrae Religionis legem Deum timere et iustitiam inviolate servare, ac propterea magistratibus subesse et legibus parere debeant, quod valde aptum sit ad conservandam publicam securitatem.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

1884. Il mese Mariano abbellito di 31 Litanie a tre voci, composto dal P. Sigismondo da Ienne M. R. della Provincia Romana, Organista nella R. Chiesa di S. Chiara di Napoli. Napoli 1884. (l. 5).

1885. Speculum Theologiae Dogmaticae ex operibus Seraphici Doctoris S. Bonaventurae desumptum studio A. R. P. Basilii a Neirone, Conc., Ex-Min. Prov. et Lect. Theol. Ord. Min. Ref. 2 vol. Genuae, ex typogr. Archiepiscopali. (L. 6.)

1885. Canti Lirici del P. Gioacchino da Verucchio, Min. Oss. Rif. Imola, Tip. d'Ignazio Galeati e figlio. (L. 4.)

V.
NECROLOGIA

Tertio ante Idus Decembris Entimelii supremum diem clausit A. R. P. Pacificus ab Areolis in occidua Ligustici maris ora. Hic anno 1818 dum 18 aetatis suae annum ageret seraphicum rite induit habitum in Obs. Genuensi Prov. et probationis laudabiliter absoluto tempore solemnem emisit professionem. Passivo studiorum curriculo expleto, juvenibus Philosophiae ac Theologiae studio incumbentibus tum in aliena, tum in sua Provincia docendo praefuit et iubilationem est adeptus. Postquam Provinciam moderatus est, in eius consilium non semel est accitus tum ut Definitor, tum ut Custos, in iisque muniis tam se prudentiae et maturitatis laude cohonestavit, ut inter Generales Ordinis Definitores adscisci meritus fuerit. Civili peracta Religiosorum suppressione, ipse Entimelii superiorum auctoritate cum aliquibus sociis permansit ut Ecclesiam custodiret, nec laboribus unquam pepercit, ut D. Francisci filiorum nomen in Entimiliensium civium memoria et affectu conservaret; quod illi divina favente gratia factum est; nam, licet ipse cum sociis religiosum habitum (quem municipalis auctoritas, quae sibi coenobii et Ecclesiae dominium vindicavit, deferre non sinit) dimiserit, adhuc tamen duodeviginti circiter post expulsionem annis Fratrum Minorum nomen apud illos extremae Italiae populos in benedictione perseverat, qui diem suspirant, quo denuo franciscalem habitum aspicere et deosculari licebit, quem Deus ad gentis illius consolationem et spiritualem profectum anticipare dignetur! Nos interim Fratri, qui bene de fratribus suis meritus est, Superum pacem adprecamur.

P. Mauritius Monacelli, Horatius in saeculo vocatus, almae Observantis Romanae Provinciae filius. Auphidenae in Aprutiis Samniis, prope Sulmonem, ex legitimis piisque Coniugibus Francisco et Theodora de Lauro, ortum habuit, die 24 Maii 1846. Ipso die, quo 18 aetatis suae annum expleverat, habitum S. Patris Nostri Francisci sumpsit in Conventu Sanctae Mariae Virginis - a salute - prope Valentanum; ibique die 8 Junii 1865, anno probationis laudabiliter expleto, votorum simplicium professionem emisit; et postea, triennio praescripto elapso, ea solemniter, in eodem Conventu, confirmavit.

Dum vero S. Theologiae Viterbii operam navaret, a Subalpino Gubernio capta fuit Roma, et ad militare servitium coacti sunt omnes illi Juvenes, qui ex variis Italiae pro-

vinciis, in illam sese confugerant. Tunc etiam P. MAURITIUS, licet aegra valetudine affectus, et Sacerdotali dignitate iam insignitus, militiae tamen fuit addictus, et per sexdecim menses inservire debuit. Quo elapso tempore, ob infirmitatem, et praesertim ob eius continuas et ferventes supplicationes DEO, et Sanctis Coelitibus fusas, exonerationem a militari servitio, et gratiam redeundi ad suos, et habitum Seraphicum cum ingenti gaudio denuo induendi, misericorditer obtinuit.

In Claustro constitutus, illico cogitare coepit, quomodo promissionem DEO factam, scilicet se totum animarum saluti, et Infidelium conversioni, in Missionibus, mancipari, si ex *illo* odibili statu et servitio liberaretur, adimplere posset. Accidit autem ut tunc temporis Romae esset R. P. Jacobus Lardani de Monteprandone, Missionarius preclarissimi Collegii nostri Sanctae Mariae Angelorum Civitatis de - *Tarija* - in Bolivia, nunc Definitor Generalis Ordinis, qui in Italiam missus ad Missionarios pro dicto Collegio et Missionibus, colligendos, se disponebat ad iter arripiendum cum florida Seraphicorum Iuvenum multitudine, ab ipso selecta, in qua nonnulli recensebantur Sacerdotes et Clerici eiusdem Romanae Provinciae filii olim ipsius condiscipuli. Hac igitur arrepta occasione, egregius iuvenis suppliciter enixeque rogavit Rmum Patrem Ministrum Generalem Ordinis, qui eum ob perspectas virtutes, amore vere paterno prosequebatur, ut se inter discessuros Missionarios adscribere, et praefato Collectori tradere dignaretur. Voti compos effectus, et Benedictione, una cum praelaudatis Missionariis, a Superiore Generali confortatus, mense Julii 1872 Romam deseruit, et die 1. Augusti Burdigalae in Gallia, sub directione et obedientia dicti Patris Jacobi Lardani, navem conscendit Oceanum Pacificum versus.

Post longum, sed felicissimum terrae marisque iter, die 21 Octobris, eiusdem anni, ad praedictum Collegium, cum magna cordis laetitia pervenit. Ibi fere per binos annos studio et sanctae orationis exercitio, ut Apostolici muneris idoneus Minister evaderet, serio et perseveranter incubuit. Deinceps, Superiorum permissu obtento, ad barbarorum, sive Indorum Missiones, uti optaverat, perrexit. Et primo in Missione sive Reductione de *Chimeo* dicta collocatus, ibi per duos annos apostolatum suum ferventer exercuit. A quo postea remotus, ad aliam Reductionem maioris momenti, Sancti Francisci Solani dictam, et iuxta flumen *Pilcomayo* sitam fuit translatus. In ea Reductione, licet diuturno afflictus morbo, per octo continuos annos strenue adlaboravit; et progressum civilem, moralem, et materialem Neophitorum, et Infidelium omnium suae curae commissorum, quorum corda sibi devinxerat, omnium virtutum exercitio, praesertim vero prudentiae, mansuetudinis, affabilitatis, charitatis, et in infirmitate perferenda singularis patientiae, omni sollicitudine et continuo labore promovit, et perfecit. Ipse enim erat naturaliter hilaris, ideoque tam in itinere, quam in Collegio et Missionibus, fuit semper anima conversationum, et laetitiae, ut ita dicam, non solum Fratrum suorum, sed etiam omnium Indorum.

Initio mensis Decembris praeteriti anni 1884 ad proximiorem Missionem Immaculatae Conceptioni Bmae Virginis MARIAE de - *Tarairi* - dicatam, se contulit, ad ibi ipsius Bmae Matris solemnitatem, cum suis Confratribus, uti in unoquoque anno facere solebat, celebrandam. Sed, hoc anno, piissima Mater, cuius devotissimus servus et cultor semper fuit, de festis terrenis, ad coelestia illum transferri voluit. Etenim in praefatam Missionem cum vix pervenisset, illico sensit suum habitualem morbum valde ingravescere; et illum patientissime perpessus, Ecclesiae Sacramentis munitus die 9. eiusdem mensis Decembris, hora 4. post meridiem, dum omnes Neophiti illius Missionis coram Imagine Purissimae Virginis strati, Litanias Lauretanas pro ipsius felici transitu devote decantabant, placidissime animam DEO reddidit. — Sic impletum fuit desiderium ab ipso multoties patefactum, vitam suam scilicet totam impendendi animarum saluti, Infideliumque conversioni: saepe enim dicebat, se in Missionibus, veluti in campo certaminis inter privationes, aerumnas et labores Apostolici Ministerii, mori cupere et velle. — R. I. P.

R. P. BERNARDINUM AMMIRATI, qui in Apostolico Vicariatu Hou-pè Orientalis per annos triginta Missionarii munere perfunctus est, e vita iam discessisse nobis per literas nunciatum est.

In Monte alto, oppido Provinciae Sancti Remi in Liguria, ex piis honestisque parentibus ortum habuit 1827, ingeniumque mite, ac perspicax a pueritia praesetulit. Cum annum sextumdecimum vix attigisset, Romam petiit, ut Reformatae Provinciae Ordinis Seraphici nomen daret; ac voti compos factus in sacro Graecii Recessu cum summo animi gaudio vitae religiosae tyrocinium posuit. Professione emissa, et data sacris studiis assidua sollicitaque opera, die 19. Martii 1851 Sacerdotio fuit initiatus, primumque in Ecclesia nostri Conventus Soriani Deo obtulit sacrificium. Non multo post, sentiens ad Missionarii munus se a Deo vocari, Urbem repetiit, et in Collegio Missionum Sancti Petri in Monte aureo per menses octodecim ad tantum praelusit officium. Mense Septembri 1853 conscendens in navem ex Italia in Sinam se contulit, et die quinta Januarii sequentis anni Hong Kong pervenit, ubi Episcopum Josephum Rizzolati, suum Vicarium Apostolicum, invenit. Duos ibi moratus est menses, quibus elapsis, Cantonem, et inde Hou-nan profectus est, et tandem Hou-pé. Quot labores, quot pericula, quotque mala a rebellibus, qui per eas regiones incursabant, sit tunc temporis in itinere perpessus, haud facile est dictu. Cum vero ad locum sibi destinatum pervenisset, ministerium suum statim exercere coepit, et ingenti animarum lucro semper implevit alacriter. Tandem laboribus pro Dei gloria, animarumque salute exantlatis iam fractus, intestinali morbo confectus, et Ecclesiae Sacramentis rite munitus die 22 Januarii currentis anni 1885 obdormivit in Domino, et tumulatus est prope sepulchrum, quo corpus Rmi Episcopi E. Zanoli conditum fuit.

Fratres, huiusce carissimi Confratris nostri integritatem vitae imitemur, animarum zelum, ceterasque virtutes, quibus iuvit omnes, omniumque animos sibi devinxit, eique a Domino requiem adprecemur aeternam.

Adm. R. P. Didacus a Montecompatrum, Ref. Provinciae Romanae alumnus iam a die 23 Nov. 1822, ortum habuit ab honesta familia Ciuffa, die 6 Augusti 1806, et eiusdem mater soror erat celeberrimi scriptoris Mastrofini. Statim ac studia passiva compleverat Philosophiae ac dein Theologiae Lectorem egit magno cum iuvenum in scientia et pietate profectu. Tunc temporis autem cum in Chilena Republica multa messis operarii autem pauci essent, qua Commissarius a Chileno Gubernio ad Sacerdotes operarios postulandos missus est in Europam R. P. Zeno Badia Ordinis nostri; eaque occasione Rmus Minister Generalis veterum Missionis Collegiorum restituendorum, et novorum item fundandorum desiderio incensus, P. Didacum illuc cum nonnullis aliis misit anno 1837; quo cum sociis post innumeras longissimae navigationis molestias feliciter pervenit. Mox Collegii de Iesu in urbe Castro, fundatio ei demandatur, quam cito perfecit *ibique Novitiatum*, ac studia instituit, et *regularem disciplinam* iuxta Apostolicas pro Collegiis huiusmodi Constitutiones stabilivit.

Vita functo R. P. Emanuele Unsurrunsaga Vice-Praefecto Collegiorum Chilenae Reipublicae anno 1841 eidem in Vicepraefecti et Commissarii munere successit, extraordinariis facultatibus ab Apostolica Sede munitus; quod munus per 15 annos laudabiliter exercuit; nam Missiones, et Collegia optimis legibus munivit, Osorni hospitium fundavit, translationem Domus Exercitiorum a Valparaiso ad Cerro del Baron promovit. Conventus de Almendral in S. Philippo fundatores opere et consilio iuvit. Anno 1856 officium sponte dimisit ac deinceps suae, proximorumque saluti ex professo incubuit. Orationi maximopere intentus, fere omne quod ab excipiendis fidelium ad eum turmatim advertantium confessionibus ei supererat tempus, in Ecclesia transigebat. Humilitas tanta ei inerat ut etiam qua Superior abiecta et viliora officia quandoque exercuerit. — Virtutum suorum praemium a Deo, ut speramus, accepit die 13 Ianuarii 1885. R. I. P.

—

Dolentes annuntiamus mortem A. R. P. Ludovici a Casauria, Ref. Provinciae Neapolis et Terrae Laboris, quae accidit die 30 Martii p. e. Biographiam istius de Ordine nostro atque de humana societate meritissimi Patris suo tempore publicabimus.

Nihil obstat.
Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens. resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SUMMARIUM

Indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Seraphicus, approbatum a Sacra Congregatione. (1)

1. SSmus D. N. PP. Sixtus V. inhaerendo concessioni factae a Leone X., concedit et ipse, ut Religiosi Ordinis Minorum, et consequenter Moniales Clarissae, per communicationem privilegiorum possint lucrari omnes indulgentias a Summis Pontificibus concessas aliis Ordinibus Regularibus, et esse participes omnium orationum, vigiliarum, ieiuniorum, abstinentiarum, disciplinarum, sacrificiorum, quae fiunt in toto mundo a Religiosis Instituti mendicantis. *Communis.*

2. Unde fit, ut Fratres, Moniales, aliique Religiosi, quotiescumque visitabunt propriam suam ecclesiam, ibique orationem facient, et DEUM precabuntur pro exaltatione S. Ecclesiae, pro exstirpatione haeresum, et pro pace et concordia inter principes christianos, lucraturi sint omnes indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, et S. Jacobi de Galitia; et hoc vi ipsiusmet Bullae Pauli V., qui revocavit multas indulgentias a suis Praedecessoribus concessas Regularibus, et hanc confirmavit.

3. Adde, Gregorium XV. in Brevi 10 Decembris 1622 concedere eamdem indulgentiam fratribus et sororibus Confraternitatis funiculi S. Francisci, quando visitabunt ecclesiam Fratrum Minorum et orabunt ut supra.

4. Religiosi et Moniales infirmi et convalescentes in cubiculo aut infirmitorio, et etiam in lecto, si commode aliter facere non possint, dicendo quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria* et orando ut supra, lucrabuntur easdem indulgentias, quas lucrati fuissent visitando propriam suam ecclesiam (Ita Ferraris).

5. Id concessit Innocentius VIII. Fratribus Minoribus et Praedicatoribus, aliisque Religiosis mendicantibus et per participationem omnibus Monialibus et Chordigeris S. Francisci. Ita dicit Rodericius, qui addit, hoc privilegium non fuisse revocatum a Paulo V., quia ipse revocavit indulgentias, sed non privilegia ad lucrandas illas, quae non sunt revocatae; qualis est illa ab eodem Pontifice de novo concessa in Bulla, in qua revocavit omnes indulgentias a suis Praedecessoribus Regularibus concessas.

6. Idem Paulus V. de novo concessit et confirmavit Ordini Fratrum Minorum stationem sanctissimi Sacramenti, ut quilibet Religiosus istius Ordinis, qui recitabit ante altare sanctissimi Sacramenti sex *Pater noster*, sex *Ave Maria* et sex *Gloria Patri*, lucretur omnes indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, S. Jacobi Galitiae, et Portiunculae.

7. Hanc indulgentiam stationum de novo concessam a Paulo V. confirmavit et reno-

(1) Cfr. *Rescripta authentica S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae necnon Summaria Indulgentiarum, quae collegit et cum originalibus in Archivio S. Congregationis Indulgentiarum asservatis contulit Josephus Schneider, Societatis Jesu Sacerdos, S. Congregationis Indulgentiarum et Ss. Reliq. Consultor. Ratisbonae, Neo Eboraci et Cincinnatii, sumptibus Frid. Pustet. 1885.* pag. 385 et seqq.

vavit Urbanus VIII., dummodo tamen statio fiat ante altare sanctissimi Sacramenti. Ita dicit Rodericius, cum attestatione Rodriguez aliorumque.

8. Haec statio indulgentiae dicendo supradicta *Pater noster*, etc... ante altare sanctissimi Sacramenti, acquiri potest saepius in die, eodem prorsus modo, quo eam lucraretur quicumque Religiosus, qui personaliter visitaret ecclesias Romae, Hierosolymorum, Compostellae, et Portiunculae, perinde atque acquiruntur aliae indulgentiae perpetuae, quae non habent limitationem aut determinationem temporis, ut affirmant Angelicus doctor S. Thomas, Corduba, Toledo, Henriquez, aliique citati a Patre Michelangelo Bogliasco in suo compendio indulgentiarum funiculi impresso Liburni 1620, pag. 109.

9. Hoc modo Religiosi manentes in suis conventibus merentur plus quam dum vadunt per mundum peregrinantes ad lucrandas indulgentias. S. Thomas citatus a Perino dicit: *Religiosi existentes in suis monasteriis promerentur amplius quam discurrendo et peregrinando ad lucrandas indulgentias.*

10. Et cum supradictae indulgentiae possint applicari animabus purgatorii per modum suffragii, monentur omnes ad lucrandas illas saepius in die pro dictis animabus, quae non erunt ingratae facienti sibi tale beneficium.

11. Monetur insuper omnis fidelis christianus ad sumendum funiculum Seraphici Patris Nostri S. Francisci, nomen suum dando confraternitati dictae funiculi, ut possint lucrari magnum hunc indulgentiarum thesaurum, aliaque bona spiritualia, ut dictum fuit supra.

Indulgentiae quotidie lucrandae in ecclesiis Ordinis S. Francisci, et in ecclesiis omnium Ordinum Religiosorum mendicantium.

12. Omnibus anni diebus, qui visitabit unam ex ecclesiis Franciscanis, aut cuiuscumque alterius Ordinis Fratrum mendicantium, lucrabitur singulis vicibus, dicendo tria *Pater,* tria *Ave* et tria *Gloria* in honorem Sanctissimae Trinitatis, indulgentiam concessam a multis Summis Pontificibus trecentorum dierum, et ducentarum et septem quadragenarum. Et singulis Dominicis et Sabbatis omnium mensium anni acquiritur pro singulis vicibus indulgentia centum nonaginta et octo annorum et totidem quadragenarum; et diebus Veneris totius anni acquiritur singulis vicibus indulgentia centum dierum. Et advertendum, si in aliquam ex his diebus incidat festivitas, in qua aliae habentur indulgentiae, has etiam insuper acquiri praeter supradictas. Ita *Ferraris.*

Indulgentiae, quae habentur in ecclesiis Franciscanis et in ecclesiis omnium Ordinum mendicantium tempore Adventus.

13. In singulis quatuor Dominicis Adventus, qui visitabit aliquam ecclesiam supradictorum Religiosorum, lucrabitur omnes illas indulgentias, quae habentur in omnibus Dominicis anni, ut in paragrapho praecedenti.

Indulgentiae in dictis ecclesiis in Quadragesima.

14, Prima die Quadragesimae usque ad diem Paschae visitanti ut supra, conceduntur pro quovis die a Joanne XX. duo anni et duae quadragenae, et ab Urbano III., Innocentio III. et Gregorio IX. pariter duo anni et duae quadragenae. Et Urbanus IV. duplicavit dictas indulgentias et adiunxit unum annum et unam quadragenam; et a Clemente IV. conceduntur centum anni et centum quadragenae. Et Alexander IV. concessit duos annos et duas quadragenas. Similiter Nicolaus III., Innocentius IV. et Benedictus XI. concesserunt universim pro quovis die Quadragesimae centum viginti duo annos et quingentos sexaginta sex dies indulgentiae, quae faciunt in summa pro singulis diebus indulgentiam ducentorum quinquaginta duorum annorum, et centum triginta duarum quadragenarum, et quingentorum septuaginta sex dierum.

15. Insuper pro unaquaque feria secunda, quarta et sexta totius Quadragesimae ultra supradictas conceditur a Benedicto XI. indulgentia octoginta octo annorum et octoginta quadragenarum.

Indulgentiae, quae habentur in dictis ecclesiis in solemnitate Paschatis.

16. In quolibet Paschate Resurrectionis conceditur a Martino V. indulgentia quinquaginta annorum et octodecim quadragenarum ultra supradictas. A Leone IV. septem anni et septem quadragenae; et a Clemente IV. centum anni totidemque quadragenae et a Nicolao IV. septem anni et septem quadragenae.

17. Et a primis Vesperis, id est a Sabbato sancto usque ad occasum solis sequentis diei Paschae, qui contritus, confessus aut cum proposito confitendi visitabit aliquam ex ecclesiis S. Francisci de Paula, aut aliam ecclesiam Ordinis mendicantium dicendo tria *Pater*, tria *Ave* et tria *Gloria* in honorem Sanctissimae Trinitatis, ex concessione Leonis X. lucrabitur indulgentiam plenariam.

Indulgentiae, quae habentur in festo Ascensionis Domini in ecclesiis Religiosorum mendicantium.

18. In die Ascensionis Domini, quicumque visitabit aliquam ex supradictis ecclesiis, lucrabitur ex concessione Joannis XXII. indulgentiam duorum annorum et duarum quadragenarum, et ex concessione Clementis IV. centum annorum et centum quadragenarum.

In festis Pentecostes.

19. In festis Pentecostes, qui visitabit aliquam ex supradictis ecclesiis Religiosorum mendicantium, ex concessione Martini V. lucrabitur indulgentiam quadraginta annorum et duodecim quadragenarum. Et ex concessione Leonis IV. septem annorum et totidem quadragenarum. Et ex concessione Urbani IV., Clementis III. et Gregorii IX. unius anni et unius quadragenae, et ex concessione Clementis IV. centum annorum et centum quadragenarum: et insuper a primis Vesperis, id est a Sabbato sancto Pentecostes per usque ad totum diem sequentem, qui contritus et confessus, aut cum proposito confitendi visitabit aliquam ex dictis ecclesiis, dicendo tria *Pater noster* et tria *Ave Maria* in honorem sanctissimae Trinitatis, ex concessione Leonis X lucratur indulgentiam plenariam.

In festo Sanctissimae Trinitatis.

20. Visitanti unam ex supradictis ecclesiis in festo Sanctissimae Trinitatis conceduntur omnes illae indulgentiae, quae habentur in omnibus Dominicis et festis per annum, quae sunt in summa ducentorum et novemdecim annorum et totidem quadragenarum. In eodem festo, qui contriti et confessi, aut cum proposito confitendi a primis Vesperis per totum diem sequentem visitabunt unam ex supradictis ecclesiis, lucrabuntur ex concessione eiusdem Leonis X. indulgentiam plenariam, dicendo tria *Pater noster* et tria *Ave Maria*.

In solemnitate Corporis Domini.

21. Ex concessione Joannis XX., Urbani III., Benedicti X. et Gregorii IX. in festo Corporis Christi visitando aliquam ex supradictis ecclesiis habetur indulgentia duorum annorum et duarum quadragenarum ab unoquoque Pontifice, quod facit octo annos et octo quadragenas. Ex concessione Urbani IV. indulgentia unius anni et nnius quadragenae; et ex concessione Clementis V. centum annorum et centum quadragenasum. Ex coneessione Alexandri IV. unius anni et unius quadragenae. Ex concessione Gregorii IX. et Nicolai V. centum annorum et centum quadragenarum. *Ita legitur in Gemma Sanctissimi Rosarii (Gioiello del Santissimo Rosario).*

In Circumcisione Domini.

22. Qui visitabit aliquam ex ecclesiis Franciscanis, aut aliorum Religiosorum mendicantium in die Circumcisionis Domini, lucrabitur ex concessione Martini V. indulgentiam quinquaginta annorum et quinquaginta quadragenarum, et ex concessione Innocentii III. duorum annorum et duarum quadragenarum, ex concessione Clementis IV. centum annorum, et ex concessione Nicolai V. ducentorum annorum et quinquaginta trium quadragenarum.

In festo Epiphaniae Domini.

23. Qui visitabit aliquam ex supradictis ecclesiis in die Epiphaniae Domini, ei conceduntur ab Innocentio III. duo anni et duae quadragenae, et Urbanus IV. duplicavit hanc indulgentiam et concessit insuper unum annum et unam quadragenam. Clemens IV. concessit centum annos et centum quadragenas; et Nicolaus V. duplicavit hanc indulgentiam. Innocentius IV. deinde concessit indulgentiam quinquaginta annorum et totidem quadragenarum.

In die Purificationis B. M. V.

24. Qui visitabit aliquam ex ecclesiis supradictorum Ordinum mendicantium in die Purificationis B. M. V. dictae de Candelario, ipsi conceduntnr ultra indulgentias concessas in aliis festivitatibus Dominae Nostrae indulgentiae infrascriptae. A Martino V. quinquaginta anni et duodecim quadragenae. A Clemente IV. centum anni et triginta quadragenae. Ab Honorio III. quadraginta anni et quadraginta quadragenae, et totidem a Joanne XXII.

Item Sixtus IV. concessit indulgentiam triginta annorum et triginta quadragenarum.

In festo Sanctissimae Annuntiationis.

25. In festo Sanctissimae Annuntiationis, qui visitabit etc., lucrabitur ex concessione Martini V. quinquaginta annos et duodecim quadragenas. Ex concessione Clementis IV. decem annos et quadraginta dies. Ex concessione Gregorii IX. viginti annos et quadraginta dies. Ex concessione Bonifacii VIII. novem annos et quadraginta dies. Ex concessione Nicolai IV. centum annos et centum octoginta dies. Ex concessione Leonis IV. septem annos et septuaginta quadragenas. A Joanne XXII. conceduntur quadraginta anni et quadraginta quadragenae, et ab Urbano V. indulgentia septem annorum et septem quadragenarum.

26. Advertendum, Moniales claustrales posse lucrari in suis ecclesiis omnes indulgentias concessas Religiosis mendicantibus, et omnibus saecularibus.

Indulgentiae in die, qua fit festum titulare in ecclesiis Franciscanis et aliorum mendicantium.

27. In festo Sancti vel Sanctae, sub cuius nomine aedificata est quaecumque ecclesia supradictorum Ordinum, eas visitando acquiruntur ex concessione Leonis IV. septem anni et septem quadragenae. Et Urbanus IV. duplicavit istam indulgentiam. Ex concessione Clementis IV. centum dies et Honorii IV. quadraginta anni et quadraginta quadragenae. Benedictus X. duplicavit hanc indulgentiam. Nicolaus V. dictis indulgentiis addidit septem annos et septem quadragenas. Sixtus IV. addidit septem annos et triginta quadragenas.

Indulgentiae in omnibus festis Sanctorum Franciscanorum et aliorum Sanctorum ex Regularibus mendicantibus.

28. In quocumque festo cuiusque Sancti aut Sanctae Ordinis Minorum, S. Dominici, S. Augustini, etc. visitanti aliquam ex eorum ecclesiis ab Innocentio IV. quadraginta anni; a Clemente IV. quadraginta sex anni; a Nicolao III. quadraginta anni; a Nicolao IV. alii quadraginta anni; totidem ab Urbano V.; a Sixto IV. quinquaginta anni et quinquaginta quadragenae indulgentiae.

Indulgentiae, quae recurrunt in festis Sanctorum Ordinis Seraphici per anni circulum.

29. *Mense Januario.* Die 16 illius mensis pro festo SS. Mart. Berardi, Petri etc. Protomartyrum Ordinis, indulgentia plenaria perpetua concessa a Benedicto XIV. Brevi *Sanctissimus* 18 Octobris 1745.

Die 30 S. Hyacinthae, indulgentia plenaria perpetua concessa a Pio VII. Brevi *Ad augendam* 17 Novembris 1807.

Die 31 Beata Ludovica, indulgentia plenaria usque ad annum 1848. (1)

Mense Februario. Die 5 dicti mensis pro festo SS. Mart. Petri Baptistae, etc. indulgentia plenaria perpetua concessa a Clemente XII. Brevi *Iniunctae nobis* 13 Julii 1739.

Die 22. S. Margaritæ de Cortona, indulgentia plenaria perpetua concessa a Benedicto XIII. Brevi *Redemptoris* 26 Julii 1728.

Mense Martio. Die 5 dicti mensis S. Joannis Josephi de Cruce, indulgentia plenaria concessa a Gregorio XVI. Brevi *Inclitum S. Francisci Ordinem* 21 Februarii 1841.

Die 6 S. Coletae, indulgentia plenaria pro vivis et defunctis perpetua concessa a Pio VII. Brevi *Ad augendam* 13 Julii 1807.

Die 9. S. Catharinae de Bononia, indulgentia plenaria perpetua concessa a Clemente XI. Brevi *Redemptoris* 21 Martii 1714.

Mense Aprili. Die 3. S. Benedicti a S. Fratello, indulgentia plenaria perpetua concessa a Pio VII. Brevi *Ad augendam* 17 Novembris 1807.

Die 16. in festo S. Raphaelis Archangeli, indulgentia plenaria pro omnibus Religiosis et Monialibus, qui confessi et sacra Communione refecti renovabunt suam professionem, concessa a Clemente XII. Brevi *Cum sicut dilectus Filius* 30 Martii 1736.

Mense Maio. Die 13 S. Petri Regalati, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV. Brevi *Redemptoris* 23 Apr. 1748.

Die 17. S. Paschalis, indulgentia plenaria concessa ab Alexandro VII. Brevi *Redemptoris* 9 Septembris 1690.

Die 20. S. Bernardini Senensis, indulgentia plenaria concessa a Sixto V., Brevi *Cum primaeva,* 28 Septembris 1585.

Mense Junio. Die 13. S. Antonii a Padua, indulgentia plenaria perpetua concessa a Six-

(1) Concessa a Pio IX in perpetuum 8 Augusti 1862. (N. R).

to V. Brevi *Cum primaeva* 28 Septembris 1585.

Die 19. Beatae Michelinae, indulgentia plenaria concessa a Clemente XII. Brevi *Ad augendam* 27 Septembris 1737.

Mense Julio. Die 14. S. Bonaventurae, indulgentia plenaria concessa a Sixto V. Brevi *Cum primaeva* 28 Septembris 1585.

Die 24. S. Francisci Solani, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII. Brevi *Redemptoris* 14 Augusti 1729.

Mense Augusto. Die 2 illius, indulgentia, vulgo dicta de Portiuncula.

Die 12. S. Clarae Virginis, indulgentia plenaria etiam pro omnibus fidelibus Christianis in ecclesiis Fratrum Minorum et Monialium Franciscanarum; ita declaravit Sacra Congregatio die 9 Octobris 1663.

Die 19. S. Ludovici Episcopi, indulgentia plenaria concessa a Sixto V. Brevi *Cum primaeva* 28 Septembris 1585.

Die 25. S. Ludovici Regis Francorum, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV. Brevi *Iniunctae nobis* 17 Martii 1755.

Mense Septembri. Die 4 S. Rosae de Viterbo, indulgentia plenaria concessa a Clemente XI. Brevi *Agni Immaculati* 14 Januarii 1701.

Die 11. festo SS. Mart. Nicolai et Soc. indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII. Brevi *Ad augendam* 5 Decembris 1728.

Die 17. festo sacrorum stigmatum S. Francisci, indulgentia plenaria concessa a Clemente XII. Brevi *Coelest. muner.* 31 Augusti 1731.

Die 24. S. Pacifici a S. Severino, indulgentia plenaria concessa a Gregorio XVI. Brevi *Inclitum S. Francisci Ordinem* 21 Februarii 1841.

Mense Octobri. Die 4 festo Patriarchae nostri S. Francisci, indulgentia plenaria concessa a Sixto V. Brevi *Cum primaeva* 28 Septembris 1585.

Die 13. festo SS. Mart. Danielis, etc. indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV. Brevi *Ad augendam* 22 Junii 1748.

Die 19. S. Petri de Alcantara, indulgentia plenaria concessa a Clemente IX. Brevi *Redemptoris* 8 Octobris 1669.

Die 23. S. Joannis de Capistrano, indulgentia plenaria concessa ab Alexandro VII. Brevi *Redemptoris* 7 Septembris 1690.

Mense Novembri. Die 12. S. Didaci, indulgentia plenaria concessa a Clemente VIII. Brevi *Quae ad Sanctorum* 26 Maii 1598.

Die 19. S. Elisabeth Reginae (1) Hungariae, indulgentia plenaria, Brevi Benedicti XIV. *Iniunctae nobis* 17 Martii 1755.

Die 28. S. Jacobi de Marchia, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII. Brevi *Redemptoris* 14 Augusti 1727.

Die 29. festum omnium Sanctorum Ordinis, indulgentia plenaria concessa a Clemente XIII. Brevi *Ad augendam* 22 Martii 1766.

(Continuabitur)

II.
ACTA ORDINIS

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica

CAPUT II.
DE VITA COMMUNI ET PECULIO RELIGIOSORUM AD MENTEM THEOLOGORUM.

In primo huius Tractatus capite varias ordinationes retulimus, quas tum Ordinum Fundatores, tum sacra Concilia, tum Romani Pontifices ediderunt quaeque vitam communem a Religiosis servandam praescribunt necnon peculii usum prohibent. Consideremus nunc breviter, qualem conscientiae obligationem iuxta Theologorum doctrinam dicta praescripta inducant. Quod ut maiori claritate fiat, et nimiae severitatis et nimiae laxitatis sententias evitare studentes, illas dumtaxat propositiones breviter afferemus, quae a Doctoribus passim vel defenduntur vel admittuntur.

I. *Votum paupertatis Religiosorum prohibet saltem liberum et independentem bonorum temporalium usum.* — Paupertatem quis ita sectari potest, ut non tantum de bonis suis temporalibus non disponat nisi dependenter ab alicuius Superioris voluntate, sed etiam dominium ipsum eiusmodi bonorum a se abdicet.

(1) Pincipissa.

Et potest quis paupertatem ita sectari, ut servet dominium bonorum suorum temporalium, et a se abdicet dumtaxat liberum et independentem ipsorum usum; ita nempe, ut se adstringat ad non disponendum ullo modo de bonis istis, nisi de licentia Superioris.

Religiosi quilibet paupertatem vovent *saltem* eo modo, ut sibi interdicant liberum et independentem bonorum temporalium usum. Qui enim triplex Religionis votum emiserunt, censentur sese obligasse saltem ad non disponendum de bonis temporalibus independenter a Superiorum voluntate. Ita votum paupertatis intelligitur apud omnes religiosas familias cuiuscumque Ordinis vel Instituti. Unde, cum Religiosi paupertatem saltem iuxta hunc intelligendi modum voveant, sequitur, ab ipsis hoc votum violari, quoties independenter a Superiorum voluntate de aliquo temporali bono disponunt, id est, quoties absque legitima Superiorum licentia aliquid ex dictis bonis accipiunt, retinent vel dispensant.

Haec fundamentalis obligatio communis est omnibus Religiosis, sive solemnia, sive simplicia dumtaxat vota emiserint.

Religiosi autem, qui vota solemnia emiserunt, non solum de bonis temporalibus independenter a Superiore disponere nequeunt, sed etiam eiusmodi bonorum dominium retinere aut acquirere non possunt. Siquidem solemne votum paupertatis inducit incapacitatem dominii. Econtra autem, si votum sit simplex, potest Religiosus bona sua temporalia retinere, et alia sibi acquirere; nec ex voto suo fit incapax eiusmodi dominii, sed solummodo obligatur ad non utendum bonis temporalibus, etiam suis, nisi dependenter a Superioris sui voluntate.

Nomine *bona temporalia* intelliguntur omnia pretio temporali aestimabilia. Bonorum spiritualium, honoris, famae, et similium, Religiosus dominium retinet. Item ius eligendi non est materia voti paupertatis (1). An idem dicendum sit de manuscriptis Religiosorum, controvertitur. Ob varias hac de re declarationes, tenet S. Alphonsus, (2) ea non comprehendi sub voti paupertatis obligatione. At contrarium fuse defendit Ferraris. (3)

(1) S. Thomas, 2. 2. quaest. 186 a 9.
(2) S. Alphons. Lib. 4. cap. 1. n. 14.
(3) Verb. *Votum*, art. 2. n. 142 et seq.

II. *Usus peculii independens a Superiorum voluntate omnibus Religiosis prohibitus est.* — *Peculium* hîc intelligitur quodlibet bonum temporale ad peculiares alicuius Religiosi, non autem ad communes monasterii, usus destinatum. Unde pecunia, res comestibiles, annui census, seu vitalitiae pensiones aliaque similia, quae destinantur et inservire debent ad privatam alicuius Religiosi utilitatem, dicuntur et sunt huius Religiosi *peculium*. Conventus, in quibus nullum exstat eiusmodi peculium, dicuntur vitam communem habere; quae locutio *communis vitae* nihil aliud indicat, quam eiusmodi peculiorum exclusionem.

Duplex peculii species distingui potest, quarum altera habetur, si Religiosus peculio utatur *independenter* a voluntate et licentia Superioris; altera autem, si Religiosus eo utatur *dependenter* a dicta voluntate et licentia.

Peculium cum independenti illius usu certe illicitum est Religiosis omnibus. Nam paupertatis votum Religiosis adimit *saltem* liberum et independentem usum bonorum temporalium. Idem est enim vovere paupertatem religiosam et vovere non uti bonis temporalibus tamquam propriis, seu absque Superiorum facultate. Unde illa Religiosi obligatio non disponendi de ullo bono temporali independenter a Superiore suo, *essentialiter* inhaeret ipsius voto. Ergo Religiosus, qui aliquo peculio independenter a Praelato suo uteretur, hoc ipso violaret votum suum. Hoc est extra omnem controversiam apud Doctores. Hinc, quando disputant Doctores, an licitum Religiosis sit peculium, non agitur de peculio cum independenti usu, de cuius illiceitate nulla movetur difficultas, sed de peculio cum dependentia a Superioris voluntate quoad usum.

III. *Usus peculii dependens a voluntate et licentia Superiorum in certis circumstantiis et sub quibusdam conditionibus licitus esse potest.* — Siquidem quando vovetur paupertas, non vovetur, nullis bonis temporalibus uti; id enim non foret de meliori, immo pravum foret, cum ad vitae sustentationem necessarius sit multiplex eiusmodi bonorum usus. Vovetur vero non uti bonis temporalibus tamquam propriis, seu independenter a Superiorum voluntate. Ergo Religiosus peculium habens et eo utens dependenter a Superiore suo, quamvis hoc sit

contra Ecclesiae voluntatem, tamen non agit contra paupertatis votum, nec consequenter contra essentiam status religiosi. Quod enim *essentialiter* requirit religiosa paupertas, quodque per paupertatis votum Deo promittitur, nempe nulla re uti tamquam propria et independenter a Superiorum voluntate, cum istis peculiis *absolute* stare potest.

Propterea extra omnem controversiam est apud Doctores, Religiosos licite uti posse peculio dependenter a Superiorum voluntate in illis monasteriis, in quibus ex incuria Superiorum non viget vita communis, et Religiosis necessaria non ministrantur. Concilium enim Tridentinum tunc Religiosis vitam communem praecipit, cum eis a Conventu *nihil quod sit necessarium denegetur* (1). Ut autem Religiosi in illis monasteriis, in quibus vita communis non viget, peculio licite uti valeant, iuxta Auctores (2) quinque conditiones seu circumstantiae concurrere debent; scilicet 1. quod habeant peculium dependenter a voluntate Superioris; 2. ut sint parati peculium consignare ad nutum eiusdem Superioris; 3. ut pecuniam convertant in licitos et pios usus; 4. ut peculium non sit superfluum; 5. ut sit penes capsam depositi, seu aerarium commune.

IV. *Si Superiores vitam communem alicubi reducere velint et peculia proscribant, Religiosi ibi degentes huic reformationi sese submittere debent, modo necessaria ipsis suppeditentur.* — Nam ut peculii usus non sit voti paupertatis violatio, omnino requiritur, ut habeatur *cum dependentia* a Superiorum voluntate. Regulares vero, qui peculia retinerent post decretum Praelatorum vitam communem praecipiens, hoc ipso iam ipsa retinerent *absque dependentia* a Superiorum voluntate, et per consequens paupertatis votum violarent (3). Hoc recogitent bene hodierni Regulares vitam communem non habentes, qui Praelatis suis vitam communem introducere volentibus obiiciunt, se non posse ad id obligari, utpote qui voverint iuxta Regulam moderatam, prouti erat, et cum usu peculiorum. Nam iste usus peculiorum, quem vigentem invenerunt, quando Religionem ingressi sunt, intelligendus est *cum dependentia a Superiorum voluntate*; alioquin nec fuisset, nec unquam esse potuisset sine violatione voti paupertatis. Ergo Regula etiam relaxata, iuxta quam professionem emiserunt, excludebat peculia absque Superiorum consensu retenta. Hinc statim ac Praelati peculiorum praxi consentire desinunt, peculia haec, etiam iuxta Regulam relaxatam, evadunt ipso facto illicita.

V. *Ubi viget vita communis, graviter peccarent Superiores peculiorum praxim introducentes.* — In quantum enim disciplinae regularis detrimentum eiusmodi peculia cedant, per se facile patet et plus nimium experientia demonstravit. Quare S. Alphonsus ait: (1) « Omnes Praelati tamquam certum sibi persuadeant, quod si usum peculii in monasteriis de novo introducent, vix nomen paupertatis ibi supererit et ex hoc innumerata mala communitati quoad observantiam supervenient ». Peculia introducentes Praelati grave damnum Ordini suo inferunt, ac propterea peccati gravis reatum incurrunt.

VI. *Regulares, qui vitam communem in suis conventibus reducere possent, et hoc non faciunt, vituperio digni sunt, et ex hoc ipso sese produnt in vita religiosa valde remissos.* — Quamvis enim *absolute* stare possit peculiorum usus cum substantiali voti paupertatis observantia, ipso tamen semel introducto, magna ex parte corruere solere religiosae vitae integritatem et fervorem, in confesso est apud omnes. Religiosi ergo, qui tanti damni occasionem removere quidem possent, hoc autem nollent: nec proprio nec Ordinis sui honori prospicerent, neque perfectionis studiosos sese ostenderent. Religiosi enim, qui a suo Ordine magnum damnum removere nolunt, a convenienti sui status fervore deficiunt; et si in talibus monasteriis aliqui ad vitae sanctitatem ascendunt, absque dubio non sunt de iis, qui reduci vitam communem noluerunt, sed de iis, qui reducere eam non potuerunt.

Ex hisce breviter expositis apparet, observantiam vitae communis perfectae esse normalem vivendi modum in monasteriis cunctis; peculii autem usum in casu tantum necessitatis et in peculiaribus circumstantiis atque sub certis dumtaxat conditionibus licitum esse. Propterea Auctores, etiam mitiores, qui hac

(1) Cfr. S. Alphonsus, lib. 4. cap. 1. n. 15.
(2) Cfr. Ferraris, verb. *Moniales*, art. 2. n. 71.
(3) S. Alphonsus, loc. cit.

(1) Loc. cit.

de re scripserunt, hortantur Religiosos omnes, ut vitam communem, ubi est, omni studio conservare, et ubi non viget, omni conatu quamprimum introducere studeant.

Hactenus de omnium Religiosorum obligatione vitae communis servandae locuti sumus. In sequenti autem capitulo de peculiari Ordinis nostri hac in re obligatione agemus.

(Continuabitur)

—

DE COLLEGIIS SERAPHICIS

(Continuatio)

3. Jam videamus, quomodo tempore nostro res circa conservandam vocationem divinam et servandam fidem catholicam ac bonos mores in praxi se habeat.

DEUS est, qui dat vocationem ad Sacerdotium et statum religiosum; « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, » ait DOMINUS noster *(Joann. 15, 16)*. Homo autem, praeditus libero arbitrio, hanc vocationem etiam frustrare potest, prout iterum dixit S. Scriptura: « Vocavi, et renuistis » *(Prov. 1, 24.)*; et hoc praesertim in iuvenili aetate eo magis accidet, quo plura atque maiora iuveni imminent pericula in ipsa sua familia et in scholis publicis.

Heu, quae *immutatio in familiis christianis* ultimis nostri aevi decenniis accidit! — Raro amplius in iisdem invenitur ille spiritus vere catholicus elapso tempore in familiis tantopere adhuc florescens. Desunt communis oratio, frequentatio Sacramentorum, vera festorum sanctificatio, pia parvulorum educatio, filialis reverentia et obedientia erga parentes. Modernus progressus et materialismus practicus spiritum christianum magis magisque absorbere videtur. Sacerdotium, in familiis christianis olim tanto honore habitum, non amplius aestimatur, quia male stipendiatum genitoribus parum adiutorii ex parte filii promittat et multae aliae spes novae arrideant. Hinc parentes cupiunt, ut filii sui artes et scientias addiscant, quas eorum ignorarunt et ex quibus materialia vel honorifica commoda pro domo sua exspectant; ideoque Gubernii institutiones pro puerulis ingenio praeditis tanta cum sollicitudine requirunt. Et si in regionibus, ubi spiritus fidei adhuc viget, vocatio ecclesiastica et religiosa honore habetur et adiuvatur, tamen saepe saepius pueri, qui inclinationem vel intentionem pro speciali DEI servitio ostendunt, a suis sodalibus contemnuntur et ludifiunt, communiterque ipsi parentes parum curant, ut foveantur, defendantur, formentur et primaria litterarum studia docentur, — utinam omnibus argumentis ne conentur, ut ipsi sanctae filiorum suorum vocationis scintillas extinguant! — Quid dicam: dantur parentes, qui indecoratos infelicesque se habent, si unus filiorum suorum a Deo vocatus mundanis vanitatibus valedicit, de cunctis animae suae inimicis *triumphat et* DOMINUM DEUM tamquam *partem haereditatis* suae sibi eligit! —

Et quid *de scholis publicis* dicendum? — Fere omnes in Europa et America respublicae nostro aevo quod attinet scholas leges condiderunt, quas Satanas sectae Massonum revelavit. Coniurationis eorum scopus est eradicatio Religionis christianae ante omnes alias Religionis catholicae, et quoad praxim eorumdem tessera: « Cuius est iuventus, eius erit futurum tempus ». Hac de causa fides christiana ex iuvenum cordibus eradicetur, iuventus corrumpatur. Hinc abominabiles eorum leges, secundum quas scholae confessionales et eo minus clericales inveniantur; sed omnes scholae sint vel *laicae* vel *neutrae*, uti dicunt. *Laicae,* ut omnes ecclesiastici vel Religiosi a magisterio sint exclusi; *neutrae*, i. e. de nulla confessione loquentes, ut sic etiam doctrina catholica exclusa maneat. Hac de causa in huiusmodi scholis Dominus noster JESUS CHRISTUS, eius doctrina, eius cultus, imo eius imago. necnon S. Mater Ecclesia, B. V. MARIA Sanctique omnes proscribuntur; in libris scholaribus nil christianum invenitur, sed potius spiritus rei christianae infensissimus; et quod attinet disciplinam, pueri nunquam de oratione, de conservanda innocentia et castitate aut de fuga peccati quid audiunt, sed solummodo de sic dicta humanitate ac de civilitate et politura externa est sermo. Paedagogi et Professores ipsi, non raro homines liberales, increduli, athei, sectae Massonum adscripti, haeretici imo etiam Judaei, non scientiam utilem vel saltem indifferentem, sed, in quantum possunt, obnoxiam et revelationem divinam ac bene-

ficia Ecclesiae aggredientem docent et exercitiis fidei et pietatis illudunt. Quid in huiusmodi officinis fiet de anima pueri, cuius parentes dotibus fortunae non sunt donati, ut filium in aliam scholam mittant? Quid fiet de pueri intellectu, de eius corde, de eius virtutibus vix a bono patre aut pia matre implantatis, quid de eius vocatione?... — Quis his circumstantiis mirabitur, si pauci tantummodo veniant candidati receptionem in Ordinem postulantes, aut si veniant perdita iam innocentia et poculo veneno huius mundi mixto iam hausto; si accesserint sine fide ac religione, forsan ex desperatione, dissimulantes miserrimum internum statum suum; si sacra veste induantur, dum « intrinsecus sint lupi rapaces » *(Matth. 7. 15. et Act. 20. 29.)*, aut tamquam fures, qui pessimis suis sententiis atque exemplis in novello grege « mactant et perdunt » *(Joann. 10. 10.)*, prout ait Jesus Dominus noster. —

Nonne hic verbum S. Scripturae locum habet: « Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos » *(Act. 13, 2.)*? — Profecto, Spiritus Sanctus, qui « attingint a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter » *(Sap. 8, 1.)*, et qui Ordinum religiosorum, necessarium S. Ecclesiae complementum, vult perpetuitatem, inspiravit Summis Ordinum moderatoribus, ut recurrant ad remedium opportunum, hoc est Collegiorum clericalium pro vocationibus puerorum fovendis erectionem; etenim eadem intentio, eaedemque rationes, quae S. Concilium Tridentinum ad Decretum de erigendis Collegiis clericalibus pro Clero saeculari moverunt et quas supra *(p. I. n. 4.)* exposuimus; nostro aevo etiam Ordines religiosos ad eadem facienda compellunt. Prout Deus eduxit Abram de Ur Chaldaeorum *(Genes. 15. 7.)*, sic pueri benemorati, qui inclinationem ad statum clericalem vel religiosum ostendunt, maturrime ex perditione huius mundi auferri et in domibus nostris colligi ibique a nobismetipsis sustentari, educari et in necessariis humanis scientiis institui debent, antequam ad Novitiatum admittuntur.

4. His positis, cui necessitas atque utilitas intrinseca horum Collegiorum pro Nostratibus non plane manifesto appareat? — Inter cunctos discipulos pro Novitiatu ii tantum admittuntur, qui egregii sunt quoad virtutem, intellectum, scientiam, valetudinemque. Quicumque has dotes non sufficienter prae se ferret, nec in Collegio permanere nec minus ad Novitiatum admitti valeret. Dispositiones horum puerorum, necnon ingenii eorum imperfectiones apprime nobis innotescent. Sinceritas pueri suam pietatem veram Directori manifestabit. Summatim omnes hos discipulos cognoscemus et ab ipsis cognoscemur.

—

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1884.

XXIX.

Obs. Provincia Ragusina

Die 25 Novembris anni 1884 in Conventu S. Francisci Ragusii, praesidente A. R. P. Vincentio a Breno, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Vincentius a Breno.

Custos Provinciae

A. R. P. Marianus a Ragusio, ex-Provincialis immediatus.

Definitores Provinciae

A. R. P. Jacobus a Ragusio, ex-Provincialis.
R. P. Paulinus a Dobranje.
A. R. P. Aloysius ab Insula media.
R. P. Ladislaus a Verbosca.

—

Anno 1885.

V.

Ref. Provincia Neapolis et Terrae Laboris

In Congressu diei 21 Aprilis a Rmo P, Ministro Generali eiusque Definitorio electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Antonius a Casauria.

Custos Provinciae

A. R. P. Michael Angelus a Marigliano, ex-Provincialis.

Definitores Provinciae

A. R. P. Raphael a Puteolis, ex-Provincialis.

R. P. Franciscus Antonius ab Afragola.

R. P. Aloysius a Casanova.

R. P. Angelicus a Neapoli.

III.
MISSIONES

Ex Imperio Sinensi.

In epistola, quam sub die 24 Januarii anni 1885 Revdus Pater Pacificus Fenocchio ex Ordine Minorum Observantium scripsit a *Lei-con-fu* Rmo P. Ministro Generali P. Bernardino a Portu Romatino, haec duo facta narrantur:

In pago *Trimli* moratur senex octo et sexaginta annos natus, multum locuples, facetus, omnibusque apprime carus. Hic, licet idolorum cultor, legem naturalem semper scrupulose coluit. Adolescens libenter sequebatur parentes suos ad *pagodas*, in quibus superstitiones exercebantur. Sed triginta abhinc annis haec superstitionum loca reliquit, quia in fictorum Numinum cultu non solum nulla cor eius afficiebatur pace, sed potius angebatur molestia. Quamobrem saepe sic secum volvebat: Haec idola sunt terrea, lignea, vel metallica; insuper sunt muta, et insensibilia, ideoque mihi opem ferre minime valent. Cur igitur eis cultum tribuere debeo? Ipsa nihil aliud significant, nisi homines iam defunctos, qui quidem aliqua re praeclare gesta enituere, sed iam interierunt, et aetate nostra non amplius vivunt. Ita dicens ab idolorum cultu omnino recessit. Ast sicut homo nequit esse sine cuiusdam Divinitatis adoratione, sic ille hac de re laborabat multum, sentiebatque aliquid magnum cordi suo deesse. Animadvertebat enim, se carere eo, quem noscere exoptabat, et nesciebat invenire; hinc erat similis homini hac et illac aberranti, qui viam sollicite quaerens non invenit, et magis errat.

Tandem bonus senex orbis gyrum, coelumque stellis ornatum suspiciens inquit: Quis haec mirabilia fecit? Profecto non Dei terrei, nec qui eos repraesentant; erant enim homines ut ego sum. Igitur debet esse unus, qui fecerit, et gubernat omnia, quae oculis video. Quis est? ubi habitat?.... Miser, nullum responsum accepit!!.... Sed animo minime fractus, statim ait: Nescio quis sit, nec ubi sit; quamvis eum non agnoscam, ille certe agnoscit me, et occultas cordis mei scrutatur cogitationes. Opus *est ergo, ut illi debitum persolvam honorem, quia Dominus meus est.* Denique, cum aliud praesidium sibi deesset, Creatori omnium rerum, qui ei non adhuc innotuerat, domum suis opibus aedificare statuit.

Verum est hoc factum, sicuti narrat Divus Paulus in Actis Apostolorum dicens: *Inveni et aram, in qua scriptum erat: ignoto Deo! quod ergo ignorantes colitis*, etc: Demum hic homo, qui Deum adorat, antequam agnoscat, die 14 Januarii magnam animi quietem, ac pacem adeptus est; et sic res se habuit. Praefata die habitus fuit sermo ad paganos de necessitate existentiae Dei creatoris, et rectoris mundi, de Angelorum creatione, de eorumdem lapsu et poena, de creatione hominis ad imaginem et similitudinem Dei, de existentia praemii, et supplicii secundum opera. Unus ex auditoribus erat ille bonus senex, qui verba Praedicantis auribus excipiebat attentis. Fine sermoni facto, a me fandi copiam petiit, et ad meos provolutus pedes sic locutus est: Octo et sexaginta abhinc annis in hunc mundum ingressus sum; hodie tantummodo inveni Dominum, quem per annos triginta noscere exoptavi; et ita omnem historiam suam, quam modo retuli, mihi narravit. Sero precibus communibus interfuit, die insequenti Missam audivit, et nunc orationibus discendis, doctrinaeque christianae studio incumbit.

In pago *Boronbu* Christiani cum audivissent tot glorias Sancti Patris nostri Francisci, totque indulgentias tertio Ordini concessas, multi eidem Ordini nomen dederunt. Quidam christianae institutionis doctor ex honesta familia natus (nescio an vano timore ductus esset, vel potius nollet officiis tertii Ordinis se adstringere) dictum Ordinem non est amplexus; sed tamen Divum Franciscum ferventius orare coepit. Ipse autem magna afficiebatur tristitia, quia filios non procreaverat. Cogitavit hac in re nihil sibi utilius, nihil prae-

stantius esse, quam Divi Francisci opem exposcere, ut haberet haeredem. Sed sibi consideranti, se non esse Tertiarium, videbatur hanc gratiam a Divo Francisco non mereri, sperans, simulque timens complures insumpsit dies. Tandem secum dixit: Si non sum Tertiarius, cur me in Tertiariorum numerum cooptari nondum statuo? Incipiam ut Tertiarius regulas observare, votumque vovebo tertio Ordini nomen dandi statim ac Pater Missionarius veniet, dummodo S. Franciscus det mihi filium. Calendis Januarii morabar in suo pago missionis causa. En, video hunc christianae institutionis doctorem habentem inter sua brachia puerulum, ac laeta fronte, hilarique animo dicentem: *Pater, en filium, quem precibus obtinui, eum baptizet; ego vero Sancti Francisci, a quo gratiam accepi, semper memor ero.*

Haec duo facta, etsi ineleganter descripta, sunt tamen vera, et a me narrata sicuti acciderunt. Faxit Deus, ut illuminet paganis omnibus, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, sicuti cum praefato sene operari dignatus est. Divus autem Franciscus gratias suas magis magisque diffundat, ut hisce in locis sancta fides nostra in dies adaugeatur.

—

STATUS

Vicariatus Apostolici Hu-nan meridionalis, anno 1885.

Incolarum numerus, circiter. .	10, 000000
Christiani.	5129
Christianitates.	45
Ecclesiae.	12
Sacella publica	17
Residentiae	10
Missionarii europaei	3
Sacerdotes sinenses	8
Rhetorici.	8
Grammatici	8
Alumni discentes doctrinam. .	145
Catechistae	68
Virgines	58
Sodales tertii Ordinis. . . .	67
Sermones ad infideles, anno elapso	1420
Sermones ad fideles.	2100
Baptismi infantium.	192
Baptismi adultorum	359
Confirmationes	382
Confessiones annuales. . . .	2299
Communiones » . . .	1078
Confessiones ex devotione . .	10280
Communiones » . . .	11498
Extremae unctiones	72
Matrimonia	76
Mortui	237

Relatio de S. Infantia

Pueri et puellae infidelium baptizati .	3937
Puellae expositae susceptae	364
Adhuc viventes ex anno elapso . .	572
Orphanotrophia pro pueris	3
Orphanotrophia pro puellis	3
In iisdem viventes	129

Missionarii

1. P. Casparus Fuchs, Ref. Prov. Tirolensis S. Leopoldi.
2. P. Joannes a Capistrano Goette, Recoll. Prov. SS. Cordis Jesu.
3. P. Edmundus Roediger, Recoll. Prov. SS. Cordis Jesu.
4. D. Stanislaus Lo.
5. D. Laurentius Zen.
6. D. Thaddaeus Lo.
7. D. Bartholomaeus Lo.
8. D. Andreas Ho.
9. D. Josephus Je.
10. D. Mathias Lien.
11. D. Xaverius Li.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

1885. Conferenza della beneficenza delle istituzioni francescane del Poverello Seraphico d'Assisi e specialmente del Terz'Ordine, per P. Michele Da Massafra, Minore Osservante della provincia di S. Antonio di Lecce.

Lecce. Tipografia Gaetano Campanella In 8° p. 44.

1885. Conpendium notionum philosophicarum sub dialogi forma, in usum incipientium, Auctore Fr. Antonio de Sancta Marianova, Ordinis Minorum regularis Observantiae. Vol. 1. Ad Claras Aquas, prope Florentiam, ex typographia collegii S. Bonaventurae, in 8° pag. 266. (L. 3).

1885. Francesco d'Assisi narrato da Ruggero Bonghi ed esaminato dal P. Bonaventura Cappuccino. 2. edizione. S. Agnello di Sorrento, tipografia all' insegna di S. Francesco d'Ascisi. 8° pag. 35.

1885. Mary foreshadowed, or considerations on the types and figures of our blessed Lady in the old Testament, by Rev. Fr. Thaddeus O. S. F. (Recoll. Prov. Belgii) R. Washbourne, 18 *Paternoster* Row, London.

1885. L'Emmaus Evangelico dimostrato e difeso distante 60 stadi da Gerusalemme. Nuovi studi del M. R. P. Remigio Buselli M. O., Lettore Teologo Giubilato, già Miss. Apostolico e Secretario di Terra Santa e per la medesima Commissario in Livorno (Toscana). Parte I. Milano, tipografia Eusebiana. Deposito in Firenze presso Cesare Bettazzi, Libreria Alfieri, piazza del Duomo. (L. 4.)

1885. The cord of S. Francis with Indulgences and Devotions, from authentic sources, by Fr. Jarlath Prendergast, O. S. F. (Recoll. Prov. S. Joseph Belgii). Third edition. Dublin, James Duffy and Sons.

De corda S. Francisci. Tertia editio.

1885. A short and practical May Devotion, compiled by P. Clementinus Deymann O. S. F., Prov. SS. Cordis Jesu. New York and Cincinnati, Fr. Pustet.

Continet meditationes et preces pro mense Mariano.

1883. Cenni biografici di Mons. Luigi Filippi, arcivescovo di Aquila degli Abruzzi, pel sacerdote prof. Giacinto Mascetti-Mosca, abate di San Silvestro, dedicati a Sua Eminenza Reverendissima il cardinale *Raffaele Monaco Lavalletta*, vicario di Sua Santità Leone XIII. — Roma, tipografia della Società cattolica istruttiva. - pag. 542. (L. 3,50.)

1884. Novena in onore del glorioso S. Giacomo di Monteprandone, detto della Marca, dell' ordine dei Minori, composta dal P. Michelesi di Spinetoli, ristampata per cura del *P. Giacomo Lardani* da Monteprandone, definitore generale dello stesso Ordine. Roma tipografia Monaldi e C. — pag. 17.

V.
NECROLOGIA

Rmus Dnus Eligius Cosi. Ex honestis et piis parentibus natus est in loco Pontassieve in regione Florentina die 13 Maji 1819. Peractis in patria sua primis studiis sub directione Fratrum Minorum, anno 1839 habitu Seraphici Ordinis indutus est in Obs. Provincia Tusciae. Studiorum philosophiae et theologiae curriculo emenso, die 24 Augusti 1843 ad sacrum presbyteratus ordinem promotus fuit. Anno proxime sequenti *concursum pro philosophia* fecit, et deinde *hanc scientiam per* quatuor annos docuit in sua Provincia. Cum se vocatum sentiret ad Apostolatum apud exteras gentes exercendum, rogavit et obtinuit, ut Superiores eum mitterent ad Ordinis nostri Missiones quae in Imperio Sinensi extant. Anno 1849 in Vicariatum Xan-tong advenit, et a Rmo Dno Aloysio Moccagatta, tunc ibi Vicario Apostolico, statim nominatus est Director Seminarii illius Vicariatus, quo munere ultra viginti annos magna laude et fructu functus est. Rmus Dnus Aloysius Moccagatta, a S. Sede obtenta eligendi sibi Coadiutorem facultate, Eligium Cosi elegit eumque anno 1865, die 5 Februarii, SS. Martyribus Japonensibus sacro, Episcopum titularem Prienensem consecravit. Mense Septembri anni 1870 Revmus Cosi nominatus est Vicarius Apostolicus de Xan-tong et suffectus in locum Rmi Dni Aloysii Moccagatta, qui promotus fuerat ad Vicariatum de Xan-si. Anno 1882 ob gravem oculorum suorum infirmitatem in Europam se conferre debuit, ubi Lutetiae Parisiorum duplicem operationem chirurgicam subiit, cum exiguo tamen effectu. Anno 1883 ad Vicariatum suum reversus, statim visitationem pastoralem orientalis partis Provinciae peregit, ubi famem, frigus, incommoda permulta passus est. Haec fatigatio probabiliter causa fuit apoplexiae morbi, quo correptus fuit paucis diebus elapsis post ipsius ad suam residentiam regressum. Cum aliquantum convaluisset, in nocte Nativitatis Domini missam pontificalem celebravit et diem festum laetanter cum Missionariis suis peregit, sicuti etiam diem 1 Januarii, quo valde hilarem, uti semper, se exhibuit, prae-

sertim in excipiendis de more felicitationibus Missionariorum, Seminaristarum, orphanorum, aliorumque fidelium; sed die 2 Januarii infirmitate praepeditus e lecto surgere non potuit, ac deinde Missam amplius celebrare nequivit. In die Ephiphaniae DOMINI in ipsius cella Missa celebrata est, sub qua SS. Eucharistiam per modum Viatici recepit. Vespere eiusdem diei, ut repetitis eius votis fieret satis, postquam professionem fidei emiserat et ab omnibus confratribus et christianis praesentibus et absentibus magna humilitate veniam petierat, administratum ipsi fuit S. Extremae Unctionis Sacramentum, quod mirabili fidei et devotionis affectu recepit. Die 12 Januarii, hora 3 matutina, piissime in DOMINO obdormivit.

Omnes Missionarii et christiani praefati Vicariatus per hanc mortem, quae ipsis dilectum Patrem et Pastorem eripuit, summo dolore sunt affecti.

Defunctus in vita sua vivum atque perenne sibi posuit monumentum per fundationem multarum christianitatum, per orphanotrophia ab ipso erecta, per ecclesias et capellas ab ipso aedificatas et per alphabetum ab ipso inventum difficilis sermonis Sinensis et per grammaticam eiusdem linguae ab ipso compositam atque editam, qua Missionariis praesentibus atque futuris multum utilitatis attulit. Super omnia amavit Ordinem suum Seraphicum, cuius Regulam et Statuta adamussim semper studuit observare. Singularem nutrivit devotionem erga SS. Eucharistiae Sacramentum et erga Beatissimam Virginem Mariam, quam dulci titulo *mater mea* semper appellare consuevit. DEUM humiliter rogamus, ut isti servo suo plenam laborum suorum mercedem concedere et similes ei permultos evangelicos operarios suscitare ac in messem nostrarum Missionum benigne vocare dignetur R. i. p.

A. R. P. FRANCISCUS XAV. LOHBAUER, natus in Pretzabruck, superioris Palatiae Bavaricae vico, pridie Calend. Febr. anni 1812, in Vigilia Conceptionis Immaculatae anni 1834 in Provincia FF. Minorum Ref. Bavarica religiosum habitum suscepit. Emenso SS. Theologiae cursu ac sacris Ordinibus initiatus primum animarum curae destinatus mox anno 1838 in Conventu Tolusano (Toelz) munus Philosophiae Lectoris obivit, quo post biennium absoluto per aliud biennium Monachii SS. Theologiam tradidit, simul fungens officio Concionatoris festivalis. Anno 1842 accepit munus Vicarii parochiae, quam Ludovico I, Bavariae regi, cum restauraret oppressos antea religiosos Ordines, cum Conventu Monacensi coniungere placuit. Quo munere per octo annos strenuo fungens, dum interim anno 1846 Definitorum Provinciae numero adscriberetur, anno 1850 Hospitii in Amberg Superior instituitur. A sequenti Capitulo Provinciali anno 1852 celebrato electus est in Ministrum Provincialem; postea anno 1855, 1867, 1870 et 1882 reelectus. Cum ultimo importunis eligentium votis obtemperaret iam coepere oculi caligare. At corpus robustum, ingenium versatile, memoria fida, experientia longa, manus scriptoris oculorum defectum pensare videbantur, dum eodem tempore medici spem facerent, fore, ut oculorum vigor arte restitueretur. Tali animatus spe celebravit in Vigilia Festi Immaculatae Conceptionis anni praeterlapsi professionis suae religiosae Jubilaeum, salutatus, honoratus tum a suis subditis, tum ab Ordinis fautoribus. Vix finita celebritate forti ac resignato animo tentari permisit, utrum lucis aspectui posset restitui. At quamvis medicus artem suam virtuoso exerceret modo, nihilominus providentia divina sic disposuit, ut hac occasione non temporalem, sed « lucem aeternam », uti pie speramus, inveniret. Obiit ex repentino omnium defectu virium die 17. Januarii huius anni. « Memoriam eius non obliviscetur » Provincia Bavarica, cuius disciplinae consuluit per statuta ab ipso congesta atque edita et pro cuius bono et incremento toto religiosae vitae cursu indefesse adlaboravit. R. J. P.

ADM. R. P. STANISLAUS AB URBE, in saeculo vocatus Carolus Leonetti, natus Romae die 4 Nov. 1831, Ordinem Seraphicum ingressus in Reformata Provincia Romana die 12 Ianuarii 1850, emenso studiorum curriculo ad Chilenas Missiones missus est anno 1856. Collegio S. Ildephonsi de Chillan, addictus, mox Araucanis infidelibus convertendis destinatus, apostolico zelo, patientia, charitateque ita refulsit, ut Missionum Praefectus eligi meruerit. Qua talis vero et novas Missiones fundavit, et Araucanorum animos ita sibi devin-

xerat, ut pluries ad pacem cum Chilena Republica firmandam solus ipse adducere potuerit. Ad Collegium S. Ildephonsi reversus, anno 1879 Guardianus electus, et triennio completo, Novitiorum Clericorumque Magister nominatus demandata officia summa cum laude exercuit. Demum Commissarius Generalis Chilenus a Rmo P. Ministro Generali constitutus simulque Chilenae Provinciae Visitator, dum multa adhuc de eo sperabantur, DEUS illum ad se vocavit die 15 Decembris 1884; obiitque pie, sicut vixerat, in Conventu Valparaisiensi Ssmi Crucifixi del Baron, et mors illius fuit in conspectu DOMINI pretiosa. R. I. P.

R. P. LUDOVICUS DE CASAURIA. Ex hac luce Ordinis nostri Seraphici fulgidissima stella nuper migravit, in perpetuas aeternitates coram DEO et angelis eius coruscatura. Paucos ex radiis, quos iuxta suum iter huc illuc diffudit colligamus, ut ex iis desideratissimi viri, revera seraphici, pallidam saltem confingamus imaginem — P. Ludovicus de Casauria, Franciscalis Provinciae Strictioris Observantiae Neapolis ac Terrae Laboris Sacerdos professus, singulari omnigena virtute domi forisque nostris temporibus splenduit. Mathesi ac Philosophia optime excultus, plurimos discipulos imbuit iisdem scientiis, quibus et sibi et aliis planius iter fecit ad Deum. Quem intimo sensu charitatem essentialem esse noscens, ardentissimo amore in Eum exarsit, et ignem quo intus flagrabat foris effudit. Et mira prorsus ac incredibilia sunt quae in proximorum salutem tum spiritualem tum temporalem est aggressus. Quis ea omnia plane dicere valeat, nescio. Pauca tantum hic attingemus.

Ut infirmis Sacerdotibus provideret, corrogata pecunia aedes comparavit sub titulo Virginis Immaculatae Palmae. Cum autem saluti animarum studeret, et Maurorum utriusque sexus caecitatem et servitutem defleret, bis in Africam profectus est, et collegia instituit, in quibus iidem ad humanitatem informarentur, et christianae fidei praeceptis imbuerentur, eo consilio, ut in suas regiones redeuntes inter suos evangelicam veritatem propagarent. Pueros parentibus orbatos variis in Italiae locis, orphanotrophiis erectis, collegit, ut pie educarentur, et litteras artesque edocerentur.

Surdos mutos, invalidos navitas, oculis captos, oppressos, et miseros pari semper paterna fovit charitate. Ipsos quoque struma laborantes in aula valetudinario septuaginta lectos continente, quae et munditie et opportunis mediis praestat, eadem charitate complexus est. Summis Pontificibus PIO IX et LEONI XIII feliciter regnanti, S. R. E. Cardinalibus, Episcopis universae Italiae et exterarum nationum, nec non regibus et principibus acceptissimus fuit; et de omnibus fere civium ordinibus charitatis operibus ita promeruit, ut eius nomen cum veneratione proferretur. Tertium Ordinem promovit, et festis saecularibus Divi Francisci recurrentibus monumentum marmoreum erexit, referens Seraphicum Patrem extensis *brachiis Christophorum* Columbum, Aligherium et Giotto, sui Tertii Ordinis sodales, amplectentem. Insuper quinque millia pauperum cibo refecit. Sorores a Sancta Elisabeth dictas fundavit. Fratres etiam, *Bigii* vulgo appellati, ab ipso instituti sunt tamquam operum suorum cooperatores et haeredes. Tandem doloribus, qui acerbissimi dicuntur, quinque annorum spatio invicta animi fortitudine toleratis, hilari semper vultu, et oculis in Crucifixum defixis, in osculo DOMINI obiit tertio kalendas Aprilis, nempe feria secunda maioris hebdomadae, anno millesimo octingentesimo octogesimo quinto, aetatis suae septuagesimo primo. Eius obitus quum primum innotuisset, viri principes et matronae, et omnes fere ordines undique adventantes, ante feretrum lacrymis suffusi tamquam Sanctum ipsum venerati sunt, et devotionis causa habitum in parvas partes recidentes, fere seminudum reliquerunt. Exequiis vero puerorum collegia ab ipso iustituta, et alia quoque, quae sponte sua se obtulerunt, magistratus, fratres Capuccini, Observantes, Reformati, fratres quoque Tertii Ordinis saecularis et regularis, Praelatus repraesentans Cardinalem Archiepiscopum, cum magna populi frequentia, et ipsi viri nobiles interfuerunt, qui certatim suis humeris feretrum sustulerunt. Eius parentalia solemnia (praeter illa quae aliis in Ecclesiis absolvebantur) in aede Divi Petri ad Aram, principe Provinciae Conventu, celebrata fuere, et laudes defuncti a Reverendo Henrico Attanasio dicebantur. R. I. P.

R. P. BERNARDINUS ABACA, Definitor actualis Obs. Provinciae SS. Trinitatis in Republica

Chilena pie in DOMINO obiit die 13 Januarii, anno aetatis suae 33, omnibus moribundorum ss. Sacramentis rite munitus. Erat Religiosus integrae vitae, qui multa dedit virtutum exempla. R. i. p.

VI.
VARIA

—

ANIMADVERSIONES

De Kalendario pro anno 1886 disponendo.

Ut desiderio plurium Confratrum satisfaciamus, aliquas animadversiones generales de Kalendario pro sequenti anno disponendo indicamus.

—

Anno 1886

Litt. Dominic. *C.;* Litt. Martyrol. *F* maiusc. rub.; Epact. *XXV;* Aureus numer. *6;* Cyclus solar. *XIX;* Indictio Romana *XIV.*

—

Quatuor anni Tempora

17. 19. 20. Mart. — 16. 18. 19. Jun. — 15. 17. 18. Sept. — 15. 17. 18. Dec.

—

Officia Defunctorum

4. Mart., 13. Jul., 16. Sept., 2. Nov., 13. Nov., 2. Dec.

—

Festa mobilia

Febr. 21. Dom. Septuagesimae.
» 23. F. 3. Orationis Dni.
» 28. Dom. Sexagesimae.
Mart. 2. F. 3. Passionis Dni
» 7. Dom. Quinquagesimae.
» 10. F. 4. Cinerum.
» 12. F. 6. Spineae coronae Dni.
» 14. Dom. I. Quadragesimae.
» 21. Dom. II. Quadrag.
» 26. F. 6. Ss. Sindonis Dni.
» 28. Dom. III. Quadrag.
April. 2. F. 6. Ss. V Vulnerum Dni.
» 4. Dom. IV. Quadrag.
(» 7. fit de B. Antonia de Florentia, *semid.*, nisi alicubi aliud festum eo die sit reponendum).
» 9. F. 6. Ss. Sanguinis Dni.
» 11. Dom. Passionis.
» 17. Sab. Fest. VII. Dolor. B. M. V.
» 18. Dom. Palmarum.
» 19. Fer. 2. maj. hebd.
» 20. F. 3. » »
» 21. F. 4. » »
» 22. F. 5. in Coena Dni.
» 29. F. 6. in Parasceve.
» 24. Sab. sancto.
» 25. DOM. RESURRECT. DNI.
» 26. F. 2. Pasch.
» 27. F. 3. Pasch. (Processio et Lytan. omn. SS. O. N.)
» 28. Fr. 4. inf. oct. Pasch.
» 29. F. 5. » » »
» 30. F. 6. » » »
Maj. 1. Sab. » » »
» 2. Dom. in albis.
» 9. Dom. 2. p. Pasch. Ss. Sepulchri Dni.
» 16. Dom. 3. p. Pasch. Patrocin. S. Joseph.
» 30. Dom. 5. p. Pasch. S. Ferdinandi C. (Dedic. Basil. Assis. transfertur iuxta Decr. Rmi P. Min. Gen. d. d. 26. Jul. 1880.)
Diebus 31. Maj., 1 et 2 Jun. dies Rogat., Processio et Lytan. Omn. SS. O.N.
Jun. 2, 9. l. et com. vig. Ascens.
» 3. F. 5. Ascensio Dni.
» 10. F. 5. Oct. Ascens. Dni.
» 11. F. 6. com. fer.
» 12. Sab. Vigil. Pent.
» 13. DOM. PENTECOSTES.
» 14. F. 2. Pent.
» 15. F. 3. »
» 16. F. 4. inf. oct. Pent.
» 17. F. 5. » » »
» 18. F. 6. » » »
» 19. Sab. » » »
» 20. Dom. SS. Trinitat.
» 24. F. 5. SS. Corporis Dni.
» 25. F, 6. S. Joannis Bapt., com. oct. Corp. Chr.
» 26. Sab. De oct. Corp. Chr., com. oct. S. Joan. Bapt.
» 27. Dom. inf. oct. Corp. Chr., com. oct. Corp. Chr. et S. Joan. Bapt.
» 28. F. 2. (Vig.) De oct. Corp. Chr,,

9. l. vig., com. oct. S. Joan., S. Leon. et vig.
Jun. 29. Fer. 3. SS, App. Petri et Pauli, com. oct. Corp. Chr. tant.
» 30, F. 4. De oct. Corp. Chr., com. S. Joan. et SS. App.
Jul. 1. F. 5. Oct. Corp. Chr. com. diei oct. S. Joan. et oct. SS. App. V. seq. com. diei oct. S. Joan. tant. *(Rom.* eti. SS. App.)
» 2. F. 6. Ss. Cordis Jesu.
Aug. 22. Dom. 10. p. Pent. S. Joachim, com. diei oct. Assumpt. B. M. V.
» 29. Dom. 11. p. Pent. Puriss. Cord. B. M. V.
Sept. 12. Dom. 13. p. Pent. Ss. Nomínis B. M. V.
» 19. Dom. 14. p. Pent. Septem Dolor. B. M. V.
Oct. 2. 9. l. et com. vig. S. P. N. Fr.
» 3. Dom. 16. p. Pent. Ss. Rosarii B. M. V.
» 10. Dom. 17. p. Pent. Maternitat. B. M. V.
» 17. Dom. 18. p. Pent. Puritat. B. M. V.
» 30. 9. l. et com. vig. omn. SS.
Nov. 14. Dom. 22. p. Pent. (3. Nov.; 2 cum sua hebd. omitt.) Patrocin. B. M. V.
» 20. Sab. 9. l. et com. Dom. 23. p. Pent.
» 21. Dom. ult. p. Pent.
» 28. Dom. I. Advevtus.
Dec. 1. S. Jacobi a Marchia C.
» 5. Dom. II. Advent.
» 12. Dom. III. »
» 19. Dom. IV. »
» 30. F. 5. De Dom. inf. oct. Nat. Dni.

—

Festa dup. 2. class. transferenda.

~~9. Mart. S. Catharinae de Bononia — ad 11. Mart.~~
25. April. S. Marci Evang. — ad 4. Mai.
1. Maj. Ss. App. Philippi et Jacobi, — ad 5. Maj.
13. Jun. S. Antonii de Padua — ad 21. Jun. (hoc anno sine oct.)
2. Jul. Visitatio B. M. V. — ad 3. **Jul.**
4. Jul. Pretiosiss. Sanguin. Dni — **ad 5 Jul.**

—

Festa dup. maj. et Ecclesiae Doctorum transferenda, in quantum dies ad hoc liberi habeantur.

Ex 23. Febr. Cathedr. S. Petri Antioch. d. maj.
» 7. Mart. S. Thomae Aqu. D. d.
» 12. » S. Gregorii I. D. d.
» 19. » Lanceae et clavor. Dni d. maj. (ultra Quadrages. transferri nequit.)
» 21. » S. Benedicti Abb. d. maj.
» 4. April. S. Isidori *D. d.*
» 11. » S. *Leonis I. D. d.*
» 21. » S. Anselmi D. d.
» 24. » S. Fidelis a Sigmaringa d. maj.
» 26. » B. M. V. de bono consilio d. maj.
» 28. » B. Lucii C. d. maj.
» 2. Maj. S. Athanasii D. d.
» 8. Jun. Dedic. Basil. Assis. d. maj.
» 12. » B. Guidi C. d. maj.
» 16. » B. M. V. de succursu d. maj.
» 27. » B. Benvenuti C. d. maj.
» 30. » Commem. S. Pauli d. maj. (cum praecedentia.)
» 29. Aug. Decollat. S. Joann. Bapt. d. maj.
» 12. Sept. Bb. Apollinaris etc. Mm. d. maj.
» 12. Dec. Invent. corp. S. P. N. Fr. d. maj.

—

Ubique nihil fit de sequentibus festis

22. April. Ss. Soteris et Caji.
23. » B. Aegidii C.
27. » B. Jacobi, et B. Joannae Mariae.
3. Jun. B. Andreae de Hysp. C.
14. » S. Basilii D.
15. » S. Joann. a S. Fac. C.
25. » S. Gulielmi Abb.

Nihil obstat.

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

SUMMARIUM

Indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Seraphicus, approbatum a Sacra Congregatione.

(Continuatio)

30. Qui recitant et assistunt officio divino et Missae in solemnitate Corporis Christi et per totam octavam, lucrantur sequentes indulgentias, id est, pro Missa 400 dies et 400 pro Matutino et alios 400 pro Vesperis, et pro singulis horis 160 dies. Diebus infra octavam tam pro Matutino quam pro Missa et Vesperis 200 dies, pro aliis horis 80 dies indulgentiae. Ad hunc finem anticipatur Matutinum.

31. A Sisto IV. conceduntur eaedem indulgentiae recitanti aut assistenti ut supra in festo et per octavam Immaculatae Conceptionis. Idem concedit Clemens VIII. in festo Sanctissimi nominis Jesu.

32. Et Bonifacius IX. in festo Visitationis B. M. V.

33. Et Calixtus III. in festo Transfigurationis D. N. J. Ch.

34. Fratres et Moniales Ordinis Minorum recitando coronam B. M. V. vulgo dictam Ordinis, quae constat 70 *Ave Maria* et septem *Pater noster* et insuper uno *Pater noster* et uno *Ave Maria* pro Summo Pontifice, lucrantur indulgentiam plenariam concessam a Leone X. et Paulo V. (1)

(1) Hanc coronam Seraphicam ditatam esse indulgentia plenaria, S. C. Indulg. declaravit die 29 Aug. 1864. (Decreta auth. n. 412.)

35. Religiosi Minores, Clarissae, et Tertiarii possunt per modum suffragii applicare animabus purgatorii omnes indulgentias et bona opera ab ipsis facienda, ex concessione Gregorii XV., Brevi 10 Novembris 1622.

36. Religiosi et Moniales Ordinis Minorum, qui devote visitabunt stationes Viae Crucis, sive in ecclesia, sive in quocumque loco monasterii, lucrantur easdem indulgentias, quas lucrantur illi, qui eas visitant in locis sanctis Hierosolymorum, quaeque sunt fere innumerabiles, cum liberatione unius animae e purgatorio.

Indulgentiae concessae Religiosis et Monialibus in assumptione habitus Religiosi, in die, qua professionem emittunt, et in aliis circumstantiis.

37. Religiosi cuiuscumque Ordinis vel Instituti, sicut et Moniales, quae vivunt in perpetua clausura cum tribus votis solemnibus, tam illae, quae sunt sub directione Regularium, quam quae sunt sub Ordinariorum regimine, si fuerint contriti, confessi, et sacra Communione refecti, tam in die vestitionis quam professionis lucrantur indulgentiam plenariam concessam a Paulo V.

38. Fratres et Moniales, qui in festo principali sui Ordinis confitebuntur et communicabunt aut Missam audient orando pro concordia inter principes christianos, pro exstirpatione haeresum, Romani Pontificis incolumitate et exaltatione S. Matris Ecclesiae, lucrantur indulgentiam plenariam. *Communis.*

39. Illi, qui in articulo mortis vere contritus, confessus et sacra Communione refectus, aut si hoc facere non possit, saltem

contritus devote invocabit ore Sanctissimum nomen Jesu, vel si non possit, corde, conceditur indulgentia plenaria.

40. Illi, qui legitime ordinatus celebrabit primam Missam, et iis, qui confessi, et sacra Communione refecti intererunt dictae Missae, conceditur indulgentia plenaria.

41. Omnibus Religiosis et Monialibus, qui cum licentia suorum Superiorum separantes se per decem dies a negotiis externis, secedent in cellam suam, aut, praeterquam in actibus communibus, separabunt se ab aliorum consortio, exercentes se in lectione librorum spiritualium, aut prolatione aliquorum verborum, quae ad devotionem inducunt et ad spiritualem compunctionem, et ultra meditationem communem saepe incumbent considerationi et meditationi mysteriorum Religionis Catholicae, beneficiorum Dei, quatuor Novissimorum, Passionis D. N. J. Ch. et aliis orationibus vocalibus et iaculatoriis; facientes eodem tempore generalem aut annuam aut ordinariam confessionem, et insuper Sacram Communionem sumentes aut Missam celebrantes, conceditur indulgentia plenaria et remissio omnium peccatorum. Notandum tamen orationem mentalem, ea quae fit in communi inclusa, debere esse, nocturno et diurno tempore simul sumpto, duarum horum. Ita Paulus V. in sua Constitutione, quae incipit *Romanus Pontifex* 23 Maji 1606.

42. Religiosis et Monialibus Ordinis Minorum, qui quotidie per mediae horae spatium per mensem integrum facient orationem mentalem, confitendo et communicando ultima Dominica dicti mensis, conceditur indulgentia 60 annorum et 60 quadragenarum.

43. Omnibus illis, qui corde contrito et dolentes accusabunt se de suis culpis, peccatis et imperfectionibus in capitulis culparum, aut spiritualiter communicabunt, indulgentia trium annorum et trium quadragenarum.

44. Fratres Minores et Moniales, quando sunt infirmi, possunt dicere septem *Ave Maria* et unum *Pater noster* loco officii divini, aut quid aliud sibi assignatum a confessario suo, et si infirmitas sit gravis, et medicus ita iudicaverit, ne ad hoc quidem erunt obligati, sed sufficiet sola intentio, qua velint illud recitare. *Ferraris.*

45. Leo X. concessit omnibus Religiosis, sicut etiam saecularibus indulgentiam partialem quotiescumque dicent quindecim *Pater noster* et quindecim *Ave Maria* pro iis, qui sunt in peccato mortali, cum sit opus caritatis.

46. Idem Leo X. concessit Monialibus S. Clarae omnes gratias et indulgentias, quibus gaudent Fratres Minores, et vicissim Fratribus illas, quae a Romanis Pontificibus concessae sunt Monialibus.

47. Idem Pontifex concessit Fratribus Minoribus, ut in solemnitatibus Domini, B. M. V., SS. Petri et Pauli, S. Patris Nostri Francisci et omnium Sanctorum, sicut etiam per totam hebdomadam sanctam cum *licentia Superiorum* suorum possint accipere absolutionem generalem.

48. Insuper idem Pontifex concessit Religiosis Minoribus, ut ultra indulgentias, quas habent a Sede Apostolica, possint accipere absolutionem generalem cum indulgentia plenaria in festo S. Clarae Virginis; advertendum tamen in absolutione excipi casus Superioribus reservatos.

(Continuabitur)

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica

—

CAPUT III.

DE VITA COMMUNI AD MENTEM ORDINIS NOSTRI.

(Continuatio)

Paupertatis votum ab omnibus Religiosis observari debet secundum respectivi Ordinis vel Instituti Regulas et Constitutiones. Paupertas enim religiosa varios admittit gradus, prout iam vidimus. In quibusdam enim Congregationibus Religiosi se obligant dumtaxat ad non utendum rebus temporalibus absque Superiorum licentia; dominium autem *radicale*, uti vocant, bonorum suorum retinent. Qui vero vota solemnia emittunt, etiam dominium radicale abdicant. Insuper quoad usum rerum diversi Ordines multum differunt ab invicem.

In uno enim Ordine largior usus rerum conceditur, in altero arctior usus per Regulam praescribitur.

S. P. N. Franciscus sanctam paupertatem summopere dilexit; hac singulariter gloriari, hac filios suos a ceteris Religiosis discernere, a mundo secernere, a vitiis elongare et CHRISTO totaliter inserere conatus est. Hanc nobis tamquam pretiosam Evangelii margaritam olim absconditam, tam vivens, quam moriens, monitis suis atque exemplis praecipue commendavit. Voluit, ut ipsius filii neque in particulari neque in communi proprietatem ullam haberent; ut rebus temporalibus dependenter tantum a Superiorum licentia uterentur; quarumdam rerum arctum usum, reliquarum autem omnium moderatum dumtaxat usum concessit. Quamobrem cum multis auctoribus dici potest, sanctam paupertatem esse quasi tesseram vel symbolum Seraphicae Religionis.

Finis generalis omnium Religiosorum est, ut DEO perfectius serviant, semetipsos sanctificent et proximo aedificationi sint et exemplo. Hunc finem generalem quidam Ordines per instructionem iuventutis, alii per charitatis opera, alii per austeram poenitentiam obtinere nituntur. Ordo vero noster Seraphicus finem illum generalem per altissimae paupertatis exercitium praecipue obtinere vult et debet. Sublata ergo paupertate in aliquo nostri Ordinis Conventu, iam ratio existendi pro ipso cessavit, quia peculiarem Ordinis finem talis Conventus iam non amplius obtinet.

Si ergo in ullo Ordine religioso vita communis, quae sanctae paupertatis est fundamentum atque fulcimentum, sit obligatoria: tunc absque dubio hoc dici debet de Ordine Fratrum Minorum, qui alumnos suos ad peculiare paupertatis exercitium adstringit, et paupertate omnes alios Ordines vult praecedere. Hoc per se patet, et nulla indiget probatione. Nihilominus quaedam ulterius argumenta afferemus, ut haec fundamentalis obligatio, a cuius observantia dependet Ordinis nostri decus, honor et felicitas, magis magisque agnoscatur, et futilibus commentis omnibus via obstruatur.

S. Franciscus, qui in Ordine suo vitam Apostolorum repristinare voluit, teste S. Bonaventura, (1) Romam se contulit, ibique in Basilica S. Petri sanctos Apostolos enixe rogavit, ut suis meritis sibi gratiam a DOMINO impetrarent, quatenus sanctam paupertatis virtutem perfecte acquirere posset. In pia hac sua petitione perseveranti Francisco apparuerunt sancti Apostoli Petrus et Paulus, pia benignitate eum amplexantes et dicentes: « Exauditae sunt in conspectu DEI orationes tuae « et uberes lacrymae quas effundis pro acquirenda sancta paupertate, quam CHRISTUS « magister noster eiusque sanctissima Genitrix amplexati sunt, et nos ipsius Apostoli « sumus sectati. Misit nos ad te Dominus « JESUS CHRISTUS, ut annuntiemus tibi, quod « feliciter exorasti, et concessus tibi tuisque « est thesaurus sanctissimae paupertatis, quam « qui vere possederint, et perfecte professi « fuerint, ipsorum est regnum coelorum ».

Ab hoc tempore S. Franciscus incredibili amoris aestu ferebatur in sanctam paupertatem, quam Ordinis sui fundamentum et tesseram elegerat, et cuius adipiscendae et promovendae desiderium ad ardua quaeque sectanda eum impulit. Statim ab initio sui Ordinis perfectissimam vitam communem introduxit et cum Fratribus suis observavit ac ubique terrarum observari fecit.

S. Regula, quam CHRISTO inspirante atque dictante S. Franciscus Ordini suo praescripsit, vitam communem omnino supponit; nam impossibile est, ut ista Regula in sua puritate observetur, si vita communis desit. Quidquid sit de aliis Ordinibus: in nostro Ordine pura et regularis observantia cum usu peculii stare non potest.

Ministris in secundo capite Regulae mandatur, ut venientibus ad Ordinem dicant verbum sancti Evangelii, quod vadant et vendant omnia sua, et ea studeant pauperibus erogare. Hoc mandatum supponit, ut Fratribus, qui omnia sua reliquerunt, necessaria a Communitate suppeditentur. Superfluum atque ridiculum esset hoc mandatum, si post talem omnimodam rerum terrenarum abdicationem Religiosi denuo eiusmodi res pro proprio usu colligere possent.

Quarto Regulae capite S. Franciscus Fratribus suis omnem denariorum et pecuniae

(1) Vita S. Francisci, cap. VII.

usum interdixit: qua in re exemplum Christi secutus est, qui Apostolis suis, ad praedicandum missis, dixit: « Nolite possidere aurum, « neque argentum, neque pecuniam in zonis « vestris ». (1) Innocentius XI in sua Constitutione *Sollicitudo pastoralis officii* de hoc praecepto loquens, ait: « Aliarum rerum ne« cessariarum possunt Fratres Minores habere « usum, licet non dominium: denariorum au« tem nec dominium nec usum. Et proinde « quaevis contrectatio pecuniae, seu denario« rum, quae non sit pure naturalis, seu quae « sit quovis modo politica (cuiuscumque Domini « sint denarii, seu pecunia), Fratribus Mino« ribus est omnino prohibita ». Propterea in Constitutionibus Generalibus Ordinis n. 276 ordinatum est: « Quisquis denarios, vel pe« cuniam receperit, vel ad recipiendum, et in « proprios usus convertendum auctoritate « propria alium substituerit: qui supra se, « aut in pera, vel supra iumentum, vel in « cella, vel alibi, vel in manibus saecularium « depositas habuerit, poenas subeat contra « proprietarios decretas, et in foro conscien« tiae praeter mortis articulum, absolvi non « possit, nisi a Provinciali Ministro. Quod si « huiusmodi flagitii reus in foro fori decla« ratus fuerit, sit in carcere per mensem, et « omni suffragiorum iure perpetuo careat, vel « gravius etiam puniatur pro qualitate delicti: « et contra recidivos singulis vicibus dupli« cetur poena, Superiorum arbitratu ».

Observantia harum legum, ad quam obligati sumus, absque dubio cum peculiorum usu nullo modo conciliari potest.

In quarto capitulo Regulae pariter ordinatur, ut pro necessitatibus Fratrum *Ministri tantum, et Custodes* sollicitam curam gerant. Ergo singuli Fratres sibi providere nec debent, nec possunt.

In quinto suae Regulae capite S. Franciscus docet, quod ipsius filii mercedem laboris *pro se et suis Fratribus* recipere possint. Ergo non pro semetipsis solis, sed pro *tota Communitate* corporis necessaria recipere possunt. Magna utique inordinatio sequeretur, si cui liceret, *pro se* tantum laborare, et mercedem receptam sibi soli applicare. Quod enim uni liceret, etiam aliis concedi deberet; et sic paupertas tolleretur, proprietas introduceretur, et Regula quasi in suo corde transfigeretur.

(1) Matth. 10, 9.

Denique in sexto Regulae capitulo prohibetur, ne quis ullam rem sibi approprie; altissima paupertas portio omnium Fratrum designatur, illisque commendatur, ut nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub coelo habere velint.

Haec omnia satis demonstrant, quod in Ordine nostro vita communis perfecta observari debeat. Hanc observantiam etiam Generalia Ordinis Capitula semper inculcarunt, Statuta Ordinis praescripserunt, et Ministri Generales in litteris suis encyclicis hanc observantiam urgere non cessarunt. Brevitatis causa paucos tantum textus, qui ad rem faciunt, referemus.

Capitulum Generale LXXVIII, anno 1694 Victoriae celebratum, in quo electus est Minister Generalis Rmus P. Bonaventura Poerius, sequentia *pro utraque familia* statuit: (1) « Reintimantur Statuta poenalia, quibus man« datur Praelatis localibus, ut omnibus et sin« gulis Religiosis, tam sanis quam infirmis, « omnia necessaria pro victu, vestitu et cellae « supellectile ad paupertatem accommodata, « et quidem ea ad religiosam sufficientiam et « decentiam administrent ».

« Quatenus vero pro talibus inevitabilibus « necessitatibus victus, vestitus, curationis et « habitationis et pro cuiuslibet Religiosi of« ficio, sive ordinario sive extraordinario de « Praelatorum mandato adimplendo, Conventus « eleemosynae non sufficiant, Superior ipse, vel « per seipsum, vel per alium a se specialiter de« putatum, taxata prius per se quantitate elee« mosynae procurandae, quae necessitatis men« suram non excedat, ad amicos spirituales re« currat, pro vera tantum, praesente vel im« minente necessitate, non autem pro futura, « possibili, excogitata, incerta, saltem quoad « tempus fictitia, aut mere arbitraria, et multo « minus pro superfluitate; servata in reliquis « pro tali recursu et pro circumstantiis ex« pendendi eleemosynas, pro talibus necessi« tatibus ab amicis spiritualibus collectas forma « praescripta in Pontificiis declarationibus ».

« Ad tollendam autem Fratribus omnem « excusationem recurrendi ad amicos spiri-

(1) Cfr. Acta dicti Capituli, n. 19. 20. 21. 23. 24. 25. 26. 27.

« tuales, vel absque Guardiani licentia, vel non « servata forma Constitutionum Apostolicarum « necnon congregandi et conservandi in manu « Syndici Apostolici, seu alterius substituti, « aut interpositae personae eleemosynas pe- « cuniarias, renovantur omnia Statuta et De- « creta in Ordinis Constitutionibus et Supe- « riorum Generalium patentibus litteris, quibus « inculcatur Guardianis, ut singulis Fratribus « suis de praedictis necessariis omnino provi- « deant; et quod habeant in Conventibus ad « continuum Fratrum usum communitates toties « ordinatas; adeo ut omnibus et singulis Reli- « giosis, conformiter ad nostrum statum et « sanctam paupertatem provideatur ad suffi- « cientiam de habitibus, caputiis, tunicis, man- « tellis, caparonibus, cingulis, calepodiis, ubi « sunt in usu, cum suis corrigiis, femoralibus « aliisque minoribus pannis ».

« Ne tamen Conventus aliqua ad se iuste « pertinente eleemosyna defraudetur, et per « hoc inhabilis ad praedicta implenda, vel « reddatur vel praetendatur, iterum proclama- « mus, omnes et singulas eleemosynas, quae « a particularibus personis et benefactoribus, « sponte et gratis, aut alias quomodolibet Fra- « tri alicui, vel pro eo Conventus Syndico, « aut substituto dantur, intuitu laborum par- « ticularium Fratrum, videlicet praedicationis « quadragesimalis, adventualis, annualis, aut « occasionalis, seu lecturae publicae aut pri- « vatae, tam in Universitate et Collegio, tam « alio quovis loco intra vel extra Ordinem « exercitae, moderationis organi, capellaniae, « theologatus, confessionis aut alterius cuiusvis, « quocumque nomine nuncupatae occupationis, « exercitii, officii, incumbentiae et actionis, cui « merces aliqua, vel denarium certum, aut in- « certum cuiuslibet etiam modicae et exiguae « quantitatis correspondeat, ad Conventum « pertinere, et eleemosynarum illarum pro- « prietatem, dummodo licitis titulis et modis « proveniant, ad S. Sedem spectare, ac proinde « nullam super his Fratri particulari, neque « etiam quoad usum, inesse iurisdictionem, sed « in manus Syndici esse deponendas, et ab eo- « dem independenter a particularis Fratris be- « neplacito et respectu, tamquam Conventus « eleemosynas esse recipiendas, et cum ceteris « huiusmodi describendas, et incorporandas ac « permiscendas et confundendas, prout ex na- « tura rei eo ipso quod a benefactoribus ero- « gantur, sunt et remanent confusae et per- « mixtae et incorporatae, atque in necessarias « usus, tam Communitatis Conventus, quam « singularum eiusdem personarum, sive quo- « rum intuitu et labore datae sunt, aut acqui- « sitae, sive aliorum de Praelatorum prae- « scripto per Syndicos expendendae ».

« Fratres autem particulares, qui eleemo- « synam vel suo labore acquisitam, vel pro « se datam tamquam suam in Syndici Apo- « stolici, vel alterius cuiusque manu servare « ausi fuerint, vel pro se expendi, et non « tamquam Conventus et de Guardiani man- « dato fecerint, aut scandalose praetenderint, « proprietarii sunt, et communium eleemosy- « narum dilapidatores, ac proinde proprieta- « riorum poenis plectendi, et ex Constitutio- « num praescripto, si in tali statu (quod Deus « avertat) decesserint, incapaces ecclesiasticae « sepulturae. Ultra poenas autem proprieta- « riorum, pro contumaciae modo, actibus le- « gitimis, voceque activa et passiva per se- « xennium priventur; et si fuerint Ordinis vel « Provinciarum Patres, per idem tempus et « substitutione et subrogatione in Definitorio, « tam Provinciali quam Generali careant, ne- « que in Discretorium Provinciae aut in Ca- « pitulum locale, ex quavis causa habendum, « sub nullitate actus admittantur ».

« Guardianus vero, qui id permiserit, et « Syndicus Apostolicus, qui ad Fratris parti- « cularis libitum eleemosynam servaverit, vel « expenderit, contra formam a Declarationibus « Pontificibus taxatam, si de his legitime con- « victi fuerint, per Provincialem cum Defini- « torio, aut etiam per Generales Praelatos, « advocata ad se causa, suis officiis priventur, « et ad ea in quolibet loco exercenda perpetuo « inhabiles declarentur, et tamquam sacrilegi « latrocinii cooperatores pronuntientur ».

« Provinciales etiam, qui de alicuius in « praemissis transgressione admoniti, taxatas « poenas, tam contra reos proprietatis, quam « contra Guardianos et Syndicos cum reis « colludentes, exigere culpabiliter neglexerint, « a Praelato Generali, causa prius per Com- « missarium specialiter delegatum, vel per « Provinciae Visitatorem instructa, cognita et

« discussa, suis officiis irremisibiliter privandi « sunt, et ad ea, ac similia imposterum obti- « nenda inhabiles declarandi ».

« Quod ut Ordo facilius et securius con- « sequatur, Commissarius Visitator de hoc « praecise articulo in uniuscuiusque Conven- « tus visitatione exquirat, et in Provincialis « syndicatione rationem exigat ».

Istae ordinationes ita clarae sunt, ut nullo commentario indigeant. In ipsis vita communis perfecta praescribitur, et quivis peculii usus interdicitur.

Nemo dicat, istas ordinationes iam esse antiquatas, easque nostris temporibus non amplius obligare. Nam omnes istae ordinationes, iisdem fere verbis, leguntur in Constitutionibus Generalibus cismontanae familiae (1), quas colligendas curavit et observandas praescripsit die 17 Septembris 1827 Rmus P. Minister Generalis Joannes a Capistrano; quaeque adhuc in Ordiue vigorem habent, prout Rmus P. Minister Generalis actualis mense Decembri 1882 declaravit, occasione reimpressionis dictarum Constitutionum. (2) Eadem, licet subinde aliis verbis, praescribuntur in Statutis Generalibus, quibus aliae Ordinis familiae, sive Reformatorum, sive Discalceatorum, sive Recollectorum dirigantur. (3)

Haec, quae a Statutis Ordinis ad mentem Summorum Pontificum, Ss. Conciliorum et S. Regulae nostrae de vita communi perfecta observanda sapienter sunt praescripta, Ministri Generales in epistolis suis encyclicis semper de novo inculcarunt.

Rmus P. Aloysius a Laureto, in litteris suis diei 30 Septembris 1844 vitam communem summopere commendat, et addit: « Vita non communis non est vita regularis, et origo omnium abusuum ».

Rmus P. Venantius a Coelano in sua epistola encyclica diei 26 Julii 1853 de facienda revisione Constitutionum Generalium Ordinis dicit: « Collectionis huius corporis iuris sera- « phici finis praecipuus, imo unicus, debet « omnino maiorem nostrae sanctae Regulae « respicere et fovere observantiam; studere in « omnibus Conventibus conversationi verae « seraphicae instituendae et *vitae communi* « *omnino et perfectae restaurandae* ».

Idem Rmus Pater in suo sermone, quo Capitulum Generale anno 1856 celebratum inauguravit, Patribus Vocalibus dixit: « Nihil « omnino egistis, nisi in omnibus Conventibus « Ordinis instituere satagatis *vitam*, quantum « fieri potest, *perfecte communem;* qua nihil « facilius in Ordine nostro; tum quia in vita « communi natus est, et in vita communi in- « cremeutum accepit, et adultus factus est... « Et re quidem vera vel ex hac ratione ne- « cessariam omnino esse vitae communis in- « stitutionem, ut e medio tollatur usus dena- « riorum inter Fratres, *qui nullo modo* pecu- « niam accipere queunt: qui usus quibusvis « conditionibus circumvallatus, nisi destruat « omnino, saltem aliquo pacto minuit sanctae « paupertatis virtutem, quae absque dubio Or- « dinis nostri constituit essentiam: imo asse- « rere auderemus Fratrum nostrorum ad ho- « horem Altarium pervenisse neminem, nisi « hanc pretiosam margaritam paupertatis ad « litteram S. Regulae coluisset ».

Rmus P. Bernardinus a Montefranco in litteris encyclicis diei 19 Martii 1857 dicit: « Con- « siderantes, quod vita communis perfecta sit « principium fundamentale regularis obser- « vantiae, praescribimus et mandamus *in vir-* « *tute sanctae obedientiae* Ministris Provincia- « libus et Superioribus localibus, ut eam con- « servent et perfectiorem reddant, ubi viget; « et eam introducant, ubi deest.... Patres et « Fratres carissimi, currunt tempora difficilia: « vae nobis, si non redeamus ad vitam vere « Franciscanam! Exponimus periculo salutem « nostram aeternam, et inferimus gravissimum « damnum Ordini nostro, qui nos acceptavit, « ut nosmetipsos sanctificaremus ».

Rmus P. Raphael a Ponticulo die 5 Februarii 1863 ad totum Ordinem scripsit: « Vita communis retineatur ab omnibus, ubi « est, et ubi non esset, aut minus foret per- « fecta, Provinciales, Custodes gubernii, et « quotquot in hanc rem, cuius utilitatem, imo « necessitatem nemo non videt, influere pos-

(1) Cfr. ibi n. 282. 283. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 415. 416. 417. 419.

(2) Cfr. *Monitum* dictis Constitutionibus praefixum.

(3) Cfr. Statuta Generalia Reformatorum, Cap. IV. n. 1, Cap. V. n. 7. 8; Cap. XI. n. 10. 11 — Statuta Discalceatorum, Cap. IV. § 1. n. 6; Cap. VI. § 1. n. 2. 3. 4. 5. 6. 7. — Statuta Recollectorum, Cap. III. § 2. n. 3. 5. 7. 13; § 5. n. 3; § 6. n. 2.

« sunt, in Domino JESU CHRISTO rogamus et « obtestamur, ut ad eam promovendam, con« stabiliendam vel restaurandam, curam adhi« beant promptam, sollicitam, impensissimam... « Noverint qui a vita communi vel communi « observantia abhorrent, eamque sequi detre« ctant, ad officia exercenda et dignitates con« sequendas ad nostrum pertinentes Institu« tum, a legibus tum particularibus nostris, « tum generalibus Ecclesiae, se prorsus inha« biles declarari ».

Rmus P. Minister Generalis actualis in sua Encyclica diei 25 Decembris 1882 ait: « Quibus, « DEO auxiliante ad claustra reverti, et cum « Fratrum communitate regularem vitam ite« rum agere datum est, sciant se nullo modo « posse uti ac frui illis concessionibus, quas « s. m. Pius PP. IX Religiosis suppressis « indulserat, sed debere omne peculium, si « quod habent, deponere, pensionem civilem « cum eleemosynis Conventus unire, et per« fectam vitam communem servare. Nisi enim « Conventus et Provinciae in perfecta vita com« muni et regularis disciplinae observantia in« staurentur, quid boni ex eorum instauratione « sperandum foret? Nonne potius timendum « esset, flagellis, quibus contriti sumus, alia « et graviora flagella severissimo DEI iudicio « superaddi. Melius est, ut pereant omnino, « quam ut ad vitam sine vita revocentur ».

Ex his adductis sequentia satis patent:

1. Juxta S. Regulae nostrae necnon Statutorum Ordinis ac S. Francisci successorum mentem et voluntatem vita communis perfecta in omnibus nostri Ordinis Conventibus servari debet.

2. Peculium nemini, cuiuscumque gradus vel dignitatis existat, licitum est.

3. Omnes eleemosynae, quas Frater quilibet recipit, sive tamquam mercedem laboris, sive tamquam donum, sive sub quocumque titulo, cum communibus Conventus eleemosynis sunt permiscendae et pro totius communitatis necessitatibus impendendae.

4. Superiores obligati sunt, ut Fratribus de victu, vestitu aliisque necessariis omnibus sufficienter provideant, secundum cuiusvis exigentiam, et habita ratione status nostri.

5. Contravenientes, tam Superiores quam subditi, poenis iuxta Statuta plectendi sunt secundum culpae qualitatem.

6. Contraria consuetudo alicubi forsitan vigens pro excusatione allegari nequit. Dici enim non potest, eam esse legali modo introductam vel ratione praescriptionis licitam, quia Ordo noster per Capitula Generalia et per Ministros Generales usque ad dies nostros contra omnes abusus vitam communem violantes semper protestatus est.

7. Visitatores Provinciarum de observantia vitae communis inquirere et ad Ministrum Generalem referre debent.

8. Si in aliquo Ordinis nostri Conventu (quod absit!) vita communis non vigeret, Religiosi ibi degentes nec Fratres *regularis observantiae*, nec multo minus Fratres *strictioris observantiae* merito vocari possent, quia sanctam Regulam in sua puritate et Ordinis Statuta in materia magni momenti non observarent.

(*Continuabitur*)

DE SAECULARIZATIONE RELIGIOSORUM

Non raro casus occurrunt, ut Religiosi, etiam solemniter professi, petant et obtineant saecularizationis Indultum; praesertim nostris hisce temporibus. Non pauci autem eiusmodi Indultum nimia levitate sibi procurant, vel debitum modum in eius procuratione non observant, vel conditionem saecularizatorum non sufficienter cognoscunt, ex qua levitate atque ignorantia multa mala oriri solent. Propterea, ut dictis malis saltem aliquo modo occurratur, visum est, expedire, ut pro utilitate Fratrum nostrorum brevem tractatum *de saecularizatione* in *Acta Ordinis* inseramus, in quo breviter examinabimus 1° quid de saecularizatione sentiendum; 2° quo modo procuranda; et 3° quid, ea obtenta, a dispensatis observandum sit.

I *Quid sentiendum est de saecularizatione?*

1. Magnam utique gratiam DEUS illis largitus est, quos ad statum religiosum vocavit. Singulari charitate eos elegit et e saeculo nequam eduxit, ut in statu perfectionis peculiari modo sibi servirent, et hac ratione feliciores redderentur in hac vita atque in futura. Hos a DEO praedilectos sancta mater Ecclesia semper magno charitatis affectu amplexa est, eos fovit et magnis ac multis gratiis et privilegiis dita-

vit. Summopere desiderat Ecclesia, ut omnes Religiosi in sancta vocatione sua usque ad mortem perseverent et per iuge virtutum exercitium DEUM honorent, seipsos sanctificent et reliquos fideles aedificent.

2. Sicuti autem Ecclesia, quae matrimonia mixta semper detestatur et detestari debet, subinde eiusmodi matrimonia permittit, ut hac ratione maiora mala amoveantur: ita etiam ob graves considerationes aliquibus Religiosis, licet aegre et dolenter, regressum ad saeculum interdum permittit, ut hac ratione maiora damna praecaveantur, reliqui Religiosi a peste contagiosa praeserventur et regularis observantia in sua puritate conservetur. Optime autem noscens eximiam excellentiam illius status, ad quem Religiosus vocatus est, Ecclesia nec approbat, nec unquam approbare potest, quod Religiosus, qui sacro vinculo professionis DEO se obstrinxit, semitam perfectionis deserat et saeculi periculis, ex quibus ereptus erat, denuo se exponat.

3. S. P. N. Franciscus vult, ut illi, qui per DEI misericordiam ad Ordinem Seraphicum sunt vocati, hanc eximiam gratiam non in vacuum recipiant, sed digne et fideliter in sua vocatione ambulantes et usque ad mortem perseverantes vitam consequantur aeternam. Ideo in sancta sua Regula praescribit, ut illi, qui ad obedientiam recipiuntur, debeant promittere, « hanc vitam et Regulam *semper* observare ». Insuper addit absolutam prohibitionem Religionem hanc deserendi, quam prohibitionem suam confirmat et munit tum per mandatum Domini Papae Honorii III, qui Regulam approbavit, tum per gravissimum JESU CHRISTI dictum. Dicit enim: « Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire, iuxta mandatum Domini Papae, quia secundum S. Evangelium nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno DEI ». (1)

4. Certum est, quod Summus Pontifex, sicut in aliis Regulae praeceptis, ita etiam in hac lege, quae prohibet de ista Religione exire, dispensare valeat. Verumtamen S. Sedes Apostolica vocationem Divinam mutare nequit, ac etiam non dispensat, nisi in quantum preces ipsi porrectae veritate nituntur; responsabilitatem pro recessu a vocatione ipsi, qui petitionem porrexit, relinquit. Propterea dicit S. Bonaventura: « Quodsi de licentia Apostolica glorientur aliqui, pro certissimo sciant, « contra hanc DOMINI sententiam Papam nihil « facere: Nemo mittens manum ad aratrum et « respiciens retro, aptus est regno DEI. Quodsi « mendaciis intervenientibus aliquid contingat, « per tales a Sede Apostolica impetrari, non est « eis excusatio, sed accusationis duplicatio, dum « mendacio tantum Patrem circumvenientes « suae quaerunt apostasiae pallium ». Hoc eiusmodi Fratres infelices serio recogitent, — et contremiscant!

5. Saecularizationis Indultum petentes varias causas exponere solent, *ob quas ad saeculum redire desiderant, et quae veritati non* semper sunt consentaneae. Verae autem rationes, quae ad saecularizationem petendam eos inducunt, quas vero exponere erubescunt, sequentes esse solent: 1° *Ambitio*, quae Luciferum e coelo deiecit, ac multos Religiosos apostatas fecit, dicente DEO; « Non habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam » (1). Sane, qui praelaturas ambit et non obtinet, contentus in Religione vivere nequit, sed corde inquietatur et animo perturbatur, et Religionem, in qua se iniuste contemptum ac inique offensum putat, relinquere studet. 2° *Inordinatus terrenarum rerum et deliciarum amor.* Multi, quia tali amori ob Superiorum conscientiam et vigilantiam in Conventu satisfacere nequeunt, ad saeculum redire statuunt, ut ibi cupiditati suae liberius satisfacere valeant. 3° *Nimiae relationes cum saecularibus.* Desiderium inordinatum cum saecularibus conversandi persaepe efficit, ut tales Religiosi frequenter exeant et ad hoc sub variis praetextibus licentiam a Superioribus exposcunt. Eiusmodi inutiles cum saecularibus relationes Religioso perniciosae sunt et non raro eum eo deducunt, ut sanctae vocationis suae spiritum prorsus amittat. Ideo S. Antonius Abbas dicit: « Monachus extra cellam vel solitudinem non est, nisi piscis extra aquam ».

6. Causae ordinariae, quae Religiosos ad amissionem vocationis suae disponunt, iuxta P. Bonaventuram Dernoye sequentes esse solent: singularis oscitantia in oratione et Divino officio, impatientia in recipiendis corre-

(1) Regul. cap. 2.

(1) Psalm. 100.

ctionibus et contumacia erga Superiores, melancholia coniuncta cum difficultate tristitiae causas revelandi, fuga conversationis cum Religiosis observantibus et amicitia cum murmurantibus et discolis, furtivae epistolarum scriptiones et transmissiones, irrisio piarum consuetudinum et exercitiorum religiosorum, S. Confessionis et Communionis omissio vel dilatio etc. Eiusmodi negligentiae et defectus, si eis non opportune occurratur, Religiosum pedetentim eo deducunt, ut vita religiosa eum taedio afficiat ac propterea infelicem se sentiat atque mundanas consolationes quaerat. Haec est brevis historia fere omnium, qui vocationem suam amiserunt. Quis umquam audivit, aliquem Religiosum orationi deditum et regularis disciplinae studiosum vocationem suam amisisse et saecularizationem petiisse?

7. Sicut medicus de aegroto, ita etiam Superiores singularem curam de Religioso habere debent, qui spiritualiter aegrotat et ad saecularizationem proclivis esse videtur. Paterna charitate repleti, monita, suasiones et preces adhibere debent, ut infelicem ad meliorem frugem reducant. Quodsi lenia media nihil proficiant, increpationibus quoque et punitionibus parcendum non est. Errant Superiores, qui putant, dissimulanda esse discolorum flagitia, ne forte Ordinem deserant et scandala pariant; tali enim indulgentia iudicium sacerdotis Heli incurrere possent.

8. Satis periculosum est, sine magna necessitate saecularizationem impetrare. S. Alphonsus (1) dicit, illos, qui de vocatione Dei ad Religionem moraliter certi nituntur sibi suadere, manendo in saeculo vel in illud redeundo salutem suam aeque facile facere posse, absque dubio magno salutis discrimini se exponere. Ideo S. Gregorius Magnus scribens ad Mauritium Imperatorem, qui per edictum prohibuerat, ne milites fierent Religiosi, dixit, hanc legem esse iniquam, quum pluribus coelum clauderet. « Nam plerique sunt, ait, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt ». Ratio huius periculi, iuxta S. Alphonsum (2) est, « quia qui in saeculo « manet contra Dei voluntatem, non habebit « congrua gratiae auxilia, quae in Religione « Deus ipsi praeparavit, et ideo illis destitutus « difficulter saeculi tentationibus resistet, et « sic succumbens damnationem incurret. Prae- « terea, si alter, qui vocato ad Religionem « dissuadet ingressum, vel suadet egressum, « etiam sine vi et fraude, peccat mortaliter, « prout docent communiter Doctores, eo quod « induceret vocatum ad subeundum grave dam- « num: nescio, quomodo poterit excusari a pec- « cato ille ipse, qui sibi tale damnum infert ».

(1) Lib. 4. cap. 1. n. 78.

(2) loc. cit.

II *Quomodo saecularizatio procuranda est?*

9. Saecularizatio Religiosorum est Papae privative reservata. Hoc constat ex innumeris sacrarum Congregationum et Summorum Pontificum Decretis. Benedictus XIV in sua Constitutione *Pastor bonus*, in qua de facultatibus Maioris Poenitentiarii agit, § 33 statuit: « Ne- « mini autem Regulari quacumque de causa « permittere valeat, ut in habitu saeculari, seu « clerici saecularis in perpetuum extra clau- « stra vivere possit ».

10. Idem Pontifex in Constitutione *Pontificia commendatione* die 27 Maii 1746 statuit: « A Regularibus praetendentibus se Aposto- « lica facultate ad statum clericalem saecula- « rem translatos, vel ad Ordines, in quibus « non viget claustralis observantia.... et actu « degentibus extra claustra, debent Episcopi « exquirere de veritate talis Indulti, et eos « compellere, adhibita etiam vi, ad sibi hu- « iusmodi Indultum ostendendum, atque in- « simul, postquam illud perlegerint, diligenter « expendere causas in ipso Indulto contentas « et expressas, veraene an falsae sint. Quod « si illud Indultum commonstrare et tradere « detrectaverint, adversus eos, iuris ordine « servato, statim procedere iuxta facultatem « sibi attributam a Concilio Tridentino, ses- « sione 6, cap. 3 *de Reform.* Et si Indulti « causas minime veras esse compererint, non « debent dubitare super eius subreptione seu « obreptione pronuntiare et adversus Religio- « sum procedere extra claustra sine facultate « degentem ».

11. Religiosus saecularizationem impetrare intendens preces suas dirigere debet ad Procuratorem Generalem, cuius est petitionem pro obtinendo Indulto Apostolicae Sedi porrigere, si hoc opportunum iudicaverit. Valde inconveniens esset, si Religiosus pro praefato

Indulto obtinendo directe ad Summum Pontificem vel ad S. Congregationem recurreret. Prorsus autem indecens esset, si praefatum Indultum per aliquem agentem saecularem procurare vellet, quia hac agendi ratione nec proprio nec Ordinis honori prospiceret, sed potius eiusmodi negotium utique non honorificum saecularibus manifestaret. Sciant insuper tales Religiosi, eiusmodi Indultum sine interventu Procuratoris Generalis obtineri non posse, quia tales preces sive immediate ad S. Sedem vel S. Congregationem directae, sive per agentem saecularem oblatae, semper mittuntur ad Procuratorem Generalem *pro informatione et voto.*

12. In Capitulo Generali, Romae in Conventu Aracoelitano anno 1856 celebrato, statutum fuit, (1) ne a Procuratore Generali, aut eo absente, ab eius Vicesgerente ullo Religiosorum recurrenti pro obtinendo Brevi saecularizationis suffragaretur, quin prius Ministri vel Superioris propriae Provinciae sententia esset cognita, haud attentis hac de re litteris commendatitiis, quae aliter exhiberentur ex parte alterius cuiusvis personae, etiam in dignitate extra Ordinem constitutae. Propterea convenit, ut eiusmodi petitio Procuratori Generali per ipsum Provincialem exhibeatur, vel ut precibus directe ad Procuratorem missis saltem relatio Provincialis simul adiungatur; secus enim Procurator necessarias informationes a Provinciali petere deberet, et expensae augerentur.

13. Causas, ob quas Religiosus saecularizationis Indultum exoptat, ante omnia clare et sincere Procuratori Generali exponere debet, quia a veritate rationum validitas Indulti dependet. Serio attendant eiusmodi Religiosi, quod si dispensatio sit vel *subreptitia,* quia rationes falsae et fictitiae ad eam obtinendam proponuntur, vel *obreptitia,* quia veritas necessario manifestanda reticetur, in utroque casu dispensatio est nulla, et coram tribunali Divino Religiosum ab Ordine egressum non excusabit. Procuratorem Generalem et S. Sedem Apostolicam falsis motivis decipere possunt; DEUM autem scrutatorem cordium numquam decipient.

14. Sacerdotes religiosi solemniter professi, qui saecularizationem perpetuam desiderant, ordinarie prius invenire debent *Episcopum benevolum receptorem;* secus S. Congregatio non raro dispensationem vel denegare vel *ad sex menses* vel *ad annum* dumtaxat concedere solet, cum onere, ut Religiosus infra hoc tempus talem benevolum receptorem invenire studeat.

(1) Sess. XIII, die 19 April.

14. Religiosi sacerdotes, qui saecularizationem perpetuam desiderant, de patrimonio sibi providere debent, utpote titulo pro sacris ordinibus, quos *titulo paupertatis* susceperant. Quoad illos qui saecularizationem non pro tota vita, sed ad tempus dumtaxat obtinent, sufficit, ut probent, se habere necessaria, unde convenienter vivere valeant, (1) exclusa tamen semper illa pensione, quae *alicubi a gubernio* civili Religiosis suppressis solvitur. Fratres laici non sunt subiecti legi de patrimonio; Episcopi pro ipsis Indultum exequi possunt, si ipsis constet, quod eiusmodi Religiosi vitae necessaria per laborem invenire valeant. (2)

15. Religiosi, qui absque licentia Conventum deserunt et Romam se conferunt ad saecularizationis Indultum ibi sibi procurandum, a S. Congregatione obligantur ad peragendum recessum spiritualem pro absolutione a censura obtinenda, quam per suam fugam incurrerunt. (3)

16. Saecularizationis Indultum ordinarie conceditur in forma commissaria. Ministro Generali, si agatur de saecularizatione temporanea, vel Episcopo illius Dioecesis, in qua degit Religiosus, si agatur de saecularizatione perpetua, tribuitur facultas, qua *veris existentibus narratis pro suo arbitrio et conscientia* licentiam manendi extra claustra Religioso dare valeat. Praescribi etiam solet, ut Rescriptum Apostolicum *infra sex menses* sub poena nullitatis executioni mandetur. Hinc Religiosus iurisdictioni sui Superioris in omnibus subiacet et ad observantiam Regulae tenetur, donec dispensationis Rescriptum executioni mandatum sit. Si Rescriptum elapso iam tempore statuto executioni mandaretur, dispensatio nullius esset roboris, et Religiosus ad Conventum redire deberet; secus incurreret poenas contra

(1) S. Cong. Ep. et Reg. 11 Sept. 1833 et 30 Jul. 1834.
(2) S. Congr. Episc. et Regul. 3 April. 1835.
(3) S. Congr. Episc. et Regul. 21 Januarii 1842.

fugitivos latas. (1) Rescripto executo, Religiosus non amplius habet ius gestandi habitum Ordinis.

III *Quid, obtenta saecularizatione, a dispensatis observandum est.*

17. Posset quidem Summus Pontifex in votis etiam solemnibus dispensare, et de Religioso solemniter professo non — Religiosum facere. Id autem rarissime et quasi numquam a Sede Apostolica fieri contingit. At vero saepius Papa ex causis gravibus, concedit Indultum, sive favore alicuius Regularis, sive etiam favore Ordinis, ne ob aliquem Regularem nimis gravetur, quo Religioso solemniter professo permittitur, ut in saeculo commorari valeat; firma tamen remanente votorum solemnium substantia.

18. Eiusmodi Indultum conceditur vel *ad tempus* (v. g. *ad annum*), vel ad vitam *(quoad vixerit)*, vel denique *ad nutum S. Sedis*. Si Indultum ad certum tempus concessum fuerat, elapso praefixo tempore Religiosus ad Conventum reverti debet, nisi forsitan dispensationis prorogationem obtinuisset; secus censuras incurreret. Qui perpetuam saecularizationem obtinuit, semper in saeculo remanere potest, dummodo dispensatio ipsius valida sit. Qui autem dispensatus fuit *ad nutum S. Sedis,* in saeculo remanere *debet*, nisi obtineretur novum S. Sedis Rescriptum, quo regressus ad Conventum permitteretur.

19. Saecularizationis Indultum his similibusque verbis pro rerum adiunctis exprimi solet: « SSmus attenta informatione et voto « P. Procuratoris Generalis Ordinis perpen- « sisque peculiaribus circumstantiis... benigne « annuit..... et propterea mandavit committi « Ministro Generalis Ordinis (vel Episco- « po N.,) ut veris existentibus narratis et « dummodo Orator provisus sit de suffi- « cienti patrimonio sacro rite constituto pro « eius congrua sustentatione, facultatem ma- « nendi in saeculo quoad vixerit (*vel* ad an- « num, *vel* ad nutum S. Sedis) in habitu pre- « sbyterali, et retento interius aliquo regularis « habitus signo, pro suo arbitrio et conscientia « eidem concedat; ita tamen, ut exemplariter « vivat, substantialia votorum suae professionis « cum novo statu compatibilia observet (1) et « sub obedientia Ordinarii loci, in quo morabi- « tur, etiam in vim voti religiosi vivat, et Su- « perioribus Ordinis obsequium aliquando ex- « hibeat. Contrariis quibuscumque non obstan- « tibus. Hoc autem Decretum P. Ministro « Provinciali notum illico reddendum, nisi « intra sex menses fuerit executioni manda- « tum, nullius esto roboris ».

20. Manentibus itaque essentialibus obligationibus, quae ex professione oriuntur, firmoque manente coram Ecclesia statu religioso, quem Regularis per professionem participavit, tantum iuris et indulgentiae Regularis per Apostolicum Rescriptum vindicare sibi poterit, quantum ostendatur expresse concessum; eiusmodi enim Indulta strictae sunt interpretationis.

21. Talis Regularis solvitur ab obligationibus, quas cum Ordine per professionem contraxit, et vicissim Ordo solvitur ab obligationibus erga eumdem Regularem contractis. Compertum enim est, per professionem oriri inter Ordinem et professum quasi-contractum mutuasque obligationes praeter obligationes votorum, quae solemniter Deo nuncupantur.

22. Manent vota solemnia Deo nuncupata, et manent obligationes ea sequendi, quae cum votis sunt proxime connexa, et arcendi ea, quae observantiae votorum refragantur. Hoc satis expressum videtur per verba in Rescriptis inserta *substantialia votorum.*

23. Cum autem per eam relaxationem inter Ordinem et professum impossibilis reddatur observantia voti obedientiae erga Superiores Ordinis, ideo, firmo manente obedientiae voto, commutatur Superior, cui sit obediendum, etiam ex vi voti. Hinc Ordinarius iurisdictionem in saecularizatos non tantum habet sicut in saeculares clericos, sed et insuper illis *in virtute s. obedientiae* praecipere, et sic eos obligare potest, prout antea eorum Superior regularis eos obligare poterat. (2)

24. Saecularizatus amittit communionem omnium bonorum spiritualium et temporalium, quae propria sunt Ordini, quem reliquit. (3)

(1) S. Congr. Episc. et Regul. 20 Dec. 1840.

(1) vel « regulare institutum, quatenus fieri poterit, observet ».

(2) Bouix. tom. 2. p. 6. sect. 4. cap. 4. qu. 3.

(3) Cfr. Acta S. Sedis, tom. IV. pag. 391.

Hoc iustum est; nam, ut supra diximus, quasi-contractus inter Ordinem et talem Religiosum per saecularizationem solutus est. Hinc Ordo ad eius sustentationem non amplius obligatur; et saecularizatus non gaudet amplius indulgentiis et privilegiis, quae Ordini, quem reliquit, sunt concessa; secus enim ferventes Religiosi, qui iugum observantiae portantes in sua vocatione perseverant, deterioris essent conditionis. Sequitur hoc etiam ex variis S. Sedis Decretis. Tempore enim ultimae suppressionis Religiosorum Pius IX declaravit, quod Religiosis, qui ex necessitate in saeculo vivere debent, maneant omnes Indulgentiae a S. Sede Ordini concessae. (1) Haec declaratio superflua fuisset, si saecularizati et in saeculo degentes adhuc gauderent Indulgentiis et privilegiis Ordinis. Porro, postea S. Sedes declaravit, quod illi Religiosi suppressi, et in saeculo viventes, licet habitum Ordinis retinentes, qui iussa Praelatorum neglexerint, et S. Poenitentiariae privilegiis fulti ad regularem, quam professi solemniter sunt, observantiam resumendam acciti restiterint, quia eos pigeat adeptam in saeculo libertatem amittere: noverint, se exemptione, gratia, privilegiis, facultatibus, sive datis a S. Poenitentiariae litteris, sive peculiaribus Sanctitatis Suae rescriptis ultro concessis vel obtentis, ipso facto privari. (2) Si ergo illi, qui in Ordine quidem remanent, Superioribus autem ad claustra eos revocantibus obedire nolunt, gratias et privilegia amittunt: quanto magis hoc dicendum est de illis, qui Ordinem sponte et prorsus relinquunt? S. Congregatio etiam rationem huius privationis indicat, dicens: « Neque enim congruit nec expedit, Apostolicae Sedis ditari muneribus, qui non Ecclesiae, uti se sponte dicaverant, at suis malunt vivere commodis ». (3)

25. Saecularizatus conservat ea privilegia, quae eidem competunt ob vota solemnia, quibus DEO perpetuo sacratus est, conservat videlicet dignitatem personae per solemnia vota DEO perpetuo sacrae, et inde privilegium saltem fori. Quod quidem clare dignoscitur ex causa (4), in qua agebatur de quodam laico professo, qui obtento saecularizationis Indulto, se cuidam sordidae arti mancipaverat. Cum autem aes alienum contraxisset et solvendo impar esset, ad laicum forum vocatus, damnatus fuit ad sancitas poenas subeundas; interposita ab hac sententia appellatione ad superius tribunal, dubitatum fuit super validitate prioris sententiae ex defectu iurisdictionis; et proposito dubio coram S. Congregatione Immunitatis: « An « professus in Ordine, legitime saecularizatus « gaudeat privilegio fori etiam in casu, de « quo agitur? » responsum fuit: « Affirma- « tive, et Episcopus cogat eum ad inceden- « dum in habitu decenti et ad se abstinendum « a quacumque arte sordida et indecora ».

26. Licet autem *solutus sit ab obligationibus* erga suum Ordinem, tamen coram ecclesiastica Hierarchia tamquam Religiosus consideratur, et non potest sibi vindicare ea iura, quae propria sunt ceterorum; sive quia in saecularizationis Indulto non expresse concessa; sive quia in Iure Regularibus expresse denegata; sive quia cum observantia votorum non undequaque compatibilia, cuiusmodi est ius ad ecclesiastica beneficia obtinenda, et quod maius est, ad ecclesiasticas dignitates. Hinc saecularizatus incapax est ad legitime obtinendum beneficium ecclesiasticum, nisi S. Sedes ad hoc concedat Indultum speciale. (1)

27. Religiosus saecularizatus remanet dominii incapax, ac proinde testari nequit; pro novae autem suae conditionis exigentia concessa ipsi censetur generalis facultas utendi rebus temporalibus, pecunias retinendi, necnon emendi, dandi, vendendi aliosque opportunos contractus ineundi. Haec omnia vero facere potest non tamquam dominus, cum nullius rei dominium habere possit, sed tamquam administrator. Post eius obitum, si perpetuae saecularizationis Indultum obtinuerat, bona ab ipso relicta, utpote ecclesiastica, ad haeredes non transeunt; sed de eis disponere ad Sedem Apostolicam pertinet. Unde, ubi lex saecularis bona illa haeredibus tribuit, debent haeredes, si velint tuta conscientia illam haereditatem colligere, ad Sedem Apostolicam recurrere, ut bonorum illorum dominium in ipsos transferatur. Haec rigorose concludenda veniunt ex eo, quod dicto saecularizationis Indulto non

(1) S. Poenit. 28. Apr. 1867. n. 6.
(2) S. C. Episc. et Regul. 5. Aug. 1872.
(3) Ibid.
(4) *Anagnina, fori,* diei 6 Junii 1826.

(1) S. Congr. Ep. et Regul. 11 Sept. 1839.

tollatur solemne paupertatis votum, sed in suo robore relinquatur. (1)

28. Bona, quae post mortem reliquit Religiosus *ad tempus* saecularizatus, spectant ad ipsius Religionem. Ad dubium: « Cui competit ius succedendi haereditati Regularis professi decedentis extra claustra, qui Apostolicum Indultum obtinuit manendi extra claustra ad tempus? » die 26 Junii 1829, approbante Pio VIII, responsum fuit: « De huiusmodi haereditate iudicandum esse iuxta dispositiones Juris ecclesiastici communis, scilicet eam spectare ad propriam defuncti Religionem ». (2)

29. Per saecularizationem Religiosi solemniter professi non annullatur abdicatio bonorum ante professionem ab ipso facta. Eiusmodi renuntiationes, quae fiunt intuitu professionis religiosae *substantiantur*, ut aiunt, ex subsecuta professione, ita ut irrevocabiles evadant. Saecularizatus voto paupertatis adhuc obnoxius est, cum ex impetrata saecularizatione vota non dissolvantur, sed in suo robore maneant, ut ex ipso Indulto patet Firmo autem manente voto paupertatis, renuntians semper incapax est possidendi, licet claustra reliquerit. Aliter res se habet cum Religioso qui ad Episcopatum ascendit. Hic, quamvis votis religiosis teneatur, tamen per assumptionem ad Episcopatum capax fit, ut bona possideat *nomine Ecclesiae,* prout expresse de Monachis ad Episcopatum evectis sancitum est canone *Statutum*, quaest. 1. (3).

30. Testamentum in favorem Religiosi saecularizati factum est nullum, prout ex supra dictis patet, et etiam a S. Congregatione Episcoporum et Regularium in causa alicuius Religiosi Ordinis Minorum die 23 Januarii 1863 decisum fuit. (4)

31. Regulares etiam ad tempus saecularizati debent confessionem suam facere penes confessarios approbatos ab Ordinario loci, a quibus in actu sacramentalis confessionis absolvi possunt etiam a censuris et casibus reservatis in Ordine, si in Dioecesi reservati minime sint, ex declaratione Pii IX die 27 Augusti 1852. (5)

(1) Bouix, loc. cit.

(2) Cfr. Bizzarri, pag. 57.

(3) Cf. Bouix, t. 1. p. 4. sect. 2. cap. VII. — Bizzarri, pag. 775. — Thesaur. resolut. tom. 70, pag. 179.

(4) Cf. Acta S. Sedis, tom. I, pag. 222.

(5) Cfr. Bizzarri, pag. 140.

32. Saecularizatus aliquid de habitu sui Ordinis subter vestes suas deferre debet tamquam memoriale perenne suae professionis, prout patet ex saecularizationis Rescripto.

33. Superiores Ordinis *perpetuo* saecularizatum, si ad Conventum redire voluerit, denuo recipere quidem possunt, sed ad hoc minime ex iustitia sunt obligati. Saecularizati autem *ad tempus* habent ius redeundi ad Conventum; et, quaecumque fuerit causa, ob quam saecularizati fuerant, Superiores eis receptionem denegare non possunt. Haec disciplina est invariabilis in responsis S. Congregationis. Verum, si saecularizatus ad tempus se redderet indignum, ut denuo reciperetur, tunc recurrendum foret ad S. Congregationem pro obtinenda facultate procedendi ad eius expulsionem. (1) Qui saecularizatus est *ad nutum S. Sedis,* nec debet nec potest denuo recipi ad Ordinem sine expressa S. Sedis licentia, prout supra n. 18 innuimus.

34. Professio solemnis non infirmatur per saecularizationis Indultum, ac proinde Indultarii non tenentur novitiatum et professionem reiterare, si ad Conventum denuo recipiantur, salva tamen legitima consuetudine singulorum Ordinum regularium. Possunt tamen Superiores tales Religiosos obligare ad exercitia spiritualia peragenda. Ita S. Congregatio Episc. et Regul. 30 Januarii 1824. (2)

35. Quidam Religiosus saecularizatus, qui etiam Pontificium Indultum obtinuerat disponendi de bonis suis, reversus est ad Conventum cum aliquibus bonis maioris valoris. Hinc dubitatum fuit, utrum de istis bonis virtute impetrati Rescripti post suum ad Conventum regressum independenter a Superiore licite disponere posset, an potius tali Religioso applicandum esset principium ss. Canonum: « Quidquid acquirit Monachus, non sibi, sed monasterio acquirit? » S. Congregatio Episc. et Regul. die 14 Februarii 1845 respondit: Ad primam partem *negative,* ad secundam *affirmative.* (3)

36. Superiores Ordinis Camaldulensium S. Congregationi dubium proposuerunt, utrum saecularizati, qui ad Religionem redeunt, prae-

(1) S. C. Ep. et Reg. 22 Januarii 1839; 5 Junii 1840; 22 Januarii 1841; 7 Augusti 1841.

(2) Bizzarri, pag. 51, 52.

(3) Bizzarri, pag. 572, 573.

cedentiam haberent secundum diem professionis vel diem reditus. Responsum fuit die 30 Aprilis 1830: « S. Congregatio Emorum ac Rmorum Cardinalium praeposita negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium proposito dubio respondendum censuit, anterioritatem Religiosorum, qui perpetuae saecularizationis Indultum consequuti sunt, a die reditus in Religionem computandam esse ». (1) Haec decisio S. Congregationis in Capitulo Generali Aracoelitano anno 1856 celebrato publicata et tamquam norma pro Ordine nostro fuit declarata. (2)

—

Hisce breviter expositis, omnes Fratres nostros enixe rogamus et obsecramus, ut quaslibet tentationes contra sanctam suam vocationem statim ab initio forti animo repellere non omittant. *Principiis obsta!* Simus semper memores ineffabilis illius charitatis, qua in sua misericordia DEUS nos ad hunc sanctum statum vocare dignatus est. Magno cordis iubilo vota nostra nuncupantes DEO in perpetuum nos consecravimus. Magnis et multis gratiis in hoc statu DEUS nos ditavit atque ditat, et insuper pulcherrimam coronam pro altera vita nobis promisit. Ordo noster nulla parcens cura nos educavit, et omnibus necessitatibus nostris spiritualibus et temporalibus charitative providit atque providet. Hoc grato animo erga DEUM et Ordinem agnoscere cogimur. Qualis ergo ingratitudo esset, si Ordinem relinquere et ad saeculum redire vellemus! Per talem egressum non Ordini, sed nobis ipsis summum damnum inferemus; DEUS enim in locum nostrum multos alios nobis meliores ad Ordinem vocare posset.

Non dicat aliquis: « In Ordine felicem me non sentio ». Talis enim legat denuo et ruminet, quae supra n. 6 diximus; studeat ducere vitam vere religiosam atque ferventem, et tunc ineffabili iam in hac vita fruetur felicitate. Vix umquam saecularizatus pacem, quam quaerebat, in saeculo invenire poterit. Sed forsitan dicit aliquis: « Ad saeculum redire debeo, ut parentibus ad egestatem reductis succurram ». Verumtam talis prius videat et serio perpendat, annon aliis mediis, v. g. eleemosynis benefactorum etc., parentibus in egestate constitutis subveniri valeat.

Ceterum, DEUM instanter rogemus, quatenus gratiam sanctae vocationis, quam nobis concessit, etiam usque ad mortem nobis omnibus benigne conservare dignetur; ita ut, quae firmiter promisimus, semper fideliter adimpleamus, et ea, quae promissa sunt nobis, in futura vita recipiamus.

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1885 celebrata

—

VI.
Collegium S. Ildephonsi de Chillan.
in Republica Chilena.

Die 10 Februarii in Collegio Apostolico S. Ildephonsi de Chillan, praesidente A. R. P. Isaia Nardocci, Ex-Commissario Generali, celebratum est Capitulum Guardianale, in quo electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII:

R. P. Franciscus Uribe, Ex-Praefectus Missionum.

DISCRETI COLLEGII:

R. P. Bonaventura Ortega.
R. P. Augustinus Venegas.
R. P. Fulgentius Mauro.
R. P. Emmanuel Cerda.

In hoc Collegio commorantur 67 Religiosi; scilicet 37 Patres, 17 Fratres clerici et 13 Fratres laici.

—

VII.
Obs. Provincia Bosnae Argentinae.

Die 8 Maii in Conventu Suticskiensi, praesidente A. R. P. Eusebio Fermendzin, Definitore Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Antonius Curic.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Elias Orsolic.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Laurentius Grlic.
R. P. Angelus Sumic.
R. P. Hieronymus Mihaljevic.
R. P. Blasius Kulier.

—

(1) Bizzarri, pag. 483.
(2) Capit. Gen., sess. XIII, die 29 April.

VIII.

Ref. Provincia Marchiae

Die 12 Maii in Conventu Cinguli S. Jacobi Ap. praesidente A. R. P. Accursio a Monte S. Sabini, Procuratore Generali Reformatorum, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Faustinus ab Appineano, Lect. emer.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Joannes Bapt. ab Aesio, Lect. emer.

DEFINITORES PROVINCIAE

A. R. P. Anastasius a Camunantia, Ex-Minister.
R. P. Marcellus a S. Marcello, Lect. Theol.
R. P. Alexius ab Arquata, Lect. Gen.
R. P. Hyginus a Cingulo, Lect. Theol.

—

IX.

Discalc. Provincia Lyciensis S. Paschalis.

In Congressu Generali diei 15 Maii electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Angelus M. a SS. Trinitate.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Prosper a Pietate, ex-Prov. immed.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Seraphinus a Corde Mariae.
R. P. Constantinus a S. Josepho.
R. P. Ferdinandus a S. Josepho.
R. P. Federicus a Purificatione.

—

X.

Ref. Provincia Seraphica.

Die 20 Maii in Conventu S. Damiani prope Assisium, praesidente Rmo P. Ministro Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Nicolaus a Civitella.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Didacus de Cryptis Castri.

DEFINITORES PROVINCIAE

A. R. P. Aloysius a Pedelama, Ex-Minister.
A. R. P. Iustus de Gradulis, Lect. emer.
R. P. Salvator ab Assisio.
R. P. Aloysius a S. Gemine.

—

XI.

Electio Vicarii Provincialis Recoll. Provinciae Germaniae Inferioris.

In Congregatione intermedia, in Conventu Venradiensi ad B. M. V. dolorosam die 27 Maii celebrata, postquam A. R. P. Joannes Trix ob adversam valetudinem officio Provincialatus renuntiaverat, rite electus est Vicarius Provincialis: *A. R. P. Antonius Kusters.*

III.
MISSIONES

—

DECRETUM

S. Congregationis de Propaganda Fide, quo Collegium S. Barbarae in California Recollectae Provinciae SS. Cordis Jesu incorporatur.

DECRETUM

Cum Rmus Minister Generalis Ordinis S. Francisci Minor. Observant. expostulaverit, ut Collegium S. Barbarae in Dioecesi Montereyensi et Angelorum positum, tum ad eiusdem Collegii maius incrementum, tum ad ampliorem ipsius Ordinis in Statu Californiae dilatationem in suo actuali existendi modo immutaretur, ac Provinciae SSmi Cordis Jesu Statuum Foederatorum Americae adnectaretur, SSmus D. N. LEO PP. XIII in audientia diei 19 Aprilis 1885, audita relatione R. P. D. Dominici Jacobini, Archiepiscopi Tyrensis, S. Congregationis de Propaganda Fide Secretarii, benigne concessit, ut praefatum Collegium Provinciae SSmi Cordis Jesu incorporetur.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 5 Maii anni 1885.

(L. S.)

JOANNES CARD. SIMEONI *Praefectus.*
✠ D. ARCHIEP. TYREN. *Secretarius.*

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

DOCTORIS SERAPHICI S. BONAVENTURAE, S. R. E. EP. CARDINALIS, OPERA OMNIA, jussu et auctoritate Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum S. P. Francisci Ministri Generalis edita, studio et cura PP. Collegii a S. Bonaventura, ad plurimos codices mss. emendata, anecdotis aucta prolegomenis scholiis notisque illustrata. Tomus II. Pag. XII. et 1026. Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam, ex typographia Collegii S. Bonaventurae. 1885. (L. 27,50).

1885. CAEREMONIALE Fratrum Minorum Recollectorum almae Provinciae Germaniae Inferioris, in tres partes distributum. Traiecti ad Rhenum, typis P. M. Van de Weijer.

V.
NECROLOGIA

—

R. P. LEO TRUSIEVICZ, Obs. Provinciae Immaculatae Conceptionis in Galicia. Natus anno 1850, tenera adhuc aetate in Conventu Lezajscensi habitum Seraphicae Religionis anno 1868 laetabundus induit. Studiorum curriculo laudabiliter emenso, anno 1873 sacro presbyteratus ordine insignitus, qua praedicator praeclarus, qua catecheta scholarum nationalium ac demum seminariorum paedagogicorum emicuit. In Capitulo Provinciali anno 1882 sub praesidentia Rmi P. Ministri Generalis celebrato, Secretarius Provinciae, dein Catecheticae et Methodicae Lector pro studio domestico institutus necnon a Ministro cultus et publicae instructionis membrum commissionis pro examinandis magistris scholarum nationalium nominatus est. Ast, proh dolor! istum dilectum Patrem, a quo ob egregiam eius scientiam et virtutem, ac praesertim ob regularem eius observantiam, multum adhuc utilitatis pro Ordine nostro atque pro animabus sperari poterat, mors Provinciae eripuit. Prius gravi febri correptus, ac dein phtisi pulmonali consumptus est. Durante infirmitate sua saepe ss. Sacramentis munitus est et omnes possibiles indulgentias sibi acquirendas curavit. Pietate sua atque patientia omnes summopere aedificavit. In festo S. Raphaelis Archangeli in manus sui Provincialis professionem suam maximo fervore renovavit, ab eoque Pane Eucharistico refectus est. Die 30 Aprilis, Apostolica Benedictione provisus, inter adstantium confratrum preces et lacrymas, animam Creatori suo reddidit. Tota Provincia dolet de morte istius Patris, qui suo ingenio, suavi et benigna indole omnium Fratrum sibi corda devinxerat. Ad funus eius comitandum multi Religiosi et saeculares et non pauci ecclesiastici et regulares Praelati convenerunt. Omnes confratres has lineas lecturos rogamus, ut animae dilecti P. Leonis aeternam requiem adprecari velint.

VI.
VARIA

—

Tertius Ordo in Bosnia. — Kresevii in Bosna Argentina infra spatium trium hebdomadarum 215 fideles tertio Ordini S. P. N. Francisci adscripti sunt, qui non solum nomen suum praefato Ordini dederunt, sed etiam eius Regulam magno zelo observare et in omnibus christianis virtutibus proficere student.

—

Corrigenda. — 1. In ultimo fasciculo, in *Animadversionibus de Kalendario disponendo* pag. 80, 1 col., error irrepsit. Festum S. Catharinae a Bononia, V. 2. O., non die 11 Martii, ut ibi indicatur, sed proprio suo die, nempe die 9 Martii, celebrandum est. Propterea linea 42 et 43 ibi expungendae sunt.

2. In quibusdum Breviarii et Missalis *editionibus* error irrepsit quoad festum Bb. Stephani et Raymundi (7 Junii). Quando hoc festum infra tempus paschale occurrit, prout anno sequenti accidit, in tertio Nocturno dicitur Homilia *Iste evangelicus locus*. Missa *Sancti tui*, Evangelium ex Missa *Protexisti*.

Nihil obstat.
FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens. resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SUMMARIUM

Indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Seraphicus, approbatum a Sacra Congregatione.

(Continuatio)

49. Sixtus IV. concessit, ut quilibet Frater Ordinis Praedicatorum et Minorum semel in vita et semel in morte possit accipere absolutionem generalem, etiamsi moriatur ante professionem.

50. Moniales S. Clarae et per communicationem omnes Moniales tertii Ordinis, quae vivunt sub directione Fratrum Minorum, a Leone X. habent privilegium accipiendi quater in anno a Superioribus dicti Ordinis Fratrum Minorum aut ab aliis Religiosis confessariis eiusdem Ordinis ad hoc a dictis Superioribus specialiter deputatis absolutionem omnium suorum peccatorum quocumque modo commissorum. Insuper placuit Sanctitati Suae benigne et ex Apostolica bonitate concedere praedictis earum confessariis facultatem, ut cum eadem plenitudine potestatis, de licentia tamen suorum Praelatorum, eas absolvant et illi innocentiae statui restituant, sicuti faceret Sua Sanctitas, si ipsamet earum confessiones exciperet et peccata audiret, et postquam confessae et absolutae fuerint, possint concedere omnibus et singulis nomine Suae Sanctitatis sanctam Benedictionem. (1)

(1) In originali hic inserta est formula illius Benedictionis nuper abrogatae.

Indulgentiae pro iis, qui relinquunt aliquam eleemosynam ecclesiis Religiosorum mendicantium,

51. Illi, qui per testamentum relinquunt aliquid supradictis ecclesiis, lucrantur indulgentiam partialem ex concessione Hadriani III., Sergii IV., Joannis X. et XI. aliorumque Summorum Pontificum; similem indulgentiam lucrantur etiam illi, qui donant calices, tobaleas, aliave utensilia ad usum dictarum ecclesiarum.

52. Infirmi et decrepiti, qui non possunt adire ecclesiam, lucrantur indulgentias in cella sua ex concessione Sixti IV., Pauli V., et ex privilegio Clementis VIII. ad instantiam Reverendissimi Patris Fr. Joannis Baptistae de Molles, Commissarii generalis, in infirmitorio, Fratres et Moniales, qui opem ferunt curandis infirmis, visitando capellam aut oratorium infirmitorii aut conventus, lucrantur indulgentias sicut alii Religiosi assistentes in eodem conventu,

53. Nota Religiosos et Moniales aliorum Institutorum religiosorum gaudere omnibus praedictis indulgentiis per communicationem spiritualem concessam a Leone X., Julio II,, aliisque Summis Pontificibus, ita ut visitando suam ecclesiam in die S. Francisci, S. Antonii a Padua, confessi et sacra Communione refecti, orando Dominum pro exaltatione S. Ecclesiae, extirpatione haeresum et pro pace et concordia inter principes christianos, lucrentur eamdem indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum. Ita pariter Religiosi et Moniales S. Francisci visitando proprias suas ecclesias in festo S. Dominici, magni Patris S. Augustini, S. Francisci de Paula aliorumque pariter Patriarcharum et fundatorum Ordinum a S. Sede

approbatorum. Pariter diebus Jubilaeorum, et indulgentiarum eorum ecclesiis concessarum, confessi et sacra Communione refecti lucrantur easdem indulgentias, remissiones et Jubilaea, ac si personaliter visitassent eorum ecclesias. *Ita communiter docent theologi.*

54. Similiter patres et matres Religiosorum et Monialium lucrantur idem Jubilaeum in articulo mortis, et post mortem eadem suffragia Fratrum Minorum. Pariter a Joanne XXII. conceditur indulgentia quinquaginta dierum illi, qui sacerdotibus reverentiam exhibebit; quadraginta dierum illi, qui recitat *Salve Regina,* aut Missam audit, et similiter quadraginta dierum praedicatoribus, quotiescumque praedicabunt, sicut et illis, qui auscultant.

Indulgentiae concessae Advocatis.

55. Advocati ecclesiarum, conventuum et monasteriorum dictorum Ordinum ex concessione Martini IV. lucrantur indulgentiam centum annorum. *Ferraris.*

Indulgentiae concessae Procuratoribus.

56. Procuratores, qui adiuvant et defendunt monasteria et loca praefata, ex concessione Martini IV. lucrantur indulgentiam centum annorum: insuper Innocentius VIII. concedit ut dicti procuratores, et eorum substituti, filii, patres, matres, uxores, sorores, et fratres diebus stationum Urbis Romae dicendo in ecclesia praefatorum Ordinum quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria*, DEUM orando pro felici statu S. Ecclesiae, lucrentur easdem indulgentias, ac si visitarent ecclesias Urbis Romae, in quibus habentur dictae stationes. *Ferraris.*

57. Patres et matres Fratrum Minorum et Monialium eiusdem Ordinis vi bullae Calixti III, possunt in articulo mortis eligere sibi confessarium approbatum, qui impertiatur ipsis absolutionem generalem a culpa et poena in forma amplissimi Jubilaei. Ita docet P. Hieronymus Rodericius et alii.

Indulgentiae concessae medicis dictorum Ordinum

58. Medici conventuum dictorum Ordinum cum eorum filiis, filiabus, uxoribus, sororibus, fratribus, patribus et matribus lucrantur singuli eorum ex concessione Alexandri VI. indulgentiam centum annorum et insuper omnes indulgentias et stationes, quas lucrantur Religiosi Minores et Moniales, dicendo tamen quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria* pro felici statu S. Ecclesiae, et lucrantur dictas indulgentias vi particularis privilegii Innocentii VIII. concessi procuratoribus, et applicati dictis medicis per supradictum Alexandrum VI.

59. Tandem illi et illae, qui facient orationem mentalem quotidie per mediam horam, aut saltem quartam horae partem, confessi et sacra Communione refecti, orantes iuxta intentionem Summi Pontificis, lucrantur indulgentiam plenariam semel in mense, etiam applicabilem animabus purgatorii, et lucrantur etiam indulgentias Viae Crucis.

60. Notandum quod, quando Romani Pontifices concedunt illis, *qui visitabunt aliquam* ecclesiam aut aliquod altare, etiam indulgentiam plenariam, si in concessione non sunt expressae preces aut opera pia, quae ad eas lucrandas fieri debent; orando pro exaltatione S. Ecclesiae, pro extirpatione haeresum, pro conversione peccatorum, pro pace et concordia inter principes christianos, dicendo eum in finem quinque *Pater* et *Ave* et unum *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice, acquiruntur dictae indulgentiae. (Eusebius Amort et alii.)

Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praeposita ad humillimas preces Monialis Sor. Mariae Annae Moroni, Abbatissae ven. asceterii Sancti Silvestri in Capite de Urbe, Ordinis S. Francisci, praesens indulgentiarum Summarium ex certis documentis desumptum, ac per eiusdem Sacrae Congregationis Consultores probatum, uti authenticum recognovit, typisque imprimi, ac publicari posse censuit. In quorum fidem, etc. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 20 Julii 1841.

C. CARD. CASTRACANE, *Praef.*
A. Canonicus *Prinzivalli,* Substit.

—

SUMMARIUM

Indulgentiarum Seraphicae Chordigerorum Archiconfraternitatis. (1)

CLEMENS Papa Decimus, Brevi edito die 14 Julii 1673 Dudum felicis, *quod in Romano Bullario (Tit. VII pag. 225) integrum habetur, confirmavit, et innovavit Literas Pauli P. V.*

(1) Cfr. Rescripta authentica S. Congregationis Indulgentiarum. 1885. pag. 432.

Cum certas *die 2 Martii 1607 expeditas*, *et omnibus praeterea utriusque Sexus Christifidelibus, qui Sacrae Chordae S. P. Francisci Archiconfraternitati a S. M. Sixto Papa V per Constitutionem* Ex Supernae Dispositionis *die 19 Novembris 1585 in Ara Maiori Basilicae Patriarchalis, et nunc Capellae Papalis, Assisii primo erectae (sub quo Altari religiose asservantur Exuviae S. P. Francisci) et Confraternitatibus Ipsi ex tunc aggregatis, institutis, legitimeque quandocumque instituendis, adscripti fuerint, sequentes concessit* Indulgentias, *et spirituales gratias:*

I. Illis nempe Christifidelibus, qui pie in memoriam S. P. Francisci *Chordam* benedictam ab eiusdem Ordinis Superioribus suscipientes, in Seraphicam Chordigerorum Societatem ingrederentur: *die primo eorum ingressus,* si vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpsissent, Indulgentiam *Plenariam.*

II. Confratribus autem et Consororibus adscriptis, etiam vere poenitentibus et confessis et sacra Communione refectis, qui Societatis Ecclesiam seu Oratorium in *festo principali* Archiconfraternitatis a primis vesperis usque ad occasum solis devote visitassent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent etiam *Plenariam.*

III. Eisdem Confratribus et Consororibus in *mortis* quoque *articulo,* si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem vere poenitentes nomen Jesu ore, si possent, sin minus, corde devote invocaverint, *Plenariam* similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem.

IV. Confratribus et Consoribus ipsis, qui Confraternitatis *Processioni* singulis mensibus fieri solitae interfuissent, *tres annos* et totidem *quadragenas.*

V. Iis vero, qui *Offic.* B. Mariae Virginis ab eiusdem Societatis Confratribus pro tempore celebrando et recitando, aut cuivis alteri Officio pariter interessent, *centum dies.*

VI. Chordigeris eisdem, qui SS. Sacramentum quando ad infirmos deferretur, comitati fuissent, *quinque annos* et totidem *quadragenas.*

VII. Confratribus pariter et Consororibus, qui vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti aliquam Ordinis Minorum Ecclesiam a primis Vesperis usque ad solis occasum in *festivitatibus* S. P. Francisci, S. Antonii de Padua, S. Bonaventurae, S. Ludovici Episcopi, S. Bernardini, et S. Clarae; *necnon* SS. Stigmatum, S. Didaci, S. Petri de Alcantara, SS. Martyrum eiusdem Ordinis, S. Ludovici Regis Francorum, et S. Elisabethae Reginae Hungariae, devote visitassent, et ibi, ut praeferur n. II, pias ad Deum preces effudissent, quo die festivitatum huiusmodi id egerint, *septem annos* et totidem *quadragenas.*

VIII. Ipsis etiam cunctis, *quoties* corpora defunctorum tam Confratrum, quam aliorum ad sepulturam comitati fuissent, aut alicui pauperi personae in eius necessitatibus subvenissent, aut pacem inter inimicos composuissent, *toties* pro quolibet praedictorum operum *centum dies* de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxavit. *Hucusque Clemens X. — Cetera vero alii Summi Pontifices.*

IX. Omnibus item Chordigeris, qui *Processioni,* ut ante n. IV. in una ex Dominicis cuiuslibet mensis fieri solitae interfuissent, Paulus Quintus Brevi *Pias Christi* die 3 Octobris 1609 edito, quod Innocentius XI alio Brevi die 26 Augusti 1680 confirmavit, *Plenariam* addidit Indulgentiam, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti preces ad Deum effudissent, ut n. II.

X. Confratribus insuper et Consosoribus, qui etiam poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti Archiconfraternitatis Ecclesiam devote visitaverint *die secunda Augusti* a primis Vesperis usque ad occasum solis, et ibi pias ad Deum effuderint preces, ut n. II. exprimitur; idem Paulus V Brevi edito die 15 Iunii 1610, Indulgentiam concessit *Plenariam,* quam ad omnes alias erectas erigendasque Chordigerorum Confraternitates extendit, ut et reliquas Indulgentias hucusque recensitas.

XI. Chordigeris praeterea omnibus Gregorius XV Brevi *Alias* die 27 Iunii 1622 edito, in quo Sixti Breve *Ex supernae* die 19 Novembris 1582 datum continetur et innovatur, concessit lucrari posse omnes et singulas Indulgentias *Archiconfraternitati Confalonis*

B. M. Virginis in Ecclesiae S. Luciae de Urbe, a Seraphico Doctore S. Bonaventura sub titulo *Societatis Regulae Recommendatorum* anno 1264, iuxta Breve *Pastoris aeterni* Gregorii XIII die 12 Octobris 1576 editum, primitus institutae; necnon *Ordini Fratrum Minorum directe et in specie* concessas et non revocatas, non autem per extensionem vel communicationem eisdem competentes et Brevi *Pias Christi* die 10 Novembris 1622 dato laudatus Pontifex ipsis sacrae Chordae adscriptis elargitus est frui et gaudere posse omnibus et singulis Indulgentiis, quibus iidem *Fratres Minores uti Regulares*, secundum Breve Pauli V. *Romanus Pontifex* die 23 Maii 1606 emanatum, *in genere* fruuntur et gaudent.

XII. Confrataibus igitur et Consororibus, ex praedictis Summorum Pontificum concessionibus et Brevi etiam *Exponi nobis* ven. Innocentii XI die 15 Maii 1688 edito (Chr. T. III. P. I. pag. 286), communicantur, praeter alias multas nostratibus assignatas, Indulgentiae pro recitatione Coronae septem Gaudiorum B. Mariae Virginis, pro Statione SS. Sacramenti, et pro Exercitio Viae Crucis: quae praecipuae habentur ac pretiosissimae, et a Tertiariis etiam et Chordigeris omnibus in gratia existentibus *toties quoties* lucrari possunt, et Purgatorii animabus applicari.

XIII. Ipsis quoque Confratribus et Consororibus, qui propriam Capellam in Ecclesia Ordinis, et ubi Confraternitas eorum erecta existit, devote visitaverint, ibique pie oraverint, ut n. II. dictum est, conceduntur eaedem Indulgentiae, quas visitantes Ecclesias Urbis et extra eam diebus *Stationum* consequuntur, perinde ac si Ecclesias ipsas Urbis personaliter visitassent.

XIV. Adscriptis etiam sacrae cordae omnibus, qui orationem Dominicam et Salutationem Angelicam quinquies ante Altare eorum Ecclesiae in quolibet die recitaverint, *aut*, si ob paupertatem, distantiam, infirmitatem, vel aliud legitimum impedimentum Capellam visitare nequeunt; quinque *Pater* et *Ave* et *Gloria* in honorem quinque Vulnerum D. N. Iesu Christi et S. P. Francisci dixerint, conceditur lucrari posse *quinque annos* et totidem *quadragenas*.

XV. Unde patet, quod merito in Summario Indulgentiarum Seraphici Ordinis (Prinz. A. p. 93.) expressa et congrua enunciatur exhortatio, ut omnes Christifideles sacram accipiant S. P. N. Francisci Chordam, qua magnum hunc Indulgentiarum Thesaurum lucrari valeant. Idque, ad maiorem Dei Gloriam et animarum salutem, ab omnibus et singulis ubique terrarum fiat. Amen. (1)

Praesens Summarium Indulgentiarum Archiconfraternitatis Chordigerorum S. Francisci cum authenticis documentis concordare repertum est; ideoque permittitur ut imprimi possit et promulgari.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 1 Junii 1866.

Antonius Maria Panebianco Card.
Praef.

Philippus Can. Cossa Substitutus.

—

RESCRIPTUM

S. Congregationis Indulgentiarum, quo quasdam preces ante et post Missam recitantibus variae conceduntur Indulgentiae.

Beatissime Pater,

D. Adelelmus Foppiano O. S. Benedicti ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, cupiens ut omnes Sacerdotes in dicendis precibus pro Missae celebratione, nonnullas consequantur Indulgentias, humillime implorat, ut Sanctitas Vestra benigne concedere dignetur:

I a) Indulgentiam unius anni pro recitatione, praeter illam quinque Psalmorum — *Quam dilecta* etc., *Benedixisti, Dne* etc., *Inclina Dne* etc., *Credidi* etc,, *De profundis* etc. — cum versiculis et septem orationibus adnexis, Orationis S. Ambrosii Ep. singulis hebdomadae diebus assignatae;

b) Indulgentiam centum dierum pro recitatione Orationis S. Ambrosii Ep. *Ad mensam* etc.;

c) Indulgentiam centum dierum pro recitatione Orationis S. Thomae Aquinatis *Omnipotens Sempiterne Deus* etc.

d) Indulgentiam centum dierum pro recitatione Orationis ad omnes Angelos et Sanctos *Angeli, Archangeli* etc.

(1) Cfr. etiam Rescripta S. C. Indulgentiarum, *Act. Ord.* anno II, pag. 59 et pag. 122.

II a) Indulgentiam unius anni pro recitatione, praeter illam consueti Cantici *Benedicite* etc. et Psalmi *Laudate* etc., cum versiculis et tribus Orationibus adnexis, duarum sequentium Orationum, quarum altera S. Thomae *Gratias tibi ago* etc., altera S. Bonaventurae *Transfige, dulcissime Dne* Jesu etc.

b) Indulgentiam centum dierum pro recitatione Rithmi S. Thomae *Adoro te devote* etc.

c) Indulgentiam centum dierum pro recitatione Orationis S. Alphonsi Mariae de Ligorio Episcopi singulis hebdomadae diebus assignatae.

d) Indulgentiam centum dierum pro recitatione Orationis ad B. M. V. *O Maria, Virgo et Mater sanctissima, ecce suscepi* etc.

Implorat idem humilis orator, ut quilibet Sacerdos, qui quotidie unius mensis spatio, omnes et singulas preces et orationes praedictas recitaverit, Plenariam Indulgentiam, semel in eodem mense, die ad arbitrium eligenda, consequi valeat. Ut de gratia etc.

SSmus Dnus Noster Leo Papa XIII in Audientia habita die 20 Decembris 1884, ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus, iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem sacrae Congregationis die 20 Decembris 1884.

Al. Card. Oreglia a S. Stephano
Praefectus.
Franciscus della Volpe, Secretarius.

N. B. Notum facimus Fratribus nostris, quod editio manualis precum ante et post Missam, quae supra citatae, et a S. Sede Indulgentiis ditatae sunt, iam in promptu est, et haberi potest apud Antonium Saraceni, *Libreria religiosa, via dell' Università N. 13. Roma,* pro pretio L. 0,30, ligat. L. 0,50.

—

DECISIO

S. Congregationis Indulgentiarum Tertium Ordinem corcernens.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus Goritiensis a S. Congregatione Indulgentiarum sequentium dubiorum solutionem humillime petit:

1. Recitantes fratres et sorores trium Ordinum S. P. Francisci Rosarium seraphicum (7 decadum) lucranturne qualibet vice, prout ante Constitutionem nupperrimam S. S. Leonis XIII « *Misericors Dei Filius* » Indulgentiam plenariam?

2. Sodales Tertiarii recitantes post Communionem Ps. 19 « *Exaudiat* » lucranturne Indulgentias intuitu Communicationis Privilegiorum cum 1. et 2. Ordine S. Francisci et cum aliis Ordinibus, puta Camaldulensium, Augustianorum, etc.?

In genere adestne pro Tertiariis adhuc communicatio privilegiorum?

3. R. P. Bonifacius Minister provincialis FF. MM. Cap. Provinciae Rheno-Palatinensis occidentalis (West-Rheinpfale) dubium sequens S. Congregationi Indulgentiarum proposuit: « An in suo valore maneant etiam post declarationem S, S. d. d. 7 Iunii 1882 Indulgentia Plenaria et Benedictio Tertiariis elargienda (antea absolutio generalis dicta) cum Benedictione Papali, concessa *speciali privilegio* in festo s. Aloysii Gonz. die 21 Iunii (qua die anniversaria induitionis S. M. Pii IX ceu Tertiarii); » et responsum accepit die 30 Decembris 1882: « Affirmative, quia speciale privilegium, ut cesset, speciali tantum revocationi tolli debet. » Standumne est adhuc huic declarationi, necne?

4. In Kalendario perpetuo Ordinis Min. S. P. Francisci et per consequens in Directorio liturgico eorum Provinciae S. Crucis Croatiae Carnioliae notantur suis diebus Indulgentiae Plenariae, quae lucrari possunt a quibuscumque Chistifidelibus visitantibus Ecclesias conventuales Ord. s. Francisci sub solitis conditionibus.

Quaeritur, num Sodalibus Tertii Ordinis s. Francisci, velut hucusque, sufficiat ad lucrandas huiusmodi Indulgentias, visitare proprias Ecclesias curatiales, an vero opus sit illas, non obslante quacumque distantia, etiam (10-20 horarum), adire Ecclesias praedicti Ordinis?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita propositis dubiis respondit:

Ad 1. Quoad Sodales Tertii Ordinis s. Francisci, Negative.

Ad 2. Negative ad utramque partem.

Ad 3. Negative post editam Constitutionem Apostolicam « *Misericors Dei Filius.* »

Ad 4. Quoad primam partem, Negative; quod secundam, Affirmative.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 12 Iunii 1884.

L. Card. Bonaparte

Pro Praefecto Card. Oreglia S. Stephano.

Franciscus Della Volpe Secret.

—

DECISIONES
S. Congr. S. U. Inquisitionis

concernentes dubia quoad excommunicationem minorem, quoad absolventes complicem, et quoad craniotomiam.

Illustrissime, et Revme Dne.

Litteris diei 25 praeteriti Maji Amplitudo Tua Supremae huius Congregationis examini proponebat tria sequentia dubia:

1. Fere omnes Constitutionis *Apostolicae Sedis* commentatores docent, excommunicationem minorem vi huius Constitutionis abolitam esse. Utrum haec sententia tuto doceri possit in Seminario?

2. Iterum omnes eiusdem Constitutionis commentatores docent, illum confessarium excommunicationi non subiici qui complicem in peccato turpi absolvere fingit; sed reipsa non absolvit. Contrarium tamen declaravit Sacra Poenitentiaria die 1. Martii 1878. An potest Orator permittere ut in suo Seminario doceatur sententia responso S. Poenitentiariae opposita?

3. An permittere potest ut in suo Seminario tamquam probabilis doceatur nonnullorum recentiorum opinio, quod liceat infantem in utero matris occidere ad matrem relevandam, si alias mater et infans perituri sint?

Porro Eminentissimi Patres una mecum Inquisitores Generales in Congregatione habita

Feria IV. die 5 vertentis Decembris, ad examen revocarunt primum et alterum ex propositis dubiis. Siquidem tertium cum sit obiectum plurium petitionum, quae ab aliis quoque Ordinariis transmissae sunt, adhuc penes Supremum hunc Ordinem in studiis est. (*a*)

(*a*) Huiusmodi tertii dubii decisionem retulimus pag. 3. *Act. Ord.* huius anni.

Jam vero ad I: iidem Emi PP. responderunt: *Affirmative.*

Ad II: vero *Negative*, facto verbo cum Sanctissimo quoad utrumque.

Cum autem SSmus D. N. has Emorum PP. resolutiones, ac responsiones approbare, ac plene confirmare dignatus sit, eas Amplitudini Tuae pro sui norma communico, ac impensos animi sensus Eidem testatos volo, cui fausta omnia a Deo precor.

Amplitudinis Tuae Addictissimus uti Frater

Alois. Card. Bilio

Romae, die 10 Decembris 1883.

Illmo et Rmo Dno Episcopo Petrocoricen.

—

EX EADEM SUPREMA CONGREGAT.
RESPONSUM CIRCA MATRIMONIUM FRANCO-MURATORUM.

Quaestio. Utrum iuramentum massonicum non retractatum, considerari et tractari possit vel debeat, ad instar impedimenti matrimonium impedientis, vel etiam dirimentis; et quae cautelae exigi debeant ut matrimonium puellae catholicae cum viro franco-muratore iurato, licite, aut etiam valide a parocho benedici possit.

Ratio dubitandi est quod iuramentum massonicum, quo quis seipsum sectae Francomuratorum caece mancipat, maius impedimentum matrimonii creare videtur quam haeresis, quia doctrina istius sectae non tantum haeretica est; sed essentialiter antichristiana, et maius quam disparitas cultus, quia malitia sectae istius malitiam infidelitatis longe superat, propter nefarium finem sibi propositum radicitus evellendi e cordibus hominum fidem ipsam, ac funditus destruendi totam religionem et Ecclesiam christianam. Neque iustum videtur si haeretici qui Jesum Christum adhuc confitentur et SS. Trinitatem non negant, ab Ecclesia catholica severius iudicentur, atque a connubiis cum catholicis strictius arceantur, quam viri ad exitium nominis christiani coniurati, qui secretis suis molitionibus omnia regna rebellione perpetua turbare, et totum mundum ruinis implere numquam non satagunt.

Responsum — Quod attinet ad matrimonium, in quo una contrahentium pars clande-

stinis aggregationibus notorie adhaeret, donec Apostolica Sedes generale decretum hac in re non ediderit. oportet ut Pastores caute et prudenter se gerant, et debent potius in casibus particularibus ea statuere, quae magis in Domino expedire iudicaverint, quam generali regula aliquid decernere: omnino vero excludatur celebratio sacrificii Missae, nisi quando adiuncta aliter exigant.

Die 21 Februarii 1885.

G. Pelami *S. R. et U. Inquis. Notarius.*

—

RESCRIPTUM APOSTOLICUM.

ex Audientia Ssmi quo ad quinquennium conceditur petita ut infra facultas subdelegandi ad benedicendos Crucifixos cum applicatione Indulgentiarum Viae Crucis.

Beatissime Pater.

Fr. Bernardinus a Portu Romatino Minister Generalis Ordinis Minorum ad Pedes S. V. humillime provolutus, enixe postulat:

I. Pro Rmis Vicariis Apostolicis, qui ad Seraphicum Ordinem pertinent.

II. Pro Admodum Revdis Patribus Praefectis Apostolicis, Seraphici Ordinis pariter alumnis, qui nominantur a Sacra Congregatione Fidei Propagandae.

III. Pro R. R. Praefectis Missionum, qui a vocalibus Collegiorum Missionum in America existentium eliguntur in Capitulo, iuxta Constitutionem Pianam, quae incipit *Apostolica Sedes* datam die 12 Iunii anni 1877.

IV. Pro Patribus Commissariis Terrae Sanctae, qui a Ministro Generali Ordinis deputantur,

licentiam necessariam ad subdelegandum Sacerdotibus sibi subditis facultatem benedicendi crucifixos cum applicatione indulgentiarum Sanctae Viae Crucis.

Pro qua gratia etc.

Ex Audientia Ssmi
diei 7. Iunii 1885.

Ssmus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII. referente me infrascripto Archiepiscopo Tyren. S. Congnis de Propaganda Fide Secretario, porrectis precibus benigne annuere dignatus est pro gratia iuxta petita ad quinquennium.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congnis, die et anno ut supra.

D. Archiep. Tyren. *Secretarius.*

Auctoritate Apostolica Nobis benigne concessa utentes, omnibus in praecedenti supplici libello expressis et nominatis, quibus praesenti Rescripto data est licentia ad subdelegandum, facultatem concedimus Benedicendi Cruces cum imaginibus Domini Nostri Iesu Christi Crucifixi prominentibus, atque ex aurichalco (vulgo *ottone*), vel ex alia quacumque materia non fragili confectis; eisdemque applicandi omnes Sacrae *Viae Crucis* Induldulgentias, lucrandas ab infirmis, navigantibus, carceribus detentis, in partibus Infidelium morantibus, aliisque a visitandis eiusdem *Viae Crucis* Stationibus legitime impeditis: dummodo recitent (iuxta Decr. *Urbis et Orbis* die 16 septembris 1859 edit.), corde saltem contrito ac devoto, *viginti Pater, Ave, et Gloria;* unum nempe pro qualibet Statione, quinque in Sacr. D. N. Iesu Christi Vulnerum memoriam, ac unum iuxta mentem Summi Pontificis.

Iis vero, qui gravi morbo ita afficiuntur, ut recitandis *viginti Pater, Ave, et Gloria* impares sint, ex benigna concessione Nobis facta a S. P. Pio Pp. IX per litteras in forma Brevis sub die 18 Decembris an. 1877, indulgemus ut, eorum loco, recitent semel Actum contritionis, vel invocationem: *Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.*

Advertendum tamen, huiusmodi facultatem valere tantum extra Urbem, iisque in locis, ubi Conventus Fratrum Nobis subiectorum non habentur, nisi accedente Superioris localis consensu.

Datum Romae, ex Aracoeli, die 6 Iulii 1885.

Fr. Andreas Lupori *Delegatus Glis.*

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica

—

CAPUT IV.
DE VITA COMMUNI, UBI VIGET, CONSERVANDA.

(Continuatio)

Ex hucusque expositis satis intelligitur, vitam communem perfectam in omnibus Conventibus nostris observari debere, ac propterea eam, ubi viget, sedulo conservandam et fovendam, ac si alicubi forsitan non vigeret, ipsam esse introducendam. Verum haec cognitio obligationis parum prodesset, si viam et media, quae hoc possibile reddunt, ignoraremus. Propterea nunc breviter indicabimus aliquas regulas, tum pro Superioribus tum pro subditis, quae si observentur, vitae communis exercitium eiusque conservationem multum iuvant. Alia autem vice de obligatione vitam communem introducendi, si non vigeat, deque modo hoc peragendi tractabimus.

Manifesta experientia compertum est, ex Praelatorum oscitantia, ignorantia, tenacitate vel avaritia peculii usum, vel etiam proprietatis crimen, subinde monasteria invasisse. Siquidem solemnis Religiosorum professio contractus quidam est mutuus, quo Religiosi seipsos omniaque sua, tum praesentia tum futura, sub dominio ponunt Religionis, eisque penitus renuntiant: et Religio vicissim, tamquam mater amantissima, eos suscipit in filios, eodemque obligationis vinculo sese obstringit ad victum et vestitum, seu ad omnia, quae eorum tum naturae tum statui et officio necessaria sunt, sufficienter conferenda. Porro, si Religio huic suo debito deesset, et sic contractum laederet: Religiosus utique ius obtineret ad necessaria alio modo sibi comparanda. Quam ob causam Ordinum fundatores tantopere Superioribus mandant inculcantque, ut omnia necessaria subditis suis conferant, ne ex illorum negligentia isti ansam arripiant, clanculum aliquid sibi procurandi. « Ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, » dicit S. Benedictus (1), « dentur ab Abbate omnia, quae sunt necessaria ». Et S. P. N. Franciscus Ministris et Custodibus iniungit, ut pro necessitatibus infirmorum et aliis Fratribus induendis per amicos spirituales « sollicitam curam gerant, se- « cundum loca et tempora et frigidas regio- « nes, sicut necessitati viderint expedire » (1).

Hoc ipsum inclamant Concilia et Romani Pontifices, atque ut cuiusque excusationis praetextum auferant, statuunt, ut is tantum numerus Religiosorum in singulis monasteriis constituatur, qui ex consuetis monasteriorum eleemosynis congrue sustentari valeat. (2) Capitula nostra Generalia saepe renovant mandatum, ut Guardiani omnium Fratrum subditorum necessitatibus sufficienter et charitative provideant. Constitutiones Generales cismontanae familiae conformiter ad praefatum S. Regulae nostrae praeceptum, sequentia sapienter praescribunt: (3)

« Innovantur omnia statuta et decreta, « quibus inculcatur Guardianis, ut singulis « Fratribus suis ad religiosam sufficientiam et « decentiam de necessariis omnino provideant.

« Quod ut exacte observetur, Provinciales « et Visitatores in suis visitationibus specia- « liter de hoc puncto inquirere teneantur, et « ad proximum Definitorium in Congregatione « aut Capitulo referre: in quo, constante « Guardiani negligentia, in officio continuari « non possit. Ad haec in Capitulis Provin- « cialibus Guardiani ad suffragandum non ad- « mittantur, nisi prius coram Capituli Prae- « side ac Definitorio per iuratas suorum Re- « ligiosorum et Syndici Apostolici attestatio- « nes constare faciant, se cuilibet indigenti ad « supradictam methodum necessaria mini- « strasse. Qui tales attestationes ad Capitula « non detulerint, in eisdem voce passiva ca- « reant, et cuiusvis officii tunc distribuendi « incapaces sint, sub poena nullitatis; et po- « stea activa et passiva voce per duo subse- « quentia triennia solaria sint privati.

« Quin etiam Conventuum Superioribus « sub officii privatione praecipitur, ut refe- « ctionis tempore Fratres sibi subditos crebro

(1) Reg. Cap. 55.

(1) Reg. Cap. 4.
(2) Cfr. Conc. Trid. sess. 25 de Reform. Regul. cap. 3.
(3) Constit. General. n. 282, 283, 284, 285, 286.

« moneant, hortentur, invitent, sollicitent, ro-
« gent, ut sibi secure manifestare velint et « debeant proprias necessitates, parati eisdem « benigne et sollicite providere: subditi vero « per sanctam obedientiam Superiores adire « teneantur, eisque occurrentes necessitates « fidenter exponere.

« Qui vero qnomodolibet in rerum neces- « sariarum subministratione defecerint; inhu- « manitatis et crudelitatis notam, officiorum « privationem, et perpetuam ad omnia mu- « nera inhabilitatem irremisibiliter incurrant. « Eisdemque notis et poenis subsint Provin- « ciales Ministri, qui vel Guardianos quovis « modo in praemissis delinquentes punire, vel « curam, ad quam ex Regula ipsi prae ceteris « tenentur, pro Fratrum necessitatibus gerere « neglexerint. Et ut frivolae Guardianorum ex- « cusationes praecludantur, attendi omnino de- « beant decreta de numeri Fratrum ad consue- « tas eleemosynas proportione: eaque Superio- « res Generales servari curent, minuendo etiam, « si opus fuerit, Novitiorum receptionem ».

Haec serio attendant atque considerent Superiores omnes, et ita Fratribus sibi subditis de cunctis necessariis providere studeant, ut isti iustam querelam contra ipsos proferre nequeant. Variae Ordinum Regulae, immo Acta ipsa Apostolorum, Superiores admonent, ut omnibus ita provideant, prout cuique necessarium est. Communitas monastica limites fixos certosque habet; eadem mensa nutrit, eodem vestiario induit Religiosos omnes, tum Superiores tum subditos tam doctos quam indoctos; infirmis pariter eodem valetudinario succurrit, non sumptibus, non laboribus, non industriae parcit, sed ea omnia, quae de medici consilio expedientia ac reparandae sanitati congrua iudicantur, prompta liberalitate subministrat. Caveant igitur Superiores, ne in victus et vestitus eorumque, quae sub his nominibus veniunt, provisione acceptatores sint personarum, habita tamen semper ratione indigentiae et necessitatis singulorum. Nemini denegare possunt, quae ipsi necessaria sunt, sive ratione officii, sive laboris, sive adversae valetudinis.

Regula praecipua et mensura istius provisionis esto non tenax et avara oeconomia, sed Jesu Christi charitas, quae Religiosos respicit non tamquam servos sub vinculo legis, sed sicut filios sub libertate gratiae constitutos. Quamobrem Superiores summopere cavere debent, ne sub ementita paupertatis larva, et sub doloso patrimonii conservandi et augendi zelo eorum animos avaritiae spiritus invadat. Superiores, qui Conventus inopiam opportune importune semper exaggerant, et hoc modo spiritum paupertatis in subditorum animis summa illusione accendere arbitrantur, indignationem potius, scandalum et de Divina providentia diffidentiam pariunt.

Ut scopulos istos evitent, illud potius subditis saepe inculcare debent et suadere: « Quae « rite primum regnum Dei, et haec omnia « adiicientur vobis, » (1) Divinae providentiae munificentiam extollant, ipsisque certo adpromittant, tamdiu eleemosynarum largitionem fore abundantem, quamdiu ipsi in observantia regulari perseveraverint. David dicit: « Junior « fui, etenim senui, et non vidi iustum dere- « lictum, nec semen eius quaerens panem ». (2) Brevi verbo: quo Superiores in subditorum provisione liberaliores erunt, eo facilius subditis suis paupertatis affectum instillabunt et voluntarios evangelicae paupertatis professores eos constituent. Duo itaque extrema Superiores declinare contendant, tenacitatis scilicet et prodigalitatis. Si vero in peculiari casu dubium occurrat, ad quod horum declinandum sit extremorum, ad abundantiam potius gressum vergant. Nec dicat Superior aliquis: coenobii eleemosynae in dies magis decrescunt. Si verum hoc esset, non leve argumentum foret, spirituale coenobii regimen in praeceps ruere. Instaura spiritualia et coelestia, et continuo eleemosynae sufficientes a Divina providentia porrigentur!

Cavendum igitur Praelatis est, ne sua tenacitate materiam subditis praebeant excusandi proprietatem praetextu necessitatis; et rursus ne sua profusa liberalitate superfluitati ianuam aperiant, sed tribuant unicuique, prout cuique opus esse perspexerint. Non permittant Superiores, ut subditi de quibusdam rebus levioris momenti per peculiares amicos sibi provideri faciant. Tali enim agendi ratione caput quartum nostrae Regulae pedetentim violabitur

(1) Matth. VI.
(2) Ps. XXXVI.

et peculium sensim sine sensu introducetur. « Qui spernit modica, paullatim decidet ». (1)

Religiosi subditi autem veram sinceramque evangelicae paupertatis ideam prae oculis continuo habeant oportet, ut secundum illam semper vitam suam componere valeant. Huius paupertatis typum in semetipso expressit CHRISTUS dicens: « Vulpes foveas habent, et vo- « lucres coeli nidos, filius autem hominis non « habet, ubi caput suum reclinet ». (2) Huius autem suae paupertatis imitationem nobis consuluit dicens: « Vade, et vende quae habes, et « da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, « et veni et sequere me ». (3) Hanc paupertatis religiosae ideam, quam sacrae Scripturae nobis depingunt, saepe contemplari debemus. Enimvero vel in ipsis coenobiis, in quibus rerum communitas floret, laedi potest et non raro laeditur paupertatis virtus. Ad exactam quippe perfectamque istius paupertatis observantiam satis haud est, quod nihil proprietatis possideamus, quod ex communibus eleemosynis omnia nobis subministrentur, sed requiritur insuper, ut paucis contenti simus, ut frugalitatem in victu, et humilitatem in vestitu servemus. Quid igitur de illis dicendum, qui selectiora semper quaerunt fercula, qualitatem et quantitatem escarum reprehendunt, officialibus sunt molesti, et Praelatis importuni? Quaenam paupertas iuxta omnium prudentum sensum dicenda est ea, quae penuriam semper respicit, quae palato indulget, quae in victu et vestitu semper abundantiam quaerit? Vera paupertas, quam nos DEO spopondimus, ea est, quae corpus alit ad sustentationem, quae nuditatem operit ad modestiam tuendam aërisque intemperiem propulsandam. Nobis ipsis illudimus, fucumque facimus, quoties paupertatis monasticae observatores audiri velimus, si penuriam aliquando, incommoda ceterosque evangelicae paupertatis effectus perferre recusaremus. Cum S. Paulo Apostolo parati esse debemus, et dicere: « Scio et humiliari, scio « et abundare (ubique et in omnibus institutus « sum, et satiari, et esurire, et abundare, et « penuriam pati, omnia possum in eo, qui me « confortat ». (1) Praelatorum utique munus est, redundare potius in subditorum provisione, etsi istorum quispiam tanta abusurus sit charitate, quoniam Superiores boni communis conservationem publicamque tranquillitatem inspicere debent, eorumque est murmurationum perturbationumque occasiones auferre. Ceterum non ideo subditi a laesione paupertatis immunes evadunt, si hac abundantia etiam a Praelato oblata abutantur, si sobrietatem et frugalitatem non custodiant, si penuriam, data occasione, perpeti recusent

Nos igitur Sanctorum inhaerentes vestigiis et doctrinis debemus sedulam navare operam, tum verbis tum factis, ut exacta rerum communitas in domibus *nostris conservetur. Perpendamus*, quanta caecitate detineantur Religiosi illi, qui post lungum Religionis tyrocinium iis terrenis quisquiliis tenaci animo adhuc affixi sunt, quas in saeculo existentes eos appetere puduisset. Colligamus, in quantis tenebris iaceant illi, qui voto paupertatis obstricti ea quaerunt in Religione, quae nec in saeculo quondam habebant, nec etiam nunc, si adhuc ibi essent, haberent. Quos omnes ad vivum describit Dionysius Carthusianus in suo opusculo de professione monastica, (2) dicens: « Certe, ut asserit Cassianus, cupi- « ditas aut avaritia a religiosis personis in « exordio conversionis eorum faciliter vinci- « tur ac vitatur. Sed si rursus coeperint cu- « piditatem admittere, fiunt cupidi nimis, ac « difficillime a cupiditate purgantur; immo « multis saecularibus sunt avariores, quod est « vehementer detestabile ac deflendum. Insu- « per sunt quidam Religiosi votum suae pau- « pertatis non satis pensantes, quibus, si a « Superioribus non ministretur de cibo, potu, « vestitu, aut consimilibus ad voluntatem eo- « rum, mox indignantur, obloquuntur, ac mur- « murant, sicut de impiis in psalmo cantatur: « si vero non fuerint saturati, et murmura- « bunt, immo nonnulli, qui in domibus suo- « rum parentum vix tenuem alimoniam ha- « buissent, iam in claustro abundantiam quae- « runt. Attendat ergo Religiosus, cur terrena « reliquerit; nec proprium habeat: quatenus « cor suum a variis distractionibus, curis et

(1) Eccli. XIX, 1.
(2) Matth. VIII.
(3) Matth. XIX.

(1) Philipp. IV.
(2) Cap. XI.

« affectionibus liberum et ereptum in Deo suo « totaliter occupetur, accendatur, stabiliatur, « et quietetur; atque hoc indefesse conetur: « sicque curiosa, superflua, delicata et carnalia « spernet ».

Saepe consideremus magnam tranquillitatem atque felicitatem, quibus fruuntur Religiosi illi, qui perfectam vitam communem observant. Curas pro eorum victu et vestitu prorsus nesciunt, quia Divinae providentiae et Superiorum provisioni sese committunt. Propterea a curis terrenis liberati totis animae et corporis viribus Dei servitio, propriae sanctificationi ac animarum saluti incumbere possunt. Hoc idem dici nequit de illis Religiosis, qui peculio utuntur. Hi enim de iis cogitare debent, quae huius mundi sunt, ac de iis saepe plus aequo cogitare solent, ita ut eorum cor divisum sit et perfecta pace et tranquillitate non fruatur.

Consideremus pariter, Conventus et Religiosos vitam communem non observantes iure merito despici ab omnibus, qui veram monasticae vitae ideam habent. Honor ergo noster, honor nostri Conventus et nostri Ordinis a nobis postulant, ut vitam communem observemus, eamque in Conventibus nostris summo studio retineamus et conservemus.

Quamvis multa et varia sint media, quae ad conservandam vitam communem et disciplinam regularem sunt necessaria: ipsa tamen ratio, quotidiana experientia et sancti Patres docent, a sancta conversatione, ac bono exemplo et regimine Superiorum potissimum pendere Ordinis incolumitatem. Ad illos enim spectat, relaxationibus omnem aditum impedire, observantiae fervorem et perfectionis zelum in subditis iugiter conservare et promovere. Praelati regulares sui Ordinis spiritu repleti studia sua curasque omnes impendunt, ut Ordinis incolumitati et splendori consulant atque prospiciant, minimas eius observantias illibatas custodiendo, eaque omnia corrigendo, quae eiusdem puritati et decori contraria esse invenerint. Ut hoc obtineant, seipsos impendunt et superimpendunt pro salute gregis sibi commissi; nihil commodi aut honoris in munere suo quaerentes, Fratres suos exemplo vitae praesunt in regulari observantia, eosque monere et obsecrare non cessant, ut digne ambulent vocatione sua, et ita se Deo, Angelis et hominibus acceptabiles et commendabiles reddant. Hi cum pio Mathatia semper cogitant: « Ego, et filii mei, et fratres mei, « obediemus legi Patrum nostrorum ». (1)

Nihil proinde conservandae vitae communi ac observantiae regulari magis necessarium censendum est, quam ut Superiores vero spiritu Ordinis et disciplinae zelo sint repleti. Hinc inferri potest, quam merito Statuta Generalia praescribant, ut ii tantum in Superiores eligantur, qui vitam communem ducunt, et ut electio eorum, qui vitam communem non sequuntur, a Ministro Generali irritanda sit. (2) Haec serio recogitent illi omnes, quibus ius et obligatio eligendi Superiores incumbit, et illis dumtaxat votum suum dare audeant, quos regularis disciplinae et perfectae vitae communis amatores esse noverint; secus enim Ordinis Statuta violarent, et Ordini grave damnum inferrent, ac propterea conscientiam suam non parum macularent.

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1885 celebrata

—

XII.

Ref. Custodia Lucensis.

Die 18 Junii 1885 rite celebratum fuit Capitulum Custodiale in Conventu S. P. Francisci prope Burgum sub praesidentia A. R. P. Aloysii de Pedelama ex Min. Provinciae Seraphicae, Commissarii Visitatoris, in quo electi sunt

Custos Regiminis

A. R. P. Aurelius a Diecimo, ex Comm. Genralis Reip. Argentinae.

Definitores

A. R. P. Franciscus a Turciliano, ex Custos.
R. P. Reginaldus a Turciliano.
R. P. Josephus a Burgo Muzzani.

—

XIII.

Ref. Provincia Romana.

Sub praesidentia A. R. P. Victorini a

(1) I. Machab. II, 20.

(2) Constit. Gener. n. 634, 635. — Statut. Reform. Cap. VIII, n. 31, 40, 53. — Statut. Recoll. Cap. VII. § 2. n. 7.

Fusignano Definitoris Generalis et Comm. Visitatoris rite celebratum fuit Capitulum Provinciale die 20 Junii 1885 in Conventu S. Francisci ad Ripas de Urbe, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Stephanus a Meate, Lect. Em.

CUSTOS VOCALIS

A. R. P. Franciscus a Montealto, Miss. Ap. Em.

DEFINITORES

A. R. P. Franciscus a Montefegatesio, ex-Provincialis.

A. R. P. Vincentius a Jennis, ex-Provinc.

R. P. Andreas a Lepriniano, Lect. Th.

R. P. Paulinus a Castellario.

XIV.

Obs. Provincia Ss. Redemptoris in Dalmatia.

Die 24 Iunii 1885 rite celebratum fuit Provinciale Capitulum sub prasidentia R. A. P. Lucae Turbiglio Comm. Visit. in Conventu S. Laurentii Sibenici, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Vincentius Ianovic.

CUSTOS VOCALIS

A. R. P. Stephanus Zlotovic.

DEFINITORES

R. P. Raymundus Rudez.

R. P. Franciscus Iodric.

R. P. Ioannes Tonkovic.

R. P. Hieronymus Bronic.

XV.

Obs. Provinciae S. Bernardini Aprutiorum.

In Congressu Generali die 25 Junii electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Lucianus a Castrofranco.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Aloysius a Pratulis.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Marcellinus a Lanciano.

R. P. Augustinus a Gesso Palena.

R. P. Michael Angelus a Castro Montis.

R. P. Vincentius a Forcella.

III.

MISSIONES

CHAN-SI.

Rmus Dnus Aloysius Moccagatta, Vicarius Apostolicus de Chan-si, scribit, Missionarios regionis occidentalis et septentrionalis in eorum epistolis deplorare summam miseriam, ad quam christianitates ipsorum sunt redactae, eosque instanter petere subsidia. Deficiente necessaria pluvia, populus granum serere non potuit ante finem Junii, quod iam in vere fieri debuisset. Deinde venit magnum frigus, ita ut in multis locis messis tota perierit. Fere ubique inveniuntur solummodo senes, feminae et infantes. Omnes viri sani huc illuc dispersi sunt, ut victum quaererent. Ineffabilis est miseria familiarum; permulti herbis tantum et radicibus se nutrire coguntur. Missionarii non habent necessaria media, quibus tot miseriis occurrere possint; quapropter instanter fidelium Europae charitatem implorant.

P. MAGINUS CATALA
insignis Californiae Missionarus.

Maginus Catala natus est in loco *Montblanc* Provinciae Taragonensis in Hispania anno 1761. Sexdecim annos natus Barcinone ingressus est Ordinem S. Francisci, in quo studiis Theologicis expletis, sacerdos ordinatus est. Flagrans magno desiderio annuntiandi pauperibus infidelibus Americae Evangelium CHRISTI, petiit et obtinuit licentiam eundi ad Collegium Apostolicum S. Ferdinandi in ditione Mexicana. Ex hoc Collegio primus christianae fidei in California propagator, celeberrimus P. Juniperus Serra, et permulti Missionarii Franciscani prodierunt, qui ad varias Americae partes missi, innumeros homines ad Christi fidem converterunt.

P. Maginus missus fuit in Californiam, ut ibi opus P. Juniperi prosequeretur, conversionem scilicet Indorum illius regionis. Anno 1794 sacrum suum ministerium inchoavit in Missione S. Clarae, ibique laboravit incessanter usque ad mortem pro bono omnium, peculiariter autem pro dilectorum sibi Indorum salute eis constanter doctrinam christianam tra-

dendo, et praedicando illis assidue legem Evangelii. Feminas artem nendi atque suendi aliasque eiusmodi occupationes ipsis convenientes edocuit, viros autem, ut terram colerent et variis mechanicis laboribus sese occuparent. Omnes ibi agebant primaevam quamdam et patriarchalem vivendi rationem, formantes magnam communitatem duorum vel trium millium, sub directione Missionarii. Ex fructibus terrae atque laborum omnes sustentabantur, et erant illis omnia communia. Plus quam 100 pecora qualibet hebdomada mactabantur pro hac ampla S. Clarae familia, quae antea grano plantarum agrestrium tantum et piscibus nutriebatur. Cibo autem spirituali, quem indesinenter suppeditabat, P. Maginus Indis mirabilius profuit. Non minus quam populus Hispanus, Indi in ipso agnoscebant virum, qui die noctuque in eorum utilitatem incumbebat, qui semper paratus erat ad consolandum eos, ad visitandum eorum infirmos, et ad sublevandum eos in necessitatibus cunctis. Sincere eum amabant eiusque Apostolicam doctrinam, et libenti animo ab eius labiis christianae religionis rudimenta accipiebant, Matricula baptizatorum Collegii S. Clarae demonstrat, eum ibi baptizasse 3067 homines, qui magna ex parte erant adulti.

Quae magis vero impulerunt Indos ad amandum et venerandum P. Maginum et ad ducendam vitam honestam et piam, erant ipsius eximiae virtutes, praesertim humilitatis, abnegationis et charitatis. Has ipse virtutes didicerat ad pedes Crucifixi in ecclesia Missionis, ubi tempus, quod ipsi supererat, genuflexus in oratione transigebat. Saepe Indi eum videbant in ecclesia absorptum in coelesti contemplatione usque ad multam noctem, refectionis vespertinae prorsus immemorem.

Plura etiam facta mirabilia eum patrasse refertur. Sic Indi saepe viderunt eum orantem cum ipsis in ecclesia eo tempore, quo se in cellam receperat ut quieti nocturnae vacaret, docentem Indos in longe distanti regione commorantes et eodem tempore in Missione S. Clarae degentem. Saepe e pulpito annuntiavit alicuius hominis mortem, quae in loco valde dissito eodem momento, quo ipse loquebatur, accidebat. Saepe mortem unius vel alterius intra paucos dies futuram praenuntiabat, indicando simul peculiares personae vel loci circumstantias, et petendo fidelium preces pro morituris, qui tunc bona gaudebant valetudine, Plures Fideles Californiae adhuc viventes memoratis factis praesentes fuerunt, eaque suo testimonio affirmant. Eorum tamen testimonio nullam auctoritatem attribuere intendimus, priusquam a S. Sede omnia examinata et approbata fuerint. Facta praedicta, et praesertim virtuosissima Patris Magini vita effecerunt, ut omnes eum venerarentur, tamquam sanctum haberent, ac saepe ipsius patrocinium implorarent.

Haec universalis veneratio praecipue illuxit in die funeris eius, nempe die 22 Novembris 1830. Hac occasione ecclesia Missionis S. Clarae ne mediam quidem partem potuit continere illius populi, qui ex omnibus Californiae partibus convenerat. Omnes sentiebant et lacrymis suis exprimebant, se patrem suum amantissimum atque pastorem vigilantissimum amisisse; domum lamentationibus suis repleveruut et parvam partem habitus ipsius recipere studuerunt, quam tamquam pretiosam reliquiam asservabant.

Visum est valde expedire, ut non solum memoria insignis huius Missionarii Apostolici conservaretur, sed etiam sedulo opera daretur ad eius Beatificationem obtinendam. Ad hunc finem processus praeliminaris coram auctoritate dioecesana iam institutus est, huiusmodi processus acta nuper Romam transmissa sunt, ut S. Sedis examini subiiciantur et deinde, prout speramus, ad ulteriora in hac causa progrediatur.

—

STATUS

Vicariatus Apostolici Ku-pe occiduo-septentrionalis anni 1883-1884.

Christianitates		91
Christiani in catalogo descripti		5791
Baptizati	Adulti	207
	Fidelium infantes	193
Confessiones	annuales	3760
	devotionis	11399
Communiones	annuales	3424
	devotionis	11795
Missionarii	europaei	7
	sinenses	8
Matrimonia benedicta		49

Extremae Unctiones		141
Confirmationes		203
Vita functi		202
Praedicationes	ad fideles	1793
	ad infideles	1184
Missiones		91
Sacella Vicariatus		26
Alumni	Seminarii	15
	Collegii	12
	Scholarum	276

Sancta Infantia

Medici baptizatores		65
Infantes infidelium	baptizati	3682
	collecti in toto anno.	151
	aliti	283
	mortui	2933
Orphanotrophium puerorum	Pueri	28
	Magister	1
	inservientes	2
Orphanotrophium puellarum	Puellae	64
	Magistrae, Religiosae indigenae 3. Ord. S. Franc.	18
	Vetulae paganae collectae.	4
	Mulieres inservientes.	4

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

1884. Un frate e un libero pensatore convertito che si dilettano da savi in dieci conferenze per fra Ermenegildo da Chitignano, M. R. Quaracchi presso Firenze, tipografia del collegio di S. Bonaventura. In-12, pag. 352. L. 2,50.

— Conferenza I. L' origine del mondo al lume della ragione. — II. L'origine del mondo e dell'uomo al lume della fede. — III. Gesú Cristo Redentore del mondo. — IV. I miracoli. — V. I misteri della fede cristiana. — VI. La Chiesa di Dio. — VII. Il Papa. — VIII. Il protestantesimo. — IX. Le piahge dell'Italia nuova. — X. I rimedi per le piaghe dell'Italia nuova.

1885. L' eroe della carita' del P. Anastasio Bocci. Firenze, tip. dell' arte della stampa 4 via delle Seggiole in-12, pag. 276.

Sub hoc titulo R. P. Anastasius vitam S. Caroli Borromaei, praeclarissimi Praesulis Mediolanensis, facili et amoeno sermone enarravit.

1881. Crestomatia aràbico-espanola ó coleccionde fragmentos historicos, geograficos y literarios relativos á Espana baia el periodo de la dominacion sarracenica seguida de un vocabulario de todos los términos contenidos en dichos fragmentos, por el R. P. Fr. *José de Lerchundi,* prefecto apostólico de la mision franciscana en Marruecos y D. Francisco Javier Simonet, *catebrático de lengua* árabe en la universidad de Granada. — Granada, imprenta de Indalecio Ventura Sabatel. 1 parte: texto árabe 2ª parte: vocabulario arábico-espanol. pag. XVI-544. (precio 20 peretas).

1885. Vie de Sainte Marguerite de Cortonne, par le Chanoine Giovagnoli, rééditée et augmentée par le P. Marie, de Brest de l' Ordre des Frères Mineurs ou Franciscains. 4. édition. — Au profit des Missions Franciscaines. Paris, V.re Magnin et fils, éditeurs. 3, rue Honoré-Chevalier — In 12, p. 325 orné d' une vignette (Prix 2,30).

1885. Il Romano Pontefice, Discorso recitato dal P. Diego delle Grotte di Castro Min. Rif. il 3 Marzo 1885 nell' insigne Collegiata di Carpineto Romano per la fausta ricorrenza del settimo anniversario della incoronazione di Leone XIII. Roma, tipografia Monaldi e C.

1885. Il giovine premiato contro gli odierni errori e le astuzie della Massoneria. Avvertimenti e massime per il P. Basilio da Greccio, Missionario Apostolico dei Min. Oss. Venezia, tip. Società Compositori tipografi.

1885. Refutacion de la protesta de la Masoneria del Peru contra las declaraciones de la Enciclica de S. S. Leon XIII, por J. B. P. Gual. Lima, imprenta de F. Francisio Solis.

Lives of the Saints and Blessed of the Orders of St. Francis.

Translated from the « Auréole Séraphique ». Parts I and II. January aud February 1885. containing the « *Life of St. Francis* ».

Taunton, published by the Franciscan Convent.

The Work will be translated from « L'Auréole Séraphique, » by Father Léon, Franciscan observatin, and will probably extend to eight Half-yearly volumes.

This new serial Publication will be commenced immediately. St will be published in monthly parts-subscription. Seven shillings a year, Post free, to be paid in aadance.

Names of Subscribers to be sent to the Rev. Mother Abbess, Franciscan Convent, Taunton, Post Office Orders payable to L. Jerningham, Taunton.

The first number (a double number), for January and February 1885 cauntaius a complete Life of St. Francis, price one Shilling.

Le Soliloque, de St. Bonaventure, traduit par H. Ernest Mézières. De la Bibliothéque des âmes Chrétiennes, collection des œuvres les plus remarquables des Pères et des Docteurs de l' Eglise.

Paris, Ch. Douniol, libraire-éditeur, rue de Tournon, 29. — In-18, pag. 208.

1884. Recueil de chants et priéres pour servir aux pélerinages et aux réunions extraordinaires de Tertiaires de S. François d'Assise. 2 édition. (Se trouve chez les Religieuses Franciscaines 38, rue de la teste, à Bordeaux.)

1884. Direction et visite des Fraternités du Tier-Ordre séculier de S. François d'Assise, par le R. P. Jules du S. Cœur des Franciscains de la réguliére observance de la Province de S. Louis d' Anjou. 2 édition. (Se trouve chez les Religieuses Franciscaines 38, rue de la teste, à Bordeaux.)

1885. Statuta Collegii S. Isidori FF. Hibernorum S. Francisci Recollectorum de Urbe, ex Constitutionibus a P. Luca Waddingo factis necnon ordinationibus a sacris Congregationibus Ministrisque Ordinis Generalibus emanatis collecta et a Rmo P. Bernardino a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum Ministro Generali confirmata anno 1885. Romae, ex typographia Pacis Philippi Cuggiani.

1885. Le Calvaire fréquente ou association du chemin de croix perpétuel par les Pères Franciscains de l'Observance. Troisiéme édition. (se trouve chez les Religieuses Franciscaines, 38 rue de la teste, à Bordeaux).

1885. La santa Comunione. Conferenze di Monsignor G. F. Landriot, arcivescovo di Reims. Versione italiana di un Frate Minore. Quaracchi presso Firenze, tip. del Collegio di S. Bonaventura. (L. 3).

Huius operis usum et evulgationem maxime commendamus.

1885. Elogio funebre del Padre Lodovico da Casoria letto nella Chiesa di S. Pietro ad Aram dal Sacerdote Errico Attanasio del III. O. della famiglia del P. Lodovico il dí 30 Aprile 1885: Napoli. Tipografia Editrice degli Accattoncelli.

1885. Elogio funebre a D. Scipione Petracca Arciprete della Chiesa di Spilinga fatto dal Padre Fr. Bonaventura da Soriano Ministro Provinciale Minore Riformato, Lettore in Sacra Teologia, Predicatore Emerito, Esaminatore Sinodale della Diocesi di Tropea Socio Onorario della Società di San Paolo in Roma ecc. Napoli. Tipi Ferrante, Vico Tiratoio. 25 a S. Mattia.

1885. Nelle Esequie solenni del P. Anselmo Gaspari da Val di Porro dei Minori Riformati della Veneta Provincia celebrate nella Chiesa del civico Cimitero di Verona il giorno 30 Aprile. Trigesimo della morte di lui, funebre orazione recitata dal P. Giancesco da Venezia Min. Rif. Verona Tip. San Giuseppe di A. Merlo condotta da G. Marchiori.

V.
NECROLOGIA

—

A. R. P. Franciscus ab Urbe, ex honesta Biondorum familia natus die 13 Martii 1825; pieque a parentibus educatus, adolescens Collegii Romani Grammatices et Humanitatis scholas cum laude frequentavit. Anno autem 1840 die 5 Decembris saeculo valedixit ac seraphico habitu indutus est in Ref. Romana

Provincia, in qua tyrocinio peracto solemnia vota emisit. Sacerdotio initiatus, praevio a legibus statuto experimento, ad Cathedras Philosophiae primum, dein Theologiae ac S. Eloquentiae destinatus hasce disciplinas confratres docuit.

Anno 1833 Rmus Generalis Minister postulationibus Em. Dni Card. D'Andrea Abbatis Commendatarii Sublacensis annuens, ei P. Franciscum qua Professorem Philosophiae pro Sublacensi Seminario concessit, ac post triennium Em. Cardinalis eumdem praefati Seminarii Rectorem constituit, eoque moderante alumnorum numero et merito Sublacense Seminarium floruit. — Decennio Sublaci transacto inter suos rediit, moxque in Provinciali Capitulo an. 1864. Minister Romanae Provinciae renunciatus est, quod munus triennio exercuit. Praedicationi verbi Dei cum zelo incubuit, vitaeque integritate fuit commendabilis. — Post civilem suppressionem, quae eius valetudinem infirmiorem reddidit domi inter parentes se recepit, et vitam religiosam in saeculo vixit donec apoplexia correptus die 1. Iunii an. 1884 obiit. R. I. P.

R. P. Franciscus de Paula Kolb, natus Halis in Tirolo superiori die 18 Novembris 1824, Ordinem nostrum ingressus est in Ref. Provincia Tirolensi S. Leopoldi. Anno 1847 sacerdotio initiatus est, et anno 1858 in Americam missus fuit , ubi in Ref. Custodia Cincinnatensi multum laboravit in cura animarum , primum in Hamilton per 4 annos, deinde Cincinnatii in Conventu S. Joannis Baptistae per 21 annos , ubi pie in Domino obiit die 25 Januarii 1885.

A. R. P. Bonaventura a Casauria. Casauriae natus, indolem bonam nactus literis humanioribus a prima aetate incumbens, multum profecit, et adhuc iuvenis Ordini Minorum Strictioris Observantiae Neapolitanae Provinciae nomen dedit. Probationis anno laudabiliter expleto, philosophicis et theologis disciplinis ita operam dedit; ut facto publico experimento philosophiae Lector creatus fuerit, et non multo post novo experimento, praesidente Ministro Generali Rmo P. Iosepho ab Alexandria, Lector Generalis fuerit institutus. Quod munus ita perfunctus est, ut plurimi ex eius discipulis Lectores Generales et Emeriti evaserint. Emenso lecturae curriculo inter Lectores Emeritos connumeratus studiorum Praefectus creatus fuit. Eius potissimum opera caeterorumque Patrum cura Collegium Generale Nolae erectum fuit; ad quod etiam iuvenes ingenio praestantiores ex variis Provinciis mittebantur, ut in scientiis et litteris perficerentur; ex quibus plerique Lectores fuerunt instituti. Eius virtute et prudentia perspecta, a Ministro Generali Rmo P. Venantio a Coelano non semel Commissarius Generalis ad varias Provincias missus fuit. Praedicationis manus ita fuit prosecutus, ut laudem non mediocrem fuerit adeptus. *Monialius Confessarius, et animarum prudentissimus Director fuit.* Neapolitanae Archidioecesis Examinator Pro-Synodalis ab Eminentissimo Cardinale Xysto Riario Sfortia creatus fuit. Ordinis muneribus quam maxime aptus modo Definitor, modo Custos electus fuit, et hisce difficillimis temporibus duodecim annorum spatio Neapolitanam Provinciam sapienter administravit. Tantem XV calendas Maii a. c. supremum diem obiit aetatis suae anno septugesimo septimo.

Non sine maximo animi moerore denuntiamus, ex divina voluntate cursum suum finiisse: A. R. P. Othonem Iair, O. S. F., Custodiae Cincinnatensis fundatorem ac ter Custodem, Archidioecesis Cincinnatensis Vicarium Generalem, ferme 70 annos natum, per annos 50 Seraphico Ordini adscriptum et 46 annos Sacerdotio insignitum; qui, olim Ref. Provinciae Tyrolensis alumnus, integris 37 annis in arduo Americae septentrionalis spirituali ministerio transactis, moribundorum Sacramentis rite munitus, placide obdormivit in Domino die 18. Maii 1885, hora 7 ½ matutina apoplexia correptus. Pro cuius animae requie pia suffragia implorantur.

Nihil obstat.
Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

(ADDITIO AD ACTA ORDINIS MINORUM.)

DE

STUDIO DOCTRINAE SCHOLASTICORUM

IMPRIMIS DUORUM DOCTORUM PRINCIPUM

S. THOMAE ET S. BONAVENTURAE.

DISSERTATIO

OCCASIONE INAUGURATIONIS

CIRCULI ACADEMICI THEOLOGICO-PHILOSOPHICI S. ISIDORI DE URBE

COMPILATA ET LECTA IN

AULA COLLEGII S. ISIDORI FF. MIN. RECOLLECT. HIBERNORUM

A

P. BERNARDO DOEBBING

Lect. theol. praedicti Collegii et Prov. Saxoniae S. Crucis Min. Recoll. alumno.

Reverendissime Pater!

Licet sim simplex et minimus inter Paternitatis Tuae filios, cui competit inter tot viros scientia et virtute praestantes, quos caritas Christi hodie hic congregavit in unum, potius tacendo discere, quam verba facere; tamen non modica animi voluptate me perfundi fateor, quod mihi concessum sit, in nomine Confratrum meorum, *antiqui huius ac venerabilis Collegii S. Isidori de Urbe* alumnorum, in praesentia *Reverendissimae Tuae Paternitatis,* in qua veneramur secundum Constitutiones, a celeberrimo *Luca Waddingo* conscriptas, huius domus *immediatum Rectorem et Gubernatorem nostrum,* quaedam de *studio scholastico* pro tenuitate mea in medium proferre. Quo autem *spiritu* hoc quod mihi propositum est, sit perficiendum, iam praelineatum mihi esse gaudeo hesterno die, in perpetuum memorabili, quo positus est primarius lapis pro Collegio generali in honorem S. Antonii aedificando, quod pro gravioribus litterarum studiis in toto Ordine nostro promovendis mira Dei providentia et cum benedictione Ss. Domini Nostri Papae Leonis XIII a Paternitate Tua erigitur. Nam Eminentissimus D. Cardinalis Parocchi, qui solemni ritu aedificium illud initiatus est, in praeclarissimo suo sermone [1] locutus est etiam de unione summa et amicitia, quae obtinuit inter summos Doctores, S. Thomam et Bonaventuram, et quasi quodam oraculo viam delineavit, qua suo tempore in praedicto Collegio studiis litterarum vacandum sit. Profecto *quam iucundum habitare fratres in unum* [2], quam fortis, quam necessaria est *concordia* inter eos, qui eidem Dei templo aedificando addicti sunt! Quis dubitet, hoc etiam in restauranda doctrina antiquorum Scholasticorum valere, inter quos Doctores duos Ecclesiae, S. Thomam et S. Bonaventuram, prae ceteris excellere exploratum est. Confisus igitur seraphica Paternitatis Tuae Reverendissimae benedictione, pauca de restauranda utriusque doctrina dictutus sum, non eo animo, ut alterum sanctum Doctorem opponam alteri, sed potius utrumque et utriusque unionem commendem, utriusque doctrinae saluberrimae studendum

[1] Vide Acta Ord. Minor., Ann. III, Fasc. V, pag. 77.

[2] Ps. 132, 1.

esse suadeam, et utrumque sanctissimum et doctissimum virum pari honore et laude pro viribus celebrem.

Illustrissimi et humanissimi auditores, carissimi Confratres.

Si aliquoties, Deo volente, in hac venerabili aula exercitationes, ut ita dicam, scholasticas et scientificas consilio atque auxilio aliorum instituturi sumus; non nostram ullo modo intendimus proponere scientiam, sed ex *thesauro illo maximo aevi medii* proferemus nova et vetera, sive in dissertationibus tractanda, sive interdum discurrendo disputanda. Cum autem hodie inauguremus circulum academicum theologico-philosophicum, non omnino inutile esse mihi videtur — licet omnia iam sint nota et saepe saepius melius etiam explicata — quasdam *observationes,* quae studium Scholasticorum, et imprimis ipsorum heroes ac principes, S. Thomam scilicet et S. Bonaventuram, concernunt, pro modulo meo in medium proferre.

Primo quidem aliqua attingamus circa *unicum illud totius christianae scientiae et sapientiae fundamentum et complementum;* et ex Doctoribus, qui super illo fundamento inconcusso stant et docent, *quosdam designemus praeclarissimos tanquam duces in via scientiae et sapientiae securissimos, eorumque typum communem et characteres generales* paulisper delineemus.

In secunda parte quasdam *S Bonaventurae proprietates* inspiciamus; ita ut quidquid singulare est S. Thomae alii viro doctiori in speciali dissertatione exponendum relinquamus.

I. S. Bonaventura in sermone quodam [1], quem praedicavit de textu s. Scripturae: *Unus est magister vester Christus,* Christum Dominum, benedictum Salvatorem nostrum, in medio posuit ut omnis scientiae et sapientiae, tum naturalis tum supernaturalis, *fundamentum et complementum,* ac simul profundis rationibus commendat, ut ab omnibus sapientibus tanquam *centrum omnis veritatis* sit eligendus; ad quod singuli doctores *quasi ex circumferentia veritatis sub distinctis et propriis radiis rectis studiose collineent* [2]. — Quod vero Christus sit illud omnis verae scientiae fundamentum et complementum, s. Scriptura aperte declarat his verbis: *Unus est Magister Christus.* Alterum etiam eadem simul insinuat dicens: Magister *vester,* quo intelligamus, quod sicuti singula puncta in linea circumcurrente per radios cum centro circuli coniunguntur, ita omnis intellectus quadam intima relatione ad Christum debeat copulari, tanquam ad *fontem omnis veritatis.* Ipse enim est *via, veritas et vita* [3]. « Triplex namque est gradus cognitionis certitudinalis et rectae, secundum quod dicit Hugo de Sacramentis [4]: Isti sunt tres gradus promotionis fidei, quibus fides crescens ad perfectum tendit vel conscendit: primus per pietatem *eligere,* secundus per rationem *approbare,* tertius per veritatem *apprehendere.* Secundum hoc apparet, quod triplex est modus cognoscendi, quorum primus est per *credulitatem piae ascensionis,* secundus per *approbationem rectae rationis,* tertius vero per *claritatem mundae contemplationis.* Primus spectat ad habitum *virtutis,* quae est fides, secundus ad habitum *doni,* quod est intellectus, tertius ad habitum *beatitudinis,* quae est munditia cordis. Cum igitur triplex sit cognitionis differentia: videlicet creditiva, collativa et contemplativa, omnium harum est *Christus principium* et causa, et ita, quod primae est principium in quantum *via,* secundae, in quantum *veritas* et tertiae, in quantum *vita* [5] ».

Quam assertionem S. Doctor subtili inquisitione explicat et probat tum s. Scriptura, tum ratione, tum SS. Patrum, imprimis eximii doctoris S. Augustini testimoniis. *Christus qua via* per *revelationem* secundum adventum suum in *mentem,* et per auctoritatem secundum adventum suum in *carnem,* est *magister* et principium omnis cognitionis *cre-*

[1] De humanae Cognit. ratione, pag. 73; Ad Claras Aquas 1883. Locus s. Scripturae est Matth. 23, 10.

[2] P. Matthias Hauzeur, tom. I. in append. col. 27.

[3] Ioan. 14, 6.

[4] Libro I. part. 10, c. 4.

[5] S. Bonav. in serm. loc. cit.

ditivae. « Venit autem in *mentem* ut lux revelativa omnium prophetalium visionum, et in *carnem* ut verbum approbativum omnium prophetalium locutionum. Ex quo datur intelligi, quod non potest perveniri ad certam fidei revelationem nisi per adventum Christi in mentem, — et tota Scriptura authentica et eius praedicatores aspectum habent ad Christum venientem in *carnem* tanquam ad fundamentum totius fidei christianae [1] ».

« Est etiam Christus magister cognitionis, quae est per *rationem*, et hoc in quantum est *veritas* [2] ». Praetermissis auctoritatibus s. Scripturae et doctorum, quae a S. Doctore allegantur, tantummodo duas rationes breviter perstringamus, quas Doctor seraphicus tum ex *obiecto scibili*, tum ex *subiecto cognoscente* feliciter deprompsit. Iam scientia stricte dicta ex parte scibilis requirit *immutabilitatem*, quae omnimoda necessitate nititur; ex parte vero scientis *infallibilitatem* expostulat, quae sit proportionata infallibili certitudini. Atqui *omne creatum* extra nos et intra nos, eo ipso quod est creatum, *vertibile* atque *mutabile* existit; et ideo et mens nostra potest falli, et lux ipsi concreata quadam obscuritate est involuta. Ideo ex parte mentis nostrae sibi derelictae cognitio vere immutabilis et infallibilis haberi non potest, nisi *moveat et compleat* eam veritas *creans*, quae ipsa summe est immutabilis, et cum luce sua infallibili omnem intellectum illuminat, « *Sapientia* scilicet *increata, quae est Christus* ». Eandem conclusionem aliis verbis exprimit S. Bonaventura dicens: « Lux ergo intellectus creati *sibi non sufficit* ad certam comprehensionem rei cuiuscumque absque luce Verbi aeterni [3] ». Et concordat S. Thomas in Quaestione unica de anima ad 9, ubi dicit, « quod intellectus agens *non sufficit per se* ad reducendum intellectum possibilem perfecte in actum, cum non sint in eo determinatae rationes omnium rerum. Et ideo requiritur ad ultimam perfectionem intellectus possibilis, quod uniatur aliqualiter illi agenti, in quo sunt rationes omnium rerum, scilicet Deo ». Unde Augustinus in primo Soliloquiorum [4] dicit: « Quomodo in hoc sole tria quaedam licet advertere, quod *est*, quod *fulget*, quod *illuminat;* ita et in illo secretissimo Deo tria quaedam sunt, quod *est*, quod *intelligit* et quod cetera facit *intelligi* ».

« Postremo Christus, in quantum *vita*, est magister *cognitionis contemplativae* [5] ». Anima contemplativa in Christo Domino pascua uberrima invenit. Quando enim ingreditur ad *intus*, pastum invenit in Christi *deitate*, et si inde iterum regreditur *ad extra*, novum pastum reperit in *humanitate* Verbi incarnati. Et ita Christus aptissime comparatur scalae Iacob, per quam ascendunt ad caelum et descendunt ad terram omnes animae, quae in Christum ingrediuntur et egrediuntur, et ab ipso secundum omnem sensum, *interiorem et exteriorem*, illuminantur et reficiuntur, invenientes pascua in Factore suo: « pascua *foris* in carne Salvatoris, et pascua *intus* in divinitate Creatoris [6] ». De talibus autem, qui hisce deliciis coelestibus perfrui desiderant, valet illud Isaiae [7]: *Nisi credideritis, non intelligetis*, quia: « Mentis humanae invalida acies in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur [8] ».

Haec iam satis ostendere videntur, *Christum, magistrum nostrum, revera esse fontem omnis scientiae et sapientiae,* ideoque omnium discentium mentes ex plenitudine ipsius *plus minusve* scientia secretissimo modo imbui. Ab huius fontis participatione uberrima ne ethnicorum quidem philosophi, qui ob eximiam rerum naturalium scientiam per tot saecula posteris admirationi fuerunt, totaliter excludendi sunt, cum nec ipsi nisi per influxum luminis, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [9], potuerint perfecte cognoscere quaecumque vera invenerunt. Attamen antiquae sa-

[1] S. Bonav. serm. cit. pag. 74.
[2] Ibid. pag. 75.
[3] Ibid. pag. 77.
[4] Cap. 8. n. 15.
[5] S. Bonav. serm. cit. pag. 77.
[6] Ibid. pag. 79.
[7] Cap. 7, 8.
[8] S. Aug. l. de Trin. c. 2. n. 4.
[9] Ioan. 1, 9.

pientiae lumina, cum non accensa essent radiis fidei, qua propriissime Christo tanquam fundamento innitimur, in multis etiam turpiter errasse comprobantur; et quod praecipue notandum est, non raro gravissime decepti sunt circa tales veritates, quae naturali lumine possunt attingi, et a quarum recta apprehensione felicitas vitae nostrae temporalis, imo beatitudo aeterna maxime dependet. Hinc eorum errores perpetuum et manifestum testimonium reddunt de infirmitate ac insufficientia mentis nostrae sibi derelictae, ita ut eius lumen naturale recte comparetur oculis vespertilionum. Hoc iam monuit Philosophus [1]: « Quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita et intellectus animae nostrae ad ea quae manifestatissima omnium sunt ». Quae verba secundum Averroem [2] « non intelligendi impossibilitatem, sed difficultatem demonstrant ».

Antiqua igitur sapientia Platonis et Aristotelis et corrigenda erat, ubi erravit, et profundiore veritatis fundamento firmanda, et sublimiore complemento exaltanda. Iam primi SS. Patres plurimum pro hoc laboraverunt. Imprimis autem admirandum nobis se exhibet illud S. Augustini scientiae aedificium, quod per tot saecula veritatis defensoribus ac propugnatoribus contra ipsius osores arma suppeditabat semper victoriosa. Positum enim est super fundamento incorruptibili, scilicet Christo, et titulo gaudet vere catholico fronti inscripto: *credo etiam, ut sciam.* Hinc omnibus domum *altissimae sapientiae* intrare volentibus prius compertum sit, *veritatem ab omni errore liberam* non posse, saltem moraliter loquendo, acquiri, nisi *intellectus in captivitatem redigatur in obsequium Christi* [3]. Qui autem in scholis Catholicis subsecuti sunt S. Augustinum probe prospectum habebant, quod *fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus* [4]. Imprimis magni illi Scholastici, qui medio aevo floruerunt, regulam supremam omnis scientiae in fide revelata posuerunt, omnemque scientiam soli Deo servire et revelatae veritati ancillari voluerunt.

Sicut autem omnes res mundanae continuo motu agitantur, ita et mortalium scientiae status minime est stabilis, sed etiam haec ex imperfectione ad perfectionem procedit, deinde summo apice vix obtento, iam iterum cum fluxu et spiritu temporis gradatim ad imperfecta dilabitur, donec de novo ex sepulchro ad vitam resurgat. Minime igitur mirum debet videri, quod post aeram illam gloriosissimam Scholasticorum splendor scientiae paulatim decreverit. Indevoti enim viri et a vera fide saepe alieni, a fundamento, quod est Christus, magis magisque recesserunt, novum scientiae aedificium *construxerunt quidem*, sed in arena, ponentes *intellectum humanum labilem pro lapide angulari.* Tunc separatio consecuta est philosophiam inter et theologiam, inter magistrum unicum omnis veritatis et humanae fallacisque scientiae discipulos. In hac nova domo, cuius inscriptio sonat: *rationalismus sine fide*, vel *subiectivismus absque auctoritate*, nata sunt tot impia systemata recentiorum philosophorum, quorum plurimi in foveam vel foedi materialismi, vel pantheismi vel crassi atheismi delapsi perierunt.

Non cunctemur igitur iam concludere, auditores benevolentissimi, *unumquemque eo plus scientia et sapientia repleri posse, quo propinquius ad Christum omnis scientiae et sapientiae fontem accesserit;* et rursus, quo magis a lumine hoc aeterno recesserit, eo obnoxiorem fieri caecitati et errori. Nonne Christus hoc docet qui dicit [5]: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris?* Quicumque ergo Christum non sequitur et cum ipso non habitat, in tenebris sedeat necesse est. *Quis autem Domine*, ut quaeramus cum Psalmista [6], *requiescet in monte* (Christo) *sancto tuo?* Et responsum accepimus: *Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam.* Nimirum sine *sanctitate vitae* nemo in tabernaculum verae sapientiae ingredi potest. Nam

[1] II. Metaph. text. 1.
[2] Comment. in II. Metaph. context. 1.
[3] II. Cor. 10, 5.
[4] I. Cor. 3, 11.
[5] Ioan. 8, 12.
[6] Ps. 14, 1-2.

solum *mundi corde Deum videbunt* [1], dum eum scilicet iam in hac vita magis magisque cognoscunt tanquam causam rerum omnium primam et finem ultimum. Et sicut universus mundus suum principium habet, quo non cognito, nec mundus ipse recte iudicatur; ita in omni huius mundi scientia recurrendum est ad principium primum veritatis, id est ad Christum Deum, *qui suo lumine mirabili insufficientiae intellectus nostri succurrat.* « Hic est enim fructus omnium scientiarum, ut in omnibus aedificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, hauriantur consolationes, *quae sunt in unione sponsi et sponsae.* Quae quidem unio fit per caritatem, ad quam terminatur tota intentio s. Scripturae, et per consequens *omnis illuminatio desursum descendens, et sine qua omnis cognitio vana est* [2] ». Quo magis autem anima in intimo suo secessu mundatur, eo copiosius in sanctuario animae, in similitudinem et ad imaginem Dei creatae, lumen illud ex alto illuminans resplendebit, eo fructuosius scientia accrescet secundum proportionem, quae causam inter et effectum subsistit. Ad talem sapientiam christianus philosophus tendere debet, ut, postquam per scalam rerum creatarum ad ipsarum Creatorem ascendit, regrediatur a primo Factore ad mundi contemplationem, et hac ratione puriorem et profundiorem ac perfectiorem scientiam sibi acquirat, *attingendo* pro *modulo suo rationes aeternas*, secundum quas omnia facta sunt. Notemus autem quae dicit Doctor seraphicus[3]: quod « pauci sint ita *sapientes*, licet multi *scientes;* pauci quidem sunt qui illas rationes sciant se attingere, immo quod plus est, *pauci sunt qui velint hoc credere*, quia difficile videtur intellectui ad aeterna contemplanda nondum elevato, quod ita habeat Deum praesentem et propinquum, cum tamen dicat Paulus Actuum decimo septimo [4], *quod non longe est ab unoquoque nostrum.*

Hisce principiis generalibus de fonte primario et universali scientiarum delibatis, iam circa fontes scientiarum secundarios et particulares investigationem instituamus, inquirendo scilicet et determinando, qui inter tot doctores eligendi sint, ut discipuli eos tanquam magistros in via scientiae et sapientiae cum securitate necnon magno cum profectu sequi possint. Numquid isti inter agmina *prudentum huius mundi* forsan quaerendi sunt, qui *de ratione sua subiectiva* gloriantes, *Deum in creaturis suis non vident, quia caeci sunt; non laudant, quia muti sunt; nec diligunt nec colunt nec magnificant nec honorant, quia stulti sunt; ita ut universus orbis terrarum aliquando contra ipsos consurgat* [5]? Potius nobis arrident doctores, qui licet *humilitate parvuli* sint coram hominibus, *magni* vero existunt in conspectu Dei propter *vitae sanctitatem*, quae illuminationem mentis speciali modo meretur; qui cum Daniele *viri desideriorum* [6] fuerunt et accensi *per fulgorem continuae speculationis, qua mens ad radios lucis directissime et intentissime se convertit* [7], qui primo *per gemitum orationis per Christum crucifixum ascenderunt* [8], pro certo habentes, *non suffecturam lectionem sine unctione, speculationem sine devotione, investigationem sine admiratione, circumspectionem sine exultatione, industriam sine pietate, scientiam sine caritate, intelligentiam sine humilitate, studium absque divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata* [9].

Si adhuc restare possit aliquod dubium, ipsa summa sanctae matris *Ecclesiae auctoritas* nos convincet, quae ex *solis viris sanctis* elegit riteque instituit eos, quos fidelibus tanquam catholicae veritatis doctores et duces tuto sequendos commendat. Cum autem Ecclesia, a Spiritu S. illuminata, non nisi ad salubria pascua oves suas invitare et mittere possit, patet, quod ab ipsius auctoritate Doctores

[1] Matth. 5, 8.
[2] S. Bonav. Opusc. De Reduct. artium ad thelogiam.
[3] Quaest. disput. De humanae cognit. ratione, pag. 69. Ad Claras Aquas, 1883.
[4] Vers. 27.
[5] Cfr. S. Bonav. Itiner. mentis in Deum, c. I.
[6] Dan. 9, 23.
[7] S. Bonav. Prolog. ad Itiner. mentis in Deum.
[8] S. Bonav. ibid.
[9] S. Bonav. ibid.

Ecclesiae universalis maximam participant auctoritatem doctrinalem. Nemini vero, precor, displiceat verbum illud *auctoritas*. Absque enim auctoritate docentis quis scientiae et sapientiae thesauros posset sibi unquam comparare? Nam homo ex natura sua est *ens sociale,* proinde sicuti in aliis artibus, ita et in scientia multas veritates *ab auctoritate* primo mutuare necesse habet. Quomodo unquam discipulus in via studendi faciet progressum, qui ab auctoritate desciscit sui magistri? Quis foret tam stultus, ut praesumat, se omnia illa, quae per tot homines et per multa saecula cum labore immenso et multo sudore sunt excogitata, sola sua ratione *quasi unius diei* posse invenire, spernendo auctoritatem? Erubescat talis, si quis est in mundo, audiens ethnicum illum Philosophum — cui, teste S. Bonaventura [1], datum fuit *donum scientiae* — qui mentem modestam ita commendat [2]: « Verum non solum illis agendae sunt gratiae, quorum opinionibus quis acquiescit, sed illis qui superficietenus dixerunt; conferunt enim aliquid etiam isti; habitum namque nostrum exercuerunt. *Si enim Timotheus non fuisset, multum melodiae nequaquam habuissemus; si tamen Phrynis non extitisset, ne Timotheus; quodam simili modo et de illis est, qui de veritate asseruerunt: a quibusdam enim aliquas accepimus opiniones, quidam vero, ut hi fierent, causa fuerunt* ». Unde ut de hac necessitate se subiiciendi auctoritati mens nostra superba efficacius convinceretur, Verbum Dei summe verum non solum venit in *mentem spiritualiter,* sed et in *carnem visibiliter,* ut ponat seipsum in carne visibili omnis auctoritatis in mundo fundamentum visibile. Si vero admittitur, auctoritatem docentem necessariam esse ad scientias acquirendas, nonne rationabile esse videtur, ex pluribus auctoritate docendi gaudentibus illis adhaerere viris doctissimis, quos infallibilis magistra veritatis, sancta Ecclesia, solemniter ut Doctores Ecclesiae universalis in medio posuit? Et quare voluit, ut in medio Ecclesiae aperiant os suum? Quia ipsi, propter vitae sanctitatem intime inhaerentes Christo, luci increatae, incircumscriptae, aeternae, infallibili, speciali modo et copiosissime erant illuminati ex alto, et speciali charismate ad docendam viam veritatis a Deo donati, ut sint mundo *lucernae lucentes et ardentes.*

Audiamus igitur, auditores benevoli, imprimis qui sumus alumni Ordinis Minoritici, cuius sodales secundum exemplum et ex voluntate inclyti fundatoris Patris nostri S. Francisci in obedientia *ad pedes S. Sedis Apostolicae* semper debent esse provoluti, audiamus, inquam, *vocem apostolicam,* quae, quo magis mundus *ad sua desideria coacervabat sibi magistros prurientes auribus* et *a veritate quidem auditum avertebat* [3], eo altius proclamat universo mundo: quod divina gestum sit providentia, ut saeculum decimum tertium inter plures praeclarissimos viros duo nobis dederit summa ingenia, *Thomam videlicet Aquinatem et Bonaventuram Balneoregiensem;* quos Sixtus IV., « *duo clarissima illius aetatis lumina* e duobus florentissimis Ordinibus Praedicatorum et Minorum » iure appellat; « quos in hoc saeculo, ut bene advertit idem Summus Pontifex, *fraterna iunxit caritas,* et eadem in coelo praemia consecutos credimus, *et praesens Ecclesia pari veneratur honore* [4] ». Hi enim sunt « *duae olivae,* ut dicit Sixtus V., et *duo candelabra* [5] in domo Dei lucentia, qui et *caritatis pinguedine et scientiae luce* totam Ecclesiam collustrant; hi *singulari Dei providentia* eodem tempore tanquam *duae stellae* exorientes ex duabus clarissimis regularium Ordinum familiis prodierunt, quae sanctae Ecclesiae *ad catholicam religionem propugnandam maxime utiles,* et ad omnes labores et pericula pro orthodoxa fide subeunda paratae semper existunt; ex quibus tanquam ex fertili et bene culto solo, quotidie per Dei gratiam foecundae et fructuosae plantae procreantur, hoc est, *viri doctrina et*

---

[1] Serm. cit. pag. 81.
[2] II. Metaph. text. 2.
[3] II. Tim. 4, 3, 4.
[4] Bulla: Superna coelestis, § 23.
[5] Apoc. 11, 4.

sanctitate praestantes, qui Petri naviculae, tot fluctibus agitatae, et Romano Pontifici, eius clavem non sine magna sollicitudine tenenti, fortem et fidelem operam navant. Hi duo Sancti, cum essent coaevi iisdemque studiis dediti, condiscipuli, simul magistri, pari ratione a Gregorio X. Summo Pontifice, cum ambo ad Concilium evocarentur, honorati et in huius vitae peregrinatione *fraterna caritate, spirituali familiaritate, sanctorum laborum societate valde coniuncti fuerunt,* et denique *pari gressu ad coelestem patriam commigrantes, pariter felices et gloriosi illa sempiterna beatitudine perfruuntur,* ubi eodem caritatis affectu, ut pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant divinamque opem implorant, ut merito idem Sixtus IV., hos duos Sanctos *persimiles et quasi geminos in Christo fratres* agnoscens, statuerit, *sanctum Bonaventuram consimili venerationis et honoris praerogativa atque S. Thomam decorandum esse*[1]. — Iam si S. Thomas et S. Bonaventura *duo sunt clarissima lumina* et *duo summa ingenia,* non miremur, quod S. Sedes *utrumque Doctorem,* tum Angelicum tum Seraphicum, omnibus scientiam quaerentibus ac sanctitatem amantibus tanquam *magistros solidos et praeexcellentes duces* commendaverit simulque praeposuerit. « Vos omnes, Venerabiles Fratres, inquit Leo XIII.,[2] *quam enixe hortamur,* ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum *auream S. Thomae sapientiam* restituatis et quam latissime propagetis ». Ecce! eadem voluntas Sixti V. respectu studii ac propagationis doctrinae S. Bonaventurae; dicit enim praelaudatus Summus Pontifex in Bulla, quae incipit: *Triumphantis Hierusalem*[3]*:* « Harum tenore approbantes et innovantes, ipsum S. Bonaventuram, *iure sanctorum Doctorum consortio* ab eodem Sixto IV. adscriptum et connumeratum, auctoritate Apostolica tenore praesentium *inter praecipuos et primarios,* qui theologicae facultatis magisterio excelluerunt, habendum ac venerandum esse, *decernimus et declaramus.* Atque ob eam causam, sperantes in Domino, huius *Seraphici Doctoris,* lucubrationes *ad doctrinam et devotionem,* quam in clero populoque christiano magnopere lucere et ardere cupimus, maximo adiumento fore, illius libros, commentarios, opuscula, opera denique omnia, prout ex nostra typographia Vaticana quam emendatissima, ut supra dictum est, emittuntur, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, qui eximii sunt, *non modo privatim, sed publice in gymnasiis, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis christianisque exercitationibus citari, proferri atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus* ».

Primaria vero ratio, quae ad praedictas exhortationes ac decisiones Summorum Pontificum tam *distincte ac praeceptive* pronuntiatas, dedit impulsum, non est nisi *Doctorum illorum principum doctrina aurea et forma loquendi aptissima.* Haec enim duo commendat Summus Pontifex Leo XIII. in Bulla celeberrima: « Aeterni Patris », de Scholasticorum et imprimis S. Thomae et S. Bonaventurae mirabili doctrina ita dicens: « Exinde mediae aetatis Doctores, quos *Scholasticos* vocant, magnae molis opus aggressi sunt; *nimirum segetes doctrinae foecundas et uberes,* amplissimis SS. Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem. — Quae autem scholasticae disciplinae sit origo, indoles et excellentia, iuvat hic, Venerabiles Fratres, verbis sapientissimi viri, Praedecessoris nostri Sixti V., fusius aperire: « Divino illius munere, qui solus dat spiritum scientiae et sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis instruit, inventa est a maioribus nostris, sapientissimis viris, theologia scholastica, quam *duo potissimum gloriosi Doctores, angelicus S. Thomas et seraphicus*

[1] Sixti V. Bulla: Triumphantis Hierusalem, § 13 (anno 1588).

[2] Bulla: Aeterni Patris.

[3] In § 14 et 15.

S. Bonaventura, clarissimi huius facultatis professores,... excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt. Et huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas: his vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est [1]. « Quae verba, prosequitur Leo Papa XIII., quamvis theologiam scholasticam dumtaxat complecti videantur, tamen esse quoque de *philosophia* eiusque laudibus accipienda perspicitur. Siquidem praeclarae dotes, quae theologiam scholasticam hostibus veritatis faciunt tantopere formidolosam, nimirum, ut idem Pontifex (Sixtus V.) addit, « *apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, ille ordo et dispositio* tanquam militum in pugnando instructio, *illae dilucidae definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimae disputationes,* quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta, tanquam veste detracta, patefiunt et denudantur [2] », praeclarae, inquimus, et mirabiles *istae dotes unice a recto usu repetendae sunt eius philosophiae,* quam *magistri scholastici,* data opera et sapienti consilio, in disputationibus etiam theologicis passim usurpare consueverunt. Praeterea, cum illud sit scholasticorum theologorum proprium ac singulare, ut *scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo coniunxerint,* profecto theologia, in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuissent ».

His praeconiis, quae S. Thomae simul ac S. Bonaventurae *doctrinae foecundae eiusque dispositioni* aptissimae attribuuntur, sapientissimus Summus Pontifex, ad S. Thomam quod spectat speciatim, haec addit [3]: « Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, soli comparatus orbem terrarum calore virtutum fovit, et *doctrinae* splendore complevit. Nulla est *philosophiae pars,* quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo *neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur* ». — His de S. Thoma magnifice a Summo Pontifice dictis praeconiis perfecte consonant magnae laudes, quibus alter Summus Pontifex Sixtus V. in S. Bonaventura miris laudibus celebrat *divini ingenii sui monumenta, sapientiae suae in Ecclesia Dei eloquia, doctrinam praestantem necnon argumentandi subtilitatem, docendi facilitatem, definiendi solertiam.* En Sixti V. verba [4]: « Tantam vero laudem in interpretandi munere et in universae theologiae scientia est consecutus, ut viri doctissimi *eius doctrinam et eruditionem* admirarentur, et quidem multiplices sancti viri *lucubrationes et praeclara scripta,* quae adhuc magna Ecclesiae utilitate et non mediocri Dei beneficio exstant, quaeque et nostrae et superiorum aetatum *viri eruditi multo cum fructu legerunt et magnopere comprobarunt,* quantus ille in theologia fuerit, satis declarant. Ea enim divini ingenii sui monumenta posteris reliquit, *quibus perdifficiles et multis obscuri-*

[1] Bulla cit.
[2] Bulla cit.
[3] Bulla: Aeterni Patris.
[4] Bulla cit. § 3.

tatibus involutae quaestiones magna optimorum argumentorum copia, via et ordine enucleate et dilucide explicantur, fidei catholicae veritas illustratur, perniciosi errores et profanae haereses profligantur, et piae fidelium mentes ad Dei amorem et caelestis patriae desiderium admirabiliter inflammantur. Fuit enim in S. Bonaventura id *praecipuum et singulare,* ut non solum *argumentandi subtilitate, docendi facilitate, definiendi solertia* praestaret, sed *divina quadam animos permovendi vi* excelleret. Sic enim scribendo cum *summa eruditione parem pietatis ardorem* coniungit, ut lectorem *docendo* moveat et in intimos animi recessus illabatur, ac denique *seraphicis quibusdam aculeis cor compungat* et mira devotionis dulcedine perfundat; quam sane *gratiam in eius ore et calamo diffusam* admirans praedecessor noster Sixtus IV. Pontifex illud dicere non dubitavit, *Spiritum sanctum in eo locutum videri* ».

Non solam igitur doctrinam Scholasticorum magni aestimant Summi Pontifices, sed etiam terminologiam ipsorum aptam et utilem esse declarant. Notum autem est, quod haeretici aliique terminos Scholasticorum technicos indignis conviciis consectati sunt. Hinc operae pretium est afferre quaedam testimonia, quae nuper disertissime dicta sunt in favorem terminologiae Scholasticorum, alterum a quodam doctissimo philosopho catholico [1], alterum a quodam scriptore protestantico [2]. Prior ad rem haec refert: « Vix invenitur in modernorum nostrorum terminologia una sola expressio, quae non prius speciali, et quidem pro diversitate scriptorum diversa egeat explicatione, ut pateat legenti. Propositiones, quas illi proponunt, licet sensum involvant valde ambiguum, iam nostra aetate statuuntur ac proclamantur pro libitu tanquam perspicua axiomata. Daturne aliquod remedium ad confusionem inde exortam et graviter perniciosam tollendam et obscuritatem dispergendam? Tale remedium nimirum cuilibet ad manum est, qui est *amator restaurationis studiorum scholasticorum,* quae nostra aetate fere in oblivione iacebant. Nam homines nostri temporis fere in solis rebus materialibus occupantur et potius favent eruditioni, quam *practicam* vocant, negligentes *disciplinas primario mentales.* Iam Caput Ecclesiae praetactam calamitatem nostri saeculi cum oculo semper vigili observavit, et omnes veritatis amatores ad *philosophiam scholasticam* enixe invitat, in qua *fallaciae semper diligentissime enucleantur,* et veritatis nucleus cum *terminorum scrupulosa distinctione extrahitur, quos quidem terminos moderni ut ridiculos traducunt...* Multi sine dubio non comprehendunt valorem exhortationis illius sapientissimi Pontificis, econtra reponunt Summum Pontificem inter somniantes quosdam philosophos, addictos rebus metaphysicis, quae vix ullius momenti sunt pro profectu societatis humanae... Admittendum vero est factum, quod Scholastici talem in suis scriptis loquendi modum adhibuerunt, ut mox, prolata propositione aliqua, licet a diversis scriptoribus aevi medii, facile eundem semper et genuinum sensum stabiliter concipiamus. Profecto, si systematis scholastici aliquantulum in vitam nostram modernam ac studia scholarum introductum esset, eo iam liberaremur a nubibus, quae quasi in omni controversia enucleanda plurimas requirunt et subtiles distinctiones. — Vanae atque aequivocae propositiones nunc revera regunt mundum ».

Alter vir eruditus, quem ex castris Protestantium, quibus communiter aevum medium placet vocare obscurum saeculum, citamus, ingenue profitetur respectu recentioris theologiae Protestantium: « Systema theologicum in se inane fit, neglecta *terminorum,* imprimis supremorum, erudita cognitione, quos impia falsificare nititur philosophia. Termini *esse, fieri, pati, agere* et multi similes sunt quidem communissimi omnium; non tamen ipsi ob hoc sunt luce clariores... Quicumque res dogmaticas tractat ac parvipendit instrumenta philosophica,

[1] Rev. F. F. Mahar D. D. D. Ph. Editorial Contributor of the *Catholic Universe,* Cleveland, Ohio, North America.

[2] Fluegel: Spekulative Theologie der Gegenwart, Coethen, 1880.

nullo modo scire videtur, quanti momenti sit labor nobis impositus [1] ».

His testimoniis confirmatur, tum intimum inter philosophiam et theologiam intercedere nexum, tum non modicum detrimentum et philosophiae et aliis scientiis imprimis theologiae inferre eos, qui terminos et definitiones philosophicos vel falsificant, vel eorum strictam ac stabilem significationem vilipendendo, confusionem idearum pariunt.

Dum autem philosophiae scholasticae debitas laudes tribuimus, minime volumus negare, eandem etiam habere suos defectus, naevos et lacunas. Vix enim est in rebus humanis lux sine umbra; et verbum Apostoli [2]: *Ex parte cognoscimus,* verum est et de singulis auctoribus et de omnibus scholis et de toto genere humano. Unde etiam Scholastici posterioribus multa reliquerunt vel augenda vel etiam corrigenda. Hinc respectu scientiae recentioris aetatis sapienter observat Summus Pontifex: « Libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a *quopiam* inventum atque excogitatum;... et si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate sit quaesitum, vel parum considerate traditum, si *quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens,* vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo esse aetati nostrae ad imitandum proponi ». — Libentissime igitur concedimus et laudamus omnem in scientia *verum progressum,* etiamsi ad pyramidis altitudinem ascendat. Sed moles pyramidis non erigitur nisi super fundamento stabili et non mutato; qui autem aedificare volunt, semper destruendo fundamenta antecedentibus laboribus iam facta, remanent in profundo. Peius est, si neglecto fundamento, animo sibi effingunt, se summum iam fastigium attigisse. Nec pauci sunt inter recentiores, qui neglecto fundamento antiquae sapientiae, inverso ordine apicem pyramidis pro fundamento posuerunt et ingenti ruinae occasionem dederunt.

Iam haec omnia, *auditores humanissimi,* quae perstrinximus, animo colligentes, dicta scilicet de unico omnis scientiae et sapientiae fundamento, complemento et centro — de diverso gradu illuminationis pro maiori vel minori unione cum Christo — de necessaria auctoritate docente — de duobus Scholasticorum principibus, divo Thoma et divo Bonaventura, quos Sedes Apostolica nobis tanquam magistros praecipuos et duces in scientia et sapientia tutissimos praeposuit, quorum doctrinam auream et segetem foecundam atque uberrimam, nec non modum loquendi et exponendi aptissimum vocare non dubitavit — conclusionem ponamus legitimam, quod *optimo consilio* Summus Pontifex scholis catholicis gravissimis verbis suaserit et commendaverit, ut pro restaurandis philosophicis disciplinis ad antiquam Scholasticorum, imprimis S. Thomae, sapientiam revertantur; quod nullum periculum sit deviandi a tramite veritatis, si sequimur duces duos sanctissimos et doctissimos Doctores, SS. Thomam et Bonaventuram; denique quod sit praeferendum, *propriae* diffidere rationi, quae etiam magna ingenia in infinitos et foedos errores saepe praecipitavit, quam negligere et Ecclesiae salubre monitum, et multorum saeculorum sapientiam et illuminatissimorum Doctorum auctoritatem.

II.

Cum tempus vernum incipit, oriri et vivere incipiunt virgulta et frondes floresque arborum atque herbarum; omnia renasci et succrescere conspiciuntur; horti floribus halantes iam nobis valde arrident, et eorum amoenitas ad oblectandum nos suaviter invitat. Ibi flores lectissimi ordinate iuxtaponuntur, quorum varietas summe delectat; et licet non idem singulis floribus honos nec eadem omnibus insit nobilitas, tamen omnes simul coniuncti locum magnifice exornant, ac praetereuntes communi mirabilique suavitate odorum dulciter afflant. Similem pulcherrimum hortum, sed multo nobiliorem, quia spiritualem, summa Dei providentia in civitate sua sancta et visibili instituit sapientissimeque praeparavit. Hunc autem in partes

[1] Cfr. I. S. Mill. System of Logic, tom. I. pag. 29: « I have used the words *abstract* and *concrete* in the sense annexed to them by the schoolmen (scholastici), *who were unrivaled in the construction of technical language, and whose definitions, I think, have seldom been altered but to be spoiled* ».

[2] I Cor. 13, 9.

ita divisit, ut singulas speciali decore et virtute exornaverit atque instruxerit, quo qui divinitus electi atque vocati sunt, quisque pro sua indole ac voluntatis inclinatione, invenire possint opportunitatem et facultatem ad perfectionem tendendi, vivendi in pace ac gaudendi in Spiritu sancto. Hac similitudine significari spiritualem Ecclesiae Catholicae hortum facile intelligitur, illam scilicet mysticam Altissimi vineam, quae mirabili fertilitate innumeros fere religiosos Ordines decursu temporum protulit, qui in forma generali et fine principali non distinguuntur, singuli tamen quibusdam characteribus specialibus quasi individuantur. Unitate autem essentiali servata, mira enitescit ac delectabilis varietas, cum quilibet Ordo suis specialibus Spiritus sancti donis sit locupletatus et sanctitatis ac virtutis fragrantia caelum terramque mirifice repleat. Insuper Deus, pro ratione temporis ac necessitatis, praeexcellentes suscitavit viros, quos horti sui spiritualis constituit cultores idoneos, viros scilicet sapientia praedivites ac pari sanctitate illustres, qui repleti spiritu fundatorum sui Ordinis specialem sui Ordinis characterem vita, verbis et scriptis ad vivum exprimerent.

Hinc est, quod etiam in *scientia*, a Doctoribus diversorum Ordinum tradita, *commune aliquod fundamentum* et in essentialibus et necessariis harmonicam unitatem advertimus; tamen quoad *modum componendi, disponendi, eligendi* atque *loquendi specialem characterem* singulis doctoribus esse proprium, et quidem ad spiritum respectivi Ordinis accommodatum, negare non possumus. Et hoc a Deo dispositum est mirabili sapientia, « tum quia ita singuli conferunt aliquid ad modum perfectiorem; tum quia non omnes homines idem eodem modo capiunt, sed ut differunt vultu, sic et saepe animi captu et affectu; hinc varii modi explicandi idem mysterium sunt accommodati ad captum plurium; tum quia singuli doctores collineant ad eandem veritatem per suum radium lucis naturalis vel alicuius illuminationis specialis: ergo non tam contradicunt sibi invicem, quam negant sibi videri... Ut enim singuli habent suam quandam sphaeram visus vel auditus, secundum quam de obiectis valde distantibus varie iudicant, sic et singuli habent quandam sphaeram intellectualem, communem quidem circa evidentia, sed velut radiis differentem circa obscura [1] ».

Iam quae summatim de typo communi et characteribus magnorum doctorum in scribendo diversis generaliter attigimus, in specie ad doctrinam a S. Thoma et S. Bonaventura nobis traditam applicemus. *Uterque Doctor communibus SS. Patrum opinionibus prorsus adhaeret.* Scholastici enim, inter quos S. Thomas et S. Bonaventura principes sunt habendi, « magnae molis opus aggressi sunt, inquit Summus Pontifex Leo XIII [2], nimirum segetes doctrinae foecundas et uberes *amplissimis SS. Patrum voluminibus* diffusas, diligenter congerere congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem ». Idem cum omni modestia et humilitate testatur S. Bonaventura in quodam anecdoto prologo ad II. librum Sententiarum [3], ubi S. Doctor haec de se ipso scribit: « At quemadmodum in primo libro *sententiis adhaesi et communibus opinionibus* magistrorum et potissime magistri et patris nostri bonae memoriae Alexandri, sic in consequentibus libris *ab eorum vestigiis non recedam.* Non enim intendo *novas opiniones* adversare, sed *communes* et *approbatas* retexere ».

Thesaurus igitur SS. Patrum et magnorum magistrorum ab utroque Doctore, S. Thoma et S. Bonaventura, nobis aperitur, licet sub forma diversa proponatur et communicetur. Ut autem utrumque Doctorem diligenter studeamus, nec uni soli exclusive adhaereamus, quatuor, si placet, praecipuae rationes inter alias mihi occurrunt: *providentia* nimirum *divina, utilitas maxima, unitas pretiosa* et *S. Sedis auctoritas summa.*

Providentia enim *divina* intimo connexu sanctos nostros praelaudatos Doctores coniunxit

[1] P. Matthias Hauzeur, Collationes, tom. II. libr. III. col. 255.

[2] Bulla: Aeterni Patris.

[3] Cfr. S. Bonav. Op. om. Proleg. pag. LVII, Ad Claras Aquas.

in vita, in morte et aeternitate, nec non in ipsis operibus suis. Quam peculiarem inter S. Thomam et S. Bonaventuram affinitatem spiritualem noster *P. Fidelis a Fanna* bonae memoriae ita accommodate ad rem describit[1]: « Divina gestum est providentia, ut saeculum illud (scil. decimum tertium), praeclarissimorum virorum facinorumque praedives, sapientiae flumina emittens ac sanctitatis emicans prodigiis, non unum tantum dederit summum ingenium, sed duo aeque summa, Thomam videlicet Aquinatem et Bonaventuram Balneoregiensem, Italos ambos, qui vitam regularem duorum Ordinum professi, quos nuper mater Ecclesia ut geminos partus in lucem ediderat, utrumque ab adversariorum calumniis Ordinem vindicarunt, eamque amicitiam, quae in utroque parente Dominico et Francisco praecesserat, inter sese renovantes, summa necessitudine coniuncti fuerunt. Ambo summis usi magistris, ambo Doctoris Parisiensis lauream iisdem in circumstantiis adepti, ambo ad Concilium Lugdunense vocati, ambo sancti, ambo Doctores Ecclesiae, eodem anno ambo diem obierunt supremum ». « Denique pari gressu ad caelestem patriam commigrantes, pariter felices et gloriosi illa sempiterna beatitudine perfruuntur, ubi eodem caritatis affectu, ut pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant divinamque opem implorant[2] ». Immo ipsa nostra aetate providentia divina non desinit nova signa et indicia illius intimae coniunctionis aperire, cum eodem tempore benigne provideat ac sollicite curet, ut praedictorum Doctorum scripta clarissima simul novis typis imprimerentur, et ita omni ex parte restaurentur, ut sint posteritati monumenta perpetua. Qui igitur unius illorum Doctorum ita ingrederetur vestigiis, ut alterum spernat omnino, providentiae divinae contraire videretur. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*[3].

Utilitas etiam *maxima*, inquimus, nos pariter incitat ad utrumque Doctorem audiendum et consulendum. Manifeste autem falsa est opinio quorundam, qui S. Bonaventuram ad summum in rebus mysticis, ut dicunt, versatum esse, in scientia autem proprie theologica ipsum aetati nostrae illuminatae non amplius convenire. Alii, qui libros Seraphici Doctoris vix a limine salutasse videntur, obiiciunt, eundem frequenter a pura S. Thomae doctrina dissidere et salubri huius auctoritati derogare. — Sed quantum hae assertiones deflectant a veritate, quasi uno contuitu sibi quisque persuadere poterit, qui percurrere velit, etiamsi tantum obiter, novam S. Bonaventurae operum editionem, cuius volumen primum iam feliciter est in promptu. Nec possumus hic silentio praetermittere *notabile aliquod* meritum praedictae *editionis*, *quod clarissimi* Editores *maiorem unitatem ac concordantiam* respectu doctrinae inter praelaudatos Doctores existere comprobarunt ac in adiectis scholiis annotarunt, quam hucusque viri docti plerumque admittere solebant. Qua autem *ratione* praelaudati Editores ad illam concordantiam inter S. Thomam et S. Bonaventuram ostendendam sint adducti, in prolegomenis ad opera omnia S. Bonaventurae his verbis profitentur[4]: « Ut aliquid etiam de ratione et mente nostra in explanando S. Bonaventura dicamus, studuimus potius diversas illorum magnorum virorum sententias conciliare et benigne interpretari, quam differentiis inter ipsos apparentibus studiose insistere, in hoc pro viribus magnum S. Doctoris nostri exemplum secuti. Putamus autem, ipsum Doctorem Seraphicum in hoc motum esse a vero spiritu Ecclesiae, quae in necessariis vult unitatem, in dubiis concedit libertatem et in omnibus commendat caritatem ». — Porro, quod utile sit audire utrumque Doctorem, etiam ex eo elucet, quod eadem doctrina, si sub diversis formis proponitur, legentibus evadat clarior atque suavior, nec non veritatis infinitus thesaurus magis exhauriatur. « Nomina enim finita sunt, et orationum multitudo, dicit Philosophus[5], res vero numero infinitae sunt; necesse est igitur, plura eandem

[1] Ratio etc. pag. 4. Taurini, Marietti, 1874.
[2] Sixti V. Bulla: Triumphantis Hierusalem, § 13.
[3] Matth. 19, 6.
[4] Pag. LXXXII.
[5] I. Elench. c. I.

orationem et nomen unum significare ». « Ideo videtur et providentiae divinae et utilitati Ecclesiae potius congruere, quod in decursu saeculorum SS. Doctores varias rationes et modos loquendi excogitaverint, praecipue in arduis fidei mysteriis, ut infinitum atque ineffabile divinae veritatis pelagus humanis mentibus humano modo explicarent et ostenderent. Nec haec pluralitas sententiarum vel verborum, dum restringitur inter certos limites, officit fini revelationis divinae, immo etiam mysterium revelatum reddere potest hominibus suavius et credibilius » [1].

Quid insuper pretiosius et commendabilius esse potest *unitate,* quae in prima et ineffabili Unitate fundatur et ab ipsa super terram effunditur, ita ut in universo mundo praeter pluralitatem trinitatis etiam unitas resplendere in omnibus conspiciatur ? Qua vero unitate illi duo Ordines, Praedicatorum scilicet et Minorum, ab initio intime coniungebantur, ex eo videas, quod mater Ecclesia praedictos Ordines simul ut geminos partus in lucem edidit, et amborum Ordinum inclyti fundatores, alter erga alterum, summa amicitia ac caritate fervebant, eandemque uterque inter membra praedictorum Ordinum semper haereditariam esse volebant. Iam haec unitas et caritas cordium quomodo existeret vel servari posset, si non ipsae *mentes* unionis vinculo per doctrinam sociarentur? Doctor noster Seraphicus ita ad rem sapienter dicit[2]: « *Verba sapientium quasi stimuli et quasi clavi in altum defixi, quae per magistrorum consilium data sunt a pastore uno*[3]. Haec, inquam, *verba* sunt verba divini amoris, quae penetrant medullas cordis; et haec dicuntur *dari per magistrorum consilium a pastore uno,* quia, licet amor divinus laudetur et suadeatur per verba multorum, utpote per documenta duorum Testamentorum, ab uno tamen solo Verbo spiratur, quod quidem est pastus et pastor omnium. Et ideo omnia illa verba ab eodem sunt et in idem tendunt, et propterea dicuntur *dari* signanter per *magistrorum consilium,* idem videlicet sentientium. Et quoniam omnes doctores christianae Legis finaliter debent tendere ad *vinculum caritatis*, ideo debent *concordare in suis sententiis.* Propter quod Iacobi tertio[4]: *Nolite*, *fratres*, *plures magistri fieri*, quod quidem dicit non prohibendo eos a doni scientiae communicatione, cum dicat Moyses Numerorum undecimo[5]: *Quis tribuat*, *ut omnis populus prophetet*, *et det eis Dominus spiritum suum?* et primae Petri quarto[6]: *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam ministrantes, sicut boni administratores multiformis gratiae Dei;* sed hoc dicit, ut non habeant *varias sententias et peregrinas,* sed omnes idem dicant, sicut primae ad Corinthios primo[7]: *Obsecro vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* ».

Tandem *summa S. Sedis auctoritas* omne dubium, si adhuc existere posset, removit a mente sincere fidelium catholicorum. Sicut enim supra ostensum est, studium utriusque S. Doctoris, cum Angelici tum Seraphici, S. Sedes aeque approbat ac commendat, necnon in scholis colendum praescribit. Huic vero summae auctoritati esse dicto audientes vi ipsius regulae speciali modo tenentur alumni Ordinis Minoritici. — Accedat tandem huc aureum revera monitum, quod Editores operum omnium S. Bonaventurae sapienter proponunt[8]: « Hinc iam sequitur, dicunt, non esse sapientis, aliorum catholicorum doctorum praecedentium sententias vel rationes tanquam falsas contentiose impugnare atque suas proprias vel novas commendare tanquam solummodo veras; sed praestare, si fieri potest, omnes a catholicis doctoribus non omnino erronee positas sententias potius ad quandam concordiam inter se et ad eandem ineffabilem ve-

[1] S. Bonav. Op. om. Proleg. loc. cit.
[2] De Hum. cognit. ratione, pag. 83; Ad Aquas Claras, 1883.
[3] Eccle. ult. vers. 11.
[4] Vers. 1.
[5] Vers. 29.
[6] Vers. 10.
[7] Vers. 10.
[8] Proleg. in I. libr. Sent. pag. LXXXII.

ritatem reducere, quam veritatem catholicam in infinitum varie opinando rescindere. Hoc praeclaris verbis auctor [1] iam supra laudatus sic commendat: « *Cum nec Deus, nec ulla eius veritas, sua unitate ac simplicitate sit causa vel occasio ullius dissensionis sed pacis* (1 Cor. 14, 33.) *singulique doctores catholici quasi ex circumferentia veritatis sub distinctis et propriis radiis rectis ad eius centrum studiose collineent, non sunt contentiosis interpretationibus et opinionibus ab invicem alienandi, sed potius inter se et eidem veritati intentae, saltem inadaequate conciliandi, ut ex Rom.* 12, 3-6: *Unusquisque in suo sensu abundet, id est, non sola intentione studiosa, sed etiam inadaequata participatione eiusdem veritatis* ».

Postquam rationes, quae iuvenum mentes ad studium utriusque Doctoris alliciant excitentque, in spiritu unitatis ac caritatis breviter tetigimus, *singularem* utriusque Doctoris in scribendo *typum modumque* iam paulisper *consideremus*. Quod autem uterque Doctor singulares habeat in scribendo proprietates, ex ipso *titulo diverso* utriusque Doctoris satis apparet, cum *S. Thomas* antonomastice ab omnibus appelletur *Angelicus, S. Bonaventura* vero *Seraphicus* communi suffragio nominetur. « Licet omnes sancti Ecclesiae doctores, ut aiunt Editores operum S. Bonaventurae [2], sint lucernae ardentes caritate et lucentes splendore veritatis, eorumque scripta plurimum conferant ad mentem lectoris scientia illuminandam et affectum devotione inflammandum, tamen non eodem modo et gradu utrumque immediate praestant. *Divisiones enim sunt gratiarum, idem autem Spiritus dividens singulis, prout vult* [3]. Doctores autem scholastici ceterique post eos theologi fere tantum in illuminando intellectu versantur. Sanctus autem Bonaventura, qui cum Doctore Angelico primarium inter Scholasticos locum occupat, *utrumque coniungens* et *in divina quadam animos inflammandi vi* prae ceteris Doctoribus excellens, iure sibi ab immemorabili tempore promeruit nomen *Doctoris Seraphici*, Summorum Pontificum diplomatibus et saeculorum consensu confirmatum. Insigne praeconium unico hoc vocabulo profertur. Nam teste *S. Bernardo* [4], est tantum lucere vanum, tantum ardere parum, lucere et ardere perfectum. Haec igitur indoles, haec laus doctrinae S. Bonaventurae, quae paucis aliis datur, quia scilicet, ut testatur *Trithemius* [5], « multi doctrinam proferunt, devotionem praedicant multi; pauci in scribendo libros docuerunt utrumque; S. Bonaventura autem et multos superavit et paucos, dum eius *doctrina devotionem, devotio instruit doctrinam* ». « Sint igitur alii doctores, qui dicantur cherubici; Bonaventura autem verissimo nomine *seraphicus simul et cherubicus*, quia *inflammat affectum* et *erudit intellectum*, reducit et unit ad Deum per amorem excitativum [6] ». Profecto, S. Bonaventura honorificentissimo hoc titulo *Doctoris Seraphici* merito optimoque iure ornatur, qui « scribendo cum summa eruditione parem pietatis ardorem coniungit, ut lectorem docendo moveat, et in intimos animi recessus illabatur [7] ». — *Triplex* nimirum est *ratio*, quare nobilissimi praedicti nominis titulique sublimis honor S. Bonaventurae iure tribuitur: *eximia* scilicet *doctrina*, ob quam ipsum « auctoritate apostolica inter praecipuos, qui theologicae facultatis magisterio excelluerunt, habendum esse » Summus Pontifex Sixtus V. [8] decrevit atque declaravit; *forma* deinde *tractandi strictissima* et *maxime utilis*: « perdifficiles enim et multis obscuritatibus involutae quaestiones, magna optimorum argumentorum copia, *via et ordine, enucleate et dilucide* explicantur [9] », et « in logicis demonstrationibus et concertationibus usque adeo excelluit S. Bonaventura, ut iis qui disputationem cum eo suscepissent, difficile esset argumentorum illius aciem effugere, si quando res

---

[1] P. Matthias Hanzeur, Collationes, tom. I. in append. col. 27.
[2] Praef. gen. pag. 1.
[3] I. Cor. 12, 4. 11.
[4] Serm. in nativ. S. Ioan. Bapt., n. 3.
[5] De Scriptoribus eccles. fol. 101 verso ed. Paris. 1512.
[6] Ioan. Gerson in quadam Epist., 1426.
[7] Sixti V. Bulla: Triumphantis Hierusalem, § 3.
[8] Bulla cit., § 14.
[9] Sixtus V, Bulla cit., § 3.

ita postularet [1] ». Tandem *vi quadam divina* permovendi animos Doctor noster magnopere excellebat [2]. Hinc praedicatum illud ornans *seraphicus* non est mere vocabulum honoris, sed dignitatis et ingenii iustum praeconium. Doctor noster vere est *totus seraphicus,* qui, « cum exemplo Patris nostri Francisci Seraphici,... ad montem Alvernae tanquam ad locum quietum amore quaerendi pacem spiritus declinaret, ibique existens, dum mente tractaret aliquas mentales ascensiones in Deum, et inter alia de illo miraculo contemplaretur, quod in praedicto contigit loco ipsi beato Francisco, de visione scilicet Seraphim alati instar crucifixi, haec verbis vere seraphicis scripsit: Effigies sex alarum seraphicarum insinuat sex illuminationes solares, quae a creaturis incipiunt et perducunt usque ad Deum, ad quem nemo intrat recte nisi per Crucifixum [3] ». Idem non solum omnia creata ad Deum reducit et in Deo unit, sed etiam res creatas, iterum descendendo ex Deo tanquam ex causa prima et universalissima, quasi *quadam luce divina* collustrat, nobilitat et sursum elevat, ut *Deus unus et trinus* in omnibus semper affulgeat. Haec singularis S. Bonaventurae indoles in ipsa forma dicendi expressa facile animadvertitur, cum S. Doctor omne compositum, prout in materia tractanda occurrit, *tripartita* communiter *distinctione* dividere soleat, necnon membra divisa ad unitatem quandam iterum reducere pro viribus nitatur, ut et ipsa sua scripta similitudinem *divinae unitatis ac trinitatis* etiam exterius referant. Non igitur miremur, quod doctrina S. Bonaventurae, cum tam in se quam quoad formam spectata Deum quasi quodam speculo repraesentet, imbuta sit spiritu pacis, et quibusdam seraphicis igniculis, lucendo et ardendo, in intimos animae recessus illabatur, et mentem ad Deum elevet, ut veram sapientiam christianam hauriat ex ineffabili omnis veri et boni fonte et principio. Hic est itaque character Doctoris Seraphici singularis, hoc praeconium speciale, quo maiore S. Doctor non indiget. Quod igitur de suo illuminatissimo magistro S. Augustino ipse S. Bonaventura dixit, hoc etiam de ipso discipulo veraciter dici posse non dubitemus: « Et ideo videtur, quod inter philosophos datus sit Platoni sermo sapientiae, Aristoteli vero sermo scientiae. Ille enim principaliter aspiciebat ad superiora, hic vero principaliter ad inferiora. Uterque autem sermo, scilicet *sapientiae et scientiae, per Spiritum sanctum datus est Augustino* [4] ».

Cum praelaudato charactere singulari, duo intime cohaerent, quae ipsius scriptis peculiarem impertiunt vim attrahendi et alliciendi animum legentis. S. Bonaventurae mens Deo ita erat coniuncta, ut vel a Deo initium sui sermonis peteret, vel, cum a creaturis inciperet, per ipsas tanquam per scalam ad Deum unum et simplicem ascendere soleret. Hinc S. Doctor in quaestionibus, quas evolvit, semper se ponit super *basi quadam latiori,* ne, quando circa mysteria versatur tractatio, curiose quaestiunculis nimis specialibus insistendo, terminum menti humanae in via cognitionis positum excedat et in quaestiones fere indissolubiles incidat, quae magis officere quam proficere videntur. Etiam *sermo suus ita est simplex, profundus et nervosus,* ut quod multi alii doctores crebrioribus solent explicare sententiis, S. Bonaventura paucioribus sapienter comprehendat. Quae succincta sermonis simplicitas, coniuncta cum altissima profunditate, praecipue et mirabiliter elucet in aureo libro, qui inscribitur: *Breviloquium,* necnon in opere vere seraphico, *Itinerario* scilicet *mentis in Deum.* Notatu hic utilissima sunt quae P. Fidelis a Fanna ad rem scribit [5]: « Quamobrem eius doctrina, inquit praelaudatus auctor, quae primo intuitu legenti pauca et obvia complecti videtur, multa dein et profundissima paucis ac summatim perstringere cernitur. Unde quod prius fons parvus videbatur, mox crescere prospicitur in fluvium eruditionis maximum, et in lucem solemque scientiae et sapientiae converti, atque in aquas plurimas doctrinae salutaris redundare, quae mentem pariter et cor hominis maxime foecun-

[1] Galesinius, vita S. Bonav., c. 10.
[2] Sixtus V, Bulla cit.
[3] Prolog. in Itiner. mentis in Deum.
[4] De Hum. Cognit. ratione, pag. 81; Ad Claras Aquas, 1883.
[5] Ratio etc., pag. 14, Taurini, Marietti, 1874.

dant et uberrimos fructus iustitiae et veritatis ferre faciunt ».

Ne autem quis cum non paucis credat, S. Bonaventuram merito quidem qua theologum praedictis laudibus efferri, necnon qua magistrum vitae spiritualis, ipsum autem qua philosophum circa ordinem naturalem versantem non iisdem iuste illustrari praeconiis; omissis multis aliarum auctoritatum testimoniis, quae S. Bonaventuram specialiter celebrant ut profundum philosophum, iuvat istis obtrectationibus opponere illam sententiam, quam Summus Pontifex Leo XIII. sapienter pronuntiat in genere de praerogativis scholasticae philosophiae [1]: « Praeterea, cum illud sit scholasticorum theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo coniunxerint, profecto theologia, in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, *si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuissent* ». Quod autem haec ratio apte conveniat S. Bonaventurae, facile perspiciet qui scripta eiusdem velit examinare, vel etiam primum novae eiusdem editionis volumen oculo percurrere. In quamcumque enim fere illius editionis paginam legentis flectatur oculus, multa ipsi occurrunt citata Aristotelis, principis philosophorum, ut de innumerabilibus propriis S. Bonaventurae sententiis mere philosophicis sileam. Nec temperare sibi poterit, quominus in S. Doctore admiretur et raram memoriae vim, qua innumerabilia Philosophi axiomata memoriae impressa habuit mentique ratiocinanti ad usum praesentia, et ingenii acumen, quo difficillima quaeque problemata vel obiecta philosophicis istis principiis illustravit. Simul autem observamus, cum in praelaudata nova operum S. Bonaventurae editione diligentia quadam studiosa, immo scrupulosa, tot testimonia Aristotelis ex omnibus fere eiusdem operibus citentur, manifeste demonstrari, falsam esse opinionem multorum, ante B. Albertum M. et S. Thomam praeter scripta logicalia Aristotelis alia opera eiusdem vix adhibita esse. — Praeterea, quam profundum philosophum se probaverit S. Bonaventura in solutione difficillimae quaestionis de humanae cognitionis ratione, doctissimorum virorum applausu, quo *quaestionem* praedictam *disputatam*, nuper in lucem pro prima vice editam, exceperunt, sufficienter compertum habemus. — Aliae adhuc quaestiones circa res philosophicas suo tempore, Deo volente, in lucem edendae, S. Bonaventuram commendabunt non minus bonum ac profundum philosophum quam magnum et eximium theologum. Ideoque sicut *Doctor Angelicus*, qui ut Angelus coeli « orbem terrarum calore virtutum fovit et doctrinae splendore implevit » signanter *soli* comparatur a Summo Pontifice [2], *ita etiam S. Bonaventura* — qui, cum « summa eruditione... seraphicis quibusdam aculeis cor compungat et mira devotionis dulcedine perfundat [3] », jure *Doctor Seraphicus* antonomastice dicitur: — revera *est sol lucens et ardens in orbe terrarum, qui* « ignem docet cum lumine [4] », et « ea de divinis rebus scripsit, ut in eo Spiritus sanctus locutus videatur [5] ».

Ut melius adhuc, auditores benevolentissimi, S. Bonaventurae *mens seraphica* nobis innotescat, paucis tres nostri Doctoris qualitates perstringamus, ipsius videlicet *humilitatem* respectu sui ipsius, *reverentiam* in Deum, denique et *caritatem*, qua benigne semper tractat alios auctores. — Iam Christum tanquam suum principalem magistrum S. Bonaventura, ut humillimus discipulus, « principaliter vult audire per *humilitatem fidei* [6], secundum illud Isaiae [7]: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo; erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam eum quasi magistrum* ». Ut autem ad huius omnium magistri pedes humilis maneret discipulus, ipse propria voluntate noluit aggredi tam magna et ardua sua opera, quae nunc omnibus sunt admirationi; sed sola obedientia imponente et fra-

[1] Bulla: Aeterni Patris.
[2] Bulla: Aeterni Patris.
[3] Sixtus V, Bulla: Triumphantis, § 3.
[4] Ioan. Gerson in Epist. ad quemdam Minoritam.
[5] Sixtus IV, Bulla: Superna, § 3.
[6] De Hum. Cognit. ratione, pag. 82.
[7] Cap. 40, 4.

trum desiderio postulante, laborem magistri suscepit, ut S. Doctor in fine libri III. in Sententias testatur: « Iesum Christum rogo, ut faciat provenire mihi ad obedientiae meritum et fratrum profectum, *propter quae duo* labor iste fuit a principio assumptus ». Neque, labore magistrali finito, humilitatem amiserat, qui scripsit[1]: « Nec quisquam aestimet, quod novi scripti velim esse fabricator; hoc enim sentio et fateor, quod sum *pauper et tenuis compilator* ». Eandem humilitatem testatur dictum S. Doctoris in fine III. libri Sententiarum: « Si cui autem aliter videtur et fortassis melius in huius quaestionis determinatione, immo exploratione duorum librorum praecedentium, *non invideo;* sed hoc rogo, ut si quis aliquid in hoc *opusculo* invenerit approbatione dignum, agat gratias *Deo, largitori bonorum.* In aliis vero locis, ubi invenerit vel falsum vel dubium vel obscurum, *scribentis insufficientiae* benigne indulgeat, qui absque dubio, teste conscientia, vera, aperta et *communia* dicere concupivit... Immensas gratias ago Christo, qui adiuvit me pervenire ad consummationem *opusculi,* miseratus *paupertatem scientiae et ingenii mei* ». Compertum autem est, quod vera humilitas non solum facit hominem descendere ad abyssum propriae vilitatis, sed tanquam quadam reactione ascendere etiam ad summam Dei maiestatem, quam omnibus creatis vult praeferre et in omnibus honorare, laudare atque glorificare. Hinc S. Bonaventurae, Doctori secundum veritatem humili, inconcussa ac firma semper valebat regula, quae illas prae aliis opiniones semper vult praeferri, quae magis cum *pietate et reverentia* erga Deum concordant. Ita e. gr. tractans de sententia illa, quod ratio Incarnationis praecipua sit generis humani reparatio (III. Sent. d. 1. a. 2. q. 2.), sic concludit[2]: « Quoniam ergo hic modus dicendi, etsi non videatur esse ita subtilis, sicut praecedens, plus tamen consonat *pietati fidei* in hoc, quod auctoritatibus Sanctorum magis concordat et *Deum magis honorificat,* etiam Incarnationis mysterium magis commendat et affectum nostrum ardentius inflammat: ideo » etc. — Utinam haec regula disputantibus sit norma, ut, si inter varias alicuius dubii solutiones una quidem solutio creaturae aliquid derogare videatur, alia vero summo Deo totum suum non ita tribuere perspiciatur, iura divina semper inviolabiliter defendant!

Honorari etiam vult S. Bonaventura magistrum suum principalem Christum ita, ut ipsi proprie « *dignitas magisterii* attribuatur[3], Matthaei vigesimo tertio[4]: *Nolite vocari Rabbi: unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis.* Sibi autem vult dignitatem magisterii reservare secundum illud Ioannis decimo tertio[5]: *Vos vocatis me Magister et Domine; et* bene *dicitis, sum etenim.* Honorandus est autem non solum *vocaliter* in locutione, sed etiam *realiter* in imitatione; propter quod subdit[6]: *Si ergo ego lavi pedes vestros* etc.; quia sicut dicitur Lucae decimo quarto[7]: *Qui non venit post me, non potest meus esse discipulus* ».

Denique Seraphicus Doctor intendit etiam *benevolentiae caritatis* Dei et proximi[8]. « Bonaventura studuit de variis opinionibus semper elicere illud quod verum apparebat, et cum sobrietate magna dimittere illud quod nimium aut parum videbatur[9] ». Ipse autem S. Bonaventura in quadam anecdota quaestione eundem spiritum caritatis nobis in exemplum ita proponit[10]: « Ex his igitur, inquit, colligitur, quod multae opiniones videntur esse contrariae, quae tamen in unam coincidunt veritatem. Et propterea omnes opiniones praedictas in praecedentibus sustinui, et credo esse sustinendas aliquo modo. *Non enim decet iuniores, antiquorum aspernari sententias, sed humiliter venerari et fideliter explicare;* quia non est credendum, quod *magni amatores et inquisitores*

---

[1] In quodam anecdoto prologo ad II. libr. Sent.

[2] Cfr. S. Bonav. Op. om., Proleg. in I. libr. Sent., pag. LXIII.

[3] De Hum. cognit. ratione, pag. 81.

[4] Vers. 8.

[5] Vers. 13.

[6] Vers. 14.

[7] Vers. 27.

[8] De Hum. etc., pag. 83.

[9] Ioan. Gerson, P. IV. de concordia metaph. et logicae.

[10] Vide I Sent. d. 27. p. I. q. 2.

veritatis celebres positiones suas dixerint sine causa; in omnibus autem dictis praecipue *causa* dicendi consideranda est. Nam quod superficialiter videtur falsum, frequenter invenitur verum, cum pertingitur ad intentionem dicentium».

Ubi autem humilitas et caritas, ibi controversiarum lites non inveniuntur; « nam dissensio sententiarum, ut ipse inquit Doctor Seraphicus [1], *ortum habet a praesumptione,* secundum illud Proverbiorum decimo tertio [2]: *Inter superbos semper iurgia sunt — et parit confusionem,* primae ad Timotheum ultimo [3]: « *Si quis aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi et ei quae secundum pietatem est doctrinae, superbus est nihil sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas verborum; ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, conflictationes hominum mente corruptorum et qui veritate privati sunt* ».

Restat nunc, humanissimi auditores, ut quaedam *de spiritu orationis* adiungamus, qui fuit quasi fons, unde omnes praedictae proprietates et virtutes scaturierunt, imprimis *mirabilis* illa *unctio,* quam Doctoris scripta abundanter redolent atque suaviter spirant. Cum autem oratio essentialiter consistat in *cordis elevatione ad Deum,* et S. Bonaventura « in suis scriptis totus sit in ostendendo Dei causalitatem et coefficientiam in universo, omniumque creaturarum et actionum subiectionem et habitudinem ad Deum, *quem proinde ubique et semper obvium habet* [4] »; facile est animadvertere, quod S. Bonaventurae studium et quasi tota sua doctrina optima quaedam sit oratio. Omittamus hic brevitatis causa permulta in eius scriptis sparsa monita, quibus S. Doctor lectorem ad *orandum* enixe invitat, ut rem considerandam intelligat. Solum adducere sufficiat, quae S. Doctor in illo Sermone saepe iam citato, eleganter ac breviter de obiecto orationis studentium profert [5]: « Interrogandus est autem, inquit, hic magister (scil. Christus) de his quae spectant ad *scientiam,* ad *disciplinam et bonitatem,* secundum illud Psalmi [6]: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Scientia* namque consistit in notitia veri, *disciplina* in cautela mali, *bonitas* in eligentia boni. Primum respicit veritatem, secundum respicit sanctitatem, tertium respicit caritatem. — Interrogandus est ergo de his quae spectant ad *veritatem scientiae,* non studio tentandi, sicut tentabant discipuli Pharisaeorum, Matthaei vigesimo secundo [7]: *Magister, scimus, quia verax es* etc. Et quia *mala intentione* quaerebant, ideo responsum est eis: *Quid me tentatis, hypocritae?* Quia vero *quaestionem bonam,* ideo dedit responsionem veram: *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.* — Interrogandus est secundo de his quae spectant ad *sanctitatem disciplinae,* sicut interrogabat eum ille adolescens, Marci decimo [8]: *Magister bone, quid faciam, ut vitam aeternam possideam?* Et responsum est ei, quod servaret mandata, et si vellet perfectus esse, servaret consilium, in quibus consistit perfecta disciplina morum, in cautela eorum quae nos incitant ad peccandum. — Interrogandus est etiam de his quae spectant ad *caritatem benevolentiae,* exemplo Legis doctoris, Matthaei vigesimo secundo [9]: *Magister, quod est mandatum magnum in Lege?* Ait illi: *Diliges Dominum Deum tuum ex corde tuo et ex mente tua* etc.; ubi ostenditur, quod *plenitudo Legis est dilectio* [10]. Haec igitur tria sunt, quae interroganda sunt a Christo tanquam a magistro, et ad quae tota lex Christi est ordinata; et ideo *omnis doctrina ministerialis doctoris ad haec tria debet ordinari,* ut sub illo magistro summo officium magisterii digne possint executioni mandare ».

Hunc autem egregium Doctorem iam non possum haesitare, carissimi studentes, ut commendem vobis tanquam *ducem in scientia securum et magistrum optimum,* qui suos disci-

[1] Vid. Opusc. de Hum. etc., pag. 84.
[2] Vers. 10.
[3] Vers. 3, 4, 5.
[4] P. Fidelis a Fanna, Ratio etc., pag. 14.
[5] De Hum. Cognit. ratione, pag. 82.
[6] Ps. 118, 66.
[7] Vers. 16, 18, 21.
[8] Vers. 17.
[9] Vers. 36, 37.
[10] Rom. 13, 10.

pulos ad principalem omnium et supremum ducit magistrum, scilicet Christum Dominum, qui de seipso dixit[1]: *Unus est magister vester.* « Dicit, inquam, quod Christus est *magister*, ut de nostra scientia non *praesumamus;* dicit quod *unus,* ne in sensu *dissentiamus;* dicit quod *vester* est, paratus nobis assistere, ne *desperemus,* maxime cum ipse velit et sciat et possit nos docere, mittendo illum Spiritum, de quo ipse dicit, Ioannis decimo sexto[2]: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*[3] ».

Advertant autem auditores benignissimi, quod nullo modo nobis sit intentio *absolutam* inter Doctores instituere comparationem, sed *relativam* tantum, respectu scilicet *usus scholarum,* ideoque in suo relinquimus valore ceteros, etiam magnos doctores praeclarissimosque nostros magistros, qui postquam *fundamentum tamen iam positum est,* pro ulteriore perfectione et scientia universaliore inspiciendi, consultandi et pro viribus discendi sunt.

Haec quae de doctrinae scholasticae praestantia et summa utilitate, quam serium eiusdem studium afferre solet, pro modulo nostro diximus, sufficiant. Multa quidem remanerent discutienda, si respondere vellemus ad omnes obiectiones et difficultates, quas vulgo circumferre solent multi, imprimis inter acatholicos, qui libros Scholasticorum aspernantur, immo conviciis insectantur. Sed ne abutar patientia vestra, longiore et satis inutili et ingrata discussione de his supersedeo, et pauca tantum paucis verbis referam.

Exprobrant igitur plurimi primo loco scholasticae philosophiae, quod tota sit in scrutandis vanis subtilitatibus et obscuris metaphysicae quaestionibus, quae nullius momenti sint in usu vitaque communi, sive, ut dicunt, pro *praxi.* — Quodsi isti hanc reprehensionem restringerent ad quosdam obscuriores Scholasticos et sequioris aetatis, vel ad paucas quasdam quaestiones, facile res in medio relinqui vel concedi posset, minime autem respectu summorum Doctorum Ecclesiae, scilicet Angelici et Seraphici. Et quod obiiciunt de inutilitate ad vitae usum, quasi omnis scientia negligenda esset, quae non *immediate* ad usum populi applicari possit; hoc tenui animo et pingui, ut aiunt, Minerva, dictum est. Profecto scientia, quae occupatur in rationibus metaphysicis, quam antiqui *primam philosophiam* et *supremam* inter scientias ordinis naturalis vocabant, non est apta indole sua et scopo, ut immediate applicetur ad artes fabriles aliosque vitae usus docendos, nec ut declametur in suggestis, vel exponatur in confessionalibus. Nihilominus non est inutilis pro vita humana rite instituenda, immo maximi momenti est, quia versatur circa ipsum omnium scientiarum fundamentum recte ponendum, dum generales et latissime patentes conceptus et prima cogitandi principia elucidat et determinat. Confusio autem in primis conceptibus ipsam veritatis inquisitionem inextricabili confusione involvit, et modicus error in principiis magnus est in fine, ut ex Aristotele observat Doctor Seraphicus[4]. Hoc a saeculis, imprimis nostra aetate, frequenti comprobatur et deplorando exemplo. Percurras plurima scripta recentiorum philosophorum, qui Scholasticos derident, et invenies et improbam errorum colluviem et etiam miserrimam idearum confusionem, dum unusquisque pro libitu sibi format suos falsos conceptus et innumerabilia errorum figmenta! Numquid non spectat ad *vitae usum,* numquid supervacaneum est, et verbis suam reddere significationem, et mentibus sinceros et lucidos conceptus, et scientiis prima et inconcussa principia et axiomata?

Alii conqueruntur de terminologia Scholasticorum, quasi oleat barbarismum; insuper irrident ipsorum definitiones et distinctiones, quasi sint superfluae, obscurae et intricatae. — Profecto qui folia verborum praefert fructibus veritatis, et cui nihil arridet, nisi quod classicorum Latinorum elegantia et verborum lenociniis demulcet, non potest non offendi quibusdam terminis technicis a Scholasticis frequenta-

[1] Matth. 23, 10.
[2] Vers. 13.
[3] S. Bonav. in fine Serm. cit.
[4] De Humanae Cogn. ratione, p. 62; cfr. Aristot., I. de Caelo, text. 33.

tis. Attamen qui hanc terminologiam discere dedignatur, ne sensum quidem eorum capiet, immo facile falso eos interpretabitur, ut frequenti experientia comprobatum est. Sed observandum est, nullam scientiam posse sua terminologia carere nec probe intelligi ab eo, qui eam discere nolit. Nemo intelliget libros nostros mathematicos, astronomicos, botanicos, ut aiunt, et chimicos, nisi qui diligenti studio terminorum fere innumerabilium usum in promptu habeat. Numquid eosdem terminos depromere poterit ex Cicerone?

Deinde repetimus, terminologiam Scholasticorum stabilem et minime aequivocum sensum habere, dum recentiores plerumque confuse, et unusquisque pro libitu, loquuntur. De quo Editores operum S. Bonaventurae[1] non immerito ita conqueruntur: « Postquam libido potius nova et hucusque incognita moliendi quam vetera novis augendi et perficiendi invaluit, nullum remansit principium intactum, nulla rei definitio in usu constanti recepta, et mutatis ipsis scientiae terminis technicis vel secundum vocem, vel secundum sensum, *mentium dissidium* secuta est etiam *linguarum confusio*, ut nec ipsi operariorum in struendo philosophiae aedificio praefecti se invicem intelligerent ».

Denique adversarii cum quadam majore veritatis specie obiiciunt, dissidium insolubile esse inter recentioris scientiae, praesertim rerum naturalium, certissimas doctrinas et plurima Scholasticorum principia. — Ad hoc iam respondet Summus Pontifex Leo XIII. in saepius laudata Encyclica et inter alia dicit: « Si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi ». Nemo autem prudens negat, in rebus physicis, quae *experimento* discuntur, magnum nostrae aetati progressum scientiarum concedendum esse. — Secundo autem ex S. Bonaventura[2] notandum est, alio modo physicum, alio modo metaphysicum res naturales considerare, et utrumque intra suae scientiae limites debere consistere. Nec Scholastici merentur a nostris physicis vituperari, quod suae aetatis physicis in nonnullis rebus nimiam fidem praestiterint. Si nostrae aetatis physici volunt *sibi* fidem praestari a theologis respectu suae scientiae, qualis nunc viget, quare in opprobrium vertunt antiquis Scholasticis, quod usi sint scientia physicorum, qualis erat sua aetate? — Observandum autem est, multa dissidia inter novae scientiae inventa et antiquae philosophiae principia evanescere, quando et physici et metaphysici suae scientiae limites non excedunt. Pro exemplo sit celebris de corporum ultimis constitutivis quaestio, quae et ad physicam et ad metaphysicam spectat. Physico licet disputare de elementis corporum constitutivis, quatenus per instrumenta vel processum chimicum corpora dividere et divisa inter se distinguere valet. Sed ultima corpuscula, quae vocat simplicia, subito proclamare tanquam ultima constitutiva principia in sensu atomistarum, hoc sane est excedere terminos suae scientiae et in campum metaphysici transire. Nec mirum est, quod tales physici non intelligant, sed derideant scholasticam doctrinam de materia prima et forma substantiali, licet non tantum Aristoteles, Augustinus aliique SS. Patres, sed etiam ipsa Ecclesia usum horum terminorum adhibeant.

Concludamus igitur, carissimi sacrae doctrinae studiosi, tuto vos incessuros tramite, si, Summi Pontificis oraculo obsequium praestantes, pro fundamento studiorum vestrorum ponatis auream S. Thomae Summam, ab ipso S. auctore pro usu scholarum conscriptam, aliaque eiusdem admiranda opera. Si autem adiungatis, pro loco et tempore, etiam Seraphici Doctoris opera, quae particulari quodam Spiritus sancti charismate excellunt, ipsa experientia probabitis, quam efficaciter et egregie ipse discipulos sua luce et ardore ducat ad Lumen luminum hic in via et speculandum et amandum, et cooperante divina misericordia, in caelo fruendum.

Concordia omnia crescunt,
Discordia maxima dilabuntur!

---

[1] Tom. I. Praefatio XXXV.

[2] II. Sent. d. 3. p. I. a. 1. q. 2. 3.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EPISTOLA

S. romanae et universalis Inquisitionis, qua validae in posterum declarantur dispensationes matrimoniales, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi, reticita fuerint.

ILLME AC RME DOMINE.

Infandum incestus flagitium semper odio sancta DEI Ecclesia prosequuta est, et summi romani Pontifices statuerunt, ut qui eo sese temerare non erubuissent, si ad apostolicam Sedem confugerent petendae causa dispensationis super impedimentis matrimonium dirimentibus, eorum preces, nisi in eis de admisso scelere mentio facta esset, obreptionis vitio infectae haberentur atque ideo dispensatio esset invalida; idque ea sanctissima de causa cautum fuit, ut ab hoc gravissimo crimine Christifideles arcerentur.

Hanc s. Sedis mentem testantur tum alia documenta, tum decretum, quod novissime supremum sanctae romanae et universalis Inquisitionis consilium, ipso adprobante romano Pontifice, feria IV die 1 augusti 1866 tulit, quod est huiusmodi « subreptitias esse et nul-
« libi ac nullo modo valere dispensationes, quae
« sive directe ab apostolica Sede, sive ex pon-
« tificia delegatione super quibuscumque gra-
« dibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis,
« cognationis spiritualis nec non et publicae
« honestatis conceduntur, si sponsi ante ea-
« rumdem dispensationum executionem, sive
« post earum impetrationem incestus reatum
« patraverint; et vel interrogati, vel etiam non
« interrogati, malitiose vel etiam ignoranter
« reticuerint copulam incestuosam inter eos
« initam sive publice ea nota sit sive etiam
« occulta, vel reticuerint consilium et in-
« tentionem qua eamdem copulam inierunt,
« ut dispensationem facilius assequerentur ».
S. Poenitentiaria vestigiis insistens Inquisitionis id ipsum die 20 iulii 1879 statuit.

Verum cum plurimi sacrorum antistites sive seorsum singuli, sive coniunctim s. Sedi retulerint, maxima ea de causa oriri incommoda cum ad matrimonialium dispensationum executionem proceditur et hisce praesertim miseris temporibus in fidelium perniciem non raro vergere quod in eorum salutem sapienter inductum fuerat, Sanctissimus D. N. D. LEO divina providentia Papa XIII eorum postulationibus permotus, re diu ac mature perpensa, et suffragio adhaerens Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium in universa christiana republica una mecum Inquisitorum generalium, hasce litteras omnibus locorum ordinariis dandas iussit, quibus eis notum fieret, decretum superius relatum s. romanae et universalis Inquisitionis et s. Poenitentiariae, et quidquid in eumdem sensum alias declaratum, statutum aut stylo Curiae inductum fuerit, a se revocari, abrogari nulliusque roboris imposterum fore decerni; simulque statui et declarari, dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas fu-

turas: contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Dum tamen ob gravissima rationum momenta a pristino rigore hac super re Sanctissimus Pater benigne recedendum ducit, mens Ipsius est, ut nihil de horrore, quod incestus crimen ingerere debet, ex fidelium mentibus detrahatur; imo vero summo studio excitandos vult animarum curatores, aliosque quibus fovendae inter christifideles morum honestatis cura demandata est, ut prudenter quidem, prout rei natura postulat, efficaciter tamen elaborent huic facinori insectando et fidelibus ab eodem, propositis poenis quibus obnoxii fiunt, deterrendis.

Datum Romae ex cancellaria S. Officii die 25 Junii 1885.

Addictissimus in Domino
R. CARD. MONACO.

—

ILLMUS ET RMUS D. PETTINARI

In secreto Consistorio diei 27 Julii proxime elapsi, in aedibus Vaticanis habito coram summo Pontifice LEONE XIII, Illmus et Rmus ANTONIUS MARIA PETTINARI, iam Archiepiscopus Urbinatensis, ad titularem ecclesiam archiepiscopalem Palmyrensem translatus est, et paucis postea diebus, Sanctitatis suae auctoritate, electus Secretarius S. C. Episcoporum et Regularium. Praelaudatus Praelatus, Observantis Picenae Provinciae filius, in Ordine praecipuis muneribus laudabiliter functus, ad Ecclesiae servitia adhuc potiora praestanda, diu a DOMINO sospitetur.

—

MONITUM

De abstinentia in proxima regulari quadragesima.

Notum facimus omnibus Provinciarum superioribus, etiam hoc anno concessum fuisse a SSmo Domino Nostro LEONE, divina Providentia PP. XIII, in audientia diei 15 Julii proxime elapsi, indultum de usu carnium et lacticiniorum in proxima regulari quadragesima. Huius Indulti tenorem, conditiones et clausulas videant in *Actis Ordinis* 1883, pag. 156. Monentur tamen praedicti superiores, Rmum P. Ministrum Generalem exoptare, ut illae Provinciae quae eiusmodi Indulto hucusque non utebantur, in sua laudabili observantia perseverent.

II.
ACTA ORDINIS

—

EPISTOLA RMI MINISTRI GENERALIS

qua Tertii Ordinis seraphici ac FOEDERIS CATHOLICI *associatio commendatur, atque variae facultates Directori Generali* FOEDERIS CATHOLICI *conceduntur.*

—

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
Strictioris Observantiae
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
Iam S. Theologiae Lector, Venetae Provinciae ex-Minister, ex-Procurator Reformatorum, S. R. C. Consultor, Totius Ordinis Minorum Minister Generalis et humilis in Domino servus.

ADMODUM REVERENDO AC PRAEDILECTO IN CHRISTO
JOSEPHO CANONICO LEMANN
Operis a « FOEDERE CATHOLICO » *nuncupati*
DIRECTORI GENERALI
EIUSQUE PRO TEMPORE SUCCESSORIBUS

salutem et Seraphicam benedictionem

Certiores effecti sumus, Te maxime in votis habere, ut pium opus a « *Foedere Catholico* » pro tuendis JESU CHRISTI iuribus nuncupatum, quod sub protectione B. Urbani PP. II, in insigni Rhemensi Metropolitana basilica, plaudente Illmo ac Revmo Archiepiscopo Benedicto Langénieux, atque opitulante dictae Basilicae Capitulo, a tribus vix annis inceptum, et *Sanctitatis Suae* benedictione, plurimorumque Galliae Antistitum laudibus commendatum, iam hac illac mirabiliter divulgatum conspicimus, Tertio S. P. Francisci Assisinatis Ordinis copuletur atque aggregetur.

Et re quidem vera, utrique sodalitati « *Foederatorum* » et Tertiariorum, haud modica, ut speramus, in bonum animarum et rei publicae tum ecclesiasticae cum civilis tutamentum, ex illa aggregatione et conspiratione mutua, proveniet utilitas. Sodales enim Foederis catholici practicum christiane vivendi modum assequentur, seraphicam scilicet regulam, quam D. N. LEO PP. XIII, sapientissimo temperamento nostrae huic aetati accommodatam, vitae christianae restaurandae et proinde iuribus

CHRISTI efficacius vindicandis, aptiorem reddidit. Tertiarii pariter novo spiritus ardore recreati, per illam supervenientem militiae catholicae aciem, robustiores atque in certaminibus contra liberalismi errores et mundi deliramenta sustinendis animosiores efficientur.

His de caussis, cum Nobis pergratum sit piis huiuscemodi satisfacere votis, Tibi, Reverendissime ac praedilecte in CHRISTO Domine, qui memorati Operis a Foedere catholico Director Generalis existis, et praelaudati Rhemensis Archiepiscopi Litteris dignissimus commendaris, facultatem facimus ac per praesentes factam esse declaramus, cuius virtute omnes utriusque sexus Christifideles, sodales videlicet Foederis catholici, ad Tertium S. P. Francisci Ordinem, servatis tamen omnibus ex Regula servandis, admittere possis et valeas.

Item ut Directoribus localibus Foederis Catholici, pro respectiva tantum sodalitate, eamdem facultatem subdelegare queas, his tamen asservatis conditionibus:

1° Ubicumque stabiliri contigerit « *Foedus Catholicum* », seligatur in Directorem Foederis, in quantum fieri poterit, sacerdos ille saecularis vel regularis qui iam Director sit Tertii Ordinis.

2° In locis ubi iam existit Fraternitas Tertii Ordinis, Director Foederis Catholici, quoad Tertium Ordinem pendeat ex obedientia ad quam pertinet praelaudata Fraternitas Tertii Ordinis in eodem loco erecta.

3° In locis vero vel civitatibus ubi duae vel plures adsunt Fraternitates Tertii Ordinis, sub diversis constitutae obedientiis, Directores earumdem eligi poterunt Directores pariter *Foederis Catholici* pro respectiva tantum Fraternitate; insuper pro eodem loco vel civitate alius seligetur « Foederis catholici » Director localis, cui tamen non subdelegabitur facultas adscribendi ad Tertium Ordinem, nisi seorsim Christifideles, qui alicui ex Congregationibus existentibus interesse nequeunt.

4° In locis tandem vel civitatibus, ubi nulla adest erecta Tertii Ordinis sodalitas, Director « Foederis catholici » cui concedetur facultas admittendi ad Tertium Ordinem, obedientiam familiae primi Ordinis quam maluerit, ipse libere seliget, et quamprimum scribere tenebitur proximiori Guardiano vel Provinciali obedientiae ab ipso selectae.

Datum Romae die 14 Februarii 1885.

FR. BERNARDINUS
Min. Glis (1)

De mandato Paternitatis Suae Rmae

FR. RAPHAEL AB AURILACO
Def. Glis Ord.

(1) Huic decreto sequens epistola Rmi P. Generalis jungebatur:

Paray le Monial, 12 Juin 1885.

Cher Monsieur l'Abbé

J'ai toujours souffert dans mon cœur de prêtre et de religieux en voyant l'oubli sacrilége dans lequel est laissé, même au sein des nations catholiques, Notre Seigneur JÉSUS-CHRIST.

Aussi ai-je accueilli avec bonheur le programme de l'Alliance Catholique, qui veut faire revivre les droits de N. S. J. C. dans l'individu, la famille et la société. Je ne puis qu'encourager de tout mon pouvoir les vrais chrétiens qui se dévouent à ce but. Légalement et pratiquement une vaste conspiration est ourdie pour dépouiller N. S. de ses droits, l'éliminer progressivement de la vie publique, aussi bien que de la vie privée. Il faut que légalement et pratiquement Notre divin Sauveur reprenne la place qui seule lui convient. Ses droits sont imprescriptibles et de tous les siècles: JESUS CHRISTUS *heri et hodie ipse et in saecula.*

Pour obtenir ce résultat, il faut travailler à faire connaître, aimer, adorer N. S. J. C. et chaque vrai chrétien dans la mesure de ses forces doit contribuer à ce résultat par la parole et l'action, selon les circonstances, et toujours du moins par l'exemple et la prière.

C'est en concentrant tous les efforts pratiques, en arborant partout, sans ostentation mais aussi sans faiblesse, l'étendard de JÉSUS-CHRIST que nous obtiendrons de replacer N. S. à la tête de l'édifice social et de le proclamer de nouveau ce qu'il doit être: Maître dans l'école, Maître dans l'atelier, Maître dans l'association, Maître enfin dans les lois.

Suivant les conseils de Notre glorieux Pontife Léon XIII, vous avez, Monsieur l'Abbé, demandé pour l'Alliance catholique l'appui du Tiers-Ordre de St François. Rien n'était plus sage et plus pratique. Notre Séraphique Père, vivante image de JÉSUS Crucifié, surtout après le mystérieux crucifiement de l'Alverne, est aussi un des Saints qui ont le mieux fait connaître et aimer N. S. J. C. Il a inculqué à son troisième Ordre en particulier le devoir spécial de suivre les préceptes de Notre divin Maître et par là de faire revivre dans les masses l'esprit chrétien et évangélique. Nous ne voyons aucune difficulté pour les membres du Tiers-Ordre à s'associer aux membres de l'Alliance Catholique; nos Tertiaires n'auront pas à contracter des obligations nouvelles, mais à faire

De pio Opere
a « *Foedere Catholico* »
nuncupato pro tuendis Jesu Christi *iuribus*.

Quum ex praedictis facultatibus a Rmo Ministro Generali concessis pateat Tertii Ordinis Seraphici et « Foederis Catholici » mutua coniunctio, operae pretium erit huiusce operis originem, scopum atque obligationes paucis verbis explanare.

Tribus abhinc annis initium habuit pium Opus in basilica Rhemensi, cura et zelo notissimi in Gallia Canonici Josephi Lemann, quem mira Christi gratia ab israelitica stirpe et adumbrativa lege mosaica, ad evangelii lumen et sacerdotii dignitatem, una cum fratre suo gemello, Augustino Lemann, pari misericordia sublimavit. Per plurimas Galliae dioeceses brevi tempore opus divulgatum, Romae deinceps in Basilica SS. Crucis in Hierusalem, sub Eminent. Cardinalis Vicarii protectione, stabilitum fuit.

Ut autem Sodalibus practica perfectionis media praeberet, benedicente Summo Pontifice Leone XIII, *Foederis Catholici* Director in hanc piam devenit sententiam, scilicet dictos Sodales Tertio Ordini Seraphico aggregandi. Quum singulis Ordinis S. Francisci Ministris Generalibus votum suum exposuisset, supremi franciscanae Familiae Moderatores eiusmodi precibus libentissime annuerunt.

Praelaudati Foederis scopus in eo est ut iura D. N. Jesu Christi contra grassantem impietatis ac atheismi pestem strenue defendat, eademque in vita privata, in familia et societate ipsis moribus profiteatur. Inter haec iura, sequentia citantur, quae opportunius tueri necesse est, quum ardentius a sectarum fautoribus passim impugnentur, nempe:

Ut Christi Cruci debitus honor cultusque publice tribuatur;

Ut dominica requies religiose custodiatur;

Ut iuventutis christianae instructioni ecclesia catholica libere invigilare queat;

Ut Christi in terris Vicario temporalis principatus vi summaque iniuria arreptus restituatur;

Ut verae Religioni debita reverentia, decus et praecellentia in tuto ponantur;

Ut in festo SS. Corporis Christi processiones ubilibet libere fieri possint;

Ut ius evangelica profitendi consilia vitamque monasticam agendi unicuique sartum tectumque maneat;

Ut christianos mores impudenter ac publice laedendi non foveatur auctoritas.

Obligantur proinde Sodales, dato nomine Registro ecclesiae Rhemensis, quod quidem fieri potest per dioecesanos Directores, ad singula haec iura aliaque pro viribus tuenda et affirmanda, v. g. imaginem Domini Crucifixi in pectore gestando, eamque domi in honorabiliori sede collocando; data occasione signum Crucis devote absque ullo humano respectu efformando; dominicam diem sancte custodiendo; filios christiane educando; publicis processionibus coeterisque ecclesiasticis solemnitatibus interveniendo; sacerdotes personasque Deo dicatas publice venerando; uno tandem verbo christianae religionis officia fideliter adimplendo.

Quum tanta sit affinitas, ut cuique patet, *Foederis Catholici* cum Tertio Ordine S. Francisci, ideo Sodalibus Foederis datur consilium Tertii Ordinis amplectendi Regulam a Sum-

ce que déjà leur Règle, les exemples et les conseils de leur Séraphique Père leur ont sourtout recommandé. Aussi nous engagerons volontiers tous les Tertiaires placés sous notre jurisdiction à donner leur adhésion à l'Alliance Catholique.

D'autre part, pour faciliter aux membres de l'Alliance l'entrée dans le Tiers-Ordre de St François, nous nous sommes fait un plaisir, M. l'Abbé, de vous accorder à vous-même et à tous ceux qui vous succèderont dans la direction de l'Alliance des pouvoirs particuliers que nous joignons à cette lettre. Rédigé depuis longtemps avant mon départ de Rome, ce document n'a pu vous être envoyé aussitôt que je l'aurais désiré. Je suis tenté de m'en réjouir, puisque j'ai l'occasion de vous le porter moi-même à Paray-le-Monial, où un magnifique pélerinage cimente l'union de l'Alliance catholique et du Tiers-Ordre franciscain dans le Cœur de Jésus. Puissent l'amour et la pénitence, fruits de l'Evangile, recevoir aujourd'hui une nouvelle fécondité et rayonner sur la froide société actuelle pour la réchauffer, la purifier, la sauver en lui faisant sentir les suaves étreintes du Roi immortel des siècles N. S. Jésus-Christ.

Agréez, cher Monsieur l'Abbé, mes plus affectueux sentiments en Notre Seigneur et Notre Séraphique Père.

Fr. Bernardin de Portogruaro
Ministre Général
de tout l'Ordre des Frères Mineurs.

mo Pontifice tantopere commendatam, per quam CHRISTUM ipsum induere, eius legem exacte servare, perfectosque Christianos esse et videri constanti conatu satagent (1).

Hortàtur itaque Ordinis nostri Superiores Rmus P. Generalis ut praedictum « Foedus catholicum » ad gloriam Domini nostri JESU CHRISTI et animarum salutem propagare curent, sive per Diaria franciscalia, prouti nonnulla iam laudabiliter egerunt, sive per Patres nostros praedicatores in publicis ad fideles concionibus. Pariter hortatur Rmus Minister Generalis Fraternitates Tertii Ordinis singulosque Tertiarios sibi subjectos, ut *Foederi catholico* nomen dare velint, quum ad regnum CHRISTI extollendum ambae institutiones concurrant, altera quidem per christianae vitae perfectam professionem, altera vero per publicam iurium CHRISTI affirmationem.

—

RMUS P. GENERALIS *ad* PARAY-LE-MONIAL *in Gallia.*

Quum occasione pastoralis visitationis Galliam esset transiturus Rmus P. Generalis, ab egregio Canonico Lemann, Foederis Catholici Directore, invitatorias accepit epistolas quibus enixe exorabatur ut piam peregrinationem Tertiariorum nempe et Sodalium *Foederis Catholici* ad insigne *Paray-le-Monial* Sanctuarium, apparitionibus Domini nostri JESU CHRISTI B. Margaritae Mariae Alacoque illustratum, iam indictam, praesentia sua una cum Episcopo Molinensi condecorare dignaretur, simulque utriusque coetus Tertiariorum nempe et Foederatorum consecrationem sacratissimo Cordi JESU perageret.

His votis annuens supremus Ordinis nostri Moderator, statuta die 12 scilicet Junii in qua festum sacratissimi Cordis JESU recurrebat, piae adfuit peregrinationi ad quam convenerant quinque circiter millia sive Tertiariorum sive sodalium Foederatorum, praeeuntibus cum Sacerdotibus Lémann ultra sexaginta Fratribus Minoribus ex diversis Franciscalibus Galliae familiis, Observantium scilicet, Recollectorum et Capuccinorum (1).

In die solemnitatis Illmus D. *De Dreux-Brézé*, Episcopus Molinensis, Missam solemnem celebravit, et in sero, Vesperis solemni ritu cantatis, Rmus P. Generalis sequentem consecrationis formulam qua Tertiarii et Foederati pari devotione ac fraterna unione SS. Cordi JESU dicantur, gallico idiomate in basilica perlegit:

« Hodie convenimus, Domine JESU, ad hoc Sanctuarium adorabili CORDI tuo consecratum, ut fidem nostram confirmemus ac novis viribus a Te communiamur. Perditi homines per omnem aetatem more Iudaeorum blasphemantes clamare non desinunt « *Nolumus regnare Te super Nos* ». Contra vero Nos filii S. Francisci, et pars *Catholici Foederis* Tibi ex intimo corde clamamus: « *Regna super nos* ».

Regna, Domine JESU, super mentem nostram. Pasce eam deliciis Evangelii tui; pone ante oculos nostros sanctissima gesta et divina verba tua, quibus adhuc a duodeviginti saeculis, quo in terris conversatus et mortuus es, tantopere impellimur ad Te redamandum, ad Te complectendum. Fac ut ea sint lumen, quod per medias huius mundi tenebras nobis affulgeat, et ad Te rectis itineribus dirigamur.

Regna super cor nostrum. Doce nos, Domine JESU, in omni opere bono cavere iactantiam, et Tibi soli in humilitate deservire. Reprime cupiditates, et eas maxime; moderare sensus, erige affectus studio coelestis desiderii. Totum tuum sit cor nostrum, neque aliquid cupiat praeter Te. Infunde puritatem, suppedita vires, adiice animum. Tunc vere digni de Te dicemur, tunc vere Apostoli tui erimus.

Rege privatam vitam nostram. O COR SAcratissimum, esto nobis sicut Sol illuminans omnia, fovens et foecundans omnia, quae fiunt

(1) Qui voluerint *Foederis catholici* fusiorem habere notitiam, conferant sive brevem pagellam: *Alliance catholique*, sive huius pii Operis expositionem: *Programme et organisation de l'Alliance catholique pour le rétablissement des droits de Notre Seigneur* JESUS-CHRIST; sive periodicum folium cui titulus: *Le propagateur de l'Alliance catholique*, ab ipsis sacerdotibus Lemann editum, Parisiis apud Victor Lecoffre, rue Bonaparte 90.
Consuli etiam potest ipse Canonicus Joseph Lémann, *montée de Balmont, 1, Lyon (France)*.

(1) Fusiorem narrationem huius peregrinationis publicae ephemerides ediderunt, v. g. *L'Univers*, *le Monde*, necnon folia franciscalia:
L'Année Franciscaine, (mense Julii huius anni).
La Revue Franciscaine, (Junii et Julii).
Les Annales Franciscaines, (Julii).

in domibus nostris, in sinu familiarum nostrarum, in interiore affectuum nostrorum parte. Regna in aedibus nostris, custodi mores, tuere innocentiam; noverint Te, didicerint Te filii et filiae nostrae, Teque referant in omni verbo, in omni actione, in omni vita, felici aemulatione sanctitatis tuae, et fideli veritatis tuae promissione.

Rege publicam vitam nostram. Nos, Domine JESU, fidem et legem tuam profitemur, et Christiani esse volumus sine ulla ostentatione, sine ulla vecordia. Non nostrum est quidquam imminuere aut reservare de doctrinis tuis et praeceptis: longe sit a nobis indulgere genio nostro sive exequendo quae placent, sive respuendo quae adversantur cupiditatibus nostris. Evangelium tuum amplectimur sicuti est, nihil eidem addentes, nihil admiscentes. Stabit in domibus nostris imago Crucis tuae, quam increduli omnes et vitae probrosae defixi perhorrescunt; feremus eam in pectore, exprimemus eam in moribus, nec quidquid officii iniunctum, aut sub quavis forma propositum sit, omittemus. Hanc Crucem intuemur Sacratissimo Cordi tuo superpositam, et flammis circumfusam. Amor tuus, benignissime JESU, auxilietur nobis ferentibus hanc Crucem. Fiet aliquando ut praeponderet; forsan prementi oneri succumbemus; forsan saevis conflictati persecutionibus cum hac Cruce Calvarium ascendemus. Quid tum postea? COR tuum, JESU, inflammabit cor nostrum; refundet vires nostras; dulcis fiet amaritudo lacrymarum, et gaudium in moerore reperiemus.

O Cor JESU, tot cruciatum angoribus ob infidelitatem nostram, quos praecipuo amore complexus es: O cor JESU, odiis agitatum, opprobriis saturatum, a Te veniam imploramus pro tot iniuriis inlatis contra ineffabile amoris tui Sacramentum. Nos quidem diffisi viribus nostris, sed confisi constanti et perpetuae dilectionis tuae testimonio Tibi dicemus « *Etsi omnes dereliquerint Te, non ita et Nos Te negabimus* ».

Volumus, benignissime JESU, sequi Te; volumus, auctore et duce S. P. Francisco, cui maximas divitias sacri tui CORDIS largitus es, protendere regnum tuum, asserere et vindicare iura tua; potissimum vero lucis exempla monstrare, christianam sapientiam praeferre in proximorum nostrorum aedificationem, et laudem nominis tui. Excipe nos in divino CORDE tuo, ubi beneficentissima tua caritate utemur in vita per gratiam, tuisque gaudiis perfruemur in patria per gloriam, quam per MARIAM, tuam nostramque matrem, exposcimus. Amen. »

Peracta pia peregrinatione, Rmus P. Generalis capitulum Provinciae S. Ludovici Episcopi rite celebravit in ipsamet *Paray-le-Monial* civitate, prope Monasterium S. Clarae, quum iam cuncti vocales Patres adessent, ac dein iter suum aggressus est, SS. Cordis benedictionibus cumulatus, *Visitationis opus in* Gallia et Hollandia completurus.

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica

—

CAPUT V.

DE VITA COMMUNI, SI DESIT, RESTAURANDA.

(Continuatio)

Solemnis Religiosorum professio contractus quidam est onerosus Religionem inter et Religiosum publico ritu peractus, quo utraque pars mutuo sacroque vinculo sese obstringit: illa ad victum, vestitum ceteraque omnia sub his vocibus contenta subministranda; iste ad plenam omnium, tum praesentium tum futurorum bonorum sub illius potestate renuntiationem. In hypothesi, quod Religio sua ex parte istum contractum infringat alimentorum denegatione. ipsius naturae conservandae strictissimum ius in subdito Religioso renascitur ad procuranda, meliori qua poterit via, sibi vitae conservandae necessaria. Hoc in casu Theologi peculia Religiosis subditis permittunt. Inter alios multos dicit Passerinus: « Certe observantia exactissima vitae communis supponit, quod monasterium communiter necessaria subministret. « Hoc igitur sine voluntate subditorum deficiente, cum illis exactissima vita communis « sit impossibilis, ad illam non tenentur ». Casu autem, quo Religiosi vitae communis restaurationi refragarent, eorum impotentia culpabilis esset in causa, et propterea pro ipsis peculiorum usus foret vitiosus.

Si propterea in aliquo conventu vita communis non vigeret, Superiores obligati essent, ut eam pro viribus introducere studerent, subditi vero huic reformationi consentire eique sese submittere tenerentur.

Superiores teneri ad vitae communis in conventibus, in quibus deest, restaurationem, Theologi passim, etiam mitiores, asserunt. Adducimus solummodo verba S. Antonini, qui dicit: « Satis credo, quod qui se repe- « riunt in monasteriis, ubi non vivitur in « communi, si Praelati sunt et non faciunt « quantum est eis possibile sine notabili scan- « dalo ut vivatur in communi, eos non esse « in statu tuto ». (1)

Eadem autem ratione, qua Superiores obligati sunt ad vitam communem, si desit, restaurandam: subditi quoque ligantur ad eam acceptandam. Idem S. Antoninus dicit: « Si « subditi sunt, et resistunt huic bono cum « attentatur, non quia non possunt vivere « sufficienter, sed quia volunt abundare, et « de suis suo modo facere, videntur esse in « malo statu, cum saeculariter vivant, et ve- « lint in malo statu perseverare ». (2).

Si ergo in aliquo conventu vita communis non vigeat et non introducatur, vel Superior eam non vult, vel ob resistentiam subditorum eam introducere non potest. In primo casu Superior deest obligationi suae, iuxta superius dicta, et secundum S. Antoninum non est in statu tuto; in secundo vero casu subditi revera sunt proprietarii, quia peculio utuntur contra Superioris sui voluntatem.

Religiosi peculio utentes non dicant: Tempore professionis nostrae in conventu vita communis non vigebat, sed quisque habebat, non secus ac nunc, suum peculium; professionem emisimus cum intentione ducendi vitam religiosam secundum consuetudinem in conventu vigentem: ergo non possumus obligari ad vitam communem acceptandam; non enim aliud onus amplecti in animo habuimus, quam quod Patres nostri et Magistri portabant. — Si forsitan Religiosi nostri Ordinis ita dicere vellent, ipsis sequentia respondere deberemus: Nonne novitiatus anno Regula et Constitutiones lectae fuerunt et explicatae? Nonne tempore novitiatus absque peculio fuistis et vitam communem observastis? Bone Deus! Antequam Regulam profiteremini, Regulam servabatis; postquam autem solemni ritu Regulae observantiam Deo promisistis, eam servare negligitis! Quando nulla erat servandae Regulae obligatio, Regulam servabatis; contracto autem, vi sacrae professionis, debito exequendi quae Regula praescribit, vos ab illius observantia eximere conamini! Regulam non professi estis iuxta morem, qui tunc in coenobio obtinebat, sed promisistis *servare Regulam Fratrum Minorum per Dominum Papam Honorium confirmatam*. Accedit, quod quamvis olim, non tamen nunc allegari possit praefata excusatio, eo quod Clemens VIII, Urbanus VIII, Alexander VII, Innocentius XI et Innocentius XII praeceperint, ut novitii in illis dumtaxat conventibus reciperentur et ad professionem admitterentur, ubi viget observantia regularis. Insuper Innocentius XI in sua Bulla diei 20 Novembris 1679, quae incipit *Sollicitudo pastoralis officii*, specialiter pro Ordine nostro edita, et postea ab Innocentio XII per Bullam diei 2 Julii 1695 incipientem *Alias a felicis recordationis* confirmata, sequentia statuit:

« Ac propterea omnes et singulas dispen- « sationes, concessiones et consuetudines, si « quae contra praemissa in corpore Observan- « tiae Ordinis praedicti reperiantur; motu, « scientia, deliberatione et potestatis plenitu- « dine paribus, earumdem tenore praesentium « revocamus, cassamus, irritamus et annulla- « mus, viribusque et effectu penitus et om- « nino vacuas esse et perpetuo fore decerni- « mus et declaramus »...

« Ut autem in ingressu Religionis unus- « quisque de obligationibus, quas assumere « vult, plene informetur, statuimus, ut nullus « recipiatur ad habitum regularem in eodem « Ordine, nisi prius plene informatus sit de « praedictis praeceptis Regulae obligantibus in « conscientia, et praevia hac notitia velit pro- « bationem subire; nec quisquam admittatur « ad professionem regularem, nisi prius exa- « minatus sit de intellectu Regulae et prae- « ceptorum eius iuxta praedicta, et deinde « immediate ante illam coram tota communi- « tate fiat ei protestatio, quod ad observan- « tiam Regulae cum omnibus eius praeceptis

(1) Part. 3. tit. 16. Cap. I.
(2) Loc. cit.

« tunc enumerandis et exprimendis obligetur « in professione, eamque protestationem ad« mittat et sub ea professionem faciat ».

Nonne etiam nobis omnibus haec protestatio facta est? Nonne etiam nos omnes hanc protestationem admisimus et sub ea professionem emisimus? Ergo excusationem contrariae consuetudinis allegare minime possumus.

Forsitan dicit aliquis Religiosus: Nostris hisce temporibus vitae communis observantia impossibilis vel saltem valde difficilis est. Vetumtamen, Frater mi, hoc nequaquam verum est. Sicuti tempore S. P. N. Francisci vita communis possibilis erat, ita etiam nunc observari potest, et revera in omnibus mundi regionibus observatur a cunctis veris S. Francisci filiis. Neque etiam nimis difficilis est haec observantia, immo facilior est, quam peculii usus. De hoc iudicare illi dumtaxat possunt, qui in perfecta vita communi vivunt. « Expertus potest credere ». Qui putant, vitam communem Religiosorum nostris temporibus minus convenire, summopere errant. Nostris enim temporibus, quibus fere ubique infensissimum bellum adversus religiosos Ordines geritur, quammaxime necessarium est, ut Religiosi perfecta concordia interna atque externa uniti adversariorum conatus et machinationes repellere studeant. Eiusmodi autem perfecta unio sine vitae communis observantia haberi nequit. Ubi enim haec deest, quilibet non quae Communitatis, sed quae sua sunt, plus minusve quaerit.

Quotiescumque ergo novus conventus fundatur, ante omnia Superiores, ad quos spectat, curent, ut ibi statim ab initio vita communis perfecta observetur, secus enim melius foret, ut eiusmodi fundatio prorsus omittatur.

Si vero in aliquo conventu iam existenti vita communis non vigeret, quamprimum introducenda foret iuxta ea, quae hucusque exposuimus.

Superioribus, sive localibus sive Provincialibus, qui pro officii sui debito vitam communem in conventibus suis introducere volunt, in sequentibus quaedam consilia exhibemus.

1. Magna prudentia et eximia charitate hoc magni momenti negotium aggrediantur. Verbis vere paternis Fratres suos ad amplectendam vitam communem suaviter inducant; utilitatem, felicitatem, immo et necessitatem huius observantiae illis exponant et aliorum Religiosorum ferventium exempla imitanda opportune proponant.

2. Videant Superiores, ut non quamlibet sic dictam vitam communem, sed vitam communem *perfectam* introducant. Haec vita communis perfecta utique non observaretur, si exempli gratia Religiosis a Superiore vel conventu quolibet anno vel mense certa pecuniae summa daretur, ut ex ea res minoris momenti sibi providerent, vel si certus numerus Missarum ipsis concederetur, ut ex stipendio praefata sibi procurarent. Eiusmodi usus; vel potius abusus, vitae communis ideae repugnant et, saltem in Ordine nostro, tolerari nequeunt.

Quod Missarum concessionem attinet, Capitulum nostrum Generale, anno 1862 Romae in Conventu Aracoelitano celebratum, sequentia statuit: (1)

« Prohibetur expresse concessio Missarum « particularium, seu secundum intentionem « Sacerdotis celebrantis, qui eleemosynam pro « suis necessitatibus sibi applicet; quia hoc « est aperte contra votum paupertatis, cum « Superiores suis debeant necessaria subministrare subditis in propria specie. Si vero « aliqua in Provincia pius adsit usus nonnullas « concedendi Missas liberas Sacerdotibus, id « sane intelligendum erit de bono eorum spirituali, sive pro personalibus suis indigentiis, « sive pro piis suorum parentum vel amico« rum suffragiis, sive pro quavis alia pietatis « vel charitatis causa; minime autem pro elee« mosyna sibi applicanda; accipere enim pro « liberis hisce Missis eleemosynas est omnino « prohibitum. Haec lex universalis est, que« madmodum omnes huius Sessionis, quae to« tum respiciunt Ordinem ubique diffusum ».

Superiores bene attendant, ut illud adamussim observent, quod dicit Capitulum Generale, ut nempe subditis suis subministrent omnia necessaria *in propria specie,* non autem per concessionem Missae stipendiorum, aut alio modo, qui S. Regulae vel Statutis Ordinis repugnat. Melius est, ut statim ab initio *perfecta* vita communis introducatur; si enim ex parte tantum introduceretur, post breve tempus varii peculiorum abusus reviviscerent.

(1) Sess. VI, die 24 Maji 1862, n. 6.

3. Attendant, ut, sicut iam supra diximus, Fratribus suis *liberalitate* et *charitate* omnia necessaria sufficienter subministrent; secus enim Fratres suos periculo exponunt, ut alia via et contra professionis suae obligationem necessaria sibi procurent. Ita se gerant Superiores, ut subditi absque timore eos accedere et cum fiducia omnia necessaria ab ipsis petere valeant.

4. Si Fratres aliquam rem peterent, quae esset aperte contra nostrum paupertatis statum, ac propterea tuta conscientia concedi non posset: tunc Superiores non asperis verbis, sed suavibus et charitativis, eos prudenter inducant, ut ab eiusmodi petitionibus utpote paupertati seraphicae repugnantibus, desistant.

5. Si in omnibus alicuius Provinciae conventibus vita communis non vigeret, et in omnes conventus statim introduci non posset, quia non omnes Religiosi eam acceptare vellent, tunc bonae voluntatis Religiosi a refractariis separandi et in peculiaribus conventibus collocandi essent.

6. Licet illi Religiosi, qui vitam communem acceptare nolunt, iure ad eam observandam cogi possent, id tamen expediens numquam visum fuit, tum, quia nihil violentum diuturnum, tum, quia coactas victimas Deus ipse dedignatur. Cogi vero possunt et debent vitam communem respuentes, ut bonae voluntatis Religiosos in communis vitae observantia non impediant, et ut ab ipsis separati vivant.

7. Ipsi Superiores in observantia vitae communis omnibus subditis suis bono exemplo semper praeluceant; magis enim suo exemplo quam exhortationibus eos ad religiosam observantiam excitare possunt.

Quae hactenus de vitae communis observantia diximus, sufficere possunt ad eam omnibus confratribus enixe commendandam. Huic propterea tractatui finem imponentes, omnes nostri Ordinis Religiosos denuo monemus et obsecramus, ut perfectam vitam communem, ubi per Dei gratiam viget, totis viribus conservare velint; et ut eam, ubi non observatur, omni conatu introducere studeant.

Deum vero suppliciter exoramus, ut amorem sanctae paupertatis, quem S. P. N. Francisco dedit, in toto Ordine nostro magis magisque excitare atque diffundere dignetur. Teste enim experientia, Ordo noster tantum floret, quantum in ipso sanctae paupertatis virtus colitur et exercetur. S. P. N. Franciscus eiusque sancti ac beati filii et filiae pro Ordine nostro intercedere ac omnibus nobis amorem paupertatis piis suis precibus apud Deum obtinere dignentur!

(Continuabitur)

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1885 celebrata

XVI.

Collegium S. Mariae Angelorum civitatis Tarijae in Bolivia.

Die 30 Aprilis 1885, in Collegio apostolico Missionum S. Mariae Angelorum Civitatis Tarijae in Republica Boliviana habitum fuit Guardianale Capitulum, in quo electi sunt:

Guardianus Collegii

R. P. Nazarenus Dimeco, Obs. Prov. Marchiae.

Praefectus Missionum

R. P. Sebastianus Pifferi, Obs. Prov. Romanae.

Discreti Collegii

Adm. R. P. Zephyrinus Muzzani, Obs. Prov. Taurini.

R. P. Dionysius Guerrini, Obs. Prov. Thusciae.

R. P. Iacobus Mechi, Obs. Prov. Romanae.

R. P. Nicolaus Sesti, Obs. Prov. Thusciae.

XVII.

Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

Die 16 Iunii currentis anni rite celebratum est Capitulum huius Provinciae in loco *Paray-le-Monial* nuncupato, praesidente occasione piae peregrinationis ad sanctuarium sacratissimi Cordis, Reverendissimo Ministro Generali. Electi sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Chrysostomus ab Ithorrots.

Custos Provinciae

A. R. P. Andreas ab Hurbache, ex-Minister.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Victor Bernardinus a Rothomago.
R. P. Petrus Baptista ab Orthesio.
R. P. Ludovicus a Burdigala.
R. P. Otho a Pavia.

—

XVIII.

Obs. Provinciae S. Hieronymi in Dalmatia.

Die 2.ª Julii celebratum est (in Conv. S. Francisci Jaderae) capitulum Provinciale sub praesidentia A. R. P. Lucae Turbiglio, Commissarii Visitatoris et actualis ministri Obs. Prov. Taurinensis — Electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Honoratus Ozretic', iam ex minister.

CUSTOS PROVINCIAE

R. R. Vincentius Pomasic.

DEFINITORES

A. R. P. Seraphinus Ivasovic', ex Provinc.
R. P. Anselmus Bonafin.
R. P. Leonardus Matkovic'.
R. P. Bonaventura Sokolic'.

—

XIX.

Obs. Provinciae Bononiensis

Die 9 Julii Capitulum Obs. Prov. Bononiensis celebratum est sub praesidentia A. R. P. Remigii Buselli, Commiss. Visitatoris Electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Aloysius Panna, confirmatus in munere.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Andreas a Derthona L. Jub.

DEFINITORES PROVINCIAE

RR. PP. Gabriel a Bosco.
. . . *Raphael a Medecina.*
. . . *Cherubinus a Castellutio.*
. . . *Archangelus a Vigorano.*

—

XX.

Obs. Provinciae S. Saturnini in Sardinia

In Congressu Generali Definitorii Generalis die 10 Julii electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Pacificus Moi, confirmatus in munere.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Georgius Piga, ex Procurator Generalis Ordinis. (1)

DEFINITORES PROVINCIAE

A. R. P. Josephus Caria.
A. R. P. Raphael Aramu ex Provincialis.
R. P. Justus Serra.
R. P. Didacus Moro.

—

XXI.

Obs. Provinciae S. Mariae Gratiarum in Sardinia

In praedicto Congressu Generali electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Joannes Baptista Udella.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Hilarius Nasu, ex Definitor Generalis.

DEFINITORES PROVINCIAE

A. R. P. Salvator Angelus Secchi.
. . . . *Daniel Lubino.*
. . . . *Benignus Mannu*
. . . . *Bernardus Baldino.*

III.
MISSIONES

—

EPISTOLA SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

Ad Vicarios Apostolicos ac Missionum Praefectos, de relationibus super statu Missionum suarum, ratione officii sui, transmittendis. (2)

Norunt omnes sa. me. Sixtum V celebri Const. *Romanus Pontifex* diei 20 Decembris anni 1585 sancivisse, ut singuli Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, per uni-

(1) Dum praelo submitteretur fasciculus, egregii huius Patris mortem novimus, quae die 6 Augusti currentis accidit.

(2) Quamvis a pluribus iam annis data fuerit haec epistola, nihilominus operae pretium duximus illam publicandi, quum a nonnullis Missionum Praefectis eiusdem textus desideretur.

versum terrarum orbem constituti, statis temporibus, BB. Apostolorum Petri et Pauli Limina se visitaturos, ac Rom. Pontificibus pro tempora existentibus de Ecclesiarum sibi creditarum statu rationem reddituros iureiurando pollicerentur. Iam vero disputatum fuit, utrum Vicarii Apostolici, sive sint charactere episcopali insigniti, sive eo careant, eodem ac reliqui Sacrorum Antistites officio adstringantur.

Porro S. haec Congregatio Christiano nomini propagando praeposita, in generalibus Comitiis diei 1. Februarii superioris anni, omnibus mature perpensis, pronuntiavit, Vicarios Apostolicos quoscumque ad id minime teneri *in vim Constitutionis fel. rec. Sixti V,* utpote quae respicit Praesules, qui dioecesi canonice erectae praesunt; bene vero teneri *ratione officii.*

Sed, quoniam alia prorsus est conditio Ecclesiarum rite constitutarum, alia Missionum, quae ob difficultates et angustias, inter quas haud raro versantur, proprii Pastoris solatio maxime indigent, plerumque haud expedit, ob ss. Liminum Visitationem, Vicarios Apostolicos ab eorum residentia discedere. Quamobrem integrum ipsis erit, hoc munere per Procuratorem, etiam in Urbe existentem, perfungi.

At Emi ac Rmi PP. non modo Vicarios ipsos, verum etiam Praefectos Apostolicos monitos volunt, ut, habita ratione temporis a Sixto V pro Episcopis statuti, vel frequentius, velut mos iam alicubi invaluit, accuratas relationes de toto eorum pastorali officio, deque omnibus ad Missionum suarum statum, ad Missionariorum populique disciplinam, animarum denique, quae illorum curae concreditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, transmittant. Hoc enim maxime interest, ut Missionum earumdem necessitatibus, progressui, ac prosperitati S. Sedes consulere valeat. Eum in finem heic adnectitur series *Quaestionum,* quibus in praedicta relatione exaranda respondere Amplitudo Tua sataget.

Haec cum a SSmo D. N. Pio PP. IX benigne probata fuerint, Tibi significare meum erat, et Dominum Deum enixe precor, ut Te diutissime servet ac sospitet.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congñis die 1 Iunii 1877.

Capita quibus respondere debent Vicarii Apostolici ac Missionum Praefecti, ut de regionibus sibi commissis plenam S. Congregationi relationem reddant.

Infrascriptis quaestionibus accurate et praecise respondendum erit, adhibito cuique responsioni quaestionis numero; si quid vero aliquis forte reperiet quod ad suam Missionem non spectet, is indicare poterit numerum, deinde iuxta scribere: *Ad talem numerum non est quod respondeam;* tum ad cetera perget.

De Missionis origine, progressu, et confiniis.

1. Breve compendium historicum circa originem, progressum ac mutationes Vicariatus sive Praefecturae conficiendum erit.

2. Describenda confinia, quibus continetur territorium Missionis, ac si aliqua circa illa controversia existat, rationes exponentur. Insuper charta Corographica Vicariatus, siquidem in promptu haberi possit, addenda vel saltem deinceps transmittenda.

De Missionariis, eorum qualitate et idoneitate.

3. De personis Ecclesiasticis erit exponendum imprimis quinam sint Missionarii, quibus S. Ministerium exercendum in Vicariatu vel Praefectura concreditum est; an Saeculares vel Regulares, quam idoneitatem et vivendi rationem praeseferant, an sufficiens eorum numerus sit pro necessitate fidelium, an studio linguae vernaculae illius gentis accurate dent operam, an miti ratione erga Christianos se gerant, an in sacro ministerio exercendo uniformitatem curent. Insuper an Missionarii Regulares Instituti sui ac praesertim tria vota substantialia Paupertatis, Castitatis et Obedientiae fideliter servent: an Vicario vel Praefecto apostolico etiam ut Regulares, an alteri Superiori sint subiecti; an plus aequo erga paganos, vel protestantes aut schismaticos, si ibi adsint, obsequentes sint; an ex instituto vel ex consuetudine usque ad mortem in Missione perseverent; an universi Missionarii in usu facultatum quas accipiunt, nimis latas interpretationes, ac facilitatem improbandam sequantur.

4. Nec praetermittendum si Missionarii alterius Vicariatus aut Praefecturae aliqua ratione in administrationem propriae Missionis sese immisceant.

De regimine Missionum per Vicarios Apostolicos.

5. Qua ratione provideant Praesules regimini Vicariatus seu Praefecturae, ne vita decedentes sine Superiore fideles relinquant.

6. Utrum habeatur aliquod Consilium ordinarium Missionariorum, quasque attributiones illi designentur.

De Clero Indigena.

7. Singulariter sermo instituendus de clero Indigena, ac imprimis de idoneitate illius, deque animi qualitatibus, quibus praeditus apparet, ac de spe quae in ipso collocari possit.

8. Qua ratione consulatur educationi et institutioni Clericorum Indigenarum: praesertim an habeatur seminarium, utrum sit separatum ab alumnis saecularibus, et quae studia ibi Clerici doceantur, et utrum regulae a Tridentino praescriptae in toto vel in parte serventur, cuius curae ac regimini creditum sit, denique an, si desit, aliquo modo constitui possit vel eiusdem defectui suppleri.

9. Quibus officiis Indigenae adhiberi possint, et an excludantur a quacumque Superioritate respectu habito ad Missionarios Europaeos.

De Institutis Regularium.

10. Quoad Instituta Regularium indicetur, an sint in Vicariatu seu Praefectura, et an educationi et institutioni iuventutis dent operam, idque exprimatur sive quoad instituta virorum sive quoad instituta mulierum.

11. An inter Indigenas sint qui regularibus Institutis sint addicti et ad huiusmodi statum se inclinatos praebeant, qua demum Missionum utilitate possint ea inter indigenas diffundi.

12. Utrum Ecclesiastici viri sive Saeculares sive Regulares clericali aut religioso habitu utantur vel saltem alia veste, quae eorum statum minime dedeceat.

De Ministerio Sacro ac de gentium conversione.

13. Circa sacrum ministerium exponendum, an habeatur Directorium sive collectio regularum et usuum Vicariatus sive Praefecturae quoad servanda a sacerdotibus cum in sua vitae ratione tum in fidelium regimine, illudque S. C. exhibeatur.

14. An in communicatione facultatum missionariis facienda facilem aut difficilem se praebeat Superior.

15. Utrum omnes Missionarii in doctrina morali sint concordes, et utrum ad uniformitatem fovendam habeantur vel haberi possint conventus pro casuum moralium examine conficiendo.

16. Utrum diffusa sit inter fideles lectio librorum prohibitorum.

17. Utrum in omnibus Vicariatibus et Praefecturis adsit Catechismus et quatenus affirmative an in variis libris eius generis servetur uniformitas quoad doctrinae expositionem.

18 Utrum expediat eiusdem Missionis districtus ita ordinare, ut plures uni Missionario tamquam superiori subsint.

19. Utrum in singulis districtibus, quae parochiarum locum tenent, diligenter serventur libri baptizatorum, matrimoniorum, defunctorum, nec non status animarum; an ratio habeatur observantiae praecepti Paschalis, et utrum memorati districtus ad formam paroeciae a canonibus requisitam accedant.

20. Indicetur an aliqua speciali ratione consuli possit, ut facilius Catholica fides inter indigenas propagetur.

De Ecclesiis, Cappellis et Presbyteriis.

21. Exprimatur an sit in missione numerus sufficiens Ecclesiarum, et Sacellorum et utrum illae saltem necessariis ad divinum cultum ornamentis instructae sint.

22. An Catholicus cultus in Vicariatu vel Praefectura libere exerceatur, et quatenus negative an ratio suppetat, qua obstacula e medio auferantur.

23. An in singulis sacerdotum residentiis sit decens presbyterium aut saltem aliquis locus a fidelibus oblatus, ubi convenienter manere possint.

De bonis Ecclesiae eorumque administratione.

24. Quas eleemosynas societas Propagationis Fidei Lugdunensis praebeat, et an aliquod aliud medium praesto sit, ut sustentationi Missionariorum et expensis pro divino cultu satisfiat.

25. Utrum et quae bona immobilia, vel quos redditus Missio in promptu habeat ad finem memoratum adhibenda: et quatenus negative an aliqua ratio innui queat, ut pedetentim certi redditus, sive per oblationes fidelium sive per alias praestationes ab ipsis solutas constitui possint.

26. Si Missio bona immobilia vel redditus possideat, significandum erit an ab aliquo in hac possessione Ecclesiastica turbetur vel prorsus ipsa possessio a Gubernio recognoscatur.

27. Quae cautelae adhiberi possint, ut securitati ecclesiasticorum bonorum provideatur.

28. Utrum adsit Consilium aliquod Missionariorum ad eadem bona vel redditus administrandos, et ad impediendam eorumdem dissipationem, et utrum fideles aliquam partem habeant in praedicta administratione.

De rebus ad divinum cultum spectantibus.

29. Quoad hoc exponendum an in sacris functionibus ac praesertim in solemni Missae celebratione ritus omnes S. E. R. fideliter serventur, et utrum cantus adhibeantur et an iuxta canonicas praescriptiones.

30. Utrum et qui populares cantus in Ecclesiis adhibeantur.

31. An in omnibus Ecclesiis, in quibus sine periculo profanationis fieri potest adservetur, et quomodo, S. Eucharistia, quaeque sit in tantum Sacramentum fidelium devotio.

32. Utrum ad maiorem divini cultus decorem et ad pia opera exercenda canonice institutae sint aliquae Confraternitates sive virorum sive mulierum, vel constitui possint.

33. Quatenus affirmative quae sit praesens earumdem societatum conditio et an reformatione indigeant.

34. An in cultu divino ac veneratione Sanctorum aliquae superstitiones irrepserint et quae.

De Educatione et Institutione iuventutis.

35. Significandum an sint in Missione Scholae pro indigenis cum masculis, tum foeminis, et an sufficiant fidelium filiis.

36. Utrum in ipsis admittantur etiam filii infidelium vel protestantium aut schismaticorum et quibus cautelis, ne Catholicorum fidei nocere possint.

37. An in memoratis scholis servetur omnimoda separatio puerorum a puellis.

38. Quibus credita sit iuventutis institutio.

39. An adsit aliquis convictus seu Collegium sive pro masculis sive pro foeminis, utrum in eo admittantur infideles vel protestantes aut schismatici et quibus cautelis.

40. An adsint in Vicariatu vel Praefectura Scholae Ministeriorum Protestantium vel Scholae paganae et utrum Catholici eas frequentent.

41. An adsint orphanotrophia, et quibus subsidiis sustenentur.

De quibusdam piis Institutis diffundendae fidei valde opportunis.

42. Utrum adsint Hospitia pro Catechumenis utriusque sexus et quomodo ordinata sint.

43. Quae opportunior ratio censeatur adhiberi posse, ut Catechistarum institutio magis utilis ad Missionum bonum evadat.

44. Utrum erectum sit aliquod Hospitale et quomodo administrentur redditus pro infirmorum sustentatione.

De festis, ieiuniis et abstinentiis.

45. Quaenam festa in Missione observentur, et an aliqua mutatio hac in re petenda videatur ad obtinendam maiorem uniformitatem.

46. Quae ieiunia, quique abstinentiae dies serventur sive ab Europaeis sive ab indigenis et an etiam in hoc aliquid immutandum appareat.

De Coemeteriis et Sepulturis.

47. Utrum et quae superstitiones in funeribus apud Christianos invaluerint.

48. An existant Coemeteria separata pro Christianis, et quatenus negative, an aliquid ad id obtinendum tentari possit; praeterea an sint benedicta.

De Sacramentorum administratione.

49. Exprimatur an in Baptismate administrando serventur omnia praescripta Ritualis Romani. Speciatim vero an fiat aliqua divisio caeremoniarum, et quo idiomate interrogationes fiant.

50. Utrum saepe aliquod dubium suboriatur. circa diligentiam adhibitam a Catechistis vel obstetricibus in Baptismate conferendo et quatenus affirmative, quomodo hac occasione se gerant Missionarii.

51. Utrum debita diligentia adhibeatur a Missionariis, ne haeretici aut schismatici ut patrini in sacramento Baptismi et Confirmationis admittantur.

52. An Sacramentum Confirmationis iuxta generalem Ecclesiae usum vel potius immediate post Baptismum in Missione conferatur.

53. An et qui sint in Vicariatu vel Praefectura casus reservati, utrum missionariis sufficienter innotescant.

54. Utrum fideles solemni praeparatione et pompa ad primam Communionem admitti soleant.

55. An in Vicariatu vel Praefectura promulgatum fuerit Decretum Concilii Tridentini, ss. 24. *Tametsi*, circa Sacramentum Matrimonii.

56. Utrum accurate fiant Publicationes ab Ecclesia praescriptae et an diebus a iure praescriptis.

57. Quomodo se gerant Missionarii in dispensationibus quoad Matrimonii impedimenta, et: Primo, an dispensetur in impedientibus: secundo, an plurimi occurrant casus concedendi dispensationes in dirimentibus, praesertim in gradibus proximioribus.

58. An in dispensationibus concedendis imponantur mulctae vel poenae.

59. Quomodo concedantur dispensationes, an in scriptis, et utrum exprimatur Delegatio Apostolica.

60. An usus Matrimoniorum mixtorum invaluerit et qua frequentia et quomodo circa ea Missionarii se gerant.

61. An in celebratione Matrimoniorum Christiani immisceant aliquas caeremonias superstitiosas.

De abusibus et necessitatibus Missionis.

62. Enumerentur omnes abusus qui forte irrepserunt etiam inter Catholicos sive circa Fidem, sive circa mores, vel administrationem Sacramentorum, et cuiusque alterius generis

63. Exprimantur praecipuae causae huiusmodi abusuum, et media, quibus evelli possint.

64. Tandem attente perpendantur spirituales Missionis necessitates, distincte referantur; mediaque proponantur idonea ad maiorem Religionis profectum inducendum.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

1884. SCRIPTORES ORD. MIN. Strict. Obs. Reform. Provinciae Brixiensis recensuit P. CONSTANTINUS A VALLE CAMUNIA, Lector Theologus et Concionator Emeritus Prov. Longobardiae. Brixiae ex typ. Episcopali Bersi pag. 136.

— L' ORDINE DI SAN FRANCESCO in Valcamonica pel P. COSTANTINO MUTINELLI DA SONICO, Minor Riformato. Brescia, tipografia Queriniana.

— Monografia. *Padre Fortunato da Brescia* per FRA COSTANTINO DA VALCAMONICA. Seconda edizione. Brescia, tipogr. Queriniana

— Cenno Necrologico del *R. P. Paolo Moglino da Nonio* dell'Ordine de' Minori Riformati, Lettore di S. Teologia, pubblicato dal suo antico discepolo FR. COSTANTINO DA VALCAMONICA, Definitore e Cronologo della Provincia Lombarda. Brescia *tipografia* Vescovile G. Bersi e C.

— Ristretto della VITA del servo di Dio FRA PASQUALE DA PONTE DI LEGNO, dell'Ordine dei Minori Riformati, scritta da un suo conoscente in attestato di grata memoria. Seconda edizione, divisa in capi con poche aggiunte. Brescia tipografia Istituto Pavoni di pag. 160. — *Si vende* l. 1 *a beneficio delle povere Missioni Francescane dell' Alto Egitto.*

1884. PORTIUNCULA oder Geschichte unserer lieben Frau von den Engeln von P. Barnabas, aus dem Elsasz F. M. O. Apostolischer Pönitenziar übersetzt aus der zweiten französischen Auflage. Kirkeim. Buchdruckerei v. A. Sutter.

1885. MEMORIE DEI VESCOVI LOMBARDI dell'Ordine dei Minori Riformati, con tre appendici, per FR. COSTANTINO DA VALCAMONICA. Brescia Stab. Tipo-Litogr. F. Apollonio pag. 208.

— PIA MEMORIA E BREVI CENNI NECROLOGICI dei Religiosi Defunti nella Provincia dell'Immacolata in Lombardia dall'anno 1844 all'anno 1885 per FR. COSTANTINO MUTINELLI DA VALCAMONICA. Brescia. Tip. Vescovile di Berti e C.

1885. Intorno la VITA e gli STUDJ del M. R. P. ANTONIO MARIA DA VICE ZA dei Minori Riformati della Provincia di Venezia, al secolo Giambattista Borgo. Commentario. (1824-1884). — Verona tip. S. Giuseppe di A. Merlo condotta da G. Marchiori.

1885. DISSERTATIO PHILOSOPHICA de Intellectionis humanae ratione, elaborata a P. EN-

GELBERTO GEY O. S. F. — Quincy, Illinois excudebat Henricus Hutton typographus.

1885. THE TWENTY-FIFTH ANNIVERSARY of St. Francis Solanus College 1860-1885. Quincy, Illinois.

1885. GRAMMATICA LATINA AD USO DE'GINNASII, compilata dal M. R. P. Angelo da Caserta, Min. Oss. della Provincia di Napoli, e Terra di Lavoro, lettor giubilato in sacra Teologia e Definitor Geuerale dell'Ordine. Napoli, Tipografia di Salvatore Marchese, Vico de' SS. Filippo e Giacomo 21. Pag. 415. (Prezzo: L. 3.)

Deposito in Roma nella Curia Generalizia Aracoelitana; in Napoli nella Sagrestia di S. Maria la Nuova e nella Infermeria di S. Pietro ad Aram.

V.
NECROLOGIA

—

Adm. R. P. PHILIPPUS A GUALDO Lucensi ex honesta familia natus, nostri Ordinis habisuscepit in Ref. Custodia S. Iosephi Lucensis anno 1845 die 1. Decembris. Tyrocinio confecto et solemni emissa professione, studia philosophiae ac theologiae cum profectu absolvit. Concionatoris officio per multos annos cum laude perfunctus fuit, eique muneri philosophiae ac theologiae magisterium adiunxit. Anno vero 1881 per mortem R. A. P. Iosephi a Massa Macinaria Custodis gubernii, in Custodiae regimine eidem qua Vicarius Custodialis suffectus fuit, ac dein in Custodiali Capitulo an. 1882 mense Iulii celebrato Regiminis Custos renunciatus est. Huiusmodi officium fideliter gessit per triennium, quamvis fere semper mala valetudine affectus, praesertim morbo cardiaco a quo molestissime affligebatur. Postremo tempore accedente habituali morbo febri miliaria, simulque bronchitide ad suprema devenit, Quo in statu, auxilia religionis devotissime repetitis vicibus efflagitavit; eique semper administrata sunt cum pace animae suae, ac die 2 Iulii currentis anni ex hac vita migravit in Conventu S. Leonardi Lucae, suae aetatis anno 61. R. I. P.

—

Admodum Reverendus Pater IOHANNES PETRUS. Observantis Provinciae S. Thomae Taurini Ex-Minister, ortum habuit Saviliani ex honesta Alberti familia die 8 Octobris an. 1811 et die 18 eiusdem mensis anni 1828 Seraphicum Ordinem est ingressus. Studiorum curriculo emenso, in quo, licet infirma semper valetudine acie tamen ingenii scientiam sibi sufficientem comparaverat, sacro praedicationis ministerio et confessionibus excipiendis, magno cum animarum fructu plurimum adlaboravit. Nec minus quae Ordinis erant curavit, sive privatim exemplari conversatione ac Regularum observantia, sive publice dum superioris Conventuum pluries officio fungeretur, sive demum dum difficillimis hisce temporum circumstantiis Provinciam gubernandam suscepit: hocce namque tempore prius sibi aliisque fratribus domum comparavit, et postea etiam Novitiorum vestitionem iterum obtinuit. — Vir orationi apprime deditus, zelo, prudentia, charitate caeterisque virtutibus exornatus eam sibi ab omnibus exstimationem comparavit, quae post eius obitum plurimos sive Ecclesiasticos sive Laicos ad eius funera advocaret.

—

Adm. Rev. P. OTHO JAIR, Reformatae Custodiae ad S. Ioannem Baptistam in America Septentrionali Fundator, Ex-Custos, Vicarius Generalis Archidioeceseos Cincinnatensis et Consiliarius Archiepiscopi, supremum diem clausit, uti iam diximus, die 18 Maii 1885.

Laudes huius Religiosi optime meriti ab Adm. R. P. Luca Gottbehoede, eiusdem Custodiae nunc Superiore, enarratas, libenter publicamus.

Natus Bulsani, in Tiroli, die 15 Iulii 1815, Ordinis Seraphici habitum suscepit die 22 Septembris 1835, dieque 4 Decembris 1838 vota solemnia nuncupavit in Provincia S. Leopoldi in Tiroli. Sacerdotio insignitus die 14 Iulii 1839 munere pastorali in diversis patriae locis laudabiliter functus est.

Anno 1848 in Missionem Americanam missus in urbem Cincinnatensem advenit, ubi Alumni Provinciae Tirolensis parochiam ad S. Ioannem Baptistam administrabant.

Exinde anno sequenti ad Ecclesiam S. Bonifacii in dioecesi et urbe Ludovicopolitana translatus, istius parochiae ardua ministeria

varia inter obstacula maximo cum animarum lucro per septem circiter annos gessit, improborum odia pro nihilo reputans ut omnibus omnia fieret. Asiatico morbo (Cholera) annis 1849 et 1854 grassante, die noctuque infirmis Ss. Sacramenta ministravit et servitia praestitit.

Anno 1856 in urbem Cincinnatensem ad Ecclesiam S. Ioannis Baptistae revocatus et Superior Missionis denominatus, 1858 cum Revmo Ministro Generali Bernardino a Monte Franco de conditionibus erigendae Missionis Americanae in Custodiam egit et re ad prosperum perducta finem, atque facultate obtenta recipiendi Novitios, Custodia Seraphica ad S. Ioannem Baptistam erecta est die 19 Februarii 1859, et ipse Revmus Minister Generalis eum Custodem primum nominavit. Qui, extructo eodem anno Conventu cum Ecclesia sub patrocinio S. P. N. Francisci pro institutione iuvenum, qui maxima ex parte alumni Gymnasii quod antea fundaverat, Ordinem ingressi sunt, ibi habitavit usque ad annum 1862, pastor fidelis parochiae ad S. Franciscum et Confratribus regularis observantiae exemplar, praesertim seraphicae paupertatis, obedientiae et humilitatis, atque totus in eo fuit, ut observantiae regularis in quantum hisce in terris fieri potest, et ipse observaret et aliis inculcaret.

Custodis officio uberrimo cum fructu expleto, ad Ecclesiam S. Ioannis Bapt. reversus est et illam de novo exstruendam curavit anno 1867. Cum autem tot tantisque prudentiae et disciplinae dotibus commendaretur, fieri non potuit quin ad officia regiminis iterum promoveretur: bis, annis nempe 1868 et 1871 reelectus est in Custodem, et anno 1872 Vicarius Generalis Archidioeceseos Cincinnatensis est nominatus. In isto certe insperato munere res difficillimas magna cum perspicuitate solvit.

Quamvis a multis et spectabilibus hominibus summe honoraretur, tamen erga quemvis etiam infimum Confratrem affabilem, imo obsequiosa comitate se exhibebat.

A plurimis tanquam pater, ab omnibus ut verus amicus habebatur in honoribus, et ob firmam eius valetudinem cuncti sperabant, multo se adhuc tempore tali patre et amico usuros. Attamen mors inexorabilis nullo valore vincitur.

Vir optime meritus ferme 70 annos natus, 50 Ordinis et 47 Sacerdotii annum aggrediens, integris 37 annis in arduis Americae regionibus spiritualia ministeria transactis, apoplexia correptus, moribundorum Sacramentis mature et rite provisus, placide animam Deo reddidit die 18 Maii 1885.

In cuius exequiis Missam Pontificalem solemnem celebravit Illustrissimus ac Reverendissimus Gulielmus Henricus Elder, Archiepiscopus Cincinnatensis, qui et lingua anglica concionem habuit de meritis defuncti circa propagationem Ordinis *Seraphici per plures* Americae dioeceses, de eius humilitate et zelo animarum, quibus permotus eum de novo in Vicarium Generalem nominasset, cum ipse administrationem Archidioeceseos suscepisset.

Missionarius Apostolicus F. Xaverius Weninger, S. J., plures per annos pietate et necessitudine defuncto conjunctus, concionem lingua germanica habuit. Adfuerunt quoque Revmus Fintanus Mundwiler, Abbas Ordinis S. Benedicti ex Monasterio S. Meinradi in Indiana, Adm. Rev. P. Vincentius Halbfas, Ordinis Minorum Recollectorum, Provinciae Ss. Cordis Iesu Minister Provincialis, et circiter 100 sacerdotes saeculares et regulares ex Archidioecesi Cincinnatensi et dioecesibus finitimis cum maximo fidelium concursu. R. I. P.

	ERRATA	CORRIGE
PAG.	*Prov. SS. Redemptoris.*	
	Stephanus Zlotovic'	Stephanus Zlatovic'
	Franciscus Jodric'	Franciscus Jadric'
	Prov. S. Bernardini Aprutiorum	
	Provincialis	
	A.R.P. Lucianus a Castrofranco	*A.R.P. Lucianus a Castronovo.*

Nota. Ex errore typographico paginae 107 et 108 male dispositae fuerunt. Ad errorem corrigendum novum cum hoc fasciculo transmittimus folium.

Nihil obstat.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

DECRETUM

S. R. C. quo iterum et donec plena libertas Pontifici Maximo restituatur, Rosarii preces toto mense Octobri recitandae praescribuntur.

URBIS ET ORBIS

Inter plurimos Apostolicae vigilantiae actus, quibus Sanctissimus Dominus Noster LEO PP. XIII, ab inito Summi Pontificatus munere, Ecclesiae ac universae societati, DEO adiuvante, optatae tranquillitati restituendis consulere satagit, luce clarior nitet Encyclica Epistola (1) *Supremi Apostolatus,* I Septembris MDCCCLXXXIII, de celebrando toto mense Octobri eius anni gloriosae DEI Matris MARIAE sacratissimo Rosario. Quod sane speciali DEI providentia praecipue institutum est ad potentissimum caeli Reginae praesens auxilium adversus christiani nominis hostes exorandum, ad tuendam fidei integritatem in dominico grege, animasque divini Sanguinis pretio redemptas e sempiternae perditionis tramite eripiendas. Tum vero laetissimi christianae pietatis et fiduciae in caelesti MARIAE Virginis patrocinio fructus in omni loco catholici orbis ex tam salutari opere eo mense collecti, tum adhuc insidentes calamitates causa fuerunt, ut subsequente anno MDCCCLXXXIV, die XXX Augusti, aliae accesserint Apostolicae litterae *Superiore anno,* (2) cum iisdem hortationibus et praeceptionibus pro adventante eo mense Octobri pari solemnitate, ritu ac pietatis fervore in beatissimae Virginis MARIAE a Rosario honorem dedicando; eo quod praecipuus fructus boni operis et arrha consequuturae victoriae sit in inceptis perseverantia. Hisce autem inhaerens idem Sanctissimus Dominus, cum hinc nos hactenus mala multa undique perturbent, inde vero permaneat et florescat in christiano populo ea fides, quae per caritatem operatur, et veneratio ac fiducia in amantissimam DEI Genitricem propemodum immensa; eo impensiori studio et alacritate nunc ubique perseverandum vult unanimiter in oratione cum MARIA Matre IESU. Certam enim in spem erigitur fore ut ipsa, quae sola cunctas haereses interemit in universo mundo, nostris accedentibus dignis poenitentiae fructibus, flectat denique iram vindicem divinae iustitiae, incolumitatemque adducat et pacem.

Quapropter Sanctitas Sua quaecumque duobus praeteritis annis constituit de mense quo solemnia celebrantur beatae Virginis MARIAE a Rosario, hoc pariter anno, et annis porro sequentibus praecipit et statuit, quoadusque rerum Ecclesiae rerumque publicarum tristissima haec perdurent adiuncta, ac de restituta Pontifici Maximo plena libertate DEO referre gratias Ecclesiae datum non sit. Decernit itaque et mandat, ut quolibet anno a prima die Octobris ad secundam sequentis Novembris, in omnibus catholici orbis parochialibus templis, et in cunctis publicis oratoriis Deiparae dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinarii eligendis, quinque saltem Mariani Rosarii decades cum Litaniis Lauretanis quotidie reci-

(1) Cfr. *Acta* Ann. II pag. 135.
(2) Cfr. *Acta* Ann. III pag. 149.

tentur: quod si mane fiat, Missa inter preces celebretur, si a meridie, sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum adorationi proponatur, deinde fideles rite lustrentur. Optat quoque ut a Sodalitatibus sacratissimi Rosarii religiosae pompae, ubi id per civiles leges licet, publice ducantur.

Indulgentias singulas, alias concessas, renovando, omnibus qui statis diebus publicae Rosarii recitationi interfuerint, et ad mentem eiusdem Sanctitatis Suae oraverint, et his pariter qui legitima causa impediti privatim haec egerint, septem annorum ac septem quadragenarum apud DEUM Indulgentiam singulis vicibus concedit. Eis autem qui supradicto tempore decies saltem, vel publice in templis, vel legitime impediti, privatim eadem peregerint, sacramentali confessione expiatis et sacra synaxi refectis, plenariam admissorum Indulgentiam de Ecclesiae thesauro impertit. Plenissimam hanc culparum veniam et poenarum remissionem his omnibus pariter largitur, qui vel ipso die festo beatae Virginis a Rosario, vel quolibet ex octo insequentibus diebus, sacramenta, ut supra, perceperint, et in aliqua sacra aede iuxta Suam mentem DEO eiusque Sanctissimae Matri supplicaverint.

Qua de re et illis consulens fidelibus, qui ruri viventes agri cultione praecipue Octobri mense distinentur, Sanctitas Sua concedit ut singula superius disposita, cum sacris etiam Indulgentiis, eorum in locis, ad insequentes vel Novembris vel Decembris menses, prudenti Ordinariorum arbitrio, differri valeant.

De hisce vero omnibus et singulis Sanctissimus Dominus Noster per Sacram Rituum Congregationem praesens edi decretum, et ad omnes locorum Ordinarios pro fideli executione transmitti mandavit. Die 20 Augusti 1885.

D. CARDINALIS BARTOLINIUS *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secret.

DECRETUM S. C. INDULG.

concedens indulgentiam centum dierum pro oratiuncula quadam.

BEATISSIME PATER!

Procurator Generalis Congregationis Missionis ad osculandum pedem S. V. prostratus, nomine Filiarum MARIAE centum millium et amplius a Filiabus Charitatis directarum et permultorum aliorum fidelium, supplicat S. V., ut velit indulgentia centum dierum ditare invocationem:

O MARIA *concepita senza peccato, pregate per noi, che ricorriamo a Voi;*	*O* MARIA *sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad Te confugimus.* (1)

quae oratio iaculatoria in omni lingua et tam saepe quotidie recitatur. Pro qua gratia etc.

SSmus D. N. LEO PP. XIII in Audientia habita die 15 Martii 1884 *ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis* sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui praefatam oratiunculam corde saltem contrito ac devote recitaverint, indulgentiam centum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 14. Martii 1884.

AL. CARD. OREGLIA A S. STEPHANO, *Praef.*

Franciscus della Volpe, Secret.

RESCRIPTUM APOSTOLICUM

quo ad quinquennium conceditur Vicariis Apostolicis Ordinis nostri, necnon Praefectis Missionum, Commissariis Generalibus in America, et Commissariis Terrae sanctae licentia subdelegandi subditis suis facultatem benedicendi Crucifixos cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis.

BEATISSIME PATER

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis totius Ordinis Minorum, ad pedes S. V. humillime provolutus enixe postulat.

I. Pro Revmis Vicariis Apostolicis, qui ad Seraphicum Ordinem pertinent.

II. Pro Admodum Revdis Patribus Praefectis Apostolicis, Seraphici Ordinis pariter Alumnis, qui nominantur a S. Congregatione Fidei Propagandae.

(1) Gallice: *O* MARIE, *conçue sans péché, priez pour nous qui avons recours à Vous.*

III. Pro RR. Praefectis Missionum, qui a vocalibus Collegiorum Missionum in America existentium eliguntur in Capitulo, iuxta Constitutionem Pianam, quae incipit *Apostolica Sedes*, datam die 12 Iunii anni 1877.

IV. Pro Patribus Commissariis Generalibus pro Collegiis Missionum in America, necnon pro Commissariis Terrae Sanctae, qui a Ministro Generali Ordinis deputantur.

Licentiam necessariam ad subdelegandam sacerdotibus sibi subditis facultatem benedicendi crucifixos cum applicatione indulgentiarum Sanctae Viae Crucis.

Pro qua gratia etc.

Ex Audientia SSmi diei 5 Iulii 1885.

SSmus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto S. Congnis de Propaganda Fide substituto, porrectis precibus benigne annuere dignatus est pro gratia iuxta petita ad quinquennium.

Datum Romae ex Aed. dictae S. Congnis die et anno ut supra. (1)

Philippus Moroni Substitutus.

(1) In penultimo fasciculo, pag. 103, simile fere Rescriptum publicavimus; sed notandum quod hoc ultimum maioris sit extensionis.

II.
ACTA ORDINIS

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica
(Continuatio)

DE DISCIPLINA REGULARI RESTAURANDA.

Frequentem Regulae et Constitutionum transgressionem culpabilem esse, iter perfectionis intercipere, et ab eodem avocare, ad contemptum damnabilem viam aperire atque in aeternae damnationis abyssum paullatim detrudere: nemo est, qui non videat. Ex eo autem palam fit, quam necessarium sit, ut restauretur disciplina regularis, ubi per iniuriam temporis aut ob quamlibet aliam causam collapsa est. Enimvero, quamvis aliquibus saltem impossibile non sit, vel in ipsis deformatis Provinciis propriam salutem assequi, hoc tamen absque dubio difficillimum est. Nemo etiam sincera voluntate valet salutis suae negotium peragere, nisi abusus, si qui adsint, et corruptelas, quae religiosae perfectioni maximo sunt impedimento, evellere totis viribus conetur.

Religiones relaxatae fiunt in parabolam et in opprobrium omnibus qui in circuitu sunt. Nec mirum: quemadmodum enim virtutem honor et splendor comitantur, sic vitiis et abusibus ignominia, infamia et despectio inhaerent. Quousque Religiosi morum integritate et disciplinae severitate effulgent, omnes veneratores habent. Simul vero atque illi, contemptis monasticae disciplinae legibus, mundanos mores sequuntur, confestim obsequium in contemptum, veneratio in despectionem, honor in ludibrium transeunt. Sterilitas tandem, quam deformata Religiosorum vita parit, a laxitatis sopore excitare deberet. Saeculares enim ab ingressu in Religionem retrahuntur, si Religiosorum laxitatem et scandala conspiciant. Et quemadmodum sacra Scriptura de impiis filiis Heli testatur: « Erat peccatum « puerorum grande nimis coram Domino, « quia retrahebant homines a sacrificio Do- « mini; » (1) sic de Religiosis relaxatae disciplinae affirmare licet, peccata eorum perquam enormia esse, maxime quia ob eorum scandala saeculares ab honestae vitae tramite deflectunt, religiosumque statum amplecti dedignantur, prout asserit S. Petrus Damianus, scribens: « Quanti sanguinis reus est, qui sub « sacri habitus schemate, talem se per susce- « ptae professionis incuriam exhibet, ut quae- « rentes accedere perverse vivendo disturbet! « Evangelica illi nimirum sententia congruit, « qua dicitur: Qui scandalizaverit unum ex his « pusillis, expedit ei, ut suspendatur mola asi- « naria in collo eius, et demergatur in pro- « fundum maris. Tolerabilius enim fuerat, ut « solus in eius, quem reliquit, mundi verti- « gine rotaretur, quam multos nunc a saluti- « ferae stationis revocaret accessu ». (2).

Haec, praeter alia multa quae ex deformata Religione proficiscuntur mala, restaurandae disciplinae necessitatem ostendunt. Verum id non minus evincunt innumera bona, quae observan-

(1) I Reg. 2.
(2) Lib. VI. p. 32.

tiam regularem consequuntur, quaeque proinde nos allicere et stimulare debent ad sanctum restaurationis opus aggrediendum atque promovendum. Integrum volumen haudquaquam sufficeret, si bona omnia tum temporalia tum spiritualia, quae vel in hac mortali vita monasticae disciplinae cultoribus Deus impertit, enumerare vellemus. Pauca propterea tantum recensemus.

Ac ut a temporalibus initium sumamus, in istis Christi promissio mirum in modum impleri quotidie conspicitur: « Quaerite ergo « primum regnum Dei, et haec omnia adji« cientur vobis » (1). Nulla siquidem isthic egestas, nulla penuria; et eo est abundantior temporalium copia bonorum, quo maior est eorum contemptus. Quandoquidem Divina Providentia, cui unice fidunt, infinitus est eorum thesaurus, qui numquam exhauritur. Quapropter nulla ibi in crastinum sollicitudo, cupiditas divitias coacervandi nulla. Praecisa siquidem cupiditatis radice exactissimae paupertatis gladio, omnis exulat proprietas. Communia sunt omnia, nemo sibi peculiariter quidquam vindicat, nemo propria industria sibi providet; sed omnes sibi invicem sincero affectu inserviunt; nullus ibi dominus, nullus servus; sed sub uno patre non potestate dominante, sed charitate serviente, tamquam felices filii vitam degunt. Uni aegrotanti ceteri inserviunt, et sincerae compassionis et benevolentiae argumentis infirmitatis dolores summopere deliniunt. Huic felicitati quodnam bonum temporale comparari potest? Quis principum tantam iactare valet opulentiam, qua nihil habet, et omnia possidet? Quid, si horum bonorum copiae, quam disciplina monastica optime instituta semper parit, malorum immensitatem deformatae Religionis comparemus?

Verum his praetermissis, bonorum spiritualium observantis Religionis imaginem quamdam adumbremus. Apud Religiosos regularem disciplinam vere observantes rerum communio terrenarum cordium unitatem fovet, et coelestis charitatis ignem accendit. Nulla inter eos contentio, et si aliquando imbecillitate naturae plus iusto exasperantur animi, sol non occidit super iracundiam eorum. Fervens ibi sanctorum charismatum aemulatio, et ad perfectionis viam percurrendam, metamque, quoad fieri potest, tenendam, mutuo manus sibi porrigunt. Ibi adest timor Dei, obedientiae amor, otii fuga, silentii custodia, contemptus suiipsius, orationis gustus, Religionis delectatio, dulcedo virtutum, zelus animarum, conscientiae pax, aeternorum spes, et futuri iudicii metus.

Quis autem dicere potest, quantum ex hac sancta vita regulari fideles emolumentum suscipiant. Tamquam ad angelos ad tales Religiosos currunt, verbum Dei audituri, vel peccatorum exomologesim facturi; et vel ex solo eorum aspectu ad Deum et ad coelestia desideria trahuntur. Igne Divini amoris incensi tales Religiosi maximo zelo ardent pro salute animarum. Hinc in Provinciis vere observantibus et spiritu Dei repletis vix invenies sacerdotem, qui pro modo suo in praedicando verbo Dei non occupetur; omnes sancta quadam aemulatione salutem animarum quaerunt, et qualibet diei hora parati sunt ad confessiones fidelium excipiendas. Mirum propterea non est, quod saeculo XV ab omnibus principibus catholicis instantiae fuerint factae, ut Ordinis nostri regularis observantia, quae ubique tot fructus operabatur, in ipsorum regnis introduceretur; et tanta populorum erga eiusdem professores ubique esset veneratio et devotio, ut intra paucorum annorum spatium permulti pro iis exstructi fuerint Conventus.

Magnus S. Basilius monasterii vere observantis bona et felicitatem enumerat, scribens: « Ibi contentio et lites absunt. Communia vero « universa sunt, animae sententiae, corpora, et « ea, quibus corpora nutriuntur ac curantur. « Communis Deus, commune pietatis nego« tium, communis salus, communia certamina, « communes labores, orationes, corona. Multi « unus, unus non solus, sed in pluribus. Quid « huic vitae comparandum? Homines ex di« versis generibus ac regionibus nati ad tan« tam identitatis sinceritatem coaptati sunt, ut « una anima in multis corporibus conspiciatur, « et multa corpora unius animae ac sententiae « instrumenta ostendantur. Qui infirmus est « corpore, multos habet affectu aegrotantes: « qui anima aegrotat, multos habet sanantes. « Inter se mutuo aequaliter servi, aequaliter

(1) Matth. VI.

« domini. Tales ab initio Deus esse voluit, « et ad haec creavit. Hi vetus revocant bonum, « primi parentis Adae peccatum occultantes. « Imitantur Christum cum Apostolis, imi- « tantur Angelos, apud quos lis non est. Quid « enim cum hoc bono comparari potest? Ubi « pater quidem unus imitans supernum pa- « rentem: filii vero multi benevolentia circa « praesidem vincere se mutuo studentes. Re- « vera ad talem phalangem etiam ipse dia- « bolus desperat, non sufficiens ad tot certa- « tores, adeo composite, ac per unum plau- « sum congregatos, et ita testudine tectos, ut « ictibus non pateant. Ecce, quam bonum, et « quam iucundum habitare fratres in unum » (1).

Haec, Fratres dilectissimi, sunt incitamenta. Incitemur itaque!

(*Continuabitur*)

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1885 celebrata.
(Continuatio)

—

XXII.
Obs. Provincia Genuae.

Die 20 Maii celebratum fuit Capitulum Obs. Provinciae Genuae in Conventu S. Francisci Recchi, praesidente Adm. R. P. Stephano a Castroplano, Commissario Visitatore, in quo electi sunt:

Minister Provincialis
A. R. P. Aloysius a Vectiano.
Custos
A. R. P. Aloysius a Marassio.
Definitores
R. P. Titus a Cavanella.
R. P. Candidus a Genua.
R. P. Aloysius a Villatalla.
R. P. Joannes Paulus ab Arcegrimalda.

—

XXIII.
Collegium Dominae nostrae S. Jacobi de Chile

In Apostolico Collegio Dominae nostrae, *vulgo de la Cabeza*, Sancti Jacobi de Chile, die 17 mensis Junii anni curr. habitum fuit sub praesidentia Adm. Revdi Patris Fr. Isaiae Nardocci, Commissarii Generalis Visitatoris, Guardianale Capitulum, in quo electi fuere:

(1) In Constit. cap. 18.

Guardianus Collegii
R. P. Franciscus Pacheco.
Discreti Collegii
R. P. Joannes Baptista Diaz Rivera.
R. P. Emmanuel J. Castillo.
R. P. Hieronymus Mayorga.
R. P. Michael Reyes.

—

XXIV.
Discalceata Provincia S. Gregorii Philippinarum

Die 20 Junii in conventu S. Mariae Angelorum civitatis Manilensis, rite celebratum fuit capitulum Fratrum Minorum Discalceatorum Provinciae S. Gregorii Magni Philippinarum, praesidente A. R. P. Francisco Saenz de Urturi, Vice-Commissario Generali Hispaniae. Electi sunt:

Minister Provincialis
A. R. P. Franciscus Jimenez.
Custos
R. P. Vincentius Lunar.
Definitores
R. P. Antonius Sanchez.
R. P. Michael Lucio.
R. P. Cyprianus Bac.
R. P. Gilbertus Martin.

—

XXV.
Recoll. Provincia SS. Cordis in America Sept.

In Capitulo Recollectae Provinciae SS. Cordis Jesu in Statibus Foederatis Americae septentrionalis, habito in civitate S. Ludovici die 15 Julii anni currentis in Conventu ad S. Antonium Paduanum, praesidente A. R. P. Ludovico Haverbeck, Commissario Visitatore Generali, canonice electi fuerunt:

Minister Provincialis
A. R. P. Mauritius Klostermann.
Custos Provinciae
A. R. P. Kilianus Schloesser.
Definitores
R. P. Alardus Andrescheck.
R. P. Josephus Sievers.
R. P. Anselmus Mueller.
R. P. Clementinus Deymann.

—

XXVI.
Ref. Provincia Genuae.

In Capitulo Provinciali celebrato die 15 Julii 1885 sub praesidentia A. R. P. Aloysii

de Pedelama, ex Ministri Prov. Seraphicae et Commissarii Visitatoris, canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Octavianus a Savona.

CUSTOS

A. R. P. Petrus a Riparolio.

DEFINITORES

R. P. Joannes Baptista a Petra.
R. P. Augustinus a Costaraineria.
R. P. Benedictus a Tabia.
R. P. Carmelus a Manarola.

—

XXVII.

Collegium Apostolicum Quito.

In Collegio Propagandae Fidei Civitatis Quiti in Republica Aequatoriana die 22 mensis Julii habebatur Guardianale Capitulum, in quo electi fuerunt:

GUARDIANUS

R. P. Antonius Maria Angelich.

DISCRETI

R. P. Franciscus Camps.
» *Angelus M. Meneses.*
» *Antonius Serra.*
» *Michael Puiol.*

—

XXVIII.

Ref. Provincia S. Bernardini in Gallia.

A Rmo P. Ministro Generali, expetito consilio, et habito consensu Generalis Definitorii in congressu diei 18 Julii anni curr., die 31 Julii nominati sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Benignus a Joannisvilla.

CUSTOS

R. P. Maria Joseph a Bollena.

DEFINITORES

A. R. P. Vincentius a Badalucco.
R. P. Leo a S. Malo.
R. P. Stanislaus a Fraxino Matris.
R. P. Franciscus a Nanneto.

—

XXIX.

Ref. Custodia Cincinnatensis S. Joannis Bapt., in America septentrionali.

Die 5 Augusti in Conventu Oldenburgensi ad S. Familiam, praesidente A. R. P. MICHAELE RICHARDT, Recoll. Provinciae SS. Cordis JESU ex-Definitore necnon Collegii nostri Teutopolitani Rectore, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

CUSTOS PROVINCIALIS

A. R. P. Hieronymus Kilgenstein.

DISCRETI CUSTODIAE

A. R. P. Lucas Gottbehoede, Ex-Custos.
R. P. Nicolaus Holtel.
R. P. David Kersting.
R. P. Athanasius Lingemann.

—

XXX.

Ref. Provincia Tridentina in Tirolo.

Die 6 Augusti rite celebratum est Capitulum in Conventu S. Bernardini prope Tridentum, praeside A. R. P. CANUTO a Plebe S. Stephani, Ref. Prov. Tusciae Praefecto Miss. Indigenarum et Commissario Visitatore, in quo canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Constantinus a Cimbria.

CUSTOS

A. R. P. Fortunatus a Norilio, ex Min.

DEFINITORES

A. R. P. Ferdinandus a Castaneto, ex Min.
R. P. Ludovicus a Varineano.
R. P. Victorius a Meculo.
R. P. Marcellus a Pavillo.

—

XXXI.

Recoll. Provincia Saxoniae S. Crucis.

Die 10 Augusti in Conventu Kerkradiensi ad S. Antonium Paduanum, praesidente Rmo P. Ministro Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Irenaeus Bierbaum.

CUSTOS PROVINCIAE

A. V. P. Antonius Pommer.

DEFINITORES PROVINCIAE

A. V. P. Bonaventura Wessendorf.
A. V. P. Casparus Heymer.
A. V. P. Sylvester Winkes.
A. V. P. Osmundus Laumann.

—

XXXII.

Recoll. Provincia Hiberniae.

Die 19 Augusti in Conventu Dublinensi, praesidente A. R. P. ALOYSIO LAUER, Definitore Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS
A. R. P. Alphonsus M. Jackman.
CUSTOS PROVINCIAE
R. P. Josephus Cleary.
DEFINITORES PROVINCIAE
R. P. Antonius Slattery.
R. P. Michael Cahill.
R. P. Franciscus O' Neill.
R. P. Josephus Wogan.

—

XXXIII.

Ref. Provincia S. Antonii Bavariae.

Die 27 Augusti in Conventu Monacensi ad S. Annam rite celebratum fuit Capitulum sub praesidentia A. R. P. GAUDENTII GUGGENBICHLER, Definitoris Generalis et Comm. Visitatoris, in quo canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS
A. R. P. Leo Seidl.
CUSTOS PROVINCIAE
A. R. P. Modestus Leipold.
DEFINITORES PROVINCIAE
R. P. Chrysostomus Luft.
R. P. Gabriel Wimmer.
R. P. Valerianus Müller.
R. P. Hugolinus Erras.

—

RELATIO

de origine et progressu Reformatae Custodiae ad S. Joannem Baptistam in America Septentrionali, necnon Status eiusdem A. D. 1885.

Custodia seraphica ad S. Ioannem Bapt. in America Septentrionali ortum duxit ex clarissima Tirolensi Provincia S. Leopoldi.

Cum enim circa annum 1840 emigratio Germanorum in hanc terram mirandos fecerit progressus, Ecclesia catholica, quae semper propugnatrix extitit civilisationis, agrum hunc apostolicae vineae providere non haesitavit. Plures ergo Reverendissimorum Episcoporum harum regionum enixissime postularunt, ut sibi Missionarii e dicta Provincia mitterentur, et praesertim Archiepiscopus Cincinnatensis anno 1844 urgebat, ut unus saltem Pater pro tot Germanis in ista civitate et in vicinia degentibus destinaretur.

Superiores ergo istius Provinciae mittere statuerunt R. P. Gulielmum Unterthiner, qui eodem anno Cincinnatii advenit et per aliquot menses assistens fuit in ecclesia Germanorum SSmae Trinitati dedicata; dein vero Rector ecclesiae S. Joannis Bapt. nominatus, quam nudam omnino neo-erectam ministrandam accepit. Industria et studio religiosi huius viri parochia statim accrescere coepit, donec maxima inter omnes Germanorum urbis evasit, et iam anno 1847 tempore paschali 8000 Fidelibus SS. Sacramenta administrabantur; numerus autem puerorum et puellarum scholam frequentantium 700 excessit.

Archiepiscopus Cincinnatensis repetitis vicibus plures operarii ut sibi mitterentur postulavit, et anno 1851 ipsemet Oenipontem venit animo hanc causam efficaciter promovendi. Alii quoque Episcopi Missionarios efflagitarunt, e g. Ludovicopolitanus, Milwaukiensis, Philadelphiensis, Bostoniensis, Vincennapolitanus, Nashvillensis et Galvestonensis, qui omnes desiderium suum significarunt introducendi in suas Dioeceses Ordinem Seraphicum.

Libenter Provincia S. Leopoldi piis eorum votis satisfecisset, sed ad id non suffecit. Plures tamen Confratres in Americam mittebantur litteris ex Aracoeli datis 1845, et sex insequentibus annis.

Numerus autem Patrum cum decem fuisset, Missionarii nostri cum Reverendissimo Ministro Generali et Superioribus Provinciae Tirolensis de conditionibus egerunt erectionis novae Custodiae; quibus ad prosperum perductis finem, et facultate obtenta recipiendi Novitios, alma nostra Custodia erecta fuit die 19 Februarii 1859 sub titulo et invocatione S. Joannis Baptistae Praecursoris DOMINI. Tempore fundationis, curae huius Custodiae commissae fuerunt quae sequuntur ecclesiae:

1. In civitate Cincinnati: Ecclesia ad S. Joannem Baptistam et
2. Ecclesia ad S. P. Franciscum;
3. In oppido Hamilton: Ecclesia ad S. Stephanum;
4. In pago S. Bernardi: Ecclesia ad S. Clementem; et
5. In civitate Ludovicopoli: Ecclesia ad S. Bonifacium.

Custodia haec ab initio non tantum defectui sacerdotum mederi cupiebat, sed simul eo tendebat, ut paulatim Ordo seraphicus in-

troduceretur his in regionibus, et eius alumni ut veri filii S. P. Francisci vivere et aliis proficere possint. Amplectitur ergo, sicut materna Provincia Tirolensis, Reformationem strictioris Observantiae et profitetur Regulam S. P. N. Francisci absque ulla relaxatione, id est, in quantum hisce in terris fieri potest. Gubernatur Statutis municipalibus die 10 Maji 1879 a Reverendissimo Ministro Generali approbatis. Primus Custos ab ipsomet Reverendissimo Ministro Generali nominatus fuit Adm. R. P. Otho Jair; (1) Definitores vero RR. PP. Edmundus Etschmann et Nicolaus Wachter. Primi Novitii habitu S. P. N. Francisci induti sunt die 6 Januarii 1860.

Confratribus ex patria advenientibus et ordinatione Clericorum Custodia abhinc de anno in annum crescebat et variae ecclesiae in diversis Dioecesibus nobis traditae fuere, ita ut nunc possint enumerari:

I. In Archi-Dioecesi Cincinnatensi.

1. *Ecclesia et Conventus ad S. P. N. Franciscum, Cincinnati, O.*

Ecclesia ad S. P. N. Franciscum constructa et solemniter consecrata est anno 1859, loco ubi 1819 prima ecclesia catholica huius urbis cum coemeterio existebat. Die 4 Octobris 1860 conventus, ecclesiae adiunctus, benedictus fuit a Reverendissimo Archiepiscopo J. B. Purcell, simul ac Adm. Rev. P. Custos Otho Jair sex candidatos Ordinis habitu induit.

Decursu temporis hic Conventus non praebuit sufficientem locum pro Confratrum adaucto numero; quare, parte illa quae ante erectionem ecclesiae domicilium privatum fuerat, avulsa, nova fabrica cum parte antea erecta correspondente constructa est anno 1871. Continet nunc Conventus 28 cellas, bibliothecam cum 4000 circiter libris, refectorium, musaeum pro Clericis, duo parlatoria, culinam et hypogeum. In hoc Conventu commorantur: 9 Patres, 6 Fratres Clerici, 3 Fratres Laici primi, et 2 tertii Ordinis. Prope Conventum habitant etiam 7 Fratres scholares, qui speciali directioni Adm. R. P. Custodis subsunt.

Provídet Conventus Catecheses in schola elementari, Gymnasium maius, cursum quartum et quintum theologicum studii domestici, Missionarium in Custodia Terrae Sanctae, Moniales SS. Cordis Jesu, tria Nosocomia publica, domum correctionis et ergastulum publicum.

Insuper duo Patres subsidium praestant extra Conventum: unus in Orphanotrophio S. Aloysii, cum Capella parochiali ad S. Familiam; alter in Protectorio puerorum Fratrum Tertii Ordinis, in quorum schola 38 pueri religione et scientia imbuuntur.

Schola elementaris parochiae S. Francisci erecta fuit anno 1861 et dividitur in 9 classes 850 pueros numerantes, qui per Fratres Tertiarios instruuntur.

Gymnasium ad S. P. Franciscum initia sumpsit anno 1858, die 4 Octobris, Fundatori Ordinis Seraphici sacro. Fuit autem tunc temporis in domo privata usque ad annum 1861, quando in neo-erectam scholam classes delatae fuere. Cum autem schola elementaris tantos fecerit progressus, ut locus non sufficeret pro omnibus pueris, anno 1867 pro Gymnasio aedificium separatum erectum est prope ecclesiam S. Francisci, in quo sex aulae, quatuor classes, oratorium et bibliotheca insunt. Hic humaniorum artium et litterarum studiis vacare possunt iuvenes, Patribus et Clericis Conventus munere professorum fungentibus. Bibliotheca libris selectissimis instructa est. Juvenes pauperes gratis omnino instruuntur, si studiis diligenter vacant. Singulis annis hoc Gymnasium 40-50 studiosos ex omnibus fere partibus reipublicae complectitur. Plurimi eorum, qui hucusque Ordinem ingressi sunt, in hoc Gymnasio studiis vacarunt. Numerus totus alumnorum in anniversario vigesimo-quinto 1884 celebrato, fuit 440, quorum 60 sacerdotio insigniti et 75 Ordinem ingressi sunt.

2. *Ecclesia et Residentia ad S. Joannem Bapt., Cincinnati, O.*

Ecclesia S. Joannis Bapt., ut supra dictum est, iam anno 1845 aedificata fuit, et exinde residentia annexa a Nostratibus inhabitatur. Anno 1867 ecclesia fuit ex parte demolita ut ampliori cederet locum, quae eodem anno completa solemniter dedicata fuit die 1 Decembris.

In hac residentia commorantur 4 Patres et 2 Fratres laici I Ordinis.

(1) Cfr. in ultimo *Actorum* fasciculo egregii huius Patris Necrologiam, pag. 127.

Schola parochialis iam ab origine sub magisterio Sororum B. M. V. (de Notre-Dame) conducitur, quae 921 puellas edocent. Pueri enim huius parochiae in schola S. Francisci, et puellae istius in hac schola instruuntur.

3. Ecclesia et Residentia ad S. Stephanum, Hamilton, O.

Ecclesia ad S. Stephanum, Hamilton, nobis tradita fuit 1848, quo anno Patres nostri ibidem habitare coeperunt. Nova ecclesia et schola 1854, nova residentia 1869 erectae sunt. Habitant ibi 3 Patres et 2 Fratres laici, unus I, alter III Ordinis. Scholam elementarem adeunt 400 pueri et puellae.

Ex hac residentia providentur parochiae in Middletown cum schola 50 parvulorum, Trenton et New London.

4. Ecclesia et Monasteriolum ad S. Clementem, S. Bernard, O.

Huius suburbii pastorationem Patres nostri adepti sunt anno 1850 et ex eleemosynis fidelium ecclesiam et domum pauperrimam erexerunt. Insequentibus annis ecclesia spatiosior fuit exstructa. Anno 1863 novum monasteriolum erectum est, in quo per decem circiter annos Novitiatus habebatur. Anno 1872 ecclesia nova e fundamentis extructa et monasteriolum amplificatum fuit.

Est hic locus studii domestici humanitatum, Rhetoricae et Philosophiae. Adsunt 2 Patres, 9 Clerici, Fratres laici III Ordinis 3.

In schola parochiali instruuntur 155 parvuli.

Ex hoc loco auxilium spirituale tribuitur mente captis in Asylo publico.

5. Ecclesia et Residentia ad S. Bonaventuram, Fairmount, O.

Prope hoc suburbium Patres nostri iam 1851 curam animarum exercuerunt in sacello S. Petro sacro, quod temporis decursu derelictum fuit. Eius loco construxerunt anno 1869 ecclesiam S. Bonaventurae cum residentia et schola. Addita est veteri scholae nova anno 1884. Ad curam animarum in hac parochia spectat etiam visitatio Nosocomii pestilentiosi.

Habitant ibi 2 Patres et 1 Frater laicus.

Scholam frequentant 300 pueri et puellae.

6. Ecclesia et Residentia ad S. Georgium, Cincinnati, O.

Hic a Nostratibus anno 1868 sacellum est erectum, quod 1874 locum cessit splendidae ecclesiae, dum aedificium vetus in scholam conversum est. Domicilium ibi fixerunt Confratres nostri 1870 et residentiam exstruxerunt anno 1874. Commorantur ibi 2 Patres et 1 Frater laicus.

Schola numerat 400 pueros et puellas.

7. Ecclesia et Residentia ad S. Joseph, Hamilton, O.

Anno 1867, parochia ad S. Stephanum in hoc oppido divisa, parochia S. Joseph creata est, pro qua Patres nostri maximas inter difficultates ecclesiam construxerunt, quam finitam Rmo Archiepiscopo Cincinnatensi tradiderunt, qui sacerdotem saecularem Rectorem nominavit. Anno 1879 cura huius parochiae ad nos reversa est, quo loco nunc habitant 1 Pater et 1 Frater laicus.

Scholam adeunt 250 parvuli.

II. In Dioecesi Ludovicopolitana.

8. Ecclesia et Conventus ad S. Bonifacium, Ludovicopoli, Ky.

Parochia ad S. Bonifacium Ludovicopoli fundata est anno 1837. Ecclesia dedicata fuit die 1 Novembris 1838. Curam animarum inibi exercuerunt sacerdotes saeculares usque ad annum 1849, quo Patres nostri administrationem adepti sunt. Anno 1850 amplificaverunt ecclesiam.

Conventus fundatus est anno 1866. Continet 24 cellas, bibliothecam, musaeum pro Clericis, refectorium et culinam. Subsidium praestant Patres huius Conventus in Orphanotrophio S. Joseph, apud Sorores B. M. V., (de Notre-Dame) et apud Sorores Misericordiae. Est hic locus studii domestici tertii cursus theologici. Adsunt 4 Patres, 7 Clerici, 3 Fratres laici III Ordinis, 1 Fr. scholaris I Ord. et 2 Fratres scholares III Ordinis.

Schola elementaris frequentatur a 750 pueris et puellis, sub directione dictorum Fratrum, et Sororum « de Notre-Dame. »

9. Ecclesia et Residentia ad S. Joseph, Ludovicopoli, Ky.

Ecclesia haec anno 1866 aedificata in no-

stram curam, postulante Ordinario, transivit anno 1874. Ecclesia nova spatiosior, quae nunc temporis exstruitur, incoepta fuit anno 1884.

Resident ibi 1 Pater et 1 Frater laicus.

Scholae parochiali adscripti sunt 270 parvuli utriusque sexus.

III. In Dioecesi Vincennopolitana.

10. Ecclesia et Conventus ad S. Familiam, Oldenburg, Ind.

Parochia Oldenburgensis fundata est 1837. Ecclesia firmissima e saxis constructa est 1848, quae, quum decursu temporis non sufficeret fidelibus, anno 1865 cessit ampliori et ornatiori. Defuncto Rectore, sacerdote saeculari, anno 1866 Patres nostri ab Episcopo Vincennopolitano adsciti sunt, qui anno 1868 ecclesiam priorem in Conventum mutaverunt. Habet 24 cellas, parlatorium, bibliothecam selelectissimam, duo musaea, unum pro Clericis, alterum pro Laicis, refectorium et hypogeum.

Hic Conventus in Capitulo 1882 in locum Novitiatus electus fuit.

Unus Patrum huius Conventus existit Director Monialium Tertii Ordinis, quae ibi habent Conventum magnum et Academiam frequentissimam, et in schola elementari instruunt 211 parvulos. Schola erecta fuit a Nostratibus anno 1868.

In hoc Conventu commorantur 4 vel 5 Patres, 7 Novitii et plures Fratres Tertiarii et Candidati Ordinis.

Ex Conventu Oldenburgensi providetur etiam parochia S. Ludovici in Batesville, cuius schola 120 parvulos numerat.

IV. In Dioecesi Wayne-Castrensi.

11. Ecclesia et Residentia ad S. Bonifacium, Lafayette, Ind.

Parochia ad S. Bonifacium in Lafayette 1853 exorta, anno 1864 splendidam et amplam ecclesiam aedificavit. Ad illam 1866 Patres nostrae Custodiae vocati sunt, qui 1868 scholam, 1873 residentiam et 1884 scholam alteram exstruxerunt. Providentur a Patribus in urbe Lafayette Nosocomium et Conventus Sororum Tertii Ordinis, et Missiones in pagis: Reynolds cum schola 30 parvulorum, Francisville et Medaryville. In residentia Lafayettensi commorantur quatuor Patres et 1 Frater laicus.

Schola numerat 350 alumnos utriusque sexus.

V. In Dioecesi Detroitensi.

12. Ecclesia et Residentia ad B.M.V. Immaculatam, Detroit, Mich.

Ecclesia ista 1841 exstructa una cum residentia annexa antea a Patribus Congregationis SSmi Redemptoris occupata fuere, qui anno 1872 discesserunt. Tunc Patres Custodiae Cincinnatensis ab Episcopo adsciti, 1876 residentiam spatiosiorem compleverunt, qui et 1884 ecclesiam novam artificioso stylo construendam direxerunt.

Connumerantur ibi 4 Patres, unus Frater laicus I et unus III Ordinis.

Scholam in aedificio valde commodo et amplo anno 1867 exstructo adeunt 500 alumni utriusque sexus, qui instruuntur scientia elementari a Fratribus III Ordinis et a Sororibus « de Notre Dame. »

Patres huius residentiae provident Nosocomium publicum pro morbis pestiferis.

13. Ecclesia et Residentia ad SS. Cor Jesu, *Detroit, Mich.*

Auctoritate Ordinarii parochia S. Mariae Immaculatae anno 1876 divisa, in septentrionali urbis parte constituta est parochia SS. Cordis Jesu, quae statim ecclesiam et scholam exstruxit. Fuit ab initio sub cura Patrum nostrae Custodiae, qui anno 1884 et residentiam ibi aedificarunt, in qua 2 Patres et unus laicus Frater habitant.

Schola complectitur 476 parvulos.

VI. In Dioecesi Peorensi.

14. Ecclesia et Residentia ad S. Patritium, Minonk, Ill.

Parochia haec maxima ex parte constat ex Hibernis et Americanis lingua anglica utentibus. Instante Episcopo Peorensi, Patres nostri curam illius suscepere anno 1878. Anno sequenti nova residentia exstructa est, et 1883 ecclesia amplificata fuit.

Domicilium hic habent duo Patres et unus laicus Frater. Providetur etiam Missio Rutland.

Scholae adscripti sunt 110 alumni utriusque sexus.

15. Ecclesia et Residentia ad B. V. Mariam, Bloomington, Ill.

Huius parochiae curam accepimus anno 1880. Adnexae sunt ei Missio Farmer City et cura spiritualis nosocomii S. Francisci.

In residentia commorantur 2 Patres et 1 Frater laicus.

Schola complectitur 80 parvulos.

VII. In Dioecesi Leavenworthensi.

16. Ecclesia et Residentia ad SS. Cor Jesu, *Emporia, Kans.*

Curam huius parochiae Custodia suscepit, instante Episcopo, anno 1880, quando Patres nostri statim ecclesiam, scholam et residentiam exstruendam curaverunt. Provident Patres etiam Missiones Strong City, Hartford, Eagle Creek, Reading, Olpe, Council Grove et Eureka, una cum nosocomio Tertii Ordinis. Operam dant his laboribus 4 Patres et 2 Fratres laici, unus I et alter III Ordinis.

Scholam frequentant 110 parvuli.

VIII. In Dioecesi Marquettensi.

17. Ecclesia et Residentia ad S. Joseph, Escanaba, Mich.

Iteratis precibus Ordinarii huius dioeceseos permotus, Adm. Rev. P. Custos Lucas Gottbehoede parochiam hanc, nationes diversas, nempe Anglicam, Germanicam, Gallicam, Polonicam etc. complectentem, curae Custodiae commisit anno 1883.

Habitant ibi 2 Patres, qui et provident Sorores III Ordinis, et Missiones Centeville, Maple Ridge, Perkins, Days River et Ford River. Frater laicus rem domesticam gerit.

Schola fundata est anno 1884, pro qua Superior loci erexit aedificium plane sufficiens. Sorores III Ordinis edocent 375 scholares in omnibus scitu necessariis.

IX. In Dioecesi Londinensi.

18. Ecclesia et Residentia ad S. Joseph, Chatham, Canada.

Parochia haec sita est ultra fines Statuum Foederatorum in Dominio Britannico Canada nuncupato. Eius curam pastoralem assumpsimus ineunte anno 1878. Constat ex Anglicis, Gallicis et Germanicis. Adnexa est ei Missio Blenheim et provisio spiritualis Conventus et Academiae Monialium S. Ursulae, quae et scholam parochialem 400 parvulorum conducunt.

Residentiam extruximus anno 1879 et schola incendio combusta, anno 1881 novam erigendam curavit Superior loci.

Habitant ibi duo Patres et duo Fratres laici.

RECAPITULATIO

Custodia ad S. Joannem Baptistam anno 1885 complectitur:

1. Patres	57
2. Fratres Clericos professos. . . .	22
3. Fratres Clericos Novitios. . . .	3
4. Fratres scholares professos I. Ord.	2
5. Fratres laicos professos I. Ord. .	14
6. Fratres scholares Novitios I. Ord.	2
7. Fratres laicos Novitios I. Ord. .	2
8. Fratres scholares III. Ord. . . .	12
9. Fratres conversos III. Ord. . . .	21
In summa	135
10. Dioeceses	9
11. Ecclesias quasi-parochiales . . .	24
12. Ecclesias Missionum et Stationum.	19
13. Conventus	3
14. Residentias	15
15. Residentias Fratrum scholarum. .	3
16. Gymnasium.	1
17. Alumnos Gymnasii	45
18. Scholas parochiales	24
19. Discipulos scholasticos	7145

Magnus sane progressus, si hi numeri comparentur cum statu anni 1859 in exordio Custodiae, qui exhibet 5 Ecclesias, 10 Patres et 4 Fratres laicos.

Patres plantaverunt, filii rigaverunt: Illi autem, qui incrementum dedit

Soli Deo Gloria!

—

PECULIARES INFORMATIONES

NOVUS CONVENTUS IN HISPANIA

Die 16 mensis Julii nuper elapsi, aliqui Patres e Conventu de *Loreto*, dioecesis Hispalensis in Hispania, comitantibus octo iunio-

ribus clericis neo-professis, et quatuor Fratribus Laicis, ad Conventum *Matris Dei,* Civitatis Lucenae, Diocesis Cordubensis. se conferebant. Approbante Reverendissimo Ministro Generali, cui Conventus de Loreto immediate subjicitur, praedicti Patres antiquum Ordinis Conventum a Matre Dei nuncupatum, restaurarunt et ibidem studium pro Clericis nostris instituerunt.

—

Novi Doctores

Die 4 Augusti huius anni in Collegio Urbano de Propaganda Fide, cuius scholas frequentarunt, creati sunt Doctores octo Confratres nostri ex Collegio PP. Hibernorum S. Isidori, tres in Theologica, et quinque in Philosophica facultate. Hi sunt:

R.R. P.P. Joseph Kaufmann, Franciscus Czech, et Aloysius Bolozyk, Doctores S. Theologiae ex Recollecta Provincia Saxoniae S. Crucis; et Doctores Philosophiae ex eadem Provincia: *V.V. F.F. Amandus Bahlmann, Kilianus Hille* ac *Odoricus Ries;* ex Provincia vero Recoll. Germaniae Inferioris: *V.V. F.F. Bernardinus Klumper, et Dorotheus Cornelisse.*

—

Tertiarii Regulares

apud S. Joannem ad Portam latinam

Annuente venerabili Capitulo insignis Bailicae Lateranensis, et approbante Sanctitatis Suae Cardinali-Vicario, Tertiarii Regulares Galliae, a viginti circiter annis restaurati ab Adm. R. P. Francisco Maria Clausade, basilicae S. Joannis ante Portam Latinam in Urbe custodiam et usum obtinuerunt, et die 2 Augusti elapsi cum psalmodia divini Officii novae ibidem fundationi initium dederunt.

III. MISSIONES

—

Relatio de Missione apostolica Tripolitana in Africa Ordinis Minorum de Observantia Reformatorum.

Origo huius Missionis ignoratur, eo quod cum ab initio Missionarii propriam domum minime habuerint, sed una cum christianis captivis in carceribus vel triremibus habitaverint, a Missione discedentes omnia secum portabant. Certum est tamen, eam semper ad Patres de Observantia Reformatos pertinuisse. In quodam manuscripto in Missionis archivio asservato Praefectuum Apostolicorum catalogus exhibetur ab anno 1654 et deinceps, quorum primus P. Joannes Baptista a Ponte, Ref. Provinciae Genuae, qui cum Provinciae Tripolitanae praesidi dixisset quod nisi catholicam fidem amplecteretur salvari minime posset, igni damnatus, dum ad supplicium traheretur, a captivis catholicis rogatus quidnam ipsis relinqueret, respondit: se cor suum eis relicturum. Antequam autem perveniret ad locum supplicii, a quodam apostata ferro interemptus est, corpus tamen ad rogum delatum, igneque combustum fuit. Cum vero quidam catholici Armeni venerandi corporis cineres pretio emissent, inter eos cor martyris illaesum et rubicundum invenerunt; ac in patriam magna cum veneratione secum tulerunt.

In praesentiarum habet in civitate Tripoli Ecclesiam cum Coenobio nondum tamen ad finem perducto, Collegium pro scholis puerorum, aliud pro scholis puellarum et hospitale, domum in qua habitant Sorores S. Joseph de Apparitione; nec non Cappellam publicam in suburbio cum parva domo et horto: in oppido vero *Bengasi* Ecclesiam cum Residentia vel Coenobio, nec non Collegium pro scholis puellarum, domum habitationis Sororum S. Joseph de Apparitione, et hospitale. Missionis territorium complectitur antiqua regna Tripolis et Fezzan, et confinia habet: ad septentrionem mare mediterraneum, ad orientem Aegyptum et desertum *Sahara,* ad meridiem *Sahara;* ad occidentem vero *Algeriam* et *Tunisiam* — Ecclesiasticae iurisdictiones missioni circumstantes sunt Archiepiscopi Carthaginensis ad occidentem, et Delegati ac Vicarii Apostolici in Aegypto ad orientem. Hocce territorium modo Provinciam *(Reggenza)* constituit immediate dependentem ab Imperatore Turcarum, a duobus ducibus (vulgo *Pascià*) rectam, ideoque incolae omnes turcico gubernio subduntur; sed prout in omnibus aliis turcicis provinciis, in hac etiam exterorum nationum legati *(consules)* in respectivos connationales omnimodam iurisdictionem exercent. Linguae *officiales* sunt araba et tur-

cica, prior tamen, arabica nempe, communis est, prouti etiam italica et dialectus melitensis.

Loci temperies calida, varia tamen, hic sicca, alibi humida. Olim saepe pestis grassabatur, postrema per biennium ab anno 1835 ad 1837. Frequentiores et locales sunt morbi oculorum et splenis, nec non febres typhoideae; quorum causas puto sorditiem viarum corporumque, vividiorem solis lucem, pulveres sale refertos ac aquae salsae usum non tantum pro irrigationibus, sed a multis etiam pro culina et potu.

Praecipua Provinciae loca sunt: Civitas *Tripoli*, dein ad eiusdem orientem duorum dierum itinere *Homs*, prope antiquae Leptis Magnae ruinas, trium dierum itinere *Sliten*, quatuor circiter dierum itinere *Misurata*, mensis itinere *Bengasi*, triginta duorum dierum itinere *Mersch*, tandem *Derna* triginta quinque dierum itinere ab urbe Tripoli respective distantia: ad Tripoleos meridiem est *Murzuk* in Fezzan, quadraginta dierum itinere distans; ad occidentem vero sunt loca *Ghadames* quindecim dierum itinere, et *Ghat* triginta dierum itinere a Tripoli distans per viam Ghadames, quinquaginta vero dierum per viam Fezzan.

Indigenarum Arabum indoles non mala, moresque non prorsus pravi; sunt tamen in mahumetismo obstinati, et ita fanatici ut eorum ad fidem conversio fere impossibilis videatur, semperque sit plena periculi res.

Catholica missio minime persecutionibus ac periculis obnoxia est, imo pace fruitur et magni habetur. Quoad religionem in Tripolitana Provincia sunt circiter 1,000,000 mahumetani, multi Hebraei mercatores, 15 protestantes, 150 graeci schismatici, sed tempore piscationis spongiarum 2000; tandem 5,895 catholici, omnes latini ritus, exceptis tribus familiis Armenorum, sic distributi Tripoli et in suburbio 5500, Homs 50 et in aestate 100, Sliten 15, Misurata 15, Bengasi 300, et Derna 15. Ad huiusmodi loca, iter ex Tripoli est difficile et periculosum, praesertim ad Derna; sed facilius illuc et commodius per mare itur.

Mahumetani, Hebraei, Schismatici et Protestantes fidei catholicorum minime insidias parant; sed valde dolendum quod nonnulli ex Catholicis et suos pervertunt et acatholicis infidelibusque scandalo sunt.

Loca sacra quod attinet, Mahumetani praeter innumeras fere, parvas mesquitas super marabutorum sepulchris extructas, multas habent et magnas; Hebraei nonnullas synagogas publicas, ditiores vero inter illos domesticas huiusmodi et privatas; schismatici autem duas habent Ecclesias Tripoli nempe, et Bengasi, Protestantes nullam, sed sua sacra exercent in quadam aula consulatus Britannici.

Quoad scholas, nonnullas habent mahumetani in quibus eorumdem pueri et adolescentes linguam arabicam et *Coranum* addiscunt, et pro earum quibusdam a gubernio expensae solvuntur; hebraei item quasdam scholas habent tam pro pueris, quam pro puellis, in quibus lingua hebraica, arithmetica et *Thalmud* traduntur; ast multae hebraeorum familiae pueros suos ad scholas Collegii Tripolitani, quod expensis gubernii italici institutum est, mittunt; schismatici vero et protestantes nullas habent.

Catholicae missionis Paroeciae duae sunt, Tripoli et Bengasi; *Statio* seu Residentia adest in suburbio ad duo millia passuum a porta civitatis Tripoli, ubi habitualiter residet Pater Missionarius; *Christianitates*, i. e. loca ubi sunt catholici, sed nemo ex Missionariis residet, quatuor numerantur nempe: *Homs, Sliten, Misurata* et *Derna*, quas Missionis Superior per se, vel per alium Missionarium quandoque visitare non negligit.

Ecclesia parochialis Tripolitana in centro fere civitatis exstructa anno 1830, ob succrescentem fidelium numerum, modo nimis angusta evasit, et insuper ruinam minatur, ideoque quamcitius instauranda, vel potius maior reaedificanda est. Bengasiana vero in loco civitatis sita ubi plerique catholicorum habitant, et olim extabat antiqua *Berenice;* extructa est ab anno 1857 ad 1873; haec nonnullis tantummodo reparationibus indiget, ceterum fidelium numero ac necessitati sufficit. Praeter praefatas parochiales, duo sunt Oratoria publica in quibus SS. Sacramentum sicuti in parochialibus, prout decet asservatur, unum nempe in Statione suburbii Tripolitani, alterum vero in hospitali Missionis ab Ecclesia parochiali tripolitana 50 circiter metra distans.

(Continuabitur)

—

PRAEFECTURA APOSTOLICA

Superioris Aegypti

Ex epistola R. P. Seraphini a Patrignano Minoris Reformati, scripta *Assiout* die 8 Junii elapsi, desumimus, in hebdomada Resurrectionis decurrentis anni habitam fuisse conversionem *centum et quinque* heterodoxorum in pago *el Doueneh* sito iu districtu *Abutigh*. Hi omnes, duce venerando sene *Magar Giobarsi* qui optime instructus et bona fama fruens apud ipsos Mahumetanos, numerosae praeest familiae, in feria secunda Paschae errores et schisma eiurarunt, fidem catholicam romanamque solemniter profitentes coram P. Elia a Nazareth. A paucis mensibus hic Missionarius in Praefecturam advenerat, et ministerii sui primitias laetanter colligebat. Quod mirum est et Dei gratiam maxime commendat mirabilemque ostendit, in eo est ut hae conversiones sine strepitu, sine labore fierent, ipsis neophitis hanc gratiam instanti supplicatione efflagitantibus, sine ullo humano fine, sed afflante solummodo divino spiritu, ita quidem ut recordari fas sit verbi Domini Jesu: Alius est qui seminat et alius est qui metit. Et qui metit mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam, ut et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. *(S. Joann. IV. 36.)*

Neo-conversi sacerdotis ministerium iam habent, necnon scholam catholicam. Imo P. Praefectus apostolicus de astruenda saltem provisoria ecclesia deliberare coepit, ut facilior novis conversionibus in dicto pago et in viciniis occasio praebeatur.

In hac Praefectura, aucto catholicorum numero, nunc decem et septem stationes habentur.

—

STATUS

Exercitiorum spiritualium a Patribus Collegii Apostolici de Jujui in republica Argentina a die 1. Decembris 1882 ad 18 Junii 1885.

Exercitia ad carceratos	1
» in variis monasteriis . .	6
Conferentiae ad moniales . . .	15
Instructiones ad puellas	100
Confessiones et communiones in hospitio	1, 200
Viaticum et extremae unctiones. .	200
Confessiones in ecclesia	6, 000
Communiones	7, 000
Sermones panegyrici	40
Sermones morales.	125
Tertiarii admissi	27
Chordigeri adscripti	301

Notandum quod tres tantummodo Patres in praefato Collegio adsunt cum duobus Fratribus Laicis.

—

STATUS

Almae Recollectae Provinciae SS. Cordis Jesu *in Statibus Unitis Americae Septentr.*

Provincia habet Conventus 4; Residentias 17; Patres curam animarum exercentes 109; Patres simplices 8; Fratres Clericos Philosophos 6; Fratres Clericos Theologos *13;* Fratres studio humaniorum vacantes *2; Fra*tres Clericos Novitios 4; , Fratres laicos professos I Ord. 71; Fratres laicos Novitios I Ord. 9; Fratres laicos III Ord. 38.

Duo Collegia cum pluribus studentibus saecularibus.

Speciali laude digna censenda est cura, quam Provincia praestat Americae Indis, quorum multi adhuc sunt Pagani. Undecim Patres inter istas miseras et parum cultas gentes nunc laborant, nullis difficultatibus deterriti, et cum benedictione Dei uberrimos fructus reportantes.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

1885. La Porziuncula e l' indulgenza del perdono; nove conversazioni popolari per G. Olmi. Genova, tipografia arcivescovile, In 32, pag. 59.

1885. Vita Sancti Rochi, Auctore Joanne Pino, episcopo rivorum. Denuo edidit Eliseus Lazaire, canonicus tusculanus, doctor Romanus, Eminentissimi Cardinalis Pitra a secretis. Roma ex typographia Pacis Philippi Cuggiani. Vico della Pace, Num. 35. In Octavo, pag. 68.

1885. Aimer et souffrir ou vie de la R.de Mère Sainte-Thérèse de Jésus, Abbesse

du Monastère de S.[te] Claire (de Lavaur,) écrite par elle-même, avec des notes de M. l'Abbé Roques, Archiprêtre de Lavaur et un Appendice sur la vie et la mort de M. l'Abbé Roques. (2 volumes) 2[e] édition. Toulouse. Ed. Privat, libraire, 45 rue des Tourneurs. — Lavaur, Monastère de Sainte Claire.

1885. Omaggio del mondo cattolico a San Francesco di Assisi nella ricorrenza del VII centenario dalla nascita, 1882, pel M. R. P. Raffaele da Paterno, lettore giubilato, M. O. Parte IV. *Omaggio del giornalismo a S. Francesco.* In 4° pag. 510. Napoli. Officina tipografica di R. Rinaldi E. G. Sellitto nell' abolito Mercato a Forcella.

Editis iam quatuor voluminibus, nunc quintum proelo subjicitur et in eo *Obsequium Poetarum S. P. N. Francisco* ostendetur.

1885. Un fiore del Sudan trapiantato a Gemona ossia una moretta esempio ai bianchi. Racconto storico. — Udine, tipografia del patronato in 32 pag. 80.

Histoire littéraire et bibliographique des Frères Mineurs de l'Observance de S. François en Belgique et dans les Pays-bas par le R. P. Servais Dirks des Frères Mineurs Récollets.

Sequentia citamus ex editoris programmate:

« Le livre que nous présentons au public est un chapitre de l'histoire intellectuelle de la société. Ce chapitre a son importance, car il nous semble impossible qu'on puisse demeurer indifférent aux travaux d'une vaste congrégation qui a vécu sept siècles et assisté à la formation de l'Europe moderne. Le tableau de l'évolution scientifique dans l'Ordre de S. François nous dira ce que nous lui devons sur le terrain de l'Exégèse, de la Théologie scolastique et ascétique, de la Philosophie et des Sciences historiques.

L'auteur a fait une très large part à la Bibliographie. Il a voulu être à cet égard le plus complet possible, et satisfaire aux exigences de la science des livres, telle que la conçoit la société contemporaine. Il ajoute ainsi une page intéressante aux fastes de la typographie belge, à l'histoire de ses origines.

L'ouvrage formera un volume in 8°, d'environ 500 pages et sera mis en vente au prix de 7 frs.

Les personnes qui voudraient souscrire sont priées de vouloir envoyer leur adhésion soit au R. P. Servais DIRKS, au couvent de St-Trond, soit à l'éditeur. Vanos-Dewolf, *Rue SS. Pierre et Paul, 2, ANVERS.*

Les exemplaires demandés seront payables à leur réception ».

V.
NECROLOGIA

—

Adm. R. P. Georgius Piga, Obs. Provinciae S. Mariae Gratiarum in Sardinia filius, sed Provinciae S. Saturnini dein incorporatus, ex-Procurator Generalis Ordinis, die 6 Augusti proxime elapsi supremum diem clausit. E pago *Perfugas* in dioecesi Amporiensi et Templensi piis parentibus ortus die 22 Februarii 1800, quum vix sexdecim esset annorum seraphicam vestem inter Minores Observantes induit ac solemnem professionem, emenso regularis probationis anno, die 3 Februarii 1817 emisit. Sacerdotio initiatus, a Superioribus ad Conventum S. Rosaliae Civitatis Calaritanae (Cagliari) versus annum 1831 missus, ibidem per viginti circiter annos sacram theologiam egregie docuit et exinde Lector Jubilatus fuit renuntiatus. Dum Ordinis alumnos ad sacram doctrinam imbueret, regio diplomate anno 1837, scholasticae theologiae et historiae ecclesiasticae in ipso Calaritano Athenaeo professor electus, hanc cathedram usque ad finem 1849 tenuit. Propter ingenii dotes ab Universitate Calaritana Doctoris emeriti titulo decoratus est, ac deinceps Universitatis Taurinensis collegio theologico honoris gratia pariter aggregatus. In Provinciali capitulo die 17 Junii 1855 Provinciae S. Saturnini Minister nominatus, munere suo per triennium laudabiliter functus est. Tandem, crescentibus tanti viri meritis, anno 1869 ad Procuratoris Generalis Ordinis officium dignitatemque, approbante Pio IX, evectus est. Dum Romae in Conventu Aracoelitano vitam degeret, apud varias S. Sedis Congregationes doctissimi theologi famam est adeptus. Sed, Deo permittente, oculorum lumine fere omnino orbatus, anno 1874 ad finem vergente, in patriam redire cogitur, Romae remanente eiusdem secretario P. Ludovico Pistis, qui Vice-Procuratoris Generalis officium exercuit, donec tragica morte e vivis repente auferretur. Interim Adm. R. P. Piga, cellae silentio recuperato, nihilominus otio non indulsit. Quinimo verbi Dei praedicationi incumbens, indefessus usque ad mortem sacer praeco extitit. Biduo etenim priusquam Deo animam exhalaret, in solemnitate S. P. Dominici, huius

inclyti Patriarchae panegyricam orationem habuit in ecclesia Fratrum Praedicatorum. Ast in sero eiusdem diei gravis infirmitatis apparuere symptomata, et statim peccata sua confiteri voluit. Sed quum nemo tam repentinum iudicaret exitum, dilata est S. Viatici communio. Transacto tamen die quinto, in nocte auditus est crebro repetens S. Scripturae textus et non semel haec S. Pauli verba proferens: *Cupio dissolvi et esse cum Christo*. Mox quum sensu deficeret, impertita extrema Unctione, in diluculo diei 6 Augusti placide obdormivit in DOMINO, aetatis suae anno octogesimo sexto. Inter alia scientiae suae specimina, P. PIGA reliquit eruditam impii Renan confutationem, — elogium P. Angeli Aramu, — et quasdam dogmaticas compositiones. Testes autem ipsius doctrinae adsunt permulti discipuli, in tota Sardinia dispersi, qui perennem magistri memoriam asservant. Ex illis nonnulli episcopi ac praestantes numerantur ecclesiastici viri, qui quoties Calarim ventitabant, toties dilectum magistrum in humili cella commorantem visitabant. Episcopalem dignitatem anno 1865 humilitatis ergo recusavit, ideoque non solum doctrina sed etiam modestia amissum Patrem commendant, et decus Ordinis patriaeque efficiunt. R. J. P.

R. P. LEONARDUS MATEU, Guardianus Collegii apostolici S. Antonii, in civitate Cajamarca Reipublicae Peruanae, ortum habuit in Hispania die 1 Ianuarii 1844, et iunioribus transactis annis, a parentibus ad seminarium Leridanum missus est Ibidem sacris vacabat litteris, quum e Republica Peruana illuc adveniens quidam P. Collector iuvenem studentem ad exteras Americae missiones vocatum secum deduxit. In Collegio Limensi vitae religiosae probationem, et deinde in Collegio Cajamarca studia sacra complevit. Sacerdotio initiatus, statim Missionum arduo exercitio incubuit, cum animi sui consolatione et animarum lucro. Deinde Magistri Novitiorum officio, ac postea Lectoris philosophiae, plaudente tota communitate, functus est. Tandem in capitulo anni 1881 Guardianus Collegii renunciatus, triennii finem fere attigerat, tam populo quam Fratribus ex indolis mansuetudine acceptissimus, quum, die 14 Martii 1884, morbo correptus, et sacramentis pie refectus, Missionarii vitam iustorum morte coronavit.

R. P. JOANNES DE CAPISTRANO PUIG, natione hispanus, oriundus Stae Colomae de Queralt in Catalaunia, Lector Theologiae Dogmaticae et Moralis Lector iam ac philosophiae, Discretus actualis in Collegio Limensi et Chronologus eiusdem, Tertii Ordinis S. P. N. Francisci Rector in civitate Lima, Magisterque Iuvenum: receptis cum magna devotione et aedificatione sanctis Sacramentis, post diuturnam et laboriosam infirmitatem patienter toleratam, migravit e vita die 22 Junii decurrentis anni, 44 aetatis suae anno nondum expleto, 26 post susceptum habitum religionis et 20 sacerdotii, in quibus eluxit eius zelus apostolicus in procuranda salute animarum. (R. I. P.)

ADM. R. P. MICHAEL A MASSAFRA, inter alumnos Obs. Provinciae Lucensis cooptatus anno 1814, perfectis laudabiliter studiis, sacerdotio insignitus fuit. Dein theologiae dogmaticae Lector institutus, scientiae addiscendae discipulisque tradendae indefessus accubuit. Indolem nactus modestam et pacificam, omnibusque carissimus, in capitulo Provinciali anni 1857, praesidente Rmo Bernardino a Montefranco, Ministro Generali, Provinciae Minister renunciatus fuit, suoque munere usque ad annum 1884 in temporibus difficillimis prudenter functus est. Die tandem 9 Augusti nuper elapsi, sacramentis roboratus, placide in DOMINO obdormivit. (R. I. P.)

ERRATA — IN ULTIMO FASC. — CORRIGE

P. 122.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Vincentius *Pomasic'* — R. P. Vincentius *Tomasic'*

Prov. Bononiensis

MIN. PROVINCIALIS

A. R. P. Aloysius *Panna* — A. R. P. Aloysius *a Parma*

R. P. Archangelus a *Vigorano* — . . . . a *Vigarano*

S. M. Grat. in Sardinia

CUSTOS PROV.

A. R. P. Hilarius *Nasu* — A. R. P. Hilarius *Masu*

Nihil obstat.

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM S. C. INDICIS

Feria II die 7 Septembris 1885.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 7 Septembris 1885 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

La Corte e la Società Romana nei secoli XVIII e XIX, per David Silvagni. Volumi tre, I. pagine 582. — II. pagine 770. — III. pagine 730. Roma, Forzani e C., tipografi del Senato, 1883, 1884, 1885.

Mamiani Terenzio: Del Papato nei tre ultimi secoli. Compendio storico-critico. Milano, Fratelli Treves, editori, 1885. Vol. in 16 di pag. XXXIX — 326. (*Opera postuma*).

G. B. Bulgarini. Antonio Stoppani e la Civiltà Cattolica. Genova, Tip. del R. Istituto Sordomuti, 1885, in 16. pag. 85.

Di una nuova accusa mossa da Sua Eminenza Reverendissima il Cardinal Zigliara al sistema filosofico di Antonio Rosmini. Genova, Tip. del R. Istituto Sordomuti, 1885, in 16. pagine 82.

Vera Augusto prof. *Opera omnia quocumcumque idiomate: prohib. Decr. 22 Dec. 1876. Auctor ante mortem laudabiliter se subiecit et eadem reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat; sed locorum Ordinariis aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 7 Septembris 1885.

Fr. Thomas Maria Card. Martinelli
Episc. Sabinen. Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri
Ord. Praed. S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli

Die 12 Septembris 1885 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia *Mag. Curs.*

—

RESCRIPTUM

S. CONG. EPISCOPOR. ET REGULAR.

De bonorum renuntiatione facienda a iuvenibus religiosis ante solemnem professionem.

Beatissime Pater

Fr. Andreas Lupori, Procurator Generalis Ordinis Minorum de Observantia, ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provolutus, exponit varias difficultates atque dubia non pauca oborta fuisse quoad modum disponendi de bonis iuvenibus quomodocumque spectantibus, qui, ad Ordinem recepti, expleto votorum simplicium triennio, professionem solemnem emittere cupiunt. Nam iuxta Ordinis statuta et sacrae Poenitentiariae responsum, sub die 21 Maii 1880 datum, iuvenes ante solemnem professionem bona sua abdicare debent. Jam vero, multi quaerunt quomodo, durante Ordinum religiosorum suppressione, Ordinis statuta nec non sacrae Poenitentiariae dispositiones executioni mandare debeant.

Dubio procul, iuxta Tridentinum, iuvenes, durante anno probationis, bona sua abdicare nequeunt. Solummodo, duobus mensibus ante professionem, ex licentia Episcopi de bonis suis disponere valent. Attamen, si professio locum non habet, huiusmodi dispositio nulla est. Agedum, iuxta legem civilem, nunc vigentem, quae religiosas professiones non agnoscit, omnis actus cessionis, venditionis aut donationis duobus mensibus ante professionem factus, irrevocabilis est contra Tridentini dispositionem. Praeterea leges civiles inhabiles declarant ad venditionem aut donationem minores 21 annorum. Quibus expositis quaeritur:

Utrum permitti possit, ut iuvenis profitendus de suis bonis disponat per actum privatum coram Superiore regulari, de Ordinarii licentia, vel coram ipso Ordinario, postea suo tempore ratificandum in forma a lege praescripta, etiam post professionem solemnem, et in casu minoris aetatis, aetate maiori assecuta?

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis mandavit rescribi prout sequitur: Cum agatur de renuntiatione super illis in quibus ius certum haberi potest, parte nempe haereditatis paternae vel maternae, emissa suo tempore iuxta Concilium Tridentinum renuntiatio ipsa renovetur, quando opus est, quin tamen illa immutari possit. Si vero agatur de renuntiatione eorum quae accidentaliter evenire possunt, in singulis casibus recurrendum ad hanc sacram Congregationem.

Datum Romae ex Secretaria praelaudatae S. Congregationis hac die 16 Septembris 1885.

J. Cardinalis Ferrieri
Praefectus.

† *Fr. Antonius Maria, Archiep. Palmyren.*
Secretarius.

—

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

Oratio

cum Indulgentia tercentum dierum ad S. Joseph, ceu patronum Ecclesiae Catholicae.

Beatissime Pater

Episcopus Salfordien. ad pedes Sanctitatis tuae exosculans provolutus, humili Tibi demissione exponit: Angliae Episcopos in precum Ἐγχειριδίῳ conficiendo adlaborare, ea praesertim seligentes, quas R. Pontifices sacris olim Indulgentiis ditarunt. Iam vero, quum in ea, quae nuper edita fuit, Precum piorumque Operum Collectione, Oratio ad S. Josephum uti Ecclesiae universae Patronum nequaquam reperiatur, idem Episcopus Sanctitatem tuam supplex efflagitat, ut precationem, quam huc subdit, quibusvis recitantibus tercentorum dierum indulgentiam, quae animabus etiam piacularibus flammis addictis per fideles applicari possit, perpetuo concedere dignetur.

ORATIO

ad S. Joseph B. M. V. Sponsum et Ecclesiae Patronum.

« O beate Joseph, quem Deus ad nomen officiaque Patris erga Jesum gerenda praestituit, deditque Mariae semper Virgini purissimum Sponsum, et sacrae in terris Familiae Caput; quem denique Christi Vicarius Ecclesiae universae, ab ipsomet Christo Domino fundatae, Patronum adsertoremque elegit; maxima hic qua possum fiducia, eidem Ecclesiae, quae in terris militat, praepotens auxilium tuum imploro.

Tuere, quaeso, speciali cura, vereque paterno quo flagras amore, Romanum Pontificem,

omnesque Episcopos ac Sacerdotes Sanctae Petri Sedi coniunctos. Esto omnium defensor, qui salvandis animabus inter angores atque huius vitae incommoda laborant, omnesque ut populi Ecclesiae se sponte submittant, efficito, quod est salutis assequendae medium omnino necessarium.

Donationem item mei, quam plene atque integre Tibi exsequor, sanctissime JOSEPH, libens volensque excipito. — Tibi me totum dico, ut semper mihi Pater, Protector, ac dux in via salutis esse velis.

Eximiam cordis munditiem, atque incensum vitae interioris amorem mihi impetra. Fac ut ipse tua vestigia premens, omnes actiones meas ad maiorem DEI gloriam, divini Cordis JESU et immaculati Cordis MARIAE Virginis affectibus coniunctas dirigam.

Demum pro me ora, ut pacis et gaudii sim particeps, quibus ipse sanctissime moriens olim gavisus es. Amen. »

SSmus D. N. LEO Papa XIII, in audientia habita die 18 Julii 1885, ab infrascripto Secretario Sac. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus praefatam orationem, corde saltem contrito ac devote recitantibus, Indulgentiam *tercentum dierum,* defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 18 Julii 1885.

J. B. CARD. FRANZELIN *Praefectus.*

Franciscus della Volpe Secretarius.

—

LAUDES

in Christi Jesu et Mariae Virginis honorem cum indulgentia centum dierum.

BEATISSIME PATER

Romanus Presbyter Petrus Bogarini ad pedes Sanctitatis Tuae eosdem exosculans provolutus, ab Eadem, humili demissione supplex efflagitat, ut aliquam de Ecclesiae thesauro, quam vocant, Indulgentiam omnibus Fidelibus Ἐγκώμια, quae subjicit, recitantibus in laudem CHRISTI JESU et MARIAE Virginis, ut convicia probraque quibus Iidem, blasphemiis praesertim, impetuntur, concedere dignetur.

LAUS CHRISTI JESU.

« Laudetur JESUS DEI Filius — Verus DEUS, verus Homo — Vitae auctor — Sapientia aeterna — Bonitas infinita — DEUS Pacis — Pastor bonus — Pater benevolentissimus — Salvator noster — Spes nostra — Amor noster — Vita nostra — Nostrum principium — et Finis noster. »

(Quibus singulis respondetur: « Laus aeterna JESU »).

LAUS MARIAE VIRGINIS.

« Laudetur MARIA aeterni PATRIS Filia — VERBI Incarnati Mater — Sponsa Divini SPIRITUS — Mundo redimendo coadiutrix — Regina immaculata — Gratia plena — Refugium peccatorum — Mater clementissima — Miserorum solatrix — afflictorum salus — Stella rebus in arctis propitia — Tutus viatorum portus — Solatium nostrum in vita — Spes nostra in morte. »

(Quibus singulis respondetur: « Laudetur MARIA semper »).

SSmus D. N. LEO Papa XIII, in audientia habita die 18 Julii 1885, ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui utramque praescriptam laudem, corde saltem contrito ac devote recitaverint, Indulgentiam *centum dierum*, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti *in perpetuum* valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumqne non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 18 Julii 1885.

J. B. CARD. FRANZELIN *Praefectus.*

Franciscus della Volpe Secretarius.

—

URITANA

DUBIA *quoad paramenta induenda a Sacerdote pro lucranda Indulgentia plenaria Altaris privilegiati.*

Cum in Theologia morali auctore Petro Scavini, edit. 11. l. 3. pag. 229 § 283, apud Ernestum Oliva Mediolani bibliog. edita 1869, sic scriptum reperiatur. « Ex responsione

S. Cong. Indulgentiarnm 11 Apr. 1840: Sacerdos debet celebrare in paramentis nigris, diebus non impeditis, ut lucretur Indulgentiam Altaris privilegiati. Hinc quaeritur 1. an niger color sensu exclusivo debeat intelligi, ita ut Indulgentiam Altaris privilegiati non consequatur, qui v. g. ad ministrandam Eucharistiam per modum Sacramenti cum paramentis violaceis Missam de Requiem celebret? 2. Utrum qui hac vel quacumque alia ratione Indulgentiam Altaris privilegiati non lucretur, possit satisfacere applicando aliam Indulgentiam plenariam defunctis, pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat?

S. Congr. Indulgentiarum die 2 Maii 1852 respondit: Ad 1. ut fruatur Altari privilegiato Sacerdos, diebus non impeditis, celebrare debet Missam defunctorum et uti paramentis nigris, vel ex rationabili causa violaceis. Ad 2. Negative.»

Joseph Cancus Ribezzo humillime postulat, ut S. Congregatio Indulgentiarum declarare dignetur: Utrum haec responsio quoad 2. partem sit apocrypha? et quatenus negative, utrum intelligenda sit etiam de Sacerdotibus, qui ad Altare privilegiatum celebrare debuerant et iam celebraverint, sed non cum paramentis nigris a rubrica non impeditis? et quatenus affirmative quomodo ipsa conciliari possit cum decreto eiusdem S. Congregationis Indulgentiarum 22 Februarii 1847 in quo ad quaesitum: Qui (sacerdos) diebus permissis non celebravit in paramentis nigri coloris in Altari privilegiato ad acquirendam Indulgentiam Plenariam ad quid tenetur? responsum fuit: debet lucrari indulgentiam plenariam pro iis defunctis quibus Missae fructum applicuit toties, quoties diebus non impeditis usus non est indumentis nigri coloris.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 24 Julii 1885 proposito dubio respondit: *Responsio est authentica.* In decreto vero diei 22 Februarii 1847 tantummodo Sacerdotibus, pro quibus postulabatur de ratione, qua compensare debebant Indulgentiam Altaris privilegiati ad quam applicandam obligarentur, et quam bona fide errantes, non erant lucrati, concessit S. Congregatio, ut compensatio fieret per applicationem alterius Indulgentiae Plenariae toties quoties illam Altaris privilegiati non fuerant lucrati. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis eadem die 24 Julii 1885.

J. B. Card. Franzelin *Praefectus.*

Josephus M. Can. Coselli Substitutus.

—

NOVUS JUBILAEUS

Emus Card. Vicarius in ephemeride « Osservatore Romano » *diei 4 Oct. 1885 novum hisce litteris Jubilaeum annuntiat indicendum exordiente A. 1886.*

Ex Aedibus Vicariatus
in primis Vesperis SS. Rosarii die 3 Oct. 1885.

SSmus D. N. Leo PP. XIII, insolitis temporum difficultatibus per inclita religiosae pietatis subsidia consulere satagens, decrevit proximo insequente anno extraordinarium Jubilaeum Orbi Catholico concedere et indulgere. Hoc gratiae munus, sub coelestis Reginae patrocinio positum ut bene ac feliciter eveniat, primum Sanctitas Sua in hoc pervigilio denunciavit, quo Ecclesia eidem incipit honorem deferre sub glorioso titulo Sacratissimi Rosarii. Proinde universis Christifidelibus, praesertim vero PP. Praedicatoribus et adscriptis Rosarii Sodalitati, necnon cunctis Seraphici Patris familiis (quum hoc anno simul incidant gloriosae Matris Dei Mariae et S. Francisci Solemnitates) huiusmodi nuntium gratum erit, et efficiet ut digne se praeparent ad uberes fructus ex tam salutari opere opportuno tempore colligendos.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTAURANDA.
(Continuatio)

Communis est Sanctorum et Theologorum sententia, quae etiam experientia ipsa firmatur, longe difficilius esse, Religionem relaxatam ad exactam suae Regulae observantiam revocare, quam Religionem omnino instituere novam. Haec porro operis arduitas non inde

dumtaxat ortum ducit, quod arcta et angusta via poenitentiae, mortificationis et evangelicae perfectionis appetitionibus sensibusque nostris displiceat; verum etiam, praeter hanc communem difficultatem, quam in nostris passionibus et appetitibus perdomandis experimur, alia forsitan non minor occurrit, quae in evellendis sita est erroneis praeiudiciis contra ipsam restaurationem seu reformationem conceptis et Religiosorum remisse viventium mentibus infixis. Quaedam eiusmodi praeiudicia contra regularis disciplinae restaurationem nunc recensere et refutare intendimus.

Religiosi deformate viventes collapsae disciplinae restaurationem minime considerant tamquam medium apprime necessarium ad salutem consequendam, sed veluti quiddam supererogationis vel maioris perfectionis per summam ignorantiam non pauci eam sibi effingunt. Adeo austera vivendi methodus, aiunt, in nostra Provincia non est admissa, vel impossibilis censetur. Quid ergo iugum, quod neque nos neque Patres nostri portaverunt, imponi nobis contenditur? — Ast, quis audeat dicere, vota, quae Deo spopondimus, et Regulae nostrae praecepta, non esse servanda? Quis inficias ibit, amplectenda esse media, quae de omnium consensu ad perfectionem adipiscendam requiruntur? An in via salutis ambulare censendi sint Fratres ibi, ubi paupertatis votum violatur, ubi otium viget, ubi dissolutio in choro, et circa altaria irreverentia, ubi pretiosis et delicatis vestibus induuntur Fratres, et calceamentis absque necessitate utuntur, ubi in proximi utilitatem quasi nihil conferunt, nisi sub spe commodi terreni aut turpis lucri? De hac nunc reformatione sermo est, quae eo spectat, ut proprietatis crimen, et peculia voto paupertatis repugnantia aboleantur, ut votorum et Regulae observantia instauretur, ut studium orationis et litterarum restituatur, et Constitutionum Ordinis observantia introducatur. Sciant porro omnes, et firmiter teneant, Regulares huiusmodi reformationi, quam legitimi Superiores imperant, resistentes peccare et in malo conscientiae statu versari; sciant, hanc assertionem omnium Theologorum auctoritate, nemine discrepante, comprobari. Cum autem vota et Regulae praecepta observari impossibile sit, nisi pariter Statuta observentur, patet, in malo statu versari illos Religiosos, qui illas saltem Constitutiones passim negligunt, quae ad observantiam votorum proxime conducunt aut ad perfectionem status necessariae consentur, uti sunt statuta de oratione mentali, de fuga otii, de vitandis excursibus inutilibus, de reverentia in choro, et similibus.

Aliud praeiudicium contra disciplinae restaurationem inde oritur, quod Religiosi deformate viventes putent, exactam Regulae observantiam patriae moribus aut climati regionis non convenire. Verum, quam inanis sit talis praetextus, vel ex eo constat, quod olim in iisdem regionibus Regula in omni sua puritate fuerit observata. Quod autem horum regnorum incolae Regulae nostrae contrarii non sint, eiusque observantiam etiam nunc non solum tolerarent, sed maximo etiam in pretio haberent: ex factis facillime ostendi posset. Prudentia autem suadet, ut ab afferendis eiusmodi probationibus abstineamus.

Tertium praeiudicium ex animo adverso in disciplinae restaurationem ipsosque reformatores ortum ducit. Siquidem collapsae disciplinae Religiosi, quamvis reformationem absolute improbare non audeant, tamen quoties executioni demandandam eam praesentiunt, tetris coloribus eam depingunt et despiciendam rejiciunt. Hanc contra sanam restaurationem animi aversionem tum propria perversitas tum diaboli invidia operantur ac nutriunt, nulla autem valida ratio suadet. Enimvero nonne fere omnes reformatores aut inter Coelites adscripti coluntur, aut in cuiusvis Ordinis chronicis eorum acta imitanda proponuntur? Nonne disciplina Ordinis ad Regulae suae praescriptum vere reformati aedificationis, charitatis et sanctitatis radios undiqueversum emittit? An non facilius est, in meridiana luce caecutire, quam haec omnia ignorare? Verum tantum praeiudicatae opiniones operantur, tantaque caligine mentem obducunt, ut veritatem in cuiusque oculos sese ingerentem videre non permittant.

Non desunt etiam disciplinae restaurandae detrectatores, qui eiusmodi reformationem *novitatem* vocant, et ipsos reformatores tamquam homines depinguut, qui zelo, non secundum scientiam, et ambitionis aestu perciti omnia

sus deque miscent. Nihil hoc sophismate frequentius, cum de reformatione sermo occurrit; sed etiam nihil imbecillius objici potest. Siquidem si novitas omnis explodenda foret, nullum amplius Decretum, nulla lex fieri posset. Restauratio seu reformatio, de qua nunc sermo est, nihil aliud est, quam restitutio collapsae disciplinae regularis ad pristinam formam, quam Regula praescribit, seu, ut clarius loquamur, reformare Regulares est, eos reducere ad observanda vota et Regulas, quarum exsecutionem Deo solemni ritu promiserunt. Haeccene *novitas* appellanda? Estne *novitas*, datae fidei violatores ad promissa et pacta servanda si adigantur? Estne *novitas*, a via veritatis aberrantes in semitas virtutis si revocentur? Estne *novitas* peccatorum sanctificatio, infidelium conversio? Restaurationi disciplinae adversantes interrogamus, an pecunias abjicere, an ieiunia servare, an Regulam observare, an modeste incedere, an silentium et solitudinem colere quidpiam novitatis redoleat, quod Fundatorum Regulis, quod monasticae disciplinae, quod votis illis, quae labia eorum distinxerunt Deo, repugnet adverseturque. Laxitatum abolitionem *novitatem* appellare non possumus.

In qualibet Religione, si unam vel alteram excipias, plures reformationes peractae sunt, incredibili Religiosorum aliorumque Fidelium utilitate et fructu, incredibili autem pariter contradicentium moerore et displicentia.

Ex quibus colligere licet, quam verum sit, quod docet S. Theresia, videlicet, non minus fere alienos esse quosdam Religiosos a disciplinae restauratione, quam sint aversi a catholicis haeretici. Facilius peccatores ad poenitentiam reducuntur, quam Religiosi ad reformationem, sicut asserit S. Bernardus (1). Et S. Augustinus testatur, se peiores expertum non esse, quam qui in monasteriis relaxate vivunt. « Simpliciter fateor charitati vestrae, « coram Domino Deo nostro, qui testis est « super animam meam: ex quo Deo servire « coepi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerunt, « ita non sum expertus peiores, quam qui in « monasteriis ceciderunt ». (2)

Cardinalis Bellarminus in libro *de gemitu columbae* asserit, Regulares similes esse ficubus Jeremiae, inter quas, quae bonae erant, erant valde bonae, et quae malae, malae valde.

(1) Epist. 96.
(2) Epist. 137.

Joannes Nyder in suo opusculo *de reformatione* scribit: « In deformato monasterio « omnia reperies, per quae Religionis forma « corrumpitur. Quia ibi Praelatus negligens, « discipulus inobediens, iuvenis otiosus, senex « obstinatus, monachus curialis, Religiosus « causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dis« solutio in choro, et circa altaria irreveren« tia. Si vero aliquis formam Religionis an« tiquae inter perversos renovare gestiat per « bonorum operum exercitia, vix credi potest, « quanta talis sustinere habet opprobria a ma« levolis ».

Praeiudicia, de quibus nunc locuti sumus, praecipuae causae sunt, ob quas in nonnullis monasteriis, in quibus religiosa disciplina collapsa est, observantia regularis non restauratur. Hisce causis autem alia adhuc adnumerari debet, scilicet inopia virorum, qui ad tantum opus aggrediendum sapientia, zelo, fortitudine, dexteritate praediti sunt. Si enim ad sacros Ordines instituendos peculiaribus et maximis gratiarum donis Deus sanctos Fundatores ornavit: quibus auxiliis, qua prudentia, quo zelo, qua charitate, qua denique virtutum copia instructus sit opportet, qui arduum reformationis opus tentare atque perficere anhelat? Nemo profecto huic operi, ipsa Religionis fundatione quodammodo difficiliori, validam efficacemque manum admovere potest, nisi qui zelo solius Dei gloriae fervet, et qui prudentia et dexteritate plurimum valet. Qua de causa Deum suppliciter rogemus, ut multos viros sancto zelo replere ac necessariis dotibus ditare dignetur ad tam sanctum opus fortiter inchoandum, et prudenter feliciterque perficiendum. *(Continuabitur)*

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1885 celebrata.
(Continuatio)

XXXIV.

Collegium S. Josephi Civitatis Taratae in Bolivia.

Die 6 Julii in Collegio Missionum S. Josephi Civitatis *Taratae* in Bolivia, praesi-

dente A. R. P. ALEXANDRO MARIA CORRADO, Commissario Generali pro Collegiis Bolivianis, rite celebratum est Guardianale Capitulum, in quo electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII

R. P. Paschalis Bianchi.

PRAEFECTUS MISSIONUM

R. P. Josephus Gianelli.

DISCRETI COLLEGII

A. R. P. Hugolinus Gorleri.
R. P. Carolus Matianda.
R. P. Cyrillus Paone.
R. P. Ludovicus Panizzi.

—

XXXV.

Ref. Provincia Longobardica.

In Conventu S. Petri Retiati die 17 Septembris, praeside A. R. P. CANUTO a Plebe S. Stephani, Comm. Visit., rite celebratum fuit Capitulum ac electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Ignatius a Romano.

CUSTOS VOCALIS

A. R. P. Cyprianus a Meleti.

DEFINITORES

A. R. P. Archangelus a Mediolano.
R. P. Constantinus a Vallecamunia.
R. P. Seraphinus a Modoetia.
R. P. Alexander a Martinengo.

—

XXXVI.

Ref. Provincia Bononiensis.

Die 17 Septembris rite celebratum fuit Provinciale Capitulum in Conventu S. Pauli in Monte prope Bononiam, sub praesidentia Adm. R. P. VICTORINI A FUSIGNANO, Definitoris Glis, et Comm. Visit., in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Petrus Damianus a S. Archangelo.

CUSTOS VOCALIS

A. R. P. Cyprianus a Cattaranea.

DEFINITORES PROVINCIAE

A. R. P. Ferdinandus a Bronio.
» » *Desiderius a Bononia.*
» » *Aloysius a Placentia.*
» » *Raphael Angelus a Faventia.*

—

QUAESTIO SIVE TRACTATUS

Super Regulam S. Francisci ad litteram celeberrimi atque religiosi viri GILBERTI NICOLAI, *Sacrae Paginae Doctoris, Fratrum Minorum de Observantia Cismontanorum Vicarii Generalis.*

PROŒMIUM

Quum de confirmatione immemorabilis cultus exhibiti GILBERTO NICOLAI, postea Gabrieli Mariae vocato, Beato nuncupato, modo agatur, operae pretium duximus et Confratribus nostris proficuum, si in lucem iterum protulerimus brevem Tractatum cui titulus: *Quaestio super Regulam S. Francisci ad litteram.* Cura studiosi cuiusdam Patris, cui grates rependimus, huius opusculi vetustissimum exemplar apud Monacensem bibliopolam inventum est. Volumini sublatus est annus editionis, sed certe ante annum 1517, vivente adhuc auctore, publicata fuit haec *Quaestio,* quum hoc ipso anno non amplius Vicarius Generalis P. Gilbertus, uti vocatur in titulo, sed Commissarius Generalis electus est.

Praesens Tractatus singulari eminet devotione erga Beatam Virginem MARIAM. Exaratus fuit a Servo DEI, uti apparet ex duabus epistolis in capite descriptis, instante P. Daniele Agricola, Lectore Conventus Basileiensis, qui et ipse opusculum typis evulgari curavit. Ex Ordinis Chronologis didicimus idem opusculum anno 1626 denuo editum fuisse a Nicolao Orano cum hoc titulo: *Tractatus in Regulam S. Francisci ad litteram*; sed moderniorem hanc editionem reperire nequivimus.

Alii exstant eiusdem B. Gabrielis Mariae Tractatus, uti conjicere licet ex ipsamet divisione *Quaestionis super Regulam,* ubi sic scribit: « In hac quaestione *more consueto* tres ponam articulos, etc. » Unde videtur quod illi mos fuerit tractatus suos in tres dividere partes. Revera a P. Arthuro Monasteriensi citatur opusculum: *De decem plagis paupertatis franciscanae,* et in fine *Quaestionis super Regulam,* Beatus ipse ad Tractatum suum: *Lucerna* MARIAE, expresse alludit.

Praeterea adest *Regula decem Virtutum B.* MARIAE *Virginis,* quam Beatus descripsit, exorante B. Joanna Valesia, Monialium Annuntiationis fundatrice, necnon eiusdem Or-

dinis Constitutiones ac Caeremoniale. Ideo Beatum Gabrielem Mariam praedictae Moniales tamquam Parentem et co-fundatorem venerantes, eiusdem cultum usque ad hodiernam diem in suis Monasteriis filiali devotione ac pietate servarunt. (1)

Ad legentium aedificationem, compendium vitae B. Gabrielis Mariae, ex *Martyrologio franciscano*, auctore P. Arthuro a Monasterio excerptum, subiungimus.

« Beatus Gabriel Maria (antea Nicolaus Gilberti) (2) in Arvernia natus anno 1463, Rupellae postea Minor evasit. Sed quum Guardianatus officio fungeretur apud Ambasiam et praeclaris virtutibus fulgeret, delectus est Confessarius serenissimae Reginae Beatae Joannae, uxoris Ludovici XII, regis Franciae. At eo matrimonio auctoritate apostolica dissoluto, ipsa beata Regina pietati ac religioni omnino intenta, decrevit apud Bituricas Monasterium extruere illudque sufficienti proventu dotare, adhibito consilio ipsius Beati Gilberti Nicolai, qui iuxta eius petitionem, Regulam futurae Religionis, Annuntiationis scilicet Beatae Mariae, seu decem Beneplacitorum aut virtutum eiusdem Deiparae feliciter composuit et Romam adiens, approbationem obtinuit ab Alexandro VI Papa, sibique proprium nomen a Summo Pontifice inditum acquisivit et deinceps *Gabriel Maria* nuncupatus est. In Galliam reversus praesens fuit cum hac ipsa B. Joanna Regina huiusce novi Instituti professionem solemni ritu emisit anno 1502.

Licet autem vir esset magnae eruditionis et in theologia tam morali quam scholastica consummatus, tamen ob eius summam humilitatem noluit ad gradum Doctoratus promoveri. Saepe etiam episcopatus honorem recusavit. Postea vero Rapistani electus est Vicarius Generalis universae Familiae cismontanae Observantium anno 1511, quam tribus annis gubernavit. Rursusque idem munus assumptus Rothomagi anno 1516, quod fideliter exercuit usque ad unionem generalem totius Ordinis Seraphici factam Romae anno 1517 sub Leone X Papa. et tunc Commissarius Generalis primus creatus est pro hac Familia Cismontana, cum Minister Generalis esset electus ex alia Ultramontana.

Hac nova fretus auctoritate et assensu Generalis Ministri, perrexit in Hispaniam, ubi habita Generali Congregatione Toleti anno 1519, Custodiam Extremadurae, sive Sancti Evangelii, Patrum Discalceatorum, erexit in Provinciam sub nomine sancti Archangeli Gabrielis.

Tandem post celebria in Ordine acta ad Dei laudem, Ecclesiae et Ordinis aedificationem, post Conventuum in partibus diversis constructionem et nostri Ordinis propagationem, plenus dierum, bonorum operum, Ruthenae in pace quievit anno 1532 ». (1)

Waddingus, Ordinis nostri clarissimus annalista, de eius morte haec addit:

« Obiit hoc anno sanctissime Gabriel Maria, sive ab *Ave Maria*, cujus nomenclaturae causam superius assignavimus, cum prius vocaretur Gilbertus Nicolai...... Saepe illius mihi incidit commemoratio, et quibus functus sit muneribus in Ordine operamque praestiterit Joannae Valesiae, Gallorum Reginae, in fundanda Annuntiatarum Religione suis locis enarravi. Postquam multa praeclare gessit in Ordine, et Ministros Generales circa regimen et pacem Provinciarum Gallicarum, auctoritate qua

(1) Waddingus in opere suo: *Scriptores Ordinis Minorum*, sequentia enumerat B. Gabrielis Mariae volumina:

1. *Regula Ordinis Annunciatarum*, Lovanii 1614 et alibi.
2. *Declaratio super eamdem Regulam*, Antuerpiae 1617.
3. *Statuta Generalia pro eodem Ordine*, (Ibidem).
4. *Testamentum*, quod morti proximus scripsit huius Instituti Sororibus: Tolosae 1627.
5. *Tractatus de triplici devotione B. Joannae Valesiae*, (ad SS. Eucharistiae Sacramentum, ad quinque plagas Christi, ad decem evangelicas virtutes Deiparae Virginis), Norimbergae, 1513.
6. *Tractatus de decem plagis paupertatis*, ab aliquibus dictus *Pastor Bonus*. Limburgi 1626.
7. *Quaestio super Regulam* S. Francisci ad litteram.
8. *Decem sermones morales* super decem virtutes evangelicas divae Virginis. (Ms.)
9. Documenta varia praestantissima ad Sororum *Annunciatarum instructionem*. (Ms.)
10. *Tractatus de tribus coronis*, vel de tribus Ordinibus Virginis Mariae, Antuerpiae 1645.

(2) Erronee P. Arthurus, post Gonzagam, vocat B. Gabrielem *Nicolaum Gilberti*, quum e contra *Gilbertus Nicolai* appellaretur, ut clare apparet ex titulo opusculi quod denuo in lucem proferimus. Deinceps a Pontifice Leone X Gabriel Maria cognominatus est.

(1) Martyrologium franciscanum, die 27 Augusti.

pollebat apud principes, prudenti iuvit consilio; postquam etiam aliquot refutavit Episcopatus, et multa condidit monasteria Annuntiatarum, quarum scapulare rubrum sub habitu perpetuo gestabat; post multos etiam pios editos libros, vitae austeritate et laboribus fractus, praenuntiato sui obitus die, canticum Deiparae recitans, VI Kalendas Septembris placide expiravit Ruthenae in Annuntiatarum monasterio. Hoc ipso anno, non praecedenti, uti quidam autumant, eum vitam terminasse, mihi manifeste constat ex Regesto Pauli Parmensis Ministri Generalis, in quo passim habetur Gabrielis mentio, et litterae ad eum scriptae usque ad mensem Augusti, et ex vita eiusdem per Nicolaum Gazaeum, Annuntiatarum Bethuniae Praefectum, conscripta.

Beneficiorum a tanto viro receptorum memoriam Annuntiatae virgines hoc elogio quotannis, ipso migrationis die, concelebrant:

« Obiit Reverendissimus Pater, quondam « Commissarius Cismontanae familiae, mi- « randis virtutibus ornatus, Frater Gabriel « Maria, qui pro suis ingenuis naturae doti- « bus et meritis semper apud heroes Imperii « et regii sanguinis fuit apprime existimatus, « praesertim ob summam ad DEI Genitricem « devotionem. Hic fuit sacratissimi Ordinis « decem beneplacitorum Virginis MARIAE le- « gislator primus, corrector sincerus, amator « et protector praecipuus, qui post celebria « in Ordine acta ad DEI laudem, Ecclesiae « et Ordinis aedificationem, post Conventuum « in partibus diversis constructionem et Or- « dinis propagationem, ipse plenus bonis die- « bus, vocante DEO, Ruthenae in pace quievit, « anno DOMINI MDXXXII, die XXVII Au- « gusti ». (1)

Faxit DEUS ut tanti viri virtutes, zelus observandae Regulae, ac pietas erga immaculatam Deiparam, Ordinis nostri Patronam, multos aetate nostra aemulos et imitatores inveniat!

(1) *Annales Minorum* Tom. XVI, anno 1532, n. XXVIII et XXIX.

—

QUAESTIO

SUPER REGULAM SANCTI FRANCISCI AD LITTERAM

—

MARIA

—

FRATER GILBERTUS NICOLAI
sacrae theologiae Professor
Fratrum Minorum de Observantia Cismontanorum
servus et generalis Vicarius
Dilecto sibi in CHRISTO *et* MARIA
Fratri DANIELI AGRICOLAE,
Lectori conventus nostri Basiliensis
Salutem in VIRGINIS FILIO
ac bonis perfrui sempiternis.

Desiderio desideras, amantissime Frater, ut quid ego sentiam secundum conscientiam et veritatem quid sit Regula Minorum ad litteram, describam, et ut facere id velim instanter et rogas et obsecras, per Beatae MARIAE Virginis viscera sanctissima, quae portarunt aeterni PATRIS FILIUM. Ecce confisus in illa Virgine, cui me meaque suppono, feci quod petebas. Et in nomine Virginis MARIAE offero quae per illam obsecrabas. Si autem tua discretio viderit tibi oblata aliis esse offerenda, publicanda impressorique danda, ut ita fiat oro.

MARIA

—

REVERENDISSIMO PATRI
FRATRI GILBERTO NICOLAI
sacrarum Litterarum Professori eximio
omniumque Fratrum Minorum de Observantia
Cismontanorum Vicario Generali emeritissimo,
Frater Daniel Agricola
subiectionem in CHRISTO *humilem*
et in MARIA *salutem sempiternam.*

Desiderio meo, Reverendissime Pater, non sum fraudatus, eo quod virum desideriorum Danielem ex Agiographia repereras nomen sibi vindicasse. Nesciebam profecto quondam, (licet multarum disciplinarum fecissem discursum), quid verborum repetitio e coelo seraphico Patri nostro Francisco allata, Regulam ad litteram, ad litteram, ad litteram praetendisset, nisi opera tua humiliter et paterne adeo edoctus ut modenne cuilibet petenti satisfacere potissim. Fa-

teor profecto agricultura mea (esto Agricola sim) non tam laetas protulisset segetes, nisi per MARIAM a me coniuratus uberes excolueras fructus multorum famelica reficientes praecordia. Quos si non arte multiplicavero calcographica, sceleris reum et invidum qui non me incusetur erit nemo. Propterea *Quaestionem de Regula ad litteram* mihi et omnibus scire volentibus copiosissime absolutam litteris in multa excudatur volumina et utiliter et probe mihi visum est. Quamobrem uti visum est fiat, operam dabo. Tuae denique Reverendae Paternitati grates de magistrali informatione humilique condescentia, fons misericordiae Beata MARIA refundet immortales. Quae et tuam praestantiam in nestorios annos semper valere iubeat.

—

REGULA FRATRUM MINORUM

Incipit quaestio quotlibetica super Regula divi Francisci, ad litteram, ad litteram, ad litteram.

A multis quaeritur: qui sunt veri observatores Regulae sancti Francisci *ad litteram, ad litteram, ad litteram.* Sunt enim inter Fratres-Minores qui se nominant *de obedientia;* alii vero *de Regula;* nonnulli nominantur *de Evangelio*, et *Regula ad litteram;* alii vocantur *de Bulla* vel *Observantia* sive *Familia;* alii vero de *Bursa* vel *Manica larga.* Et quum haec quaestio ab amico meo et Fratre charissimo proposita est, dicam quid de ea sentiam secundum veritatem et conscientiam. Nam licet omnes praedicti Fratres et amici, omnibus tamen existentibus amicis plus amica est mihi veritas, et cum veritate illa Virgo de qua veritas orta est. Unde in hac quaestione more consueto tres ponam articulos, iuxta tres syllabas huius sacratissimi nominis MARIA declarandas, quatenus Virgo illa sacratissima semper in nostra sit memoria et reluceat in omni quaestione et operatione nostra. Nam pro Virginis gloria intendo et scribere et facere omnia. Ergo meis, Virgo, aspira votis.

Primus articulus iuxta primam syllabam sacratissimi nominis MARIA, scilicet MA erit *Manifestativus* Regulae, ponendo Bullam Honorii, de qua omnes FRATRES MINORES velint nolint nominantur.

Secundus articulus iuxta secundam syllabam nominis MARIA, scilicet RI, dicitur *Rimativus,* diffinitive et divisive declarando terminos et inde maximam responsivam subnectendo.

Tertius articulus, iuxta tertiam syllabam nominis MARIA, scilicet A, dicitur *Argumentativus,* varie arguendo et dubia movendo eaque solvendo.

PRIMUS ARTICULUS

Primus articulus, iuxta primam syllabam sacratissimi nominis MARIA, scilicet MA, dicitur manifestativus Regulae, ponendo Bullam Honorii.

(Sequitur textus *Regulae Fratrum Minorum ab Honorio III confirmatae,* quam, *brevitatis gratia,* non hic inserimus, quum ab omnibus teneatur.)

ARTICULUS SECUNDUS

Secundus articulus, iuxta secundam syllabam nominis MARIA, scilicet RI, dicitur *Rimativus*, diffinitive et divisive declarando terminos et inde maximam responsivam subnectendo.

Notandum quod triplex est modus sciendi aliquam rem et veritatem. Ego autem desidero quod omnibus modis sciant Fratres Minores Regulam suam secundum veritatem *ad litteram, ad litteram, ad litteram.* Ut autem cum intelligentia iuvetur memoria lectoris, dividatur iste quaestionis articulus, per *radios* et ultimus per *clypeos.* Nam quum in isto ostenditur veritas quaestionis, merito quum de MARIA sit veritas orta, sicut radius de stella, debet fieri per radios divisio, ut in isto articulo reluceat VIRGO. Et quum in ultimo Articulo impugnatur veritas, merito dividetur per clypeos, quibus defendi veritas debet, in quibus etiam VIRGO in memoria habebitur, quia de VIRGINE scriptum est: *Mille clypei pendent ex ea* (1).

Primus Radius huius quaestionis,

Duo termini in titulo quaestionis occurrunt pro praesenti articulo manifestandi et declarandi scilicet diffinitive et divisive. Primus est *Regula,* secundus est *littera,* et in horum duorum terminorum notitia pendet fere tota vis quaestionis. Unde quum, teste phi-

(1) Cant 4-4.

losopho, quod nominis sit primitivum doctrinae, attendat lector a principio quaestionis et capiat hos duos terminos; nam postea facile capiet omnia quae quaeruntur, et qui veri observatores Regulae ad litteram sint et dicantur.

Veniamus ergo ad declarationem primi termini, scilicet *Regula*, accipiendo Regulam propriissime. Solet enim accipi variis modis, quas si videre desideras, vide Dominum Joannem Andreae sub rubrica de *Regula*. Ego enim in hac quaestione nihil intendo ponere superfluum nec etiam aliquid relinquere diminutum. Diffinitive autem sic proprie dicta Regula est: *institutio vel doctrina ex consiliis evangelicis praecipue substantialibus accepta et a Sede apostolica approbata*. Pro intellectu huius diffinitionis est notandum quod sicut vere homo non potest esse sine corpore et anima, sic nec Regula proprie dicta sine consiliis evangelicis et approbatione apostolica. Verum omnes Regulae, exclusa approbatione apostolica, sunt solum quaedam litterae exhortatoriae devotionis et monitoriae. Modo illo scripserunt Hieronymus, Augustinus et alii Sancti ad religiosos viros et religiosas virgines et mulieres. Sed Sedes apostolica approbans talia pro Regula facit ex epistola Regulam. Propterea si non esset in Regula doctrina de virtutibus heroicis sive consiliis evangelicis maxime substantialibus, quae vulgo vocantur tria vota substantialia, non posset approbatio apostolica facere quod esset Regula propria dicta (iuxta c. *ad Monasterium, extra, de statu Monachorum.*)

Concludam ergo quod necesse est quod Regula duo necessaria et essentalia includat, scilicet doctrinae evangelicae supererogationem et Sedis apostolicae approbationem, ad quam solam Sedem Apostolicam pertinet Regulas in Ecclesia militante approbare (c. *Religionem, de relig. Io.* li VI. *in Cle,* quaest. *Regulares,* de supplem.) Suntque excommunicati ipso facto omnes inventores novarum Regularum, nisi a Sede Apostolica approbentur, per Extravag. Joann. XXII, quae incipit: *Sancta Romana Ecclesia*, et recitat Panor. in c. fi. *de Relig. do.*

Radius secundus

Advertat tamen hic Frater Minor quod quamvis quaelibet Regula proprie dicta habeat pro materia consilia evangelica, tamen Regula Minorum ultra alias Regulas habet fundationem novam et mirabilem, ut merito de illa dici possit: *Fundamenta eius in montibus sanctis* (I). Volens enim sanctus Franciscus, ductus divino flamine, suam Regulam fundare, eam fundavit supra duos montes sive duas columnas, de quibus habetur pulchra figura II Paral. III-15, Sedis Apostolicae et Ecclesiae catholicae, sicut patet capite primo Regulae, ubi sic dicit: « Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam Domino Papae Honorio » ecce Sedes Apostolica et prima columna; « Et Ecclesiae Romanae » ecce Ecclesia apostolica et secunda columna.

Sed forte dicet aliquis: Unde constat ex Regula quod per Ecclesiam Romanam intelligatur Ecclesia catholica? — Respondeo quod ex ultimo capitulo Regulae, ubi sic dicitur: « Ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae, stabiles in fide catholica » Unde, ut patet intuentibus primum capitulum cum ultimo, sanctus Franciscus pro eadem accipit Ecclesiam romanam, Ecclesiam sanctam, et Ecclesiam catholicam sive universalem.

Radius tertius

Declarato primo termine *Diffinitive* ad litteram, declaremus ipsum *divisive* ad litteram. Unde sciendum, secundum Reverendissimum Patrem Gonzalinum, qui fuit Minister Generalis Ordinis, quod in Regula sunt septem proprietates, scilicet: praecepta, habentia vim praecepti, aequipollentia praeceptis, conditiones, libertates, monitiones, exhortationes. Pro huius divisionis claro intellectu sciendum quod *conditiones* dicuntur respectu illorum qui volunt recipere habitum, scilicet, quod mittantur ad suos Ministros, quod non habeant uxores, ut patet cap. II Regulae.

Libertates dicuntur, quum relinquitur Fratribus proprietas ad faciendum et non faciendum, sicut illud: « qui nolunt non sint adstricti ».

Monitiones dicuntur, ut Fratres caveant a malo.

Exhortationes, ut faciant bonum, iuxta illud: « non contendant verbis, nec alios iudicent, sed sint humiles, etc. ».

(1) Ps. 86-1.

Alia autem tria scilicet, praecepta, habentia vim praecepti et aequipollentia, sunt obligatoria. Ideo dici solet quod in istis consistit mors et vita Fratrum Minorum: mors, quum non observantur; vita, quum observantur. Quia igitur sunt tantae necessitatis, oportet illa tria plenius declarare.

Unde sciendum quod ab antiquo et ab Ordinis initio, Ordo semper tenuit, quod omnes passus Regulae in quibus ponebatur alterum istorum duorum verborum, scilicet: *Praecipio et teneantur,* obligabant ad mortale. Et Patres Ordinis vocabant passus Regulae, in quibus ponebatur verbum *praecipio*, praecepta Regulae; et passus in quibus ponebatur verbum *teneantur,* vocabant habentia vim praecepti. De omnibus autem aliis passibus Regulae in quibus neutrum praedictorum verborum ponebatur, fuit inter Fratres varia opinio et terribilis dissensio. Nam fuerunt in uno extremo qui voluerunt dicere quod omnes passus Regulae obligabant ad mortale. Alii fuerunt in alio extremo, scilicet quod solum illi in quibus ponebatur vel *praecipio* vel *teneantur*. Quare merito pro Fratrum concordia et religionis pace, necessarium fuit quod Sedes apostolica declararet utrum in Regula essent alii passus praeter istos duos et declaravit Sedes Apostolica quod Fratres non ad omnia tenentur, ut dicit prima opinio, nec solum ad illa in quibus ponitur *praecipio* vel *teneantur,* ut dixit secunda opinio, sed etiam quod tenebantur ad *aequipollentia.* Quae ideo dicuntur *aequipollentia* quia a Sede Apostolica declarata sunt *aequipollere* in obligando ad illa quae dicuntur praecepta vel habentia vim praecepti (de quibus in Clem. *Exivi de ver. sig.*). Declaravit enim Clemens V in Capitulo generali Viennae celebrato anno Domini 1312 praedicta aequipollentia, et fuerunt concordati in dicto concilio Fratres Minores inter se tumultuantes; et illorum una pars fuit ibidem vocata Fratrum *spiritualium,* altera vero non habebat hoc vocabulum. Vide in fasciculo temporum et in historiis summorum Pontificum.

Pro securitate tamen Fratrum Minorum et pleno intellectu dictorum, utile est ponere numerum praeceptorum Regulae et habentium vim praecepti et aequipollentium. Unde dico in summa quod verbum *praecipio* non ponitur nisi ter in Regula. Verum est quod semel in Regula hoc verbum *iniungo per obedientiam* ponitur; et iste modus loquendi Beati Francisci videtur habere manum armatam et praeceptivam, ut sit ac si dixisset *praecipio.*

Itaque verbum *praecipio* 1° ponitur cap. IV. « Praecipio ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant ».

2° ponitur cap. X: « Praecipio Fratribus universis ut obediant suis Ministris etc. ».

3° ponitur cap. XI: « Praecipio Fratribus universis ne habeant suspecta consortia etc. ».

4° tenendo ut praedictum est ponitur cap. XII. « Iniungo per obedientiam Ministris ut petant unum etc. ».

Verbum vero *teneantur* ponitur in sex locis:

1° cap. I « Fratres *teneantur* Fratri Francisco, etc. ».

2° ponitur cap. VII « *teneantur* ad eos recurrere etc. ».

3° cap. VIII, « *teneantur* habere unum Generalem Ministrum, etc. ».

4° ponitur eodem cap. scilicet: « *teneantur* firmiter obedire ».

5° ponitur ibidem: « quod *teneantur* insimul convenire ».

6° ponitur in cap. eodem de depositione Generalis Ministri.

Et sic patet quod praecepta et habentia vim praeceptorum sunt *decem.*

Aequipollentia vero praeceptis, sicut patet in dicta Clementina *Exivi*, sunt alia *decem*, scilicet:

De habitu Fratrum Minorum, et hoc tripliciter quoad quantitatem, qualitatem et formam.

Secundum est de victu scilicet et ieiunio.

Tertium de calceamentis.

Quartum de non equitando.

Quintum de providendo necessitatibus infirmorum et Fratribus induendis.

Sextum de serviendo infirmis.

Septimum de divino officio.

Octavum de recursu ad Ministros, quum Regula non potest spiritualiter observari.

Nonum de praedicatoribus instituendis.

Decimum quod nullus praedicet in episcopatu alicuius episcopi contra voluntatem ipsius.

Et hi duo denarii ad quos solum obligantur Fratres, possunt intelligi per illa duo minuta quae obtulit illa sancta vidua in gazophy-

lacium. Ex his omnibus infero quod praesumptuose et nimis temerarie ab aliquibus Fratres iudicantur de mortali in aliis casibus quam supradictis, intelligo quoad obligationem provenientem ex vi professionis ipsorum. Nam certum est quod praeter huiusmodi obligationem ex professione et voto ortam, obligantur aliis duabus obligationibus scilicet, legis divinae et ecclesiasticae, hoc est ad observantiam decem praeceptorum quoad primam, et ad observantiam festorum et ieiuniorum et generaliter omnium Ecclesiae catholicae praeceptorum universalium, quoad secundam.

(*Continuabitur*)

III.
MISSIONES

—

RELATIO
DE MISSIONE TRIPOLITANA
FRATRUM MIN. REF.

(*Continuatio*)

Missio regitur a Praefecto Apostolico, qui in Conventu Tripolitano residet; et a S. Sede praeter omnes facultates formulae IV^{ae} habet etiam potestatem Sacramentum Confirmationis conferendi; nam cum non adsit nec Vicarius nec Delegatus Apostolicus, ipsemet est loci Ordinarius. Inter missionarios nullus indigena, sed omnes sunt Franciscani Strictioris Observantiae, quorum Superior, iuxta litteras S. Congregationis de Propaganda Fide d. d. 18 Augusti 1682, est Parochus ad *nutum amovibilis,* et ipse qua talis diebus festis Missam pro populo applicare solet, quod item facit Parochus Bengasianus.

Nunc temporis in hac Missione sunt 7 Missionarii et 3 fratres laici coadiutores quorum duo professi, et unus tertiarius. Nempe

Tripoli in Conventu cum clausura

P. Angelus M. a S. Agatha, ex Custodia Ss. Recessuum S. Bonaventurae Urbis Praefectus Apostolicus.

P. Carolus a Jovio, ex Ref. Provincia Tusciae, iam Lector S. Theologiae, Miss. Apostolicus.

P. Valentinus a Faltona, ex Ref. Prov. Tusciae, Miss. Ap.

P. Bernardinus ab Aletrio, ex Ref. Prov. Romana, Miss. Ap

Fr. Fortunatus a Rosina, ex Ref. Prov. Tusciae, Architectus.

Fr. Pacificus a Murano, ex Ref. Prov. Veneta, Organaedus, Infirmarius et Coquus.

Fr. Joannes a Riofreddo, Tert. Sacrista.

In Statione Suburbii

P. Raymundus a Septemfratribus, ex Custodia Ss. Recessuum S. Bonav. Urbis.

Bengasi

P. Joseph a Barrafranca. ex Ref. Prov. Vallis Nethi, Pro-praefectus Ap.

P. Carolus ab Abbatia, ex Ref. Prov. Longobardiae, Miss. Ap.

Porro omnes Missionarii et Coadiutores in regulari observantia et vita communi viventes, populo fideli suis moribus aedificationi sunt, ac quisque magno zelo, parique sollicitudine commissum sibi munus exercet. Seminario seu Collegio ad formandos clericos Missio caret; inter indigenas Arabos vocationes ad statum ecclesiasticum minime dantur; ex Catholicis vero nonnulli Societatem Mariae, et Congregationem S. Joseph de Apparitione ingressi sunt. Societatis Mariae fratres, quorum quatuor ludimagistri, et unus coquus, Collegium administrant et scholas pro pueris; Sorores vero S. Joseph de Apparitione adsunt duodecim, quorum 9 scholis pro puellis ac hospitali in civitate Tripoli, 3 vero scholis Bengasianis addictae sunt. Utriusque autem Congregationis membra et vita exemplari, et sedulitate ac diligentia in officiis adimplendis valde commendantur. Omnes vero tam Socii Marianistae quam Sorores Josephinae, Missionis expensis aluntur.

Media sustentationis cultus divini, Missionariorum, scholarum, hospitalis, aliarumque indigentiarum sunt: stipendia Missarum quae a Missionariis celebrantur; eleemosynae piorum Operum Propagationis fidei, et scholarum Orientalium, ac quandoque etiam S. Congregationis de Propaganda fide, nec non subsidia Gubernii gallici huius Missionis Protectoris.

Olim etiam turcicum gubernium dabat quotannis pro hospitali missionis 400 francos; sed inde a biennio huiusmodi subsidium cessavit: ab immemorabili vero, absque libertatis ecclesiasticae detrimento, Missio eximitur ab omnibus vectigalibus pro rebus quae importantur quovis modo Missionariis, cultui, scholis, Collegiis hospitalive necessariis.

Missionis scholae undecim sunt, 8 in Tripoli, scilicet 4 pro pueris et 4 pro puellis, et 3 in Bengasi una pro pueris et duae pro puellis; quarum duae (una pro pueris, et una pro puellis) in Tripoli sunt prorsus gratuitae, et in Bengasianis pauperes gratuito edocentur — Huiusmodi scholae frequentantur a 190 pueris et 261 puellis, Tripolitanae a 160 pueris et 230 puellis, Bengasianae a 30 pueris et 31 puellis.

Tripoli in scholis puerorum sunt quinque Magistri, unus saecularis et quatuor Marianistae, ac traduntur linguae italica et gallica, arithmetica, geographia, historia, calligraphia, graphis. musica vocalis nec non doctrina religionis; in scholis vero puellarum novem magistrae Josephinae easdem docent materias, exceptis graphice et musica vocali, quorum loco sunt opera manuum muliebria et pulsatio cymbali, vulgo *pianoforte* — Bengasi autem puerorum magistri duo, unus saecularis, alter Missionarius, materias easdem docent quae in scholis Tripolitanis traduntur, nisi quod loco linguae gallicae, est arabica, ac omittuntur graphis et musica; puellarum vero magistrae hic etiam sunt tres Josephinae, quae *(pianoforte)* cymbali pulsatione excepta, easdem ac in Tripoli tradunt materias.

Praeter praefatas Missionis scholas adsunt Tripoli etiam Collegium Italicum, et regia schola italica sororum Morulli; sed in primo sunt tantummodo 12 catholici, et in secunda 20; plerique autem huiusmodi italica instituta frequentantes sunt pueri hebraeorum utriusque sexus.

Prout innuimus, Sorores Josephinae Hospitale tenent in Tripoli, quod cuiusvis religionis infirmis inservit, qui gratuito curantur. In Bengasi domus quidem ad Hospitalis usum aedificata est, sed nondum apertum fuit Hospitale, tum quia deest necessaria pecunia, tum quia paucissimi dantur infirmi; ast hic etiam Sorores Josephinae medicamenta omnibus cuiuscumque religionis infirmis gratuito elargiuntur.

In Ecclesia parochiali Tripolitana instituta est Confraternitas Amantium Jesu et Mariae. vulgo *della Via-Crucis*, adest quoque Tertius Ordo S. P. N. Francisci; ac in utraque Parochia Tripolitana et Bengasiana, sive italico sive melitensi dialectis conciones habentur, et Catechismus explicatur. Publica vero fidei praedicatio interdicta est, nec ullatenus permittitur contra mahumetismum loqui; attamen quotannis 150 circiter infidelium infantes baptizantur, et unus alterve puer *mahumetanus* catholicus fit.

Huius Praefecturae *Missionarii ab institutae* missionis initio generatim fidem catholicam propagare conati sunt, pericula, morbos, vitamque ipsam spernentes; sed nondum advenit tempus pro indigenarum mahumetanorum conversione.

Appendicis loco subnectam quod in Archivio Missionis legitur: anno 1711 mense Augusti P. Carolus Maria a Genua, Praefectus Apostolicus, cum socio P. Severino a Salesia *Bornu* ire tentarunt; sed cum via per Fezzan a latronibus infestaretur, Tripolim reversi illuc per viam Ghadames et Gath rursus contendentes cum *Kascenam* pervenissent, sicuti retulerunt nigri Kascenenses, mortiferae aquae potu necati sunt.

Tripoli in Barbaria 19 Julii 1885.

F. Angelus Maria a S. Agatha
Praef. Ap.

VICARIATUS DE CHAN-TONG

Rmus P. Beniaminus Geremia *e Min. Obs. novus Vicarius Apostolicus de* Chan-tong *in Sinis electus haec scribit:*

Zi-Nan-Fou 19 Julii 1885.

Revme Pater

Quamquam saeviente bello Franco-Sinensi nullam sive a Gubernio sive a populis persecutionem passi fuerimus, quibus Meridionales huius Imperii Provinciae subiecerunt, aliud tamen calamitatis genus sustinemus, quod nos vehementer affligit. A quinque enim annis flavum flumen, quod Huanco dicitur, crebris

eluvionibus partem huius Provinciae submergit. Non seritur, non metitur. Sinense gubernium nihil impensarum omisit, ut aggeribus et munimentis profluentem coerceret. At tempore veris huius anni impetus aquarum labores omnes secum diripuit cum maximo incolarum detrimento et exitio. Miserum videre est multas communitates, in quibus plus duobus millibus Christianorum habemus, in omnis rei inopia versari. Nos operam continuo damus, ut periclitanti eidem genti, quantum situm in nobis est, subveniamur. Sed impares sumus tot tantisque levandis necessitatibus. Ad quos igitur decet calamitosas gentes confugere, quam ad pios Europae benefactores? Nos Missionarii haec scribere statuimus ut aliquo adiumento nobis esse valeant, donec DEUS, misericordiae Pater, exoratus tale tantumque infortunium a nobis propulset.

IV. BIBLIOGRAPHIA

1885. SOLILOQUIA seu DOCUMENTA CHRISTIANAE PERFECTIONIS venerabilis ac eximii Patris P. Fr. PAULI A SANCTA MAGDALENA, Angli, Ordinis Seraphici F. F. Minorum, Collegii D. Bonaventurae Anglo-Duacensium olim Guardiani ac Londini an. 1643, 17 Aprilis Martyrio coronati. Editio altera. Ad Claras Aquas *(Quaracchi)* ex typographia Collegii S. Bonaventurae, in 32° (pag. VII-292). (L. 1.)

Auctor huius opusculi pretiosi inter eos venerabiles Martyres Anglos numeratur, quos a S. Sede catalogo sanctorum inscribendos orbis catholicus expectat. Documenta salubria horum *Soliloquiorum* perfecte in sententiis, atque etiam subinde in verbis conveniunt cum doctrina aurei libelli *de Imitatione Christi* eamque ad praxim magis applicant. Propterea huius libri lectionem et meditationem Confratribus nostris enixe commendamus.

INDEX — Editores ad lectorem - Epitome vitae auctoris. - Caput. I. De legis observantia et necessitate vitae bonae. - II. De merito et fructu vitae bonae. - III. De miseriis malae vitae et religionis utilitate. - IV. De comparatione vitae bonae et malae. - V. De vero dolore pro peccatis et poenitentia. - VI. De confidentia poenitentis et remissione peccatorum. - VII. De excitatione fervoris et vera obedientia. - VIII. De desiderio coelestis civitatis et vera beatitudine in coelis. - IX. Oratio pro reconciliatione animae eiusque conversio libera. - X. De regulis perfectae reconciliationis operandae. - XI. Tres regulae proficere cupientium. - XII. De vera poenitentia inchoanda oratio. - XIII. De poenitentia non differenda. - XIV. De perseverantia poenitentis. - XV. Instructio animae conversae. - XVI. De exercitio hominis conversi. - XVII. De vero animae profectu. - XVIII. De statu malo et bono. - XIX. De hominis miseria. - XX. De creatione. - XXI. De redemptione. - XXII. De CHRISTO imitando. - XXIII. Duodecim regulae perfectionis. - XXIV. Duae regulae humilitatis. - XXV. Lex Crucis. - Testamentum Fr. Pauli a S. Magdalena.

1885. CERTAMEN SERAPHICUM PROVINCIAE ANGLIAE PRO SANCTA DEI ECCLESIA, in quo breviter declaratur, quomodo FF. Minores Angli calamo et sanguine pro fide CHRISTI sanctaque eius Ecclesia certarunt, opere et labore R. P. F. Angeli a S. Francisco, Conventus Recollectorum Anglorum Duaci Guardiani, Provinciae suae Custodum Custodis ac S. Theologiae Lectoris primarii, concinnatum. Editio altera. Ad Claras Aquas *(Quaracchi)* ex typographia Collegii S. Bonaventurae. 8° pag. XIX-307. (L. 5.)

Omnibus Confratribus nostris summopere commendamus hunc librum, in quo non solum vita gloriosumque martyrium quinque Fratrum Minorum narratur, qui in odium fidei in Anglia occisi sunt, et quorum nomina, prout speramus, a S. Sede catalogo Sanctorum adscribentur: sed insuper alia multa, quae pietatem religionemque spirant, atque multa, quae historiam Ordinis nostri in Anglia illustrant.

V. NECROLOGIA

A. R. P. PHILIPPUS A MAUROFORTI natus 8 Januarii 1800 seraphicum cucullum induit inter Observantium Provinciae Basilicatae familiam anno 1819 in Conventu Orsolei. Votis emissis, studiis philosophiae ac theologiae vacavit, et sacerdotio initiatus celeber inter suos evasit. In plerisque Basilicatae civitatibus cum laude praedicationis officio functus est. Undecim annis in episcopali Marsicensi Seminario Theologiam docuit, biennio eiusdem Seminarii Rectorem egit, serius autem triennio in Tricaricensi pariter episcopali Seminario S. Theologiae Lector fuit. Iterato Minister Provincialis (1849-1852, et 1859-1862) qua talis Capitulo Generali Aracoelitano an. 1862 interfuit, in quo Definitor Generalis electus est; sed obortis difficultatibus, numquam in Curia resedit. E Coenobio expulsus a gubernio subalpino anno 1866, ac presbyteri saecularis habitum gestare coactus, usque ad mortem qua Religiosum se

gessit, ac tandem anno aetatis 85, ecclesiae sacramentis roboratus pie in DOMINO obiit die 12 Decembris 1884. R. I. P.

R. P. EUSEBIUS A PRATULIS, Terrae Pratularum, die 11 Januarii 1832, ex piis honestisque parentibus ortus, indolem bonam quam sortierat, citissime patefecit. Tenellus enim adhuc Congregationi, quam dicunt S. Antonii Patavini adscriptus, diebus festis, divinas laudes recitantibus adstare, nec non in sero, provolutis genibus, manibus iunctis coram DEO, longo tempore, magnoque affectu, enixe orare visus est.

Anno 1853 inter Minores de Observantia seraphicum habitum induit et tyrocinio expleto votisque solemnibus DEO dicatus in Conventu Aquileno philosophiae ac theologiae operam dedit. Sacerdos tandem factus, difficili dictu quanta vi amoris, quanto compenetratione spiritus, altaris limina quotidie ascendebat: chori et gymnasii muneribus praesto erat.

Inter studiosiores primus, Romam ad studia generalia vocatus, aliquod post tempus, concursum pro philosophia laudabiliter ex obedientia sustinuit, et Lector Generalis ad propria 1860 redivit. Aquilae per quatuor legit annos, cor et mentem, id est pietatem et scientiam, pari ac summo studio colendam spectans, usque dum Gubernii decretum alumnos a Claustri septis expulerit prius, et deinde fratres suppresserit omnes. In conventu Collemadii, prope Aquilam, in pauperum hospitio postea converso, ubi praeses erat, nulla vi nulloque respectu ut habitum dimitteret induci potuit. Tunc sacris confessionibus audiendis ingenti animarum lucro, egentibus sublevandis, familiarum dissidiis componendis, omnigena virtute totum se dedit, omnibus omnia factus tamquam CHRISTI mysteriorum et consolationum distributor. Mirum igitur haud est, si omnes, nemine excepto, eum veneratione prosequebantur et multi quotidie, ut in adversis sublevarentur, adibant.

Provinciae Definitor, anno 1877, per superiorem Generalem Ordinis ad virum pietati et nobilitate conspicuum, Marchionem de Stackpoole in suis peregrinationibus comitandum et theologicis disciplinis familiariter imbuendum destinatus, bis Italiam, Galliam, Helvetiam, Belgium, Hollandiam, Britanniam benefaciendo, animosque sibi deviciendo ex parte peragravit. Et quomodo huc et illuc se gessisset et munus suum perfecisset, supplicationes, pollicitationesque repetitae, quibus praefatus Marchio tertio sibi socium allicientibus litteris exoptabat, ostendunt.

DEUS vero cuius inscrutabilia sunt iudicia aliter disposuerat; quinto enim idus Julii, dum Aquilanum Archiepiscopum alloqueretur, in ipso palatii atrio, repente apoplexiae perculsus ictu, lingua dextroque latere defecit, mentis tamen facultatibus integris manentibus.

Ex tunc, numquam tristis, querulus numquam: sua enim sorte contentus, omnibus hinc illinc adeuntibus subridens, dulcia semper verba, dulcesque aspirationes, quo poterat ore, proferebat. Si miserebaris eius, tibi obloquens, aiebat: Numquam melius fui: dum infirmor potens sum. Si angebaris angustiis, CHRISTUM cruci affixum digito ostendens, congruentibus Patrum testimoniis, quae sponte ex eius ore fluebant, mulciebat animum, praesertim illud S. Leonardi repetens effatum: *Il paradiso del cielo è il godimento; il paradiso della terra è il patimento.* Saepe sinistra manu pectus tundens, gaudium quo fruebatur intus, monstrabat exterius. Omnibus carus, dono consilii quod videbatur a DEO accepisse, optime se dabat omnibus. Nemo abscedebat quin consolatus et amore magno magnaque in eum veneratione esset affectus.

Die 11 Novembris tandem 1884, apoplexia iterum tactus, omnino loquendi perdidit facultatem, totamque vim deglutiendi, ut se alendi gratia, *sonda*, quam Medici dicunt, *exofagea*, ad mensem usque, magno cum angore uti oportuerit. Quanta tunc patientiae! quanta vis virtutis! ipse enim sibi conscius illud martyrii genus laetanter sustinuit, nec anteactae vitae methodum immutavit unquam, orando, legendo, nutibus loquendo.

Meritis tandem onustus, die S. Annae dicato, quam summo studio colebat, ad extrema devenit, inter preces et lacrymas confratrum. Post duas circiter agoniae horas, brachiis cancellatis, in CHRISTUM Crucifixum defixis oculis, suam efflavit animam.

Utinam omnes eum imitarentur! R. I. P.

Nihil obstat.
FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens. resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII.
EPISTOLA ENCYCLICA
DE CIVITATUM CONSTITUTIONE CHRISTIANA

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
CATHOLICI ORBIS UNIVERSIS
GRATIAM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS
LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Immortale Dei miserentis opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in caelis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum. — Revera quacumque Ecclesia vestigium posuit, continuo rerum faciem immutavit, popularesque mores sicut virtutibus antea ignotis, ita et nova urbanitate imbuit: quam quotquot accepere populi, mansuetudine, aequitate, rerum gestarum gloria excelluerunt. — Sed vetus tamen illa est atque antiqua vituperatio, quod Ecclesiam aiunt esse cum rationibus reipublicae dissidentem, nec quicquam posse ad ea vel commoda vel ornamenta conferre, quae suo iure suaque sponte omnis bene constituta civitas appetit. Sub ipsis Ecclesiae primordiis non dissimili opinionis iniquitate agitari christianos, et in odium invidiamque vocari solitos hac etiam de caussa accepimus, quod hostes imperii dicerentur: quo tempore malorum culpam, quibus esset perculsa respublica, vulgo libebat in christianum conferre nomen, cum revera ultor scelerum Deus poenas a sontibus iustas exigeret. Eius atrocitas calumniae non sine caussa ingenium armavit stylumque acuit Augustini; qui praesertim in *Civitate Dei* virtutem christianae sapientiae, qua parte necessitudinem habet cum republica, tanto in lumine collocavit, ut non tam pro christianis sui temporis dixisse caussam, quam de criminibus falsis perpetuum triumphum egisse videatur. — Similium tamen querelarum atque insimulationum funesta libido non quievit, ac permultis sane placuit civilem vivendi disciplinam aliunde petere, quam ex doctrinis, quas Ecclesia catholica probat. Immo postremo hoc tempore *novum,* ut appellant, *ius,* quod inquiunt esse velut quoddam adulti iam saeculi incrementum, progrediente libertate partum, valere ac dominari passim coepit. — Sed quantumvis multa multi periclitati sunt, constat, repertam numquam esse praestantiorem constituendae temperandaeque civitatis ratio-

nem, quam quae ab evangelica doctrina sponte efflorescit. — Maximi igitur momenti atque admodum muneri Nostro apostolico consentaneum esse arbitramur, novas de re publica opiniones cum doctrina christiana conferre: quo modo erroris dubitationisque caussas ereptum iri, emergente veritate, confidimus, ita ut videre quisque facile queat summa illa praecepta vivendi, quae sequi et quibus parere debeat.

Non est magni negotii statuere, qualem sit speciem formamque habitura civitas, gubernante christiana philosophia rem publicam. — Insitum homini natura est, ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitae cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad coniunctionem congregationemque hominum nasceretur cum domesticam, tum etiam civilem, quae suppeditare *vitae sufficientiam perfectam* sola potest. Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, qua regatur: quae, non secus ac societas, a natura propterea que a Deo ipso oriatur auctore. — Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia, quaecumque sunt, necesse est: ita ut quicumque ius imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo. *Non est potestas nisi a Deo* (1). — Ius autem imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum: aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem. Sed in quolibet genere reipublicae omnino principes debent summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibimetipsis in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere. Deus enim, sicut in rebus, quae sunt quaeque cernuntur, caussas genuit secundarias, in quibus perspici aliqua ratione posset natura actioque divina, quaeque ad eum finem, quo haec rerum spectat universitas, conducerent: ita in societate civili voluit esse principatum, quem qui gererent, ii imaginem quamdam divinae in genus humanum potestatis divinaeque providentiae referrent. Debet igitur imperium iustum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei iustissima in homines potestas est et cum paterna bonitate coniuncta: gerendum vero est ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de caussa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur. Neque ullo pacto committendum, unius ut, vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit. Quod si, qui praesunt, delabantur in dominatum iniustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint. *Potentes potenter tormenta patientur* (1). — Ita sane maiestatem imperii reverentia civium honesta et libens comitabitur. Etenim cum semel in animum induxerit, pollere, qui imperant, auctoritate a Deo data, illa quidem officia iusta ac debita esse sentient, dicto audientes esse principibus, eisdemque obsequium ac fidem praestare cum quadam similitudine pietatis, quae liberorum est erga parentes. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (2). — Spernere quippe potestatem legitimam, quavis eam in persona esse constiterit, non magis licet, quam divinae voluntati resistere: cui si qui resistant, in interitum ruunt voluntarium. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (3). Quapropter obedientiam abiicere, et, per vim multitudinis, rem ad seditionem vocare est crimen maiestatis, neque humanae tantum, sed etiam divinae.

Hac ratione constitutam civitatem, perspicuum est, omnino debere plurimis maximisque officiis, quae ipsam iungunt Deo, religione publica satisfacere. — Natura et ratio, quae iubet singulos sancte religioseque Deum

(1) Rom. XIII, 1.

(1) Sap. VI, 7.
(2) Rom. XIII, 1.
(3) Ibid. v. 2.

colere, quod in eius potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate coniuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli: neque minorem, quam singuli, gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus iusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit: eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere, aut asciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat: omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle. — Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen; ponendumque in praecipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere, quod sit eius incolumitati contrarium. Id et civibus debent, quibus praesunt. Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae in caelis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt.

Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit: argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus liquet, eam esse unice veram, quam Iesus Christus et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit.

Nam unigenitus Dei filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* (1) — *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* (2) Igitur sicut Iesus Christus in terras venit ut homines *vitam habeant*, (3) eodem modo Ecclesia propositum habet, tamquam finem, salutem animorum sempiternam ob eamque rem talis est natura sua, ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanae, nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta. *Praedicate Evangelium omni creaturae.* (4)

Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse magistratus assignavit, qui cum potestate praeessent: unumque omnium principem, et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni caelorum commisit. *Tibi dabo claves regni caelorum* (5) — *Pasce agnos... pasce oves*: (6) — *ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* (7) — Haec societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis: atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili: et, quod plurimum interest, societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantis-

(1) Ioan. xx, 21
(2) Matth. xxviii, 20
(3) Ioan. x, 10
(4) Marc. xvi, 15,
(5) Math. xvi. 19.
(6) Ioan. xxi 16-17.
(7) Luc. xxii, 32.

sima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia. — Revera IESUS CHRISTUS Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adiuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur iudicandi puniendique potestate. « *Data est mihi omnis* « *potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete* « *omnes gentes... docentes eos servare omnia* « *quaecumque mandavi vobis* » (1) Et alibi: « *Si non audierit eos, dic Ecclesiae.* (2) » Atque iterum « *In promptu habentes ulcisci* « *omnem inobedientiam.* » (3) Rursus: *durius* « *agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem* ». (4) Itaque dux hominibus esse ad caelestia, non civitas sed Ecclesia debet: eidemque hoc est munus assignatum a DEO ut de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat: ut doceat omnes gentes: ut christiani nominis fines, quoad potest, late proferat; brevi, ut rem christianam libere expediteque iudicio suo administret. — Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui iuris, quae ab assentatrice principum philosophia iamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere numquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Evangelium a principibus Synagogae prohiberentur, constanter respondebant, *obedire opportet Deo magis, quam hominibus.* (5) Eamdem sancti Ecclesiae Patres rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt: romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores vindicare numquam praetermiserunt. — Quin etiam et opinione et re eamdem probarunt ipsi viri principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum agere cum Ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt. — Neque profecto sine singulari providentis DEI consilio factum esse censendum est, ut haec ipsa potestas principatu civili, velut optima libertatis suae tutela muniretur

(1) Math. XXVIII, 18-19-20.
(2) Math. XVIII, 17.
(3) II Cor. X, 6.
(4) II Cor. XIII, 10.
(5) Act. V, 29.

Itaque DEUS humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos eosque sua cuiusque natura caussaque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur , in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usuvenire possit. ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus DEUS, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. *Quae autem sunt a Deo ordinatae sunt* (1). Quod ni ita esset funestarum saepe contentionum concertationumque caussae nascerentur; nec raro sollicitus animi. velut in via ancipiti, haerere homo deberet, anxius quid facto opus esset, contraria iubentibus binis potestatibus, quarum recusare imperium, salvo officio, non potest. Atqui maxime istud repugnat de sapientia cogitare et bonitate DEI, qui vel in rebus physicis, quamquam sunt longe inferioris ordinis, tamen naturales vires caussasque invicem conciliavit moderata ratione et quodam velut concentu mirabili, ita ut nulla earum impediat ceteras, cunctaeque simul illuc, quo mundus spectat, convenienter aptissimeque conspirent. — Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendâque ratione excellentiae et nobilitatis caussarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri caelestia ac sempiterna bona comparare. — Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve DEI pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque

(1) Rom. XIII, 1.

Ecclesiae: cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo. — Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus Ecclesia temporibus maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest.

Eiusmodi est, quam summatim attigimus, civilis hominum societatis christiana temperatio, et haec non temere neque ad libidinem ficta, sed ex maximis ducta verissimisque principiis, quae ipsa naturali ratione confirmantur.

Talis autem conformatio reipublicae nihil habet, quod possit aut minus videri dignum amplitudine principum, aut parum decorum: tantumque abest, ut iura maiestatis imminuat, ut potius stabiliora atque augustiora faciat. Immo, si altius consideretur, habet illa conformatio perfectionem quamdam magnam, qua carent ceteri rerum publicarum modi: ex eâque fructus essent sane excellentes et varii consecuturi, si modo suum partes singulae gradum tenerent, atque illud integre efficerent, cui unaquaeque praeposita est, officium et munus. — Revera in ea, quam ante diximus, constitutione reipublicae, sunt quidem divina atque humana convenienti ordine partita: incolumia civium iura, eademque divinarum, naturalium, humanarumque legum patrocinio defensa: officiorum singulorum cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia. Singuli homines in hoc ad sempiternam illam civitatem dubio laboriosoque curriculo sibi sciunt praesto esse, quos tuto sequantur ad ingrediendum duces, ad perveniendum adiutores: pariterque intelligunt sibi alios esse ad securitatem, ad fortunas, ad commoda cetera, quibus communis haec vita constat, vel parienda vel conservanda datos. — Societas domestica eam, quam par est, firmitudinem adipiscitur ex unius atque individui sanctitate coniugii: iura officiaque inter coniuges sapienti iustitia et aequitate reguntur: debitum conservatur mulieri decus: auctoritas viri ad exemplum est auctoritatis Dei conformata: temperata patria potestas convenienter dignitati uxoris prolisque: denique liberorum tuitioni, commodis, institutioni optime consulitur. In genere rerum politico et civili, leges spectant commune bonum, neque voluntate iudicioque fallaci multitudinis, sed veritate iustitiaque diriguntur: auctoritas principum sanctitudinem quamdam induit humana maiorem, contineturque ne declinet a iustitia, neu modum in imperando transiliat: obedientia civium habet honestatem dignitatemque comitem, quia non est hominis ad hominem servitus, sed obtemperatio voluntati Dei, regnum per homines exercentis. Quo cognito ac persuaso, omnino ad iustitiam pertinere illa intelliguntur, vereri maiestatem principum, subesse constanter et fideliter potestati publicae, nihil seditiose facere, sanctam servare disciplinam civitatis. — Similiter ponitur in officiis caritas mutua, benignitas, liberalitas: non distrahitur in contrarias partes, pugnantibus inter se praeceptis, civis idem et christianus: denique amplissima bona, quibus mortalem quoque hominum vitam christiana religio sua sponte explet, communitati societatique civili omnia quaeruntur: ita ut illud appareat verissime dictum, « pendet a religione, qua Deus « colitur, rei publicae status: multaque inter « hunc et illam cognatio et familiaritas inter« cedit (1). » Eorum vim bonorum mirabiliter, uti solet, persecutus est Augustinus pluribus locis, maxime vero ubi Ecclesiam catholicam appellat iis verbis: « Tu pueriliter pue« ros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout « cuiusque non corporis tantum, sed et animi « aetas est, exerces ac doces. Tu feminas « viris suis non ad explendam libidinem, sed « ad propagandam prolem, et ad rei familiaris « societatem, casta et fideli obedientia subii« cis. Tu viros coniugibus, non ad illuden« dum imbecilliorem sexum, sed sinceri amo« ris legibus praeficis. Tu parentibus filios « libera quadam servitute subiungis, parentes « filiis pia dominatione praeponis... Tu cives « civibus, tu gentes gentibus, et prorsus ho« mines primorum parentum recordatione, non « societate tantum, sed quadam etiam fraterni-

(1) Sacr. Imp. ad Cyrillum Alexand. et Episcopos metrop. — Cfr. Labbeum Collect. Conc. T. III.

« tate coniungis. Doces reges prospicere po« pulis, mones populos se subdere regibus. « Quibus honor debeatur, quibus affectus, « quibus reverentia, quibus timor, quibus con« solatio, quibus admonitio, quibus cohorta« tio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, « quibus supplicium, sedulo doces; ostendens « quemadmodum et non omnibus omnia, et « omnibus caritas, et nulli debeatur iniu« ria » (1). — Idemque alio loco male sapientes reprehendens politicos philosophos: « Qui doctrinam Christi adversam dicunt « esse reipublicae, dent exercitum talem, quales « doctrina Christi esse milites iussit, dent « tales provinciales, tales maritos, tales con« iuges, tales parentes, tales filios, tales do« minos, tales servos, tales reges, tales iudi« ces, tales denique debitorum ipsius fisci « redditores et exactores, quales esse prae« cipit doctrina christiana, et audeant eam « dicere adversam esse reipublicae, immo « vero non dubitent eam confiteri magnam, si « obtemperetur, salutem esse reipublicae » (2).

Fuit aliquando tempus, cum evangelica philosophia gubernaret civitates: quo tempore christianae sapientiae vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicae ordines rationesque penetraverat: cum religio per Iesum Christum instituta in eo, quo aequum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia principum legitimâque magistratuum tutela ubique floreret: cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato coniungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione maiores, quorum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum gestarum consignata monumentis, quae nulla adversariorum arte corrumpi aut obscurari possunt. — Quod Europa christiana barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit: quod Maomethanorum incursiones victrix populsavit: quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque praebere ceteris consuevit; quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est: quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adiutricem. — Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset: maioraque exspectari iure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiae maiore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum. Illud enim perpetuae legis instar habendum est, quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem maximum perscripsit, « cum regnum et sacerdotium inter se conve« niunt, bene regitur mundus, floret et fru« ctificat Ecclesia. Cum vero inter se discor« dant, non tantum parvae res non crescunt, « sed etiam magnae res miserabiliter dila« buntur. » (1).

Sed perniciosa illa ac deploranda rerum novarum studia, quae saeculo XVI excitata sunt, cum primum religionem christianam miscuissent, mox naturali quodam itinere ad philosophiam, a philosophia ad omnes civilis communitatis ordines pervenerunt. Ex hoc velut fonte repetenda illa recentiora effrenatae libertatis capita, nimirum in maximis perturbationibus superiore saeculo excogitata in medioque proposita, perinde ac principia et fundamenta *novi iuris*, quod et fuit antea ignotum, et a iure non solum christiano, sed etiam naturali plus una ex parte discrepat. — Eorum principiorum illud est maximum, omnes homines, quemadmodum genere naturâque similes intelliguntur: ita reapse esse in actione vitae inter se pares, unumquemque ita esse sui iuris, ut nullo modo sit alterius auctoritati obnoxius: cogitare de re qualibet quae velit, agere quod lubeat, libere posse: imperandi aliis ius esse in nemine. His informata disciplinis societate, principatus non est nisi populi voluntas, qui, ut in sui ipsius unice est potestate, ita sibimetipsi solus imperat: deligit autem, quibus se committat, ita tamen ut imperii non tam ius, quam munus in eos transferat, idque suo nomine exercendum. In silentio iacet dominatio divina, non secus ac vel Deus aut nullus esset, aut humani generis societatem nihil curaret; vel homines sive singuli sive sociati nihil Deo deberent, vel principatus cogitari posset ullus,

(1) De moribus Eccl. cath., cap. xxx, n. 63.

(2) Epist. cxxxviii (al. 5.) ad Marcellinum, cap. II. n. 15.

(1) Ep. CCXXXVIII.

cuius non in Deo ipso caussa et vis et auctoritas tota resideat. Quo modo, ut perspicitur. est respublica nihil aliud nisi magistra et gubernatrix sui multitudo: cumque populus omnium iurium omnisque potestatis fontem in se ipse continere dicatur, consequens erit, ut nulla ratione officii obligatam Deo se civitas putet; ut religionem publice profiteatur nullam; nec debeat ex pluribus quae vera sola sit, quaerere, nec unam quamdam ceteris anteponere, nec uni maxime favere, sed singulis generibus aequabilitatem iuris tribuere ad eum finem, dum disciplina reipublicae ne quid ab illis detrimenti capiat. Consentaneum erit, iudicio singulorum permittere omnem de religione quaestionem; licere cuique aut sequi quam ipse malit, aut omnino nullam, si nullam probet. Hinc profecto illa nascuntur; exlex uniuscuiusque conscientiae iudicium; liberrimae de Deo colendo, de non colendo, sententiae; infinita tum cogitandi, tum cogitata publicandi licentia.

His autem positis, quae maxime probantur hoc tempore, fundamentis reipublicae, facile apparet, quem in locum quamque iniquum compellatur Ecclesia. — Nam ubi cum eiusmodi doctrinis actio rerum consentiat, nomini catholico par cum societatibus ab eo alienis vel etiam inferior locus in civitate tribuitur: legum ecclesiasticarum nulla habetur ratio: Ecclesia, quae iussu mandatoque Iesu Christi docere omnes gentes debet, publicam populi institutionem iubetur nihil attingere. — De ipsis rebus, quae sunt mixti iuris, per se statuunt gubernatores rei civilis arbitratu suo, in eoque genere sanctissimas Ecclesiae leges superbe contemnunt. Quare ad iurisdictionem suam trahunt matrimonia christianorum, decernendo etiam de maritali vinculo, de unitate, de stabilitate coniugii: movent possessiones clericorum, quod res suas Ecclesiam tenere posse negant. Ad summam, sic agunt cum Ecclesia, ut societatis perfectae genere et iuribus opinione detractis, plane similem habeant ceterarum communitatum, quas respublica continet; ob eamque rem si quid illa iuris, si quid possidet facultatis ad agendum legitimae, possidere dicitur concessu beneficioque principum civitatis. — Si qua vero in republica suum Ecclesia ius, ipsis civilibus legibus probantibus, teneat, publiceque inter utramque potestatem pactio aliqua facta sit, principio clamant, dissociari Ecclesiae rationes a reipublicae rationibus oportere: idque eo consilio, ut facere contra interpositam fidem impune liceat, omniumque rerum habere, remotis impedimentis, arbitrium. — Id vero cum patienter ferre Ecclesia non possit, neque enim potest officia deserere sanctissima et maxima, omninoque postulet, ut obligata sibi fides integre religioseque solvatur, saepe sacram inter ac civilem potestatem dimicationes nascuntur, quarum ille ferme est exitus, alteram, ut quae minus est opibus humanis valida, alteri ut validiori succumbere.

Ita Ecclesiam, in hoc rerum publicarum statu, qui nunc a plerisque adamatur, mos et voluntas est, aut prorsus de medio pellere, aut vinctam adstrictamque imperio tenere. Quae publice aguntur eo consilio magnam partem aguntur. Leges, administratio civitatum, expers religionis adolescentium institutio, spoliatio excidiumque ordinum religiosorum, eversio principatus civilis Pontificum romanorum, huc spectant omnia, incipere nervos institutorum christianorum, Ecclesiaeque catholicae et libertatem in angustum deducere, et iura cetera comminuere.

Eiusmodi de regenda civitate sententias ipsa naturalis ratio convincit, a veritate dissidere plurimum. — Quidquid enim potestatis usquam est, a Deo tamquam maximo augustissimoque fonte proficisci, ipsa natura testatur. Imperium autem populare, quod, nullo ad Deum respectu, in multitudine inesse natura dicitur, si praeclare ad suppeditandum valet blandimenta et flammas multarum cupiditatum, nulla quidem nititur ratione probabili, neque satis habere virium potest ad securitatem publicam quietamque ordinis constantiam. Revera his doctrinis res inclinavere usque eo, ut haec a pluribus tamquam lex in civili prudentia sanciatur, seditiones posse iure conflari. Valet enim opinio, nihilo principes pluris esse, quam delectos quosdam, qui voluntatem popularem exequantur: ex quo fit, quod necesse est, ut omnia sint pariter cum populi arbitrio mutabilia, et timor aliquis turbarum semper impendeat.

De religione autem putare, nihil inter for-

mas dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare iudicio, nolle usu. Atqui istud ab atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt. Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt, usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, aeque probabiles, aeque bonas, aeque Deo acceptas esse omnes non posse.

Sic illa quidlibet sentiendi litterarumque formis quidlibet exprimendi facultas, omni moderatione posthabita, non quoddam est propria vi sua bonum, quo societas humana iure laetetur: sed multorum malorum fons et origo. — Libertas, ut quae virtus est hominem perficiens, debet in eo quod verum sit, quodque bonum, versari: boni autem verique ratio mutari ad hominis arbitrium non potest, sed manet semper eadem, neque minus est, quam ipsa rerum natura, incommutabilis. Si mens adsentiatur opinionibus falsis, si malum voluntas adsumat et ad id se applicet, perfectionem sui neutra consequitur, sed excidunt dignitate naturali et in corruptelam ambae delabuntur. Quaecumque sunt igitur virtuti veritatique contraria, ea in luce atque in oculis hominum ponere non est aequum: gratia tutelâve legum defendere, multo minus. Sola bene acta vita via est in caelum, quo tendimus universi: ob eamque rem aberrat civitas a regula et praescriptione naturae, si licentiam opinionum praveque factorum in tantum lascivire sinat, ut impune liceat mentes a veritate, animos a virtute deducere. — Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica. magnus et perniciosus est error. Bene morata civitas esse, sublata religione, non potest: iamque plus fortasse. quam oporteret, est cognitum, qualis in se sit et quorsum pertineat illa de vita et moribus philosophia, quam *civilem* nominant. Vera est magistra virtutis et custos morum Ecclesia Christi: ea est, quae incolumia tuetur principia, unde officia ducuntur, propositisque caussis ad honeste vivendum efficacissimis, iubet non solum fugere prave facta, sed regere motus animi rationi contrarios etiam sine effectu. — Ecclesiam vero in suorum officiorum munere potestati civili velle esse subiectam, magna quidem iniuria, magna temeritas est. Hoc facto perturbatur ordo, quia quae naturalia sunt praeponuntur iis, quae sunt supra naturam: tollitur aut certe magnopere minuitur frequentia bonorum, quibus, si nulla re impediretur, communem vitam Ecclesia compleret: praetereaque via ad inimicitias munitur et certamina, quae quantam utrique reipublicae perniciem afferant, nimis saepe eventus demonstravit.

Huiusmodi doctrinas, quae nec humanae rationi probantur, et plurimum habent in civilem disciplinam momenti, *romani Pontifices* decessores Nostri, *cum probe intelligerent* quid a se postularet apostolicum munus, impune abire nequaquam passi sunt. Sic Gregorius XVI per Encyclicas litteras hoc initio *Mirari vos* die XV Augusti anno MDCCCXXXII, magna sententiarum gravitate ea perculit, quae iam praedicabantur, in cultu divino nullum adhibere delectum oportere: integrum singulis esse, quod malint, de religione iudicare: solam cuique suam esse conscientiam iudicem: praeterea edere quae quisque senserit, itemque res moliri novas in civitate licere. De rationibus rei sacrae reique civilis distrahendis sic idem Pontifex: « Neque laetiora et religioni « et principatui ominari possemus ex eorum « votis, qui Ecclesiam a regno separari, mu« tuamque imperii cum sacerdotio concordiam « abrumpi discupiunt. Constat quippe, perti« mesci ab impudentissimae libertatis amato« ribus concordiam illam, quae semper rei et « sacrae et civili fausta extitit et salutaris. » Non absimili modo Pius IX, ut sese opportunitas dedit, ex opinionibus falsis, quae maxime valere coepissent, plures notavit, easdemque postea in unum cogi iussit, ut *scilicet* in tanta errorum colluvione haberent catholici homines, quod sine offensione sequerentur (1).

(1) Earum nonnullas indicare sufficiat.

Prop. XIX — Ecclesia non est vera perfectaque societas plene libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definere quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Prop. XXXIX — Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Ex iis autem Pontificum praescriptis illa omnino intelligi necesse est, ortum publicae potestatis a Deo ipso, non a multitudine repeti oportere: seditionum licentiam cum ratione pugnare: officia religionis nullo loco numerare, vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus: immoderatam sentiendi sensusque palam iactandi potestatem non esse in civium iuribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ulla ratione ponendam. — Similiter intelligi debet, Ecclesiam societatem esse, non minus quam ipsam civitatem, genere et iure perfectam: neque debere, qui summam imperii teneant, committere ut sibi servire aut subesse Ecclesiam cogant, aut minus esse sinant ad suas res agendas liberam, aut quicquam de ceteris iuribus detrahant, quae in ipsam a Iesu Christo collata sunt. — In negotiis autem mixti iuris, maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum caussis proximis congruentem, quae caussae utramque societatem genuerunt.

Haec quidem sunt, quae de constituendis temperandisque civitatibus ab Ecclesia catholica praecipiuntur. — Quibus tamen dictis decretisque si recte diiudicari velit, nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habent, quod doctrinae catholicae repugnet, eaedemque possunt, si sapienter adhibeantur et iuste, in optimo statu tueri civitatem. — Immo neque illud per se reprehenditur, participem plus minus esse populum rei publicae: quod ipsum certis in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitatem, sed etiam ad officium pertinere civium. — Insuper neque caussa iusta nascitur, cur Ecclesiam quisquam criminetur, aut esse in lenitate facilitateque plus aequo restrictam, aut ei, quae germana et legitima sit, libertati inimicam. — Revera si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui, magni alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi caussa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum. — Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest homo nisi volens* (1).

Simili ratione nec potest Ecclesia libertatem probare eam, quae fastidium gignat sanctissimarum Dei legum, debitamque potestati legitimae obedientiam exuat. Est enim licentia verius, quam libertas; rectissimeque ab Augustino *libertas perditionis* (2), a Petro Apostolo *velamen malitiae* (3) appellatur: immo, cum sit praeter rationem, vera servitus est: *qui, enim, facit peccatum, servus est peccati* (4). Contra illa germana est atque expetenda libertas, quae si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus, teterrimis dominis, hominem servire non sinit: si publice, civibus, sapienter praeest, facultatem augendorum commodorum large ministrat: remque publicam ab alieno arbitrio defendit. — Atqui honestam hanc et homine dignam libertatem, Ecclesia probat omnium maxime, eamque ut tueretur in populis firmam atque integram, eniti et contendere numquam destitit. — Revera quae res in civitate plurimum ad communem salutem possunt: quae sunt contra licentiam principum populo male consulentium utiliter institutae; quae summam rempublicam vetant in municipalem, vel domesticam rem importunius invadere: quae valent ad decus, ad personam hominis, ad aequabilitatem iuris in singulis civibus conservandam, earum rerum omnium Ecclesiam catholicam vel inventricem, vel auspicem, vel custodem semper fuisse, superiorum aetatum monumenta testantur. Sibi igitur perpetuo consentiens, si ex altera parte libertatem respuit immodicam, quae et privatis et populis in licentiam vel in servitutem cadit,

Prop. LV — Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est.

Prop. LXXIX. — . . . . falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

(1) Tract. XXVI in Joan., n. 2.
(2) Epist. CV ad Donatistas cap. II, n. 9.
(3) I Petr. II. 16.
(4) Joann. VIII. 34.

ex altera volens et libens amplectitur res meliores, quas dies afferat, si vere prosperitatem contineant huius vitae, quae quoddam est velut stadium ad alteram eamque perpetuo mansuram. — Ergo quod inquiunt, Ecclesiam recentiori civitatum invidere disciplinae, et quaecumque horum temporum ingenium peperit, omnia promiscue repudiare, inanis est et ieiuna calumnia. Insaniam quidem repudiat opinionum: improbat nefaria seditionum studia, illumque nominatim habitum animorum, in quo initia perspiciuntur voluntarii discessus a Deo: sed quia omne, quod verum est, a Deo proficisci necesse est, quidquid, indagando, veri attingatur, agnoscit Ecclesia velut quoddam divinae mentis vestigium. Cumque nihil sit in rerum natura veri, quod doctrinis divinitus traditis fidem abroget, multa quae adrogent, omnisque possit inventio veri ad Deum ipsum vel cognoscendum vel laudandum impellere, idcirco quidquid accedat ad scientiarum fines proferendos, gaudente et libente Ecclesia semper accedet; eademque studiose, ut solet, sicut alias disciplinas, ita illas etiam fovebit ac provehet, quae positae sunt in explicatione naturae. Quibus in studiis, non adversatur Ecclesia si quid mens reperit novi: non repugnat quin plura quaerantur ad decus commoditatemque vitae: immo inertiae desidiaeque inimica, magnopere vult ut hominum ingenia uberes ferant exercitatione et cultura fructus: incitamenta praebet ad omne genus artium atque operum: omniaque harum rerum studia ad honestatem salutemque virtute sua dirigens, impedire nititur, quominus a Deo bonisque caelestibus sua hominem intelligentia atque industria deflectat.

Sed haec, tametsi plena rationis et consilii, minus probatur hoc tempore, cum civitates non modo recusant sese ad christianae sapientiae referre formam, sed etiam videntur quotidie longius ab ea velle discedere. — Nihilominus quia in lucem prolata veritas solet sua sponte late fluere, hominumque mentes sensim pervadere, idcirco Nos conscientia maximi sanctissimique officii, hoc est Apostolica, qua fungimur ad gentes universas, legatione permoti, ea quae vera sunt, libere, ut debemus, eloquimur: non quod non perspectam habeamus rationem temporum, aut repudianda aetatis nostrae honesta atque utilia incrementa putemus, sed quod rerum publicarum tutiora ab offensionibus itinera ac firmiora fundamenta vellemus: idque incolumi populorum germana libertate, in hominibus enim mater et custos optima libertatis veritas est: *veritas liberabit vos* (1).

Itaque in tam difficili rerum cursu, catholici homines, si Nos, ut oportet, audierint, facile videbunt quae sua cuiusque sint tam in *opinionibus*, quam in *factis* officia. — Et in opinando quidem, quaecumque Pontifices romani tradiderint vel tradituri sunt, *singula* necesse est et tenere iudicio *stabili comprehensa*, et palam, quoties res *postulaverit*, *profiteri*. Ac nominatim de iis, quas *libertates* vocant novissimo tempore quaesitas, oportet Apostolicae Sedis stare iudicio, et quod ipsa senserit, idem sentire singulos. Cavendum, ne quem fallat honesta illarum species: cogitandumque quibus passim sustententur atque alantur studiis. Satis iam est experiendo cognitum, quarum illae rerum effectrices sint in civitate: eos quippe passim genuere fructus, quorum probos viros et sapientes iure poeniteat. — Si talis alicubi aut reapse sit, aut fingatur cogitatione civitas quae christianum nomen insectetur proterve et tyrannice, cum eâque conferatur genus id reipublicae recens, de quo loquimur, poterit hoc videri tolerabilius. Principia tamen, quibus nititur, sunt profecto eiusmodi, sicut ante diximus, ut per se ipsa probari nemini debeant.

Potest tamen aut in privatis domesticisque rebus aut in publicis actio versari. — Privatim quidem primum officium est, praeceptis evangelicis diligentissime conformare vitam et mores, nec recusare si quid christiana virtus exigat ad patiendum tolerandumque paulo difficilius. Debent praeterea singuli Ecclesiam sic diligere ut communem matrem: eiusque et servare obedienter leges, et honori servire, et iura salva velle: conarique ut ab iis, in quos quisque aliquid auctoritate potest, pari pietate colatur atque ametur. — Illud etiam publicae salutis interest, ad rerum urbanarum administrationem conferre sapienter operam: in eaque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos mores informandis ea ratione, qua aequum

(1) Joan. VIII, 32.

est christianis, publice consultum sit: quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum. — Item catholicorum hominum ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum. *Generatim* eo dicimus, quia haec praecepta Nostra gentes universas attingunt. Ceterum potest alicubi accidere, ut, maximis iustissimisque de caussis, rempublicam capessere, in muneribusque politicis versari, nequaquam expediat. Sed generatim, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in vitio, quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil operae: eo vel magis quod catholici homines ipsius, quam profitentur, admonitione doctrinae, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas recepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud sane magnam afferant. Idque esset etiam cum pernicie coniunctum christiani nominis: propterea quod plurimum possent qui male essent in Ecclesiam animati; minimum, qui bene. Quamobrem perspicuum est, ad rempublicam adeundi caussam esse iustam catholicis: non enim adeunt, neque adire debent ob eam caussam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum; sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes, sapientiam virtutemque catholicae religionis, tamquam saluberrimum succum ac sanguinem in omnis reipublicae venas inducere. — Haud aliter actum in primis Ecclesiae aetatibus. Mores enim et studia ethnicorum quam longissime a studiis abhorrebant moribusque evangelicis; christianos tamen cernere erat in media superstitione incorruptos semperque sui similes animose, quacumque daretur aditus, inferre sese. Fideles in exemplum principibus, obedientesque, quoad fas esset imperio legum, fundebant mirificum splendorem sanctitatis usquequaque; prodesse studebant fratribus, vocare ceteros ad sapientiam Christi, cedere tamen loco atque emori fortiter parati, si honores, si magistratus, si imperia retinere, incolumi virtute, nequivissent. Qua ratione celeriter instituta christiana non modo in privatas domos, sed in castra, in curiam, in ipsam regiam invexere. « Hesterni « sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, « insulas, castella, municipia, conciliabula, ca« stra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, « forum (1): » ita ut fides christiana, cum Evangelium publice profiteri lege licuit, non in cunis vagiens, sed adulta et iam satis firma in magna civitatum parte apparuerit.

Iamvero his temporibus consentaneum est, haec maiorum exempla renovari. — Catholicos quidem, quotquot digni sunt eo nomine, primum omnium necesse est amantissimos Ecclesiae filios et esse et videri velle: quae res nequeant cum hac laude consistere, eas sine cunctatione respuere: institutis populorum, quantum honeste fieri potest. ad veritatis iustitiaeque patrocinium uti: elaborare, ut constitutum naturae Deique lege modum libertas agendi ne transiliat: dare operam ut ad eam, quam diximus, christianam similitudinem et formam omnis respublica traducatur. — Harum rerum adipiscendarum ratio constitui uno certoque modo haud commode potest, cum debeat singulis locis temporibusque, quae sunt multum inter se disparia, convenire. Nihilominus conservanda in primis est voluntatum concordia, quaerendaque agendorum similitudo. Atque optime utrumque impetrabitur, si praescripta Sedis Apostolicae legem vitae singuli putent, atque Episcopis obtemperent, quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (2). — Defensio quidem catholici nominis necessario postulat ut in profitendis doctrinis, quae ab Ecclesia traduntur, una sit omnium sententia, et summa constantia, et hac ex parte cavendum ne quis opinionibus falsis aut ullo modo conniveat, aut mollius resistat, quam veritas patiatur. De iis quae sunt opinabilia, licebit cum moderatione studioque indagandae veritatis disputare, procul tamen suspicionibus iniuriosis, criminationibusque mutuis. — Quam ad rem ne animorum coniunctio criminandi temeritate dirimatur, sic intelligant universi: integritatem professionis catholicae consistere nequaquam posse cum opinionibus ad *naturalismum vel rationalismum* accedentibus, quarum summa est tollere funditus instituta christiana, hominisque stabilire in societate principatum,

(1) Tertul. Apol. n. 37.
(2) Act. xx, 28.

posthabito Deo. — Pariter non licere aliam officii formam privatim sequi, aliam publice, ita scilicet ut Ecclesiae auctoritas in vita privata observetur, in publica respuatur. Hoc enim esset honesta et turpia coniungere, hominemque secum facere digladiantem, cum contra debeat sibi semper constare, neque ulla in re ullove in genere vitae a virtute christiana deficere. — Verum si quaeratur de rationibus mere politicis, de optimo genere reipublicae, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus, utique de his rebus potest honesta esse dissentio. Quorum igitur cognita ceteroqui pietas est, animusque decreta Sedis Apostolicae obedienter accipere paratus, iis vitio verti dissentaneam de rebus, quas diximus, sententiam iustitia non patitur: multoque est maior iniuria, si in crimen violatae suspectaeve fidei catholicae, quod non semel factum dolemus, adducantur. — Omninoque istud praeceptum teneant qui cogitationes suas solent mandare litteris, maximeque ephemeridum auctores. In hac quidem de rebus maximis contentione nihil est intestinis concertationibus, vel partium studiis relinquendum loci, sed conspirantibus animis studiisque id debent universi contendere, quod est commune omnium propositum, religionem remque publicam conservare. Si quid igitur dissidiorum antea fuit, oportet voluntaria quadam oblivione conterere: si quid temere, si quid iniuria actum, ad quoscumque demum ea culpa pertineat, compensandum est caritate mutua, et praecipuo quodam omnium in Apostolicam Sedem obsequio redimendum. — Hac via duas res praeclarissimas catholici consecuturi sunt, alteram, ut adiutores sese impertiant Ecclesiae in conservanda propagandaque sapientia christiana: alteram ut beneficio maximo afficiant societatem civilem, cuius, malarum doctrinarum cupiditatumque caussa, magnopere periclitatur salus.

Haec quidem, Venerabiles Fratres, habuimus, quae universis catholici orbis gentibus traderemus de civitatum constitutione christiana, officiisque civium singulorum.

Ceterum implorare summis precibus oportet caeleste praesidium, orandusque Deus, ut haec, quae ad ipsius gloriam communemque humani generis salutem cupimus et conamur, optatos ad exitus idem Ipse perducat, cuius est illustrare hominum mentes, permovere voluntates. Divinorum autem beneficiorum auspicem, et paternae benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque universo vestrae fidei vigilantiaeque commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 Nov. an. MDCCCLXXXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

LEO PP. XIII.

II.
ACTA ORDINIS

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1885 celebrata.

—

XXXVII.

Obs. Provincia Galiciae Immaculatae Conceptionis B. M. V.

Die 15 Septembris in Conventu Leopolitano, praesidente A. R. P. Eusebio Fermendzin, Definitore Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Lucas Dankiewicz.

Custos Provinciae

R. P. Marcellus Korzeniowski.

Definitores Provinciae

A. R. P. Iustinus Szaflarzki, Ex-Min.
R. P. Elzearius Widzisz.
R. P. Polycarpus Rapacz.
R. P. Eusebius Sraga.

—

XXXVIII.

Collegium Apostolicum S. Didaci in Salta in Republica Argentina.

Die 21 Septembris in praefato Collegio, praesidente A. R. P. Salvatore Mazza, Commissario Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

Guardianus Collegii

R. P. Nazarenus Morosini.

Praefectus Missionum

R. P. Massaeus Massei.

Discreti Collegii

R. P. Pius Boccassi.
R. P. Paulinus Strambi.
R. P. Melchiades Bertocchini.
R. P. Daniel Michelini.

—

QUAESTIO SIVE TRACTATUS

Super Regulam S. Francisci ad litteram B. Gabrielis Mariae.

(continuatio)

Radius quartus.

Consequenter videamus de littera quae in proposito accipitur pro sensu litterali. Volebat enim sanctus Franciscus quod sua Regula simpliciter sine subtilitatibus intelligeretur. Et diffinitur sic littera Evangelii sive alicuius Regulae aut libri: Littera est significatio dictionum Evangelii, Regulae vel libri, accepta secundum intentionem illorum qui fuerunt auctores Evangelii, Regulae vel libri aut librorum. Pro intellectu huius definitionis est notandum quod a Doctoribus multa et subtilia dicuntur de sensu litterali Evangelii et cuiuslibet Regulae, et qui voluerint ea legere, legant Alexandrum (i. q. i. membro 4, artic. 4) et Thomam (quodl. VII, artic. XIV) et Bonaventuram in principio Breviloquii, et Scotum in prologo primi, q. III, et Burgerium in principio Bibliae in sua additione super Nicolaum de Lyra, quae est additio aurea et multum memoriae commendanda, per quam clare videbis quod qui intentionem auctoris separat a significatione terminorum sive dictionum, proinde est ac si quis separet animam a corpore. Ideo bene dicit glossa super illud Apostoli quod littera, scilicet sine spiritu, occidit (1). Unde resolutorie dico quod sensus litteralis sacrae Scripturae necnon et cuiuslibet Regulae ab Ecclesia approbatae includit essentialiter, ultra grammaticale signatum intentionem auctoris, sive sit illa littera sacrae Scripturae, sive alicuius Regulae ab Ecclesia approbatae; ita quod sicut necessario, ut dictum est de Regula, antequam quis dici possit verus homo requiritur quod habeat corpus et animam, sic sensus litteralis necessario, antequam vere dici possit sensus litteralis, requirit praedicta duo scilicet: significatum litterale tanquam corpus sive materiam, et intentionem auctoris tanquam animam sive formam. Quod pulchre declarat sanctus Bonaventura super Expositione Regulae dicens, cap. II super illo verbo: « Promittentes vitam istam semper et Regulam observare » in qua promissione sic vovent totam Regulam ut non omni eius praecepto se obligatorie astringant, vovent enim se totam Regulam, pro Regula habituros secundum mandantis intentionem.

(1) Cor. III.

Radius quintus.

Per praedicta patet quod Regula et littera differunt formaliter sive in forma, quia Regula pro sua forma habet approbationem Sedis Apostolicae, littera vero intentionem auctoris Regulae. Conveniunt tamen materialiter sive in materia, quia tam Regula quam littera habent consilia evangelica pro materia. Est tamen antiquorum opinio quae mihi placet dicentium quod littera non habet duo sed unum solum, scilicet significationem et intentionem. Hanc opinionem qui desiderat intelligere notet primo illud Averrois, quod quaelibet scientia habet propriam grammaticam et etiam propriam logicam, ita quod logica et grammatica sunt duae scientiae generales et communes omni scientiae, tamen particularizantur in qualibet scientia; exempli gratia ad nostrum propositum, certum est quod *respicere* in sacra Scriptura significat aliter quam in grammatica Donati aut Prisciani; significat enim in sacra Scriptura amare vel acceptare, ut cum dicimus Deo: « *Respice* quaesumus Domine super hanc familiam tuam, » et « Respexit Deus ad Abel, (1) » et sic de aliis infinitis locis. Similiter *clamor* et *clamare* in sacra Scriptura significat desiderare, ut illud: « Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum, » (2) et illud: « Quid clamas ad me », et tamen Moyses tacebat (3).

Igitur concludendo pro Regula habetur quod voces significant secundum intentionem

(1) Genes. IV. 4.
(2) Psal. V. 2.
(3) Exod. XIV. 15.

auctoris, et saepe variantur in scientiis significationes vocum et terminorum. Et si non placet dicere variantur, hoc tamen certum est quod transferuntur ad alia significata. Similiter de logica patet manifeste. Nam in theologia aliter intelligitur dici de omni et dici de nullo, quam Aristoteles intellexerit *in lib. priorum*, ut videre poteris in 1. sententiarum, div. II, ubi Doctores solvunt argumenta quae fiunt in materia de Trinitate personarum cum unitate essentiae; credo firmissime quod nullus perfectam logicam scire potest sine theologia. Ad propositum dicunt isti quod aliud est dicere: promitto tibi dare centum ducatos *cum* Roma et promitto tibi dare centum ducatos *in* Roma. Nam in primo sunt duo promissa, in secundo tantum unum cum circumstantia loci. Conformiter littera non importaduo sed unum tantum, scilicet solam significationem dictionum, acceptam tamen ad intentionem auctoris. O quot sunt qui putant se servare Regulam formaliter, sed solum servant materialiter! O quot fuere qui in errores et haereses varias inciderunt ex ignorantia praedictae definitionis, non intelligentes sacrae Scripturae vel suae Regulae sensum litteralem, contra quos clamabat beatus Hieronymus, et habetur I quaest. *1. Marchion.* de quo infra dicetur.

Radius sextus

Pro supradictorum confirmatione multum servit quod antiqui Doctores dicere soliti erant de littera Evangelii quod accipienda esset non solum quoad significatum sive sensum quem littera facit. sed etiam quoad signatum sive sensum pro quo fit ab auctore litterae. Ad hoc probandum certissime, placet adducere ius divinum, ius civile, ius canonicum et Doctores theologiae. Unde de iure divino potest adduci verbum CHRISTI, quid intelligatur nomine proximi. Non enim intelligebant Judaei ad litteram praeceptum de dilectione proximi. Unde dicit ibidem sanctus Ambrosius: In lectione hac exponuntur hi qui sibi legis periti videntur, qui verba legis tenent, vim legis ignorant. Ad hoc facit quod scribitur in Proverbiis: (1) « Qui tantum verba sectatur, nihil habebit; qui autem possessor est mentis, diligit animam suam ». Cui pulchre alludit illa Regula iuris in sexto: *certum est*, sumpta ex iure civili *C. de legi. non dubium*, ubi dicit lex: Non dubium est in legem committere, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem. Unde etiam in lege scire, *ff. de legi. de sic*, scire leges non hoc est verba earum tenere, sed vim ac proprietatem habere.

(1) Prov. XIX 7-8.

(Continuabitur)

III.

MISSIONES

—

STATUS

Custodiae Terrae Sanctae anno 1884.

Religiosi nostri Ordinis		
» » Sacerdotes	161	384
» » Clerici professsi	21	
» » » novitii	5	
» » Laici et Tertiarii	197	
Conventus		9
Hospitia		34
Ecclesiae		40
Sanctuaria		36
Capellae		26
Parochiae et succursales		38
Catholici curae Nostratum concrediti		62,187
Baptizati infantes		1,531
» adulti		13
Abiurationes		39
Reconciliationes		18
Matrimonia benedicta		301
Defuncti		1065
Scholae pro pueris		32
Magistri religiosi		32
» saeculares		48
Discipuli		2234
Scholae pro puellis		10
Magistrae religiosae		17
Magistrae saeculares		8
Discipulae		815
Domus pro pauperibus		86
Orphani aluntur		148
Pauperes sustentati (in 596 familiis)		2,930
Peregrinantes hospitio recepti		11,873

Dicto anno Sancta Custodia, praeter necessarias pro Religiosorum sustentatione factas expensas, sequentes alias pecuniae summas expendere debuit:

	Fr. Cent.
Pro divino cultu, pro acquisitione et restauratione Sanctuariorum	164,913,11
Honorarium pro Rmo. D. Patriarca	37,634
Honorarium pro Rmo. D. Delegato Aegypti	2.688
Eidem de mandato S. Cong. de Propag. Fide	3,000
Honorarium pro magistri scholae	8,916,42
Dona ex coactione Turcis data	8,916,43
Pro laborantibus in officinis	45,443,37
Pro pauperibus	94,760,85
Pro scholis	71,077,66
Pro peregrinis Terram S. visitantibus	95,052
Dona data	9,333,51
Pro Typographia	8,077,11
Universim	535,896, 3

—

Novus Commissarius Terrae Sanctae in Sardinia

Electus fuit Commissarius Terrae Sanctae in Provincia Sassaris Sardiniae R. P. Salvator Angelus Secchi, eiusdem Provinciae Definitor actualis.

Succedit Adm. Rev. Patri Hilario Masu Commissario T. S. nuper defuncto. Residet Bonorvae.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

1885. Cartas de la venerable Madre Sor Maria de Agreda y del Señor Rey Don Felipe IV, precedidas de un bosquejo historico por D. Francisco Silvela, con la aprobacion de censura eclesiástica.

Tomo primero. Madrid, est. tipografico « sucesores de Rivadeneyra » impresores de la real casa. Pasco de San Vincente, 20. In-8° (Pag. 242-VIII-462). Pretium 15 Fr.

Huius praeclari operis volumen I praeter eruditam introductionem historicam illustrissimi Francisci Silvela, nunc temporis in gubernio hispanico Administri iustitiae praepositi (Ministro de gracia y justicia), ducentum et triginta quatuor epistolas tam a Venerabili Maria de Agreda quam a Rege Philippo IV exaratas, ab anno scilicet 1643 ad annum 1649, pro prima vice editas continet. Typographica dispositio laudem meretur et non modo effigiem Venerabilis Mariae de Agreda, sed et varia Venerabilis Matris ac ipsius Regis autographa refert. Utinam haec editio causam Beatificationis celeberrimae Dei Famulae adiuvare et festinare queat.

Secundum volumen iam paratur et cito in lucem prodibit, ac tertium etiam probabiliter publicabitur.

1885. I Miei trentacinque anni di Missione nell'Alta Etiopia, memorie storiche di Fra Guglielmo Massaia, Capuccino, giá Vicario apostolico dei Galla, Cardinale del titolo di S. Vitale, illustrate da incisioni e carte geografiche.

Vol. primo, Roma, tip, poliglotta di Propaganda Fide - Milano, tip. S. Giuseppe, Via S. Calocero, 9 In 4 pag. xiv - 216.

Praeclari huius operis encomium superfluum videtur, quum tot periodicis foliis jam celebretur Pro Italia pretio 12 francor. Vendibile est apud *Rmum P. Ægidium a Mediolano*, Aschivistam Generalem Ordinis Minorum Capuccinorum, *piazza Barberini, Roma*. Pro exteris nationibus superadduntur expensae postales. Beneficio Missionum Ordinis Capuccinorum, ab Emo Card. Massaia fundatarum, operis lucrum impendetur.

1884. Life of Ven. Padre Junipère Serra, written by Very Rev. Francis Palou, Guardian of the Convent of San Fernando, Mexico. Translated by Very Rev. J. Adam. San Francisco, P. E. Dougherty et Co., Book and Job Printers, 412 Commercial Street. In 12. Pag. 156.

1885. Il Libro dei Fioretti di S. Francesco, *studio del S. Bonaventura da Sorrento*, diffinitore cappuccino, socio di varie Accademie. S. Agnello di Sorrento Tipografia all'insegna di S. Francesco d'Assisi. 1885. (Prezzo, L. 1). Pag. 83.

1885. S. Franceso nella Italia Meridionale, parte prima. *S. Francesco negli Abruzzi* studio e ricerche del *P. Bonaventura da Sorrento*, cappuccino, socio di varie accademie.

S. Agnello di Sorrento. Tipografia all'insegna di S. Francesco d'Assisi. (Prezzo, cent. 60). Pag. 63.

1885. NUEVO MANUAL Y REGLA DE LOS HERMANOS Y *de la tercera Orden seglar de San Francisco de Asis,* segun las recientes disposiciones del sumo Pontifice Leon XIII, compuesto por el P. Fr. Ramon Buldu, M. O., con permiso de la Orden y del Ordinario. Barcelona: libreria y tipografia catholica, Pino, 5. Pag. 400.

V.
NECROLOGIA

A. R. P. ALOYSIUS ROSSIUS, lector iubilatus et iam definitor huius Picenae Observantis Provinciae, ortum habuit in castro Montiscarotti, Aesinatis ditionis, ex honestis piisque parentibus anno 1823. Decimo septimo aetatis anno Ordinis nostri indutus est habitu. Solemni emissa professione, cunctis se praebere sodalibus perrexit quam acceptissimum ob suavem in primis naturam, singularem pietatem, admirabilem animi demissionem; quas virtutes ad mortem usque pientissimam in dies auxit. Universa moerente Provincia, supremum diem clausit Fani pridie calendas sextiles huiusce anni 1885 ex phthysi senili, qua iamdiu laborabat. Vere extitit filius Patriarchae Assisinatis (ut alia omittam) recessu, silentio, amore in DEUM, in Eius immaculatam sanctissimam Parentem, in proximum, cui iugiter spirituali fuit auxilio. verbo, opere, exemplo. Ingenium excoluit alacritate, ut cum laude Philosophiam primum, postea sacram Theologiam adolescentes nostrates docuerit. Neque illud puto praetereundum adeo Nostram praesertim seraphicam, quam vocant, calluisse *Liturgiam* ut nihil propemodum supra. Erat etiam scientissimus litterarum humaniorum, ut italas praesertim eius epistolas numquam satis admirarentur omnes; quippe ornatae dotibus, quas omnino postulat hoc scriptionum genus. Nec id solum; sed et prudentia et doctrina, quibus erat praeditus abunde, factum est. ut esset a consiliis illustrium Curionum Fanestris Dioeceseos; atque ab eiusdem Episcopis fuerit adlectus inter Patres Examinatores Synodales. Haec, paucis, vita benemeriti Patris, cui requiem adprecamur aeternam; haud dubitantes, quin suis indesinenter precibus magnam sit nobis gratiam relaturus, eheu! tantis undique. et tam gravibus iamdiu circumdatis cruciatibus.

ADM. R. P. VINCENTIUS A JENNIS, vocatus in saeculo Benedictus Cecconi, die 8 Februarii an. 1827 natus, Ordinem nostrum in Reformata Provincia Romana die 23 Aprilis an. 1842 ingressus est. Solemni emissa professione, studiisque addictus, doctrina ac pietate inter condiscipulos eminuit ita ut statim ac sacerdotio insignitus fuit ad Lectoratus officium destinaretur. *Philosophicas theologicasque disciplinas pluribus annis laudabiliter* docuit, deinde vero praedicationis munus cum animarum fructu exercuit. Romanam Provinciam magna prudentia parique erga subditos charitate sexennio rexit. Causarum beatificationis et canonizationis Servorum DEI Observantium Cismontanae Reformatae familiae Postulator designatus, curis, vigiliis, laboribusque minime pepercit, quin strenue officio fungeretur; magnamque sibi qua talis a S. R. C. officialibus et membris aestimationem comparavit. Inter officii, vitaeque angustias solamen illi magnum fuit Decretum Beatificationis Servorum Dei Caroli a Setia, et Humilis a Bisiniano. Animarum zelo succensus, pro posse bonis libris divulgandis incubuit, ac qua spitualis Director, qua praeditus erat sapientia et pietate, nonnullis almae Urbis Monasteriis, Conservatoriisque praesto fuit. Diutini morbi molestiis patienter toleratis, et Ecclesiae Sacramentis pie susceptis in pace DOMINI quievit Romae, die 30 Augusti 1885 in domo pro Postulatione conducta. R. I. P.

Dum praelo submittitur praesens fasciculus. infaustum accipimus nuntium R. P. HERMENEGILDUM A CHITINIANO, Reformatae Provinciae Thusciae filium et ex Ordine nostro meritissimum in DOMINO obiisse die 19 huius mensis Novembris. Eius Necrologiam proxime daturi, desideratissimi Defuncti animam confratrum suffragiis interim commendamus.

Nihil obstat.
FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EPISTOLA SUMMI PONTIFICIS
AD IAPONIAE IMPERATOREM (1)

—

ILLUSTRI AC POTENTISSIMO

UNIVERSAE IAPONIAE IMPERATORI

LEO PP. XIII.

FELICITATEM.

Imperator maxime,

Etsi magno locorum intervallo disiuncti sumus, non tamen latet Nos singulare studium in augendis Iaponiae utilitatibus abs Te, Imperator maxime, positum. Profecto quae aggressus es facere ad incrementa rerum civilium praecipueque ad excolendos mores populorum tuorum, sicut providentiam testantur consilii tui, sic digna sunt laude et commendatione hominum, quotquot expetunt prosperitatem gentium communicationemque bonorum quae ab humaniore cultu facile percipiuntur. Eo vel magis quod politiore urbanitate morum opportune praeparantur animi ad concipiendam sapientiam, amplectendumque veritatis lumen. His de causis rogamus ut officia propensae in Te voluntatis Nostrae quemadmodum verissime pollicemur, ita perhumaniter Ipse accipere ne graveris.

Est et illa ratio, quam ob rem has Tibi litteras mittendas censuimus, videlicet ut gratum animum Nostrum profiteamur. Quibus enim officiis Missionarios et christianos singulos ex amplissima ditione tua obstrinxeris, iisdem Nos Tibi obligatos intellige. Te vero, Imperator maxime, benignum ac benevolum in utroque ipso eorum testimonio cognovimus, quidem re nihil fieri a Te potest vel ad aequitatem laudabilius vel ad ipsam utilitatem publicam praestantius, propterea quod adiumenta ad incolumitatem imperii non exigua expectare a religione catholica potes.

Omnium enim imperiorum est fundamentum iustitia: iustitiae vero nulla pars est, quin christianis ponatur in officiis. — Ita fit, ut quicumque christianum nomen profitentur, non tam poenarum metu, quam religionis voce in primis admoneantur vereri maiestatem regiam, obtemperare legibus, neque aliud in re publica velle nisi quae tranquilla et honesta sunt. Igitur vehementer petimus ut maiorem quam potes, libertatem Christianis impertias, eorumque instituta patrocinio gratiaque tua, ut soles, tueri pergas. Vicissim Nostrum erit, bonorum omnium auctorem Deum suppliciter obsecrare, ut utilia coepta tua optatos ad exitus perducat, Tibique et Iaponiae universae maiora in dies munera ac beneficia largiatur.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Maii Anno MDCCCLXXXV Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Leo P. P. XIII.

(1) Jam die 1 Februari p. e, Imperatori Sinensium Missiones commendaverat Summus Pontifex. Cfr. *Acta*, fac. IV. pag. 61.

DECRETUM S. C. INDULGENTIARUM

concedens indulgentiam tercentum dierum assignatam orationem recitantibus.

BEATISSIMO PADRE

Il P. ANDREA LUPORI, *Procuratore Generale dell' Ordine dei Minori di S. Francesco, previo il bacio dei santi piedi, espone che a ravvivare nei Fedeli la memoria della Passione del nostro divin Salvatore, assai gioverebbe diffondere la pia divozione alle cinque piaghe di* GESÙ CRISTO; *perciò a meglio eccitare i Fedeli a tal divozione implora dalla Santità Vostra la grazia che si degni concedere la Indulgenza di* trecento giorni *a chiunque reciterà divotamente le preghiere composte da santa Chiara di Assisi in onore delle medesime adorabili piaghe di* GESÙ, *qualunque sia l' idioma in cui le reciteranno e delle quali si unisce una fedele traduzione in italiano.*

ORAZIONE DI S. CHIARA

ALLE CINQUE PIAGHE DI GESÙ CRISTO (*)

I.

Alla Piaga della mano destra del Salvatore

A Te sia lode, o Signor mio GESÙ CRISTO, per la sacratissima Piaga della tua mano destra. Per questa adorabile ferita e per la tua santa Passione perdonami tutti i peccati che ho contro te commessi di pensiero, di parole e d' opere, colla negligenza pel tuo servizio e colle sensualità, di cui mi son resa colpevole, sia nel sonno, sia nella veglia. Concedimi di poter divotamente ricordare la tua pietosissima morte e le tue divine Piaghe: accordami Tu la grazia di mortificare il mio corpo e così offrire un pegno della mia riconoscenza a Te, che vivi e regni nei secoli dei secoli. Così sia. (Pater noster ed Ave).

II.

Alla Piaga della mano sinistra

A Te sia lode e gloria, o dolcissimo GESÙ CRISTO, per la sacratissima Piaga della tua sinistra mano. Per questa adorabile ferita abbi misericordia di me, e degnati di svellere dal mio cuore ogni cosa che Ti dispiace. Dammi vittoria de'tuoi perversi nemici, sicchè colla tua grazia valga a superarli e per i meriti della tua pietosissima morte, mi salva da tutti i pericoli della vita presente e futura, e fa poi che in cielo viva gloriosa con Te, che vivi e regni nei secoli dei secoli. Così sia. (Pater noster ed Ave.)

III.

Alla Piaga del piede destro

A Te sia lode, e gloria, o mellifluo GESÙ CRISTO, per la sacratissima Piaga del tuo destro piede; e per questa adorabile ferita concedimi

(*) Versionem gallicam hic subiungimus, textum latinum proxime daturi:

PRIÈRES DE SAINTE CLAIRE.

En l' honneur des cinq Plaies de Notre Seigneur Jésus-Christ

I. A LA PLAIE DE LA MAIN DROITE.

Louange et gloire vous soient rendues, ô Seigneur JÉSUS, pour la très-sainte Plaie de votre main droite. Par cette Plaie sacrée, pardonnez-moi tous les péchés que j'ai commis contre vous en pensées, en paroles et en actions, par ma négligence dans votre service et par les sensualités, dont je me suis rendue coupable, soit en veillant, soit durant mon sommeil. Faites que je garde un pieux souvenir de votre mort et de vos sacrées Plaies, et que je vous en témoigne ma reconnaissance, en les retraçant en mon corps par la mortification. Accordez-le moi, ô vous qui vivez et régnez dans tous les siècles des siècles. Ainsi soit-il.

Pater et *Ave.*

II. A LA PLAIE DE LA MAIN GAUCHE.

Louange et gloire vous soient rendues, ô très-doux JÉSUS, pour la très-sainte Plaie de votre main gauche. Par cette sacrée Plaie, ayez pitié de moi et ôtez de mon coeur tout ce qui vous y déplaît. Donnez-moi la victoire sur les ennemis acharnés qui me font la guerre; remplissez-moi de votre force, afin que je puisse les fouler aux pieds. Délivrez-moi par votre miséricordieuse mort de tous les dangers auxquels sont exposés ma vie et mon salut, et daignez me rendre digne de partager votre gloire dans votre royaume, ô vous qui vivez, etc.

Pater et *Ave.*

III. A LA PLAIE DU PIED DROIT.

Louange et gloire vous soient rendues, ô bon Sauveur JÉSUS, pour la très-sainte Plaie de votre pied droit. Par cette sacrée Plaie, faites que je mérite mon pardon par une pénitence proportionnée à la grandeur de mes fautes. Oh! je vous en supplie par votre mort, tenez continuellement unie à votre volonté votre pauvre servante; et gardez son corps et son âme de toute adversité. Quand le jour redoutable sera venu, recevez mon âme dans votre miséricorde, et donnez-lui les joies éternelles, ô SEIGNEUR qui vivez, etc

Pater et *Ave.*

IV. A LA PLAIE DU PIED GAUCHE.

Louange et gloire vous soient rendues, ô très-miséricordieux JÉSUS, pour la très-sainte Plaie de votre pied gauche. Par cette sacrée Plaie, accordez-moi la grâce d'une indulgence pleine et entière, afin que, par

di poter fare penitenza de' miei peccati. E per la tua pietosissima morte divotamente Ti supplico di tener notte e giorno unita la tua povera serva colla tua santa volontà e di allontanare ogni infortunio dal corpo e dall'anima sua. Quando poi sarà giunto il giorno dell'ira, ricevimi nella tua misericordia, e conducemi all'eterna beatitudine. Tu che vivi e regni nei secoli dei secoli. Così sia. (Pater noster ed Ave).

IV.

Alla Piaga del piede sinistro

Sia lode e gloria a Te, misericordiosissimo GESù CRISTO, per la tua sacratissima Piaga del sinistro piede, e per questa adorabile ferita accordami la grazia di una piena indulgenza, affinche col Tuo soccorso meriti d'evitare la sentenza dell'eterna riprovazione. Ti prego inoltre per la tua santissima morte, o pietoso mio Redentore, che io possa innanzi di morire ricevere il sacramento del tuo Corpo e Sangue con la confessione de'miei peccati e con perfetta penitenza e purità di corpo e di mente. Fa che meriti ancora di ricevere la sacra Unzione per la eterna mia salute, o SIGNORE, che vivi e regni nei secoli dei secoli. Così sia. (Pater noster ed Ave.)

V.

Alla Piaga del sacro Costato

Sia lode e gloria a Te, benignissimo GESù CRISTO, per la sacratissima Piaga del tuo lato; e per questa adorabile ferita e per l' immensa tua misericordia che hai mostrato nell' apertura del tuo seno al milite Longino ed ora a tutti noi, Ti prego ancora, o mitissimo GESù, che avendomi riscattato pel Battesimo della colpa originale, così ora pel tuo prezioso Sangue che si offre e riceve in tutto il mondo, mi liberi da tutti i mali passati, presenti e futuri. E per l' amarissima tua morte dammi una viva fede, una ferma speranza ed una carità perfetta, perchè ti ami con tutto il cuore, con tutta l'anima e con tutte le forze; mi conferma solidamente nel bene operare e dammi la perseveranza nel tuo servizio, ond' io vaglia a piacerti sempre, e così sia. (Pater noster ed Ave.)

℣. Adoramus te, CHRISTE, et benedicimus Tibi.

℟. Quia per mortem et sanguinem tuum redemisti mundum

OREMUS

Omnipotens sempiterne DEUS, qui humanum genus per Filii tui Domini nostri IESU CHRISTI quinque Vulnera redemisti, praesta supplicibus tuis, ut qui eiusdem Vulnera quotidie veneramur, per pretiosum eius Sanguinem a morte subitanea et aeterna liberari valeamus. Per eumdem Dominum Nostrum IESUM CHRISTUM, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

votre secours, j'évite les vengeances que vous exercerez en votre jugement. Je vous demande par votre sainte mort, ô miséricordieux JÉSUS, je que puisse, avant de mourir, recevoir le sacrement de votre corps et de votre Sang, avec la confession de tous mes péchés, la contrition parfaite et une entière pureté de corps et d'esprit. Faites que je reçoive enfin le sacrement de l'Extrême-Onction, pour la vie éternelle. Ecoutez ma prière, ô Seigneur, qui vivez, etc. *Pater* et *Ave.*

V. A LA PLAIE DU CÔTÉ.

Louange et gloire vous soient rendues, ô très-aimable JÉSUS, pour la très-sainte Plaie de votre côté. Par cette sacrée Plaie et par cette immense miséricorde que vous avez montrée en voulant que votre côté fût ouvert, et que vous déployez en faveur de nous tous après en avoir fait part d'abord au soldat Longin; je vous supplie, ô très-doux JÉSUS, qu'il ne vous suffise pas de m'avoir purifiée par le baptême du péché originel, mais que vous daigniez encore me délivrer de tous les maux passés, présents et à venir, par les mérites de votre précieux Sang, qui est maintenant offert et reçu dans tout l'univers. Par votre mort si pleine d'amertume, accordez-moi une foi vive, une espérance inébranlable et une charité parfaite, afin que je vous aime de tout mon coeur, de toute mon âme et de toutes mes forces. Etablissez-moi solidement dans le bien, afin que je persévère courageusement dans votre saint service, et que je vous plaise maintenant et toujours. Ainsi soit-il.

Pater et *Ave.*

℣ Nous vous adorons, ô JÉSUS-CHRIST, et nous vous bénissons.

℟ De ce que vous avez racheté le monde par votre sainte mort et votre précieux sang.

ORAISON

DIEU tout-puissant et éternel, qui avez racheté le genre humain par les cinq Plaies de votre Fils N. S. JÉSUS-CRIST, accordez-nous, nous vous supplions, qu'après avoir honoré chaque jour ces mêmes Plaies, nous puissions par les mérites de son sang et de sa mort, éviter la mort subite et éternelle. Nous vous le demandons par ce même Seigneur JÉSUS, qui vit et règne avec vous dans tous les siècles des siècles. Ainsi soit-il.

Che della grazia ec.

Sanctissimus Dominus Noster Leo *Papa XIII, in Audientia habita die 21 Novembris 1885 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito uti supra descriptas preces devote recitaverint, Indulgentiam* tercentum dierum, *semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti* in perpetuum *valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 21 Novembris 1885.*

J. B. Cardinalis Franzelin
Praefectus.
F. Della Volpe, Secretarius.

II.
ACTA ORDINIS

—

EPIST. RMI P. MINISTRI GENERALIS

Reverendis in Christo Sacerdotibus utriusque Cleri, Directoribus Fraternitatum Tertii Ordinis Nostrae Obedientiae.

Reverende Pater.

Probe iam nosti, Nos, de consilio et consensu graviorum Ordinis Patrum, Domino auxiliante, ac Summo Pontifice benedicente, perdifficile opus inchoasse, novum nempe in Urbe aedificium, cuius externa constructio fere ad exitum perducta est; in quo et Residentia Curiae Nostrae statui queat, dum *Aracoelitana* linqui contigerit; et Collegium adsit in quo in primis ex omnibus Ordinis Provinciis selecti iuvenes nostri, sub oculis Christi in terris Vicarii, debita disciplina regulari educarentur, ac solida profundiorique scientia imbuerentur, ita ut, per eosdem, quaquaversus per orbem, pro Dei gloria animarumque salute Ordo Noster ad maiora exsurgat, semperque in promptu habeat ad Ecclesiae utilitatem viros, pietate ac in quavis, theologica praesertim, scientia insignes: simulque etiam ad ordinarium studiorum cursum perficiendum reciperentur clerici, tum pro Missionibus Ordinis, tum ex illis praecipue Provinciis, in quibus desunt Conventus ad studiosos in eis collocandos. Ordinis Provinciae non paucae, ac etiam pauperum Clarissarum Conventus, eleemosynarum largitione, laudabili zelo concurrerunt ad solvendas pro hoc aedificio expensas. Quia autem ingentem pecuniae summam, ad hoc opus perficiendum necessariam, Ordinis Provinciae solae ob temporum calamitates suppeditare nequeunt, etiam ad Filios et Filias S. P. N. Francisci in Tertio ipsius Ordine Deo famulantes oculos Nostros convertimus, ac petitionem Nostram dirigimus, eos rogantes, ut et ipsi ad hoc opus, quod in totius Ordinis bonum est inchoatum, opem suam pro posse conferre velint. Propterea per praesentes litteras Te rogatum volumus, ut in proxima congregatione Tertii Ordinis Fratribus ac Sororibus Tuae curae commissis necessitates Nostras exponere, eosque invitare faveas, quatenus in altera subsequenti congregatione pecuniae collectionem pro praefato fine instituere, nec non pium hoc opus precibus suis Deo saepius enixe commendare velint. Non dubitamus, quin, si quilibet Tertiarius semel in anno aliquam, etiam exiguam, eleemosynam ad hunc finem contribuere vellet, brevi tempore omnes necessariae expensae fieri possint.

Grato animo, qualibet feria tertia, ad honorem S. Antonii Patavini Collegii titularis, nec non qualibet feria quinta sacrosanctum Altaris sacrificium pro omnibus Collegii benefactoribus vivis et defunctis offerimus.

Haec Tibi significantes atque commendantes, Tibi ipsi, cunctisque Fratribus ac Sororibus Tertiariis curae Tuae concreditis ex toto corde seraphicam benedictionem impertimus.

Romae ex Aracoeli die 19 Novembris 1885.

Fr. Bernardinus a Portu Romatino
Min. Glis. totius Ord. Minorum

—

EPISTOLA
Rmi P. Ministri Generalis
ad Provinciales Ministros.

Admodum Reverende Pater.

Crescentibus in dies Collegii nostri Generalis aedificandi expensis, cogitavimus de auxilio et concursu etiam Tertii Ordinis ad hunc finem implorando. Ideo, ad Paterni-

tatem Tuam adm. Reverendam, adiunctas circulares epistolas transmittimus, et eiusdem prudentiae ac zelo committimus, ut singulis Directoribus Tertii Ordinis Nostrae obedientiae subiectis easdem distribuere valeat (1).

Exarata praedicta Circulari, Gubernii italici decretum de expropriatione Aracoelitanae nostrae Residentiae promulgatum fuit. Urget ergo ut fabrica Collegii quamcitius compleatur. Interim vero ad Conventum SS. Quadraginta Martyrum trans Tyberim Curia generalitia discedet, versus finem Decembris vel in mense Ianuarii.

Attamen, donec novum Paternitati Tuae monitum per *Acta Ordinis* non mittatur, litterae ad nos transmissae ad Aramcoeli semper dirigantur.

Cuncta fausta a Deo Paternitati Tuae adprecamur ac seraphicam benedictionem toto corde impertimus.

Addictissimus in Dno servus
Fr. Bernardinus, *Min. Glis.*

Romae ex Aracoeli die 29 Novembris 1885.

AD FRATRES NOSTROS
INCITAMENTA SERAPHICA

De disciplina regulari restauranda
(Continuatio).

Religiosorum Superiores vi officii sui disciplinae observantiam in Conventibus suis sartam tectamque conservare tenentur. Non ad proprium commodum et honorem Superioris officium ipsis fuit commissum, sed ut filios suos spirituales in via virtutis et sanctitatis dirigant, eosque omnes status religiosi obligationes verbo atque exemplo adamussim adimplere faciant. Ad hoc obligati sunt iure naturali et positivo.

Casu autem, quo in aliquo Conventu disciplina collapsa esset et Religiosi in ipso degentes non secundum Regulae et Statutorum praescripta viverent, eiusmodi conventus Superior obligatus esset, ut puram Regulae observantiam et religiosam disciplinam in Conventum sibi concreditum pro viribus reducere studeret; secus enim conscientiam suam macularet et subditis suis grave damnum inferret ac de sua culpabili omissione coram Deo rationem reddere deberet.

(1) Si praeter haec exemplaria iam transmissa, aliis indigeant Ministri Provinciales, eadem a Curia Aracoelitana petere faveant.

Ne autem quis sibi et aliis illudens putet Superiores habere solummodo obligationem restaurandi, ubi collapsa est, votorum observantiam, minime vero Regulae et Statutorum custodiam introducendi, sequentia breviter consideramus. Tridentina Synodus reformationem Regularium ad Regulae et Constitutionum cujusque Ordinis praescripta fieri praecipit. In praxi autem possibilis non est diuturna votorum observantia, nisi etiam Regulae et Constitutionum praecepta pro viribus serventur; qui enim vult aliquem finem, debet etiam adhibere media ad illum finem obtinendum necessaria. Insuper Praelati omnes bonum commune Religionis non modo a decremento praeservare, sed etiam promovere et augere obstringuntur. Violatio autem Regulae et Statutorum maximum infert communi Religionis bono detrimentum et, si frequens sit et continuata, Religionem funditus evertit, destruit, exterminat. Communis propterea est Theologorum sententia, Praelatum peccare mortaliter, si vel unius aut alterius Statuti observantiam renovare negligat, si possit, licet Statutum illud *per se* ad nullam obliget culpam. Audiamus de hac re aliquos auctores.

Lugo scribit: (1) « Ex alio etiam capite « oriri potest, quod peccet graviter aliquis « dando causam peccatorum venialium in aliis. « Exemplum autem commune esse solet in « Praelato regulari, qui aliquando potest graviter peccare negligendo culpas veniales in « subditis, immo et inobservantiam circa Re« gulas, quae tamen ex se non obligant sub« ditos ad peccatum etiam veniale, quia in « ipsa negligentia Praelatus defuit obligationi, « qua ex munere suo tenetur consulere po« tissimum bono spirituali subditorum, et ob« servantiae regulari, quae per huiusmodi de« fectus maxime labefactatur. Multo enim magis « et gravius obligatur ex munere suo Prae« latus regularis ad promovenda bona spiri« tualia, quam temporalia sui Ordinis vel Con« ventus. Quare si ob eius culpam communitas « patitur grave detrimentum in spiritualibus,

(1) De iustitia, disp. 9 sect. 2 num. 21.

« non poterit ipse a peccato gravi excusari « per se loquendo, et poterit contingere, quod « subditi solum venialiter peccent, et Prae- « latus peccet graviter in iis defectibus per- « mittendis. »

Sasserath dicit: (1) « Obligantur Superiores « sub mortali procurare et conservare obser- « vantiam regularem et disciplinam religiosam « prout Regula et Constitutiones eamdem prae- « scribunt: hinc connivendo etiam in levio- « ribus facile peccare possunt mortaliter, si « ex respectu humano, ex desidia, aut quia in « iisdem et ipsi culpabiles sunt, non corrigant « eos, qui, v. g. silentium liberius frangunt, « otio torpent, ad chorum segnius accedunt, « curiositatibus vacant, potum sectantur, etc; « haec enim et similia, si frequenter et im- « pune fiant, nec cum debito conatu praepe- « diantur, paulatim disciplinae regulari damnum « notabile inferunt etiam pro futuro; ergo in- « dubie graviter peccat, qui illud non impedit, « dum ex officio debet. »

S. Alphonsus pariter docet, (2) Superiorem, qui negligit, cum possit, observantiae relaxationem, peccare graviter, et addit: « Ideo « tenetur defectus subditorum in damnum to- « tius communitatis vergentes non solum cor- « ripere, sed etiam inquirere, prout decet. « S. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 2. ad 4. »

Haec serio recogitent Superiores omnes, et memores tremendae responsabilitatis suae, observantiam regularem in suis Conventibus per Dei gratiam vigentem studeant conservare, deficientem autem quamprimum restituere. Fratres autem, qui sunt subditi, recordentur, se teneri promptam obedientiam praestare Superioribus suis, qui regularem disciplinam restituere volunt, quia isti ad hoc non solum ius, sed etiam strictam obligationem habent.

Religiosi, qui haec serio meditantur, disciplinae restaurationem absque dubio debita submissione acceptabunt. Qui emolumenta autem considerant, quae ex vita vera religiosa procedunt, eiusmodi restaurationi non tantum libenter consentient, sed eam etiam summopere anhelabunt.

Quantum universae Christi Ecclesiae splendoris et ornamenti ex disciplina monastica optime instituta accedat, satis exprimi nequaquam potest. Per Religiosorum siquidem virtutem vitaeque sanctitatem fideles ad vitae christianae exercitium vehementer accenduntur et roborantur. Nihil insuper ad christianae fidei propagationem efficacius valet, quam Religiosorum sanctitas et doctrina. Quae eloquentia explicare potest labores, vigilias, pericula, martyria, quae pertulerunt Monachi in catholicae Religionis amplificatione haereticorumque conversione? Quot infideles, quot schismaticos, voce, scriptis, miraculorum splendore et sanguinis effusione ad evangelicum ovile non perduxerunt? Si ab oriente ad occasum, ab aquilone ad meridiem oculos revolvimus, vix aliqua occurrit regio, in qua, fugatis errorum tenebris, lux evangelica regularium virorum studio non effulserit. In Galliis Clodovaeum primum regem anno 350 sacris undis lavit Remigius Monachus. In Anglii crucis vexillum explicuit Augustinus cum aliis Monachis a S. Gregorio anno 540 *missis*. Arianae haeresis ignem in Svetia *extinxit* Monachus. Quis Hollandiae, Saxoniae et Flandriae, populos Ecclesiae Dei aggregavit nisi S. Wilfridus aliique Monachi? Quis Germanorum Apostolus, nisi Bonifacius Monachus? Quis Russos Polonosque Romanae sociavit Ecclesiae, nisi Monachi? Quot insignia Religionis monumenta a Monachis erecta ubique nobis occurrunt!

Remissum in Monachis zelum ob disciplinae relaxationem, in Mendicantium Ordinibus infinita sua clementia Deus instauravit. Vix creditu possibile est, quot profligaverint haereses, quot contriverint idola, quot uni Deo templa aedificaverint. Isti Albigensium, *Catharorum*, Waldensium, Manichaeorum *extermi*narunt monstra, et ex his nascentibus Wicleffitis, Lutheranis et Calvinistis implacabile bellum indixerunt. Hi non modo Europam, Asiam, Africamque, verum etiam remotissimas novi orbis regiones divini luminis splendore illustrarunt. Quis posset enarrare, quot fructus protulerint, quot peccatores ad conversionem, quot homines ad vitae sanctitatem perduxerint sancti Bernardinus Senensis, Joannes Capistranus, Jacobus de Marchia, Franciscus Solanus aliique innumeri Fratres Ordinis nostri, qui

(1) Cursus Theol. moral. part. I. tract. 3.
(2) Theol. mor. tom. lib iv. cap. i. n. 13.

sanctam Regulam nostram in sua puritate observarunt et alios observare fecerunt?

Haec et his longe maiora praestiterunt tum Monachi, tum Mendicantes illi, qui ad propriae Regulae praescriptum vitam suam instituerunt. Relaxatae vero disciplinae Religiosi, quemadmodum propriam, sic etiam aliorum salutem prodigunt et universae Ecclesiae maculas et vulnera infligunt. Eiusmodi autem Religiosi in laxitate sese volutantes nihilominus non raro propriae Religionis antiqua trophaea et merita iactant, ac si ex antiquorum Patrum sanctitate suis relaxationibus patrocinium aliquod nancisci possent. Si maiorum nostrorum merita nobis quoque impertiri cupimus, illorum poenitentiam, humilitatem, zelum et vitae perfectionem imitemur aemulemurque, ad puram Regulae nostrae observantiam redeuntes. Hoc utique magis hisce calamitosis temporibus quam umquam necessarium est; despecti enim atque fere ubique persecuti a mundo nequam, Dei beneplacitum, quod per veram observantiam regularem meremur, labores nostros et abnegationes sufficienter et abundanter compensabit, iam in hac praesenti, et adhuc magis in altera vita.

Cum quidam S. P. N. Francisci socii (1) Regulam ab ipso traditam minoris, quam par erat, facerent, Francisco ingemiscente, in lucida nube super eum Christus Dominus apparuit, qui, audientibus cunctis, dixit: Homuncio, « quid turbaris, quasi tuum hoc opus esset? « tune legislator? tune hujus vitae praeceptor? « nonne omnia Regulae praecepta a me praescripta? nonne tabulae hae a me formatae? « tu duntaxat tenue hujus operis instrumentum, et calamus scribentis. Novi ego quid « dictaverim; novi quid velim praecipere, vires « humanae mihi compertae, scio quid possint, « et quantum ego valeo et volo praestare « subsidium. Volo proinde, ut Regula haec « observetur ad litteram, ad litteram, ad litteram, sine glossa, sine glossa, sine glossa. « Si ergo nolunt isti observare, deturbatis, « tamquam discolis et rebellibus ex hac sodalitate, illorum loco alios substituam, et si « opus fuerit, noviter nasci et oriri faciam, « atque de lapidibus istis sinceros hujus instituti sectatores resuscitabo. »

(1) Cfr. Wadding. Annal., tom. 1. ad ann. 1223. n. 10.

Ad unguem itaque et strictissime observanda est Regula: tum quia Deus ipse eam dictavit, tum quia illam servare solemniter promisimus, tum quia per eam, tamquam per canalem, gratiae divinae in nos derivantur, tum quia ab ejus observantia dependent nostri Ordinis honor et prosperitas necnon singulorum ipsius membrorum virtus et perfectio, tum quia nos vel servata salvabit, vel neglecta damnabit.

Primus noster Minister Generalis ex Observantium familia assumptus, coram S. Romanae Ecclesiae Legatis et universo Ordinis coetu omnium suorum Fratrum nomine declaravit: « Quantum in nobis est, sicut nec unquam ab hujusmodi regulari modo vivendi « recedere quaesivimus, ita nec, quamdiu no- « bis sana mens fuerit, ab eo deflectere quae- « remus. ». (1)

Eamdem declarationem Patres nostri in omnibus Capitulis Generalibus repetere, Capitularibus Actis necnon Ordinis Statutis inserere voluerunt. Eapropter in Constitutionibus Generalibus legitur: « Hujus itaque Re- « gulae in sua puritate custodiam, eiusdemque « seraphici instituti regularem disciplinam uni- « versus Ordo ubique sartam, tectam atque « illibatam retinere volens, et alias saepius « protestatus est, et iterum sincere et solem- « niter protestatur, se nullam admittere circa « ullum Regulae praeceptum dispensationem, « vel apostolicam concessionem, per quam « aliter ac in textu ejusdem Regulae et decla- « rationibus Nicolai III et Clementis V, quoad « puram et litteralem Regulae observatio- « nem nobis vivere permittatur; iis omnibus, « exemplo majorum nostrorum, ex animo « renuntians, et cum effectu pro renuntiatis « haberi volens.

« Eapropter omnes et singulos abusus, si « qui vel ex Fratrum imbecillitate, ex malo, « aut nobis omnino illicito privilegii alicujus « usu, cujus virtute in quoquam Regulae prae- « cepto, aut aequipollente aut vim praecepti « habente cum Ordine, vel Conventu, vel « Provincia dispensetur; vel ex temere an- « tiquatis in aliqua Provincia, vel Conventu « aliqua ex parte praefatis Nicolai et Cle- « mentis Constitutionibus irrepserunt, con-

(1) Cfr. Gonzaga, pag. 30.

« corditer, et una voce Ordo ipse detestatur, « damnat, rejicit et proscribit, ac pro dete- « statis, damnatis, rejectis et proscriptis ha- « bere vult, solisque praedictis Nicolai et Cle- « mentis declarationibus, posterioribusque Ro- « manorum Pontificum eas confirmantibus « Constitutionibus nobis uti, et secundum eas « in Regulae nostrae observatione vivere li- « citum esse declarat, non autem secundum « pravam aliquam etiam inveteratissimam con- « suetudinem, aut doctrinam, aut cujusvis ge- « neris privilegium, vel in substantialibus di- « spensationem. » (1)

Secundum hanc ergo Ordinis declarationem nostram vitam instituere et s. Regulam nostram in sua puritate observare sedulo studeamus, ut jure merito *Fratres Minores de Observantia* vocari valeamus.

(Continuabitur)

—

QUAESTIO SIVE TRACTATUS

Super Regulam S. Francisci ad litteram B. Gabrielis Mariae.

(continuatio et finis)

Bene et merito igitur dici potest illud verbum CHRISTI DEI: « Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis » (2) Filii hujus sæculi sunt legistæ jurisperiti; filii lucis sunt Religiosi. Dicunt autem legistæ in generatione sua et scientia, quod ratio legis est anima legis; et tamen Religiosi multi in foliis verborum pascuntur. Contra quos vide *Extra.* De *Reg. jur;* præterea et loquitur Hieronymus. Unde idem Hieronymus (Marchion et Basilides): Caeterae hæreticorum pestes non habent DEI evangelium. Sequitur: Nec putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Nota etiam ad hoc *Clem, de jurejur.* § *verum qui,* et *Extra.* De *verb. sig. c. intelligentia,* ubi dicit Tertullianus: Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. Ideo beatus Dionysius in *de Divinis nominibus* dicit quod nemo intelligit divina, qui considerans dictiones non attendit ad intentiones loquentium. Et Scotus, allegans Augustinum, dicit: Non est facienda vis de nominibus ubi constat de re. Haec utinam considerassent nostri temporis magistri verbales non reales, id est nomen Regulae et non rem prosequentes, et cum Judæis in littera manentes, vel proh dolor! morientes. Etenim consideretur expositio Nicolai tertii, qui in fine volens præter suam Expositionem alias expositiones super Regula non debere fieri, concedit nihilominus expositionem grammaticalem, scilicet juxta significationem terminorum. Aliud est ergo exponere grammaticaliter et aliud est exponere litteraliter. Unde nunquam Papa declarans approbative aliquam Regulam, declarat ipsam secundum sensus mysticos aut spirituales, sed solum secundum sensum litteralem; et dicere oppositum est ridiculum. Quid enim pertinet ad approbatorem Regulae declarare sensus mysticos, cum ipsam velit approbare secundum sensum penes quem in omni lege et Regula sumitur efficax argumentum, ad aliquid legis aut Regulae efficaciter verum esse probandum et observandum? Et talis sensus est solus litteralis secundum Augustinum.

Sed dicet aliquis: Ex quo sensus litteralis secundum supradicta includit essentialiter intentionem auctoris Regulae, quid facient Fratres mortuo sancto Francisco ad habendum sensum litteralem Regulae in dubiis quae solent haberi super Regulam? Responsio jam facta est supra; nam solus Fundator non est Regulae conditor, sed cum eo est Approbator. Ideo quilibet istorum, scilicet tam Fundator quam Approbator, possunt illam Regulam exponere et interpretari, juxta illud: Illius est interpretari cujus est condere. Conditor Regulae materialiter fuit sanctus Franciscus, qui eam scripsit, sed Conditor Regulae formaliter fuit Honorius, qui eam approbavit. Et ideo litteraliter nemo potest exponere Regulam in dubiis nisi qui illam fundavit aut approbavit. Et intelligo post Durandum in suo tractatu de *origine jurisdictionum,* de expositione cui oporteat stare et assentire, quia Doctores bene possunt exponere opinative et magistraliter explicare, quia non omnia explicuit Sedes apostolica, vel sanctus Franciscus.

Ideo Regula ad litteram tres habet respondentes ad omnia dubia Regulae exponenda, scilicet: Honorium, Franciscum et Doctorem peritum; tamen solum duobus primis tenetur

(1) Const. Ord. n. 2. 3. — (2) Luc. XVI, 8.

adhaerere. Nam opinionibus et declarationibus Doctorum nemo cogitur assentire. Taceant ergo scrupulosi vel phantastici et humiliter ingenia propria captivantes et propriae prudentiae non innitentes, credant et obediant Sedi apostolicae et Ecclesiae catholicae.

Obmutescant pariter et contremiscant elati et superbi, et non praesumant per suas relaxationes asserere multa quae sunt mortalia secundum declarationem apostolicam, esse solum venialia secundum suam opinionem phantasticam. Et haec sufficiant de secundo termino, scilicet: de littera diffinitive.

Radius Septimus.

Declaramus præterea litteram divisive; nam est adeo necessarium scire litteram divisive ut parum possit aut nihil definitio litterae, nisi sequatur et divisio. Oportet ergo, ut videamus quotuplex est sensus litteralis. Sicut autem poni solet triplex sensus spiritualis, scilicet:

Allegoricus
Tropologicus
Anagogicus,

sic solet poni triplex sensus litteralis:

Historicus
Ethimologicus
Anagogicus

De quibus Augustinus in libro de *utilitate credendi.* Et vide de his, licet sub aliis verbis, in Alexandro Halensi, I q. I, membro IV, art. IV, ubi tres opiniones de hujusmodi sensibus concordat, Bedæ scilicet, Richardi et Augustini. Et quamvis nullius opinionem reprehendere quaeram, tamen placet et placere debet sequi Sedem apostolicam, quae aliis verbis loquitur de sensu litterali. Sedes autem apostolica ponit triplicem sensum litteralem, scilicet:

Quidditativum,
Qualificativum
et quantitativum,

et jure quidem. Nam data qualibet littera non possunt de ea quæri nisi tria, scilicet; quid per verba Regulae significatur, et iste est quidditativus; vel qualiter unus sensus per alium specificatur et modificatur, et iste est qualificativus, vel tertio quomodo professor Regulae per talem passum obligatur, utrum ad culpam vel poenam, et iste est quantitativus. Aliqua enim qualificatio non obligat ad mortale; et ideo necessarium fuit in moralibus post *quale* habere *quantum.* Sicut ergo sunt solum tres virtutes theologicales, penes quas accipiuntur tres sensus spirituales; nam allegoricus respicit fidem sive credenda, tropologicus charitatem sive agenda, anagogicus spem sive speranda et expectanda in futura gloria; sic solum sunt tres declarationes litterales, penes quas accipiuntur tres sensus litterales.

Ne autem lector cogitet quod voluntarie ista dixerim et nihil probaverim, volo textum ipsius Sedis apostolicae adducere. Dicit ergo Sedes apostolica sic in § *nos obscuritatem, Extra, de verb. signif. Exiit* et in § *nam si ad haec, in Clem. Exivi* eo titulo. Unde in dicto § *nos obscuritatem,* sic dicit Dominus Nicolaus III: « De intentione Regulae liquere valet apertius, ut illud quod in principio quasi absolute subnecti videtur, « promittentes vitam semper et Regulam observare, » vel quod in fine subjungitur: « et secundum Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus, » totum ad ipsius Regulae modificatum vel determinatum seu specificatum principium reducatur, videlicet ad observantiam Evangelii, ut praedicitur in ipsa regula, in illis tribus modificatam vel determinatam seu specificatam. » Ecce quoad sensum quidditativum et qualificativum; nam per hoc quod dicitur: « promittentes vitam istam et Regulam observare » et quod in fine subiungitur: « et secundum Evangelium » est sensus quidditativus; per hoc vero quod dicit: modificatam, patet quod est qualificativus. Quo autem ad quantitativum, habetur in dicta *Clem.* § *declaramus,* et dicam infra sequenti articulo, ubi clare ostendetur quid obligat ad mortale in tota Regula,

Radius Octavus

Ex omnibus supradictis sagax lector elicere posset hanc maximam quaestionis responsivam, scilicet quod status Observantiae sive Familiae, quae ab aliquibus dicitur de Bulla, est status regularis imo regularissimus, id est secundum Regulam, et status litteralissimus, id est secundum litteram regulariter, et securissimus, id est secundum conscientiam et intentionem sancti Francisci auctoris Regulae et litterae. Haec maxima clausula intelligitur, si lector sapiens ante duos oculos mentis habeat

haec duo quae sequuntur. Primo, soli duo sunt qui Regulam ad litteram exponere possunt, scilicet sanctus Franciscus et Dominus Honorius. Et ideo scientifice nonnullis dictum est quod locus ab auctore Regulae Minorum non tenet nisi in duobus casibus, scilicet, sanctus Franciscus sic intendebat; ergo sic est secundum Regulam ad litteram. Item Dominus Honorius sic declarabat; ergo sic est secundum Regulam ad litteram. Secundum habendum in memoria est quod duo praedicti expositores Regulae ad litteram non possunt eam exponere nisi tripliciter, scilicet quidditative, qualificative et quantitative.

Fuit causa multorum errorum in via Minorum. Nam, teste conscientia, non video quod aliquis neget statum Familiae esse secundum Regulam, si velit considerare cum supradictis duo fundamenta Regulae, in primo termino posito, Radio secundo, et sunt scripta in littera Regulae capituli primi et ultimi. Nec credo quod aliquis dicat dictum statum non esse ad litteram, si velit animadvertere quod omnes expositiones apostolicae sunt secundum sensum litteralem et ad litteram. Nec praesumet quispiam asserere dictum statum non securissimum, si velit prudenter considerare quod status ille non arguitur nisi de obedientia materiali. Si enim in illo statu Familiae esset aliqua bulla vel provisio quod Fratres non teneantur servare opera Regulae, puto, quod possint capere pecunias, habere redditus, succedere parentibus, et hujusmodi, sicut multi aliorum Minorum modum vivendi impetrarunt, dicerem quod obedientia Fratrum Familiae esset dispensata; sed solum Sedes apostolica ordinavit quod obediant Petro. Et Ministri contra Regulam dicunt et contra Sedem Apostolicam quod debent obedire Guillelmo Ministro tali vel tali. Sed quod plus me semper movit, Fratres Familiae in omnibus obediunt tam Ministro Generali quam Provinciali, excepto quum major illorum, scilicet Honorius, praecipit contrarium. Cui Honorio per litteram Regulae plus tenetur Frater Minor quam Ministro, dum nomine Honorii semper intelligit lector quemlibet Papam et Pontificem summum. Omnes enim sciunt quod tantae est auctoritatis Leo (1) modernus sicut Honorius tertius; sed quia sanctus Franciscus in littera Regulae Honorium nominavit, ideo pro exemplo nomino.

Radius nonus.

Igitur pro fine et conclusione hujus articuli, sequitur finaliter, quod ille solus est verus observator Regulae ad litteram, qui facit opera Regulae secundum intentionem apostolicam, quia in approbando major est Approbator quam Fundator, ut patet in Regula cap. I. Praeterea, mortuo Fundatore, solus remanet Approbator Regulae qui est immortalis, eo quod sibi semper succedit alius, sicut Julio II successit Leo X modernus Papa.

Sed forte dicet aliquis quod sancto Francisco Fundatori Regulae etiam succedit semper aliquis, puta, Minister Generalis, et ad Ministrum Generalem nunc viventem, sicut ad Papam nunc regnantem, pertineret Regulae ad litteram interpretatio.

Respondeo: Sanctus Franciscus fuit Regulae Fundator et totius Ordinis primus Minister Generalis: Ministri autem succedentes et sequentes sanctum Franciscum, non succedunt illi tanquam Fundatori, sed tanquam Ministro Generali. Ideo bene fateor quod Minister Generalis modernus tantam habet auctoritatem super Ordinem quantum habebat sanctus Franciscus, ut erat Minister Generalis, sed non ut erat Fundator, quia ut Fundatori nemo successit sancto Francisco.

Sed dices quod similiter erit de approbatore, quia nemo successit Honorio ut Approbatori, sed ut Vicario Christi.

Respondeo: succedere Vicario Christi vel esse Vicarium Christi est esse approbatorem et interpretatorem omnium Religionum et Regularum; et ideo qui succedit in vicariatu Christi succedit in magna et mirabili plenitudine potestatis super totam Ecclesiam Christi; secus autem est de Ministro Generali, qui ratione Ministeriatus non habet auctoritatem sive potestatem fundandi Regulam, sed solum auctoritatem observandi iam fundatam et corrigendi non observantes.

Radius decimus.

Unde quum dici solet: non habet imperium par in parem, adverte, Lector, quod sanctus Franciscus nunquam habuit parem in Religione sua, quia sanctus Franciscus fuit huius Reli-

(1) Leo X, tunc temporis Pontifex summus.

gionis Fundator et Minister Generalis, et nunquam habuit parem in fundatione, licet Ministri Generales sint sibi pares in officio Ministeriatus. Unde dum in Testamento loquitur, videtur potius loqui ut Fundator quam ut Minister. Et ideo subtiliter multum dicit Papa, quod Testamentum non obligat, licet sit sanctum Testamentum et perfectum; quia ut Fundatori Regulae erant Fratres sibi obligati ex vi voti Regulae; non enim obligantur ex Regula Fundatori sed soli Ministro. Proprio tamen semper secundum Regulam ad litteram Fratres tenentur obedire Domino Honorio ac successoribus eius. Vides ergo clare, Lector, quod mortuo sancto Francisco, in solo Honorio remansit tota potestas glossandi et exponendi Regulam ad litteram, ad litteram, ad litteram.

ARTICULUS TERTIUS

Sequitur tertius Articulus qui dicitur *Argumentativus*, varie arguendo et dubia movendo eaque solvendo.

Clypeus primus.

Rimari veritatem et argumentari habemus in hoc articulo, ut supra dictum fuit juxta tertiam syllabam nominis MARIA, scilicet A.

(Hanc et sequentes paragraphos usque ad *Clypeum Octavum* omittimus, quippe quae alludunt solummodo ad quaestiones illius temporis, ad statum scilicet *Familiae*, uti vocabantur priores in Gallia Observantes, atque ad peculiares difficultates quas refellere conatur piissimus auctor)

Clypeus Octavus.

Sed quia de charitate accusamur, nos accusatoribus nostris charitatem faciamus et bona pro malis reddamus, et illis charitative ostendamus super quo Fratres habentes charitatem disputare habent; nonne super Regulam juxta sancti Patris Francisci doctrinam? Certe sic. Et quum in Regula non sint nisi tria vota substantialia, scilicet votum obedientiae, castitatis et paupertatis, et ut aliquibus placet, unum solum essentiale, scilicet charitatis, quaeramus de istis quatuor, ut quasi in speculo Regulam declaratam litteraliter videamus.

Diximus enim quod Regula ad litteram exponi non potest nisi tripliciter, nec de ea nec de aliquo in Regula posito potest fieri quaestio nisi triplex, scilicet, *quae*, *qualis*, *quanta*.

Quaero ergo de obedientia regulari sive Regulae, primo, quae sit sive quid. Et advertat lector, ut supra dixi, quod quaestionibus formatis super Regula non possumus habere nisi tres respondentes, scilicet Dominum Honorium, sanctum Franciscum et Doctorem peritum. Semperque hoc ante oculos teneatur, quod duo primi soli sunt qui exponere possunt auctoritative, id est quibus oportet assentire. Nam tertius scilicet Doctor aut Doctores exponere quidem possunt declarando, sed nemo peccat eis non credendo. Et quia mortuus est sanctus Franciscus, si responsionem habere debemus ab eo, oportet illam accipere in Regula, vel in aliquo suo scripto, aut documento vel revelatione.

Honorius vero, quia semper vivit illo modo articulo I declarato, ideo semper potest et scripto et vivae vocis oraculo Regulam ad litteram exponere.

Istis duobus, scilicet Honorio et sancto Francisco, aut altero illorum loquente, debent omnes Doctores tacere. Ubi vero passus Regulae invenitur non expositus ab altero illorum, tunc audiendus est tertius scilicet Doctor peritus, vel oportet recurrere ad Summum Pontificem.

Applicando ad propositum, quaero quid sit obedientia regularis Fratrum Minorum. Dico quod est virtus quae in voluntate existens mortificat et vivificat; mortificat propriam et vivificat Praelati voluntatem. Ex hac definitione primo sequitur, quod proprie in omni obedientia necesse est ut ad minus sint duae voluntates, scilicet illa Praelati et illa subditi. Verum quia in Praelato solet poni duplex voluntas, scilicet permissiva sive tolerativa, beneplacens et acceptativa, quaeritur de qua voluntate Praelati intelligitur in materia obedientiae. Et certum est quod non de tolerativa, alias meretrices essent in obedientia Papae vel regum qui illas tolerant. Intelligitur ergo de voluntate acceptativa. Ex quo infero quod multi sunt Fratres qui non plus sunt in merito obedientiae quam meretrices in obedientia Papae. Patet, quia sicut Papa non tolerat lupanaria in civitatibus nisi ut evi-

tentur majora mala, ita multis Fratribus Praelati non dant obedientias nisi ut evitentur majora mala, quia apostatarent vel aliud hujusmodi facerent.

Quaero consequenter qualis est regularis obedientia Minorum? De hoc legi tres opiniones. Duae primae sunt erroneae; tertia est catholica.

Prima opinio dicebat quod erat evangelica, ita quod Fratres Minores tenebantur ad observantiam totius Evangelii; propter hoc se vocabant Fratres de *Evangelio*.

Secunda dicebat quod obedientia Minorum erat generica, scilicet quod non tenebantur obedire nisi Generali Ministro, nisi forte contingeret quod Papa esset Frater Minor, sicut fuit Papa Sixtus. Dicunt enim quod absonum est Minores obedire non Minoribus, nisi obedientia universali, modo illo quo omnes tenentur, qui Christiani sunt, obedire Papae. Sed omnia ista sunt erronea.

Ideo est tertia opinio sancti Bonaventurae, vera et catholica, scilicet, quod obedientia regularis secundum Regulam Fratrum Minorum est ordinata et apostolica; id est quod ordinate et in primo gradu Fratres Minores tenentur obedire Papae, deinde aliis, puta Ecclesiae; secundo, Protectori vel Ministro Generali, sicut supra declaratum est. Et in hoc apparet quod obedientia Fratrum de Familia est regularis; et quod illa Fratrum... secundae opinioni adhaerentium non est regularis. Unde dicit sanctus Bonaventura super primo in sua *Expositione Regulae:* Etsi totus Clerus et Religiosorum universitas teneatur firmiter apostolico Domino obedire, sanctus Franciscus huic debito votum adjecit speciale, sciens voto superveniente et fortificari sacri Ordinis vinculum, et meritum geminari. Et paulo post subdit: « Et alii Fratres teneantur Fratri Francisco et ejus successoribus obedire, » ut catenae aureae uncinis mediis disponantur, et sic inferiores ad superiorem verticem per alios medios reducantur. Hic est enim motus rectus mentium divinarum, ut sanctus docet Dionysius; et sic scala Iacob ascendentibus et descendentibus adornatur. Et sic ascensu purpureo filiae Ierusalem pergunt in reclinatorium Salomonis. » Haec omnia sanctus Bonaventura.

Videamus consequenter *quanta* sit obedientia regularis Minorum. Et de his varias opiniones ponit Bonaventura, imo nisi subsiliter intelligatur, videtur sibi contrarius sanctus Bonaventura in Theologia et in Apologia. Nam ea quae dicit in secundo Sententiarum de obedientia videntur alia ab his quae dicit in sua Apologia, et credo quod esset Sedes apostolica consulenda. Nam propter illa verba quod Fratres obediant suis Ministris in omnibus quae promiserunt Domino observare et non sunt contraria animae suae et Regulae, valde Doctores in opinione diversificantur. Varietas autem opinionum potius confundit Fratres simplices quam consoletur aut doceat. Inter autem omnes opiniones haec mihi verior videtur et de intentione Sancti Francisci ad litteram, scilicet quod de Regula dicatur sicut sanctus Ioannes in suo libro Apocalypsis dicit: « Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiae hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitae. » (1) Unde dicit haec opinio quod Sanctus non accipiebat contrarietatem logicae aut physicae, sed simpliciter; sicut vulgo videmus quod homines habentes aliquod statutum vel ordinationem, dicunt mox ubi sit aliqua alteratio vel additio, quod sit contra statutum ipsorum, nec vadunt ad illam subtilitatem, quod non est contra, scilicet *praeter* vel *supra*. Nam Sanctus volebat quod Ministri facerent observari Regulam ad litteram, nihil addendo et nihil removendo vel diminuendo.

Et hujus opinionis videtur esse sanctus Bernardus, qui in libro de desponsatione, dicit: Subditus nec citra promissum est inhibendus, nec ultra cogendus per legem *obedientiae*. Et utinam ita esset in qualibet Religione, quod paucae essent obligationes ad culpam et multae ad disciplinam vel temporalem poenam! Sed haec missa facio quae requirunt longiorem tractatum.

Clypeus nonus.

De Castitate etiam quaerimus, quae, et quanta. Quoad *quae,* nulla est difficultas nisi una, scilicet propter illos quos videtur sequi Cancellarius Parisiensis, qui tenent quod cum

(1) Apoc. XXII-18, 19.

votum cadat semper super licito, ideo Religiosus propter votum castitatis solum obligatur abstinere a matrimonio, sicut per praecepta Dei obligatur abstinere ab omni alio actu venereo.

Alia opinio dicit quod etiam ratione voti obligatur Religiosus ut vivat caste, cavens ab omni actu luxuriae, qualiscumque sit exterior vel interior, cum quacumque persona aut creatura. Et haec opinio videtur verior, sicut dixi in Tractatu qui dicitur: *Tota pulchra*. Trahit enim ad se majus dignum minus dignum. Consilia autem sunt digniora et perfectiora praeceptis, sicut dixi in alio Tractatu, qui dicitur: *Lucerna Mariae Virginis*.

Videamus ergo qualis sit castitas Minorum. Et dico quod in Regula tripliciter modificatur. Modificatur scilicet quod

1.° Fratres non habeant suspecta consortia vel consilia mulierum.

2°. Non ingrediantur Monasteria Monacharum.

3°. Nec fiant compatres virorum vel mulierum.

Dicit autem unus Doctor quod consortium importat moram vel permanentiam, sed consilium dicit verbum vel loquelam. Unde Frater qui cum aliqua proba matrona stat per horam in mensa, habet consortium et tamen si non loquatur, non habet consilium. Dicit consequenter quod Fratribus neutrum est prohibitum, scilicet nec consortium nec consilium, nisi quando alterum esset suspectum, quod maxime Fratres debent scire quid sit suspicio. Dicit autem quod ista suspicio est minorica et non alia, quia alias in Regula aliquid esset superfluum, quia frustra prohiberetur illud quod omnibus esset prohibitum generaliter. Unde concludendo dicit, quod suspicio minorica dicitur quoties Frater Minor cum aliqua muliere devota vel non devota, virgine vel uxorata, dicit verbum vel ostendit gestum vel facit tactum, quae non solent fieri nisi ab amatoribus malis hujus mundi. Volebat enim sanctus Franciscus Fratres suos summe elongatos esse a mulieribus tam affectu quam affatu, tam tactu quam gestu.

Quo ad *quanta*, videndum esset si castitas Minorum sit tam elongata a consortio et consilio mulierum, et in tam alto gradu quod omnia supradicta sint judicanda mortalia, quum pauci Fratres abstineant a multis familiaritatibus, qui tamen pro toto mundo nollent peccare mortaliter cum aliqua muliere, si cognoscerent talia esse mortalia. Et credo quod tutius esset consulere Sedem Apostolicam, nam propter tot opiniones nihil nunc dicam.

Clypeus decimus.

Finaliter quaerimus de paupertate, quae, qualis et quanta. Quoad *quae*, satis declaravit Sedes apostolica, quod est nihil habere nec in proprio nec in communi. Nec valet si dicatur quod Papa Joannes XXII aliter declaravit, nam finaliter convenerunt in unum Papa cum Praedicatoribus ex una, et Frater Ubertinus cum Minoribus ex altera. Super qua concordia saepe admiratus sum; maxime quia Ubertinus prius condemnatus est etiam a Sede apostolica in quadam alia materia; at ipse ab Ordine Minorum propter hujusmodi condemnationem recessit ad Ordinem Carthusiensium. Quum autem esset tempestas in Ordine Minorum, Papa Joanne XXII illum persequente, misit idem Joannes ad Ubertinum, an defendere sciret opinionem suam super supradicto articulo *de nihil habendo*. Tum scripsit Ubertinus opinionem suam et misit Papae, quae approbata fuit ab ipso Papa. Mirum de Dei ordinatione et providentia. Per illum restituta est pax Ordini Minorum, per quem fuerat totus ipse turbatus Ordo Minorum. Unde placet litteras ipsius Ubertini hic interserere. quas refert in sua Chronica Nicolaus Clansberger.

Igitur Frater Ubertinus de Casali, qui dudum tempore Domini Clementis V Ordinem Carthusiensium intraverat, propter tribulationem quam in Concilio Viennensi habuerat, anno Domini 1330, in quadragesima, Dominica de Passione, requisitus de mandato Summi Pontificis Joannis XXII per R. P. N. Cardinalem, quod de quaestione de paupertate Cristi breviter scriberet quod sibi visum esset tenendum, respondit Frater Ubertinus ad quaestionem praedictam, quod non est respondendum simpliciter *affirmative* vel *negative*, sed per duplicem distinctionem eligenda est veritas fidei et haeresis respuenda.

Primo distinguendus est de Christo et apostolis qui fuerunt in duplici statu: fuerunt e-

nium universalis Ecclesiae praelati novi Testamenti. Et hoc modo habuerunt quantum ad dispensationis et distributionis auctoritatem, pro dando pauperibus et Ministris Ecclesiae, sicut de apostolis dicitur. Et negare quod non habuerunt isto modo esset haereticum. Et de hoc non quaerit quaestio, quia nullus in isto proprium negavit ex ista praelationis auctoritate CHRISTUM loculos habuisse.

Secundo, possunt considerari CHRISTUS et Apostoli ut personae singulares et fundamenta perfectionis religiosae, et perfecti mundi contemptores, et gloriam mundi calcantes, et CHRISTI consilia de supererogatione perfectionis in seipsis observantes, et omnibus observare volentibus dictae perfectionis exempla lucida tribuentes. Et si quaeritur utrum isto modo habuerunt discipuli, distinguendum est de duplici modo habendi, quorum primus est civilis et mundanus, quem modum habendi leges imperiales definiunt duas eis proprietates ostendentes haec verba: Ea haberi in bonis illis dicuntur in quibus habitis defensionem, et non habitis repetitionem habemus. Et ita patet quod qui habet aliquid civiliter et mundane, potest defendere rem suam ab invasore, et repetere a detentore in judicio a judice imperiali. Et dicere quod habuerunt isto modo CHRISTUS et apostoli res mundanas, est haereticum, quia est contra sanctum Evangelium. Nam CHRISTUS, rex pacificus, qui apostolos suos fecit filios pacis, separavit eos ab omni mundano et litigioso, dicens: « Et qui vult tecum in judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. » (1) Item alibi: « Ab eo qui aufert tibi vestimentum et tunicam, noli prohibere... et qui aufert, quae tua sunt, ne repetas. » (2) In quibus verbis CHRISTUS removet a se, (quia ipse fecit quod docuit) et ab apostolis quibus hoc ipsum imposuit, duplicem proprietatem juris civilis et mundani, scilicet defensionem habiti et repetitionem deperditi. Et iste modus habendi proprie dicitur in re habere proprietatem et dominium. Et quia CHRISTUS et apostoli isto modo nihil habuerunt, idcirco Beatus Petrus pro se et omnibus aliis apostolis dixit sicut verus pauper: « Ecce nos reliquimus omnia

(1) Math. V. 40
(2) Luc. VI. 30

et secuti sumus Te. » (1) Dicere ergo quod CHRISTUS et apostoli isto modo habuerunt proprietatem et dominium in communi vel in speciali est haereticum et blasphemum. Et isto modo credo volunt dicere Fratres Minores, licet non bene distinxerunt diversos modos habendi.

Secundo modo possunt haberi res temporales quantum ad jus naturae vel jure charitatis fraternae. Et isto modo habuerunt CHRISTUS et apostoli bona temporalia jure naturali, quod ab aliquibus dicitur jus poli, ad sustentationem naturae, repellentesque divitias, ne aliquid male saperent vel recolerent, vel mundi pompam nutrirent. Et isto modo habuerunt panes vel pisces et vestimenta sicut dicit apostolus: « Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus. » (2) Nec est aliqua professio vel aliquid consilium CHRISTI quod prohibeat talem modum habendi, scilicet quantum ad necessarium usum naturae et vitae. Et ideo dicere quod isto modo non habuerunt est haereticum. Et sic credo quod volunt dicere Fratres Praedicatores. »

Haec est responsio Fratris Ubertini de Casali, lecta in consistorio, ad quam utraque pars praesens respondet: Non resistimus isti schedulae. Et fuit hoc pro tunc commendatum et approbatum. Hoc dixit Ubertinus anno Domini 1330 die 27 mensis Septembris, paratus ostendere omni volenti rationem videre quod quidquid in contrarium est statutum vel in disputativis quaestionibus determinatum esset haereticum, et sacrae Scripturae et determinationi universalis Ecclesiae inimicum. His Papa auditis, reconciliatus fuit Ordini et omnibus Praelatis Ordinis, excepto Michaele de Caesena et ei adhaerentibus.

Consequens est ut videamus *qualis est* paupertas regularis Fratrum Minorum. Et *dico* sententialiter, licet non ponam verba, cum Domino Petro Aureoli, cujus opinio fuit approbata a Sede Apostolica in hac materia contra Petrum Joannem et Ubertinum et alios multos Doctores, quod paupertas Minorum qualificatur dupliciter, scilicet quali essentiali et quali accidentali. Et voco quale essentiale quando obligat ad mortale; sed accidentale

(1) Math. XIX. 27
(2) I Tim. VI, 8

quando non. Scio enim quod virginitas melior est matrimonio, nec tamen sequitur: ergo matrimonium est malum; nam in bono sunt gradus. Et licet aliqui Fratres servent paupertatem altiorem et perfectiorem in uno conventu quam alii in alio, tamen per hoc non sunt condemnandi tamquam transgressores voti paupertatis, qui servant illam in gradu imperfectiori respectu aliorum nisi essent extra latitudinem paupertatis, Regulae, quae non consistit in indivisibili, et quum sit virtus moralis non consistit in immutabili. Oportet enim secundum alias et alias circumstantias virtutes morales mutari et variari, et quod vitiose sit hic vitiose sit alibi, ut patet in celebratione Missae, quae fieri non debet nisi in loco sacro. Et similiter quod bene fit hodie male sit alio die, ut patet de opere servili, puta arare vel colere agros, quod die Dominica fieri non debet. Et istud bene ostendit discretus ille Pater sanctus Franciscus dicens in Regula: *secundum loca et tempora et frigidas regiones.*

Prudentissime igitur declaravit Sedes apostolica dicens: Declarando dicimus quod Fratres Minores ex professione suae Regulae specialiter obligantur ad arctos usus seu pauperes, qui in ipsorum Regula continentur, et eodem obligationis modo sub quo ponit seu continet dicta Regula dictos usus. Dicere autem, sicut aliqui perhibentur, quod haereticum sit, tenere usum pauperem includi vel non includi sub voto evangelicae pauperpatis, praesumptuosum et temerarium judicamus. Ex quibus verbis lector notet duo: 1. quod nec includitur nec excluditur usus pauper sub voto paupertatis. Nam usus, ut diximus, saepe mutatur, votum autem semper manet. Et datur pro intellectu hujus bonum exemplum. Quaero ab aliquo utrum esse album sit de ratione hominis. Certum est quod non; tunc enim omnes homines essent albi. Accidit ergo homini esse album; et ideo nec includitur nec non includitur in sua ratione.

2° Notet lector quod solum in Regula ponuntur praeceptorie septem usus pauperes, qui sunt sicut septem columnae domus franciscanae super quas aedificata est. De quo pulchra figura habetur Proverbiis IX, et secundum istos usus septem respondet quaestioni de *quali* supradictae, scilicet quod septempliciter qualificatur, loquendo semper de quali essentiali.

Primus itaque usus pauper est in non posse dare consilium Novitiis super dispositione suorum bonorum, cap. II.

Secundus est in non posse recipere pecuniam per se vel per interpositam personam, cap. IV.

Tertius in non posse vivere nisi ex mendicatis. Adverte tamen quod mendicare varie accipitur, hic autem dicitur ex alieno vivere oblato vel petito, vel pro labore manuum reddito. Cap. V et VI.

Quartus usus est de non habendo plures tunicas. Cap. II.

Sextus est de non equitando, Cap. III.

Septimus, de utendo vilibus vestimentis, Cap II.

Veniamus ad *quanta* sit haec paupertas, utrum scilicet sit altissima, ita quod obliget ad altissimos gradus. Et patet per praedicta quod non, et quod semper in Regula vel Religione est una paupertas de decentia et sub consilio; alia vero cadit sub praecepto et est de essentia Regulae.

O utinam de istis fieret sermo et disputatio a nostris Doctoribus et Magistris, qui nos arguunt de charitate! Tamen plus timeo a Deo argui de paupertate. Unde quaero ab illis, quum sit certum quod paupertas nihil prosit sine charitate, quia regula theologorum est quod nulla virtus moralis vel corporalis prodest ad meritum gloriae sine virtute theologicali, praecipue sine charitate; ergo quum dicatur a Doctoribus quod filius ex praecepto Dei, ceteris paribus, plus tenetur diligere patrem quam alium hominem, quaero etiam utrum Frater Minor teneatur ex voto suae Regulae plus diligere Fratrem quam alium quemcumque, quum Regula dicat cap. VI: « Si mater diligit et nutrit filium suum carnalem quanto diligentius debet quis diligere et nutrire Fratrem suum spiritualem. » Verbum autem *debet* videtur importare debitum sive obligationem. Praeterea ipsi ponunt votum charitatis esse essentiale, distinguentes tria genera votorum, scilicet essentiale, substantiale et accidentale, sicut de praemio dicit sanctus Bonaventura in Breviloquio, quod

est triplex praemium, substantiale et accidentale: et forte quod melius diceretur similiter in votis, quod unum esset substantiale, scilicet charitatis, et alia tria consubstantialia, quae etiam dicuntur substantialia. Omnia autem in Regula contenta dicuntur accidentalia respectu substantialium et consubstantialium. Sed de his transeo, quia alibi satis dixi, et quod respectu charitatis sit consilium evangelicum, vide dicto tractatu: *Lucerna Mariae.*

Nunc autem utiliter solum unum in charitate a magistris nostris quaero de paupertate an non videatur vulnerata tamquam altera Aegyptus decem plagis? Nam prima plaga videtur in hoc quod aliqui habent redditus.

Secunda, quia aliqui habent capellanias.

Tertia, quia aliqui habent legata perpetua ad accipiendum ligna in tali sylva, etc.

Quarta, quia aliqui in curiis defendunt litigando pro suis privilegiis, quum nihil juris habere possint Fratres Minores.

Quinta, quia recurrunt ad amicos spirituales passim et sine necessitate, imo aliquando secum ducunt judam vel bursarium.

Sexta, quia congregant in horrea et cellaria superflua, nunquam eleemosynas etiam pecuniarias recusantes. Et si haberent hodie centum ducatos qui sufficerent, et crastina die offerantur alii centum, omnes accipiunt, insatiabiles, nihil recusantes propter alios pauperes quos defraudant.

Septima plaga, quia procurant subditi sine licentia et dant omnes; vendunt et emunt, ut videantur potius mercatores quam Fratres Minores.

Octava est in sollicitudine: nam cum paupertas sit virtus moralis et per consequens in ea sit necessaria circumstantia finis, qui est secundum Doctores ut pauperes liberius vacent Deo et orationi, tamen videmus propter temporalia et quaestus chorum, officium divinum et orationem dimitti.

Nona est de superfluitate et sumptuositate aedificiorum et ornamentorum, tam habituum Fratrum Conventus quam ecclesiae illorum.

Decima est in leccacitate cibariorum et multiplicitate mulorum, equorum, curruum, jumentorum.

Finem audiamus. Qui sanus est ab hujusmodi plagis videat ne cadat. Qui autem infirmus et plagatus, obsecro ut medicum quaerat et sanetur ante mortem, quia post mortem nulla nobis cura est speranda.

Virgo Maria quae est nostrae Regulae vera Mater et Imperatrix haec nobis concedat ut coram Filio suo mundi et sani appareamus in judicio. Dixi autem quod Maria Virgo est Mater Regulae et Imperatrix. Unde si quaeratur de causa efficiente Regulae Fratrum Minorum, respondendum est quod in triplici gradu reperitur causa efficiens. Nam Christus fuit in primo gradu et principalior causa. In secundo gradu fuit Virgo Maria. In tertio fuit sanctus Franciscus. Et haec tria simul tangit sanctus Bonaventura in Legenda parva et magna, capitulo *de transitu mortis sancti Francisci.* Ad sanctam Mariam de Portiuncula se deferri poposcit, ut ubi per Virginem Matrem Dei spiritum conceperat perfectionis et gratiae, ibidem mortis soluto debito ad bravium perveniret retributionis aeternae. Et in magna Legenda, cap. III *sic dicitur*: In Ecclesia enim Virginis Matris Dei moram faciente servo ipsius, et apud Eam, quae concepit Verbum plenum gratiae et veritatis, continuis insistente gemitibus, ut fieri dignaretur advocata ipsius, meritis Matris concepit ipse ac peperit spiritum evangelicae veritatis.

Ex supradictis infero tria. Primo quod Fratres Minores sunt Religionis sive de Regula litterae Mariae Virginis. Secundo, quod ipsi, ad imitationem Patris sui, debent in vita et in morte recurrere ad Virginem. Tertio quod Fratres Minores super omnes Religiosos totius sanctae Ecclesiae debent amare et revereri et honorare dignissimam Dei Matrem et Virginem Mariam. Amen.

Deo gratias et Mariae

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1885 celebrata

XXXIX

Ref. Provincia S. Didaci Insubriae

Die 13 Octobris in Generali Congressu electi et nominati sunt:

Minister Provincialis.

A. R. P. Clemens a Pavona, ex Def. Genlis.

CUSTOS VOCALIS.

R. P. Desiderius a Castronovo Scriviae.

DEFINITORES.

R. P. Lucas a Masino.
R. P. Bartholomaeus a Mairano.
R. P. Caietanus a Burgomaneiro.
R. P. Bonaventura a Silvano Orbae.

—

MINISTERIA SPIRITUALIA

PROVINCIAE ANTONIANO-BAVARICAE
per annum Capitularem 1884-85.

Numeravit 103 presbyteros in 17 Conventibus et 10 Hospitiis.

Missiones	7
Conciones	2,172
Exhortationes	154
Catecheses	834
Conversiones	1
Confessiones.	463,400
Communiones	468,376
Assistentiae moribundorum . .	1,817
Erectiones S. Viae Crucis . .	74
Ad III Ordinem admissi. . .	2,139
In eodem ad Professionem admissi	2,097
In Confraternitates suscepti . .	42,394
Baptismi	22
Assistentiae matrimoniis contrahendis	14
Actus funerales.	20
His accedunt in Parochia Monacensi ad S. Annam	
Baptismi	440
Funeralia.	400
Matrimonia	115

—

FRUCTUS MISSIONUM

per Patres Provinciae S. Stephani Ord. Minor. S. P. Francisci strictior. obs. in Transsylvania, ab ultima iulii A. 1884 usque IIam Intermediam Congr. A. 1885 celebratam, auxiliante Deo comportati.

Infantes e christianis parentibus baptizati	537
Sacramentum poenitentiae administratum sanis	23,793
. . infirmis.	698
Sacramentum Eucharistae administr. sanis et infirmis	26,769
. . . . infirmis per mod. viatici	612
Sacramentum extremae unctionis administratum	387
Matrimonia benedicta	249
Conciones	1,493
Catecheses.	3,093
Sepulturae mandati	441
CONVERSI:	
E calvinismo.	9
Ex arianismo	2
Scholares in Scholis religios. instituti et alibi catechisati	2,057
In III Ordinem suscepti sunt .	163

III.
MISSIONES

—

INFORMATIONES

DE STATU MISSIONUM SINGULARUM

ad S. Congregationem de Propaganda fide mittendae.

Cum accurata Catholicarum Missionum descriptio iussu SSmi Domini Nostri LEONIS Div. Prov. PP. XIII redigenda sit, quae earum statum tum formalem tum materialem exhibeat, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide *brevissime* ac *distincte* quae sequuntur exponentur.

1. Origo uniuscuiusque Missionis, ac praecipuae vicissitudines summatim attingantur.

2. Confinia territorii, in quo Dioecesis, Vicariatus Apostolicus, aut Praefectura continentur, dilucide describantur, tum per gradus longitudinis ac latitudinis, tum per flumina, montes, aut alia loca queis missio circumscribitur.

3. Indicentur limitrophae iurisdictiones, et addatur, si fieri possit, charta Missionis geographica.

4. Edicatur cuius dominio populus civiliter subsit.

5. Qua utatur lingua,

6. Quodnam sit clima regionis et quinam morbi in ea forte praevaleant.

7. Quinam incolarum, catholicorum numerus, et qui eorum ritus.

8. Indicetur numerus Paroeciarum vel stationum (1) quibus Missionarii deserviunt et nomen vulgare locorum in quibus extant edicatur.

9. Utrum Ecclesia Metropolitana sit, an Episcopalis, et cuius Suffraganea, num regatur potius a Vicario vel Praefecto Apostolico. Ubi Praesul residet notetur.

10. Exhibeatur numerus Ecclesiarum vel Sacellorum.

11. Quot in missione adsint Sacerdotes, Clerici aut catechistae, et quot ex illis sint indigenae.

12. An habeatur Seminarium vel Collegium Ecclesiasticum clericis instituendis, et quibusnam in eo studiis opera impendantur?

13. Quaenam sint Instituta regularia, et qui numerus Virorum religiosorum ac Monialium?

14. Quot sint scholae catholicae, et quaenam in iis ratio studiorum et alumnorum frequentia.

15. Quae insuper instituta educationis vel charitatis existant.

—

ERRATA — CORRIGE

In fasciculo X, pag. 157, ex inadvertentia omissum fuit nomen *R. P. Iosephi Mariae a Terranova*, Vice-Praefecti Apostolici, et Coloniae Melitensis praecipui adiutoris.

—

STATUS

animarum et spiritualis administratio Vicariatus Apostolici Hou-pe occiduo-septentrionalis anno 1884-1885.

Christianitates	92
Christiani in catalogo descripti	5, 802
Missionarii Europaei	8
» » Sinenses	8
Baptizati adulti	128
» » infantes fidelium	196
Confessiones annuales	3, 628
» » devotionis	12, 189
Communiones annuales	3310
» » devotionis	13, 624
Matrimonia benedicta	48
Extremae unctiones administratae	135
Confirmationes	112
Vita functi	169
Praedicationes ad fideles	2, 423
» » ad infideles	1, 317
Missiones	92
Sacella Vicariatus	26
Alumni Seminarii	12
» » Collegii	12
» » Scholarum	310

Sancta Infantia

Medici baptizatores	65
Infantes infidelium baptizati	2, 667
» » » » collecti	112
» » » » aliti	277
» » » » mortui	1, 707

Orphanotrophium puerorum

P. Magister	1
Inservientes	2
Pueri	28

Orphanotrophium puellarum

Religiosae indigenae 3. Ordinis S. Francisci	18
Puellae	68
Vetulae paganae collectae	5
Mulieres inservientes	5

(1) Stationes vocantur ea loca, in quibus Missionarius *residet*.

IV. BIBLIOGRAPHIA

—

1885. Il Romano Pontificato nella storia d'Italia, per il P. Marcellino da Civezza Min. Osservante. Firenze, tipografia di Mariano Ricci. Via San Gallo, 31.

Vol. I. in 8°, pag. XIII - 709.

De hoc egregio opere referre juvat, *quae* diarium *Unità cattolica* scribebat die 24 Novembris:

« Con questo titolo si è pubblicato or ora in Firenze il primo volume di un'Opera importantissima, che sta scrivendo il Padre Marcellino da Civezza, Minore Osservante, il quale ne ebbe direttamente l'incarico dal regnante Pontefice, e la dedica « alla Santità di Leone XIII, che, col nuovo favore dato agli studi della filosofia, delle lettere e della storia, ristaura le vie che conducono al sommo ed unico bene. Il Padre Marcellino appose all'Opera sua queste parole di Cesare Balbo ne' suoi *Pensieri*, tit. I, cap. 21: « Quando

la vera filosofia della storia, cioè la storia della civiltà cristiana, sia fatta, io credo che passerá in dogma storico universale quanta parte di quella civiltà, e massime dell'italiana, sieno stati i papi. » Ed è la storia della civiltà cristiana che ha intrapreso a scrivere il Padre Marcellino, una vera gloria delle lettere italiane e della Liguria. Egli mostra la Provvidenza nella storia, e come alla romanità e centralità della Roma pagana sottentrasse l'unità e centralità della Roma cristiana e pontificale; e Roma, per il Pontificato, si avanzasse verso il suo vero destino, e l'Italia, sotto l'azione della Chiesa, sì consolidasse nel suo essere di Nazione, e sempre i Romani Pontefici proteggero l'Italia nelle sue lotte e nelle sue sventure.

« Questi fatti storici espone con elegante dettato e copia di erudizione il P. Marcellino da Civezza, e l'opera sua accenna a riuscire un lavoro capitale, che, oltre al difendere la verità e la causa della Chiesa, illustrerà anche le lettere italiane. Nella sua prefazione datata da Firenze, il dì sacro al patriarca S. Francesco, il P. Marcellino accenna alla mediazione del Papa nella questione delle Caroline, e invita gli Italiani a por mente « che, mentre si va gridando finita l'azione sociale del Romano Pontificato nelle trattazioni internazionali dell'Europa, due delle principali potenze di essa, e una non cattolica, al supremo arbitrato del Vicario di G. Cristo sottopongono una gravissima questione che le riguardano. » E dice questo fatto un provvidenziale avvertimento « per ritrarci dalla mala via in cui le sette vorrebbero spingerne fin all'abbisso, distruggendo ogni nostra gloria e togliendoci ogni possibilità di continuarla ».

II et III volumen in decursu anni 1886 edentur.

1885. Compendium notionum philosophicarum sub dialogi forma, in usum incipientium, auctore Fr. Antonio de S. Marianova, Min. Obs. Vol. II. Ad Claras Aquas, prope Florentiam, ex typog. Collegii S. Bonaventurae; in 8°, pag. (L. 3).

Huius operis vol. I. jam annuntiavimus, fasc. V. pag. 75.

1885. The Franciscan Manual, and Seraphic treasury of prayers and devotions, with encyclical, constitution, new rule and ceremonial of the third Order by His Holiness Leo XIII; also the archiconfraternity of the cord, and indulgenced devotions; to which are added epistoles and gospels, and a choice collection of hymns, by Fr. Jarlath Prendergast, O. S. F. (Provinciae Belgii) Second edition.

1885. ORIGINE DELLA VIA CRUCIS *in Oriente e in Occidente. Notizie storiche, critiche, e morali* per P. CARMELO DA NAPOLI, def. Gen. de M. R. Seconda edizione, rifatta ed accresciuta di una istruzione a coloro, che bramano l'impianto della Via Crucis nelle loro chiese, oratorii privati ecc.; agli Erettori che la erigono, col Rituale onde erigerla; ai fedeli per ben praticarla con tre formole di meditazioni, e la Via Matris; aggiuntavi in fine un'appendice della Via Crucis perpetua, recentemente istituita dai Francescani, approvata, e d'indulgenze arricchita dal regnante Pontefice Leone XIII. Napoli. Tipografia degli Accattoncelli, in 16, pag. 152 (Prezzo cent. 40).

1885. SAINT LOUIS, *prince royal, Evêque de Toulouse et* LA FAMILLE D'ANJOU au treizième siècle, d'après des documents inédits par l'Abbé V. Verlaque, Docteur en Théologie, correspondant du Ministère de l'Instruction publique pour les travaux historiques. Paris, librairie E. Plon, Nourrit et Cie, imprimeurs-éditeurs, rue Garancière, 10. In 12, Pag. 209.

1886. GLITTERING STARS ON OUR LADY'S MANTLE; or, select illustrations of Mary's Greatness and Goodness, by Rev. P. THADDAEUS, O. S. F. (Prov. Belgii) R. Washbourne, 18 Paternoster Row, London in 16. Pag. VIII-279.

1885. The life of Father LUKE WADDING, founder of St. Isidore's College, Rome, author of « Scriptores Ordinis Minorum, et Annales Minorum » by Rev. Ios. A. O'Shea O. S. F. (Provinciae Hiberniae). Dublin, M. H. Gill. and son.

1885. ESTADISTICA DE LA COMISARIA GENERAL de la Orden Franciscana EN LA REPUBLICA MEXICANA. Guadalajara, Tip. de Ancira y Hns., santo-Domingo num. 13. In 16, (pag. 64).

Optandum foret ut singuli Commissarii Generales similem statum Collegiorum ac d morum respective sibi subditorum describi curarent; hac de causa indicem opusculi tradimus:

« Extension y limites de la Comisaria. — Gobierno y legislacion civil. — Estados — Obispados. — Provincias. — Colegios. — Terceras Ordenes. — Nombres de los Religiosos. — Elenco del numero de Religiosos que tiene cada Provincia y Colegio. — Catalogo de las sedes episcopales, Conventos, Colegios y Terceras Ordenes. — Itinerarios. — Plano General. »

Serius publicabimus huius status compendium.

1885. L'UOMO IN PARADISO per Fra ERMENEGILDO DA CHITIGNANO, M. R. Quaracchi, presso Firenze, Tip. del Collegio di S. Bonaventura. In 16. pag. 321 (L. 2, 50.)

INDEX

1885. LES GROTTES DE SAINT ANTOINE DE PADOUE à Brive (Corrèze) (Souvenir du Pèlerinage) par le R. P. ALEXANDRE MARIE, Franciscain de l'Observance, de la Province de Saint-Louis d' Anjou. Se vend; O fr. 50 c. franco. A Bordeaux, chez les Relig. Franciscaines 38, rue de la Teste. A Brive, chez M.lle Charbonnel, Place de la Mission. (In-32, pag. 158.)

1885. CATECHISMO DELLA REGOLA DEI FRATI MINORI, compilato dal P. ANDREA DELFINO DA TORTONA, Lettore giubilato dell'osservante Provincia di Bologna.

Bologna. Tipografia Pontificia Mareggiani, Via Marsala N. 4, pag. 381. in 16. (Prezzo L. 3)

1885. LE PAROCCHIE FRANCESCANE IN DALMAZIA del P. GIOVANNI MARKOVIC, Min. Oss.

Zara, Tipografia „Kat. Herv. " pag. 134 in 16.

1855. LA DIVINA PBOVVIDENZA E LA CHIESA, *ossia la storia della Chiesa Cattolica* presentata secondo i suoi veri principii dal M. R. P. ANTONIO MARIA BORGO DI VICENZA, dei Minori Riformati della Provincia di Venezia. Edizione postuma. Venezia. Tipogr. Edit. E. libr. dell' Immacolata, Campo SS. Giovanni e Paolo. Ponte Cavallo — 6381. In 16, pag. 218. (L. 1, 50).

INDICE

V.
NECROLOGIA

R. P. PETRUS ANTONIUS DIAZ, natus in *Chiloë* anno 1822 et sexagesimum quartum aetatis suae annum agens, postquam devote susceperat sanctissima Ecclesiae Sacramenta die XXVI superioris Septembris obiit in Conventu BARONIS Vallis Paradisi (*Valparaiso*). Longiorem pectoris infirmitatem, qua consumptus est, patienti et submisso animo toleravit. Unus ex iis fuit, qui primum in novo Collegio SS. IESU de Castro e manibus novi Guardiani P. Dominici Pasolini, anno 1840, Novitiorum habitum sumpsit. Sacerdos factus anno 1847, Capellani munus per tres annos gessit in nuperrime condita Colonia de *Magallanes*. Una cum Patribus Sentinio Begambi et Joanne Pompei Conventum *Aconcagua* fundavit, et anno 1872 Collegii de S. Antonii in civitate de Castro Guardianus electus est. Quo munere laudabiliter expleto, ad Conventum *del Baron* in *Valparaiso* fuit destinatus, et ibidem semper clarius eius zelus patuit pro salute animarum in Missionibus, quas fere continuo et per aliquot annorum seriem in hac Archidioecesi habuit. Simplice sermone utebatur, sed valde efficaci et fructuoso. In sacro autem Confessionis ministerio adeo affabilis erat, ut peccatores ad eum libenter accurrerent. Harum virtutum splendore, sed praesertim humilitate, populorum amorem et existimationem sibi con-

ciliavit, et memoria eius in benedictione est. Religiosae nostrae disciplinae observantiam coluit, et in communibus actibus fuit assiduus. *Lux perpetua luceat ei.*

Adm. R. P. HIERONYMUS ROMAGNOLIUS, Observantis Provinciae Picenae lector iubilatus. Ortus honestis parentibus Laureti anno 1829, iuvenili aetate Ordini nostro sese addixit. Solemnibus postea votis nuncupatis, et animum seraphicis excoluit virtutibus et ita incubuit insuper ad studia, ut non sine laude philosophiam Firmi in Piceno, mathesin apud Dalmatas in Provincia SS. Redemptoris, sacram denique Theologiam nostris alumnis Veronae tradiderit. Quo etiam loco, pulsis e Coenobiis regularium Ordinum sodalibus, eligitur archipresbyter ad S. Bellini Adriensis dioeceseos. Hanc P. Hieronymus Curiam optime quidem rexit; numquam tamen, opinor, laetus. Namque discupiebat socios sibi carissimos repetere et reliquum vitae inter eos ducere tempus. Talia scribebat adm. R. Ministro provinciali Marchiae, a quo sodalem obtinuit comitem sui ad nos futuri mox reditus. At paullo post tam gravi corripitur morbo, ut a medicis sit omnino depositus. Quare susceptis devotissime Ecclesiae sacramentis, ac divinae acquiescens voluntati, piam efflavit animam v calendas huiusce mensis decembris, et anni 1885.

Nihil obstat.

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

TABULA MATERIARUM

PERIODICI

ACTA ORDINIS MINORUM

ANNO 1885.

—

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA.

II.

ACTA ORDINIS

Incitamenta seraphica ad Fratres nostros.

Capitula Provincialia celebrata

anno 1884.

anno 1885.

III.

MISSIONES

IV.

Bibliographia

V.

Necrologia

VI.

Varia.

ERRATA — CORRIGE

Pag. 19 col. 1 lin. 37, *centum annorum*,
lege: *centum dierum*

» 32 col. 2 lin. 25, Eligii Cos,
lege: Eligii Cosi.

» 46 col. lin. 36, *epistaolae uctor*,
lege: *epistolae auctor.*

» 67 col. 2 lin. 11, *eecclesiis*,
lege: *ecclesiis.*

» 94 col. 1 lin. penultima, *Verumtam*,
lege: *Verumtamen.*

» 107 col. 1 penult. lin. *praesunt*,
lege: *praeeunt.*

» 109 col. 2 lin. 36, *Vicariatus Ku-pe*,
lege: *Hou-pe.*

» 111 col. 1 lin. 10, *aadance*,
lege: *advance.*

Ibid. » lin. 17, *cauntains*,
lege: *countains.*

Pag. 112 col. 2 lin. 13, *manus*,
lege: *munus.*

Ibid. » lin. 14, *Monialius*,
lege: *Monialium.*

Ibid. » lin. 24, *septugesimo*,
lege: *septuagesimo.*

ACTA
ORDINIS MINORUM

EPISTOLA ENCYCLICA
RMI PATRIS GENERALIS

FRATER BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
TOTIUS ORDINIS MINORUM S. P. FRANCISCI
MINISTER GENERALIS ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS

Reverendis Patribus et Fratribus Ordinis nostri, quos in veritate diligo, Seraphicam benedictionem et perfectam cum divina voluntate conformitatem.

Etsi per privatas litteras et ephemeridum lectionem notitiam ad Vos iam pervenisse putamus de translatione nuper facta Residentiae nostrae, officii tamen nostri esse ducimus id vobis directe significare. Nostis, iam a medio saeculo tertiodecimo monasterium Aracoelitanum, in summitate montis Capitolini situm, una cum ecclesia Sanctae Mariae de Aracoeli Ordini nostro fuisse a Summis Pontificibus traditum, loco cedentibus Venerabilibus Monachis Ordinis sancti Benedicti, quibus Ordo noster ab incunabulis tam multa debet. Serius, anno scilicet 1585, Summus Pontifex Sixtus V, turrim, quam Paulus Pp. III Conventui Aracoelitano contiguam exstruxerat, Fratribus nostris dono dedit, quae exinde Residentia Ministrorum Generalium esse coepit. Quis tunc cogitasset fore ut aliquando tam antiqua et sancta monumenta, lege a gubernio civili lata, destruerentur et solo aequarentur? Quis credidisset futurum ut, deiecto Seraphico Patre nostro sancto Francisco, cui DEUS ad exaltandam humilitatem eius sublimitatem Romani Capitolii adsignasse videbatur, in eodem loco ubi tot sanctissimi viri vixerunt, et unde, veluti ex fonte, tam multae omnium

benedictionum aquae in plateis per totum mundum divisae sunt, monumentum erigi velit, quod demum nihil aliud est quam quaedam veluti consecratio infensissimi belli adversus DOMINUM et adversus CHRISTUM eius ab infernis potestatibus eorumque administris illati?

Et tamen, DEO, cuius inscrutabilia sunt iudicia, sic permittente, ita factum est: scilicet, nos inde exire et venerabilem locum relinquere coacti fuimus, paucis manentibus Fratribus qui ecclesiae inserviant; et manus destructioni iam admota est. An propositum suum perficient? Post destructionem, anne tempus eis aderit aedificandi quod sibi proposuerunt? DEUS scit.

Nos interim scientes non debere in hoc mundo habere nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed, tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate DOMINO famulari debere, non expulsionem nostram lamentamur, sed sacrilegium contra DEUM et Ecclesiam patratum. Quinimo, ad nos quod attinet, divinae voluntati prorsus conformes, gratias egimus et agimus DEO, qui miro modo et insperatis viis hoc nobis et Curiae nostrae perfugium providit in Conventu ad Sanctos Quadraginta Martyres, trans Tyberim, quem filialis et fraterna pietas Adm. R. P. Francisci Saenz, Vice-Commissarii Apostolici pro Hispanis, suo et Hispanorum Fratrum nomine, nobis ultro et gratuito incolendum concessit, donec in promptu sit nova Residentia in Collegio nostro internationali iam praeparata.

Vos quoque, Filii dilectissimi, divinis ordinationibus plane obsequentes, gratias nobiscum agite DOMINO DEO nostro, non dubitantes quin omnia in DEI gloriam et in bonum Ordinis cessura sint. Rogamus autem ut nunquam intermittatis preces fundere ad DEUM pro nobis, qui seraphicam benedictionem Vobis omnibus et singulis peramanter impertimus.

Datum Romae, ad SS. XL Martyres, die 14 Januarii 1886.

Humilis in Domino Servus

FR. BERNARDINUS
Minister Generalis

De mandato Paternitatis suae Reverendissimae

FR. PETRUS A MONSANO
Secret. G.lis Ordinis.

NOTA. — Ad conservandam Aracoelitani Conventus saltem historicam memoriam, eiusdem prospectum photographice desumptum ac dein phototypiae arte impressum, hic subiiciendum esse duximus. Cura Domini Francisci de Federicis edita fuit haec phototypia: et hinc occasionem sumimus annuntiandi eiusdem viri publicationem periodicam, cui titulus: *La Hiérarchie catholique illustrée et le Diario du Vatican,* a Summo Pontifice Leone XIII iam commendatam. In hoc opere singulis mensibus publici iuris fiunt 24 imagines ex phototypia Virorum illustrium catholicae Hierarchiae, eorumdem biographia, ac mensis elapsi Vaticanae ephemerides. Quinque habentur editiones, in lingua scilicet italica, gallica, anglica, germanica et hispanica, et cuiuslibet editionis pretium associationis est L. 38 in Italia ac 46 in unione postali. — Scribendum pro associatione Dno Francisco de Federicis, Via Cesarini, 8, Roma.



PROSPECTUS TURRIS ET ECCLESIAE ARACOELITANAE EX PALATIO LEGATIONIS AUSTRIAE DESUMPTUS

1. Antiqua Bibliotheca. — 2. Turris Pauli III, residentia Curiae generalitiae, cum horto. — 3. Ecclesia Aracoelitana. — 4. Valetudinarium aracoelitanum, demolitione incoepta. — 5. Hospitium Franciscanorum Americae. — 6. Domus Patrum ecclesiae servitio addictorum. — 7. Turris capitolina. — 8. Domus saecularium subiacentes.

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EPISTOLA

« *Quod universa Seraphici Doctoris* » *Summi Pontificis ad Rmum P. Generalem, de nova editione operum omnium S. Bonaventurae.*

—

DILECTO FILIO
P. BERNARDINO A PORTU ROMATINO
ORDINIS MINORUM MINISTRO GENERALI

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALUTEM ET APOSTOLICAM
BENEDICTIONEM

Quod universa Seraphici Doctoris opera de integro edenda decreveras, non mediocrem animi laetitiam percepimus; nunc vero eidem exsequendo consilio manum esse feliciter admotam magna cum voluptate intelligimus. Qui enim vix fere Pontificatu inito, nil ad oppugnandos nostrorum temporum errores fore aptius, nil ad confirmandam veritatem efficacius duximus, quam ut excellens summi Scholasticorum Magistri sapientia longe lateque fluat, atque ad id praecipuam operum illius editionem numeris omnibus absolutam publicari iussimus, haud satis laudare propositum tuum poteramus, quo vulgatis Sancti Bonaventurae scriptis catholica iuventus ad scholasticas disciplinas etiam studiosius colendas inflammaretur. — Quanta inter S. Thomam ac Seraphicum Doctorem necessitudo, quanta sanctitatis ac doctrinae similitudo intercesserit, omnibus in comperto est. Ac s. m. Sixtus V, Decessor Noster, verissime affirmavit eos esse «*duas olivas et duo candelabra in domo* DEI *lucentia, qui et charitatis pinguedine et scientiae suae luce totam Ecclesiam* DEI » collustrarent, « *atque eos singulari* DEI *providentia eodem tempore tamquam duas stellas exorientes ex duabus clarissimis regularium Ordinum familiis* » prodiisse « *quae ad catholicam religionem propugnandam maxime utiles, et ad omnes labores ac pericula pro orthodoxa fide subeunda paratae semper existerent* ». Itaque oblata Nobis a te eorumdem operum volumina (1) veluti totius editionis primitias libentissime Nos accepisse testatum volumus, magnique apud Nos haberi labores, quos vel ab anno MDCCCLXX religiosi tui Ordinis viri, in Collegium Sancti Bonaventurae coacti, pertulerunt, ut tanti ponderis opus, auctoritate tua illis commissum, accurate perficerent. Nec plane Fidelis a Fanna, sodalis tui Ordinis, hominis scientia ac pietate spectati laus praetermittenda est; qui, conquisitis undique per totam Europam codicibus et ad criticae artis regulas diligentissime exactis, longo decem annorum spatio certissima editioni curandae monumenta comparavit: quo e vivis sublato, consodalem Ignatium Jeiler eidem suffectum pari studio iisdemque consiliis in re eiusmodi gerenda modo versari agnovimus. — Nec vero tantum prudens in rerum singularum delectu iudicium, sed et accuratae textus emendationes atque optima literarum forma in primis commendanda est. Maxime autem placuit propositum opportunas animadversiones seu scholia singulis libris adiiciendi, ut ea doctrinarum harmonia manifeste appareat, qua praecellentes illas duorum Doctorum mentes instructas fuisse ante diximus.

(1) Duo priora volumina Sanctitati Suae oblata fuere; tertium sub praelo jacet. Completa editio duodecim circiter tomis absolvetur. (N. R.)

Ex quo exploratum est clarissimos hosce scholasticarum disciplinarum adsertores peracri ingenio, assiduo studio, magnis laboribus atque vigiliis pretiosum doctrinae thesaurum a sapientibus superiorum saeçulorum, potissimum vero a SS. Ecclesiae Patribus congregatum, multisque modis cumulata auctum, posteris tradidisse. — Quapropter nullo modo dubitandum, quin catholici praesertim juvenes in spem Ecclesiae succrescentes, qui ad phisolophica ac theologica studia secundum Aquinatis doctrinam sectanda se conferunt, in perlegendis S. Bonaventurae operibus plurimam utilitatem sint hausturi, atque ex amborum scriptis, quasi ex praecipuis armamentariis, gladios ac tela sumant quibus, in teterrimo bello adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem commoto hostes superare strenue queant. — Haec itaque, quae scripsimus, et tibi, dilecte fili, et sodalibus tui Ordinis Collegio S. Bonaventurae addictis solatio atque incitamento sint, ut incoeptum opus alacriter absolvere pergant. Praecipuae vero dilectionis Nostrae testem ac coelestium munerum auspicem, Apostolicam benedictionem tibi atque ipsis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XIII decembris, anno MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri octavo.

LEO PP. XIII.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII.
LITTERAE ENCYCLICAE
QVIBVS
EXTRAORDINARIVM IVBILAEVM INDICITVR

VENERABILIBVS FRATRIBVS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS
GRATIAM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS
LEO PP. XIII.
VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod auctoritate Apostolica semel iam atque iterum decrevimus, ut annus sacer toto orbe christiano extra ordinem ageretur; oblatis bono publico caelestium munerum thesauris, quorum est in Nostra potestate dispensatio, idem placet in annum proximum, Deo favente. decernere. — Cuius utilitas rei fugere vos, Venerabiles Fratres, nequaquam potest gnaros temporum ac morum: sed quaedam singularis ratio facit, ut in hoc consilio Nostro maior, quam fortasse alias, inesse opportunitas videatur. — Nimirum cum de civitatibus superiore epistola Encyclica docuerimus, quanti intersit, eas ad veritatem formamque christianam propius accedere, intelligi iam licet quam sit huic ipsi proposito Nostro consentaneum dare operam, quibuscumque rebus possumus, ut vel excitentur homines ad christianas virtutes, vel revocentur. Talis est enim civitas, qualis populorum fingitur moribus: et quemadmodum aut navigii aut aedium bonitas ex singularum pendet bonitate aptaque suis locis collocatione partium, eodem fere modo rerum cursus publicarum rectus et sine offensione esse non potest, nisi rectam vitae cives consequantur viam. Ipsa disciplina civilis, et ea omnia, quibus vitae publicae constat actio, nonnisi auctoribus hominibus nascuntur, intereunt: homines autem suarum solent opinionum morumque expressam imaginem iis rebus affingere. Quo igitur eis praeceptis Nostris et imbuantur penitus animi, et, quod caput est, quotidiana vita singulorum

regatur, enitendum est ut singuli inducant animum christiane sapere, christiane agere non minus publice quam privatim.

Atque in ea re tanto maior est adhibenda contentio, quanto plura impendent undique pericula. Non enim exiguam partem magnae illae patrum nostrorum virtutes cessere: cupiditates, quae per se vim habent maximam, maiorem licentia quaesiverunt: opinionum insania, nullis aut parum aptis compressa frenis, manat quotidie longius: ex iis ipsis, qui recte sentiant, plures praepostero quodam pudore deterriti non audent id quod sentiunt libere profiteri, multoque minus reipsa perficere: deterrimorum vis exemplorum in mores populares passim influit: societates hominum non honestae, quae a Nobismetipsis alias designatae sunt, flagitiosarum artium scientissimae, populo imponere, et quotquot possunt, a Deo, a sanctitate officiorum, a fide christiana abstrahere atque abalienare contendunt.

Tot igitur prementibus malis, quae vel ipsa diuturnitas maiora fecit, nullus est Nobis praetermittendus locus, qui spem sublevationis aliquam afferat. Hoc consilio et hac spe sacrum Iubilaeum indicturi sumus, monendis cohortandisque quotquot sua est cordi salus, ut colligant paullisper sese, et demersas in terram cogitationes ad meliora traducant. Quod non privatis solum, sed toti futurum est reipublicae salutare, propterea quod quantum singuli profecerint in animi perfectione sui, tantundem honestatis ac virtutis ad vitam moresque publicos accedet.

Sed optatum rei exitum videtis, Venerabiles Fratres, in opere et diligentia vestra magnam partem esse positum, cum apte studioseque populum praeparare necesse sit ad fructus, qui propositi sunt, rite percipiendos. — Erit igitur caritatis sapientiaeque vestrae lectis sacerdotibus id negotium dare, ut piis concionibus ad vulgi captum accommodatis multitudinem erudiant, maximeque ad poenitentiam cohortentur, quae est, auctore Augustino, *bonorum et humilium fidelium poena quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: dimitte nobis debita nostra* (1). Poenitentiam, quaeque pars eius est, voluntariam corporis castigationem non sine caussa primo commemoramus loco. Nostis enim morem saeculi: libet plerisque delicate vivere, viriliter animoque magno nihil agere. Qui cum in alias incidunt miserias multas, tum fingunt saepe caussas, ne salutaribus Ecclesiae legibus obtemperent, onus rati sibi gravius, quam tolerari possit, impositum, quod vel abstinere certo ciborum genere, vel ieiunium servare paucis anni diebus iubeantur. Hac enervati consuetudine, mirum non est si sensim totos se cupiditatibus dedant maiora poscentibus. Itaque lapsos aut proclives ad mollitiam animos consentaneum est ad temperantiam revocare: propestereaque, qui ad populum dicturi sunt, diligenter et enucleate doceant, quod non modo Evangelica lege, sed etiam naturali ratione praecipitur, imperare sibimetipsi et domitas habere cupiditates unumquemque oportere: nec expiari, nisi poenitendo, posse delicta. — Et huic, de qua loquimur, virtuti, ut diuturna permaneat, non inepte consultum fuerit, si rei stabiliter institutae quasi in fidem tutelamque tradatur. Quo id pertineat, facile, Venerabiles Fratres, intelligitis: illuc scilicet, ut sodalium Franciscalium ordinem Tertium, quem *saecularem* nominant, in Dioecesi quisque vestra tueri et amplificare perseveretis. Profecto ad conservandum alendumque poenitentiae in christiana multitudine spiritum, plurimum omnino valitura sunt exempla et gratia *Francisci Assisiensis* patris, qui cum summa innocentia vitae tantum coniunxit studium castigandi sui, ut Jesu Christi crucifixi imaginem non minus vita et moribus, quam impressis divinitus signis retulisse videatur. Leges eius Ordinis, quas opportune temperavimus, longe sunt ad perferendum leves: momentum ad christianam virtutem habent non leve.

Deinde vero in his privatis publicisque tantis necessitatibus, cum tota spes salutis utique in patrocinio tutelaque Patris caelestis consistat, magnopere vellemus, studium precandi constans et cum fiducia coniunctum reviviscere. — In omni magno christianae reipublicae tempore, quoties Ecclesiae usuvenit, ut vel externis periculis, vel intestinis premeretur incommodis, praeclare maiores nostri, sublatis in caelum suppliciter oculis, docuerunt, qua ratione et unde lumen animi, unde vim virtutis et apta temporibus adiumenta pe-

(1) Epist. 108.

tere oporteret. Inhaerebant enim penitus in mentibus illa JESU CHRISTI praecepta, *petite et dabitur vobis* (1); *oportet semper orare et non deficere* (2). Quibus resonat Apostolorum vox: *sine intermissione orate* (3): *obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus* (4). Quam ad rem non minus acute quam vere illud Joannes Chrysostomus scriptum per similitudinem reliquit: quo modo homini, cum nudus idemque egens rebus omnibus suscipiatur in lucem, manus natura dedit, quarum ope res ad vitam necessarias sibi compararet; ita in iis, quae sunt supra naturam, cum nihil per se ipse possit, largitus est DEUS orandi facultatem, qua ille sapienter usus, omnia quae ad salutem requiruntur, facile impetraret. — His ex rebus singuli statuite, Venerabiles Fratres, quam sit gratum et probatum Nobis studium vestrum in provehenda sacratissimi *Rosarii* religione his praesertim proximis annis, Nobis auctoribus, positum. Neque est silentio praetereunda pietas popularis, quae omnibus fere locis videtur in eo genere excitata: ea tamen ut magis inflammetur ac perseveranter retineatur, summa cura videndum est. Idque si insistimus hortari, quod non semel idem hortati sumus, nemo mirabitur vestrum, quippe qui intelligitis, quanti referat, *Rosarii Marialis* apud christianos florere consuetudinem, optimeque nostis, eam esse huius ipsius spiritus precum, de quo loquimur, partem et formam quamdam pulcherrimam, eamdemque convenientem temporibus, usu facilem, utilitate uberrimam.

Quoniam vero Jubilaei prior et maximus fructus, id quod supra indicavimus, emendatio vitae et virtutis accessio esse debet, necessariam nominatim censemus eius fugam mali, quod ipsis superioribus litteris Encyclicis designare non praetermisimus. — Intestina intelligimus ac prope domestica nonnullorum ex nostris dissidia, quae caritatis vinclum, vix dici potest quanta cum pernicie animorum, solvunt aut certe relaxant. Quam rem ideo rursus commemoravimus hoc loco apud vos, Venerabiles Fratres, ecclesiasticae disciplinae mutuaeque caritatis custodes, quia ad prohibendum tam grave incommodum volumus vigilantiam auctoritatemque vestram perpetuo esse conversam. Monendo, hortando, increpando date operam, ut omnes *solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis*; utque redeant ad officium, si qui sunt dissidiorum auctores, illud in omni vita cogitantes, Unigenitum DEI FILIUM in ipsa supremorum appropinquatione cruciatuum nihil a PATRE contendisse vehementius, quam ut inter se diligerent, qui crederent aut credituri essent in eum, *ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (1).

Itaque de omnipotentis DEI misericordia, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis DOMINUS licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus CHRISTI fidelibus plenissimam peccatorum omnium indulgentiam, ad generalis Jubilaei modum, concedimus, ea tamen conditione et lege, ut intra spatium anni proximi MDCCCLXXXVI haec, quae infra scripta sunt, effecerint.

Quotquot Romae sunt cives hospitesve Basilicam Lateranensem, item Vaticanam et Liberianam *bis* adeant: ibique aliquandiu pro Ecclesiae catholicae et huius Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeresum omniumque errantium conversione, pro christianorum Principum concordia ac totius fidelis populi pace et unitate, secundum mentem Nostram pias ad DEUM preces effundant. Idem duos dies esurialibus tantum cibis utentes ieiunent, praeter dies in quadragesimali indulto non comprehensos, aut alias simili stricti iuris ieiunio ex praecepto Ecclesiae consecratos: praeterea peccata sua rite confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum suscipiant, stipemque aliquam pro sua quisque facultate, adhibito in consilium Confessario, in aliquot pium conferant opus, quod ad propagationem et incrementum fidei catholicae pertineat. Integrum unicuique sit, quod malit, optare: duo tamen designanda nominatim putamus, in quibus erit optime collocata beneficentia, utrumque, multis locis,

(1) Matth. VII, 7.
(2) Luc. XVIII, 1.
(3) Thessal. V, 17.
(4) I Timoth. II, 1.

(1) Io. XVII, 21.

indigens opis et tutelae, utrumque civitati non minus quam Ecclesiae fructuosum; nimirum *privatas puerorum scholas*, et *Seminaria Clericorum*.

Ceteri vero omnes extra Urbem ubicumque degentes tria templa, a vobis, Venerabiles Fratres, aut a vestris Vicariis seu Officialibus, aut de vestro eorumve mandato ab iis qui curam animarum exercent designanda, *bis*, vel, duo tantum si templa fuerint, *ter*, vel; si unum, *sexies*, dicto temporis intervallo adeant; item alia opera omnia, quae supra commemorata sunt, peragant. Quam indulgentiam etiam animabus, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari posse volumus. Vobis praeterea potestatem facimus, ut Capitulis et Congregationibus tam saecularium quam regularium, sodalitatibus, confraternitatibus, universitatibus, collegiis quibuscumque memoratas Ecclesias processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum pro vestro prudenti arbitrio reducere possitis.

Concedimus vero ut navigantes et iter agentes, ubi ad sua domicilia, vel alio ad certam stationem sese receperint, visitato *sexies* templo maximo seu parochiali, ceterisque operibus, quae supra praescripta sunt, rite peractis, eamdem indulgentiam consequi queant. — Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis, qui carcere, infirmitate corporis, aut alia qualibet iusta caussa impediantur, quominus memorata opera, vel eorum aliqua praestent, concedimus, ut ea Confessarius in alia pietatis opera commutare possit, facta etiam potestate dispensandi super Communionem cum pueris nondum ad primam Communionem admissis. Insuper universis et singulis Christi fidelibus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus ac regularibus cuiusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi, facultatem concedimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum Confessarium tam saecularem quam regularem ex actu approbatis: qua facultate uti possint etiam Moniales, Novitiae aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro monialibus. — Confessariis autem, hac occasione et durante huius Jubilaei tempore tantum, omnes illas ipsas facultates largimur, quas largiti sumus per litteras Nostras Apostolicas *Pontifices maximi* datas die xv mensis Februarii anno MDCCCLXXIX, iis tamen omnibus exceptis, quae in eisdem litteris excepta sunt. (1)

(1) In Apostolicis vero litteris *Pontifices maximi* die 15 Februarii 1879 legitur:

« Omnibus et singulis Christifidelibus tam laicis « quam Ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, cu« iusvis Ordinis et Instituti etiam specialiter nomi« nandi, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad « hunc effectum eligere possint quemcumque presby« terum Confessarium, tam saecularem quam regula« rem, ex actu approbatis (qua facultate uti possint « etiam Moniales, Novitiae, aliaeque mulieres intra « claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus « sit pro Monialibus), qui eosdem vel easdem intra « dictum temporis spatium, ad confessionem apud ipsum « peragendam accedentes, animo praesens Jubilaeum « consequendi, et reliqua opera ad illud lucrandum « necessaria adimplendi, hac vice et in foro conscien« tiae dumtaxat, ab excommunicationis, suspensionis « et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure « vel ab homine quavis de causa latis seu inflictis, « etiam Ordinariis locorum et Nobis seu Sedi Apo« stolicae, etiam in casibus cuicumque ac Summo Pon« tifici et Sedi Apostolicae *speciali licet modo* reser« vatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla « non intelligerentur concessi, necnon ab omnibus « peccatis et excessibus quantumcumque gravibus et « enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi « Apostolicae, ut praefertur, reservatis, iniuncta ipsis « poenitentia salutari aliisque de iure iniungendis, et, « si de haeresi agatur, abiuratis prius et retractatis er« roribus, prout de iure, absolvere; necnon vota quae« cumque etiam iurata ac Sedi Apostolicae reservata « (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio « acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praeiu« dicio tertii semper exceptis, nec non poenalibus, quae « praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commu« tatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a pec« cato committendo refrenet, quam prior voti materia) « in alia pia et salutaria opera commutare, et cum « poenitentibus huiusmodi in sacris ordinibus consti« tutis, etiam regularibus, super occulta irregularitate « ad exercitium eorumdem ordinum, et ad superiorum « assecutionem, ob censurarum violationem dumtaxat « contracta, dispensare possit et valeat.

« Non intendimus autem per praesentes super alia « quavis irregularitate sive ex delicto sive ex defectu, « vel publica vel occulta aut nota, aliave incapacitate « aut inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, « vel aliquam facultatem tribuere super praemissis di« spensandi seu habilitandi, et in pristinum statum re« stituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam « derogare Constitutioni cum appositis declarationibus « editae a fel. rec. Benedicto XIV, Praedecessori No-

Ceterum summa cura studeant universi magnam DEI Parentem praecipuo per id tempus obsequio cultuque demereri. Nam in patrocinio sanctissimae Virginis a *Rosario* sacrum hoc Jubilaeum esse volumus: ipsaque adiutrice confidimus, non paucos futuros, quorum animus detersa admissorum labe expietur, fideque, pietate, iustitia non modo in spem salutis sempiternae, sed etiam in auspicium pacatioris aevi renovetur.

Quorum beneficiorum caelestium auspicem paternaeque Nostrae benevolentiae testem vobis, et Clero populoque universo vestrae fidei vigilantiaeque commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in DOMINO impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII Decembris anno MDCCCLXXXV. Pontificatus Nostri Octavo.

LEO PP. XIII.

—

RESCRIPTUM

S. C. Indulgent. quo indulgentiae impertiuntur pro exercitio quinque Dominicarum in honorem SS. Stigmatum S. P. Francisci.

Beatissime Pater

FR. BENEDICTUS AB ARETIO, sacerdos professus Minorum de Observantia Reformatorum et Missionarius in Vicariatu Apostolico Hou-pe occiduo septentrionalis, ad pedes Sanctitatis Tuae prostratus, humiliter exorat ut ad augendam devotionem erga Seraphicum Patriarcham, Christifideles qui in quinque Dominicis festum sacrorun Stigmatum eiusdem Patriarchae praecedentibus, vel per alias quinque anni Dominicas consecutivas, piis meditationibus, aut vocalibus orationibus, aliisve pietatis operibus in honorem Sacrorum Stigmatum vacaverint, plenariam lucrari possint in singulis Dominicis indulgentiam, sicut iam concessum fuit a Summis Pontificibus sex Dominicis in honorem S. Aloysii Gonzagae, dummodo vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, ecclesiam quamlibet vel publicum oratorium visitaverint, ac secundum intentionem Sanctitatis Tuae oraverint.

Pro qua gratia etc.

Sanctissimus Dominus Noster LEO Pp. XIII in Audientia habita die 23 Junii 1885 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, petitas Indulgentias pro pio exercitio Quinque Dominicarum in honorem Sacrorum Stigmatum S. Francisci Assisiensis benigne concessit, lucrandas semel in anno a Christifidelibus tantum, qui degunt in Vicariatu Apostolico supradicto, servatis omnibus conditionibus, de quibus in precibus. (1) Praesenti *in perpetuum* valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 23 Junii 1885.

(L. ✠ S.)

J. B. CARD. FRANZELIN *Praef.*
Franciscus Della Volpe Secret.

—

EXTENSIO
praedicti Rescripti ad totius Orbis Christifideles.

Beatissime Pater

Fr. ANDREAS LUPORI, Procurator Generalis totius Ordinis Minorum S. Francisci, pedibus Sanctitatis Tuae prostratus, humiliter exorat Sanctitatem Tuam ut, ad excitandam erga Seraphicum Patriarcham devotionem, extendere dignetur ad totius Orbis CHRISTIFIDELES easdem indulgentias et sub eisdem conditionibus, quas per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae datum die 23 Junii currentis anni 1885, fidelibus Vicariatus Apostolici de *Hou-Pe occiduo-septentrionalis* iam concessit, illis videlicet qui

« stro, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae*; neque « demum easdem praesentes iis qui a Nobis et Apo- « stolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Judice ec- « clesiastico nominatim excommunicati, suspensi, in- « terdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse « declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra « praedictum tempus satisfecerint, et cum partibus, ubi « opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari « posse aut debere. Quod si intra praefinitum termi- « minum, iudicio Confessarii, satisfacere non potuerint, « absolvi posse concedimus in foro conscientiae et ad « effectum dumtaxat assequendi indulgentias Jubilaei, « iniuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt. »

(1) Nullae speciales assignantur preces; sed quisque pro sua devotione aliqua pietatis exercitia in honorem SS. Stigmatum eligat, v. g. recitet quinquies *Pater* et *Ave*, vel pium Viae Crucis exercitium in unione cum Sancto Francisco peragat.

in quinque Dominicis Festum Sacrorum Stigmatum praecedentibus, piis meditationibus, sive vocalibus precibus, aliisve pietatis exercitiis ad honorem eorumdem Sacrorum Stigmatum vacare curaverint; et hanc concessionem sperat supplex orator charitatis augmento et christiani populi morum reformationi fore profuturam.

Pro qua gratia etc.

Sanctissimus Dominus Noster Leo PP. XIII in audientia habita die 21 Novembris 1885 ab infrascripto Secretario Sac. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro petita extensione Indulgentiae, de qua in precibus, servata forma et tenore Rescripti diei 23 Junii 1885. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 21 Novembris 1885.

J. B. Card. Franzelin *Praef.*

(L. ✠ S.)

Franciscus Della Volpe Secret.

II.
ACTA ORDINIS

MONITUM

Nonobstante translatione Curiae Generalis, donec aliter disponatur, epistolae ad Conventum Aracoelitanum dirigantur; telegrammata vero mittantur: *Roma, via delle Fratte 44.*

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica

DE DISCIPLINA REGULARI RESTAURANDA

(Continuatio)

Ex his, quae hactenus dicta sunt, satis patet, disciplinae regularis observantiam in illis Conventibus, in quibus ob quamcumque causam collapsa est, omnino esse restaurandam. Et Superiores et subditi ad ejusmodi restaurationem simpliciter sunt obligati. Si hoc negligerent, isti omnes nec Deo placere, nec tranquillam conscientiam habere, nec ab hominibus tamquam veri et boni Religiosi haberi possent. Omnibus istis propterea dictum est verbum illud S. Pauli Apostoli: « Nolite con« formari huic saeculo, sed reformamini in « novitate sensus vestri, ut probetis quae sit « voluntas Dei bona, beneplacens et per« fecta. » (1).

Monasticae autem disciplinae restauratio magnas utique praesefert difficultates, prout jam alias innuimus. Ejusmodi vero difficultates non parum minuentur, si respectivus Superior, qui disciplinam restaurare debet, debitis et necessariis qualitatibus sit ornatus. Ab ipsius Superioris enim agendi ratione fere unice dependet totum restaurandae disciplinae negotium. Sicut enim, si in aliquo Conventu regularis disciplina defecerit, haec relaxatio maxima ex parte ob defectum pietatis, vigilantiae ac boni exempli Superiorum orta est: ita etiam ejusdem disciplinae restauratio per Superiores vere bonos et aptos fieri potest et debet. (2)

Superior hoc arduum restaurationis opus aggrediens sit inprimis vere pius et orationi deditus. Hoc opus enim solis naturae viribus et dotibus ad felicem exitum perduci nequit, sed ad hoc divinae gratiae auxilium omnino est necessarium. Siquidem multa et varia sunt impedimenta, quae tum ex parte stultorum saecularium, tum ex parte invidiosi diaboli, tum ex parte perversorum Religiosorum, tali restaurationi disciplinae obstare solent, et quae

(1) Rom. XII.

(2) Omnibus nostri Ordinis Superioribus enixe commendamus, ut aureum Seraphici Doctoris S. Bonaventurae opusculum *De sex alis Seraphim* saepius attente perlegant et serio meditentur. In hoc opusculo enim Superiores instruuntur de virtutibus, quibus in regimine Fratrum suorum praecipue pollere debent, scilicet de zelo justitiae, pietate, patientia, exemplo vitae, discretione, et devotione.

Hujus opusculi praestantiam inter permultos alios P. Iulius Negronus S. J., in Commentariis Reg. com. (2. tit. n. 66) ita commendat: « S. Bonaventura re« liquit posteris libellum aureum de sex alis Seraphim, « quo continetur religiosae gubernationis magisterium. « Hunc jussit P. N. Claudius Aquaviva typis excudi « ac per omnes Provincias disseminari, ut nostri prae« sertim Superiores eum evolverent, ac doctrinam tanti « viri ad praxim referrent. »

Si ergo aliorum Ordinum Superiores hoc opus tanti faciunt, nos potiori ratione illud aestimare, meditari ac exequi studeamus oportet.

sine divino auxilio superari non possunt. Propterea pius Superior, qui restaurationis opus aggredi debet, suam imbecillitatem et insufficientiam agnoscens, multas et fervidas preces effundat, et ab aliis effundi faciat, ut necessarium lumen et opportunas gratias ad hoc opus peragendum pro semetipso et pro subditis suis obtineat. S. Bonaventura dicit: (1) « Praecipue rector animarum studiosus esse « debet eam (devotionem) habere, per quam « semper informetur quid faciat, adjuvetur ut « possit, conservetur ne deviet. Non enim « solum orare pro se necesse habet, sed etiam « pro illis qui sibi commissi sunt, quos non « sufficit sine divino auxilio custodire. Nam: « *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra* « *vigilat qui custodit eam.* (2) Est enim « Praelatus mediator inter DEUM et subditos, « ut sicut negotium DEI gerit apud illos, do« cendo, corrigendo, sursum agendo; ita etiam « negotium eorum studeat apud DEUM fide« liter promovere, placando, gratiam impe« trando et conservando a malo. »

Tales preces in humilitate cordis pro tam salutari opere oblatas DEUS absque dubio benigne excipiet et libenter exaudiet, concedens huic operi largissimam suam benedictionem.

Superior, qui non hac praecipue ratione, sed ex amore proprio hoc restaurationis negotium aggrederetur, nempe ut reformator ab omnibus haberetur et vocaretur, ad arduum suum opus divinam assistricem gratiam exspectare non posset, quam DEUS humilibus tantum, non autem superbis et ambitiosis concedit. Superior potius in hoc opere peragendo unice DEI gloriam et subditorum profectum quaerat et saepe animo revolvat, se ad restaurandam disciplinam coram DEO, coram Ecclesia, et coram Ordine, vi officii sui, simpliciter esse obligatum. Haec si serio recogitet, vanam gloriam, quae utique non leve est restaurationis impedimentum, sine difficultate vitabit.

Superior non solum pius, sed etiam exemplaris sit oportet. Magis bono exemplo, quam verbis, Fratres suos ad veram disciplinam et observantiam inducere debet. S. Bonaventura ait: (3) « In omnibus virtutum exemplis debet « rector praecedere subditos, specialiter tamen « in his tribus, scilicet in communis obser« vantiae conformitate, in mansuetudinis humi« militate et in maturitatis honestate. Unde « Apostolus: *In omnibus teipsum praebe exem*« *plum bonorum operum, in doctrina, in inte*« *gritate, et in gravitate.* (1). Communem vitam « cum ceteris conservet in victu, vestitu et « labore, ut non vacet conviviis et potatio« nibus, quum alii sobrio cibo et potu utantur; « nec sit eis dissimilis habitu, cum quibus « est ei professio communis. Nec a labore « ceterorum se subtrahat, qui illos jubet in « iisdem laboribus exerceri. Pastor si se a « grege segregat, oves insidiis luporum expo« nit. »

Si ipse Superior sanctae paupertatis regulas stricte observet, majorum Superiorum ac Statutorum praescriptis prompte obediat, choro, meditationi aliisque communitatis exercitiis semper pro posse assistere studeat, si facilius cum aliis, quam cum semetipso dispensare soleat: tunc subditi Superiorem suum tali zelo repletum videntes per splendida ejus exempla ad imitationem vehementer attrahuntur, ita ut istis exemplis resistere non valeant.

Prae oculis semper habeat talis Superior magnos illos Ordinis nostri reformatores, S. Bernardinum Senensem et S. Joannem a Capistrano, qui brevi temporis spatio fere totum Ordinem ad veram observantiam revocarunt. Vitae suae sanctitatem et praefatae reformationis admirabilem successum isti Sancti obtinuerunt per observantiam perfectissimam, quam ipsi semper exercuerunt. Prius semper ipsi fecerunt, quae postea Fratribus facienda praescripserunt. Superior, qui bonum exemplum negligeret, solis suis mandatis externam quidem disciplinam et observantiam introducere posset, spiritum autem Ordinis et amorem disciplinae hac ratione subditis suis non posset instillare. Cuilibet Superiori, qui bonum exemplum dare negligit, dici possunt illa verba, quae scripsit S. Ephrem Syrus. (2) « Si nos « inobedientes simus, quomodo ceteris obe« dientiam demonstrabimus: si gulosi aut « ebriosi, quomodo inferiores nobis tempe« rantiam docere poterimus? Si nos temerarii

(1) cit. op. cap. VIII. n. 3.
(2) Ps. 126, 2.
(3) cit. op. cap. VI. n. 2.

(1) Tit. II, 7.
(2) Paraenesi 15.

« aut multiloqui instabilesve fuerimus, quo « pacto inferiores nobis gravitatem morum « ac tolerantiam constantiamque docebimus? » Et futilem excusationem quorumdam reiiciens addit: « Sed dices mihi: tametsi ego « non faciam, dico tamen, quod expedit fratri « meo. Et quid prodest nobis, charissime, « alios admonere, si ipsi contraria agamus? »

Denique Superior, qui collapsam disciplinam restituere debet, magna prudentia et charitate procedat. Inprimis suaviter et fortiter tollat omnes abusus in Conventu suo grassantes, qui sanctae Regulae nostrae puritati repugnare noscuntur. Deinde, habita semper temporum, locorum atque personarum ratione, eas observantias pedetentim introducere studeat, quae a Statutis generalibus et provincialibus sapienter et salubriter sunt praescriptae. In rebus maioris momenti prius cum Discretis suis prudenter conferat; in casibus dubiis maiorum Superiorum opinionem et voluntatem humiliter et sedulo exquirat. Defectuosos subditos non asperis et iracundis verbis corripiat, sed potius verbis vere paternis corrigere et ad meliorem frugem reducere studeat. Praecipue autem attendat, ut semper omnibus Fratribus de cunctis vitae necessariis sufficienter provideat, ne umquam iusta murmurandi causa ipsis praebeatur. Erga omnes sit affabilis, omnibusque vitam religiosam, in quantum Ordinis Statuta hoc permittunt, amoenam reddere pro viribus studeat.

« Bonus Praelatus, « ait S. Bonaventu« ra (1) » agnoscit se Fratrum suorum pa« trem, non dominum; et exhibet se eis me« dicum, non tyrannum: nec reputat eos ut « iumenta sua vel servos emptionis, sed ut « filios haereditatis supernae consortes, et « facit eis sicut vellet sibi fieri . . . De duris « et non compassivis pastoribus conqueritur « DOMINUS dicens: (2) *Cum austeritate impe« rastis eis et cum potentia. Et dispersae sunt « oves meae, eo quod non esset pastor.* »

Si Superior hisce qualitatibus sit praeditus eisque diligenter utatur, sanctum reformationis opus absque dubio uberrimo successu coronabitur.

In praemissis breviter ostendere conati sumus magnam felicitatem et utilitatem illorum Religiosorum, qui in vera observantia et disciplina regulari vivunt. Deinde, contrariis praeiudiciis et praetextibus reiectis, demonstrare studuimus, regularem disciplinam in illis Conventibus, in quibus per iniuriam temporum collapsa est, omnino esse restituendam; et ad hanc restaurationem in dictis Conventibus peragendam et Superiores et subditos in conscientia esse obligatos. Denique pauca adiecimus de qualitatibus requisitis illius Superioris, qui hoc salutare opus aggredi debet, deque modo observando in praefato negotio peragendo.

Quibus praemissis, deinceps, DEO favente, agemus de praecipuis illis observantiis, ad quas restauratio praedicta se extendere debebit.

Antequam autem ad haec pertractanda accedamus, Fratres nostros, Superiores et subditos, qui in Conventibus relaxatae disciplinae vitam agunt, denuo enixe rogamus et per sacra Vulnera Domini nostri JESU CHRISTI et S. P. N. Francisci obsecramus, ut sanctum restaurationis opus forti ac libenti animo sine mora aggredi studeant. Praeter sacram baptismatis professionem, qua christianae Religioni nomen dedimus, altera etiam magis deliberata maioremque redolente perfectionem, DEO dicati sumus atque consecrati. Vi primae in sacro baptismate editae professionis, obligati sumus ut ambulemus in lege DOMINI eiusque mandata fideliter custodiamus. Quod ut securius et facilius agere possemus, spontanea omnino ac libera voluntate mundi divitiis, honoribus et voluptatibus renuntiavimus, et ad sacras aras DEO omnipotenti, in conspectu sanctae matris Ecclesiae, videntibus Angelis, cunctisque Coelitibus plaudentibus, puram et integram Regulae Fratrum Minorum observantiam promisimus. Utramque autem professionem sine periurio infringere non possumus. In perfecta vero vitae regularis observantia viventes utriusque professionis obligationes adimplemus, DEO placere, cordis tranquillitatem habere et aeternae felicitatis coronam expectare possumus.

(Continuabitur)

(1) cit. Op. cap. IV. n. 3, 9.
(2) Ezech. XXXIV, 5.

III.
MISSIONES

—

RELIGIOSI ORDINIS NOSTRI
QUI IN MISSIONES PROFECTI SUNT ANNO 1885.

—

I. *In Terram Sanctam.*

1. Adm. R. P. IOSEPH M. ROMO, Missionarius Apostolicus Nostri Obs. Collegii de Guadalupa in Mexico, ex-Definitor Generalis Ordinis.

2. P. EMMANUEL LOPEZ, Sacerdos Obs. Provinciae Carthagenae.

3. P. CAROLUS BAHILLO, Sacerdos Obs. Collegii Nostrae Dominae a Regula in loco vulgo Chipiona ia Hispania.

4. P. IOSEPH HERMO FIDALGO, Sacerdos Obs. Collegii Compostellae.

5. P. BERNARDINUS LOMBARDI, Sacerdos professus Observantis Provinciae Romanae, olim Missionarius in Bolivia.

6. Fr. FRANCISCUS ANTONIUS A LACUNIGRO, Laicus professus Observantis Provinciae Lucaniae (Basilicata).

7. Fr. WENDELINUS HINTEREUSER, Recollectae Provinciae S. Crucis in Saxonia, Tertiarius.

8. Fr. IOSEPH ANSELMI, Observantis Provinciae Taurinensis Tertiarius.

9. Fr. CAIETANUS A GHERGHENZANO, Observantis Provinciae Bononiensis, Tertiarius.

10. Fr. FRANCISCUS AB ANDRIA, Observantis Prov. Neapolis Tertiarius.

11. Fr. CLEMENS GALLUZZI, Reformatae Provinciae Croatiae, Tertiarius.

II. *In Missionem Constantinopolitanam.*

12. Rev. P. Fr. BERNARDUS A MULLIANO, Sacerdos professus nostrae Ref. Provae Thusciae.

III. *In Missionem Tripolitanam.*

13. Adm. R. P. CAROLUS A BURGOIOVE, Missionarius Apostolicus, Lector Emeritus Reformatae Provinciae Thusciae.

IV. *In Albaniam.*

14. Adm. Rev. P. ALOYSIUS A REATE, Missionarius Apostolicus, Lector Emeritus Ref. Provinciae Romanae.

15. Ven. P. LEONARDUS A SCODRA, Sacerdos professus Ref. Missionis Albanensis.

V. *In Missionem Superioris Aegypti.*

16. Fr. PETRUS A LUZZARA, Laicus professus Ref. Provinciae Thusciae.

VI. *In Septentrionalem Americam*
Pro Custodia Immaculatae Conceptionis.

17. Ven. P. ATHANASIUS A TREPPIO, Sacerdos professus Ref. Provinciae Thusciae.

VII. *In Boliviam, ad Collegium S. Ant. de Potosi.*

18. Fr. ANTONIUS SCACCIA, Tertiarius Obs. Prov. Romanae.

19. Fr. ANTONIUS A VERULIS, Tertiarius Obs. Prov. Romanae.

VIII. *In Australiam*

20. R. P. ANTONIUS SLATTERY, Guardianus, Recoll. Prov. Hiberniae.

21. R. P. BONAVENTURA KENNEDY, Vicarius, Recoll. Prov. Hiberniae.

22. R. P. BERNARDINUS LAWLER, *Recoll.* Prov. Hiberniae.

23. R. P. ALOYSIUS FITZGERALD, Recoll. Prov. Hiberniae.

24. V. Fr. BERNARDINUS HART, Tertiarius, Recoll. Prov. Hiberniae.

—

RELATIO

Reverendissimi Dni EPIPHANII CARLASSARE, *Vicarii Apostolici Hou-pê orientalis.*

Rme Pater

Ut desiderio Rmae Paternitatis Tuae, encyclica epistola data ex Aracoeli die 18 Dec. anni elapsi, vivide expresso satisfaciam, aliquam relationem huius Vicariatus Apostolici enucleatius exaratam exhibere statui. Bonum autem esse arbitror nunc primum notitias historicas quae ad ipsum pertinent summatim referre.

Utrum apostolica Missio antiquis temporibus in hac regione locum habuerit vel tunc saltem cum nostri Fratres saeculo XIII Evangelium Sinensibus praedicaverunt, memoriae non fuit traditum. Recentioribus temporibus eadem initium habuisse videtur circa annum 1636, quando P. Antonius de Govea, inclytae Societatis Jesu sodalis, degens Pekini, rogatus a quibusdam litteratis christianis ad hanc regionem pertinentibus, una cum ipsis huc se contulit. P. Antonio alii Patres se postea adiunxerunt et successerunt, tum de eadem Societate, cum etiam de aliis religiosis Congregationibus et Ordinibus, praesertim ex Ordine nostro. Memoriae proditum est, sub initio saeculi elapsi in

Vicarium Apostolicum provinciarum *Hou-quang* hoc est *Hou-pé* et *Hou-nan* destinatum fuisse P. Joannem Franciscum a Leonissa, ex Minor. Obs. Ref., qui fuit consecratus Episcopus titularis Berilen. et vita functus est circa medium eiusdem saeculi. Plerumque tamen haec regio neque habuit proprios Vicarios Apostolicos neque a Missionariis eiusdem Instituti fuit administrata, sed promiscue prout tempora illa ferebant; usquedum Gregorius Pp. XVI felic. mem. anno 1838 regionem Hou-quang, sicut alias plures, in Vicariatum Apostolicum a caeteris distinctum erexit. In Vicarium Apostolicum fuit tunc electus Dnus Rizzolati, venerandae memoriae vir ex Ordine nostro: eodem autem tempore hinc ex dispositione Apostolica recedentibus Patribus, qui vulgo *Lazaristae* nuncupantur, quique labore et sanguine non parum religionem promoverant, haec regio fere a nostris de Reformatione tantum cum quibusdam presbyteris indigenis fuit in posterum administrata.

Anno 1845 in toto Vicariatu 20.000 fideles numerabantur; sed ex eo tempore ad plures annos, quin aucti sint, valde potius decreverunt. Saeviente siquidem persecutione, Vicarius Apostolicus in exilium pulsus est, Missionarii vero egentes, angustiati, afflicti, hac illuc errare et in abscondito remanere coacti sunt, eo magis quod persecutioni accessit magna rebellio, qua grassante, ferro et igne magna huius regionis pars depopulata fuit.

Anno 1856, Dnus Rizzolati ex insula Hon-Kong in qua iamdiu morabatur, Romam reversus est; et eodem anno Summus Pontifex Pius IX fel. mem. Vicariatum de Hou-quang in duos divisit et ad hanc provinciam Hou-pé Dnum Aloysium Coelestinum Spelta, qui tunc temporis Vicariatum Nankinense administrabat, destinavit.

Hic, quamvis infirma uteretur valetudine, multo zelo munus suum adimplevit, et dignus fuit qui a Summo Pontifice in Visitatorem totius Sinarum Imperii et regnorum adiacentium eligeretur.

Ei autem, anno 1862, e vivis sublato, statim successit Dnus Eustachius Zanoli eius Coadiutor, qui anno antecedenti Episcopus titularis Eleutheropol. fuerat ab eodem Dno Spelta consecratus. Dnus Zanoli florens aetate ac viribus, alacer et zelo plenus, sex mensium spatio fere totam provinciam peragravit, ut personarum, rerum et locorum sibi notitiam acquireret: omni autem studio bonum Missionis promovit. Cum autem expertus esset, difficile admodum esse ob locorum distantiam frequens cum Missionariis commercium, quod quidem utillimum ad Missionis bonum provehendum dignoscebat, anno 1870 dum Romae occasione Vaticani Concilii versaretur, a Sancta Sede impetravit, ut Vicariatus Hou-pe in tres Vicariatus subdivideretur, et ita factum est.

Porro Vicariatus partis orientalis, quae Dno Zanoli remansit, quaeque potior est et urbem principem totius provinciae in se continet, sequentes habet fines: latitudine incipit a gr. 28.56 et se porrigit usque ad gr. 32. 16 circiter; longitudine vero incipit circiter a gr. 109, 57 et sê protendit usque ad gr. 113, 55. Habet civitates primi ordinis quinque, secundi vero et tertii quamplurimas. In divisione huic Vicariatui cesserunt Missionarii europaei 10, Itali omnes praeter unum, presbyteri vero indigenae 9 et christiani circiter 9,000, divisi in stationes seu christianitates fere 130. Oratoria, quae pro maiori parte casae melius appellari merebantur, erant 20. Post divisionem, bon. mem. decessor meus non pepercit labori et industriae, ut suum Vicariatum sub quolibet respectu florentem efficeret; et quamvis omnes fructus spirituales quos sperabat non potuerit colligere, fatendum tamen est, omnibus inspectis, non modicum fuisse per hos annos Missionis nostrae progressum.

His summatim praemissis, quod ad annum proxime elapsum spectat, qui fuerint fructus salutis Deo dante collecti, ex adjecta tabula Pat. Tua Rma facile perspiciet. Seminavimus vero et collegimus in timore ob bellum gallo-sinicum, quod quidem ingentia mala in quibusdam provinciis Religioni reapse peperit, in ceteris eadem perpetuo minitabatur. Ut autem aliquid ad communem aedificationem particulatim enarrem, prae ceteris quamdam relationem a P. Bonifacio Oomsels mihi missam, utpote quae res minus communes continet, hic compendifactam subjicio. Scribebat igitur : « Cum Amplitudo Tua nuper totum meum districtum visitaverit, statum hujus meae

Missionis satis profecto cognoscit. Ab ultima pastorali visitatione b. m. Episcopi Zanoli anno 1879 peracta, numerus horum fidelium ad duplum excrevit. In circuitu *Tum-fam-pu* mense Novembri anni elapsi prope centum catechumeni numerabantur; postea hic numerus auctus est et fere quotidie novae conversiones ad fidem occurrunt. Quidam senex, qui per multos annos caput fuit cujusdam sectae jejunantium, factus est harum conversionum promotor. Hic, cum circa festum Paschatis esset in portu *Han-Kou*, curiositatis causa, Ecclesiam ingressus est, ut liturgicas functiones aspiceret. Tunc temporis Amplitudo Tua pluribus Missionariis circumdata, solemnia peragebat. Iam vero majestas rituum catholici cultus eum magnopere perculit, et Dei in ipso operante gratia, nostrae Religioni nomen dare illico statuit. Ad proprium pagum itaque reversus, idola confregit seque palam christianum professus est. Hinc zelo succensus, fidem inter antiquos commilitones propagare incoepit, nec sane frustra; plures enim ex eis fidei acquisivit. In festo Pentecostes septem patres familias, qui cum integris suis familiis solum Deum verum colere statuerant, ad me duxit, et in festo S. Petri Apostoli alios patresfamilias quinque, quos postea lucratus erat. Eo autem die festo ego aderam in civitate *Ta-je*, quae inde distat 50 *ly* (circiter 25 kilometris), bonus autem ille senex, cum Missam audire satageret, tota nocte, ut id assequeretur, iter fecit.

Sicut Amplitudo Tua bene novit, neophytis molestiae a paganis eorum vicinis plerumque et ubique locorum inferri solent; iis igitur mei quoque non carent, imo non ita pridem parum abfuit, quin exitium paterentur. Litterati siquidem, qui, ut solet, religioni christianae rabiose adversantur, limis aspiciebant oculis conversiones, quae hic in circuitu Tum-fam-pu de die in diem augebantur. Cum igitur vellent rei tam invisae finem ponere, statuta die insimul convenerunt quadraginta ex eis in templum progenitorum, ut ibi hunc in finem aliquid consilii caperent. In eam autem venerunt sententiam, ut in christianos, qui ad patrium cultum reverti nollent, tale ederent punitionis exemplum, quod ceteros omnes a conversionis proposito deterreret. Nec mora, falsis rationibus paganos contra neophytos concitant, qui mox horum agros pessumdant, domorum utensilia disrumpunt, animalia domestica occidunt et furantur; deinde vero contra personas invehi coeperunt, et videbatur res pessime successura; sed Deo dante cum ad hos terminos deducta est, litterati sibimetipsis timere incoeperunt et ultra non sunt progressi; quinimmo invalescente eorum timore, ne Missionarius ad magistratus recursum haberet, qui forte, ut justum erat, ab eis debitas poenas exposcerent, sollicitius veniam a me petierunt, partim quoque damna christianis illata resarserunt, et ita *siluit* tempestas.

Christianitas *Ma-ssu-li* et totus districtus civitatis *Ta-je* magnam hoc tempore fecerunt jacturam; mortuus siquidem est catechista Losen-Ki, a quo ante 15 circiter annos christiana Religio in hoc districtu initium duxit. Pius, satis eruditus et lingua disertus, optime veritates fidei explicabat. His dotibus praeditus bonus ille catechista, plures suis hortationibus fidei acquisivit. Peculiari autem mentione digna est conversio cujusdam feminae, quae quamvis post ejus mortem acciderit, in ea tamen ipsemet potiorem partem habuit. Hortatus ipse saepe fuerat quamdam paganam, quae cum esset litteris initiata, duas alias feminas ejusdem catechistae affines in addiscendo catechismo adjuverat, ut ipsa quoque fidem susciperet, sed id quoad vixit frustra; respondere enim illa solebat: « Cum ad annum quinquagesimum usque vixero, tunc Religionem vestram amplectar. » Porro die Paschatis hujus anni, haec eadem femina laetabunda ad nostrum oratorium Ma-ssu-li advenit. Dicebat autem se in somniis nuper defunctum catechistam vidisse, qui ei iterum et tertio indixit, ut nunc demum christiana fieret, quum quidem quinquaginta jam esset annos nata. Ducebat ipsa secum filium duodecim annorum, qui vocem senis audivisse testabatur sibi dicentis, ut una cum matre christianam religionem ingrederetur. Quidquid porro sit de veritate hujus visionis, hoc certum est, matrem et filium inter catechumenos tunc fuisse conscriptos, seque diligenter ad baptismum suscipiendum comparare. »

Sint haec pauca, Rme Pater, veluti speci-

men rerum quae in Missione occurrunt. Rogo autem Fratres nostros, qui in Conventibus degunt, ut quando quidem se ad apostolatum vocatos non sentiunt, suis ferventibus precibus opus nobis commissum promovere satagant, siquidem neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.

Pat. Tua Rma mihi et meis collaboratoribus seraphicam benedictionem impertiri dignetur.

—

VICARIATUS APOSTOLICI HOU-PE ORIENTALIS

Relatio Status Animarum et spiritualis Administrationis ab ultima relatione anni elapsi usque ad diem decimam quintam Augusti huius anni 1885.

Christianitates	340
Sacella publica ad Vicariatum pertinentia	58
Christiani in Catalogo descripti	12, 690
Baptizati	
Adulti	529
Fidelium infantes	351
Confirmationes	497
Confessiones	
Annuales	25, 175
Devotionis	6, 963
Communiones	
Annuales	6, 963
Devotionis	34, 145
Matrimonia benedicta	81
Extremae Unctiones	207
Vita functi	
Infantes	143
Adulti	327
Divini verbi Praedicationes	
Ad Fideles	3720
Ad Paganos	5054
Missionarii	
Europaei (cum uno fratre Laico)	16
Indigenae	13
Alumni	
Seminarii	21
Collegii	15
Scholarum (totaliter)	1055
S. Infantia (Vic. Ap.)	
Baptizantes	147
Infantes Infidelium	
Baptizati	5, 582
Collecti	104
Aliti	213
Mortui	4049
In scholis	
Pueri	615
Puellae	90
S. Infantia (Institutum Filiarum Charitatis vulgo Canossianae).	
Sorores Europeae	13
Tertiariae S. Francisci indigenae	36
Infidelium Puellae	
Baptizatae	1107
Apud Nutrices (per anni decursum)	1300
(nunc temporis)	472
In Orphanotrophio	400
Mortuae	900
Fidelium puellae educandae	290
Catechumenae ac Neophytae in Fide instructae	248
Vetulae derelictae in hospitium receptae	195
Nosocomium	
Viri ac pueri admissi	394
Mulieres ac puellae admissae	350
Infirmi externi medicamine foti	6365

—

STATUS

Apostolicae Provinciae S. Gregorii Magni in Insulis Philippinis, ex ultimo Capitulo anno 1884 celebrato. (1)

Christiani	977, 503
Paroeciae	149
Missiones	17
Religiosi (2)	405
Moniales Clarissae Maniliae	35
Baptizati (anno 1884)	42, 435
Matrimonia benedicta	11, 120
Defuncti (anno 1884)	37, 050

(1) Cfr. *Acta*, Anno IV, pag. 133. Praesentem statum desumimus ex opusculo in Philippinis edito die 17 Augusti 1885: *Estado General de los Religiosos y Religiosas de la Provincia de S. Gregorio Magno de PP. Franciscanos Descalzados de Filipinas.*

(2) Non solum hic numerantur Religiosi in insulis Philippinis degentes, sed etiam in quinque Collegiis quae in Hispania erecta sunt, scilicet:
S. Paschalis in *Pastrana* (Provincia *Guadalajara*).
B. Virginis dolorosae in *Consuegra* (Prov. *Toledo*).
S. Andreae Ap. in *Arenas* (Prov. *Avila*).
S. P. Francisci in *Puebla de Montalban* (Prov. *Toledo*).
S.tae Catharinae in *Almagro* (Prov. *Ciudad Real.*).

—

IV.
VARIA

TRANSLATIO CURIAE GENERALIS

Die 12 Novembris 1885 S. Didaco sacro, ex parte gubernii italici Rmo P. Ministro Generali intimatum fuit mandatum, ut una cum Curia sua generali habitationem Aracoelitanam relinquere deberet. Quam ab causam, et quia Collegium Generale, in quo etiam pro Curia generali habitationis locus paratur, nondum potest inhabitari, in Congressu Definitoriali die 16 Novembris decisum fuit, ut Curia ad interim in Conventu ad SS. Quadraginta Martyres trans Tyberim collocaretur. Hinc Ordinis Archivium atque supellectilia ad dictum locum pedetentim allata sunt.

Aderat quidem spes fundata, ut in residentia Aracoelitana saltem usque ad 15 Januarii remanere possemus; ast die 23 Decembris, in provigilia Nativitatis D. N. Jesu Christi, Rmus P. Minister Generalis ex parte gubernii inopinato recepit litteras, quibus postulabatur, ut claves nostrae habitationis ante finem anni 1885 Commissioni pro extruendo monumento Victoris Emmanuelis consignarentur.

Quare die 29 Decembris omnes Curiae Patres, postquam eo die sanctum Missae sacrificium in honorem SS. Trinitatis et in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis gratiisque Ordini nostro in Conventu Aracoelitano concessis obtulerant, una cum Fratribus laicis, dolentes quidem, sed cum debita resignatione, dilectum Aracoelitanum Conventum reliquerunt, et ad praefatum Conventum SS. Quadraginta Martyrum se contulerunt, ubi hymnum Ambrosianum recitantes Deo gratias egerunt, qui in hac magna tribulatione, singulari sua erga Ordinem nostrum providentia, istum locum refugii nobis benigne paraverat.

Sane summopere dolendum est, quod Curia relinquere debuit venerandum illum locum, quem Innocentius IV anno 1252 nobis concessit, ex quo per plura saecula Ministri Generales Ordinem rexerunt, et quem multi Sancti et Beati nostri Ordinis inhabitarunt ac suis virtutibus illustrarunt et consecrarunt. Hunc dolorem non solum nostri Ordinis Religiosi, sed etiam multi exteri persentiunt, prout videre licet ex lamentatione, quam R. P. Angelini, S. J. composuit et publici iuris fecit, quamque hic inserendam duximus:

FRANCISCE
O . LVX . NITIDISSIMA . ITALIAE
DVX . ET . MODERATOR . NOBILISSIMI . AGMINIS
QVOD . TE . PARENTE . GLORIATVR
NOSTRIS . EXARSIT . IN . PRAECORDIIS . DOLOR
NOSTRAE . NEC . LACRIMIS . CARVERE . GENAE
CVM . TE . TVA . EXTVRBATVM . DOMO
QVAM . TIBI . CAPITOLII . IN . ARCE . PIETAS . FILIORVM
STIPE . CORROGATA . AB . OMNI . REGIONE
EXTRVXERAT
EAMQVE . DIRVI . ET . SOLO . AEQVARI
FAMA . TVLIT
FRANCISCE
CVI . TANTVM . DE . TE . LICVIT
QVAE . MANVS . TANTVM . EST . AVSA . NEFAS
HOS . CLAVDO . PEDE . ASSEQVETVR . POENA

Antonius Angelinivs
e Societate Jesu.

—

Expropriatio
Collegii nostri S. Bartholomaei in Insula.

Die 26 Novembris anni nuper elapsi exiit decretum a Praefecto Romano, quo Collegium Missionariorum nostri Ordinis apud Basilicam S. Bartholomaei in Insula Tyberis expropriatum est. Juvenes Fratres variarum Ordinis Provinciarum, qui ibidem studiis vacabant, die 11 Decembris cum suo Magistro et Lectore ab alma Urbe discesserunt, in alio loco pro sancta vocatione sua sese praeparaturi. Praedicti venerabilis Collegii demolitio, die 4 Januarii currentis anni, et turris Aracoelitanae die 6 eiusdem mensis, inchoata est.

V.
BIBLIOGRAPHIA

MONITUM

Ex mutua PP. Superiorum intelligentia et ad fovendam fraternam societatem cum Familia Ordinis Minorum Capuccinorum, *Acta* nostra in posterum ordine alphabetico annuntiabunt saltem praecipua opera a Patribus Capuccinis edita. *Analecta* vero Ordinis Minorum Capuccinorum in sua Bibliographia vicissim

inserent opera maioris momenti a Patribus nostris evulgata.

Anastasio (P.) Bocci.

Opere varie del P. Anastasio Bocci, Min. Oss. Milano, Casa editrice Guigoni 1885.

Vol. I. La Reazione del Pensiero, sesta edizione corretta dall' Autore. — Parte prima (pag. xxiv-208.)
« II. — Parte seconda, (pag. 209-440.)
« III. — Parte terza (pag. 441-597.)
« IV. La libertà d'insegnamento e di coscienza, seconda edizione quasi intieramente rifatta (pag. 260).
« V. Gesu' Cristo e la sua dottrina, quarta edizione riveduta e migliorata. Parte prima (viii-222.)
« VI. — Parte seconda (223-476.)
« VII. L'Apostolato di San Paolo, terza edizione. Parte Prima (pag. 236.)
« VIII. — Parte seeonda, (pag. 237-461.)
« IX. Vita di San Giuseppe, terza edizione corretta dall'autore. (pag. 243.)
« X. La Missione sociale della Donna, quarta edizione riveduta ed ampliata dall' autore (pag. 159.)
« XI. I Complici del Regicidio e i Cattolici Conservatori in Italia, seconda edizione riveduta ed ampliata dall' autore (pag. xi-159.)
« XII. Il vero Amico del Popolo, quarta edizione curata dall' autore (pag. xii-348.)
« XIII. L'Eroe della Carità, seconda edizione (pag. 276.)
« XIV. Disegni di Prediche e Indice generale analitico. (pag. 237.)

Almanach du Tiers-Ordre pour l'année 1886 à l'usage des Tertiaires et Cordigères de Saint-François sous la direction des PP. Franciscains de l'Observance. Dixième année. Se trouve chez les Religieuses Franciscaines, 38, Rue de la Teste, Bordeaux. 1886. In 32, pag. 128. Prix, L. 0,25.

Eusebius (P.)Toosten. — De heilige Elisabeth van Hongarie stichteres van de Grauwzuster, door den E. P. Fr. Eusebius Toosten, Minderbroeder Recollect der Provincie van den H. Ioseph, in België. Antwerpen, Vanos Dewolf. 1884.

Floridus (P.) Ferd. Brezina, Ruze Z Jericha, sepsal P. Flor. Ferd. Brezina, O. S. Fr. (Prov. Bohemiae).

V. Praze. Tiskem kniz arcibiskupské knihtiskárny. Nákladem dobrodincii.

Giambattista (M. R. F.) Cirella da Bronte. — Panegirici del Molto Reverendo P. Giambattista Cirella da Bronte, Lettore emerito, Ex-Prov. Cappuccino della Prov. di Messina. Volume Unico. In Catania, Crescenzio Galàtola, Tipografo editore, MDCCCLXXIX. pag. 350. L. 5.

— Gli errori del protestantesimo e la verità del cattolicismo, pel P. Giambattista Cirella da Bronte Cappuccino, Lettore emerito, ex Provinciale, ed Esaminatore Prosinodale dell' Arcidiocesi di Catania: coi tipi di Calatola, 1882. Vol. 2, pag. 268-298. L. 6.

Giovanni (P.) Markovic', M. O. — *Lettere* dall' Oriente ossia un pellegrinaggio in Palestina. Trento, stabilimento tipografico G. B. Monami, ed. in 12, pag. 254.

VI. NECROLOGIA

Adm. R. P. Joseph Maria Zennari, Observantis Provinciae S. Antonii Venetiarum ex-Provincialis. Honestis piisque ortus parentibus die 14 Februarii anno Dni 1817 in oppido Suapium nuncupato Veronensis Dioeceseos, ab iisque pie educatus, iuvenili aetate anno 1835 Ordini Seraphico nomen dedit. — Ab ipso tyrocinio ad mortem usque, numquam ab omnium religiosarum virtutum exercitio abesse visus est. Sanctam inprimis orationem, corporis afflictationem, silentium, atque segregationem a saeculo impense coluit. — Plusquam discreto a natura dotatus ingenio, Historiae ecclesiasticae et Juris Canonici licentiam obtinuit, dato prius sub Austriae Gubernio publico experimento, easque facultates Sodalibus suis tradidit aliquot per annos. — Munia insuper in exemplum sustinuit tum Magistri Novitiorum, tum Paroeciae Coadiutoris, tum etiam iteratis vicibus Definitoris,

insuper et Kalendaristae et Chori Moderatoris. Ob haec munia omnia laudabiliter exercita, ab Ordinis Moderatore supremo *Admodum Reverendi* titulo meruit decorari, ideoque inter Ex-Provinciales cooptatus. In Coenobio S. Francisci Prov. Venetiarum ob Regularium suppressionem dispersis sodalibus, constanter ibi semper mansit habitumque sanctum retinuit. Denique semel et iterum apoplexiae morbo tentatus et ultima vice, dum in choro vespertinis horis iuxta morem orationi vacabat, tertio correptus (sicuti omnes confratres dictitabant quasi indubie moriturum in Ecclesia) paucas post horas ferme inopinato die 27 Julii anno elapso, sanctissimis tamen refectus sacramentis, piissime pariter ac placidissime efflavit animam in praefato Vineano S. Francisci coenobio, aetatis suae anno 68. In pace sit locus eius et habitatio eius in sancta coelesti Jerusalem. Confratris huius nostri habemus typis mandata opuscula sequentia;

1. *Ecclesiastici Cantus methodus* in compendium redacta.

2. *Kalendarium* perpetuum.

3. *Martyrologium Franciscanum*, emendatum, correctum et auctum.

Die 30 Decembris anni 1885 in pago Pontisnovi agri Perusini, dum sacram praedicationem perficiebat, gravi morbo correptus, sanctissimis Ecclesiae sacramentis recreatus, brevi ex hac vita migravit Adm. R. P. GREGORIUS PATTUMELLI, Seraphicae Provinciae filius, Lector Jubilatus, ex-Custos, pluries Definitor, iam Provinciarum Corsicae et Thusciae Visitator Generalis, Missionarius Apostolicus, et actualis Commissarius Tertii Ordinis pro civitate Perusiae. Ortus prope Perusium anno 1826 die 20 Junii ex humilibus, sed honestis parentibus, seraphicum habitum induit anno 1841 mense septembri in Conventu Portiunculae, ibique tyrocinio expleto, solemnem emisit professionem. Studiorum cursu vix absoluto, munus docendi Philosophicas prius deinde Theologicas disciplinas nostrates iuvenes concreditum ei fuit, in quo maxima diligentia se gessit. Hinc Missionarius Apostolicus renunciatus, in sacro Ameliae Recessu aliquo tempore commoratus totum se verbi DEI praedicationi addixit, quo in munere incredibile dictu est quantum zeli et sollicitudinis explicaverit, quantosque pro animarum salute et peccatoribus e vitiorum coeno revocandis, labores sustinuerit.

Poenitentia et vitae austeritate admirabilis fuit. Cum inter villicos suo muneri obeundo versabatur, etsi laboribus oppressus, cibis rusticanis vescebatur et aquam potabat. Sanctam Quadragesimam quae incipit ab Epiphania quotannis ieiunabat. Brevissimum carpebat somnum; quod supererat tempus a sacris concionibus et confessionibus sacramentalibus excipiendis, studio, orationi et meditationi dabat. Semper pedibus iter faciebat; numquam calceamentis usus etsi per nives et glacies incedere opus ei fuisset. Raro et nonnisi necessitate compulsus, vel motivo caritatis, via ferrea gradiebatur, idque tum solum cum amicus spiritualis sponte pro ipso solvebat. Sanctam paupertatem ad mentem sancti Patris Francisci ad amussim observavit, et ab omnibus Fratribus observari cupiebat. Pecuniam nequidem tangere audebat. Continuo Fratrum auribus sanctissimi Parentis verba resonare faciebat, scilicet pecuniam et avaritiam gravissimam Ordinis Minoritici esse cladem, neque perfectam his infandis temporibus resurrectionem nobis sperandam, nisi huiusmodi pestes arceantur. — Tantarum optimi Patris virtutum splendor cum omnibus praeluceret nil mirum si, audita fama eius mortis omnes oppidani et accolae, nedum flendum, sed ipsum etiam sanctum proclamandum, et veluti triumpho celebrandum musicis etiam instrumentis turmatim accurrerint. Quibus omnibus comitantibus, Tursianum (vulgo Torgiano) eius corpus elatum fuit, ibique, solemnibus absolutis funeribus, in monumento, quod pia quaedam familia pro se suisque extruxit, sepultum.

Lux perpetua tibi colluceat pro meritis, frater et amice carissime; Deumque pro nobis miseris deprecari memento, ut et nos, eheu tam multis gravissimisque periculis circumdati, post transitas miserias et luctuosas colluctationes cum filiis tenebrarum, tecum tandem et Sanctis omnibus laetari in perpetuas aeternitates possimus.

Nihil obstat.
FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM
S. C. Indicis
Feria II die 11 Ianuarii 1886.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri quod sequitur Opusculum a Sacra Rituum Congregatione damnatum atque proscriptum Decr. 1 Decembris 1885:

Les Phénomènes histériques et les Révélations de Sainte Thérèse, par G. Hahn, S. J. professeur de Physiologie au Collège de la Compagnie de Jésus à Louvain. Bruxelles, Alfred Vromant, Imprimeur-éditeur. 1883. *Decr. S. R. C. die 1 Decembris 1885. Auctor laudabiliter se subiecit et opusculum reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedictum Opusculum damnatum atque proscriptum, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illud tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 11 Ianuarii 1886.

Fr. Thomas Maria Episc. Sabinen.
Card. Martinelli Praefectus

Fr. Hieronymus Pius Saccheri
Ord. Praed. S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 12 Ianuarii 1886 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

—

SACRA POENITENTIARIA

de mandato SS.mi D. N. Leonis PP. XIII sequentes declarationes edidit pro iubilaeo huius anni 1886.

I. Ieiunium pro iubilaeo consequendo praescriptum adimpleri non posse diebus stricti iuris ieiunio reservatis, nec diebus quatuor temporum per annum et nisi adhibeantur cibi esuriales, vetito usu circa qualitatem ciborum cuiuscumque indulti seu privilegii etiam bullae Cruciatae. In iis vero locis ubi cibis esurialibus uti difficile sit, Ordinarios posse indulgere ut ova et lacticinia adhibeantur, servata in ceteris ieiunii ecclesiastici forma.

II. Christifidelibus cum capitulis, congregationibus, confraternitatibus, collegiis nec non cum proprio parocho aut sacerdote ab eo deputato ecclesias pro lucrando iubilaeo processionaliter visitantibus applicari posse ab Ordi-

nariis indultum in litteris apostolicis iisdem capitulis, congregationibus etc. concessum.

III. Una eademque confessione et communione non posse satisfieri praecepto paschali et simul acquiri iubilaeum.

IV. Iubilaeum quoad plenariam indulgentiam bis aut pluries acquiri posse iniuncta opera bis aut pluries iterando; semel vero, idest prima tantum vice quoad ceteros favores, nempe absolutiones a censuris et a casibus reservatis, commutationes aut dispensationes.

V. Ad iniunctas visitationes exequendas designari posse etiam cappellas et oratoria, dummodo sint publico cultui addicta et in iis soleat Missa celebrari.

VI. Visitationes ad lucrandum iubilaeum indictas, dummodo praescripto numero fiant, institui posse pro lubitu fidelium sive uno sive diversis diebus.

VII. Posse lucrari iubilaeum eos qui conditiones praescriptas partim in una dioecesi partim in alia quacumque ex causa adimplent aut perficiunt, si observent ordinationes Ordinariorum locorum.

VIII. Confessarios uti non posse facultatibus extraordinariis per litteras apostolicas concessis cum iis qui petunt absolvi et dispensari, sed nolunt adimplere opera iniuncta et lucrari iubilaeum.

Datum Romae in sacra Poenitentiaria die 15 ianuarii 1886.

RAPHAEL CARD. MONACO LA VALLETTA
MAIOR POENITENTIARIUS

Hyppolitus Can. Palombi, Secretarius.

—

DECRETUM
S. R. CONG.

DAMASCENA, *Beatificationis seu declarationis Martyrii Venerabilium Servorum Dei* FR. EMMANUELIS RUIZ, *Ordinis Minorum Observantium, et septem sociorum.*

Dominicae Passionis iugiter in Ecclesia renovata memoria semen quam foecundum martyrum semper extitit. Deesse ideo inter fideles non possunt, qui SANCTI SPIRITUS oraculum suum omnino non faciant, CHRISTO Crucifixo verbis et re ipsa profitentes: « *Propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis* » (Ps. 43, 22). Inter quos, et ultimis quidem temporibus nonnulli Sancti Francisci Regulae Alumni, Emmanuel scilicet Ruiz, Carmelus Botta, Engelbertus Holland, Nicanor Mianio, Nicolaus Alberca, Petrus Soler, omnes sacerdotes, et duo Fratres laici, Franciscus Pinanzo et Iacobus Fernandez spiritale CHRISTI certamen fortiter pugnantes, corporum suorum rationabilia holocausta pro fidei veritate DEO offerentes, summam rem, inaestimabilem videlicet martyrii gloriam admirabili victoria adepti sunt. Hi enim quum Damasci Coenobium inhabitarent, die 7 Iulii MDCCCLX, Mahumetani veteri in Christum DEUM aestuantes furore, perhorridam fidelium machinantur cladem. Crucis salutiferae vexillo barbari ludibrio exposito, incendiis, vastitate, caede Christianos quam plurimos iniquissime plectunt. In Franciscalium autem Coenobium nocturno tempore impetu facto, primum diris eos contumeliis afficiunt, horrendas in catholicam religionem eiusque sacrosancta mysteria vomentes blasphemias; mox ad blanditias digressi, quum nihil proficerent, terrores minasque repetunt. At heroicam Franciscalium constantiam nullatenus dimoverunt, quare saevis tormentis cunctos ad obitum usque excruciant. Octo immolatae sunt CHRISTO victimae, quae proprio perfusae cruore gloriosam martyrii palmam accipere meruerunt.

Christifideles tantam animi fortitudinem admirati, illico post mortem uti Martyres eos habuerunt, eorumque patrocinio deinceps implorato, gratias ac beneficia plurima a DEO se obtinuisse testati sunt. Neque horum fama constitit intra Damasci fines; sed adeo longe lateque percrebuit, ut in Curia ecclesiastica Aleppensi Ordinaria Auctoritate tabulae processuales super Martyrio constructae fuerint.

Hinc quum superiori anno a Sanctissimo Domino Nostro LEONE Papa XIII benigne concessum sit, ut de Dubio signaturae Commissionis introductionis Causae praefatorum Servorum DEI ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto consultorum, licet nondum elapso decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrae ipsius Congregationis, neque eorumdem Servorum DEI scriptis adhuc perquisitis atque examinatis; Emus et Rmus

Dnus Cardinalis Isidorus Verga, huiusce Causae Relator, instante Rev. Patre Fr. Bernardino a Cryptis Castri, Sacerdote Professo ac Postulatore Generali Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum DEI Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, attentisque Postulatoriis litteris plurium Eminentissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Reverendissimorum Sacrorum Antistitum, aliorumque Virorum ecclesiastica dignitate illustrium, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Conventu ad Vaticanum subsignata die habito, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu: et ad effectum de quo agitur?*

Eminentissimi porro ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, post auditum R. P. D. Augustinum Caprara, Sanctae Fidei Promotorem, qui sententiam suam voce et scripto protulit, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 17 Decembris 1885.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro LEONI Papae XIII a subscripto Secretario fideliter relatis, Sanctitas Sua Sententiam Sacrae eiusdem Congregationis ea ipse die ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae praedictorum Venerabilium Servorum DEI Fr. Emmanuelis Ruiz et Sociorum..

D. CARD. BARTOLINIUS *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secret.

—

RESCRIPTUM

S. C. SUPER DISCIPLINA REGULARI

De integritate triennii votorum simplicium

CASUS EXPOSITIO. — Professus Observantis cuiusdam Provinciae Summo Pontifici exposuit se die octava Octobris circa *horam nonam* matutinam vota simplicia nuncupasse: elapso autem triennio eadem die et mense, sed circa *horam octavam* matutinam, solemnem emisisse professionem; ita ut ad explendum triennium votorum simplicium rigore mathematico *una* circiter *hora* deerat: hinc quaesivit, an professio solemnis fuerit nulla, et quatenus affirmative, petivit dictae professionis sanationem. Super hoc dubio sequens accepit Rescriptum:

Ex Audientia SSmi die 8 Januarii 1886.

Facta relatione de praemissis precibus SSmo Dno Nro LEONI Papae XIII per infrascriptum S. Congregationis super disciplina Regulari Secretarium, Sanctitas Sua, attentis informatione et voto P. Procuratoris Generalis Ordinis, benigne annuit pro petita Solemnis Professionis sanatione: ita tamen, ut Professus voce et scriptis declaret se uti velle hac gratia; et haec declaratio adnotetur in libris Professionis, serveturque in Archivio vel domus Novitiatus, aut Provinciae: declaratio subscribatur etiam a duobus testibus, qui intersint acceptationi. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae die, mense, et anno quibus supra.

J. CARD. FERRIERI, *Praef.*

✠ Fr. ANTONIUS MARIA, *Archiep. Palmyren.*

—

DECRETUM

S. C. INDULG.

Quo Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis Sodales absolutionem seu benedictionem cum indulgentia plenaria accipere valeant aliquo die festo de praecepto infra octavam, quoties die assignato praefatam indulgentiam lucrari non potuerint.

Apostolica Constitutione, quae incipit «*Misericors Dei Filius*» data III kalendas Junias anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo tertio, Sanctissimus Dominus Noster LEO divina Providentia Papa XIII Sodalibus Tertii Ordinis qui dicitur *Saecularis* S. Francisci Assisiensis benigne concessit ut novies intra annum recipere possint *Absolutionem* hoc est *Benedictionem cum Indulgentia Plenaria*. At quoniam dies, quibus haec *Absolutio* seu *Benedictio* fuit adnexa, non omnes festi de praecepto, sed nonnulli alicubi, nonnulli ubique locorum profesti tantum sunt, quibus Tertiarii saeculares haud facile in Ecclesias convenire possunt caeteraque praestare quae ad *Absolutionem* seu *Benedictionem* rite accipiendam fuerunt constituta, hinc eorum quamplurimi hoc spirituali beneficio illis diebus omnino careant necesse est. Quamobrem plures

Sacrorum Antistites aliique ecclesiastici viri, quibus eorumdem Sodalium Franciscalium cura est demandata, supplices admoverunt preces Eidem SSmo Domino Nostro, quatenus ex Apostolica benignitate super hoc providere dignaretur.

Porro Sanctitas Sua, cui plurimum cordi est ut Tertius Ordo saecularis S. Francisci Assisiensis maius in dies incrementum suscipiat eiusque Sodales validiora ad pietatem incitamenta habeant, huiusmodi precibus annuit, et in Audientia habita die 16 Januarii 1886 ab infrascripto Secretario S. Congnis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae clementer indulsit ut praefati Tertiarii, si forte legitima causa impediantur quominus Ecclesias adeant *Absolutionem* seu *Benedictionem* diebus adsignatis, qui profesti sunt, accepturi, eamdem *Absolutionem* seu *Benedictionem*, accipere valeant aliquo die festo de praecepto qui intra octidua eorumdem professtorum dierum occurret, dummodo caetera exequantur, quae *in Indice Indulgentiarum* memorata Apostolica Constitutio pro rite accipienda *Absolutione* seu *Benedictione* cum *Indulgentia Plenaria* praescribit. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congnis die 16 Januarii 1886.

J. B. Card. Franzelin, *Praefectus.*
F. Della Volpe, Secretarius.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica

—

De disciplina regulari restauranda
(Continuatio)

In cuiusque collabentis aedificii reparatione peragenda nulla securior arripi potest via, quam si fundamenta, quibus est excitatum, reficiantur. Sic etiam, si monastica disciplina in aliquo Conventu vel in aliqua Provincia defecerit, religiosae vitae bases perspiciendae, et in quantum laesae fuerint, reparandae sunt atque roborandae. Defectus autem disciplinae in monasteriis fere semper provenire solet ex abusibus, qui irrepserunt contra sanctum paupertatis votum, ex neglectu orationis, ex neglectu debiti studii ac laboris, necnon ex neglectu mortificationis in Regula praescriptae. Propterea ad restituendam disciplinam ante omnia necessarium est, ut praefati relaxationum fontes sedulo obstruantur, et in respectivo Conventu spiritus paupertatis, orationis, studii, laboris et mortificationis omni conatu denuo introducatur, atque opportuna remedia ad novos abusus praecavendos diligenter adhibeantur. De his omnibus, Deo volente, in sequentibus brevi et simplici sermone tractabimus.

CAPUT I.
De paupertate religiosa

1. Ipse Salvator noster sanctam paupertatem tamquam praecipuum vitae religiosae fundamentum posuit, eamque verbis atque vitae suae exemplo summopere commendavit. Dixit enim: « Si vis perfectus esse, vade, et vende, quae « habes, et da pauperibus ». (1) Ipse, dux noster et exemplar, altissimam paupertatem a nativitate sua usque ad mortem semper exercuit, et propterea iure merito dicere potuit: « Vulpes foveas habent, et volucres coeli « nidos: filius autem hominis non habet, ubi « caput reclinet ». (2)

Omnes quidem Ordinum Fundatores sanctam paupertatem praescripserunt; praecipuo autem et vere singulari modo S. P. N. Franciscus eam sui Ordinis fundamentum et praerogativam habere voluit. Summopere paupertatem amavit, perfecte eam semper exercuit omnibusque filiis suis affectuosissime commendavit. Omnes etiam Ordinis nostri Sancti, qui coelesti nunc fruuntur gloria et beatitudine, in vita sua speciali paupertatis amore et exercitio emicuerunt. Hanc virtutem etiam nos omnes amare et secundum s. Regulae nostrae praescripta iugiter servare debemus, si veri Fratres Minores vocari et esse velimus. Paupertatis pura observantia felices nos reddit pro praesenti vita, ac pro futura. Cum S. P. N. Franciscus quondam apud Castrum S. Urbani in specu cuius-

(1) Matth. XIX. 21.
(2) Matth. VIII. 20.

dam eremi ferventius orans, familiam suam DOMINO commendaret, apparuit ei angelus, qui exauditum eum in coelis esse dixit, et quae sequuntur adiecit: « Frater Francisce, felix es « tu, et felices tui, qui apostolicam renovatis « et praefertis formam, quam qui fideliter usque « in finem observaverit, ad coelum recta trans« ibit, et lucidas cum CHRISTI discipulis man« siones accipiet ». (1) Videamus nunc, in quo consistat paupertas religiosa atque seraphica, et quasnam obligationes iniungat illis, qui eam profitentur.

§ 1.
De expropriatione.

2. Omnes Religiosi, cuiuscumque Ordinis sint, qui solemne votum paupertatis emittunt, eo ipso renuntiant omni proprietati et dominio in quascumque res temporales, et inhabiles ac incapaces fiunt, eas acquirere. Hinc quilibet Religiosus solemniter professus revera magis pauper est, quam Job tempore maximae suae egestatis fuit. Quamquam enim Job illo tempore nihil possedit, tamen retinuit ius et capacitatem acquirendi bona temporalia, ac eorum postea etiam acquisivit plura, quam ante suam egestatem possederat.

Pariter Religiosus solemniter professus renuntiavit iuri civili utendi rebus temporalibus, ac remanet ipsi solummodo simplex usus rerum dependenter a licentia Superioris. Denique talis Religiosus abstinere debet ab usu rerum superfluarum ac nimis pretiosarum. Quaenam autem res superfluae ac nimis pretiosae iudicandae sint, dependet a spiritu respectivi Ordinis, quem quis est professus, et a praescriptis Regulae, quam observare debet.

Paupertas autem, quam Religiosi observare debent, qui Regulam S. Francisci in sua puritate profitentur, scilicet Fratres Minores de Observantia et Fratres Minores Capuccini, arctior est paupertate omnium aliorum Religiosorum. Aliorum enim Ordinum Religiosi, quamvis proprium privatum habere nequeant, tamen in communi bona possidere possunt, Fratres autem Minores nec in particulari nec in communi proprium habere possunt. Usus rerum temporalium moderatus aliorum Ordinum Religiosis permittitur; Fratribus autem Minoribus usus quarumdam rerum, praesertim pecuniae, est interdictus, prout postea videbimus.

3. Hinc paupertas, quam profitentur Fratres Minores, definiri potest: *realis abdicatio cuiusvis iuris civilis et politici cuiuscumque rei temporalis, tam quoad rem ipsam, quam quoad eius usum, tam in particulari, quam in communi, propter* DEUM. In hac definitione dicitur *realis abdicatio,* ad excludendam solius spiritus seu affectus paupertatem, de qua David dicit: (1) « Divitiae si affluant, nolite cor apponere ». — Ponitur *omnis iuris civilis et politici,* ad excludendum ius quoddam naturae, quod etiam *ius poli* vocant, quo quilibet homo potest et debet uti rebus ad vitae suae conservationem necessariis. Huic iuri Frater Minor renuntiare non potest, quia est ius divinum naturale, quod omnem hominem obligat. Propterea Nicolaus III (2) dicit: « Cum in rebus temporalibus sit con« siderare praecipuum, proprietatem, posses« sionem, usumfructum, ius utendi et simpli« cem facti usum, et ultimo tamquam neces« sario egeat, licet primis carere possit vita « mortalium: nulla prorsus potest esse pro« fessio, quae a se usum necessariae susten« tationis excludat ». De hoc iure naturae B. Gabriel Maria Nicolai dicit: « Tantum « habet ius avis in grano, quod comedit, « quantum Frater Minor in cibo, quem man« ducat ». Jus autem avis in granum, quod manducat, est naturale tantum, non politicum seu iuridicum aut secundum leges civiles concessum; similisque naturae est ius Fratris Minoris in cibum, quo utitur. — Additur in definitione *cuiuscumque rei temporalis,* quia Frater Minor est capax iuris rei spiritualis, v. g. praedicandi, sacramenta administrandi, iuris eligendi, exemptionis etc., necnon bonorum spiritualium, meritorum, indulgentiarum etc. Item Frater Minor retinet ius in suam vitam et membra, ac in suum honorem et famam. Eiusmodi iuribus enim per votum strictissimae paupertatis minime renuntiavit. Apponitur *tam quoad rem ipsam, quam quoad eius usum;* siquidem iuxta iuris peritos et supra citata

(1) Annal. tom. I. ad ann. 1213. n. 15.

(1) Psalm. 61, II.

(2) Constit. *Exiit,* art. II. n. 4.

verba Nicolai III in rebus temporalibus considerari potest *possessio*, quae est ius seu potestas libera, qua quis de re sua disponere potest ad libitum et commodum proprium, vendendo, commutando, donando; *ususfructus*, qui est ius utendi et fruendi re aliena, salva rei substantia; *ius utendi*, qui est ius utendi re pro semetipso tantum, sed non disponendi, et salva rei substantia; et *simplex usus facti*, qui est actualis usus rei alienae de licentia domini, qui hanc licentiam ad libitum potest revocare. Subditur in definitione *tam in particulari, quam in communi*, ut excludatur paupertas aliorum Religiosorum, qui, uti diximus, bona temporalia in communi possidere possunt. Dicitur denique *propter* Deum, ut excludatur paupertas involuntaria hominum huius mundi, qui vel ex casu, vel negligentia propria, vel ex malignitate aliorum nihil habent et possident.

Ex hac explicatione constat, cuius naturae, quantaque sit paupertas Fratrum Minorum, quae semper alieno utitur, et non suo, quae ex alieno vivit, de alieno vestitur, in alieno habitat. Hanc altissimam Seraphicae Religionis paupertatem Nicolaus III commendat et contra Ordinis nostri obtrectatores defendit, dicens: (1) « Dicimus, quod abdicatio proprietatis huius« modi omnium rerum, tam in speciali, quam « etiam in communi propter Deum, meritoria « est, et sancta, quam et Christus viam per« fectionis ostendens verbo docuit, et exem« plo firmavit ».

4. Fratres Minores ergo nec in communi nec in particulari possunt habere ullum ius, dominium, proprietatem, possessionem, usumfructum, aut usum iuris, rei alicuius temporalis, sed tantum simplicem facti usum, dependentem semper a libera voluntate domini concedentis ipsis usum rei ad nutum revocabilem. Dominium autem illarum rerum, quarum simplex usus facti Fratribus Minoribus est permissus, est vel penes dantem sive concedentem, si ipse dominium sibi reservaverit; vel, si dominium illarum rerum a se abdicaverit, est penes Papam et Ecclesiam Romanam, prout declaravit Nicolaus III dicens: (2) « Omnium « utensilium et librorum, ac eorum mobilium « praesentium et futurorum, quae et quorum « usum, facti scilicet, Ordini vel Fratribus « ipsis licet habere, proprietatem et domi« nium, quod et fel. rec. Innocentius Papa IV. « praedecessor Noster fecisse dignoscitur, in « Nos et Romanam Ecclesiam plene et libere « pertinere hac praesenti Constitutione in per« petuum valitura sancimus ».

(1) Const. cit. art. II. n. 1.
(2) Const. cit. art. III. n. 1.

Consideremus nunc breviter singulas obligationes, quas paupertas seraphica Fratribus Minoribus iniungit.

5. *Fratres Minores non possunt habere dominium ullius rei temporalis.* S. P. N. Franciscus in Regula dicit: (1) « Fratres nihil sibi « approprient, nec domum, nec locum, nec « aliquam rem ». Quod in hoc Regulae textu praecipit, ipse S. Pater in seipso executus fuit, quando paternis renuntiavit facultatibus, cunctaque terrena rejecit. Nullos ad suum admittebat consortium, nisi expropriatos, et nihil prorsus retinentes; unde etiam docebat, sacrae Religionis ingressum ab illo fore inchoandum evangelico verbo: (2) « Si vis *perfectus* « esse, vade, et vende omnia quae habes, et « da pauperibus. » Etiam nos omnes infra duos ultimos ante solemnem professionem menses secundum S. Concilii Tridentini sanctiones de rebus nostris terrenis disposuimus, et in ipsa professione omnibus illis in perpetuum renuntiavimus. Ergo nec domum propriam, nec locum, nec aliquam rem, tamquam propriam habere possumus.

Aediculam Portiunculae, sive sacellum S. Mariae Angelorum, et fundum adjacentem S. Franciscus ab Abbate Ordinis S. Benedicti montis Subasii precibus impetraverat. Quamvis autem pius ille Abbas locum hunc S. Francisco cesserit, solum tamen usum ejus simplicem S. Pater acceptavit, non autem proprietatem. Atque huius rei gratia, singulis annis Abbati canistrum pisciculis plenum tradidit, nullius rei proprietatem et dominium sibi suisque umquam se permissurum hoc exemplo significans.

Postquam S. Franciscus scripserat Regulam, descendit de monte facie coruscanti, et Fratribus, qui aderant ostendit acceptam a Christo vitae normam, eamque per praecipuas Ordinis Provincias misit, ut unusquisque, quid sibi videretur, exponeret. Non paucis Fratribus

(1) Cap. VI.
(2) Matth. XIX. 21.

visum est, ut iuxta ceterarum Religionum consuetudinem, saltem quidquam in communi eis liceret habere; brevi enim adeo crevisse sodalitium allegabant, ut Fratres intra tam strictae paupertatis metas probabiliter non possint contineri. Ille ad locum, unde venit, reversus cum vero legislatore iniit consilium, a quo recepit sequens responsum; (1) « Ego pars et hae« reditas eorum ero, nolo ut immisceantur « terrenis curandis. Omnium huius vitae viro« rum ego me constituo oeconomum: nec « permittam, ut quidquam ex necessariis vi« tae elementis eis deficiat, dum illi curave« rint hanc Regulam observare. Quo maior « eorum numerus, eo maior videbitur mea « providentia. Dum in me iactaverint cogita« tum suum, enutriam eos, neque in aeternum « dabo fluctuationem iustis. »

Contra illos huius mundi sapientes, qui contra altissimam seraphici Ordinis paupertatem scripserunt, seraphicus S. Bonaventura murum se opposuit, eorumque calumnias et falsas sententias egregie confudit, ac abrenuntiationem possessionum tam in communi quam in particulari solide Dei verbo veterumque Doctorum rationibus probavit, praesertim in suis opusculis *de paupertate Christi* et *Apologia pauperum*.

S. Concilium Tridentinum (2) concessit omnibus monasteriis Regularium, etiam Mendicantium, ut bona immobilia deinceps possidere eis liceat, « exceptis domibus Fratrum « S. Francisci Cappuccinorum et eorum, qui « Minorum de Observantia vocantur. » Curemus ergo, ut perseveret apud nos incorrupta haec egregia paupertatis haereditas. Elegimus excipi a generali ista Ecclesiae licentia, et sub antiquo manere vinculo totalis expropriationis, etiam in communi. Fideles ergo simus professioni, quam sponte emisimus. Sapienter aliquando dixit Martinus Navarrus (3), se malle Conventualem esse, servando Regulam S. Francisci relaxatam auctoritate Apostolica, quam Fratrem de Observantia non servando illam integram, quam tamen integram vovit.

6. *Fratres Minores non possunt habere annui redditus.* Hoc expresse declaravit Clemens V dicens: (1) « Cumque annui redditus « inter immobilia censeantur a iure, ac hu« iusmodi redditus obtinere paupertati et men« dicitati repugnet, nulla dubitatio est, quod « praedictis Fratribus redditus quoscumque, « sicut et possessiones, vel earum etiam usus, « cúm eis non reperiatur concessus, recipere, « vel habere, conditione considerata ipsorum, « non licet ». Redditus potest esse *formalis* vel *virtualis*. Redditus formalis est ius ad aliquid annuatim recipiendum, sive sit pecunia, sive granum, vinum etc. Redditus, vero virtualis est, qui ad naturam redditus appropinquat, ut sunt v. g. oves, boves etc., quae fructum aliquem reddunt, et hoc ipso quodam modo mendicitatem tollunt, aut quamdam certitudinem de fructu recipiendo praebent, quae omnia sunt contra professionem, quam emittimus.

Communis est proprietariorum excusatio, providendum esse tempestive pro necessitatibus eventuris, et oblatis occasionibus utendum, ne dum supervenerit necessitas, nec occurrerint eleemosynae, in multas abripiantur inquietudines. Haec est omnium avarorum, ac de Deo diffidentium cantilena. Eamdem olim cecinerunt Hebraei, de quibus S. Scriptura conqueritur: « In iram excitaverunt Excel« sum in inaquoso. » (2) Quare? « Male « locuti sunt de Deo, dixerunt: Numquid po« terit Deus parare mensam in deserto? » (3) Teste historia septem saeculorum decursu veri filii S. Francisci, qui Regulam in sua puritate observare studuerunt, numquam gravem penuriam passi sunt.

7. *Fratres Minores non possunt institui haeredes.* Cum dicti Fratres vi suae Regulae sint omnino incapaces cuiusvis iuris civilis, dominii, proprietatis et possessionis bonorum temporalium: sequitur, eos non esse idoneos ad successiones in bonis, prout etiam expresse declaravit Clemens V sequentibus verbis: (4) « Quia igitur in successionibus transit non « solum usus rei, sed et dominium suo tem« pore in haeredes, Fratres autem praefati

(1) Annal. tom. I. ad ann. 1223. n. 10.
(2) Sess. 25. cap. 3 de Regul.
(3) Apud Rodrig. Quaest. Regul. tom. 3. qu. 3. art. 4.

(1) Constit. *Exivi de Paradiso.*
(2) Ps. 77. 17.
(3) ibid. v. 19.
(4) Constit. *Exivi,*

« nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum « Ordini possunt, etiam in communi: declarando dicimus, quod successionum huiumodi, quae, etiam ex sui natura indifferenter ad pecuniam, et etiam ad alia mobilia « et immobilia se extendunt, considerata sui « puritate voti, nullatenus sunt capaces. »

Haeres succedit in universum ius defuncti. Hoc autem repugnat statui Fratrum Minorum. Quapropter Doctores etiam concordant, testamentum esse nullum, in quo Fratres Minores instituuntur haeredes. Legatum autem factum in favorem Fratrum invalidum non est. Nam, quamvis in ordine ad Fratres nullum remaneat, ita ut nullum eis ius tribuat ad illius consecutionem, tamen onus adimpleri debet ex parte haeredis vel executoris. Possunt propterea Fratres legata in testamentis recipere, si modo Fratribus licito relinquantur. Modus autem licitus est, si sequentes conditiones adsint: 1. ut per modum purae eleemosynae fiat sine ullo iure Fratrum; 2. ut res vel usui Fratrum cedere possit in se, vel ex commissione testatoris vendi et pretium pro Fratrum necessitatibus expendi valeat; 3. ut per tale legatum mendicitas Fratrum non tollatur; 4. ut ex quantitate accepta non possit praesumi fieri in fraudem haeredum. Ita Clemens V. (1)

8. *Fratres Minores non possunt emere, vendere, etc. stricto sensu.* Emere, vendere, commutare, mutuare, donare, etc. in stricto sensu sunt actus, per quos dominium alicuius rei ab una persona in alteram transfertur. Cum vero Fratres Minores proprietatem et dominium nec habere nec acquirere valeant, eiusmodi actus iuridicos, civilem obligationem inducentes, facere non possunt. Si agatur vero de praefatis actibus in lato sensu, illi liciti esse possunt sub quibusdam conditionibus. Sic v. g. licitum est, sine obligatione ulla civili, de pretio naturali iudicio convenire; naturali fidelitate se obligare ad procurandam per licita media solutionem; per idoneas personas solutionem actu procurare, servatis conditionibus ad faciendum recursum ad amicos spirituales necessariis. Illicitum autem est, se ad rei pretium solvendum civiliter obligare; per eiusmodi contractum non tantum nudum facti usum, sed etiam proprietatem acquirere; per se, vel per alium propria auctoritate solutionem facere.

(1) Constit. cit. cap. VI.

9. Haec est perfecta ac omnimoda expropriatio, quam seraphica paupertas nobis, qui eam profitemur, iniungit. Haec altissima paupertas est symbolum et tessera necnon peculiaris gloria nostri Ordinis. Hanc augustam Dominam nostram, sanctam paupertatem, secundum S. Patris nostri monitum et exemplum sincero cordis affectu amemus; tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate DOMINO serviamus; et paupertati per omnimodam expropriationem totaliter inhaerentes nihil aliud pro nomine Domini nostri IESU CHRISTI in perpetuum sub coelo habere desideremus!

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1885 celebrata.

—

XL.

Collegium Apostolicum civitatis Pacensis (La Paz) *in Republica Boliviana.*

Die 1. Octobris 1885 in Collegio Apostolico civitatis *Pacensis* in Republica Boliviana celebratum fuit Capitulum Guardianale, praesidente *Adm. Revdo Patre* ALEXANDRO MARIA CORRADO, Commissario Generali, in quo electi fuerunt:

GUARDIANUS COLLEGII.

R. P. Joannes Bernat, ex-Missionarius Terrae Sanctae.

DISCRETI COLLEGII

Adm. R. P. Raphael Sans.
R. P. Joannes Comas.
R. P. Paulus Fernandez.
R. P. Victorianus Gonzalez.

III.
MISSIONES

—

DECRETUM

S. C. de Propaganda Fide, quo dividitur Praefectura apostolica superioris Ægypti.

Cum iam ab aliquot annis Alumni Seminarii Lugdunensis pro missionibus inter Afros,

Rmo Patre Ministro Generali Ordinis Minorum Franciscalium, cui aegyptiaca missio est concredita, ac R. P. D. Vicario Apostolico Aegypti assentientibus, Sacra vero Congregatione de Propaganda Fide adprobante, operam contulerint ut fidem catholicam in iis Aegypti regionibus propagarent, ubi Missionarii Franciscales prae numeri exiguitate non possent, Superior memorati Seminarii postulavit, ut intuitu fructuum sanctificationis inde huc perceptorum, nec non uberiorum qui sperantur in posterum apostolica in iisdem regionibus praefectura erigeretur. Emi ac Rmi Patres Sacri Consilii fidei propagandae negotiis praepositi, quorum iudicio illius petitio fuit subiecta, exquisito voto R. P. D. Vicarii Apostolici Aegypti, in generalibus comitiis habitis die 17 Martii 1884, unanimiter censuerunt esse eidem annuendum. Missionem itaque ab praefati Lugdunensis Seminarii Alumnis in Aegypto fundatam apostolicae praefecturae indole ac limitibus opportunum esse existimantes ut quoad confinia praesertim quibus praefectura contineri debet, ipsemet Vicarius Apostolicus Aegypti ac Seminarii Lugdunensis pro Missionibus inter Afros Superior in antecessum convenirent. Quod cum effectum fuerit, conventio ab ipsis inita Emis Patribus fuit submissa, qui in generali conventu die 10 Decembris 1885 habito, censuerunt memoratam praefecturam subiiciendam pro nunc esse Vicario Apostolico Aegypti quoad Sacramentorum administrationem, curam animarum et directionem scholarum, prae oculis habita Constitutione Apostolica « *Firmandis* » et quibus in rebus applicari potest, Constitutione « *Romanos Pontifices* »; eius vero territorium extendendum esse ad quatuor provincias Garbieh, Menousieh, Caloubieh, Charkieh, exclusis stationibus a Franciscalibus occupatis, id est Kafr-El-Zaiat et Boulac.

Hanc vero Sacrae Congregationis sententiam SSmo D.N. Leoni PP. XIII ab infrascripto eiusdem Sacrae Congregationis Secretario relatam die 23 Martii 1884 et die 13 Decembris 1885, Sanctitas Sua ratam habuit ac probavit.

Datum Romae ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide die 25 Januarii An. 1886.

Joannes Card. Simeoni, *Praefectus.*

✠ *D. Archiep. Tyren.* Secr.

RELATIO

De Statu Constantinopolitanae Missionis Immaculatae Conceptionis.

Reverendissime Pater,

Libentissimo animo adhaerens desiderio Paternitatis Tuae, ut relationem habeas de statu singularum Missionum Ordini nostro commissarum, pergratum mihi est huius Missionis Immaculatae Conceptionis SS. Mariae Virginis acta et statum tibi referre. Relatio, quam inchoaturus sum, ab anno 1863 (quo novissima relatio ab Adm. Rev. P. F. Joanne Baptista a Falerone data fuit) initium ducit.

Haec nostra Missio, quae sedem habet Constantinopoli, decem stationes Religiosorum, necnon tres Sororum Tertii Ordinis complectitur.

1.° Constantinopoli, in loco Pera, cum ecclesia paroeciali sub titulo S. Mariae *Draperis,* cui est cura quatuor millium animarum. Hic commorantur septem Patres, duo Fratres Laici professi, ac tres Tertiarii. Ecclesia restaurata, amplificata atque eleganter depicta anno 1874, capax trium millium hominum, non raro haud sufficit numero fidelium ad sacra solemnia accurrentium.

2.° Smirnis, in Asia Minori. Ibi similiter nobis est concredita ecclesia paroecialis cum cura duorum millium animarum, sub titulo Immaculatae Conceptionis. Illic degunt sex Patres una cum duobus Fratribus Laicis, quorum unus Professus, alter Tertiarius. Ecclesia eleganter ornata, capax duorum millium hominum, populum, qui eam valde frequentat, ad devotionem intime invitat. Conventus reaedificatus fuit a fundamentis anno 1866.

3.° Bournabat, iuxta Smirnas; illic pariter nobis commissa est ecclesia paroecialis cum cura mille animarum, sub titulo SSmi Nominis B. Mariae Virginis. Huic stationi tres addicti sunt Patres cum duobus Laicis Professis, sed plures desiderarentur. Ecclesiae magnae elegantiae ac pulchritudinis rotundo modo constructae, restauratae a damnis, quae sustulit ob terrae motum anni 1878, adiuncta fuere duo Sacella, quorum unum dicatum B. Mariae Immaculatae sub titulo a *Lourdes*, ad dexterum latus maioris Altaris, alterum dicatum Sacratissimo Cordi Jesu ad sinistrum.

4.° RHODI, quae primum erat Melitensium Equitum, cum ecclesia paroeciali sub titulo S. MARIAE a Victoria, cui est cura tercentarum quinquaginta animarum. Illic commorantur duo Patres, una cum duobus Fratribus, quorum unus Laicus professus, alter Tertiarius. Hic modo fundatus est conventus Sororum nostrarum. Eadem in insula, et pago Trianda, sex kilometris longe ab urbe, anno 1884 erectum fuit sacellum una cum parva domo ad usum Patris, qui aestivo tempore illuc sacrum facturus se confert. Hoc sacello confecto, anno 1885, data est opera restaurationi conventus atque Ecclesiae in urbe.

5.° MAGNESIAE, quae ab urbe Smirnensi distat triginta kilometris, cum Ecclesia paroeciali, cui est cura septuaginta animarum, sub titulo S. Leonardi a Portu Mauritio. Haec statio fundata fuit anno 1869, commissaque uno Religioso Sacerdoti, atque uno Fratri laico professo.

6.° MITYLENIS, in vetusta insula Lesbo, cum Ecclesia paroeciali sub titulo Assumptionis B. MARIAE Virginis, cui est cura septuaginta animarum. Earum saluti student unus Religiosus sacerdos cum Fratre laico professo. Tum Ecclesia tum Conventus constructa fuere anno 1868, cum terrae motus anni 1867, quae prius aedificata fuerant, destruxerit.

7.° AYVALI, Mitylenas contra in Asia Minori. Cum valde ibi diminutus sit numerus catholicorum, Paroecia quae ibi extiterat unita est Paroeciae Mitylenarum; at Sacerdos qui huius curam habet, illuc in anno, saepiusque, ut exposcit necessitas, se confert.

8.° TENI, quae est insula in Archipelago Graeco, habemus duas stationes, quarum una, in urbe, sub titulo S. Antonii de Padua, decreto Congregationis de Propaganda Fide, ad tempus tradita fuit cuidam Sacerdoti ritus Graeci-uniti, altera est medio fere in centro insulae, in pulcherrima planitie montibus circumdata. Huic conventui restaurato anno 1879, capaci viginti Religiosorum, anno 1881, quaedam pars adiuncta fuit, ad effectum ibi domum Novitiatus instituendi, quamvis hoc optatum compleri non potuerit. Ibi commorantur duo Patres ac duo Fratres Tertiarii.

9.° In insula PRINCIPUM, in mari Propontidis, quae distat a Constantinopolitana urbe duodeviginti kilometris, cum Ecclesia paroeciali sub titulo S. Pacifici a Sancto Severino. Haec statio initium ducit ab anno 1863; tunc temporis aedificatus fuit conventus, huiusque in inferioribus tabulatis erectum est sacellum, quod cum nunc valde sit angustum nec capere possit frequentem populum, qui a Constantinopoli, tempore aestivo, illuc se confert, praeterito anno posita sunt fundamenta maioris ecclesiae (modo iam tecto coopertae,) quae est styli Gothici-Germani.

Ministerio animarum operam dat hiemali tempore unus Religiosus sacerdos, (cui aestivo tempore mittitur adiutor alius sacerdos) una cum Fratre laico professo.

De stationibus Sororum nostrarum

Hac in nostra Missione adsunt Sorores Tertii Ordinis S. P. N. Francisci Missionariae, sub cura Patrum nostrorum, subditae superiorissae Generali, quae Gemonae, apud Utinum sedet, nec non Rmo P. Ministro Generali. Institutae primum Constantinopoli in loco *Pera,* anno 1872, nunc curam dant florentibus scholis, quas centum fere frequentant alumnae, aliae Catholicae, aliae Graecae, aliae Hebraeae.

Secunda earum statio est *Rhodi,* fundata anno 1876. Illic similiter operam navant institutioni quinquaginta alumnarum, quarum aliae catholicae, aliae graecae, aliae hebraicae, aliae mahumetanae Religionis.

Tertia earum statio fundata anno 1883, est in insula *Principum.* Septuaginta alumnae ab eis hic instituuntur, quarum plures Graecae schismaticae, cum hiemali tempore ibi non degant multae catholicae familiae; omnes vero modo sunt alumnae externae.

En paucis, Reverendissime Pater, relatio de statu Missionis nostrae Constantinopolitanae. Officio suo totis viribus student Fratres nostri Missionarii; unusquisque memor mandati sui, enixe operam navat animarum saluti praedicatione, consiliis, opere et exemplo; praeterea in unoquoque Conventu unus vel plures, secundum necessitatem, institutioni puerorum incumbunt, eosque docent sanctam nostram Religionem, varia idiomata aliasque disciplinas.

Summatim ad hanc Missionem pertinent:

Stationes Religiosorum	10
Religiosi Patres.	23
Fratres Laici Professi.	8
Paroeciae.	7
Fratres Tertiarii	7
Stationes Sororum.	3
Sorores	20

Datum ex hoc nostro Conventu Sanctae Mariae *Draperis Constantinopolis*, die 6 Februarii 1886.

Fr. ADRIANUS A PISAURO,
Min. Ref. Praefectus Apostolicus.

STATUS
Vicariatus Apostolici CHEN-SY *in Sinis anno 1884-1885.*

Vicarius Apostolicus: AMATUS PAGNUCCI, episc. titular. Agathonicen.

Catholici	25, 306
Haeretici circiter	170
Infideles circa	13, 000, 000
Conversiones in anni decursu.	194
Missionarii europaei	11
» indigenae	18
Ecclesiae et sacella.	140
Seminaria.	2
Collegium.	1
Scholae	10

Chen-Sy, 1 Octobris 1885.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

PROF. AUGUSTO CONTI — IL ROMANO PONTIFICATO nella Storia d' Italia per il P. Marcellino da Civezza. Firenze. Uffizio della Rassegna Nazionale. Via Faenza, 52, bis, 1886, coi tipi di M. Cellini e C. pag. 19.

GULIELMO (P.) DEL CARMELO, Alcantarino. IL VIAGGIO DOLOROSO ovvero la santa via crucis. Le tre ore d' agonia di N. S. G. C. ed un breve cenno sull'Indulgenza della Porziuncola con analoghe preghiere pel R. P. Guglielmo del Carmelo, Alcantarino della Prov. di Lecce. Napoli, tipogr. di Giovanni Testa (L. 0,30)

JOANNES-CHRYSOSTOMUS (A. R. P.) A LUGDUNO. — Manuel du Pélerin à N. Dame de Fourvière, par le R. P. J. Chrysostome de Lyon, des FF. Mineurs Capucins. Ouvrage approuvé par S. Em. le Cardinal-Archevêque de Lyon. I. E. Albert, Imprimeur-Libraire, 30, Rue Condé, Lyon. Pag. III-300.

— Le Pélerinage de N. D. Sous-Terre, au Monastère de l' Evière à Angers. Imprimerie P. Lachese, 13, Rue Chaussée Saint-Pierre, Angers.

JOSÉ (P.) MARIA PORTUGAL — LA MÀS PURA DE LAS VIRGENES, LA MAS TIERNA DE LAS MADRES, por el R. P. Fr. Jose Maria Portugal su indigno esclavo. Asientos. (in Mexicana Republica) Imprenta Mariana a Cargo de Luis M. Aguilar. 1880. In 12, pag. 429.

2. — EL GRAN MISTERIO DE LA SANTISIMA TRINIDAD, con las licencias necesarias por parte de las respectivas auctoridades eclesiásticas.

Asientos. Imprenta Mariana, a Carco de Mariano Macias. 1882. pag. 383.

3. — LA DIVINA EUCARISTIA. Reflexiones piadosas sobre el augusto Misterio del Altar. 2.a Edicion.

Asientos. Imprenta Mariana, á cargo de Mariano Macias. 1883. Pag. 298.

4. — GUIRNALDA MARIANA, ó sea, lecturas para todo el mes de Mayo dedicado de una manera especial al culto de la Santísima Virgen Maria, con las licencias necesarias de las respectivas Autoridades eclesiasticas.

Asientos. Imprenta Mariana, á cargo de Mariano Maciar. 1883, in 18, pag. 261.

5. — EL LIBRO DE LA VIDA, CONOCIMIENTO Y AMOR DE JESUCRISTO, con las licencias necesarias de las respectivas autoridades eclesiasticas. 1884.

Asientos. Imprenta Mariana, á cargo de Mariano Macias. In 12, pag. 353.

JOSEPHI (P.) CALASANCTII A LLEVANERAS, Min. Cap. — MARIALE QUOTIDIANUM sive brevissima Mariana Obsequia per singulos anni dies distributa, quibus SS. Dei Genitricis nomen et sublimitas Patrum et Doctorum encomiis celebrantur; opus omnibus Reginae Coelorum felicissimis servis valde inserviens, concionatoribusque et ecclesiasticis haud inutile.

Mediolani ex typis Seraphini Ghezzi Via S. Manzoni, Vic. Facchini, 6. 1885. In 16. (pag. xv-752). Pro Italia L. 3. — Extra L. 3, 50.

JOHN (P.) ROCHE. — INSTRUCTIONS for servers at high and low Mass, solemn Vespers, holy week and benediction of the most holy Sacrament, translated from the Italian of Joseph Baldeschi by John Roche, O. S. F. (Prov. Hiberniae). Dublin, James Duffy and sons. 1885.

LUIGI (P.) CANALI DA PARMA. — *Memorie intorno alla vita del* P. FRANCESCO VAROLI, Minore osservante, raccolte nell' anno 1875 dal P. Luigi Canali da Parma, M. O. — Parma, Tipografia Vesc. Fiaccadori 1885. Pag. 37.

MARCELLINO (P.) DA CIVEZZA,

DELLE VERE TRADIZIONI ITALIANE, discorso dal P. Marcellino da Civezza, Min. Oss.

Firenze. Tipografia di Mariano Ricci. Via San Gallo, N. 31, 1886. — In 8, pag. 26.

MARGARITA vitae apostolicae. Munusculum minusculum peregrinis Jesu Christi oblatum. Ex sententiis Patrum excerptum.

Hic libellus (pag. 232, in-64) a quodam Patre Ordinis Praedicatorum, R. P. Vanutelli, diligenter conscriptus continet sententias sanctorum Patrum aliorumque Sanctorum ac omnibus, praesertim autem Missionariis et verbi DEI Praedicatoribus, commendatur.

PETER (P.) AUSSERER. — Seraphische MONATS-BLÜTHEN in Bildern mit kurzem Text von P. Peter Paul Ausserer, O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi) Innsbruck, Vereins Buchhandlung. 1885.

REMIGIO (P.) BUSELLI. —

L' EMMAUS EVANGELICO, dimostrato e difeso distante 60 stadi da Gerusalemme; nuovi studi del M. R. P. REMIGIO BUSELLI, M. O. Lettor teologo giubilato già Miss. apostolico e segretario di Terra Santa e per la medesima Commissario in Livorno (Toscana.)

Parte II. Milano. Tipografia Eusebiana, Corso Garibaldi, 104. In 16, pag. 199.

ROMUALDO (P.) DELL'ADDOLORATA. — 1. Manuale del Terz' Ordine secolare di S. Francesco d' Assisi secondo le recenti disposizioni del Sommo Pontefice LEONE XIII, preceduta da un trattato storico, seguita da breve spiegazione e dal Direttorio, pel M. R. P. Romualdo dell' Addolorata, Alcantarino di Lecce. Seconda edizione. Napoli, tipog. di Giovanni Testa. (L. 0, 60).

2. REGOLA del Terz' Ordine secolare di S. Francesco d' Assisi, secondo le recenti disposizioni del Sommo Pontefice LEONE XIII seguita da brevi spiegazioni pel M. R. P. Romualdo dell' Addolorata, Ex-Def. Àlcantarino di Lecce. Terza edizione. Napoli, Tipogr. di Giovanni Testa. (L. 0, 30).

V.
NECROLOGIA

A. R. P. HERMENEGILDUS A CHITINIANO, Ref. Prov. Thusciae. (1) Jam aliunde innotuit lacrymandus transitus ex hac vita *Adm.* R. P. Hermenegildi a Chitiniano. — Si bonos quosque, litterarum scientiarumve amatores, defunctoque amicitia beneficiisque coniunctos, haec notitia maximo dolore affecit etiam inter viros eminentiores tam e religiosa quam e civili republica; inenarrabili tamen moerore ex ea perfunditur Ordo Noster Seraphicus ac praecipue alma nostra Reformata Provincia Thusciae, cuius his temporibus P. Hermenegildus praestantius ornamentum, columna, et solamen iure meritoque censebatur. — Ipsius nomen tot voluminibus aureo stylo conscriptis praepositum iam maius omni laude sonat, duraturum quousque litterarum pietatisque studium in pretio habebitur.

Vellemus gesta tanti viri, ut par est, singillatim referre, ut eius exemplum superstites inflammaret, atque posteris aemulationi esset ad scientiam cum pietate coniungendam, sicque insimul saltem aliqua ex parte solveremus quod grata illius memoria a nobis repetit; ast ratio temporis id nos prohibet, dolemusque brevi admodum sermone biographiam tanti viri posse a nobis exponi, quae haud immerito non parvo volumini consignanda foret. Attamen, etsi nonnulla solum praestantiora de eo delibabimus, facile apparebit quam iuste super eius sepul-

(1) Cfr. *Acta*, anno 1885, pag. 176.

chrum tot lacrymae perfundantur. Serio consideranti desideratus Pater imaginem veri Franciscani omnibus numeris absolutam praeseferre conspicietur, ita ut cunctis Confratribus, praesertim vero studiosae iuventuti, veluti exemplar quod admirentur et imitentur proponi valeat.

Piis honestisque parentibus *Antonio Lorenzini* et Elisabeth Paperini die 2 septembris anni 1824, Chitiniani, Dioecesis Aretinae, ortum habuit, et in sacro regenerationis fonte Marcus nominatus, vel a teneris annis iudicii maturitate, pietatis studio, ingenioque versatili, summa cum discendi cupiditate coniuncto, coaevis ita praestitit, ut de eo multi autumare possent talem futurum, qualem deinceps probavit eventus.

Ex crebra pia visitatione sacri Montis Alvernae, ubi admiranda Passionis D. N. Jesu Christi mysteria in N. S. Patre renovata summa veneratione colebat, erga Ordinem seraphicum amore devinctus, franciscalem habitum inter Reformatos Provinciae Thusciae humiliter petiit; votique die 9 Decembris anni 1842 compos factus, eodem in monte tyrocinium sub optima disciplina P. Andreae a Quarata, tunc Novitiorum moderatoris, aggressus est. Quantum tanto sub duce in perfectionis semita, et in discendi cupiditate altas radices fixerit, ut sibi, et aliis proficeret, cito manifeste apparuit, cum adhuc in iuvenili aetate omnium approbationem sibi comparaverit. Elucebat enim iam tunc in ipso paupertatis, illibatae puritatis, obedientiaeque amor singularis, et morum gravitas, animique prudentia, insimul comitati adiuncta: et de die in diem in perfectionis scientiarumque curriculo ita progrediebatur ut inter ferventiores spiritu, acutiores ingenio tyrones philosophos, profundiores theologos accenseretur, et plane eminens in litterarum liberalium ardore cunctis videretur.

Die 8 octobris anni 1848 solemni emissa professione, quae semel iuraverat Deo reddere progressu temporis semper perfectius servavit, seraphici Patriarchae, et Ss. Bonaventurae, Bernardini Senensis, et Leonardi a Portu Mauritio potissimum vestigia premens; et quamvis adversa valetudine caro infirma esset, spiritus tamen in dies promptior erat. — Cum 29 annum vix attigisset, praevio splendidissimo concursu in Lectorem sacrae eloquentiae praeelectus, per quinquennium ita huic nobilissimae palestrae operam navavit, ut iuvenes oratores quam plures probatissimos effecerit, totus in eo ut vera eloquentia apostolica restauraretur, quae magis vitae fructus quam flores vanumque rumorem germinaret. — Et ne cuiquam in Apostolico munere secundus esset, comes adiungi P. Andreae a Quarata ardenter optavit, et omnium bonorum gratulatione, plurimis difficultatibus obsistentibus superatis, obtinuit. Sanctis meditationibus, peculiari studio, iugique poenitentiae exercitio in sacro Recessu Incontri, spiritu etiam atque etiam roboratus, Fratrum salutem anhelans, per duodecim annos descendit evangelizaturus vicos et castella, nobilissima oppida, civitatesque ipsas, et ubique plenae messis manipulos reportavit profligando gliscentes errores, vel obstinatiores peccatores in viam salutis revocando, bonos vero in virtute confirmando.

Ast ut Dei voluntati obsequeretur cui magis obedientia quam victima placet, inter lacrymas Fratrum Incontri, e quibus veluti alter pater et magister habebatur, exeunte anno 1868. Romam petiit, a Secretis inserviturus adm. R. P. Bernardino a Porturomatino tuuc Procuratori Generali Reformatorum, nunc totius Ordinis generali Ministro, qui ex eo tempore P. Hermenegildum acceptissimum et familiarissimum habuit, et plurimi fecit usque ad mortem.

Verum tempus advenerat quo clara luce fides, zelus, patientia, doctrina, et sanctus Religionis amor P. Hermenegildi toti Ordini et societati etiam splenderet. — Dum terrarum potentiae inferis sociatae regulares viros e claustris exturbabant, sanctiora quaeque irridebant, et mille vinclorum seris juventutem a sacerdotio et religionis studio arcebant, et in dies pericula atque persecutiones acriores timebantur futurae, una cum P. Andrea a Quarata, soli Providentiae confisus, primus omnium prope Prati civitatem die seraphico Doctori S. Bonaventurae sacra, anno 1869, Collegii Seraphici prima fundamenta jecit, ut iterum arbor Franciscana tot quassata motibus refloresceret, et non solum consuleretur dilectae suae Provinciae Thusciae, sed etiam reliquis exemplo juvaret, ostendens qualiter in

tanta temporum acerbitate Ordo Seraphicus iterum germinare valeret. Difficile dictu est quas molestias, qualemque necessariorum carentiam primo tempore in angustissima domo perpeti debuerit. Ast Deus qui consolatur humiles, consolatus est servum suum, prosperans et benedicens opus inceptum, et rependens tot lacrymis et curis sollicitis, pro solo Deo, animarum salute, et bono juventutis et Ordinis exantlatis, mirum Providentiae concursum tum in optima studiorum institutione restaurata, tum in abundantia vocatorum ad gregem electum, tum maxime in reflorescentia Provinciae Thusciae, quam ultra centum novelli Sacerdotes decorant, quorum pars cathedram litterarum aut philosophiae tenent, pars sacris Missionibus indigenis, et quotidianis praedicationibus, magno cum animarum fructu, et bonorum laude se addicunt; pars etiam in Aegypto, in Americis, in Sinensium imperio Evangelium praedicant, ceteri vero in octodecim Conventibus Provinciae Thusciae venerabili senectuti auxilium praestant.

Nec aliter evenire poterat; si enim arbor bona bonos fructus facit, P. Hermenegildi virtus singularis nihil aliud praestare debebat quam quod praestitit. Revera nihil in eo desiderabatur, quo melius mens et cor iuvenum optima institutione imbuerentur. In ipso exemplaritas vitae; puritas illibata, in verbis, in conversatione, in ipso vultu praelucens; paupertatis erat rigidissimus custos, ut praeter Crucifixum et breviarium nihil proprii haberet; obedientia et reverentia in maiores admirabilis, austerus in se, benignissimus in Fratres; humilitas ei inerat tam profunda ut ab omni dominatu abhorreret, et ignorari et negligi ab omnibus cuperet, et solummodo, ut facilius Collegio prospiceret, in Definitorem eligi passus est. Tria Deo spoponderat, et quam fidelissime servabat, scilicet: nunquam inutiliter tempus terere, nunquam irasci, nunquam de aliorum defectibus murmurare. In illo mens semper aequa in prosperis et adversis: alienus a consortio hominum, perpetuo studio divinae Scripturae, operibus Angelici et Seraphici Doctorum, divini poetae aliorumque probatissimorum auctorum vacabat, et in recreatione ipsa vel de spiritu, vel de scientia sermonem inducebat. Ecclesiae, Ordinis, Provinciae decus unice anhelans omnibus viribus incubuit ut eosdem sensus iuventuti sibi commissae insereret. Tandem eum ita prudentem in consilio, in doctrina excellentem, ita unitate fraterna et sanctitate fundatum omnes fatebantur, ut ad illum juvenes, et aetate provecti, Superioresque ipsi, summi viri, et doctores celeberrimi veluti ad oraculum vel per epistolas, vel oretenus recurrerent, et ne improbi quidem de illo verbum malum proferre auderent: tam stricte, novissimis praesertim temporibus, omnium animos sibi devinxerat!

Quod si tot virtutibus sibi et aliis ita profuit, non minus scriptis pietatem invexit, gloriam seraphicae Religionis dilatavit, Christi Sponsam defendit, juventutem docuit, Fratribus consuluit, honorem scientiae et litterarum vindicavit, fovit, auxitque, ita ut inter celebriores, et expolitiores italicae linguae scriptores hujus aevi omnium consensu adnumeretur. Praetereundo sacri Recessus Incontri Statuta, novemdialesque supplicationes ad Divum Léonardum et Beatam Baptistam Varani, atque alia opuscula minoris ponderis, prelo dedit successive de anno in annum:

Ammaestramenti ai Giovani che si apparecchiano a professare nell' Ordine di S. Francesco d' Assisi. — Guida spirituale pei Giovani Francescani che aspirano all' Ordine Sacro — Le Ragioni dell'onore dovuto al clero cattolico — Gesù Cristo *nell'opera dell' umana redenzione* — Gesù Cristo *e il mondo coi loro seguaci — La provvidenza di Dio alla mente e al cuore del Savio — Il Figliuol Prodigo — Memorie intorno alla vita, e alle opere del P. Andrea da Quarata — San Francesco stimatizzato sul Monte Alverna — Vita del Beato Giovanni della Verna — Le ultime ore dell'uomo — Un Frate, e un libero pensatore convertito* — tandemque, *L'uomo in Paradiso* — in quibus omnibus nescis quid amplius admireris, an sententiarum profunditatem, vel acutum philosophum, vel exactum theologum, vel insignem historicum, vel varietatem dicendi et describendi vivacitatem, vel spiritus unctionem, an aureum italicum sermonem, vel amplam eruditionem, vel confutationem errorum, ut quo magis eius libri volutantur, eo magis placeant, aedificent. Unde non solum celebres litterati, Episcopi, Purpurati, et

Doctores in divinis quamplures magnopere illum commendabant, et una voce jam inter classicos auctores accensebant; sed ipse Pontifex Leo XIII tantum virum admirans, in ejus operibus legendis valde delectabatur.

Ast proh dolor! dum vitae Ven. P. Leopoldi a Gaiche scribendae amatissimus et amicissimus Pater operam daret, studio et austeritate exhaustus, accedentibus, acriore vi, doloribus colicis, quibus saepe laborabat, diem supremum sibi imminere praesensit. Et cum ars medica atque sollicitae curae fratrum filiorumque nihil valerent, suprema Sacramenta ipse ardentissime petiit, quamvis nondum periculum imminere videretur. At in extremo limite vitae magis ac magis virtus eius emicuit; nam oculis in coelum defixis magno cum fervore ingeminabat: « Opto mori pro JESU amore, CHRISTI martyr occumbere volo, fiat, fiat voluntas DEI. Et martyrem, si non carnifex, certe saevi dolores absque lacrymis et questu per duodecim dies mira patientia tolerati, efficiebant.

Denique in extremis constitutus, ad Fratres se convertens: « Vobis, aiebat, hos pueros probandos mihi dilectos commendo, vestraeque curae committo; praesertim vero in fidem ac tutelam Superiorum Provinciae remitto. » Et pueros ipsos benedicens, vivis atque ferventissimis verbis eos exoravit ut firmi manerent in vocatione in qua vocati erant. Postea magna instantia, ut seraphicus Pater, nudum in nuda terra deponi poposcit, ut nudus ad coelum evolaret: idque certo perfecisset si Fratres desiderium tam heroicae poenitentiae obsecundare potuissent. Interim omnes in lacrymas effusi, triste malum, heu frustra! supplicationibus ad DEUM habitis deprecabantur. Nam timor, quem nox suis tenebris augebat, omnium animos pervasit, quum media nocte cum morte luctari coepit. Pavor in omnibus et trepidatio, ubique luctus, ubique dolor. Maiores iuxta lectum dulcissimi Patris gemitus, pallidioresque facies. At ipse inter filios gementes vultu hilari, ut non moriturus, adstantibus videretur. Tandem, ingravescente morbo, Crucifixum amplectens, tranquille, ut quasi non morti sed somno suavissimo cederet, summo mane diei sanctae Elisabeth sacrati, idest hora tertia cum dimidio die 19 Novembris 1885, vir sanctitate et sapientia tantus, christiana spe laetissimus, placidissime animam efflavit. Nihil de dolore, gemituque Patrum et iuvenum Collegii Fratrumque totius Provinciae dicemus.

Ave, anima dulcissima! Seraphici Collegii, cuius pater, dux et vita: Thusciae Reformatorum Provinciae, et totius Franciscani Ordinis, cuius nobile ornamentum, Catholicae Ecclesiae, cuius gloriae amantissimus fuisti, apud DEUM memento; dum nos, ut religiosi multi consurgant, optamus, similes tui, cuius memoriam nullo temporis lapsu e cordibus nostris umquam obliterari confidimus.

—

Collegium Pacense (La Paz) magnam fecit iacturam in morte R. P. JOSEPHI COMAS, qui obiit die 23 novembris 1885. Oriundus ex oppido Camprodon. in Catalaunia, inter Fratres Observantis Provinciae Catalauniae solemnia vota nuncupavit. Pater hic noster propter ipsius virtutes merebatur dici simplex, rectus, humilis; iustitiae et observantiae seraphicae amator, paupertatis et humilitatis custos; et licet omnibus carus, semper mitis manebat. Reipublicae Praesides, Viri nobiles magnaeque Dominae, Clerus uterque, populusque universus specialem ipsi aestimationem praestabant, quam ipse gratam ferebat non ad se inflandum, sed ad proximi bonum, ad Missionum et Collegii utilitatem, ad pauperum inopiam sublevandam, ad infirmorum angustias alleviandas. Ad sacras Institutiones Filiarum sanctae Annae pro hospitali, Sororum Charitatis pro orphanorum hospitio, Matrum Sacrorum Cordium pro puellarum educatione, Patrumque Societatis Jesu stabiliendas, indefessus fuit. Ideo non mirum, quod in eius obitu concursus totius civitatis et fletus factus sit omnium, praesertim Patrum Societatis Jesu, qui prout amicissimo parentare voluerunt. Plorantium lacrymae maximum eius elogium fuere.

Ephemerides nuntiarunt merita dotesque defuncti dicentes (et quidem verum) P. Comam fuisse unum ex primis Missionariis, qui ex Italia collecti a R. P. F. Andrea Herrero ad hanc Pacensem urbem appulerant, mense septembri 1837; et eodem anno nondum Collegio fundato, electus fuit primus nostrae Communitatis Guardianus, quo mu-

nere iterum atque iterum functus est, semelque Missionum Praefectus. Ultra viginti quinque annos Reductionem de *Isiamas* rexit et auxit. Ibi, ut facilius dogmata et praecepta nostrae sanctae Religionis suos neophytos doceret, catechismum traduxit in eorum vernaculam linguam *tacanam* (quae valde difficilis est), et typis cudi fecit. Omittere non licet quod in tristi seditione de *Apolo* (caput provinciae de Caupolican), illuc velociter venit, bellantibus adstitit, ipsosque fervide allocutus, pacem suasit, sanguinisque vitavit effusionem, et exinde Angelum pacis ipsum omnes acclamarunt. Hinc egressus, et iterum in Guardianum electus, in civitate Pacensi conciliationis mediator semper fuit inter miseros et Gubernium, quod quidem eius supplicationibus obtemperabatur non vi eloquentiae, sed ipsius virtutis et charitatis. Semper hilaris, semperque modestus et in omni loco bonus odor Christi. Et licet aegra valetudine in eius provecta aetate (circiter 76 annorum), in choro et caeteris Communitatis actibus assiduus et devotus erat. Ipsius ultimos infirmitatis angores patientissime toleravit, multum fidens patrocinio sanctissimi Patriarchae Joseph, cui devotissimus semper fuit: tandem Sacramentis, auxiliisque Religionis magna fide susceptis, obdormivit in Domino. — R. I. P.

—

Die 18 Januarii 1886, secunda ante meridiem hora, omnibus Ecclesiae Sacramentis refectus, pietate qua vixerat, R. P. Paschalis a Gambatesia ex hac vita decessit.

Gambatesiae, in provincia monastica S. Ferdinandi, anno 1825, ex honestis parentibus, Josepho d' Alessandro et Joanna de Martinis, ortum habuit. Juvenili adhuc aetate, quo Deus vocabat intus, sponte cucurrit: talarem prius, rudem deinde S. Francisci Assisinatis habitum, inter Minores Observantes induit et in conventu Petravairani se votis solemnibus Deo dicavit. Propositi tenax a Seraphici Patris semitis, quas alacriter capesserat, abscessit unquam; nihilque quam obedientiae, paupertatis, humilitatis et orationis studium prae se ferebat. Quae quidem omnia ut iuvenum tum exemplo tum verbo inseminaret animis, docendi munus, concursibus pro philosophia ac theologia in Urbe superatis, Aquilae in Aprutiis inivit et laudabiliter explevit, usquedum ab Italico Gubernio exiret decretum, quo, Regulares omnes, velut e truncis frondes, quaquaversus fuerunt disiecti. Tunc enim ad propria reversus a vitae instituto nec uno quidem digito declinavit, sed virtus potius quae antea ac si lucerna sub modio posita, longe lateque effulsit oculis, huc et illuc pertingens, verbum Dei disseminandi sacrasque confessiones audiendi causa, haud parvo spirituali lucro fidelium. Eiusdem provinciae S. Ferdinandi fuit Definitor.

Sed magnae constantiae viro aliud munus moderator omnium Deus committere voluit: Aquilam enim inscite repetens, nascenti Tertiariarum S. P. N. Francisci sub nomine Bambini Jesu regulari instituto, nuper erecto, permagno fuit auxilio: praesertim cum R. P. Eusebio a Pratulis demortuo, quo familiariter a pluribus abhinc annis utebatur, Commissarius Generalis creatus eiusdem Instituti, qua caritate, qua paterna sollicitudine inservierit omnino dici nequit.

Tempori, sibimetipsi non pepercit, vere omnibus omnia factus rector, magister, imo et servus erat, quo melius prosperaret domus et augeretur alumnarum numerus, ac summopere pietas, animi demissio regularisque observantia magis magisque florerent. Ad hoc nihil praetermisit, nihil habuit intentatum; et si aliquando sibi non pollerent vires, alienas opportune et importune quaerebat simplicitate et humilitate spectanda. Haud mirum igitur si in dies ferveret et dilataretur opus.

His tandem confectus curis, in morbum incidit et brevi ad extrema reductus, fratribus sororibusque tanta iactura lugentibus, sapientibus impertitis monitis, ad Deum, quem toto corde dilexit, avolavit, exemplum pietatis, observantiae et ardoris imitandum nobis relinquens.

Nihil obstat.
Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EPISTOLAE ENCYCLICAE
LEONIS XIII PONTIFICIS MAXIMI

SUMMATIM DESCRIPTAE

I. Epistola Encyclica « *Inscrutabili* » die 21 Aprilis 1878. — Malorum colluviem, qua humana societas undique premitur, deplorat. — Eorumdem malorum causa detegit, opemque ac medelam in obsequio et reverentia erga Ecclesiam eiusque praecepta quaerendam esse ostendit. — Declarationes et protestationes a Decessore Suo Pio IX adversus occupationem civilis Principatus Apostolicae Sedis ac violationem Romanae Ecclesiae iurium editas renovat, simulque condemnationes in grassantes errores iam latas confirmat. — De mira consensione Episcoporum, sive inter se, sive cum Apostolica Sede, gratulatur. — Splendidissima denique vel a Pontificatus exordiis filialis pietatis et obsequii accepta testimonia memorat, gratosque animi sensus profitetur.

II. Epistola Encyclica « *Quod Apostolici muneris* » die 28 Decembris 1878. — Agit de Socialistarum sectis, quae civili consortio graviores in dies ruinas minitantur. — Varios enumerat Romanos Pontifices Praedecessores, qui clandestinas societates, ubi primum conflari coeperunt, condemnarunt. — Impia Socialistarum molimina nec non eiusdem sectae originem et indolem detegit. — Tot exinde ingruentia mala ex despecta Ecclesiae virtute, quae ad civilis societatis ordinatissimum regimen et conservationem maxime confert, repetenda esse demonstrat. — Hinc Principes et populos hortatur, ne saluberrimam hanc Ecclesiae vim spernere pergant.

III. Epistola Encyclica « *Aeterni Patris* » die 4 Augusti 1879. — Inter tot ubique locorum grassantes errores, totve quibus humana societas premitur calamitates, studia sanae solidaeque philosophiae in scholis provehere quam maxime interesse declarat. — Quanta Ecclesiae Patres atque Doctores ex recto philosophiae usu in defensionem revelatae doctrinae adiumenta deprompserint fuse demonstrat. — Scholasticorum Principis ac Magistri S. Thomae Aquinatis doctrinam laudum praeconiis effert, eiusdemque doctrinae utilitatem gravissimis argumentis adstruit. — Omnes catholici orbis Episcopos hortatur, ut auream Divi Thomae sapientiam in scholis restituere et quam latissime propagare satagant.

IV. Epistola Encyclica « *Arcanum* » die 10 Februarii 1880, qua doctrinam catholicam de matrimonio christiano fuse exponit. — Illorum errores refellit, qui christianorum coniugia ab omni sanctitate deiicere atque Ecclesiae iurisdictioni subducere contendunt. — Quantam profanata coniugia perniciem attulerint, quantam allatura sint universae hominum communitati demonstrat. — Gravissima mala legum divortiis faventium recenset. — Viros principes, gubernatores administratoresque rerum publicarum hortatur, ut sacras de matrimonio leges intactas servari studeant, oblatoque Ecclesiae auxilio utantur ad prohibenda mala, quae civili societati im-

pendent. — Episcopis enixe commendat, ut doctrinae catholicae de coniugio christiano integrae incorruptaeque servandae sedulam operam navent, caveantque ne fideles fallacibus adversariorum conclusionibus in errorem inducantur.

V. Epistola Encyclica « *Grande munus* » die 30 Septembris 1880. — Res a SS. Cyrillo et Methodio inter Slavonicos populos praeclare gestas enarrat. — Curas recenset, quas Romani Pontifices ad tuendam apud eos religionis sanctitatem publicamque conservandam prosperitatem impenderunt — Se vehementer optare manifestat huiusmodi prosequi curas omnique ope contendere, ut Slavorum gentis commoditati ac spirituali bono meliori in dies ratione consulatur. — Interim, ad SS. Cyrilli et Methodii cultum amplificandum atque caeleste patrocinium magis magisque conciliandum, praecipit ut, rato die quinto mensis Iulii a Praedecessore Suo Pio PP. IX constituto, eorum festum quotannis agatur cum ritus duplicis minoris officio et missa propria, quae sacrum Consilium legitimis ritibus cognoscendis approbavit.

VI. Epistola Encyclica « *Sancta* DEI *civitas* » die 3 Decembris 1880. — Agit de Institutis a Propagatione fidei, a sacra IESU CHRISTI Infantia et a Scholis Orientis nuncupatis. — Ea summopere laudat pro zelo et industria, qua S. Congregationi de propaganda fide ad sustinenda missionum onera subsidium et levamen praebere nituntur. — Necessitatibus sacrarum missionum ob varias, quas enumerat causas quotidie ingravescentibus, universi orbis Praesules atque fideles vehementer hortatur, ut tanto operi cum precibus tum eleemosynis opem ferre non recusent.

VII. Epistola Encyclica « *Diuturnum* » die 29 Iunii 1881, de politico Principatu. — Bellum adversus divinam Ecclesiae auctoritatem iamdiu susceptum in commune societatis humanae ac nominatim civilis principatus periculum evasisse declarat. — Infandam memorat potentissimi Russiarum Imperatoris necem, ac minas terroresque quos perditi homines in ceteros Europae principes vulgo iactare non verentur. — Haec rerum discrimina ex inventis a recentioribus de potestate politica doctrinis atque ex despecta christianae religionis virtute ortum habuisse admonet. — Eorum refellit errores, qui omnem potestatem a populo esse contendunt, amplissimisque Sacrarum Scripturarum et Ecclesiae Patrum, prolatis testimoniis demonstrat, ius imperandi a DEO velut a naturali necessarioque principio esse repetendum. — Quantam ex hoc dignitatem simulque firmitudinem politica potestas assequatur exponit, atque ostendit legum severitatem sine religionis praesidio fructuosam esse non posse. — Hinc principes ceterosque rerum publicarum moderatores vehementer hortatur, ut huiusmodi a Se iam alias oblatum praesidium non spernant, ut summorum bonorum copia, quam Ecclesia suppeditat, utantur, atque intelligant quietas res et satis prosperas permansisse quamdiu inter ecclesiasticam et civilem potestatem concors amicitia permansit. — Episcopis enixe commendat, ut industriam atque opes omnes, quae in eorum potestate sunt, conferant ad societatis humanae incommoda et pericula deprecanda.

VIII. Epistola Encyclica « *Etsi Nos* » die 15 Februarii 1882 ad Episcopos Italiae (1). — De malis hac in regione ingravescentibus conqueritur. — Quantum Ecclesiae hostes audendo processerint factis ostendit. — Romanum Pontificatum ab eorum criminationibus fortiter vindicat, summorumque Pontificum in italicam gentem praeclara merita recenset. — Magnopere interesse monet, ut haec in conspectu ponantur, occultaque adversariorum consilia patefiant, ne male cauti decipiantur. — Catholicos homines, ac eos praesertim qui scribendo dant operam, vehementer hortatur, ut rei christianae tuendae sedulo incumbant, atque suadeant, res Italiae prosperitate florere non posse nisi supremi Ecclesiae Pastoris libertati consulatur. — Permagni denique referre declarat operam et studium ponere in omni ac praecipue in alumna sacrorum iuventute probe fingenda, mediaque attingit in hunc finem adhibenda.

IX. Epistola Encyclica « *Auspicato concessum,* » (2) die 17 Septembris 1882; de honoribus, qui sancto Francisco Assisiensi septimo ab eius natali die exeunte saeculo

(1) In extenso publicata fuit in *Actis* nostris. Cfr. Annum I, p. 33.

(2) Cfr. *Acta* Anno I, p. 147.

ubique properantur, vehementer laetatur. — Peculiarem religionem et pietatem commemorat, qua ab adolescentia Seraphicum Patriarcham colere assuevit. — Quanta in christianam civilemque rempublican ab uno hoc homine vis beneficiorum influxerit, enarrat. — Una simul ostendit, in tot tantisque nostrae aetatis incommodis spem sublevationis non exiguam in institutis Franciscalibus ac praesertim in sodalitate Tertii Ordinis collocari merito posse. — Hinc Episcopos enixe hortatur; ut eidem sodalitati propagandae operam navent.

X. Epistola Encyclica « *Cum multa* » die 8 Decembris 1882 de animorum concordia inter Hispanos retinenda. — Opportuna consilia praebet clero fidelique populo nec non societatibus rei catholicae provehendae, atque iis praesertim qui scriptis quotidianis pro religionis incolumitate dimicant.

XI. Epistola encyclica « *Supremi Apostolatus* » (1) die 1 Septembris 1883. — Praecipuum semper ac solemne catholicis hominibus fuisse declarat in trepidis rebus dubiisque temporibus ad MARIAM confugere. — Beneficia recolit per Marialis *Rosarii* preces in populum christianum collata, ostenditque nihil inter tot quae circumstant pericula iisdem supplicationibus opportunius. — Eapropter pium Rosarii officium enixe commendat simulque decernit et mandat ut integro mense Octobri in universo Orbe catholico solemnia hoc anno Deiparae a Rosario peculiari cultus splendore celebrentur. — Indulgentias largitur, atque Episcopos vehementer hortatur, ut populorum in magnam Virginem pietatem pro viribus alere studeant.

XII. Epistola Encyclica « *Nobilissima Gallorum Gens* » die 10 Februarii 1884 ad Episcopos Galliae. — Avitas Gallorum laudes maiorem in modum commendat. — De funestis religioni reique publicae casibus conqueritur, quos proximiora aetati nostrae tempora pepererunt. — Galliae populos convenienter temporibus ad officium cohortatur. — Fieri non posse ostendit, ut prosperitas civitati comitetur, virtute religionis extincta. — Catholicae fidei praecepta in constituenda gubernandaque tum domestica tum civili societate recenset. — Bona commemorat, quae ex publica dignitate, ineunte hoc saeculo, religioni reddita in civilem Galliae prosperitatem redierunt. — Magnopere interesse monet, ut irrita reddantur eorum consilia, qui rite initam cum Apostolica Sede concordiam serius ocius diremptam vellent. — Nihil quod tempora, in hoc rerum statu, postulare viderentur, Se praetermisisse significat. — Permagni referre declarat, scholas non deesse in quibus notitia bonorum caelestium officiorumque erga DEUM diligentissime alumni imbuantur; clerum idoneorum virorum copia magis ac magis locupletari; lectos viros laicos in patrocinio religionis, servata amborum concordia, elaborare; omnes disciplinae Episcoporum parere, opportunaque sub eorum magisterio adhibere media quae tuendis catholici nominis iuribus usui esse possunt.

XIII. Epistola Encyclica « *Humanum Genus* » (1) die 20 Aprilis 1884; de secta Massonum. — Decessorum Suorum exemplo, Massonicae societatis doctrinam, consilia, artes et molimina detegit, vimque illius maleficam, ad funestae pestis prohibenda contagia, persequitur. — Ipsam cum iustitia pugnare ostendit, et ad evertendam christianam religionis reique publicae disciplinam, novamque ad ingenium suum extruendam, ducere e medio Naturalismo fundamenta et leges. — Itaque evincit sectam Massonum exequi decreta Naturalistarum in iis rebus, quae religionem, privatos publicosque mores, convictum domesticum et civilem societatem attingunt. — Quae ex iis turbulentissimis erroribus sint civitatibus extimescendae formidines enarrat; quibus cognitis, hoc esset civili prudentiae admodum congruens et incolumitati communi necessarium, principes et populos non cum Massonibus ad labefactandam Ecclesiam, sed cum Ecclesia ad frangendos Massonum impetus conspirare. — In tam gravi ac nimis iam pervagato malo applicat animum ad quaerenda remedia. — Docet qua ratione et quibus armis sit contra has sectas dimicandum. — Quaecumque alii Romani Pontifices hac de re sanxerunt, omnia et singula rata habet et confirmat. — Hinc Episcopos hortatur, ut extirpare Massonicae sectae luem enixe studeant. — Optimam huius rei gerendae

(1) Cfr. *Acta* Anno II, p. 135.

(1) Cfr. *Acta* Anno III, pag. 65.

rationem demonstrat, mediaque opportune in hunc finem adhibenda proponit.

XIV. Epistola Encyclica « *Superiore anno* » (1) die 30 Augusti 1884. — Insidere causas declarat, ob quas anno superiore decrevit, ut in omnibus catholici orbis partibus, ad caeleste praesidium laboranti Ecclesiae impetrandum, magna DEI Mater sanctissimo Rosarii ritu, octobri toto, coleretur. — Quapropter officii Sui ducit hoc quoque anno hortari populos Christianos, ut in huiusmodi precandi ratione, quae Rosarium Mariale dicitur, perseverantes sibi validum Deiparae Virginis patrocinium demereantur. — Caeleste auxilium et collata a DEO beneficia, perseverantiae saepe esse fructus exemplis manifestat. — Curandum suadet, ut luctuosis hisce Ecclesiae temporibus sanctissima Rosarii consuetudo studiose servetur, eo praecipue quod huiusmodi preces maxime sunt ad fovendum pietatis spiritum comparatae. — Ad Italiam quod attinet, potentissimae Virginis praesidium nunc praesertim per Rosarii preces implorandum existimat, quum Asiana lues nonnullas Italiae regiones pervaserit. — Hinc praecipit iterum ut integro mense octobri in orbe catholico universo sacra solemnia MARIAE Virginis a Rosario peculiari cultus splendore agantur. — Indulgentias largitur, caelestemque Patronam rogat, ut, sublatis opinionum dissidiis et re christiana in omnibus orbis terrarum partibus restituta, optatam Ecclesiae tranquillitatem a DEO impetret.

XV. Epistola Encyclica « *Immortale Dei miserentis opus* » (2) die 1 Novembris 1885, de civitatum constitutione christiana.

Veterem illam vituperationem propulsandam aggreditur, qua dictitant nonnulli Ecclesiam adeo esse cum rationibus reipublicae dissidentem, ut nihil possit ad ea conferre, quae omnis bene constituta civitas appetit. — De ecclesiastica et civili potestate agit utriusque originem et naturam ostendit, ac tradit utramque certos ac definitos, quibus contineatur, habere terminos. — Ecclesiasticae potestatis excellentiam et nobilitatem declarat, simulque docet quantum absit ut ea iura principum imminuat vel reipublicae noceat. — Commoda recenset quae ex concordia et amica officiorum vicissitudine inter sacerdotium et imperium in humanam societatem dimanarunt. — *Novi* quod vocant, *iuris* principia et fundamenta exponit, et quantum ipsa a iure non solum christiano sed etiam naturali discrepent fuse demonstrat. — Perniciosas, quae inde manarunt, doctrinas effrenataeque libertatis capita indicat, atque una simul memorat quid tot malis medendis egerit Ecclesia. — Eorum refellit calumniam, qui asserunt Ecclesiam recentiori civitatum invidere disciplinae et quaecumque horum temporum ingenium peperit omnia promiscue repudiare. — In tanta rerum pertubatione Ecclesiae iura fortiter vindicat; iterum iterumque monet civitatis prosperitatem in tutela christianae religionis atque ecclesiasticae libertatis totam sitam esse; hanc salutis viam cunctis ostendit, docetque quid catholici homines in privatis publicisque rebus praestare quidve devitare teneantur.

XVI Litterae Encyclicae « *Quod auctoritate* » die XXII Decembris 1885, *quibus* extraordinarium Iubilaeum indicitur. *(1)*

—

DECRETUM S. R. C.

NEAPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei FR. AEGIDII MARIAE A S. IOSEPHO, *Laici Professi Ordinis Minorum Excalceatorum strictioris Observantiae S. Petri de Alcantara Provinciae Lyciensis*

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu, et ad effectum de quo agitur?

A praeclara illa sobole exiit Ven. AEGIDIUS, quam inclitus Patriarca Assisiensis reliquit in terris virtutum suarum tamquam perpetuo renascentem propaginem. In civitate Tarentina editus in lucem, rigidiori Minorum Alcantarensium familiae inter sodales laicos in suae iuventutis flore nomen dedit, et in Neapolitano coenobio diu commorans, frequentissimam illam urbem non minus eximia vitae sanctitate, quam caelestium signorum copia illustravit, ac porro illustrare non desiit post suum pretiosum obitum, qui contigit die septi-

(1) Cfr. *Acta* Anno III, pag. 149.
(2) Ofr. *Acta* Anno IV, pag. 161.

(1) Cfr. *Acta* vertentis anni fasc. I pag. 6.

ma Februarii mensis, anni duodecimi huius saeculi, eius aetatis octogesimo tertio. (1) Humili enim corde et suavi caritate praeditus, duxit dies suos laborando sicut strenuus miles CHRISTI per opera plena misericordia et fructibus bonis; ut novo hoc exemplo in ea temporum confusione comprobaretur, *infirma mundi, et contemptibilia a Deo eligi ut confundat fortia* (1. Cor. 1.)

De heroicis Ven. Servi DEI virtutibus constare cum solemniter decrevisset sa. me. Pius IX Summus Pontifex, sexto Kalendas Martias anno MDCCCLXVIII, vigiles Causae Postulatores haud sibi cunctandum putarunt, ut de miraculis disceptationem promoverent: duo itaque delegerunt ac de iis consueta severior disquisitio ad iuris tramites in Sacrorum Rituum Congregatione habita est: primo in Comitiis Antepraeparatoriis apud cl. me. Cardinalem Aloisium Bilio Causae Ponentem tertio Idus Ianuarii anno MDCCCLXXVI, deinde in Praeparatoriis in Palatio Apostolico Vaticano eadem recurrente die subsequuti anni MDCCCLXXVII, denique in Comitiis Generalibus in eodem Vaticano Palatio coram SSmo Domino Nostro LEONE Papa XIII collectis undecimo Kalendas Maii anno MDCCCLXXXV. In quibus a Reverendissimo Cardinale Angelo Bianchi Causae Relatore, suffecto Cardinali Bilio, proposito Dubio: *An, et de quibus miraculis constet in casu, et ad effectum de quo agitur ?,* singuli Rmi Cardinales, et Patres Consultores suum dederunt suffragium. Hisque auditis, Sanctissimus Dominus interea adstantes hortatus est ad lumen divini consilii in tam sublimi negotio sibi flagitandum, ut quae recta essent animo cernere, et congruo tempore deliberare posset.

Hac porro die Dominica Septuagesimae Sanctissimus Dominus inter Ecclesiae gaudia ob inceptum ab Eo annum nonum Sui Pontificatus, mentem suam pandere statuit. Ideoque sacrosancto Sacrificio in Suo privato Sacello piissime oblato, in nobiliori Aula quae Pontificalis Vaticanae Aedis, ad se vocavit Reverendissimos Cardinales Dominicum Bartolini Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, et Angelum Bianchi Causae Ponentem, una cum R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisque adstantibus rite pronunciavit: *Constare de duobus propositis miraculis ad invocationem Ven. Aegidii Mariae a Deo patratis,* videlicet, de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis puellae Carmelae Esposito ab inveterata hemiplegia cum retractione membrorum et atrophia;* ac de secundo: *Subitae perfectaeque sanationis puellae Carolinae Chirico a gravissima, diuturna et invincibili rachitide, crurum atrophiae coniuncta.*

Huiusmodi Decretum evulgari, et in acta Sacrorum Rituum Congreg. referri iussit nono Kalendas Martii Anno MDCCCLXXXVI.

D. Cardinalis BARTOLINIUS *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

LAURENTIUS SALVATI *S. R. C. Secretarius.*

—

RESCRIPTUM

S. C. DE PROPAGANDA FIDE.

Quo dantur interpretationes quorumdam favorum antea concessorum.

Beatissime Pater

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO, Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci, ad pedes S. V. humillime provolutus exponit:

In Apostolico Rescripto promulgato in fasciculo N. 362 mensis Septembris elapsi anni 1885 ANNALIUM propagationis Fidei legitur:

« Ex Aud. SSmi habita die 25 Maji 1885 — SS. Dominus Noster Leo PP. XIII, referente me infrascripto S. C. de Propaganda Fide Secretario, ut pium opus a Propagatione Fidei magis ac magis in dies augeatur, favore ejusdem benigne concedere dignatus est:

I. Indulgentiam plenariam etc. (omissis)

V. Presbyteris autem ad quodcumque Consilium seu Comitatum (Comité) ipsi pio operi dirigendo pertinentibus, atque item Presbyteris, qui in annum summam respondentem mille subscriptionibus, scilicet 2,600 fr. collegerint, vel de suo solverint, facultatem benedicendi Cruces cum Indulgentiis pio exercitio *Viae Crucis* adnexis; atque insuper *imponendi cin-*

(1) Vita hujus Ven. Servi DEI anno 1844 et iterum 1876 ab egregio Canonico Rosario Frungillo, nuperime vita functo, in lucem edita est lingua italica. Vol. in-8. (L. 2.)

gulum et *Scapulare seraphicum* cum applicatione omnium et singularum Indulgentiarum et Privilegiorum, quae hujusmodi impositioni Summi Pontifices impertiti sunt. »

« Dat. Romae etc. »

† D. Archiep. Tyren *Secretarius*.

His praemissis, quum in praefato Apostolico Rescripto nulla mentio fiat de Tertio Ordine Saeculari S. Francisci, et ideo neque de novitiatu postulantium, neque de professione Novitiorum ejusdem Ordinis juxta Constit. — *Misericors* — a Sanctitate Vestra emanatam die 30 Maji 1883, humillimus Orator enixe rogat, ut Sanctitas Vestra declarare dignetur an pro facultate *imponendi cingulum* et Scapulare seraphicum de qua est sermo in memorato Rescripto, intelligi debeat licentia adscribendi fideles Confraternitati Chordigerorum S. Francisci.

Pro qua gratia etc.

Ex Audientia Ss. habita die 7 Februarii 1886.

SSmus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto Archiepiscopo Tyren. S. Congnis de Propaganda Fide Secretario, benigne declaravit — facultatem imponendi Cingulum et Scapulare seraphicum Presbyteris Piae Societatis Lugdunensis concessam, esse intelligendam non quasi adscriptionem Tertio Ordini S. Francisci, sed uti adscriptionem Confraternitati Chordigerorum.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congnis die et anno ut supra.

† D. Archiep. Tyren. *Secret.*

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica

—

De disciplina regulari restauranda
CAP. I.
De paupertate
§. 2. *De usuu rerum.*
(Continuatio)

10. Nullius rei temporalis dominium et proprietatem, neque in particulari neque in communi, Fratres Minores habere possunt, prout nuper vidimus. Ad vitam autem in hac terra conservandam et varia officia adimplenda multarum rerum usus nobis necessarius est; indigemus enim vestitu, habitatione, cibo, potu, utensilibus, etc. Tali usui ex iure naturali nemo in hac vita mortali penitus renuntiare potest, prout docet etiam Nicolaus III dicens: (1) « Nulla prorsus potest esse professio, quae « a se usum necessariae sustentationis exclu« dat. » Dubitari autem non potest, etiam in dicto usu a Fratribus Minoribus rationem paupertatis esse servandam secundum Regulae suae praescripta et Seraphici Ordinis spiritum. Aliquibus enim rebus, praesertim pecunia, uti non possumus, aliis in casu necessitatis dumtaxat, ceteris vero moderate tantum uti possumus, et dependenter semper a licentia domini rei, ac Superioris. Videamus nunc, quid, quoad usum rerum, licitum quidque prohibitum nobis sit.

11. Duplex usus relate ad statum paupertatis distingui solet, scilicet usus *arctus, qui* nonnisi summe necessaria pro vitae *conservatione* praebet, varia proinde incommoda producit, et in illis inveniri solet, qui summa egestate premuntur, dum e. g. unicam tantum, eamque obsoletam vestem, et pro victu tantummodo panem et legumina habent; — et usus *moderatus*, qui tum ab abundantia tum a notabili penuria remotus, variis quidem divitum commodis caret, sed nec in magna egestate degentium incommoda sentit.

12. Nonnulli putarunt, quod usus arctus a Fratribus Minoribus in omnibus sit servandus. Haec opinio autem a Regulae expositoribus passim iure merito non admittitur, qui potius docent, in iis, in quibus usus arctus non praescribitur a Regula, Fratribus licitum esse usum moderatum. Hoc confirmat etiam Clemens V. in sua Regulae declaratione dicens. (2) « Declarando dicimus, quod Fratres « Minores ex professione suae Regulae spe« cialiter obligantur ad arctos usus, seu pau« peres, qui in ipsorum Regula continentur, « et eo obligationis modo, sub quo continet « seu ponit Regula dictos usus. »

13. Usus pecuniae Fratribus Minoribus penitus prohibitus est. Hoc patet ex capite IV

(1) Constit. Exiit.

(2) Constit. *Exivi*, cap. ii.

Regulae et declarationibus Romanorum Pontificum, inter quos Innocentius XI (1) dicit, Fratres Minores « teneri ad capitale praece- « ptum Religionis Fratrum Minorum de non « recipiendis denariis per se, vel per inter- « positam personam; aliarum enim rerum ne- « cessariarum possunt Fratres Minores de cor- « pore Observantiae huiusmodi habere usum, « licet non dominium; denariorum autem, nec « dominium, nec usum. » De hac prohibitione in sequenti paragrapho fusius agemus.

14. Praeterea Fratribus Minoribus arctus usus praescribitur quoad calceamenta, equos et vestes. Siquidem Fratres tenentur vi Regulae, sicut declaravit Innocentius XI, (2) « ad incedendum sine calceamentis, hoc est, « absque aliquo, quod pedem cooperiat, cuius- « cumque illud materiae sit, nisi adsit vera « necessitas, a Praelato approbanda; ad non « equitandum, nisi infirmitas, vel necessitas « iudicio Superiorum probata excuset; ad « vilitatem vestium..., ad non utendum plu- « ribus vestimentis, quam illis, quae Regula « praescribit, nempe una tunica cum caputio, « et alia sine caputio, chorda et femoralibus; « nam aliud quodvis vestimenti genus ultra « praedicta (excepto mantello ab initio Reli- « gionis licito), ut indusia, seu camisiae, suda- « riola, tunicellae, et similia sunt contra Re- « gulam, nisi adsit vera necessitas excusans a « praecepto, per Praelatum approbata. »

15. In reliquis vero in Regula non expressis usus moderatus rerum, tam ad vitae sustentationem, quam ad officiorum status sui executionem necessariarum, secundum Regulam concessus est Fratribus iuxta declarationem Nicolai III (3), qui dicit: « Neces- « sariarum rerum, tam ad vitae sustentatio- « nem, quam ad officiorum sui status execu- « tionem (excepto, quod de pecunia infra subiungitur) moderatus usus secundum eorum « Regulam et veritatem omnimodam conces- « sus est Fratribus, quibus rebus Fratres « licite uti possunt. »

Valde difficile autem est, determinare, qualis sit usus moderatus Fratribus Minoribus licitus. Quamvis enim moderatus usus ille dicatur, qui medius est inter abundantiam et penuriam, et apud personas mediocris fortunae inveniri solet, vix tamen pro illo regula generalis statui potest. Ex variis enim circumstantiis dependet, utrum aliquis usus moderatus et licitus dicendus sit, necne. Utique infirmis aliquid licitum esse potest, quod sanis licitum non est. In una regione usus alicuius rei, utpote etiam infimae plebis hominibus communis, moderatus dici potest, non vero in alia regione, in qua eadem re solummodo divites utuntur. Ideo ad varias circumstantias locorum, personarum atque officiorum attendendum est, ut determinetur, qualis usus dicendus sit moderatus.

Superfluitas, curiositas et pretiositas, quae a Fratribus Minoribus in usu rerum evitari debent, non semper faciliter possunt discerni. Propterea, quoad haec omnia, Fratres iudicio suorum Superiorum se submittant, quorum est de his secundum ipsorum conscientias discrete iudicare et disponere.

16. Nicolaus III dicit, necessariarum rerum moderatum usum Fratribus licitum esse. Triplex autem communiter necessitas distinguitur: *extrema*, dum sine usu rei vita sustentari, vel officium impleri nullatenus potest; *gravis*, si absque usu rei admodum aegre vita duceretur, aut officia implerentur; et *accommoda*, quae ex circumstantiis facit, ut aliquid ad vitae conservationem vel officia implenda, spectata nostri status conditione, necessarium, vel saltem valde conveniens sit. Omnes Regulae expositores consentiunt, quod non requiratur necessitas extrema, aut gravis, sed quod sufficiat etiam accommoda, ut re aliqua licite uti valeamus. Quia autem haec saltem semper requiritur, excluduntur ab usu Fratrum Minorum superflua, nimis pretiosa, et curiosa. Ideo S. Bonaventura ait: (1) « Cum Fratres sint « professores altissimae paupertatis, oportet, « quod omnia, quae in eorum usum veniunt, « habeant, ut est possibile, parvitatem, vilita- « tem, et asperitatem: quae tria paupertatem altissimam naturaliter consequuntur. » — Necessitati opponitur superfluitas. Superfluum dici debet, quod nec ad vitae sustentationem nec ad officiorum executionem requiritur, seu,

(1) Bulla *Sollicitudo pastoralis officii.*
(2) in Bulla cit.
(3) Constit. *Exiit*, art. 2.

(1) Expos. Reg. cap. 6.

ut ait S. Bernardus: (1) « superfluum est, « quod plus est eo, quod satis est, et nimium « dicitur esse. » Lex ecclesiastica omnibus Religiosis superflua interdicit; nam Concilium Tridentinum ait: (2) « Mobilium vero usum « ita Superiores permittant, ut eorum suppel- « lex statui paupertatis, quam professi sunt, « conveniat, nihilque superflui in ea sit. » Si autem haec lex etiam illos Religiosos afficit, qui in communi bona possident, quanto magis per eam ad superflua evitanda Fratres Minores obligantur, qui nihil proprii possidentes ex eleemosynis vivunt?

Sicut superfluitas, ita etiam nimia pretiositas rerum usum illicitum reddere potest. Ab ipso mundo corrupto non immerito carpitur ille, qui, etsi divitiis non abundet, tamen pretiosis rebus utitur, ac divitum morem sequi praesumit. Quanto maiori iure reprehenditur Frater Minor, altissimae paupertatis professor, et de eleemosynis vivens, si pretiosa quaerit, dum viliora ad eumdem finem sufficiunt!

Vitanda est denique a Fratribus Minoribus in rebus, quibus utuntur, curiositas, quae sanctae simplicitati opponitur, et saeculi fastum redolet. Caveant ergo Fratres, ne tales res ambiant, quae sunt pulchrae oculis aspectuque delectabiles, quarum possessione non paupertatis, sed vanitatis amatores se ostenderent.

Judicium autem de rerum usu Fratribus licito vel illicito spectat ad Superiorem, cui subditus acquiescere potest et debet, sicut Joannes XXII declaravit, dicens (3) « Mandamus, teneri Fratres sequi arbitrium et « iudicium Superiorum: et insuper quod se- « quendo iudicium Superiorum illis parendo, « nec sint nec dici possint, vel debeant suae « Regulae, vel Constitutionum sui Ordinis « transgressores. » Pariter hac de re S. Bernardinus Senensis scribit: (4) « Declaratur, « quod, si in locis sint manifestae superflui- « tates, vel curiositates, ex eis non vitiantur, « nisi solum eas introducentes, vel consen- « tientes, vel, si ad eorum officium pertinet, « legitime non resistentes, et non alii, qui « dictis rebus utuntur ad aliquam necessitatem, « vel scandali evitationem. »

17. Inprimis paupertatis ratio habenda est quoad conventus nostros atque ecclesias. In suo Testamento S. P. N. Franciscus ait: « Caveant sibi Fratres, ut ecclesias et habi- « tacula, et omnia alia, quae pro ipsis con- « struuntur, penitus non recipiant, nisi essent, « sicut decet sanctam paupertatem, quam in « Regula promisimus. » Clemens V eadem de re ita loquitur: (1) « Cum Vir sanctus Fratres « suos in paupertate summa, et humilitate « fundare voluerit, quoad affectum pariter et « effectum, sicut fere tota Regula clamat, con- « venit ipsis, quod nullo modo deinceps fieri « faciant, vel fieri sustineant ecclesias vel « alia quaecumque aedificia, quae considerata « Fratrum inhabitantium numero excessiva in « multitudine debeant reputari. Ideoque volu- « mus, ut ubique in suo Ordine deinceps tem- « peratis et humilibus aedificiis sint contenti, « ne huic tantae paupertati promissae, *quod « patet oculis contrarium foris clamet.* » *Valde* errant illi, qui putant, conventus nostros tunc saecularibus placituros esse, si omnia in eis speciosa, commoda, et gustui mundano conformia sint; siquidem contrarium fieri, experientia docet. Inter principaliora nostrorum conventuum ornamenta mundities reputanda est, quam propterea Superiores sedulo conservare studeant.

18. Non desunt, qui putant ornamentorum altarium, paramentorum, et vasorum sacrorum majorem copiam Fratribus Minoribus licitam esse, quoniam haec omnia ad Dei gloriam et populi devotionem diriguntur. Verumtamen externus Dei cultus juxta voluntatem ipsius instituendus est, quoniam nihil illi placet, nisi quod ipsius voluntati conforme est. In ecclesiis nostris Deus non per magnam pompam, sed potius per humilitatem, simplicitatem, et devotionem vult glorificari. De hac re jam S. Bernardus scripsit: (2) « Absonum est, nos per res magnificas et splen- « didas, quas ex virtute reliquimus, velle aliis « virtutem et devotionem inspirare. » Fratres Minores etiam in suppellectilibus ecclesiasticis ad usum moderatum obligari, declaravit Cle-

(1) Lib. 1. de Considerat.
(2) Sess. XXV. cap. 2. de Regular.
(3) Extrav. *Quorumdam.*
(4) Apud Corduba, qu. 13. cap. 6.

(1) Constit. *Exivi,* cap. x. n. 1.
(2) Apol. ad Abb. Guil.

mens V dicens: (1) « Quamvis paramenta « et vasa ecelesiastica ad honorem divini no- « minis ordinentur, propter quem omnia fecit « ipse Deus; tamen qui absconditorum est « cognitor, ad animum sibi ministrantium re- « spicit principaliter, non ad manum, nec per « illas sibi vult serviri, quae suorum servi- « torum conditioni et statui dissonarent: prop- « ter quod sufficere eis debent vasa et para- « menta ecclesiastica decentia, in numero et « in magnitudine sufficientia competenter. « Superfluitas autem aut nimia pretiositas aut « quaecumque curiositas in his, seu aliis qui- « buscumque, non potest ipsorum professioni « vel statui convenire; cum enim haec sapiant « thesaurizationem seu copiam, paupertati « tantae quoad humanum judicium derogant « manifeste. Quapropter praemissa servari a « Fratribus volumus et mandamus. » Maxime autem curandum est, ut paramenta et vasa sacra integra sint, non lacera; ut munda sint, non fastidium et nauseam procreantia. Magna enim deordinatio est, dum cellae ornantur et ecclesia negligitur, dum cernitur abundantia in refectorio, et penuria in sacrario.

19. Usum moderatum quoad victum Fratres servare debent. Si temperantia ab omnibus hominibus observanda est, multo magis Fratribus Minoribus commendari debet, quibus major ad perfectionem tendendi obligatio incumbit, et qui altissimam paupertatem profitentur. Nam, ait S. Bonaventura: (2) « Abstinentia promovet ad perfectam virtutem; « valet enim ad servandum pudicitiae sanctae « nitorem, ad custodiam paupertatis altissimae, « ad conquirendam animi fortitudinem, et « mentis serenitatem. » Cum autem in victu a Regula usus arctus praescriptus non sit, juxta Romanorum Pontificum declarationes sufficit, ut usus moderatus observetur. Hunc etiam omnes serio inculcarunt, quicumque Seraphici Ordinis reformationi studuerunt, praesertim S. Bernardinus Senensis, et S. Joannes Capistranus. Superioribus localibus obligatio incumbit, subditis suis moderatum, seu statui paupertatis convenientem victum suppeditandi ac etiam curam habendi pro iis, qui ob infirmitatem, itinerationem, aut alios graves

(1) ibid. n. 2.
(2) Apolog. pauperum.

labores, vel ob decrepitam aetatem quodam speciali alimento indigent. Convenit, ut Superiores familiam suam bene tractare satagant, et in concedendo victu potius abundent quam subditos suos penuriam pati sinant. Hac enim ratione multa mala praecaventur, praesertim odiosae querimoniae, pacis pertubationes et inutiles ac scandalosae evagationes; et hac solum ratione vita communis perfecta in conventu conservari potest.

20. Hortos nobis licitos esse, declaravit Clemens V (1), et quidem ut Fratres, qui in laboribus spiritualibus orationis et studii sedulo occupantur, competentem recreationem ac etiam, ut quosdam fructus et necessaria hortalitia pro seipsis habere possint. Illicitum autem nobis est, fructus hortorum vendere, vel hortum aut campum a conventu dissitum habere et colere. Hoc expresse declaravit Clemens V dicens: « Habere hortos aliquos, « ut colantur, ac olera et alia hortalitia pretio « distrahantur, nec non et vineas, repugnat « suae Regulae et Ordinis puritati. »

21. *Ad licitum usum rerum licentia Superiorum requiritur.* Cum Fratres Minores nihil proprii possideant, et solummodo simplicem usum facti habeant: res omnes, quibus utuntur, ut alienas et sibi commodatas considerare, atque ita iisdem uti debent, ut ad nutum domini eas reddere parati sint. Rerum autem dominium, quibus Fratres licite utuntur, est apud S. Sedem, quae expresse declaravit, quod dispositio quoad usum rerum spectet ad Superiores. Nicolaus III de Praelatis loquens ait: (2) « quibus etiam de dispositione usus « talium rerum concedimus ordinare. » Hoc idem S. Concilium Tridentinum statuit dicens: (3) « Mobilium usum Superiores ita per- « mittant,... ut nemini Regularium liceat bona « mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam « quovis modo ab eis acquisita, tenere, sed « ea statim Superiori tradantur. » Non potest ergo Frater Minor bona conscientia aliquid accipere, retinere, aut in usum applicare sine licentia Superioris. Quamobrem S. Bonaventura ait: (4) « Rem aliquam, licet parvam,

(1) Constit. *Exivi*, cap. 8.
(2) Constit. *Exiit*, art. 6.
(3) Sess. xxv. de Reform. Regul. cap. 2.
(4) Spec. discipl. part. 2. cap. 2.

« occulte, id est, sine licentia accipere vel « habere, quasi furtum Frater abhorreat. »

22. Licentia alia est *expressa*, quae datur verbis, signis vel scripto; alia *tacita*, quae implicite includitur in actu expresse concesso, et ex illo rationabiliter deducitur; alia *praesumpta*, quae adest, quando prudenter iudicatur, quod Superior expressam licentiam daret, si praesens esset. Caute autem silentium Superioris a tacita eius licentia distingui debet; nam silentium Superioris non semper est signum consensus, quia prudentia saepe ipsi suadet, ut taceat, ne majora mala oriantur.

23. Licentia a Superiore concessa etiam invalida esse potest. Invalida est, si per dolum et fraudem obtineatur, nam « fraus et dolus « nemini patrocinari debent. » Invalida pariter est, si in petitione vel veritas reticeatur vel falsitas adducatur, aut si licentia per nimis importunas preces quasi extorqueatur.

24. Superiores, ad quos spectat de usu rerum disponere, in concedenda licentia caute procedere debent, utpote rationem hac de re Deo reddituri. Numquam negari debet licentia pro re, quam subditus humiliter petit, et quae justa et necessaria cognoscitur. Nam Concilium Tridentinum dicit: (1) « Nihil, « quod sit necessarium, Fratribus denegetur. » Nullo autem modo Superior licentiam dare potest pro iis, quae paupertati a Regula praescriptae contraria, quia vel superflua, vel nimis pretiosa vel curiosa sunt. Superior non est dominus rerum, sed tantum earum dispensator, ac potestate sibi commissa uti debet in aedificationem, ac non in destructionem. Concilium Tridentinum dicit: (2) « Compertum « est, a Superioribus non posse ea, quae ad « substantiam vitae regularis pertinent, rela« xari. » Ideo necessarium est, ut Superiores circa seraphicam paupertatem bene instructi sint, et probe cognoscant, quid in hac re licitum, quidve illicitum sit. Insuper ad varias circumstantias personae, loci et temporis attendere debent; nam quod uni superfluum est, alteri necessarium esse potest; et quod in uno loco, vel uno tempore licitum est, in alio loco, vel alio tempore illicitum erit. Unde Nicolaus III ait: (1) « Interdum personarum qua« litas, et nonnullae aliae circumstantiae plus « minusve, et aliter provideri requirunt. »

(1) Sess. xxv. cap. 2.
(2) Loc. cit. cap. 1.

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1885 celebata.

—

XLI.

Collegium Apostolicum de Ocopa in Republica Peruviana.

Die 28 Octobris 1885 in Collegio Apostolico de *Ocopa* civitatis Reipublicae Peruvianae celebratum fuit Guardianale Capitulum, praesidente R. P. Bernardino Gonzalez, in quo electi fuerunt:

Guardianus Collegii

R. P. Ioannes Pallas.

Praefectus Missionum

R. P. Gabriel Sala.

Discreti Collegii

R. P. Franciscus Espoy.
R. P. Ioannes Ioseph Mas.
R. P. Matthaeus Gil.
R. P. Marianus Casanovas.

III.
MISSIONES

—

De Vicariatu Chan-tong
in Sinis

—

DECRETUM

S. C. de Propaganda Fide quo Vicariatus Apostolicus de Chan-tong in duos Vicariatus dividitur.

Sacrum hoc Consilium christiano Nomini Propagando, ut meliori ratione fidei inter ethnicos dilatandae consulatur, Apostolicos Vicariatus, qui valde ampli ab initio erigi solent, in duos pluresve decursu temporis dividere consuevit. Inter hos autem nimis extensos Vicariatus cum recensendus esse no-

(1) Constit. *Exiit*, art. 3.

sceretur ille de Chan-tong in Sinis, Ordini Minorum de Observantia concreditus, cumque Ordo ipse haud facile, in hac temporum perversitate, posset sufficientem Missionariorum numerum ad amplas illas regiones e gremio suo expedire, Minister Generalis eiusdem Ordinis necnon Vicarius Apostolicus de Chantong, salutem animarum ante omnia prae oculis habentes, ut ad divisionem ipsius Vicariatus peragendam via sterneretur, approbante hoc S. Consilio, Conventionem sub initio anni 1881 inierunt cum R. D. Arnoldo Janssen, Superiore Instituti Missionariorum de Steyl in Hollandia, qua Conventione aliquot huius Instituti Missionarii ad tres civiles praefecturas meridionales praefati Vicariatus Apostolici evangelizandas admissi sunt sub dependentia tamen a Vicario Apostolico ex Ordine Minorum, donec, aucto ibidem fidelium atque Missionariorum numero, ad divisionem Vicariatus et ad eius meridionalis regionis in distinctum Vicariatum erecti assignationem praedicto Instituto faciendam, si ita S. Sedi placuerit, posset deveniri. Jam vero, cum nunc post quatuor fere annos laborum quos Missionarii de Steyl, Deo favente atque illorum operam copiosis fructibus benedicente, iis in locis impenderunt, regio ipsa in distinctum Vicariatum erigi atque Instituto de Steyl independenter ab alio Vicario Apostolico committi posse videretur, Emi ac Rmi Patres huius S. Consilii in generali conventu habito die 7 vertentis mensis ea de re agentes, censuerunt supplicandum SSmo, ut dignaretur Vicariatum Apostolicum de Chan-tong in duos dividere et novum Vicariatum de *Chan-tong Meridionali* denominandum erigere atque huic, ut Vicarium Apostolicum charactere episcopali insignitum, praeficere R. D. Joannem Baptistam Anzer ex Instituto de Steyl, qui hucusque in supradicta meridionali regione Missionarii ac Pro-Vicarii munere valde laudabiliter functus est. Novo autem huic Vicariatui seiungendo a reliqua parte Vicariatus de Chan-tong, quae ex nunc Vicariatus de *Chan-tong Septentrionali* appellanda erit, iidem Emi ac Rmi Patres censuerunt adsignandas esse tres Praefecturas civiles, Sinice *Fu* appellatas, scilicet *I-ciou-fu, Yen-ciou-fu,* et *Zao-ciou-fu,* necnon subpraefecturam inter has duas postremas ad meridiem sitam et *Zi-ning-ciou* denominatam; ideoque limites eiusdem novi Vicariatus statuendos esse ut hic enumerantur, nimirum: ad Orientem, Mare Flavum; ad Meridiem Vicariatus Apostolici de Kiang-nan seu Nankinensis et de Ho-nan Meridionali; ad Occidentem, Vicariatus Apostolicus de Tche-li Orientali; ad Septentrionem, Vicariatus Apostolicus de Chan-tong Septentrionali.

Horum vero omnium cum in Audientia diei 13 huius eiusdem mensis Decembris SSmo D. N. Leoni PP. XIII ab infrascripto R. P. D. Sacri huius Consilii Secretario relatio facta fuerit, Sanctitas Sua sententiam Emorum Patrum in omnibus ratam habuit atque approbavit; ac tres Apostolicas Litteras in forma Brevis expediendas iussit pro divisione (1) scilicet Vicariatus Apostolici de Chan-tong et erectione novi Vicariatus de Chan-tong Meridionali cum limitibus ut supra, pro nominatione R. D. Joannis Baptistae Anzer in Episcopum Titularem, ac pro eiusdem deputatione in Vicarium Apostolicum ipsius novi Vicariatus de Chan-tong Meridionali. Et ad haec omnia praesens decretum expediri mandavit.

Datum ex Aed. S. Congregationis de Propaganda Fide, die 22 Decembris 1885.

Joannes Card. Simeoni, *Praefectus.*
† *D. Archiep. Tyren.* Secretarius.

—

STATUS

Vicariatus Apostolici* Chan-tong *in Sinis, ab anno 1884 ad annum 1885.

Vicarius Apostolicus: RR. DD. Beniaminus Geremia, Episcopus titularis Usolen.

Missionarii

Europaei (e quibus unus Frater laicus)	12
Sinenses (Tertiarii Franciscani) .	10
Incolae totius provinciae circiter.	30,000,000
Catholici indigenae	16,991
Mahumetani circiter	5,000,000
Protestantes indigenae, circiter .	2,000
Catechumeni	4,599

(1) Breve *Romani Pontifices* pro divisione Vicariatus de Chan-tong die 8 Januarii 1886 promulgatum fuit.

Baptizati

Fidelium infantes	1,145
Infidelium infantes.	13,922
» adulti	378
Confirmationes	71

Confessiones

Annuales (1)	10,701
Devotionis	14,642

Communiones

Annuales	8,067
Devotionis	13,921
Matrimonia benedicta.	114
Extremae Unctiones	193
Vita functi	532
Ecclesiae et Sacella	154
Residentiae	9
Seminarium.	1
Alumni seminarii	28
Scholae	85
Alumni	3,115
Orphanotrophia	4
Orphani	749
Virgines Tertii Ordinis Orphanotrophiis inservientes . . .	38
Catechistae	29
Virgines Tertiariae Catechumenas docentes	15

Tsi-nan-fou, 16 Nov. 1885.

NOTA. — In hoc Statu includuntur Christianitates trium Praefecturarum Chan-tong meridionalis, quibus praesunt sex Missionarii e Seminario Steyl in Hollandia.

In his Christianitatibus, Vicario Apostolico Chan-tong hactenus subjectis, numerantur circiter 300 Christiani et fere 2,000 Catechumeni.

—

CONSECRATIO ILLMI ET RMI D. BENIAMINI GEREMIA, *Vicarii Apostolici Chan-Tong Septentrionalis*

Die 1. Novembris 1885 locum habuit in *Tai-iuem-Fu* (Chan-sy) solemnis Consecratio. Rmi D. BENIAMINI GEREMIA, Episcopi titularis Usolensis et Vicarii Apostolici *Chan-Tong* Septentrionalis. Praelatus consecrator fuit Illmus D. GREGORIUS GRASSI, episcopus titularis Orthosiensis et Vicarii Apostolici Chan-sy adiutor.

Die 8 eiusdem mensis, pontificali missa ab Illmo neo-Consecrato GEREMIA celebrata, inaugurata fuit Synodus Regionis, et prima sessio publica. Die vero 15, celebrata pariter missa ab Ilmo HAMÈR, Vicario apostolico *Kan-su* et Synodi praeside, secundae sessioni quae et ultima, finis fuit impositus.

(1) Quum plures Missionarii hoc anno propter infirmitatem districtus suos visitare nequiverint, ideo confessionum numerus minor est ac anno praecedenti.

—

SORORES FRANCISCALES
in Che-foo (sive Tche-Fou)

Praesenti mense Martii vertente, sex Sorores ex Instituto (1) *Franciscalium Missionariarum Mariae* nuncupato, cujus scopus est Vicariis apostolicis auxilium praebere in puellarum praesertim educatione, mulierum christiana instructione ac aegrotantium cura, ad septentrionalem Vicariatum *Chan-Tong* destinatae sunt, Illmo D. Geremia, Vicario apostolico easdem vocante, atque S. *Cong. de* Propaganda Fide et Rmo P. Generale approbantibus. In portu *Che-Foo* (alii scribunt *Tche-Fou*), ejusdem Provinciae civitate, scholas, orphanotrophium aliaque opera juxta sui Instituti Constitutiones efformare ac dirigere debent.

IV.
VARIA

—

GRATIA IMPETRATA, MEDIANTE S. P. FRANCISCI BENEDICTIONE

In Vicariatu Coimbatorensi Indiarum Orienrientalium Sorores *Franciscales Missionariae*

(1) Hujus Instituti domus princeps ac Novitiatus in Gallia existit prope civitatem Briocensem (S. Brieuc) et aliae domus adsunt Romae, Via Giusti 12; Massiliae, rue Breteuil 178; Carthagine, in Africa; in Vicariatu Coimbatorensi Indiarum ac Insula Ceylan

Hac occasione errata quaedam corrigenda esse ducimus, quae in ultimo fasciculo pag. 30 irrepserunt. Ibidem agitur de alio Instituto Sororum Franciscalium pariter *Missionariarum* cujus domus princeps in Italia habetur. Quae vero Sorores non *primum Constantinopoli* anno 1872, uti loco citato insinuari videtur, sed Gemonae prope Utinum ortum habuere, ex decreto Ordinarii Utinensis die 14 Novembris 1860, et praeter domus in Constantinopolitana Missione fundatas, alias quoque in America septentrionali possident.

Mariae nuncupatae, Nosocomium mense Octobri 1885 instituerunt et medicationum officinam (anglice *dispensary*) in qua tribus primis mensibus 6429 infirmi curati sunt. Hos inter visus est quidam senex ex *Vadouguer* sive tribu bellatorum, qui annis nonaginta major et adhuc paganus, prava sua indole Sorori infirmariae timorem incutebat. Ad ejus conversionem a DOMINO impetrandam, Mater Superiorissa sanctum Patrem Franciscum elegit intercessorem atque sub infirmi matta imagine Seraphici Patriarchae cum ejus benedictione posita, Sanctum exoravit ut ad baptismi gratiam aegrotantem ethnicum disponere dignaretur. Orantis et intercedentis exauditae sunt preces; mox enim, petito baptismate, regenerationis Sacramentum senex accepit, ac postridie, fidei spei et caritatis actibus cum miro fervore pronuntiatis, animam sacro mundatam lavacro CHRISTO Salvatori placide reddidit.

—

PROCESSUS INFORMATIVUS
de fama sanctitatis P. Ludovici a Casauria.

Die 29 Augusti 1885 Neapoli in Curia archiepiscopali, praesentibus Rmo D. Josepho Carbonelli, Vicario Generali, specialiter ab Emo D. Cardinale Archiepiscopo ad hoc delegato, et ceteris Officialibus, sub consuetis formalitatibus canonicis fuit introductus processus ordinarius informativus de fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum servi DEI P. Ludovici a Casauria, sacerdotis professi Ordinis Minorum Ref. Provinciae Neapolis et Terrae laboris, vita functi die 30 Martii 1885.

Judices delegati pro hoc processu sunt: Rmus Canonicus Carolus Perasole, R. P. M. Paschalis Rigoli et R. Joannes Pedretti; fiscales sunt: Rmus Canonicus Aloysius Parascandolo et R. Philippus Massa; Notarius: Rmus Salvator Morra, Protonotarius apostolicus *ad instar;* Postulator causae est R. Henricus Attanasio.

Huius servi DEI intercessione patratae narrantur nonnullae sanationes prodigiosae, quarum canonicus processus agitur. — Emus Cardinalis Capecelatro, Archiepiscopus Capuanus, P. Ludovici vitam postea typis edendam describere iam incepit.

—

ORATIONES S. CLARAE
ad quinque Vulnera JESU CHRISTI,

pro quarum devota recitatione SS. D. N. LEO PP. XIII. sub die 21 Novembris 1885, *Indulgentias* TERCENTUM DIERUM *semel in die lucrandas benigne concessit.* (1)

—

Ad plagam manus dexterae Salvatoris.

Sic laus Tibi, Domine mi JESU CHRISTE, per sacratissimam plagam manus Tuae dexterae. Per hoc adorabile vulnus et per Tuam sanctam passionem condona mihi omnia peccata contra Te commissa cogitatione, verbo et opere, per negligentiam in Tuo servitio et per sensualitatem, quibus sive dormiens sive vigilans culpabilis facta sum. Concede mihi, ut Tuam piissimam mortem et Tuas divinas plagas devote recordari valeam; concede mihi gratiam mortificandi corpus meum, ut hoc modo pignus gratitudinis meae Tibi offeram. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ad plagam manus sinistrae.

Sit laus et gloria Tibi, dulcissime JESU CHRISTE, per sacratissimam plagam sinistrae manus Tuae. Per hoc adorabile vulnus miserere mei, et ex corde meo omnia Tibi displicentia expelle. Da mihi victoriam de inimicis Tuis perversis, ut gratia Tuas eos vincere valeam, et meritis Tuae mortis pretiosissimae salva me ex omnibus periculis vitae praesentis et futurae, et fac, ut in coelo gloriosa vivam Tecum, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ad plagam pedis dexteri.

Sit laus et gloria Tibi, mellifiue IESU CHRISTE, per sacratissimam plagam pedis Tui dexteri, et per hoc adorabile vulnus concede mihi, ut poenitentiam de peccatis meis agere valeam, et per mortem Tuam piissimam devote Tibi supplico, ut pauper famula Tua diu noctuque unita maneat cum Tua sancta voluntate, et remove omne ab eius anima et corpori periculum. Quando deinde venerit dies irae, me recipias in Tua misericordia, et me ducas ad beatitudinem aeternam. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

(1) Cfr. *Acta*, Anno IV. pag. 178.

Ad plagam pedis sinistri.

Sit laus et gloria Tibi, clementissime Jesu Christe, per sacratissimam plagam pedis sinistri, et per hoc adorabile vulnus concede mihi gratiam indulgentiae plenariae, ut Te auxiliante, sententiam aeternae reprobationis evitare merear. Insuper rogo Te per sanctissimam mortem Tuam, piissime Redemptor, ut ante mortem recipere possim Sacramentum Corporis et Sanguinis Tui, peracta peccatorum confessione, et cum perfecta poenitentia ac puritate mentis et corporis. Fac, Domine, ut etiam recipere merear sacram Unctionem ad aeternam meam salutem. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ad plagam sacri lateris.

Sit laus et gloria Tibi, benignissime Jesu Christe, per sacratissimam plagam lateris Tui, ac per hoc adorabile vulnus et immensam Tuam misericordiam in transfixione cordis Tui militi Longino et nunc omnibus nobis monstratam Te rogo etiam, mitissime Jesu, ut, qui per baptismum a culpa originali me redemisti, nunc per Tuum pretiosum Sanguinem, qui offertur et recipitur in toto mundo, liberes me ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris. Et per amarissimam mortem Tuam da mihi fidem vivam, spem firmam et charitatem perfectam, ut Te amem ex toto corde, ex tota anima, et ex omnibus viribus. Confirma me in operatione bona, et da mihi perseverantiam in Tuo servitio, ut Tibi placere valeam nunc et in perpetuum. Amen.

—

Novae Ecclesiae Ordinis

Die 29 Novembris anni 1885, prima Adventus Dominica, ecclesia nostra ad sanctissimum Salvatorem in urbe Hierosolymitana noviter erecta, antiqua nimis angusta et fatiscente, solemniter dicata fuit. Per rescriptum diei 15 eiusdem mensis Novembris summus Pontifex Leo XIII modernae huic Ecclesiae concesserat indulgentias olim a suis decessoribus impertitas sanctuario sanctissimi Coenaculi in monte Sion, quod a tribus saeculis mesquita Mahumetana miserrime factum fuit. Incepto die 29 Novembris 1882 novo aedificio, triennio feliciter absolutum fuit. Illmus et Revmus Dominus Bracco, Patriarcha Hierosolymitanus, templi dedicationem celebravit, et Revmus Dominus Bonfigli, Episcopus titularis Cassiensis, lingua Arabica sermonem ad populum habuit, praesentibus Galliae, quae locorum sacrorum Palaestinae politicam protectionem gerit, et Imperii Austriaci Consulibus. Ne autem pauperes in his solemniis consolatione carerent, cura Revmi Patris Guidi a Cortona, Missionis Terrae Sanctae Custodis, peculiares eleemosynae hac occasione fuerunt elargitae. Tandem per duas noctes splendida illuminatio dedicationis solemnia coronavit.

Die 14 Februarii, sexta Dom. post Epiphaniam solemniter consecrata fuit Ecclesia ad Immaculatam Conceptionem in Paroecia *Bordighera,* dioecesis Ventimiliensis. Ab Adm. R. P. Jacobo Viale, Obs. Provinciae Genuensis filio, et ejusdem Paroeciae praeposito meritissimo, aedificata fuit haec ecclesia, cui inservient Patres adiacentis Hospitii Terrae sanctae nuperrime erecti. Adventantibus ex tota fere Europa, hiemali praesertim tempore, ad haec amoenissima littora divitibus familiis, hujus residentiae Patres haud modicam afferent spiritualem utilitatem.

V.
BIBLIOGRAPHIA

—

Adelelmi (D.) Foppiano, O. S. B. — Novum Veni mecum Sacerdotum continens preces ante et post Missae celebrationem a SS. D. N. Leone Papa XIII SS. Indulgentiis ditatas cum aliis additamentis, cura D. Adelelmi Foppiano, O. S. B. — Romae ex Typographia polyglotta S. C. de Prop. Fide. 1886.

Hoc est opusculum, de quo sermo fuit in *Actis* anno 1885, pag. 100.

Adolphe de Bouzillé (R. P.) des F. F. Min. Cap. — Manuel de la Communion hebdomadaire pour les hommes, sous la protection de S. François d'Assise, érigée en Archiconfrérie. Nantes: Librairie catholique, Libaros 1885.

Alessandro Guidi. — Il Terz' Ordine secolare di san Francesco d'Assisi. Roma, Tipografia poliglotta della S. C. di Propaganda Fide. 1886. in 8. pag. 32

ALOYSIUS (P.) A CARPO. —

1. CAEREMONIALE juxta Ritum Romanum a P. ALOYSIO M. BARTOLI DE CARPO, Minorita observanti elucubratum, Ecclesiis, religiosis Ordinibus ac personis Romano ritu utentibus propositum. — Editio quarta romana.

Romae ex typographia polyglotta S. C. de Propaganda Fide. MDCCCLXXXV, in 16, p. 580)

2. COMPENDIOSA BIBLIOTHECA LITURGICA in qua notiones omnes ad sacros Ritus spectantes atque ecclesiasticis Viris aut necessariae aut perutiles continentur. Opus posthumum jam digestum et adornatum a R. P. ALOYSIO M. A CARPO, Ordinis Minorum de Observantia, Liturgiae quoque scholis inserviens. Editio tertia accuratissima ad Breve *Nullo unquam* et ad novissima S. R. C. Decreta accommodata.

Bononiae, ex Officina Pont. Mareggianiana Via Marsala, N. 4.

Et Parisiis, apud Victorem Lecoffre, Via Bonaparte, N. 90. MDCCCLXXXV; in 8, XII — 765, (L. 7.)

ANONYMUS, M. O. —

Pia Società della VIA CRUCIS PERPETUA. Quaracchi presso Firenze — Tip. del Collegio di S. Bonaventura, 1886. (L. 0,30.)

ANONYMUS, CAP. —

ESCUELA DE PERFECCION y cartilla religiosa, Lecciones que da a sus hijas en Dios un padre espiritual para que vivan aprovechadas en su convento, que se imprimen a peticion y coste del P. T. S. y F. Capuchino exclaustrado, con el nombre de Fr. TOMAS DE ARENIS DE MAR — con licencia ecclesiastica — Barcellona, Tipografia Catolica calle del Pino 5, 1886.

ANSELMO DA FONTANA (P.) —

1. IL TRAVIATO. Quaresimale predicato l'anno 1879 del P. ANSELMO DA FONTANA, Capuccino. Terza edizione riveduta ed ampliata dall'autore Milano 1886.

Eredi di Ernesto Oliva Editori, Via S. Pietro all'Orto 17. Prezzo (L. 5)

2. Il PARROCO DI CAMPAGNA al popolo sul Vangelo delle Domeniche pel P. ANSELMO DA FONTANA, Cappuccino. Quinta edizione riveduta ed ampliata dell' autore. Bologna Tipografia, Pontificia Mareggiani, 1886, Prezzo, (L. 2)

3. IL CHOLERA E IL CLERO CATTOLICO. —

Dialogo tra un giovane Cappellano e un vecchio Curato: pel P. ANSELMO DA FONTANA, Cappuccino. Imola. Lega Tipografica, Via S. Maria 5, 1884 in 12, pag. 56. Prezzo: (L. 0, 50)

AUGUSTO ANTONINO (Mons.) VICENTINI.

FEDE E CIVILTÀ pel quinto centenario della nascita di S. Giovanni da Capestrano. Discorso recitato il 15 Maggio 1885 da Monsignor AUGUSTINO ANTONINO VICENTINI, Arcivescovo di Aquila.

Aquila. Tipografia della Curia Arcivescovile. 1885. pag. 27.

P. FILIPPO ANTONIO BELLI, M. O. —

PRATICHE DIVOTE suggerite dalla cattolica religione per richiamare il Cristiano a santificare sè stesso, ed una raccolta di canzonette spirituali ad uso delle sante Missioni nuovamente ristampate, e corredate di aggiunte per cura del P. FILIPPO ANTONIO BELLI di Santelpidio al Mare, Missionario Apost. dell'Ordine de' Minori della Regolare Osservanza di S. Francesco. — Udine, Tipografia del Patronato 1885, in 18, pag. 212.

GESUALDO (P.) MACHETTI. —

RELAZIONE della Missione Francescana di MANAOS, presentata al Rev. Padre Ministro Generale dei Minori Francescani, per il P. GESUALDO MACHETTI, Prefetto della Missione. Roma Tipografia Editrice Romana. Via Nazareno 14. 1886. In 31, pag. 49.

GIANFRANCESCO (M. R. P.) DA SOAVE. —

COMPENDIO DELLA VITA e Miracoli del glorioso Taumaturgo SANT' ANTONIO DI PADOVA, compilato dal M. R. P. Gianfrancesco da Soave, Cappuccino, Ex-Provinciale della Veneta Provincia, con 26 tavole rappresentanti i tratti principali della vita del Santo. Si vende per l' ampiamento del Santuario dell' Arcella nei sobborghi di Padova, ove il Santo morì. Padova, Prem. Tip. M. Giammartini, 1885. Pag. 38.

LUIGI (P.) DA PIEDILAMA, M. R. —

MEMORIE intorno alla VITA del M. R. P. LUIGI DA S. GIACOMO, Missionario Apostolico,

Minore Riformato della Provincia Serafica, per il P. Luigi da Piedelama, della medesima Provincia. — Quaracchi presso Firenze Tip. del Collegio di S. Bonaventura. 1886. In 16, pag. 196. (1, 50)

RAFFAELLO RAFFAELLI DI FOSCIANDORA. — IL CONVENTO DEI CAPPUCCINI *di Castelnuovo* di Garfagnana ed il suo Fondatore Alfonso III, duca d'Este, del Cav. Raffaello Raffaelli di Fosciandora.

Bologna, Tipografia del Commercio, Via S. Arcangelo N. 5. 1884. in 16, pag. 48. (L. 0,50).

RAIMUNDI (P.) RUDEZ. —

DE MUTUO ET USURA. Dissertatio P. Raimundi Rudez, Ord. Min. Obs. Prov. SSmi Redemptoris. Jaderae, ex Typographia catholica croatica. 1885. In-8, pag. 48.

SUPPLEMENTUM ad antiquiores editiones BREVIARII ROMANI, continens Officia pro Ecclesia hoc vertente saeculo praescripta vel concessa. — Accedunt Officia Passionis Dominicae et SS. Redemptoris, cum Psalmis, ac B. Mariae V. de Bono Consilio eiusdemque Purissimi Cordis, (et recentiora pro Clero Romano.) — Romae, ex Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide, 1886. — Vol. in-8 pag. VIII-248.

TOUZERY (L'Abbé).

MANUEL DU TIERS-ORDRE Franciscain, par l'abbé Joseph Touzery, chanoine honoraire de Rodez, Docteur en Théologie et en Droit Canonique, Directeur d'une Fraternité Franciscaine. Rodez. Vve E. Carrère, Libraire. 1885.

VENANZIO (P.) DA LAGOSANTO. —

1. LO SPIRITO del Terz'Ordine di S. Francesco d'Assisi, ossia dodici famigliari conferenze sul medesimo, scritto dal P. Venanzio da Lagosanto, Lettore Cappuccino. Seconda Edizione riveduta e migliorata. Bologna, Tipografia Pontificia Mareggiani 1884. Cent. 50. Rivolgersi alla Redazione degli Annali Francescani, fuori di Porta Venezia, Milano.

2. IL DIRETTORE DEL TERZ' ORDINE di S. Francesco d'Assisi, provveduto nelle feste del Signore, della Madonna, dei Santi protettori e in altre occorrenze, sermoni trentatre. Bologna, tipografia pontificia Mareggiani 1885.

VI.
NECROLOGIA

—

Pater BERNARDUS GIUNTOLI Labrone in Hetruria natus est anno 1821. Ibi Ordinem franciscanum ingressus anno 1838, studiorum cursum complevit et sacerdotio fuit insignitus.

Anno 1852 vertente, tempus renovandi Provinciam Corsicae jam advenerat, et nonnulli Patres ad tantum negotium delecti fuerant, quos inter P. Bernardus, qui apostolico aestuabat ardore in vinea DOMINI desudandi. Desideriis porro non defuere opportunitates.

In Corsicam appulsus, pagum, qui Oletta vulgo dicitur, petit cum A. R. P. Anselmo, Provinciae instauratore, ubi laetanter excepti ab illis oppidanis, conventum in eodem loco positum incoluerunt. At res, ut perdurent, necessarium est roborentur vitae testimonio et apostolatus operibus. Quod mirifice praestiterunt illi priores Patres; quod *fecit et* P. Bernardus. Multae dotes eiusdem *praedi*candi modum exornabant; quo fiebat, *ut fructus* animarum ingentes colligeret, ut amorem pro Religione eiusque legum observatione validiorem redderet in cordibus Corsicanorum. Quot missiones dederit traginta annorum spatio, quot ad salutis tramitem reduxerit, narrari nequit; sed ab Angelo DEI descriptum fuit in libro vitae. Si quis autem nosceret quantis scopulis tunc temporis Corsica insula fuerit repleta, quam magna fuerit erga res religiosas indifferentia, quantus viguerit stimulus vindictam capiendi de proprio offensore, et postea si consideret quantum insulae facies ab illa sit immutata, facile deducet ex una parte operis acerbitatem et ex alia labores exantlatos atque operariorum cumulata merita. Haec est P. Bernardi laus praecipua. Idcirco ubicumque moratus est, omnium ad se corda attraxit, praesertim Olectae, ubi per plures annos degit. Tandem sexagenarius apoplexia, correptus, et Ecclesiae sacramentis munitus mense martio 1885 ad astra migravit. Memoria eius in benedictione erit apud omnes, qui eum cognoverunt.

Nihil obstat.
FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM SANCTI OFFICII
DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

—

Eme ac Rme Domine mi Obsme

In Constitutione Pii IX s. m. quae incipit *Apostolicae Sedis moderationi* IV Id. Oct. 1869, cautum est, « excommunicationem Romano « Pontifici reservatam speciali modo incur- « rere — *Cogentes sive directe sive indirecte* « *iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal* « *personas ecclesiasticas praeter canonicas dispo-* « *sitiones: item edentes leges vel decreta contra* « *libertatem et iura Ecclesiae* »

Cum de vero sensu et intelligentia huius capitis saepe dubitatum fuerit, haec Suprema Congregatio S. Romanae et Universalis Inquisitionis non semel declaravit: — caput *Cogentes* non afficere nisi legislatores et alias auctoritates cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones. — Hanc vero declarationem Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII probavit et confirmavit; ideoque S. haec Congregatio illam omnibus locorum Ordinariis pro norma communicandum esse censuit.

Ceterum in iis locis in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur iura sua persequi nisi apud iudices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere ut clericos in forum laicorum convenire possint; eamque Ordinarii numquam denegabunt tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum, sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino iudicaverint.

Interim impensos animi mei sensus testatos volo Eminentiae Tuae, cui manus humillime deosculor.

Datum Romae, die 23 Ianuarii an. 1886.

humill. et addict. servus verus
R. Card. MONACO.

—

DECRETUM
S. C. Indicis.
Feria V die 1 Aprilis 1886.

—

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri quod sequitur Opus, ex Decreto Fer. IV

die 31 martii 1886 Supremae Sacrae Congregationis S. Officii.

HENRI DES HOUX. — *Souvenirs d'un journaliste français à Rome.* — Paris. Paul Ollendorff, éditeur, 8 bis, rue de Richelieu, 1886.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedictum Opus damnatum atque proscriptum, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illud tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 1 Aprilis 1886.

Fr. THOMAS MARIA CARD. MARTINELLI
Episc. Sabinen. Praefectus.

Fr. HIERONYMUS PIUS SACCHERI
Ord. Praed. S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 1 Aprilis 1886 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

VINCENTIUS BENAGLIA Mag. Curs.

—

SACRAE POENITENTIARIAE APOSTOLICAE RESPONSUM *circa ieiunium servandum pro Iubilaeo a S. Pont. Leone XIII nuper indicto.*

Quidam Theologi et Canonistae, agentes de conditionibus sive operibus ad lucrandum Iubilaeum praescriptis, opinantur quod *ieiunia* ad id praecepta, generatim fieri debeant *in una eademque hebdomada.* Ita Alexander Ciolli Presb. Flor. in suo *Directorio Pratico* p. 676 — Et I. F. M. Lequeux in suis *Institutionibus canonicis,* editione 2. tom. III. Ex hoc ortum est dubium, quod sacerdos Iacobus Rovere, parochus Sancti Donati Vicifortis, dioecesis Montisregalis, Sacrae Poenitentiariae decisioni proposuit:

Dubium. — Quum in Litteris Apostolicis, quibus indicitur Iubilaeum pro anno 1886, ubi ad Iubilaeum lucrandum, duo ieiunia praecipiantur, nihil expresse statuatur, an haec ieiunia fieri debeant *in una eademque hebdomada,* hinc oritur dubium an ieiunia servanda ad Iubilaeum anni 1886 lucrandum, fieri debeant duobus diebus unius eiusdemque hebdomadae, nec ne?

Sacra Poenitentiaria ad propositum dubium respondit: *Negative.*

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria die 11 Martii 1886.

R. CARD. MONACO *Poenitentiarius maior.*
Hip. Canonicus Palombi S. P. Secr.

—

EX S. CONGREGATIONE INDULGENT.

—

I

DECRETUM S. C. IND.

de Indulgentiis Viae Crucis exercitio adnexis

Beatissime Pater

Nicolaus Josephus Dabert, Episcopus Petrocoricensis in Gallia, humiliter postulat: *Utrum toties in die lucrari valeant indulgentiae exercitio Viae Crucis adnexae, quoties illud iteratur?* Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondit: *Ex documentis non constat, indulgentias pro pio exercitio Viae Crucis concessas toties lucrari, quoties praefatum pium exercitium iteratur.* Ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 10 Sept. 1883.

A. CARD. BILIO
Franciscus Della Volpe, Secret.

NOTA — Ex praefato decreto Sacra Congregatio declaravit tantummodo, *non constare ex documentis* indulgentias Viae Crucis exercitio adnexas toties in eadem die lucrari posse, quoties illud iteratur; sed minime decidere voluit fideles easdem revera non lucrari, iuxta explicationes Reverendissimo nostro Ministro Generali viva voce datas. Multa etenim documenta, Indulgentias Viae Crucis concernentia, temporum iniuria vel diversis causis periisse compertum est. Fideles ergo pluries in die pium exercitium peragere possunt cum intentione indulgentias lucrandi, sicut in universo Ordine Fratrum Minorum et mente et praxi semper creditum est.

—

II

RESCRIPTUM *quo conceditur Indulgentia centum dierum Christifidelibus speciali formula Rectae Intentionis utentibus.*

Beatissime Pater

In hac tam effraenata temporum nequitia, quibus uti impietas favorem obtinet, ita Religio patitur hostilitatem, magnum profecto affert solamen quotidianum incrementum devotionis erga Sanctissimum Cor JESU CHRISTI, eiusque dilatatio penes quemcumque Christifidelium coetum, inter quos sane multi, singulari perfectionis desiderio elati, sibi proponunt unice vivere honori et gloriae compatientis divini Cordis in eum finem, ut totis viribus contendant vicem aliquam Illi rependere pro tot impiorum hominum sceleribus ingratique animi amaritudine.

Iamvero inter alias pias praxes una eaque communior profitentibus devotionem erga SSmum Cor JESU exstat, quotidiana nimirum oblatio, mane peragenda, omnium actionum per diem perficiendarum eidem SSmo Cordi JESU, qui in Sacramento Altaris quum noster cibus factus sit, noster concivis et comes, immo nostra victima in hoc eodem Sacramento parvipenditur et contemnitur.

Iam vero plurimi Christifideles quum valde cupiant prae manibus habere precatoriam formulam per quam, tota animi effusione, exprimere valeant praedictam quotidianam oblationem SSmo Cordi JESU, eadem concinnata fuit, prout huic supplici libello supponitur. Ut autem haec pia praxis tam salutaris inter fideles magis propagetur, Henricus Vasco, e S. J. ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, enixe petit, ut Christifidelibus, memorata formula utentibus pro recta intentione peragenda, aliquam Indulgentiam benigne concedere dignetur.

Quam gratiam etc.

Formula rectae intentionis.

« Domine JESU CHRISTE, in unione illius « divinae intentionis, qua Ipse in terris per « Sacratissimum COR tuum laudes DEO persol- « visti, et nunc continenter in Sanctissimo « Eucharistiae Sacramento ubique terrarum « persolvis usque ad consummationem saeculi, « ego per hanc diem integram, nulla minima « parte excepta, ad imitationem Sacratissimi « Cordis B. MARIAE semper Virginis Imma- « culatae, Tibi offero omnes meas intentiones « et cogitationes, omnes meos affectus et de- « sideria, omnia mea opera et verba ».

SSmus Dnus Noster LEO Papa XIII in audientia habita die 19 Decembris 1885 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne concessit Indulgentiam *centum* dierum, semel in die lucrandam ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui, corde saltem contrito, exhibitam precem devote recitaverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 19 Decembris 1885.

I. B. CARD. FRANZELIN *Praefectus*
Franciscus della Volpe, Secr.

—

III

PLURIUM REGIONUM SACRAE CONGREGATIONI DE PROPAGANDA FIDE SUBIECTARUM

De Indulg. Plenaria Apostolicae benedictioni IN ARTICULO MORTIS *adnexa.*

Vir Emus sacri Consilii christiano nomini propagando Praefectus Sacrae huic Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae referebat, pluribus in Regionibus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiectis, morem invaluisse, ab inopia Sacerdotum repetendum, ut hi quum non possint infirmis adsistere usque ad ipsum articulum mortis, Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria *in articulo mortis* eisdem impertiantur, post collata extrema Sacramenta, quum periculum quidem mortis adest, non tamen imminens. Quoniam vero haec agendi ratio anxietates et dubitationes in animos Missionariorum induxit, Emus Praefectus postulabat authenticam hac de re declarationem Sacrae huius Congregationis, quae pro maiori Missionariorum quiete quamlibet incertitudinem removeret.

Quare sequens dubium Patribus Cardinalibus dirimendum fuit propositum:

Utrum Benedictio Apostolica cum Indulgentia plenaria in articulo mortis dari possit post col-

lata extrema Sacramenta, quum periculum quidem mortis adest, non tamen imminens?

Emi ac Rmi Patres in generali Congregatione habita die 18 Decembris 1885 in Aedibus vaticanis responderunt:

Affirmative:

quam responsionem *ex rei natura* pro omnibus aegrotis Christifidelibus in mortis periculo constitutis valere dixerunt.

Facta vero de his relatione in audientia habita die insequenti a subscripto Secretario, SSmus D. N. Leo PP. XIII Patrum Cardinalium responsionem approbavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 19 Decembris 1885.

I. B. Card. Franzelin *Praefectus.*
Franciscus della Volpe, Secr.

—

IV

URBIS ET ORBIS

Quoad confessionem faciendam per singulas hebdomadas ad acquirendas Indulgentias Plenarias.

Ad dubia, quae proposuit R. D. D. Episcopus Leucensis et Vicarius Capitularis Friburgensis, quod attinet ad sacramentalem Confessionem, quae necessaria est ad acquirendas Indulgentias Plenarias intra hebdomadam, aut binas continuas hebdomadas occurrentes, nimirum: I. Utrum Confessio praescripta *per singulas hebdomadas* peragi debeat infra septem, vel potius infra octo dies? II. An verba *infra duas hebdomadas* stricte interpretanda sint, ita ut Confessio peragi debeat infra quatuordecim dies, vel potius sufficiat bina Confessio in mense? Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondit 23 Novembris 1878: Ad 1^m^ *Affirmative* ad primam partem, idest praescriptam Confessionem peragi debere quolibet decurrente septem dierum spatio: *Negative* ad secundam partem. — Ad 2^m^ *Affirmative* ad primam partem, idest praescriptam Confessionem peragi debere quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio: *Negative* ad secundam partem.

Ad maiorem huius rei declarationem quaeritur modo:

I. Utrum Christifidelis, qui singulis hebdomadis et stato die, ex. gr. Sabbato, Confessionem peragere solet, satisfaciat oneri praescriptae Confessionis?

II. Utrum oneri praescriptae Confessionis satisfaciat Christifidelis, qui iis in locis pro quibus viget Indultum, alternis hebdomadis et stato die, ex. gr. Sabbato, Confessionem peragere solet?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 25 Februarii 1886 ad suprarelata dubia respondit:

Ad 1^m^ *Affirmative.*

Ad 2^m^ *Affirmative.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 25 Februarii 1886.

I. B. Card. Franzelin *Praefect.*
Franciscus della Volpe, Secr.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica.

—

De disciplina regulari restauranda
CAP. I.
De paupertate
§. 3. *De pecunia.*
(Continuatio)

25. Cum cuidam multas habenti possessiones Salvator noster perfectionis daret consilium omnibus renuntiandi facultatibus, atque ille contristatus in verbo abiret moerens, (1) « circumspiciens Jesus dixit discipulis suis: « quam difficile, qui pecunias habent, in re« gnum Dei introibunt! » Audito hoc « di« scipuli obstupescebant in verbis eius ». Nihilominus in sua sententia perstitit sapientissimus Magister, et addidit: « Filioli, quam « difficile est confidentes in pecuniis in regnum « Dei introire! Facilius est camelum per fo« ramen acus transire, quam divitem intrare « in regnum Dei ». Juxta communem sensum discipulis haec doctrina admirabilis visa est, timueruntque se salvari non posse, attenta pe-

(1) Marc. x, 23.

cuniarum necessitate. Quos intuens Jesus ait: « Apud homines impossibile est, sed non apud « Deum: omnia enim possibilia sunt apud « Deum ». Multis utique hominibus impossibile videtur vitam mortalem transigere sine pecuniis; Deus autem multis modis potest et vult providere iis, qui confidenter iactantes cogitatum in providentia ipsius pecunias omnimode recusant.

26. Dei promissioni simpliciter credens, S. Franciscus coepit pecunias alacriter aspernari, et omnibus sibi adhaerentibus earum prohibuit retentionem et receptionem. Sicut autem suffecit ipsi aeternae sapientiae et veritatis verbum ad plenam confidentiam, ita et nobis sufficere debet ad refellendum timidas rationes, quae a carne objiciuntur et sanguine pro pecuniarum retentione, atque ad confirmandam in mentibus nostris paupertatis huius immobilem observantiam. Neque desunt rationes humanae, quae contemptum valeant suadere pecuniarum.

27. Evidens est, quantam tyrannidem in toto exerceat humano genere concupiscentia pecuniarum, a qua immunem evadere non mediocris felicitas est; illi autem subiacere, servitus, tormentum et molestissima inquietudo, stimulusque ad atrocissima quaeque facinora. Pulchre S. Scriptura dicit: (1) « Multi « dati sunt in auri casus, et facta est in specie « ipsius perditio illorum. Lignum offensionis « est aurum sacrificantium: vae illis, qui sectantur illud, et omnis imprudens deperiet in « illo ». Hinc multi audaces ad furta; multi duram et incessabilem servitutem cum labore subeunt et anxietate. Hinc mercatores se totos ad curas abjiciunt, eo usque ut vel obliviscantur interdum vel pudeat eos suae catholicae Religionis. Quot lites a quocumque statuum genere excitentur ex pecuniarum cupiditate, quanto cum ardore et pertinacia promoveantur, quam turpibus modis corrumpantur subinde iudices et testes: quis enarrare potest? Hi sunt foetus sordidae concupiscentiae hominum mundanorum. Utinam vel ipsae familiae Christi, hoc est ecclesiasticorum et religiosorum Congregationes, evadant huius concupiscentiae morsus!

(1) Eccli. xxxi, 6-7.

Quis igitur non aestimet coelestem illam gratiam, qua S. Franciscus venenatum istud malum a suorum cordibus depulit filiorum? Depulit sane, quando eos, ne pecuniam umquam haberent, solemni mandato et irrevocabili adstrinxit obligatione.

28. Eximiae fidei effectus est indubitata in Deum confidentia circa necessariorum provisionem; modicae vero fidei signum est timida diffidentia. Haec magnam mundi partem concutit trepidatione, ac propterea tutius ille agere reputatur humano iudicio, qui plures potuit pecunias congregare. Hoc iudicium autem erroneum est; siquidem Sapiens ait: (1) « Qui « confidit in divitiis suis, corruet ». — Ne isto nos pariter involveremur errore, S. Franciscus pecunias excussit e manibus nostris, et severa absterruit prohibitione, ne illas umquam acceptemus, sat superque persuasus, sufficere Domini providentiam, quam in Evangelio tot stabilivit promissis, et signis sequentibus confirmavit. Interrogabat aliquando dilectos suos discipulos: (2) « Quando misi vos sine sac« culo et pera et calceamentis, numquid aliquid « defuit vobis? At illi responderunt: Nihil ». Dixerat illis: (3) « Nolite possidere aurum, « neque argentum, neque pecuniam in zonis « vestris ». — Similiter genuinis S. Francisci filiis, qui Regulae suae praeceptum de non recipiendis denariis adamussim observarunt, vitae necessaria, teste septem saeculorum experientia, numquam defuerunt; immo maiorem abundantiam habuerunt, quam illi, qui, praecepto Regulae spreto vel neglecto, aliquem pecuniae usum admittere ausi sunt. — Frater Albertus Sartianensis ab Eugenio IV missus fuit, ut Aethiopes aliasque gentes ad unionem Ecclesiae reduceret. Cum in suo itinere per Aegyptum in vasta solitudine cibus potusque ipsi deficerent, coepit Deum monere de promissione per S. Franciscum facta: quod victui necessaria filiis ipsius numquam defutura essent. Et subito vidit iuvenem pulcherrimum, lingua italica salutantem et cibum afferentem, qui ipsi dixit: « Non est cur de divina diffidas mise« ricordia et providentia. Ego sum, qui Fran« cisco servo meo promisi subsidium opportu-

(2) Prov. xi, 28.
(2) Luc. xxii, 35.
(3) Matth. x. 9.

« num; neque tu vidisti hucusque in Religione « hac iustum derelictum, aut Fratrem aliquem « fame periisse. Quibus dictis disparuit ». (1)

29. Nemo est, qui avaritiam non detestetur in isto infelici Apostolo, cui cum DOMINUS permisisset pecuniarum administrationem in pauperum sublevamen, earum usu ita depravatus est, ut in extremam transierit impietatem. Quid mirum, si Fratribus suis timuit S. Franciscus, eosque ab illo voluit contagio elongatos, quod ipsum DEI domesticum ad horrendum traxit flagitium et ad laqueum ac interitum?

30. Nomine *pecuniae* intelligitur medium sive instrumentum ordinarium, publica auctoritate institutum, quod in emptione et venditione aliisque contractibus datur vel accipitur. Nihil refert, utrum materia huius instrumenti sit aurum, argentum, cuprum vel charta.

31. Res aliqua tribus modis *recipi* potest: vel enim recipitur in proprietatem, et non in usum, quod fit v. g. dum quis domum emit vel aedificat, quam tamen non inhabitat; vel recipitur in usum, et non in proprietatem, quod contingit, si quis in domo quadam, cuius non est dominus, domicilium suum figit; vel recipitur tum in proprietatem tum in usum, quod in illo evenit, qui domum a se emptam vel aedificatam inhabitat. — Jam vero Fratres tribus praedictis modis pecuniam recipere prohibentur.

32. Recipere pecuniam *per se*, secundum Corduba, est per seipsum, propria manu, seu in persona, pecuniam in aliquos usus sive proprios, sive alienos convertendam recipere. — Recipere autem pecuniam *per interpositam personam* est, propria auctoritate aliquem substituere ad recipiendam pecuniam, iuxta proprium arbitrium expendendam. In Jure legitur: (2) « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat « per seipsum ».

Videamus nunc, quid Fratribus Minoribus quoad pecuniam sit prohibitum (3).

(1) Annal., tom. 5., ad ann. 1439. n. 39.

(2) Reg. 72. de Reg. Iur. in 6.

(3) P. Ludovicus a Pelago, Lect. Iub. Obs. Provinciae Tusciae valde utile opusculum *de receptione et usu pecuniae relate ad Fratres Minores*, approbante Rmo P. Ministro Generali Paschali a Varisio, anno 1773 publici juris fecit, quod postea auctoritate Rmi P. Ministri Generalis Aloysii a Laureto, anno 1848 denuo editum fuit.

33. *Frater Minor non potest recipere pecuniam per se, vel per interpositam personam, nec potest ullum pecuniae usum, etiam simplicem facti, habere.* Ita Nicolaus III, qui in sua declaratione dicit: (1) « In ipsa pecunia nihil omnino Fratres iuris habeant, nec administra« tionem, seu dispensationem ». Et Clemens V in sua declaratione dicit: (2) « Denique cum « idem Confessor (S. Franciscus) summe af« fectaverit, suae Regulae professores totaliter « esse abstractos ab affectu et desiderio ter« renorum, et specialiter a pecunia et eius « usu totaliter expertes, sicut probat prohi« bitio de recipienda pecunia, in Regula sae« pius repetita ». Idem declaravit Innocentius XI, qui ait: (3) « Fratres teneri ad ca« pitale praeceptum Religionis Fratrum Mi« norum de non recipiendis denariis per se, « vel interpositam personam; aliarum enim « rerum necessariarum possunt *Fratres Mi« nores* habere usum, licet non *dominium*; « denariorum autem nec dominium, nec *usum*: « et proinde quaevis contrectatio *pecuniae seu* « denariorum, quae non sit pure naturalis, « seu quae sit quovis modo politica, cuius« cumque domini sint denarii, seu pecunia, « Fratribus Minoribus Observantibus, seu de « Observantia, est omnino prohibita; ac prop« terea omnes et singulas dispensationes, et « consuetudines, si quae contra praemissa re« periantur, motu, scientia, deliberatione et « potestatis plenitudine tenore praesentium « revocamus, cassamus, irritamus et annul« lamus ».

34. Hinc Fratribus Minoribus penitus prohibitum est, *pecuniam mendicare*, aut etiam *ultro oblatam per se recipere*. Nam Clemens V dicit: (4) « Quaestus omnis pecuniae, ac obla« tionum pecuniae in ecclesia, vel alibi...... « haec, inquam, omnia sint eis simpliciter « interdicta ».

Pariter Fratribus nullatenus licet *pecunias per alios mendicare*. Propterea Frater, qui mendicando saecularem vel Tertiarium secum ducit, eumque ad hoc denominat, ut eleemosynas pecuniarias recipiat, violat Regulam; in

(1) Art. 4.

(2) Cap. 4. n. 3.

(3) Constit. *Sollicitudo pastoralis officii.*

(4) *Exivi* art. 4.

tali enim casu Frater, quamvis pecuniam nullo modo tangat, tamen hanc per interpositam personam recipere dicendus est. Aliter tamen sentiendum esset, si Frater non pecuniam, sed alias res licitas cum homine saeculari mendicaret, et si quis benefactor, non rogatus, sed spontanea voluntate pecuniam pro Fratrum necessitatibus expendendam offerret, et ipsam isti saeculari traderet, quia in tali casu saecularis dici nequit persona interposita Fratris, sed potius substitutus dantis eleemosynam. Illicitum autem omnino est Fratribus, ut homines saeculares incitent atque emittant ad pecuniam pro Conventu mendicandam, quoniam, qui sic mitterentur, pecuniam ut personae interpositae Fratrum reciperent. Si autem saeculares motu proprio, insciis Fratribus, pro horum necessitatibus pecuniae collectionem instituerent, Fratres, qui in hanc nec physice nec moraliter influunt, Regulam haud violarent et in suis necessitatibus ad talem eleemosynam sub debitis conditionibus, de quibus infra agemus, recurrere possent.

35. *Fratres non possunt cippos vel truncos in ecclesia applicare, in quos benefactores eleemosynas reponere possint.* Hoc expresse declaravit Clemens V dicens: (1) « Pecuniarum « receptio in ecclesia vel alibi, cippi vel trunci « ordinati ad offerentium seu donantium pe« cunias reponendas.... haec, inquam omnia « sint eis simpliciter interdicta ». — Si autem ad instantiam Episcopi vel Magistratus in ecclesia Fratrum pro pauperibus collectio pecuniariae eleemosynae fieret, id permitti potest, dummodo ipsa collectio a saecularibus perficiatur, et publice constet, eamdem nec ex mandato Fratrum nec in horum emolumentum fieri.

36. *Fratribus omnes illi actus prohibentur, qui dominium, auctoritatem vel jus ad pecuniam ostendunt.* Hinc Regulam violat, qui, licet pecuniam nullo modo tangat, illi tamen, apud quem deposita est, imperiose praecipit, quomodo illam expendere debeat, vel qui ab eodem rigorosam rationem exigit, qualem domini a suis administratoribus exigere solent, vel qui pecuniae capsulam aut saltem eius clavem apud se retinet, ne pecunia sine ipsius consensu expendatur, sed a suo arbitrio dependeat. Haec omnia illicita esse declaravit Clemens V dicens: (1) « Quapropter praeci« pere, quod et qualiter pecunia expendatur, « computumque exigere de expensa, eam « quomodocumque repetere sive deponere aut « deponi facere, capsulam pecuniae, vel eius « clavem deferre, hos actus et similes sibi « Fratres illicitos esse sciant: praedicta enim « facere ad solos dominos pertinet, qui de« derunt, et eos, quos ipsi deputaverunt ad « hoc ipsum ».

37. *Fratres non possunt mutuum dare vel accipere.* Mutuum enim est contractus onerosus, quo quis rem suam sic alteri tradit, ut statim fiat accipientis, cum obligatione reddendi postea rem eamdem non numero, sed specie et bonitate. (2) Fratres ergo mutuo accipientes huius dominium acquirerent, et pecuniam mutuo dantes dominium, quod non habent, in alium transferrent, a quo restitutionem exigendi jus haberent, atque ideo Regulae transgressores existerent. Hac de causa Nicolaus III dicit: (3) « Fratres a mutuis « contrahendis abstineant, cum eis mutuum « contrahere, ipsorum statu considerato, non « liceat. »

38. *Fratribus prohibetur administratio alienae pecuniae.* Iuxta supra citata Innocentii XI verba Fratribus quaevis contrectatio pecuniae, quae sit quovis modo politica, est omnino prohibita. Ex his verbis sequitur, Fratres etiam alienae pecuniae, et in favorem personarum, quae non sint eiusdem Ordinis administrationem politicam seu civilem suscipere nullatenus posse. Illicitum est ergo Fratribus, alienas pecunias custodire ut *depositum*, i. e. cum obligatione has integras reddendi, quia tale depositum inter contractus civiles reputatur. Ex eadem causa Fratres non possunt fieri pupillorum tutores, minorennium curatores, familiarum oeconomi, vel testamentorum executores, quia haec omnia pecuniae contrectationem politicam, seu administrationem civilem involvunt. Quod clare, exponit Clemens V dicens: (4) « Cum dicti Ordinis « Fratres non solum a receptione, proprietate,

(1) loc. cit.

(1) loc. cit.
(2) Cf. Billuart. de Contract. dissert. 4. art. 1.
(3) *Exiit*, art. 4.
(4) loc. cit.

« dominio, sive usu ipsius pecuniae, verum
« etiam a contrectatione qualibet ipsius, et ab
« ea sint penitus alieni, quemadmodum saepe
« praedictus praedecessor (Nicolaus III) in
« declaratione huiusmodi Regulae plane dixit:
« cumque dicti Ordinis professores pro nulla
« re temporali possunt in iudicio experiri:
« praedictis Fratribus non licet, neque com-
« petit, quin potius considerata sui puritate
« status, debent sibi scire interdictum, quod
« huiusmodi executionibus et dispositionibus
« se exponant, cum haec saepius absque liti-
« gio, et contrectatione, vel administratione
« pecuniae nequeant expediri. Verum tamen
« in his exequendis dare consilium, ipsorum
« statui non obsistit, cum ex hoc ipsis circa
« bona temporalia nulla iurisdictio, sive actio
« in iudicio, sive dispensatio tribuatur. »

39. *Fratribus prohibetur contrectatio pecuniae, quae non sit pure naturalis, sed quovis modo politica.* Hoc patet ex verbis Innocentii XI supra n. 33 relatis. Duplex pecuniae usus distinguitur; *formalis* nempe, et *materialis*, vel *politicus* et *naturalis*. *Formaliter* vel *politice* pecunia utitur ille, qui eam iuxta pretium extrinsecum, seu iuxta aestimationem hominum adhibet ad alias res sibi comparandas; *materialiter* sive *naturaliter* vero pecunia utitur, qui ad solum pretium intrinsecum, seu ad materiam attendit, eaque utitur non in sensu civili, sed prout est materia. Non ergo violant Regulam, qui pecuniam contrectant, secluso scandalo, mere materialiter, prout est aurum, argentum etc., v. g. ut inde fiat calix, aut quid simile. Pariter non violant Regulam, qui pecuniam tangunt mere ex curiositate, ut videant qualitatem metalli, vel cuius principis sit; vel qui eam de terra sublevant, ut domino, ex cuius manibus in eorum praesentia decedit, ex urbanitate reddant. Et sic in similibus.

40. In sola extrema vel gravi necessitate, quando aliter vitae necessaria non posset habere, licet Fratri Minori per se vel per interpositam personam recipere pecuniam ad simplicem facti usum tantum, et sine dominio aut proprietate in illam. Ita declarat Nicolaus III (1) desumitque hanc interpretationem ex iure *poli* et *naturae*, quo quilibet quovis modo tenetur vitam suam corporalem tueri. Talis necessitas habendi simplicem usum pecuniae pro Fratribus Minoribus adesse potest tempore persecutionis, et inter Turcas aliosque infideles. Sic est etiam apud nostros Missionarios inter haereticos, de quibus P. Petrus Marchant ait: (1) « Iuxta hanc Regu-
« lam denariorum receptiones limitare et regu-
« lare debent, qui ad haereticorum regiones,
« ut eos convertant, pergunt. Sed videant, ne
« excedant, et in concupiscentia accipiant,
« quod eis solo iure poli et pro naturae con-
« servatione permittitur; maxime, ubi iam
« multi fideles non desunt, qui eos et vestire
« et alere sufficienter volunt. » Cui P. Gaudentius Kerckhove adiungit: (2) « Videant
« tales Missionarii, an ibi fidelem Syndicum
« habere non possint; videant, an sit vera
« necessitas, ut per se quaslibet res emant
« et solvant tamquam patresfamilias; cum illa
« per alias personas plerumque fieri possint.
« Videant estne necessîtas, quod ipsi pecunias
« custodiant, et aliis quasi famulis aut ancil-
« lis tradant expendendas. Siquidem nec ab
« Honorio III, nec ab Urbano VIII, nec ab
« ullo alio Pontifice Missionariis Fratribus
« Minoribus, sive in Terra Sancta, sive inter
« haereticos concessus fuit simplex facti usus
« pecuniae, nisi quando, et in quantum ur-
« gens necessitas eos compellit. »

41. Licet Constitutiones generales Ordinis, et quidem sub poena, prohibeant, ne Frater Minor Confessarius pecuniam a poenitente aliis restituendam recipiat: tamen dicendum est, hoc omnino licitum esse, *si alio modo restitutio sine gravi poenitentis incommodo fieri nequeat.* Quamvis enim haec pecuniae contrectatio *pure naturalis* vix dici possit, tamen dicendum est, Regulae praeceptum in hoc casu simpliciter non obligare, sed potius maiori praecepto charitatis cedere debere.

42. Hoc Regulae praeceptum saepe a pseudo-filiis S. Francisci magno conatu fuit impugnatum. Vehementer ei contradictum fuit a Fr. Elia, Vicario Generali, eiusque asseclis contendentibus hanc prohibitionem indiscretam esse et observari non posse. — Tempore Generalatus F. Matthaei Aquaspartani

(1) loc. cit. art. 2.

(1) in Cap. IV. Reg. text. 1. qu. 4 in annotatione.
(2) Comment. in stat. Gener. Cap. III. § 2. n. 37.

variis in locis peccatum est contra s. paupertatem tam impense a S. Francisco commendatam. Admissae sunt oblationes pecuniarum in primis missis novorum Sacerdotum, appositi sunt cippi seu gazophilacia in ecclesiis, constituti pueruli ad valvas ecclesiarum, qui a transeuntibus pecuniam emendicarent et cereolos in memoriam sanctorum acccendendos in disco offerrent emendos. Sed ipsi Fratres multis in locis publicum exercebant questum pecuniarum, circumducentes pueros, qui pecuniam acciperent et expenderent. Pii quique viri sui Instituti zelatores, quorum copiosus numerus numquam defuit in Ordine, ob tot manifestas Regulae transgressiones vehementer affligebantur et aperte contradicebant. (1)

43. Exorta tempore Ioannis XXII gravi controversia de paupertate CHRISTI inter Pontificem et Ordinem, Fr. Gerardus Odonis magnam commisit temeritatem. Primum in Capitulo Generali Lugdunensi proposuit, ut praeceptum de non recipienda pecunia abraderetur ex Regula, ut prospiceretur, inquiebat, conscientiis Fratrum, qui difficile hoc observant. Alii Patres intactam voluerunt normam vivendi a S. Fundatore praescriptam, ac propterea F. Gerardo fortiter restiterunt. Ipse (2) autem non destitit a suo conatu; nam factus Minister Generalis, dum Perpiniani comitia generalia celebraret, omni conatu nisus est, ut praefatum praeceptum vel abraderetur ex Regula, vel pontificia evacuaretur dispensatione. Restiterunt autem optimi quique Patres huic conamini; immo decretum fuit, ne Minister Generalis vel alius Superior posset aliquod privilegium impetrare, quod puritati Regulae derogaret. Vocavit postea Gerardus in partes factionis suae Ministros Provinciales quatuordecim, quorum aliquos minis, alios promissis allexit, et horum syngraphis et sigillis munitum supplicem conscripsit libellum et Pontifici porrexit, prout scribit Palagius, (3) in quo tria expostulabat, scilicet 1. ut e medio tollerentur omnes Pontificum declarationes super Regulam, quas dicebat contrarias voluntati S. Francisci in suo Testamento manifestatae; 2. ut S. Sedi placeret declarare, fuisse voluntatem S. Francisci, quod Ministri possent dispensare in praeceptis Regulae; 3. ut declararet, noluisse eumdem legislatorem prohibere, ne saltem per interpositam personam Fratres reciperent pecuniam pro infirmorum necessitatibus et Fratribus induendis; per infirmitates autem et necessitates intelligi voluerunt quamcumque necessitatem et indigentiam corporalem. Non dubitavit Gerardus, haec placitura Joanni Pontifici, quem ex praefata controversia iudicavit alienum animum ab humili Minorum Instituto induisse. Magna itaque fiducia libellum quindecim sigillis commendatum Joanni in praesentia multorum Cardinalium porrexit. Summo Pontifici valde displicuit hoc impium contra S. Regulam conamen, et cum indignatione dixit, interpretationes illas duorum Regulae articulorum violentas esse et perperam extortas contra apertum ipsius Regulae sensum; « neque credimus, adiunxit, « quod de mille Ordinis Fratribus unus te« cum in huiusmodi intellectu concordabit ». Cardinales idipsum dixerunt, atque inter semetipsos hominem deriserunt. Unus ex Cardinalibus postmodum alicui dixit amico: « Vere « hodie nobiscum fuit S. Franciscus cum assi« deremus Pontifici, videlicet ad defendendam « suam Regulam et Institutum ».

44. Benignissima Mater JESU, pauperibus compatiens, tantummodo dixit Filio: « Vinum non habent » (1), eoque solo verbo liberalitatis eius aperuit promptuarium. Eadem confidentia S. Franciscus dicet CHRISTO de nobis: « Panes non habent, » et minime dubitandum est de inexhausto DEI nobis provisurum iri thesauro, si Regulam nostram in sua puritate observare studeamus. Vigilemus ergo ne daemon pecuniarum in Conventus nostros irrepat, ac S. Francisci maledictionem super nos inducat. Magna vigilantia mulieres quaecumque a Conventuum nostrorum ingressu arcentur, ne castitatem nostram vel minima contingat maculari suspicione. Pari cautela excludendum est daemonium pecuniarum, cum stragem perniciosiorem nostrae illaturum sit paupertati.

45. Difficillimis nostris temporibus, quibus fere ubique Religiosi suppressi sunt, vel infensissimo impugnantur odio, multis in locis Fratres nostri Ordinis Indultum S. Sedis im-

(1) Cfr. Annal. tom. 2. ad ann. 1289. n. 23.
(2) Annal. tom. 3. ad ann. 1325. n. 6.
(3) De planctu Ecclesiae, lib. 2. cap. 67.

(1) Ioann., 2. 3.

plorare debuerunt, ut durantibus difficultatibus praedictis simplicem pecuniae usum habere possent. Rogemus DOMINUM, ut meliora tempora mox nobis concedere dignetur, et pro viribus laboremus, ut praedictum perhonorificum Seraphicae Regulae praeceptum ubique in Ordine in sua puritate observetur. Peculiariter autem rogamus illos Superiores, qui collapsam disciplinam in suo Conventu restituere debent, ut ante omnia una cum vitae communis perfectae implantatione pecuniae usum evellere non omittant; secus enim vera disciplina, saltem in Ordine nostro, diu consistere non poterit.

(Continuabitur)

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1886 celebrata.

I.

Ref. Custodia Ss. Recessuum S. Bonaventurae.

Die 7 Aprilis 1886 celebratum fuit Custodiale Capitulum in Conventu S. Bonaventurae de Urbe sub praesidentia Rmi P. Ministri Generalis, in quo rite electi sunt:

CUSTOS REGIMINIS

A. R. P. Joachimus a Scai.

DISCRETI CUSTODIAE

A. R. P. Franciscus a Roma.
R. P. Leonardus ab Ulmeta.
R. P. Gabriel a Glori.

III.
MISSIONES.

IMPERIUM SINENSE

EPISTOLA *Vicarii Apostolici Chan-sy ad Praesidem pii operis a Propaganda Fide.*

Opinor Excellentiam Tuam certiorem esse factam malorum, quae aliae Sinenses Missiones passae sunt propter bellicas excursiones anni elapsi, et quod cupias etiam a nobis agnoscere, quomodo inter easdem calamitates, hic vitam egimus.

Revera nimium timebamus ne cum bellum Franco-Sinense exarsisset, persecutio et apud nos in Christianos Europaeosque excitaretur: maxime cum nostrae provinciae rector esset quidam *Tchan-Tche-Tum,* notus Europaeorum inimicus, qui iam coeperat nostrae missioni molestias inferre; volens enim novam construere stationem pro militibus locum praeelegit proximum domui orbatorum, nostraeque residentiae, eo profecto animo, ut etiam nostrae residentiae potiretur, ipsamque ecclesiam vel destrueret, vel profano usui assignaret. Verum cum haec pararet, ab hac provincia, DEO providente, revocatus, *Canton* petere compulsus est, quo cum pervenisset persecutiones in Christianos et Europaeos exortae sunt, quibus quanto nos odio prosequeretur apparuit.

Interim nos alium pro-regem accepimus, Tartarus quidem origine, sed bonae indolis, iustitiae ac plebis amatorem, et alio prorsus animo erga nos ab eius praedecessore, e cuius ira hoc facto erepti fuimus. Post haec enim militaris statio, invitis nobis, loco aliquantulum dissito constructa est, ipso militum praefecto animadvertente, indecens fore, quod castrensis licentia puerorum et puellarum orphanotrophii oculos offenderet.

Haec verno tempore acciderant, cum belli initia haberentur et eiusdem sors interim penderet. Sed cum anni finis advenisset, a Pekino, ut videtur, monitum venit invigilandi ne rebellio in partibus nostris foveretur. Tunc prope domum vice-regis affixus est libellus, quo populus in nos concitabatur, tamquam imperii hostes, qui huc quidem venerimus et degamus praetextu religionis docendae, revera ut plebem contra publicam tranquillitatem commoveremus. Sed huius regionis populus quieti praesertim addictus est et de rebellionibus ne verbum quidem audire sinit; hinc libellum vel non legit vel parvipendit. Mandarini vero in consilium quidem convenerunt et de nobis nostrorumque moribus inquirere coeperunt; ast unus eorum, quo nostris in negotiis curatore utimur, rationem reddidit nostrarum consuetudinum, nostrique agendi finis, insuper seipsum sponsorem exhibuit, quod reipublicae quies minime pertubaretur. Hisce dictis omnes acquieverunt, tutique permansimus, usque dum bellatores nationes pacem inirent.

Attamen, quod et quae damna Ecclesiae nostrae bellici rumores et tumultus attulerint, breviter dicam: Aliqui nostrorum catechumenorum, qui nondum cordi inhaerentem fidem habebant, cum primum audierunt bellum Sinensibus esse contra Francos, arbitrati sunt Europaeos expellendos fore imperio una cum missionariis; et exinde futurum ut christiani omnes a fide apostatare cogerentur, secus bonorum expoliatione, exilio, vel morte mulctarentur. Haec ab ethnicis audientes, christiani timore affecti signa religionis, quae acceperant et domi retinebant, removerunt et absconderunt, nec amplius ad ecclesias et catecheses accedebant. Postquam vero stabilitam pacem audierint ferme omnes ad pristinos religionis usus redierunt, paucis tantum exceptis, nempe familiis quatuor, quae timore actae palam a nobis recesserant. Id accidit in novo districtu posito secus praecipuam viam, per quam frequens erat transitus, et infausti rumores spargebantur.

Aliis vero in locis occasionem habuimus non paucos ethnicos ad fidem convertendi. In territoriis, quae sunt ad septentrionalem occiduamque partem huius metropolis anno elapso non pluit toto vernali tempore; hinc serere non nisi tardius potuerunt; autumnali vero tempore pruina supervenit antequam segetes ad maturitatem pervenissent; hinc messis exigua fuit vel etiam nulla. Quapropter populus ad egestatem redactus, non habens quo nutriretur, errabat per agros quaerens herbas vel radices, ut sic saltem vitam sustentaret. Quamplurimis egenis missio nostra succurrere debuit usque ad aestatem huius anni, eo quod extrema prorsus penuria laborarent.

Revera in quodam territorio saevit continua fames. Nam eorum agri arenacaei sunt, et etiam annis uberioribus parum fructificant. Per campos flumen decurrit, e vicinis montibus descendens, sed cum huius alveus altus sit et aggeres emineant, coloni vident quidem aquam, sed eam ad arescentes segetes derivare nequeunt.

Secus hoc flumen omnes incolae ad Christum conversi sunt. Venerunt ergo ad me multi, qui tunc temporis neque alimenta, neque operis lucrum habebant. Et rogabant, ut vellem fossam seu canalem excavare ad aquam limosam a dicto flumine deducendam, quae terram inundans foecundaret, sicque duplex beneficium eis praestarem, nempe in praesenti penuria opus eis providerem ex quo alimenta lucrarentur, et in futuro ab illis terris sterilitatem et perpetuam populi miseriam amoverem. Deinde compensationem missioni nostrae exhibendam offerebant, scilicet cautione scripto data, dimidiam terrae partem, quae inundanda et fecundanda foret. Defossio facienda metiebatur longitudine ad chilometra quatuor, altitudine vero tribus metris. Cum postulationi et sponsioni eorum acquievissem, viri et iuvenes permulti illuc convenerunt, et opus exortum est, pretio laboris constituto non ad diem, sed ad operis mensuram. Hinc factum est, ut trium mensium intervallo opus completum fuerit. Expensa fuit ad tria millia libellarum. Sed lucrum erit maximum; area enim ad decem circiter millia, paucis annis irrigari, et foecundari poterunt. Hac aestate, mille terrae iugera irrigata fuerunt. Mandarinus loci cum opus vidisset expletum, haec praecise verba protulit: Revera Europaei intelligentia praestant et ad magna ineunda apti sunt; nos vero inertes sumus. Mihi autem cordi etiam fuerat plures familias illuc cogere quae nunc sunt inter ethnicos, et quibus christianam addiscendi doctrinam, vel divina praecepta servandi arduum est.

Gens, quae vicum illum circumstat, mirabatur christianos inter se tam concordes esse et sibi invicem auxilia praestare; praesertim vero stupore afficiebantur cum viderent missionarios nihil a proselytis accipere, ut solent aliarum sectarum ductores, sed e contra istis auxilia praebere. Hinc tantum erga nostram Religionem aestimationem habere coeperunt, ut unanimes ad nos venerint postulantes ut eamdem eos doceremus: sic pene omnes catechumeni facti sunt: aliae quoque familiae aliorum vicorum nostrae religioni nomen dederunt. Sic in uno tantum districtu bis centum catechumenos conscripsimus. Hoc vero anno centum quinquaginta eorum, qui praecedentibus annis catechumeni fuerant adscripti, baptismate abluimus.

In aliis quoque duobus districtibus, in quibus pariter annonae difficultas fuit, et praesertim in eo qui dicitur *Sie-Tcheou* multae conver-

siones factae sunt. Hoc enim districtu populus superstitionibus maxime addictus est. Huius enim religio preces, genuflexiones, abstinentias, ieiunia aliaque poenitentiae opera tam multa praecipit, quanta nec christiani faciunt. Inter eos, qui conversi sunt, unum indicabimus, qui videbatur praecipuus, et labore et expensis nitebatur alios ad sectae praecepta servanda. Hic primum christianae Religioni obstabat tali ardore, ut etiam ausus fuerit nostros catechumenos in ius vocare, quia expensis religiosae sectae quam ipse fovebat, auxilium non praestabant. Id autem ut videtur, Religionis causa, ex ignorantia, sed non odio vel malo animo egerat. Sed causam quam nostris intentaverat, cum dedecore perdidit. Post haec, DEI gratia praeventus, nostram Religionem edoceri voluit, quam quum veritati consonam novisset, statim sectam suam abiuravit et catechumenus factus est. Cum multos haberet magni pretii libros superstitionum, hos omnes huc misit, cum animus ei non fuerit eos comburendi, quos grandi pecunia emerat. Nunc in alium mutatus meliori zelo propagationi veritatis incumbit, quam cum falsae sectae antesignanus hanc propugnabat et promovebat. Eius opera multae familiae eorum, qui eius asseclae fuerant, ad fidem conversae sunt: modo etiam prosequitur, evangelium praedicans et multos convertens in pagis, qui circumstant.

Dum haec scriberem, accepi epistolam a missionario, qui illuc constitutus est, quique me certiorem facit de profectu novae missionis, et quod diu noctuque illum ethnici obsideant desiderio divinum verbum audiendi, et promittunt ad Religionem nostram transire, sed levi, inquit, indole sunt et ad religionem mutandam proclives; attamen dum piscari pergitur, multi in rete manent. Addit parvam hanc christianitatem ecclesiam non habere neque domum pro missionario, qui proinde in privatis domibus recipi cogitur vel in tugurio divertere, in quibus et ipsa divina Mysteria celebrantur. Quapropter, cum numerus crescat neophytorum, necesse est ut aedes ad conveniendum emantur vel construantur. Interim DEUM precemur, ut semini verbi sui quod tanto missionariorum labore seritur, incrementum dare velit.

Tandem Excellentiam Tuam rogans, ut huius missionis necessitatibus animum intendere velit, obsequii et aestimationis debitum etc.

26 Septembris 1885.

✠ Fr. ALOYSIUS MOCCAGATTA,
Ep. Zenopolit. Vic. Ap. Chan-sy

—

VICARIATUS APOSTOLICUS
HOU-PÈ OCCIDUO-MERIDIONALIS

Status animarum ac spiritualis administratio
Anno 1884-1885.

Christianitates	60
Fideles in catalogo descripti	4,109
Baptizati	
Adulti	99
Fidelium infantes	111
Infantes Infidelium	
Baptizati	2,863
Collecti	472
Aliti	472
Mortui	2,401
Confirmationes	369
Confessiones	
Annuales	2,643
Devotionis	9,418
Communiones	
Annuales	2,488
Devotionis	8,786
Matrimonia benedicta	68
Extremae unctiones	204
Vita functi	244
Divini verbi praedicationes	
ad Fideles	1,843
ad Paganos	1,394
Sacella ad Vicariatum pertinentia	21
Missionarii	
Europaei Ord. Min. Reformatorum S. Francisci	6
Sinenses Tertii Ordinis S. Francisci	5
Laicus Europaeus Tertii Ordinis	1

Alumni

Seminarii.	12
Collegii	12
Scholarum	78
In duobus Orphanotrophiis	
Tertiariae indigenae S. Francisci . .	7
Virgines indigenae Novitiae. . . .	6
Sacrae Infantiae	
Mulieres inservientes.	5
Pueri.	9
Puellae	75
Apud Nutrices	92

✠ Fr. Alexius M. Filippi
Episc. Paneaden. ac Vicarius Apostolicus.

IV.
VARIA

—

DIE XXII APRILIS 1886.

—

IN COENA DOMINI

RHYTHMUS

Floret Ara, candent lilia
In hac vespera et vigilia
Gaudiorum Patriae.

Visio pacis est beata,
Est Jerusalem ornata
Pretioso Sanguine.

Mortis Jesu testamentum
Nobis adest Sacramentum
Gloriosi Corporis:

Totius mundi pro salute
Vi verborum et virtute
Redditur mysterium.

Datur nobis in convivium
Adorantium inter civium
Supernorum cantica.

Tu Deus es, qui condis frugem
Tu Deus es, qui venam iugem
Eliquas in palmite.

Et haec data dona capis,
Ut ea facias vicem dapis
Et libamen Sanguinis.

Christi o pietas infinita!
Sunt hi fructus nobis vita
Usis in interitum.

Caro est cibus, Sanguis potus,
Christi Corpus, Christus totus
Ore nostro sumitur.

Nulla est tanti pretii haereditas,
Opes omnes habes creditas,
Nihil amplius superest.

Altitudo Dei dimissa,
Dei maiestas hîc submissa
Condito a se muneri.

Hîc Passionis fit memoria;
Hîc triumphus, hîc victoria,
Vita et resurrectio.

Sit dulcedo, sit moestitia,
Sit amaror, sit laetitia
Christi carnis unio.

Amen

V.
BIBLIOGRAPHIA

—

Agreda (Maria von Jesus zu).
Die Geistliche Stadt Gottes. Leben der jungfräulichen Gottesmutter, unserer Königin, Maria, nach den Offenbarungen an die ehrwürdige Dienerin Gottes, Maria von Jesus, Abtissin des Klosters der Unbefleckten Empfängniss zu Agreda, vom Orden des hl. Franciscus. Aus dem Spanischen übersetzt mit

kirchlicher Approbation. Erster Band. Regensburg, New-York und Cincinnati. Druck und Verlag von Friedrich Pustet. 1886. — Tom I. in 8° pag. 666 — (Mark 4, 50.)

Alessandro (P.) Baroni, Minore Osservante. — Le sovrumane bellezze della Chiesa di Dio nei Santi. — Panegirici e Discorsi del P. Alessandro Baroni, Minore Osservante della Provincia di Toscana. — Volume unico. Pistoia, Tip. Cino dei Fratelli Bracali, 1886. In 8. pag. XXXI — 523. (L. 6).

Antonio (P.) da Pontedera — Appunti da Sacra Eloquenza dettati per gli studenti cappuccini dal P. Antonio da Pontedera, del medesimo Ordine. — Prato, Tipografia Giacchetti, figlio e C. — 1886. — Pag. 138.

Apollinaire (P.) de Valence. —

1. Histoire des Capucines de Flandre, écrite au XVIII siècle par une religieuse de cet Ordre (ouvrage revu, annoté et publié par le P. Apollinaire de Valence, capucin). Paris, Poussielgue Frères, 1878, 3 vol. in 8. de xvi-559, 632 et 615 pages — 2 portraits gravés. Tiré à petit nombre. Prix: 30 francs, affranchissement par la poste compris. (Intra Ordinem 25 franc. seu libellis).

2. Bernardin (P.) de Paris. — L'Esprit de S. François d'Assise, par le P. Bernardin de Paris, capucin, revu et augmenté d'une notice sur l'auteur par le P. Apollinaire de Valence, religieux du même Ordre. Paris, Poussielgue Frères, 15 rue Cassette, 1880, 2 vol. in 8 jésus de xxxii-447 et 504 pages. (Prix 6 francs.)

Bernardo (M. R. P.) da Fivizzano. — Opuscoli del Serafico Patriarca S. Francesco d'Assisi, volgarizzati col testo a fronte, dal M. R. P. Bernardo da Fivizzano, Ex-Provinciale Cappuccino di Toscana, a spirituale profitto dei Fedeli, e in modo specialmente dei figli d'esso Serafico Padre. — Firenze, tip. della SS. Concezione di Raffaello Ricci, 1880. (Prezzo Lire 1, 60, franco di posta.)

Damiano (P.) dalla Rocca S. Casciano, M. R. — Dodici Pezzi per Organo composti dal P. Damiano dalla Rocca S. Casciano, M. R. Organista nel Santuario dell' Alverna. Prezzo: lire 6.

Francesco (M. R. P.) Giella, Min. Rif. — Cenno storico della Miracolosa Immagine di S. Maria *Mater Domini*, che si venera in Nocera superiore, Provincia di Salerno, pel molto Reverendo P. Francesco Giella, Provinciale dei Minori Riformati di Principato. Scafati, Stab. Tip. della Campana del Mezzodì 1886. In 16. pag. 87. (L. 0, 30.)

Josè Calasanz (P.) de Llevaneras, Capuchino. — Ramilleté espiritùal de los devotos imitadores de N. P. S. Francisco, dedicado á Nuestra Señora de los Dolores, Manual completo de piedad por el P. José Calasanz de Llevaneras, Capuchino. — Segunda edicion aumentada por el autor con la guia practica de los H. H. de la Ven. Orden Tercera. — Con las debidas licencias. — Madrid, en la Tip. de los sucesores de Rivadeneyra, Impresores de la Real Casa, Paseo de San Vincente, 20. — 1884 — pag. 640 — *Haberi potest*; Barcellone « Rivista Popular » calle del Pino — Pretium: libel. 3 extra Hispan.

Marianus (A. R. P.) a Novana, Ord. Capp. Picenae Prov. ex-Ministro provinciali, ac sac. theologiae Lectore emerito. — De originaria lapsi Hominis conditione. Parisiis apud Lethielleux: 4 Via Cassette.

P. Maximilianus Schaefer, M. R. — Practische Winke über Gebetsapostolat, Herz-Jesu-Bruderschaft, Sühnungs-Communion, heilige Stunde, Rosenkranz, und dritten Orden, zusammengestellt von P. Maximilian Schaefer O. S. F. (Ref. Prov. Cincinnatensis) Cincinnati, O., Rosenthal Co., 203 Vine Str. 1886.

Missae in agenda Defunctorum tantum deservientes, ex Missali Romano recognito desumptae, cum Ordinario et Canone ut in ipsis servatur, ad usum et commoditatem omnium Ecclesiarum. Romae, apud Monaldi et Soc. MDCCCLXXXVI. In 4. pag. 27. (L. 1,50, cum ligatura L. 4.)

Cura Ordinis nostri disposita haec editio fuit et e Curia generalitia haberi potest.

VI.
NECROLOGIA

—

R. P. FRANCISCUS PUJOL Reusii Provinciae Tarraconensis in Hispania natus, Minorum Observantium Ordinem adhûc iuvenis ingressus est. In patria primum ac deinceps in America apostolica munia adimplevit. Quum in Italiam, faventibus superioribus, pervenisset, anno 1841 Monasterii Sancti Joannis Baptistae a Venerabili Matre Agnete Steiner in civitate Nucerina fundati confessarius electus est, ac per annos 44 summa cum prudentia huiusmodi munere functus fuit. Religiosi viri virtutibus, humilitate praesertim, charitate, obedientia et patientia emicuit. Lethali morbo correptus, ac pluries interim refectus sacramentis, placide in DOMINO obdormivit die 16 Decembris 1885. Transactis post mortem quadraginta et sex horis, defuncti corpus flexibile adhuc permanens nec minime foetens probatum fuit. Huius piissimi Patris adsunt nonnulla opera typis, edita praesertim vero: VITA VENERABILIS *Dei Famulae* AGNETIS STEINER, cuius per multos annos a conscientia moderator extitit; compendium vitae R. P. Josephi Portella Reg. Observantiae, cum fama sanctitatis anno 1856 Romae vita functi, aliaque ascetica opuscula.

Die 17 Decembris 1885 obiit Spetiae R. P. JACOBUS BOTTAU, Ref. Prov. Genuensis, iam S. Theologiae Lector, cuius supersunt opera typis edita — *Il Cattolicismo dimostrato e difeso con le parole e ragioni de' suoi nemici — Le Scritture degli antichi popoli — Lezioni di aritmetica e geografia.* Duorum priorum exemplaria omnia pro Collegio Romano S. Antonii, laudabili consilio cessit.

Jaderae in Dalmatia, die 21 Januarii 1886, in DOMINO, anno aetatis suae 83, obdormivit R. P. CAROLUS DONDI AB ARCE GRIMALDA, Observantis Provinciae Seraphicae, pietate ac zelo animarum laudabilis, qui usque ad senectutem chori Magister fuit, primum in S. Portiunculae Basilica, dein in Conventu Jaderensi quo iam ab anno 1832 se contulerat.

Die 16 Februarii 1886 in Conventu S. Bonaventurae de Urbe, repentino morbo correptus obiit fr. PETRUS A COPENHAGEN, Laicus Custodiae Strictioris Obs. Sacrorum Recessuum, aetatis suae anno 83 — Natus et educatus in protestantismo, pictoriam artem iam a iuventute exercuit, et qua pictor anno 1830 Romam profectus est, ubi anno 1844 catholicam religionem, et anno 1851 die 10 Septembris Ordinem Minorum inter Reformatos amplexus est, nomen religiosum imponente ipsomet s. m. Pio IX — Pius IX enim, qui Danum pictorem aestimabat, eum interrogavit quodnam nomen in Ordine recepturus esset, et audiens nomen exterum, ait: — *Non, sed fr. Petrus vocaberis.* — In saeculo autem vocabatur Albertus Küchler. Suam artem in Ordine exercere, non sine laude perrexit, simulque vitam iuxta Sacrorum Recessuum leges et consuetudines vixit. In senectute lumine oculorum orbatus magis, magisque orationi incumbebat sicque paratus repentinam, sed non improvisam mortem oppetiit. Instante Daniae Consule, Dno Mühlenphort, sepultus est in coemeterio Germanorum prope Vaticanum.

Admodum R. P. AUGUSTINUS RONVECCHIUS, Observantis Provinciae Picenae Lector Jubilatus. Illustris hic Pater humiles habuit parentes et honestissimos, ex quibus ortus est Maceratae v idus iunias anno 1822. Jam inde ab adolescentia maturum ostendit ingenium, aptumque quam maxime scientiis quibusque comparandis. Septimo et decimo aetatis anno inter nos adscriptus, tam addidicit egregie Philosophiam, Theologiam, Mathesin, Eloquentiam, ut non sine magna sui laude, parique discentium profectu tum intra, tum extra claustra modo hanc modo illam docuerit facultatem. Ad sacram vero Eloquentiam quod attinet, illud satis esto referre quod immortalis Pontifex LEO XIII, Antistes tunc temporis Perusinus, P. Augustinum Oratorem adsignarit studiosae juventuti in celebri illo Athenaeo, et Minister Generalis annuum selegerit concionatorem ad Sanctam Mariam de Aracoeli in Urbe, quae quidem officia magnam ei pepererunt gloriam. Francischinius vero, Episcopus Maceratensium et Tolentinatum, doctissimum Patrem nuncupavit Examinatorem synodalem, Professorem theologum, philoso-

phum, mathematicum in sacro tolentinati Seminario, quod atiquot insuper annos optime rexit. Proinde, nil mirum, si Provincia Picena filium hunc suum tantis onustum meritis libens sibi dederit Definitorem, Administrum Custodem. Quibus ipse muneribus tanta in hisce rerum adiunctis perfunctus est prudentia et dexteritate, ut Angelum omnino Pacis appellitaremus. Et vere erat Angelus tum moribus, tum virtutibus. Utinam diutius, ut nobis per aetatem (64 circiter annorum) sperare fas erat, essemus P. Augustino perfruituri. At x calendas martias huiusce anni 1886 repetita correptus apoplexi, in pervigilio S. Josephi, Ecclesiae Catholicae Patroni, susceptis piissime acramentis, evolavit ad Superos.

Admodum R. P. ANTONIUS MATALDIUS, Observantis Provinciae Picenae Lector Jubilatus. Eximius hic religiosus Vir patriam nactus est Montem Fortinum illustre sane oppidum asculanae Dioeceseos in agro piceno anno 1871 parentibus honesto genere, honestissimis moribus. Sexdecim annos natus, Ordini nostro nomen dedit. Ubi laudabiliter confecto religiosae vitae tyrocinio, et solemnia professus vota, sic animum adiecit philosophicis ac theologicis disciplinis, ut eas postea docuerit gloriose tum apud nostrates, tum in sacris Asculano Firmanoque Seminariis. Ad haec; peritus apprime Juris, uti vocant, Canonici, et rerum Ordinis seraphici, divini Verbi egregius satis praeco, optimus pietatis magister Virginibus DEO devotis excolendis. Idem pius, modestus, adfabilis, prudens, consiliisque plenus. Quo factum est, ut viridi admodum aetate Definitoris, Administri, Custodis Provinciae officium perbelle expleverit. Ad nonum fere et sexagesimum aetatis annum integro corpore pervenerat, quum laterum et bronchiarum dolore misere correptus, in Coenobio Ripaetransonum Ecclesiae sacramentis refectus VII. idus martias huiusce anni 1886 obiit diem supremam, universa lugente Provincia tam cari Capitis amissionem!

Pater ANTONIUS (DARI) veluti flos viridissimus vere decisus est ab horti domino, at iam protulerat tales fructus, ut merito de eo dici posset illud Scripturae: *Consummatus in brevi, explevit tempora multa.* Ortum habuit Calentianae in Corsica et cum quindecim annos natus esset, excitante R. P. Syro a Vicopelago, Ordinem minoriticum ingressus est magna sui animi laetitia in conventu Pini anno 1875. Plausu omnium voti compos factus, postea humanitatum et philosophiae studiis sedulam navavit operam. Vix dici potest quantum in illis profecerit, quantum exemplo et aemulationi fuerit suis condiscipulis. Studia theologica, quae Sartenis inchoaverat, Pisciae in Thuscia complevit, ubi et sacerdotali charactere fuit condecoratus. Ad suos reversus ob adversam valetudinem, summo ardebat desiderio verbum DEI praedicandi et pluries id munus, licet debilis. exercuit. At morbus pulmonaris ingravescens eum sibi studere coegit per spatium trium annorum. Eius patientia tamen, caritas, amor paupertatis aliaeque religiosi viri virtutes semper magnae fuerunt et mirabiles. Mors eius vero admirabilior. Petita venia a suis confratribus, post devotam susceptionem *omnium* Sacramentorum, 7 Januarii 1886, ad *Superos* migravit. Populus Olectensis, qui antea abundanter eum aegrotantem adiuverat, demortuum comitatus est ad sepulcrum.

Frater HUMILIS Auximi natus est anno 1845 ex pauperi domo. Habitum Tertiariorum suscepit in conventu S. Francisci Olettae, Provinciae Corsicae, ubi 8 circiter annos transegit cum professione omnium virtutum. Vita eius, licet abscondita in tabernaculo DOMINI, virtutibus, praesertim humilitate, obedientia, caritate, assiduitate fuit repleta, ita ut omnibus esset exemplo. Morbum pulmonarem, quem in defatigando pro suo Conventu contraxerat, et quem curae omnigenae exsuperare non valuerunt, patienter toleravit usque ad extremum, quod evenit prima die Octobris 1885. Mors eius fuit vere pretiosa in conspectu DOMINI.

Nihil obstat.

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA
—
EX SACRA RITUUM CONGREGATIONE
—

DAMASCENA

BEATIFICATIONIS *seu declarationis Martyrii Venerabilium Servorum Dei* Fr. EMMANUELIS RUIZ, *Ordinis Minorum Observantium, et* SEPTEM SOCIORUM. (1)

I.

DE PERSECUTIONIS IMMANITATE. (2)

Inter acerbas persecutiones postremis hisce temporibus ab infidelibus excitatas, immanissima quidem, tum genere tormentorum, tum martyrum copia fuit, quae anno 1860 Mahumetanos Drusosque Damascum incolentes, auctores habuit, quaeque cum magna fidelium multitudine, quot religiosos e S. Francisci familia in illius urbis coenobio morabantur, barbare interemit. Octo hi erant numero, sex Sacerdotes ac duo Laici, qui, duce Patre Emmanuele Ruiz, quam maxima fidelium aedificatione spiritualem christiani populi curam agebant, verbis exemplisque homines ad pietatem vitaeque sanctimoniam allicientes. Hinc dum filialem devotae plebis affectum sibi comparaverant, in se ab adverso converterant iram furoremque Mahumetanorum. Isti enim Damascenam urbem incolentes, e diuturno tempore in Christianos vesanâ irâ furentes, ac civilis auctoritatis conniventiâ ad scelera incitati, horribilem fidelium cladem minabantur. Qua de causa in contemptum supremae auctoritatis, quae christiana regna moderabatur, quinque canes potentiorum Europae regum nomine distinguunt, eosque in peregrinos incitantes « en, dicunt, tuus rex, tuus imperator ac minister ». Dein efformatis e ligno quinque Crucibus, iisque eorumdem animalium cervicibus impositis, Christianos adigunt, ut ante canes genuflectant. Nec satis; etenim alias Cruces in terra delineant, catholicosque pueros ad eas conculcandas incitant, diris verberibus afficientes quotquot ab hoc scelere patrando reluctantes invenirent. — Adeunt Christiani urbis praefectum, eique debitas tantae iniuriae querelas deferunt. Ast cui insolentium audaciam comprimendi onus incumbebat, eam acuere visus est. Hinc die 7 Julii Mahumetani caeca rabie furentes in Christianos irrumpunt, miseram inauditamque cladem aggrediuntur.

Quis describere posset dirae huius caedis immanitatem, quis numerare persecutionis victimas, ac satis detestari impiorum manus tam copioso fidelium sanguine redundantes? Undique occisiones, incendia, rapinae. Ad augendum autem tantae cladis horrorem nocturnae tenebrae supervenerunt. Tam horrida, efferata ac iniusta fuit clades, quae heroes nostros cum tot Christianorum millibus, fuso pro catholica religione sanguine, illustribus, inter coelestes martyrum choros accensuit!

II.

BREVES SINGULORUM MARTYRUM NOTITIAE.

Primus inter inclytos hos martyres recensetur P. EMMANUEL RUIZ, Coenobii Praepo-

(1) Cfr. *Acta Ordinis* vertentis anni fasc. I, pag. 22, ubi datur Decretum S. R. C. confirmans introductionem Causae praefatorum Servorum DEI.

(2) Compendio hic referimus processum, quem Gustavus Persiani, Causae advocatus, exaravit.

situs, qui, anno 1825 in Observanti Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis Provincia religioso habitu suscepto, inclytâ cum laude theologicis philosophicisque disciplinis emensis, sese ad praedicandum infidelibus CHRISTI verbum divina voce vocatum persensit, ideoque ad Terrae Sanctae Missiones destinatus fuit. Inibi arabicâ linguâ brevi tempore edoctus, totum se dedit curandae aeternae fidelium saluti, assiduisque studiis vitâque integerrimâ uberes retulit fructus, pluribusque aeternorum gaudiorum aditus aperuit. Sed anno suae aetatis quinquagesimo sexto a Mahumetanis in saeva ea persecutione interemptus, clarissimam martyrii coronam obtinuit.

Hunc sequitur Pater CARMELUS BOTTA, hispanus et ipse, qui in Valentina Provincia Minorum Observantium Ordinem ingressus anno 1825 solemnia vota nuncupavit. Emensa summa cum laude studiorum palaestra, in Palaestinam missus fuit, ac arabicâ linguâ scitissime instructus, Damascum se contulit, ibique Parochus ac iuvenum Missionariorum magister institutus fuit. Adeo autem virtutibus vitaeque integritate omnibus exemplo fuit, ut immaturam eius mortem civitas tota defleverit.

Tertius accensendus est Pater ENGELBERTUS seu Angelus (1) HOLLAND, Provinciae Tirolensis S. Leopoldi, e Dioecesi Brixiensi, vir eximiae sanctitatis singularisque morum innocentiae, qui ortus in pago vulgo Ramisau anno 1827 ab ipso primaevae pueritiae flore propter eximium animi candorem puritatemque vitae maximam suorum admirationem sibi comparavit. Hic assiduis pro animarum salute laboribus exantlatis, ac Patri Emmanueli in pastorali munere adiutor indefessus, omnium sibi catholicorum animos adsciverat, qui eum veluti amantissimum patrem diligebant; cum a barbaris oppressus gloriosam pro CHRISTO mortem oppetiit.

Tenet quartum locum inter martyres Pater NICANOR ASCANIUS MIANIO ex Observanti Castiliana Provincia. Hic ortus anno 1814, religiosum habitum induit anno 1830, ecclesiasticas scientias didicit, ac ad sacerdotium evectus praedicationis munus maximo cum animarum fructu plures annos exercuit; tandem anno 1852, quod iamdiu concupiverat, obtinuit; ut scilicet Palaestinae Missionariorum comes laborum accenseretur. Verum cito barbarorum manu martyrum coronam accepit.

(1) Non *Holland*, sed *Kolland* scribendum est, uti postea adnotabitur.

Duo, qui supersunt sacerdotes, sunt Pater NICOLAUS ALBERCA ex Andalusia ac Pater PETRUS SOLER e Murciensi Provincia; ambo eximia virtute viri, quorum primus anno 1830, alter vero anno 1827 exorti, ac roseo adolescentiae flore Minoritarum Ordinem professi, emenso ecclesiasticae disciplinae curriculo, in Palaestinam missi sunt, ibique alacri animo ad arabicae linguae studium incumbebant, cum a barbaris necati gloriosa morte ad superos evecti fuerunt.

Hos inclytos sacerdotes, electas Franciscanae familiae gemmas, duo Laici comitati sunt, quorum nomina Fr. FRANCISCUS PINAZ D'ASPUENTES et Frater JOANNES JACOBUS FERNANDEZ. Primus e Valentina Hispalensi Provincia anno 1812 exortus, decimo nono aetatis anno Minorum S. Francisci habitum indutus *est. Dein* anno 1843 in Terram Sanctam profectus, in pluribus sui Ordinis coenobiis maximam perfectionis famam adeptus est. Postquam aliquot annos Hierosolymae moratus esset, in Damascenum monasterium translatus, gloriosum ibi funus oppetiit. Alter vero anno 1808 vitales auras ingressus, vix pubes effectus, ad religiosa Minorum claustra volavit. Statim se cupidum ostendit religiosam Palaestinae missionem inserviendi; verum nonnisi anno 1859 voti compos effectus est. Summa cum pietate veneranda religionis nostrae monumenta invisit, dein Damasceni coenobii famulatui destinatus, inibi propter eximiam pietatem humilitatemque maximam omnibus acceptus erat, cum in ea funestissima Christianorum clade martyrii corona exornatus fuit.

III.

DE MARTYRII PROBATIONE.

Jamvero in odium fidei gloriosos martyres occubuisse probat superius descripta persecutionis immanitas, cuius nulla rationabilis causa inveniri potest, nisi inveteratum Mahumetanorum in CHRISTI fideles odium, eorumque innata barbaries. Etenim testes unanimi consensu Drusos Mahumetanosque iniustae cladis auctores vocant.

Quod quidem ex ipsa, qua processit, inhumanitate in patulo fit. Infensissimi enim christianae fidei hostes in religionis contemptu Cruces canum cervicibus appendebant, Christianos ad eas pedibus proterendas cogentes. Aliud argumentum ad id ostendendum desumitur ex minis ac blanditiis quibus barbari Christianos ad Mahumetis religionem amplectendam adducere conati sunt. Quapropter religiosi viri e Franciscana familia, antequam tam diro funere necarentur, a persecutoribus ad apostasiam hortati sunt; cum autem constantes in catholicae fidei confessione mansissent, fustibus, saxis, gladioque vulnerati perierunt. Ceteri autem testes interrogationes martyribus a Mahumetanis factas invictasque eorum responsiones recensent.

Quis autem verbis describere posset, quam praeclara fuerit eorum mors? Incoeperat iam dira caedes, armorum sonitus saevique barbarorum clamores glorioso victimarum sanguine miscebantur. Religiosi autem viri ecclesiam adeuntes, ferventes DOMINO preces fundunt, praesentibusque ad constantiam incitatis, sacramentalem absolutionem impertiunt, eisque SSma Eucharistia solemniter benedicunt. Interim nox advenit, miseranda ea nox e cuius tenebris tanta Christianorum clades foret obtegenda. Religiosi viri coenobii culmina ascendunt, ibique ad invicem sacramentalem exomologesim perficiunt. Adveniunt Mahumetani eorum sanguine avidi; cladibus rabieque furentes, coenobii ianuas perfringunt, in claustra irrumpunt; cum funeribus incendia miscent. Horret animus tantam describere immanitatem. Beatam potius extollam martyrum sortem, qui tam fortiter pro CHRISTO pati meruerunt!

Siquidem inclyta fuit, ac tam invictae cohortis praeside dignissima Patris Emmanuelis mors; qui nil irruentium barbarorum clamore exterrefactus, ecclesiam petiit, se angelica dape refecit; ac vix caelestis gratiae Datorem pectore receperat, dum digitorum ablutionem perficiebat, in hac sublimi actione a Mahumetanis sacram Aedem invadentibus deprehensus interfectusque fuit.

Nec minus heroicum funus oppetiit P. Carmelus Botta.

Invictum Patris Petri Soler obitum testes enarrant.

Pater Angelus Kolland, dum Mahumetani coenobium diripiebant, e religiosa domo aufugere ac primo caedis discrimini se eripere potuit. Attamen et ipsi manebat gloriosum martyrium. Siquidem Turcae erumpentes in eamdem domum, in qua sese receperat, eum recognoverunt, eumque ad apostasiam incitarunt. Cum autem strenue renueret, pluries cum percussissent. eum iugularunt.

Ex duobus vero sacerdotibus qui supersunt, alter Patris Angeli fugae ac martyrii comes fuit; alterius vero licet ignota sint mortis adiuncta, certum tamen est parem cum sociis martyrii sortem invenisse.

Demum Sacerdotum fortitudini comites duo Laici fuere, Fr. Franciscus et Fr. Jacobus, qui in Turrim campanariam sese abdiderant. Hi enim fustibus percussi e turri eiecti fuerunt: primus illico mortuus est; alter sequenti mane a Mahumetano quodam cultro necatus fuit.

Ita omnes CHRISTI fidem, quam voce ac exemplo praedicaverant, fundentes invicta fortitudine sanguinem confirmarunt.

IV.

DE PUBLICA MARTYRII FAMA.

Cum tam gloriosum pro catholica religione obitum invictissimi viri pertulerint, quid mirum si generatim fideles eos ut martyres venerentur, sese eorum precibus commendent, eorumque intercessionem pro impetrandis coelestibus beneficiis apud coelestem Largitorem validissimam experiantur? Quod quidem omnes testes unanimi consensione deponunt.

At placuit quoque DOMINO praeclaro quodam portento veluti imaginem referre celsissimae illius gloriae, ad quam martyres suos voluit in coelesti beatitudine evectos. Quod autem magis mirandum est, huius prodigii testes ipsi haeretici infidelesque fuerunt.

Quae cum ita sint, cum nitidis constet argumentis religiosos viros reapse pro CHRISTI fide sanguinem fudisse, gloriosoque funere martyrum palmas fuisse adeptos; cum communi opinione fideles eos passim veluti martyres habeant, eosque in propriis necessitatibus fidenti animo deprecentur, hanc autem devotorum fiduciam inclytis prodigiis augere coelesti Largitori placuerit, quid aliud remanet, ait advocatus, nisi ut vos, Emi Patres,

propositum dubium — *An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur?* — affirmativâ responsione solventes, aditum aperiatis exoptatissimo illi instanti, quo liceat tandem novas has Mahumetanae immanitatis victimas solemnibus publicarum caeremoniarum obsequiis venerari. Id quidem a vobis Damasceni fideles universi, invicto religiosorum exemplo ad fidei constantiam incitati, ferventibus votis expostulant; id religiosa S. Francisci Minoritarum familia, inclytis gestis de catholica religione benemerita, tot heroum altrix foecundissima, fidenti animo expectat; augent spem communem temporum calamitates nefariumque bellum contra sanctissimas ecclesiae leges quotidie magis magisque insolescens; nullo enim aevo Christiani maiori copia his indiguerunt exemplis, quibus in tam nefario impiorum conatu forti alacrique animo religionis iura tueantur.

ANIMADVERSIONES PROMOTORIS FIDEI.

Recens adhuc memoria est immanis illius excidii, quod anno 1860 christianae gentis Damasci barbarae Turcarum cohortes patrarunt, quae omnia sanguine, igne, praedatione ac vastatione impleverunt. Inter occisos, octo numerantur alumni Ordinis Minorum S. Francisci, quorum sex sacerdotio insigniti, duo vero operarii Fratres. De fama martyrii ab his facti Ordinaria auctoritate Damasci anno 1872 inquisitum fuit. Res tamen, sive processus formam, sive substantiam consideres, haud ita accurate cessit, ut nulli difficultati, vel in praeliminari hoc iudicio aditus pateat, uti ex dicendis palam erit.

Nonnullos adnotavit defectus formae; sed quum sanatio obtenta fuerit a SSmo Patre Leone XIII, « hosce formae defectus prorsus praeteribo, » ait Promotor.

Verumtamen, prosecutus est, ipsa illorum indoles qui in testes inducti fuerant prorsus requirebat, ut perquam caute interrogarentur, neque ulla omitteretur diligentia, qua eos veridicos esse in omnibus constaret. Atqui nemo illorum monitus a Judicibus fuit de vi et gravitate praestiti iuramenti: nemo super interrogatoriis, quae dicuntur *generalia*, rogatus. Qui quidem defectus eo gravior est, quod neque Ordinarius, neque Judices deputati quidquam ad S. Congregationem scripserunt de fide quam quisque meretur testis. Ac vereri subest ne testes vel omnes, vel eorum aliquis fuerit a Postulatore edoctus de modo, quo sese in testificando gerere deberet. Sane Postulator substitutus cum Judice rogavit ut testem duodecimum eodem die quo iuramentum praestiterat audiretur, hanc etiam attulit rationem, illum in promptu iam habuisse depositiones, quas facere debebat; quia paulo ante examini extraiudiciali subiectus fuerat per deputatum postulatorem. Sicut iste, nonne alii quoque antequam a Judicibus, a Postulatore auditi sunt, ita ut iam parati et edocti ad examen accesserint?

Quid quod Romae etiam innotuisse videtur, quid in eo processu testes dixissent? Ex actis numquam apparet, generalem causarum Postulatorem, cum novisset alterum ex testibus (Ibrahim Mossadid) in sua testificatione dixisse causam immanis illius Christianorum caedis fuisse, quia Christiani renuebant *taxas* pro militibus rependere, scripsisse *ad P. Ludovicum* a Ravenna, qui nondum archiepiscopali infula decoratus fuerat, ut investigaret, an sodales Franciscales obligarentur solvere taxas. P. Ludovicus rei indagandae gratiâ, litteras dedit ad P. Michaelem Cabagnes, qui et ipse notitias expostulavit a Praeside *Missionariorum Lazaristarum*, qui respondit per epistolam *negative*. Tres istae epistolae Processui insertae sunt. Dices forte rem a Postulatore fuisse agnitam, cum publici iuris processus factus est. At licet ita sit, epistolae eiusmodi nonnisi extraiudicialiter processui inseri potuerunt; quae idcirco, ex notissimo decreto Ven. Innocentii XI, non solum *non faciunt aliquem gradum probationis*, sed expungendae omnino sunt ex Processu, quamquam ordinaria auctoritate constructo.

Antequam de fama martyrii disseram, advertam oportet adeo ieiunas esse notiones quae a testibus traduntur, nullam ut ex iis historiam conficere quis posset de clade illa christianorum horribili: eam quippe, nisi, ut dixi, memoria teneremus, ex Processus Actis vix percipi a nobis posset. Idcirco Vindex notitias desumere coactus est ex lacinia epistolae P. Bonaventurae a Solero, Custodis Terrae Sanctae, ad P. Ministrum Generalem totius

Ordinis Minorum scriptae anno 1860. Haec tamen epistola, non solum *extra Processum*, sed etia *extra Summarium* est, et idcirco Causam quod attinet uti aliquod probationis momentum haberi nequit, praesertim quia nequeant ex reliquo eius textu, nobis ignoto, argumenta desumi ad obiectiones refutandas.

Venio ad martyrii famam quae ex Benedicti XIV doctrina « *nihil aliud est quam existimatio et communis opinio quod aliquis vel aliqua pro fide* CHRISTI, *vel pro virtute quae ad fidem* CHRISTI *deducatur, illatam sibi mortem patienter tulerint, et quod signa seu miracula eorum intercessione vel ad patefaciendam eorum pretiosam mortem secuta sint, ita ut apud plerosque, concepta devotione, in suis necessitatibus invocentur* etc. » Lib. II Cap. 39 n. 7. Eiusmodi ne est illa quae de Martyrio octo sodalium Franciscalium vigere dicitur? Profecto de fama nihil in Interrogatoriis cautum video: in articulo tantum II ponitur: Christiani necati in dicta persecutione habentur uti martyres a catholicis, ceu deponunt testes fide digni. Huic tamen Articulo testes 10^{mus}, 11, 13, 17 se nihil scire responderunt. Reliqui, ut plurimum affirmant; verum non hosce tantum, sed omnes omnino Christianos a Drusis Mahumetanisque tum interemptos, uti martyres habent. Scilicet rudibus simplicibusque hominibus unum idemque est a Mahumetanis interimi ac martyrem esse. At quia martyrem non tam *facit poena, quam causa:* causam occisionis Christianorum Damasci non religiosam fuisse, sed politicam communis opinio perhibet.

Etenim 3us testis ait: « Censeo unam ex causis occisionis stetisse in hoc quod Christiani renuerent solvere taxam pro militibus. » Testis 9us ait: « Credo occisionem fuisse eo quia Christiani nolebant rependere taxam pro militibus. » Testis 4us ad artic. I ait: « Respondeo persecutionem non fuisse in odium Fidei, sed propter opiniones politicas. » Ceteri testes, nempe 1us, 7, 8, 9, 10, 11, (12us est testis singularis de hac re non interrogatus), 13us, 14, 15, 16, 17, 18, 19, causam occisionis se nescire responderunt.

Unus quidem est testis 2us qui asserit cladem illam ex odio in christianam fidem fuisse derivatam. Sed quam suae assertionis afferat causam attende. Erat contra Fidem quia Cruces delineabant in viis publicis, et cogebant Christianos ad easdem conculcandas. Non omnes quidem cogebant, sed tantum pueros, iuxta Informationis auctorem. Neque id mirum: nemo enim negaverit hac agendi ratione Mahumetanos, perpetuos rei catholicae hostes, odium suum in eam manifestasse. At ideone irruptionem fecerant, ut Christianos ad Crucem calcandam, vel fidem eiurandam cogerent? Ac praesertim, hi octo de quibus agimus, ideone mactati, quia Crucem calcare renuissent? Non ita sentit testis 3us qui super Articulo I haec ait: « Scio persecutionem esse contra Christianos, sed nescio an fuerit contra fidem. »

Atque *politicum*, ut aiunt, odium causam fuisse eius caedis ex eo magis ostenditur, quod viros tantummodo occiderint, mulieres et pueros incolumes reliquerint, uti omnes affirmant testes. Non defuere quidem mulieres et pueri occisi: at iuxta testem 2um aliqua mulier casu occisa fuit. Si Mahumetani non praedae cupidine, sed praecipue odio in christianam fidem excitati fuissent, certe non distinxissent fidem virorum a fide mulierum et puerorum.

(Continuabitur)

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTAURANDA
CAP. I.
DE PAUPERTATE
§ 4. *De recursu ad pecuniam.*

(Continuatio)

46. S. Franciscus volens, ut Fratres sui altissimae paupertati totaliter adhaereant, ipsis districte prohibuit, ne proprii quid possideant, neque denarios vel pecuniam recipiant, sed ea, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, vel per spontaneas oblationes, vel per mendicationem recipiant. Probe autem praevidens quod hoc duplici modo non omnia obtineri possint, quae hinc inde Fratribus necessaria sunt, praecipue ea, quae ad vestiarium Fratrum et curam infirmorum requiruntur, Mi-

nistris et Custodibus non solum licentiam dedit, sed etiam obligationem imposuit, ut magna sollicitudine Fratrum necessitatibus subvenire studeant, ac ideo ad amicos spirituales recurrant, qui pecunia sua Fratribus necessaria providere possint et velint, quin tamen Fratres ipsi pecuniam recipiant aut expendant. Videamus nunc, quid per *amicos spirituales*, quid per *recursum* ad ipsos intelligatur, per *quos*, sub *quibus conditionibus* et *quomodo* eiusmodi recursus fieri debeat.

47. *Amicus spiritualis* per Regulam intelligitur ille solus, qui ex amore Dei vel benevolentia erga Fratres, rogatus a Fratribus sua pecunia vel res necessarias procurat, vel pro iam procuratis, facta solutione, satisfacit. Hinc patet, quod Syndicus Apostolicus vi officii sui non sit amicus spiritualis in sensu Regulae. Syndicus enim Apostolicus est a Papa institutus, et nomine Papae et Romanae Ecclesiae officia sua peragit, res Fratribus datas, oblatas, legatas administrat, vendit, etc. Amicus autem spiritualis non nomine Papae aut Romanae Ecclesiae pecuniam solvit, sed nomine proprio, ex amore Dei vel Fratrum, propriam pecuniam dat ad solutionem necessitatum Fratrum. Syndicus tamen subinde est etiam amicus spiritualis Fratrum, quando vel suam propriam pecuniam dat ad solutionem necessitatum Fratrum, vel quando est substitutus benefactorum, qui pro Fratrum necessitatibus pecuniam ipsi dederunt et pecuniae suae dominium sibi adhuc reservarunt. Maxime autem advertendum est, quod amicus spiritualis non sit *persona interposita* Fratrum, per quam pecunia recipi prohibetur in Regula. Illa enim dicitur persona interposita Fratrum, quae nomine Fratrum recipit pecunias, eorum auctoritate et beneplacito expendendas. Amicus vero spiritualis sive sit donans, sive substitutus vel depositarius, nullatenus nomine Fratrum, aut eorum auctoritate et beneplacito recipit aut expendit pecunias; ac propterea non potest dici persona Fratrum interposita.

48. *Recursus ad amicos spirituales* iuxta Regulam est *procuratio actualis solutionis vel emptionis rei necessariae, quatenus mediante pecunia per personas idoneas fieri debet.* Dicitur *procuratio actualis* ad excludendam solutionem vel emptionem spontaneam, quae sine ulla requisitione Fratrum fit, v. g. si quidam benefactor proprio motu dicat Guardiano: « Ego omnia pharmaca, quae pro infirmis hoc anno accipietis, volo solvere ». Hoc non est recursus ad amicos spirituales, quia non est procuratio, sed nuda acceptatio spontaneae oblationis. Dicitur *solutionis vel emptionis*, quia Fratres mendicantes panem, butyrum, vinum, etc. etsi donantes emant, vel ad vendentes eos mittant, recursum ad amicos spirituales, prout Regula intelligit, non habent, sed puram mendicationem; siquidem mendicatio nihil aliud est, quam rei (excepta pecunia) in sua specie procuratio, non habendo respectum, sitne illa res apud dantem, an vero per pecuniam ab ipso dante acquiri debeat; recursus vero ad pecuniam per amicos spirituales per se includit semper intentionem solutionis vel emptionis, ut mediante pecunia per illos fiat.

49. Juxta supra dicta recursus non fit, si benefactor non per Fratrum preces, sed *propria* benignitate motus pecuniam *suam ad subveniendum* horum necessitatibus offert, et si ideo Fratres ipsi necessitatem suam manifestant. Dum e. g. benefactor Fratribus dicit: « Si qua re indigetis, indicate mihi, et ego eam vobis procurabo; » Fratres necessitatem suam manifestantes et rem per pecuniam procuratam acceptantes, recursum in sensu Regulae non perficiunt. Eodem modo, si quis Fratribus dicit: « Quando indigetis vino, sumite hoc apud hunc vel illum negotiatorem, cui omnia solvam: » Fratres necessaria sumentes recurrere non dicuntur. Idem dicendum est, si Fratres itinerantes ad certam cauponam divertant, et necessarium sibi victum percipiunt, pro quo benefactor se satisfacturum promisit. Ex eadem ratione etiam Frater itinerans illicitum recursum non peragit, qui ab aliquo ultro invitatus prandium in caupona sumit, quamvis sciat, quod per pecuniam prandium procuretur. In omnibus his casibus non movetur voluntas benefactoris ad expendendam pecuniam, atque ideo recursus in sensu Regulae non occurrit. (1)

50. Ad recursum ad amicos spirituales non requiritur necessario, ut Frater Minor aliquam

(1) Cfr. P. Albertum a Bulsano, Ord. Min. Cap., *Expositio Reg. FF. Min.* §. 57. n. 57. n. 5.

rem mediante pecunia ab amico procurandam explicite petat, sed etiam ille recurrit ad amicum spiritualem pro solutione facienda, qui verbis implicitis intendit amicum spiritualem permovere ad hoc vel illud emendum vel solvendum. Sic, si Frater v. g. ad aliquem amicum diceret: « Ecce in isto loco pulchrae ima« gines venduntur; libenter haberem aliquas, » cogitans, sub verbis tectis permovere amicum, ut sibi emat tales imagines: talis Frater indirecte recurrit ad amicum spiritualem pro solutione pecuniaria. Similiter si Frater petat ab aliquo benefactore aliquam rem in specie, v. g. libros, imagines, etc., et benefactor eiusmodi rem non habens dicat Fratri: « Placetne tibi « ut istam rem, quam petis, emam vel alteri « dem pecuniam ad illam tibi emendam: » tunc talis Frater annuens ad pecuniam per amicos spirituales solvendam recurrere censetur. Secus foret, si amicus propria sponte diceret ad Fratrem Minorem: « Expecta, va« dam, tibique emam e. g. istas imagines etc. » Tunc enim Frater rem emptam licite potest accipere, quia non recurrit ad pecuniam, sed acceptat solummodo eleemosynam a benefactore proprio motu et sine ulla Fratris requisitione emptam atque oblatam. (1)

51. Ex littera praecisa Regulae soli Ministri et Custodes possunt recurrere ad amicos spirituales pro necessitatum congrua solutione facienda mediante pecunia; ex sensu tamen et mente S. Francisci, tum Guardianis, tum aliis, talis procuratio committi potest, prout expresse declaravit Nicolaus III. (2) Unde nunc Guardianis tamquam Praelatis, et in eorum absentia Vicariis ex officio, aliis autem Fratribus interdum ex speciali commissione talis procuratio committitur. Cavendum tamen est, ne particularibus Fratribus haec cura sine sufficienti causa et indiscriminatim committatur.

52. Superiores ad amicos spirituales recurrere non solum *possunt,* sed etiam *debent*, si alio modo necessitatibus Fratrum provideri nequeat; secus enim peccant contra Regulam, prout declaravit Clemens V. (3) Subditi vero, quamvis sine commissione Superiorum ad amicos spirituales recurrere prohibeantur, tamen in casu, quo Superiores ipsorum necessitatibus providere aut non possint aut non velint, sibimetipsis per amicos spirituales necessaria providere possent iuxta illam regulam iuris: « quod non est licitum in lege, neces« sitas facit licitum ». Ut autem in tali casu subdito recursus liceat, requiritur, ut non solum vera necessitas adsit, sed ut pariter certum sit, Praelatum, quamvis rogatum, aut non posse aut non velle subdito necessaria providere, et ut omnes cautelae serventur, quae ab ipsis Praelatis in recursu observandae sunt.

53. S. Franciscus in ipsa Regula duas tantum specificat necessitates, pro quibus fieri possit recursus ad amicos spirituales, scilicet « pro necessitatibus infirmorum, et aliis Fra« tribus induendis; » sapientissime vero addit: « secundum loca et tempora et frigidas re« giones, sicut necessitati viderint expedire ». Sub dictis duabus necessitatibus comprehenduntur omnes aliae necessitates praefatis similes, prout declaravit Clemens V. (1) Quaeritur nunc, qualis et quanta debeat esse necessitas, pro qua liceat recurrere ad amicos spirituales ad procurandam solutionem pecuniariam. Ex Regula et Summorum Pontificum declarationibus quinque conditiones debet habere necessitas, pro qua liceat recurrere ad amicos spirituales, de quibus conditionibus nunc agemus.

54. Prima conditio est: *ut adsit necessitas vera.* Necessitas *vera* adest, quando res procuranda ita est necessaria, ut sine aliquo detrimento maioris boni spiritualis vel temporalis persona particularis vel communitas illa carere nequeat. Haec necessitas non debet esse absoluta, sed sufficit, ut sit rationabilis, quae colligenda est ex perpensis variis personarum, locorum, temporum et occupationum circumstantiis. Judicium vero de qualitate et quantitate necessitatis, pro qua liceat recurrere ad amicos spirituales, residet penes Superiores, prout patet ex textu Regulae: « sicut necessitati « viderint expedire ». Idem docet S. Bernardinus Senensis ad Familiam Italiae scribens: « In omnibus dubiis, quae non possunt in« dubitanter declarari, subditi tenentur stare « iudicio Praelatorum suorum ».

(1) Cfr. P. Kilianum Kazenberger, *liber vitae*, Cap. IV., quaest. 4.
(2) *Exiit,* art. VII.
(3) *Exivi*, cap. i.

(1) *Exivi*, Cap. IV. n. 2.

55. Secunda conditio est: *ut necessitas sit praeterita, praesens, vel imminens, et non tantum futura aut possibilis.* Necessitas *praeterita* adest quando apud amicos spirituales quaerenda est solutio pro rebus iam emptis. Necessitas *praesens* est rei indigentia, quae nunc adest. *Imminens* necessitas est, quae certo et brevi eventura cognoscitur. Sic e. g. si murus ruinam minetur, quamvis nondum corruerit. Necessitas autem *futura* illa dicitur, quae in eventu suo vel certitudinem non habet, vel nonnisi post multum temporis eveniret.

56. Tertia conditio est, *ut cessent eleemosynae indifferentes, ex quibus solutio pro necessitatibus fieri possit.* Duae species eleemosynarum distinguendae sunt, scilicet *determinatae* a benefactore ad subveniendum Fratribus in certa quadam necessitate, et *indeterminatae* seu *indifferentes*, quae a benefactore dantur, ut Fratribus indigentibus subveniatur, quin tamen necessitas determinetur, pro qua illae sint expendendae. Nicolaus III et Clemens V recursum ad amicos spirituales, *cessantibus eleemosynis*, licitum declarantes de praefatis eleemosynis indifferentibus loquuntur. Hinc peccant, qui, eleemosynis indifferentibus non cessantibus, tamen ad amicos spirituales recurrunt, quia in tali casu vera necessitas minime adest.

57. Quarta conditio est: *ut res procuranda non sit commode mendicabilis.* Veri pauperes aut mendicando aut laborando sibi necessaria acquirere solent, et S. Franciscus tales nos esse cupiens, tunc tantum recursum permisit, si praedicto duplici modo res vere necessariae haberi nequeant. Licitum non est, pro re ad pecuniam recurrere, quae quidem necessaria est, quam autem Fratres commode per mendicationem consequi possunt. Non commode vero mendicabilis aliqua res dicitur, quando non potest mendicari, nisi cum magna distractione, et circumvagatione Fratrum vel detrimento spirituali. Idem dici debet, si saeculares ob nimis frequentem et molestam Fratrum mendicationem ad indignationem et contemptum Fratrum moverentur, quod iam tempore S. Bonaventurae subinde accidit, qui de nimis frequenti mendicatione ait: « Frequentia « discursus et importunitas quaestus viles nos « et graves efficiunt ».

58. Quinta conditio est: *ut necessitas sit Fratrum, et non aliena.* Necessitas propria Fratrum, et non aliena, dicitur illa, quae est vel *Fratrum in persona, vel eorum causa et occasione.* Ipsa Regula dicit, quod *pro necessitatibus Fratrum* liceat recurrere ad amicos spirituales. Per necessitatem autem Fratrum intelligitur etiam illa, quae Fratrum causa vel occasione orta est. Docent insuper Regulae expositores, Fratrem Minorem posse licite pauperem in gravi necessitate constitutum benefactoribus commendare, ut ipsi, etiam mediante pecunia, eius necessitati providere velint. Valde cauti autem sint opportet Fratres, ne per importunas preces efficiant, ut cuidam indigenti a divite pecunia mutuetur post certum tempus restituenda; experientia enim ostendit, quod eiusmodi mutuantes promissa sua interdum aut non possint, aut non velint adimplere, et quod inde pro Fratre aut etiam pro Ordine magna inconvenientia emergant.

59. An praefatae conditiones ad licitum recursum requisitae adsint, hoc, prout iam diximus, Superiorum est iudicare. *Circa provisiones* per recursum faciendas Clemens V (1) praescribit: « Hoc Ministri et Custodes simul « et separatim in suis administrationibus et « Custodiis, cum Guardiani et duorum de Con- « ventu loci discretorum Sacerdotum et an- « tiquorum in Ordine Fratrum consilio et « assensu, duximus iudicio relinquendum, eo- « rum super hoc specialiter conscientias one- « rantes ». Ex hoc Pontificio decreto Superiores, praesertim iuniores, addiscere debent, quod in recursibus instituendis, in administratione oeconomica et similibus negotiis non suo tantum iudicio confidere, sed et aliorum consilia audire opporteat. S. Scriptura dicit: (2) « Via stulti recta in oculis eius; qui autem « sapiens est, audit consilia ». Si Superiores, non arrogantiae, sed humilitatis spiritum secuti, hanc normam observarent, multae Regulae transgressiones et non paucae murmurationes vitarentur.

60. Superioribus cavendum est, ne supervacaneo pruritu aedificandi, pretiosa comparandi templorum ornamenta, aliisque similibus, eleemosynas expensis absumant non necessariis. Laudabile quidem est, si dicere quis pos-

(1) *Exivi*, art. 9.
(2) Prov. 12, 15.

sit: (1) « Domine, dilexi decorem domus tuae; » verumtamen id minime excusat eos, qui ecclesias quidem ornant, corpora autem negligunt subditorum, quae templa sunt SPIRITUS SANCTI, qui dicit: (2) « Qui affert sacrificium ex substan- « tia pauperis, quasi qui victimat filium in « conspectu patris ».

61. Fastidium ingerit aliquando Superioribus ingratitudo subditorum, qui modo non agnoscunt sollicitudinis eorum beneficium, sed querimoniis insuper et iudiciis iniquis eos impetunt et murmurationibus. Contra hanc tentationem Superiores provide instruit Joannes Lucensis dicens: (3) « Praelatus dum omnia « egerit, a subditis non speret remunerari, « sed a DEO; illi enim frequenter multiplex « Superioris beneficium insigni compensant « ingratitudine ». Permittit DEUS, subditos subinde obliviosos esse beneficiorum, ne Superioris quidquam remunerationis in hoc accipiant tempore, sed integrum eis praemium pro beata reservetur aeternitate. « Non est « iniustus DEUS, dicit S. Paulus, (4) ut obli- « viscatur operis vestri et dilectionis quam « ostendistis in nomine eius, qui ministrastis « sanctis, et ministratis. Cupimus autem unum- « quemque vestrum eamdem ostentare sollici- « tudinem, ad expletionem spei usque in fi- « nem: ut non segnes efficiamini, verum imi- « tatores eorum, qui fide et patientia haere- « ditabunt promissiones ».

(*Continuabitur*)

III.
MISSIONES

—

IMPERIUM SINENSE

Consecratio Illmi et Rmi D. BENJAMINI GEREMIA, *Vicarii Apostolici Chan-Tong, et celebratio Synodi regionalis in Chan-sy*

Tai-iuen-fou (Chan-sy) die 14 Ianuarii 1886.

Reverendissime Pater

Quo iucundior eo et memorabilior erit mensis Novembris anni p. e. fastis Missionis nostrae de Chan-sy, quum eo decurrente fausta omnia et iuxta vota contigerint.

Erat namque tempus quo Synodus regionalis, quinto quoque anno celebranda, coadunabatur: et Reverendissimus D. D. Amatus Pagnucci, Min. Obs. Vic. Apost. de *Chen-sy*, primus omnium, postquam ter quinque diebus iter super plaustrum fecisset, huc attigit: item Rmus D. D. Ferdinandus Hammer, Congreg. hollandicae Puriss. Cordis MARIAE et Tertio franciscalium Ordini adscriptus, Vic. Apost. de *Kan-sou*, post integrum itineris mensem, etsi per aspera montium praeruptaque viarum adituumque, nunc sedens super equum, nunc quadrupedem a pendentibus clivis extimescentem trahens habenis, quamfeliciter tamen pervenit: tandem Rmus P. Beniaminus Geremia, Min. Obs. Vicarius electus de *Chan-tong* et ipse advenit duodecim post dies itineris super sedem quamdam portatilem *(palanquin)* qua Sinenses utuntur, sed mulis advectam.

Hi porro Episcopi, dum unus alteri peractum iter referebat, videbantur catholicarum missionum poesim concinere magis quam incommoda enarrare. Sed una simul mihi audienti et idipsum cogitanti obversabatur dissimilitudo magna eiusmodi traharum ab celeribus splendidisque vehiculis, quae Europaeis nostris ad convectandum inserviunt.

Die igitur Coelicolis omnibus sacra, Rmus DD. Geremia per impositionem manuum Rmi D. D. Gregorii Grassi, Min. Ob. Apostolici Vic. nostri Coadiutoris, episcopali dignitate initiatus est in nostra Ecclesia de *Tai-iuen-fou.* Quam rarissime evenire potest Sinarum partibus quod Episcopus Consecrans, iuxta praescriptam rituum solemnitatem a duobus aliis Episcopis adiuvetur! Et revera numquam hucusque traditum est talem fuisse ad hunc ritum episcoporum occursum, intra Coelestis Imperii confinia. Sacra idcirco caeremonia omni prorsus, quae praescribitur forma completa est, quinimmo maiori quam in quibusdam Europae Statibus permittitur.

Cathedralis Ecclesia, romano architectonicae artis stylo tribus alis extructa, telis sericis lineisve polymitis ac variis florum coronis, omnique comptu festivo exornata, pulcherrima omnibus visu erat. Populus licet frequentissimus in ecclesiae platea ita tamen de-

(1) Psalm. XXV. 8.
(2) Eccli. XXXIV, 24.
(3) Annal. Tom. VI. ad ann. 1472. n. 47.
(4) Hebr. VI. 10.

votus aderat, ut ne hilum quidem ordinem deturbaret: quamreverenter enim omnes sistebant ut late aditus processioni pateret. Supplicationi anteibant Christifideles civitatis nostrae instrumentalis musicae cultores, quos dudum instituerat Sinarum quidam militum praefectus et ipse fidelis. Hi omnes bini procedebant pileolo rubeo floccoso comiter cristati, ac, quod proprium huius populi solemnis decorationis signum est, ocreis, e serico-rasili contextis, calceati.

Quid mirum sane, nedum auditu, sed et visu est, Rme Pater, Sinarum musica. Sunt parvae magnaeque tibiae et fistulae cuiusvis gradationis et mensurae, bichordes trichordesque antiquae aetatis lyrae aliaque musicalia instrumenta quamvaria ex liguo sylvestrique calamo confecta, avenis illis pastoralibus certe obsimiles, quas Virgilius in suis eclogis describit. His adde tympanum unum, cymbala duo, sex æris cyprii lances et tintinnabula multa quae alternatim ab aliquo iuvene et iuxta modum pulsantur. En habes iucundissima illa blandarum vocum discordia concors, quin aliquod videas vel audias musicum instrumentum ex aurichalco refusum. Haud musicen arte concinunt tibicines illi et fistulatores, nec amplius magistro egent quam musicali scriptitatione: sufficit namque illis aliquem cantum audire et ediscere, quem ut resciunt, suum quisque inflat sonum et ita omnes simul concentum harmonica adaptum ratione modulantur chorosque musicos efficiunt.

« Sylvestrem tenui musam *meditantur* avena ».

Non dicam gratissimos et periucundos esse eiusmodi sonos illorum auribus, qui perfectissimos omnibusque numeris absolutos in Europa concentus audivere, sed satis dulces illos esse plane confirmo, qui nobis pastoralium bibliorum Veteris Testamenti speciem ferme reddunt. Nonnisi religiosam hi musici nostri lyram percolunt: habent enim symphonias octo, quae eorum lingua *pou* vocantur et cuique nomen est ex aliqua christiadum prece, uti *Pater noster, Ave Maria, Salve Regina* etc.

Verum enimvero quae digressio isthaec? Ad nostrum nunc sermonem redeamus. Dicebam igitur quod musici eiusmodi supplicationem praecedebant, quam certe pulchriorem suis reddebant harmoniis: deinde Crux inter acolythos ceroferarios delata, postea veniebant viginti circiter Seminarii Alumni, octo presbyteri indigeni et totidem Ordinis nostri Religiosi, omnes propriis vestibus induti, ut in missa pontificali mos est, ac tandem Electus cum Episcopis, qui ecclesiam inter magnam populi devotamque multitudinem ingrediuntur. Supervacaneum puto hic describere consecrationis episcopalis ritus et cæremonias, quae semper magnificae sunt atque solemnes, augustiusque reddunt sanctuarium ipsum quo peraguntur; sed solum et per transennam dicam sacro sensu affectos fuisse Sinenses fideles illas contemplantes; attentissime enim ritus adhibitos Romani pontificalis sequebantur, magnaque admiratione repleti facile videbantur. Magnam et iuvenis ille Praelatus commotionem experiebatur, cuius nec genae lacrymis caruere.

Post gratiarum actiones iterum processio, ut antea descripsimus, ordinatur; cumque Episcopi et Presbyteri sese domo recepissent et parum quieverint in aula quadam spatiosa, amoris et devotionis significatio Europæis ipsis insueta habita est. Plus quam mille et quingentorum hominum turba ordinatim bini et bini veniebant, ut suam Neoepiscopo observantiam et pietatem exhiberent, sacrum annulum deoscularent et benedictionem reciperent: quorum multi longum iter susceperunt ut optata huius diei festi laetitia fruerentur. Nec parum equidem solatii erat rudibus hisce nostrorum montium fidelibus, auspicem divinorum munerum familiis suis novi Episcopi benedictionem adferre. Oh! quoties vespertino hyemis tempore eorum sermones, quos nedum ad christifideles sed et ad paganos conferendi sunt, in hanc solemnem cæremoniam incident, qua Ecclesia catholica magni sacerdotii sui haudumquam abrumpendam successionem perpetuo conservat, prout illam viderunt die prima Novembris anni 1885 in aede cathedrali de *Tai-iuen-fou!*

Novi Episcopi consecratione peracta, Synodus regionalis auspicata est, in cuius primo conventu Rmus DD. Hammer a tribus Franciscanis Episcopis Synodi Praeses eligitur: Deinde officialium electio de more facta est. Conventus quotidie fiebant. Sessiones vero solemnes die dominico in ecclesia habebantur:

in his porro accessus reditusque cleri eadem prorsus pompa prosequebantur ac in die consecrationis; idemque chorus musices harmonias melodesque suas cum in sacro Cleri comitatu tum in Missa, quae pontificali ritu ab uno celebrabatur Episcoporum, penitus exhauriebat. Post solemne sacrum, Sinarum sermone concionem ad populum super Synodi auctoritate et utilitate fiebat. Quo in munere doctiores audivimus, qui in hac regione extant, praedicatores, nimirum P. Franciscum Fogolla, Ordinis nostri et P. Bonaventuram *Tien*, presbyterum indigenam. Absoluta concione, Synodi a secretis confecta in congregationibus praeparatoriis decreta e pergamo legebat, et scrutator officialis ab episcopis votum exquirebat, incipiens a iuniore; et cum *placent* Episcopus respondisset, Notario Synodi innuebat sedenti in medio Ecclesiae, qui pro uniuscuiusque responso actum rite conficiebat. In prima porro sessione promulgata fuerunt decreta Synodi praecedentis, iam a S. Congregatione de Propaganda Fide adprobata: et quae in eis populum respiciebant vernaculo sermone lecta sunt. In ultima vero Rmus Praeses solemniter clerum omnem et populum benedixit, prout in Pontificali praescribitur.

Qua novitatis admiratione commotus fuerit populus ille frequens qui aderat, et quomodo conabatur ad Cleri circulum propius accedere, oculos figere, auresque intendere, ut nihil ipsis effugeret eorum quae fiebant et dicebantur, non meae sane exiguitatis est calamo describere, sed tui potius animi magno sensu concipere.

Attamen haud satis! Synodales Patres grati animi ergo iusta persolvunt animabus Episcoporum Francisealium, Cosi et Chiais defunctorum; quippe ille Synodo proxime praecedenti interfuerit, iste ad eam venire praepeditus, suum miserit Coadiutorem. Sed adhuc benefactorum memoria preces et sacrificia expetebat, et Patres illi pro incolumitate SSmi D. N. Papae Leonis XIII sacrum solemniter celebrarunt; itemque pro opere Fidei propagandae Lugduni instituto, nec non pro Opere a S. Infantia nuncupato: quibus insuper auspicia et vota insigniter dedidere.

En, Pater optime, quomodo et nobis indignis evenit quod Paulus experiebatur; quia si abundant passiones Christi in nobis, in Christo etiam abundat consolatio nostra.

Optime nosti quae sit valetudo venerabilis Vicarii nostri Apostolici D. Moccagatta. Senes iste annis (77.) laboribusque distentus ab suo cubiculo recedere amplius vetatur. Synodi tempore apud illum erat conversatio nostra. Patres, qui in Chan-sy commorantur, ad *Tai-iuen-fou* redierant, praeter P. Augustinum Fay, cuius districtus nimis ab hac nostra distat residentia. Oh! si nobiscum hisce nostrarum rerum in adiunctis fuisses, Pater amantissime, quanta cordis laetitia perfusus esses videns duodecim filios tuos hic congregatos, quorum quatuor (si ipsum Hammer excipimus) crucem episcopalem pectore suo gestabant! Iterum sane notum Tibi hic praesenti fuisset, quod comitatem hilaritatemque festivam, quae Franciscalium omnium est haereditas sancta, velut praecipuum vitae suae condimentum habeant Sinarum Missionarii.

Synodus absoluta est die 15 Novembris: et proxime insequenti die Patres inter oscula et amplexus discedebant. Rmi DD. Pagnucci et Hammer insimul redibant omnium primi, suorum munerum curis adacti, Shang-hai ille, alter Pechinum adituri. Quilibet porro Missionariorum suum repetiit districtum; et Rmus Geremia post aliquot dies et ipse discessit, Chan-tong versus pergens una cum P. Ioachino Orsi.

Haec laeta habui, Rme Pater, et scripsi ut ipse laeteris. Missio te nostra tota salutat, benedictionemque tuam quamhumillime efflagitat.

P. T. Rmae

Addictissimus filius

Fr. Hugolinus a Dorlanio, Min. Obs.

IV.
VARIA

—

BREVIS CONSPECTUS
Kalendarii pro anno 1887.

—

Litt. Domic. B; Litt. Martyrol. f; Epact. VI; aur. numer. 7; Cycl. solar. XX; Indict. Roman. XV.

Quatuor anni Tempora.

2. 4. 5. Mart. — 1. 3. 4. Jun. — 21. 23. 24. Septemb. — 14. 16. 17. Decemb.

Officia Defunctorum.

18. Febr. — 13. Jul. — 16. Septemb. — 26. Octob. — 2. Novemb. — 2. Decemb.

—

Jan. 1. Sab. Circumcisio Dni.
» 2. Dom. (vac.) Octav. S. Stephani.
» 9. Dom. infr. oct. et I. post Epiph.
» 16. Dom. II. p. Epiph. Ss. Berardi etc. Mm.
» 23. Dom. III. p. Epiph. Desponsat. B.M.V.
» 30. Dom. IV. p. Epiph. S. Hyacinthae V.
Febr. 5. Sab. Ss. Petri-Bapt. etc. Mm. 9. l. com. et ult. Evang. Dom. V. p. Epiph.
» 6. Dom. Septuagesimae.
» 8. Fer. 3. Orationis Dni.
» 13. Dom. Sexages.
» 15. Fer. 3. Passionis Dni.
» 20. Dom. Quinquag.
» 23. Fer. 4. Cinerum.
» 25. Fer. 6. Spineae coronae Dni.
» 27. Dom. I. Quadrag.
Mart. 4. Ss. Lanceae et clavor. Dni.
» 6. Dom. II. Quadrag.
» 7. Fer. 2. S. Coletae V. 2. O. d. 2. cl. (fuit heri) 9. l. et ult. Evang. Fer., com. S. Thomae Aquin. C. D., (*) Fer. ac (in Laud. et Miss. priv. tant.) simpl.
» 11. Fer. 6. Ss. Sindonis Dni.
» 13. Dom. III. Quadrag.
» 18. Fer. 6. Ss. V Vulner. Dni.
» 20. Dom. IV. Quadrag.
» 25. Fer. 6. Annuntiatio B. M. V.
» 27. Dom. Passionis.
Apr. 1. Fer. 6. VII Dolor. B. M. V.
» 3. Dom. Palmarum.
» 4. Fer. 2. maj. hebdom.
» 5. Fer. 3. » »

(*) Festa Sanctorum Ecclesiae Doctorum impedita iuxta Litteras Apostolicas diei 28 Iul. 1882 transferri debent, si ad hoc sufficientes dies liberi habeantur. In casu autem, quo *apud nos* Festum dupl. 2. cl. impeditum in diem immediate sequentem reponendum est iuxta privilegium Ordini nostro sub die 17 Ianuarii 1883 concessum: de Festis Ss. Doctorum, et etiam dupl. maioribus, in tali die occurrentibus fit *ad instar simplicis*, prout patet ex verbis praefati privilegii. (Cfr. *Acta*, ann. II., pag. 39.)

» 6. Fer. 4. » »
» 7. Fer. 5. in Coena Dni.
» 8. Fer. 6. in Parasceve Dni.
» 9. Sab. sancto.
» 10. Dom. Resurrect. Dni.
» 11. Fer. 2. Pasch.
» 12. Fer. 3. Pasch.
» 13. Fer. 4. infr. oct. Pasch.
» 14. Fer. 5. » » »
» 15. Fer. 6. » » »
» 16. Sab. in Albis (renovatio professionis)
» 17. Dom. in Albis.
» 18. Fer. 2. S. Raphaelis Archang. (fuit 16. huj.)
» 19. Fer. 3. S. Benedicti a S. Phil. C. d. 2. cl. (fuit 3. huj.) 9. l. (ex 3) et com. (in Laud. et Miss. priv. tant.) B. Conradi ab Asc., pro quo Secr. et Postcom. ex Miss. *Os justi.*
» 24. Dom. 2. p. Pasch. Ss. Sepulchri Dni.
Maj. 1. Dom. 3. p. Pasch. Ss. Philippi et Jacobi App. (*) — In Vesp. com seq. et S. Athanasii Ep. C. D.
» 2. Fer. 2. Patrocinium S. Joseph (fuit heri) 9. l. (ex 3.) et com. S. Athanasii. Vesp. seq. com. praec. et S. Athan. (**)
» 8. Dom. 4. p. Pasch. Apparitio S. Michaelis.
» 15. Dom. 5. p. Pasch. Dedicatio Basil. Assisien.
» 16. 17. 18. dies Rogat., Process. et lytan. omn. Sanctor. O. N.
» 18. Fer. 4. . . . 9. l. com. et ult. Evang. vigil. Ascens.
» 19. Fer. 5. Ascensio Dni.
» 22. Dom. 6. p. Pasch. De Dom. infr. oct. Ascens.
» 26. Fer. 5. Octava Ascens. Dni.
» 27. Fer. 6. . . . com. Fer.
» 28. Sab. Vigil. Pent.
» 29. Dom. Pentecostes.
» 30. Fer. 2. Pent.
» 31. Fer. 3. Pent.
Iun. 1. Fer. 4. infr. oct. Pent.
» 2. Fer. 5. » » »
» 3. Fer. 6. » » »

(*) S. R. C. 11. Sept. 1847, *in Papien.*
(**) Ubi S. Crux est titulus, non fit com. S. Athanasii.

» 4. Sab. » » »
» 5. Dom. SS. Trinitatis.
» 9. Fer. 5. Ss. Corporis Christi.
» 10. Fer. 6. De infr. oct. Corp. Chr.
» 11. Sab. » » » » »
» 12. Dom. 2. p. Pent. de Dom. infr. oct. Corp. Chr.
» 13. Fer. 2. De infr. oct. Corp. Chr.
Ubi S. Antonius est Patronus, hodie ipsius Festum celebratur cum commem. oct. Corp. Chr., et sequentibus diebus (exc. d. 17) fit comm. oct. S. Antonii.
» 14. Fer. 3. De infr. oct. Corp. Chr.
» 15. Fer. 4. » » » » »
» 16. Fer. 5. Octava ss. Corp. Chr.
» 17. Fer. 6. Ss. Cordis Jesu, 9. l. (ex 3.) et com. S. Bonifacii M. In Vesp. com. seq. S. Augustini E. C. et S. Bonifacii tant.
» 18. Sab. S. Antonii Pad. C. d. 2. cl. cum resid. oct. (fuit 13. huj.) 9. l. (ex 3) et com. S. August. ac (in Laud. et Miss. priv. tant.) simpl.
Ubi S. Antonius est Patronus, hodie fit de S. Augustino Ep. C. cum 9. l. simp. et com. oct. S. Ant. et simp.
» 19. Dom. 3. p. Pent. B. Michelinae Vid. com. Dom. oct. et simp.
» 20. Fer. 2. Octava S. Antonii.
» 26. Dom. 4. p. Pent. Ss. Joannis et Pauli Mm.
Jul. 3. Dom. 5. p. Pent. Pretiosissimi Sanguin. Dni.
» 10. Dom. 6. p. Pent. De ea.
» 17. Dom. 7. p. Pent. S Alexii C.
» 23. Sab. . . . 9. l. com. et ult. Evang. vigil.
» 24. Dom. 8. p. Pent. S. Francisci Sol. C.
» 31. Dom. 9. p. Pent. (1. Aug.) S. Ignatii C.
Aug. 7. Dom. 10. p. Pent. (2. Aug.) S. Cajetani C.
» 13. Sab. . . . 9. l. vig., com. oct. S. Clarae ac S. Laur., vig. et simp.
» 14. Dom. 11. p. Pent. (3. Aug.) B. Sanctes C.
» 21. Dom. 12. p. Pent. (4. Aug.) S. Joachim. C.
» 28. Dom. 13. p. Pent. (5. Aug.) Purissimi Cord. B. M. V.
Sept. 4. Dom. 14. p. Pent. (1. Sept.) S. Rosae Viterb. V.
» 11. Dom. 15. p. Pent. (2. Sept.) Ss. Nominis Mariae.
» 18. Dom. 16. p. Pent. (3. Sept.) VII Dolor. B. M. V.
» 25. Dom. 17. p. Pent. (4. Sept.) B. M. V. de Mercede.
Oct. 2. Dom. 18. p. Pent. (1. Oct.) Ss. Rosarii B. M. V.
» 9. Dom. 19. p. Pent. (2. Oct.) Maternitatis B. M. V.
» 16. Dom. 20. p. Pent. (3. Oct.) Puritatis B. M. V.
» 23. Dom. 21. p. Pent. (4. Oct.) S. Joann. a Capistr. C.
» 30. Dom. 22. p. Pent. (1. Nov.) De ea.
Nov. 2. Fer. 4. De oct. omn. Sanctor. — Comm. omn. fidel. defunct.
» 6. Dom. 23. p. Pent. (3. Nov. — 2. cum sua hebd. omittit.) De ea.
» 13. Dom. 24. p. Pent., 1. e. 6. quae superfuit p. Epiph., (4. Nov.) Patrocinium B. M. V.
» 20. Dom. 25. i. e. ult. p. Pent. (5. Nov.) S. Felicis C.
» 27. Dom. I. Adventus.
Dec. 4. Dom. II. Adventus.
» 11. Dom. III. Adventus.
» 18. Dom. IV. Adventus,
» 25. Dom. (vac.) Nativitas Dni.
» 30. Fer. 6. De Dom. infr. oct. Nativ. Dni.

—

Festa duplicia maiora et Ss. Ecclesiae Doctorum transferenda, in quantum dies ad hoc sufficientes habentur:

Ex 23. Febr: Cathedr. S. Petri Antioch. (ad 16 Mart.)
» 20. Mart: B. Ioann. a Parma C. — (ad 31 Mart.)
» 25. Mart: Ss. Sanguin. Dni — (ad 26. Mart.)
» 4 April: S. Isidori E. C. D. (ad 20 April.)
» 11 April: S. Leonis I. P. C. D. (ob defectum diei liberae hoc anno nihil.)
» 24 April: S. Fidelis M. — (ad 8. Jun.)
» 19. Maii: S. Ivonis C. — (ad 3. Nov.)
» 29. Maii: B. Ioann. a Prado M. — (ad 1. Dec.)

» 30. Maii: S. Ferdinandi C. — (ad 9. Dec.)
» 11. Jun: S. Barnabae Ap. — (ad 31. Oct.)
» 12. Jun: E. Guidi C. — (ad 22. Dec; pro com. B. Hugolini Secr. et Postcom. ex Missa *Justus*.)
» 16. Jun: B. M. V. de Succursu, — (ad 6. Sept.)
» 11. Septemb: S. Alphonsi M. Ep. C. D. — (hoc ann. ad instar simpl.)
» 2. Octob: Ss. Angelorum Custodum — (ad 29. Oct.)
» 27. Novemb: B. Delphinae V. — (hoc anno ad instar simpl.)
» 4. Decemb: S. Petri Chrysol. Ep. C. D. (hoc anno ad instar simpl.)
» 18. Decemb: Expectatio partus B. M. V. — (ad 19. Dec.)

NOTA. — Dies hic in parenthesi pro translatione indicati valent solummodo pro illis locis, quibus pro dictis diebus aliquod festum non est fixe assignatum, et ubi alia festa maioris ritus aut dignitatis non sunt transferenda.

—

Ubique nihil fit de sequentibus Festis:

7 April. B. Antoniae a Florentia V.
8 » C. Julani a S. August. C.
9 » B. Archangeli a Calat. C.
10 » B. Caroli a Setia C.
11 » S. Leonis I. P. C. D.
12 » B. Angeli a Clavasio C.
31 Maii: B. Gherardi C. et S. Petronillae V.
9 Iun: S. Pauli a Cruce C., ac Ss. Primi et Feliciani Mm.

—

Initia librorum S. Scripturae sequentibus diebus ponenda sunt, nisi forsitam alicubi istis diebus aliquod Festum proprias lectiones primi nocturni habens occurrat:

9. Ian: Epist. I. ad Corinth.
17. » Epist. II. ad Corinth.
24. » Epist. ad Galat.
26. » Epist. ad Ephes.
31. » Epist. ad Philippens.
3. Febr: Epist. ad Coloss. (1) et Epist. I. ad Thessalonic. (2. 3)
6. » Lib. Genesis.
22. April: Lib. Act. Apostolorum.
4. Maii: Apocalypsis b. Ioann. Ap.
9. » Epist. b. Iacobi Ap.
16. » Epist. I. b. Petri Ap.
21. » Epist. II. b. Petri Ap.
22. » Epist. I. b. Ioann. Ap.
27. » Epist. II. (1.) et Epist. III. (2. 3) b. Joann. Ap.
28. » Epist. b. Judae Ap.
6. Jun: Lib. I. Regum.
5. Jul: Lib. II. Regum.
17. » Lib. III. Regnm.
31. » Parabolae Salomonis.
7. Augusti: Lib. Ecclesiastes.
14. » Lib. Sapientiae.
23. » Lib. Ecclesiastici.
5. » Septemb: Lib. Job.
19. » Lib. Tobiae.
26. » Lib. Judith.
1. Octob: Lib. Esther,
3. » Lib. I. Machabaeor.
24. » Lib. II. Machabaeor.
27. » *Igitur Eleazarus*, ex Dom. V. Oct.
30. » Ezechiel.
6. Novemb: Daniel.
14. » Oseas.
15. » Joel.
17. » Amos, Abdias, Jonas.
20. » Michaeas.
24. » Nahum, Habacuc, Sophonias.
25. » Aggaeus, Zacharias, Malachias.
30. Decemb: Epist. ad Romanos.

VENERABILIS MATER MARIA DE AGREDA. — Nuperrime apud Typographum Frid. Pustet, Ratisbonae (Regensburg) in lucem prodiit « *Mystica Civitas Dei* » a Ven. Maria de Jesu, Abatissae Conceptionistarum in Monasterio Agredae, Hispanico idiomate in linguam germanicam translata » (1).

Valde gaudemus de hac editione a quodam alumno Ord. S. Benedicti exarata, non solum quia ex originali tanta diligentia fuerit translata, ut etiam genius linguae originalis in ea quodammodo reperiatur, sed etiam propter pretiosissimas annotationes criticas et glossas ad textum adnexas. Hinc praefatum opus praesertim Fratribus nostris in Austria, Germania et America septentrionali degentibus commendamus, ad maiorem gloriam Immaculatae Virginis MARIAE, principalissimae Ordinis nostri Patronae.

(1) Cfr. *Acta*, praecedenti fasciculo, pag. 65.

Non minori laude dignam iudicamus editionem italicam, Taurini publici iuris factam, (Vide infra Bibliographiam) ab egregio sacerdote Joanne Cereseto, eamque Fratribus nostris Italiae commendatam volumus.

Insuper universi Ordinis Fratres ac Sorores enixe hortamur ut DOMINUM exorare velint pro causa Beatificationis denuo assumenda inclytae DEI Famulae Ven. Mariae de Agreda, ut si ita SPIRITUI SANCTO placuerit, inter coelites cum DEO regnantes eamdem invocare tandem gaudeamus.

V.
BIBLIOGRAPHIA

—

A. P. AGOSTINO DA MONTEFELTRO, dei MM. RR., gloria dell' Ordine, onore del nome italiano — (Obsequium Pisanorum post quadragesimae conciones praelaudato Patri exhibitum). — In Pisa, dalla tipografia di Francesco Mariotti, Piazza dei Cavalieri, N. 5. 1886. In-8° pag. XII-187 — (L. 3, 50, a benefizio degli Asili infantili fondati dalle Signore Pisane e diretti dalle Suore di Carità).

AGREDA (SUOR MARIA DI GESÙ D') —

Mistica Città di DIO, miracolo della sua onnipotenza ed abisso della grazia, istoria divina e vita della Vergine Madre di DIO, regina e Signora nostra, MARIA Santissima, riparatrice della colpa d' Eva e Mediatrice della grazia, manifestata in questi ultimi secoli dalla stessa Signora alla sua serva Suor Maria di Gesù, Abbadessa del monastero dell' Imm. Concezione della città d' Agreda, per nuova luce del mondo, allegrezza della S. Chiesa Cattolica e confidenza dei mortali. — Versione dal testo originale spagnuolo, coll' aggiunta di note tratte dai Santi Padri, dalla storia ecclesiastica e dalle scienze sacra e profana, per opera del sacerdote Gio. Cereseto. Opera completa, legata in rustico. L. 25. Edizione econ. L. 15 senza note L. 10.

— Torino, Tipografia B. Canonica e figli, Via Botero N· 8. In 8. vol. 3.

P. ALESSANDRO BARONI. — La Scuola Francescana, guidata dal suo Serafico Dottore, S. Bonaventura da Bagnorea in conformità dei principii del Dottore Angelico S. Tommaso d'Aquino nella quaestione scolastica sulla composizione sostanziale dei corpi. Cenni dialettici del P. Alessandro Baroni, Minore Osservante della Provincia Toscana. Volume I. II. III. (pag. 1774 in 8.) (L. 15.)

GABRIEL (RMUS. P.) DE VARCENO. —

Compendium Theologiae Moralis ex opere morali Scavini, Gury et Charmes concinnatum et ad sententias Constit. *Apostolicae Sedis* ac Sacr. Congregationum recentiorum decisionum redactum a Fr. Gabriele de Varceno, Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, Definitore Generali, Sacrae facultatis Lectore emerito, SS. Congreg. Concilii ac de Propaganda Fide Consultore, Theologo, Datariae et Cleri Romani examinatore Apostolico. Editio VIII. accuratius emendata et aucta. — Augustae Taurinorum, ex Typographia Pontificia et Archiepiscopali Eq. Petri Marietti, 1884. Tom. 2. — p. 672 — 680 (Libellae 13.)

GIANGIUSEPPE (M. R. P.) DELL' ADDOLORATA, Min. Alc. —

Incitamenti Serafici ai Frati Francescani dispersi. Traduzione di alcuni articoli del periodico intitolato *Acta Ordinis Minorum*, fatta dal M. R. P. Giangiuseppe dell' Addolorata, Proc. Gen. Alcantarino. — Roma. Tip. Istituto Pio IX, Artigianelli di S. Giuseppe. Via Monserrato, 149. 1886. In 16. pag. 257.

IGNATIUS (P.) JEILER. —

Leben der ehrwürdigen Klosterfrau MARIA CRESCENTIA Höss von Kaufbeuren aus dem dritten Orden des hl. Franciscus. Nach Acten ihrer Seligsprechung und andern zuverlässigen Quellen bearbeitet von P. Ignatius Jeiler, Ord. S. Franc. Prov. Saxon. S. Crucis, Lect. s. Theol. Dritte vermehrte Auflage. Dülmen, A. Laumann'sche Verlagshandlung.

LÉON (T. R. P.) DE CLARY, *Min. Obs.* —

L' Auréole séraphique: vie des Saints et Bienheureux des trois Ordres de Saint François par le T. R. P. Léon, de Clary, ex-Provincial des Franciscains de l' Observance. 4 volumes, in 12, *seconde édition,* 1886. Pa-

ris, librairie Bloud et Barral, 4 rue de Madame et rue de Rennes 59. (Prix: 14 francs; par colis postal 14, 85; par la poste, 16 fr.) s' adresser aussi chez les Sœurs Franciscaines, rue de la Teste, 38, Bordeaux. —

LODOVICO (P.) DA PIETRA. — Compendio della prodigiosa vita di Sant' Antonio da Padova. — Scafati, Tipografia e Libreria della *Campana del Mezzodì.* 1885.

LUDOVIC DE BESSE. (T. R. P.) des F. F. Min. Cap. — Association chrétienne des honnêtes gens sur le terrain des affaires. — Paris, chez le Directeur du Crédit mutuel et populaire, — 23 — Rue des Lombards. 1884.

MARIE, DE BREST (R. P.) *Min. Obs.* —
Vie abrégée de Sainte Marguerite de Cortone, du Tiers-Ordre de S. François d'Assise, suivie d'une neuvaine et de prières en son honneur, par le R. P. Marie, de Brest, Commissaire Général de Terre Sainte et Procureur des Missions Franciscaines. Fête: le 22 Février. — Paris, Librairie Veuve Magnin et Fils, Rue Honoré-Chevalier, 3. — 1886. In-32 — Pag. 80.

SINT FRANCISCUS. Maandschrift voor de Leden van de derde Orde.

Hoc periodicum mensile pro sodalibus tertii Ordinis editur a Patribus Provinciae Germaniae Inferioris. (Hollandia), a mense Januario 1886.

UBALD (P.) DE CHANDAY, Ord. Min. Cap. — Les Trois Frances. Société Générale de Librairie catholique. Paris. 1880.

V. V. (P.) —
Decimo sguardo all' Oriente: l'Albania. — Roma, Tipografia di Mario Armanni, nell' Orfanatrofio comunale. 1885, In-12, pag. 199. (L. 2.)

J. VETTER. —
L' ARA COELI: Souvenirs historiques, par J. Vetter, rédacteur au *Moniteur de Rome.* — Rome, imprimerie A. Befani, 1886. In-12 p. 124. (L. 2.) En vente aux bureaux du *Moniteur de Rome,* Via Celsa 8, Roma.

VI.
NECROLOGIA

Die 27 Decembris 1885 obiit in *Han-chung* R. P. BERARDUS AB OMNIBUS SANCTIS, Discalcetae Provinciae Neapolitanae filius, anno aetatis suae 51, qui adhuc Clericus in Americam meridionalem missus, ibidem annos 15 Missionarii munus exercuit; et anno 1874 ad Chen-sy in Sinis translatus, qua Seminarii Magister, anno 1883 ad novum Seminarium fundandum missus in *Han-chung,* pietate erga B. V. MARIAM maxime excelluit. R. I. P.

In Collegio S. Ioseph civitatis Taratae in Bolivia die 1. Ianuarii 1886 ex hac vita migravit R. P. CAROLUS MATTIONDA, Ref. Custodiae Niciensis filius, actualis Discretus et Procurator praefati Collegii, qui in eodem triginta tribus annis commoratus est, et religiosarum virtutum splendore semper enituit. R. I. P.

Adm. R. P. BONAVENTURA A CORDITO, Obs. Provinciae Neapolitanae alumnus, qui per annos 23 qua Missionarius in Custodia Terrae Sanctae fuit, et in Provinciam reversus per annos 9 qua Guardianus Surrenti in verbo DEI praedicando, et Fidelium confessionibus audiendis indefessus incubuit; in osculo DOMINI obiit die 26 Martii 1886 anno aetatis suae 61. R. I. P.

ADM. R. P. DONATUS ANTONIUS A CORDE IESU, Discalceatae Provinciae Neapolitanae alumnus, natus Castramoris Stabiae die 16 Ianuarii 1813, Ordinem Nostrum inter Discalceatos ingressus die 3 Febr. 1833, Lectoris, et saepius Guardiani munere functus est. Anno 1860 Minister Provincialis electus, cum ad Generale Capitulum anni 1862 accedere nequiverit, absens in Procuratorem Generalem Discalceatorum et Recollectorum die 10 Iunii in eodem Capitulo electus fuit. Expleto huiusmodi Procuratoris Generalis officio, in Provinciam rediit, quam bis ceu Vicarius Provincialis rexit. Obiit 23 Aprilis 1886 in die Parasceve, qui in vita erga DOMINI Passionem valde devotus, eam saepissime Sacro Viae Crucis exercitio meditabatur. R. I. P.

Nihil obstat.
FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX SACRA RITUUM CONGREGATIONE

—

DAMASCENA

BEATIFICATIONIS *seu declarationis Martyrii Venerabilium Servorum Dei* Fr. EMMANUELIS RUIZ, *Ordinis Minorum Observantium, et* SEPTEM SOCIORUM.

ANIMADVERSIONES PROMOTORIS FIDEI

(Continuatio)

Nec etiam, nisi fallaciter, optio iis data a persecutoribus vel moriendi vel catholicam fidem repudiandi. Pari quippe modo occisi sunt, tum qui a fide recesserunt, tum qui constantes in ea perseverarunt, uti pariter testes omnes asserunt. Non igitur propriae sectae zelus, non odium christianae religionis, saltem directe, illos ad occisionem excitavit; secus enim illos qui Islamismum amplexi sunt, servassent. Eo malo spiritu inflammati egerunt, quo et Hebraeos, et cuiusvis religionis asseclas interemissent (quos omnes *infideles* vocant et oderunt) qui vectigal non persolvissent, Europaeos autem prae ceteris, quia iugum ab istis sibi impositum phanaticae turbae tolerare nolunt. Quanto ergo magis sacerdotes, Christianorum duces ac magistros? Atqui, inquies, sodales Franciscanos nulla lex adigebat ad vectigal persolvendum. Esto: numquid ex hoc arguas solum ex odio in Fidem interemptos? Nonne eorumdem consilio potuit a praedonibus illis tribui quod Christiani tributum persolvere renuissent?

Adde quod neque singulis Franciscanis optio data sit vel recedendi a Fide, vel moriendi; adeo ut, praeter dicta, de omnium constantia in perferenda morte haudquaquam constet. Optio quidem data Patri Petro Soler, P. Carmelo Botta ac P. Angelo Kolland, quibus adiungendus P. Emmanuel Ruiz, qui postquam sacrâ se Eucharistiâ refecisset, occisus est ad altare. Profecto, si idonea extitisset ex parte persecutorum martyrii causa, de declaratione martyrii istorum, iudicium introduci posse non ego intercederem. At de reliquis hoc unum scimus, eos fuisse occisos; quos inter Fr. Franciscus et Fr. Jacobus, Sodales operarii, ex turri campanaria praecipites acti: Franciscus illico obiit, alter gladio postero die interemptus. Quis ergo certiores nos reddat de eorum voluntate et constantia in morte ferenda? Quis asserere tuto possit, lubentes pro CHRISTI fide vitam dedisse?

Neque scio an laudandus sit ille P. Angelus et alter Franciscanus, (quinam fuerit ignotum est,) qui, Sodalibus relictis, a coenobio fugerunt, et in cuiusdam aedibus sese receperunt, ubi muliebri velo amicti, in cubiculo cum pluribus mulieribus totam noctem transegerunt. Orta autem die, uterque inde recessit; at P. Angelus paullo post illuc reversus est, ibique mortem invenit. Haec sane, ut minimum dicam, prudentiam viri parum commendant, neque multam produnt martyrii faciendi voluntatem. Sed hunc et Socios ideo excusatos habeo, quia probe norant non se martyrium facturos, si occiderentur, sed victimas tantummodo futuras obortae seditionis barbararum cohortium, quae de non soluto a

Christianis vectigali poenas indiscriminatim et tumultuarie petebant.

Ceterum, ex testis primi relatione, dubium cieri posset num plures quam octo fuerint Franciscales a barbaris interempti. Hic enim ad interrogatorium XIX non octo, at decem vel duodecim recenset. Cur, si eadem fuit occisionis causa, non etiam hi alii ut martyres habendi? Id sane per testes licet, qui famam de martyrio sodalium Franciscalium ideo tantum in populo excitatam fuisse, ac modo vigere contendunt, quia rudes homines tenent ad martyrium constituendum sufficere mortem fuisse irrogatam ab adversariis catholicae fidei, quin ulla habeatur ratio de causa propter quam ille occisus fuerit.

Ceterum, quodnam est obsequium quo christianus populus Damasci hos martyres modo prosequitur? Nullum. Nam si unum excipias testem 7um, qui ad locum ubi sepulti iacent (in cella vinaria) bis accessit, nemo ex testibus se illuc accessisse, vel eorum invocasse intercessionem asserit. Quae signorum fama? Pariter nulla, si sanationem excipias ab eodem teste acceptam a capitis dolore quae non solum naturalis omnino videtur, sed ceteris omnibus ignota mansit. Quod autem testis 12us quadam nocte viderit lumen et fumum incensi in cella vinaria, prope sepulchrum Franciscalium, id ne *Jacobitae* testis phantasiae tribuam, nihil habet supernaturalis; cellae enim illi aditus patebat per depressas angustasque fenestras. Nonne itaque eo quisque ingredi potuit, lumen ac fumum adducturus?

Ergo adhuc plura desiderari posse videntur, ut ea qua decet maturitate iudicii, consuli queat: signandam esse Commissionem Introductionis Causae. Haec enim Commissio asserere certo debet *veram et solidam famam martyrii et signorum et devotionem conceptam in pluribus mundi partibus, et invocationem Servorum Dei.*

Quae dicta sint sub censura, salvo etc.

AUGUSTINUS CAPRARA
S. Fidei Promotor

RESPONSIO ADVOCATI AD ANIMADVERSIONES PROMOTORIS FIDEI.

Quum Advocatus responsum dedisset cunctis animadversionibus quoad actorum formam, transiit ad diluendas illas quae respiciunt collectarum depositionum substantiam, et ait: Quaeritur Censor testes non fuisse, nec de vi et gravitate iuramenti monitos, nec super *generalia*, quae audiunt, rogatos. At quoad primum, licet acta explicite non referant monitionem super vi et gravitate iuramenti esse factam, non ideo concludendum est, eam fuisse omissam. Quidquid tamen sit; haec monitio, licet utilis, non tamen necessaria est, nec ab ulla lege pro examinum validitate, in actis praesertim ordinaria auctoritate confectis, requiritur. Quisquis enim, qui vix primis catholicae fidei rudimentis imbutus fuerit, probe noscit quanta sit iurisiurandi gravitas, quantaque periurii nefanditas ac scelus abnormissimum. Quoad alterum vero, cum ordinaria inquisitio nonnisi iuris communis normas servare teneatur, nil aliud Censor potest a iudicibus requirere, nisi ut ipsi in testium examine iis generalitatibus satisfaciant, quae ius commune praescribit. *Iamvero in casu* nostro iudices, singulos testes de *nomine,* cognomine, aetate, patria rogarunt; singulos ad examen non admiserunt, nisi prius iuratos de veritate dicenda secretoque servando. Si aliae generales interrogationes in Sacra Rituum Congregatione testibus fieri consuetae heic deficiunt, advertendum est haec acta fuisse confecta Damasci, urbe ab Apostolica Sede valde dissita, in qua a Missionariis ad animarum conversionem assiduis laboribus intentis non ea requiri potest iuris nostri peritia, quae alios Antistites distinguit; ita ut potius admirandum sit tanta sedulitate eadem acta fuisse perfecta, ut nullum substantiae defectum complectantur, ac in pluribus, nedum communis iuris normas, sed ipsas peculiares nostrae Congregationis constitutiones ad unguem servatas ostendant.

Nec quidquam officit Judices ab Ordinario deputatos huius fori consuetudinis ignaros una cum processualibus actis litteras suas ad Sacram hanc Congnem super testium fide non dedisse. Siquidem edocet Bened. XIV, lib. 2, cap. 50, n. 4: *necessitatem Sanctam ipsam Sedem certiorem reddendi de fide testibus examinatis tribuenda derivari a formula Litterarum Remissorialium et per consequens esse coercitam intra solos Processus Apostolicos.*

Verum estne propter hunc defectum dubium movendum de fide testibus habenda? Minime gentium; nulla enim adest ratio, quae hoc dubium cohonestet. Siquidem in re nostra valet iuris adagium « nemo praesumitur malus nisi probetur » praesertim cum de periurii crimine agatur, quod apud omnes gentes semper uti gravissimum habitum est. Heic autem habemus decem et octo testes, natione, patria, religione diversos, nullo necessitudinis vinculo inter se coniunctos, qui deponunt unanimi consensione de saeva persecutione ante omnium oculos religiosis viris a Mahumetanis illata, immeritoque funere iisdem inflicto. Tristia haec facta sciebant Damasceni cives, iudices noverant, totum late per orbem fama vulgaverat. His igitur in adiunctis receptae criticae regulae suadent plenam testibus fidem esse tribuendam.

Verum et alius metus Censoris praestantissimi animum ingruit, *ne scilicet Testes vel omnes, vel eorum aliquis fuerit a Postulatore edoctus de modo, quo sese in testificando gerere deberet.* Plura contra eiusmodi animadversionem congessit advocatus, et prosequutus est, at quid in hac animadversione enodanda diutius immoror? Plene diluitur, si advertatur Postulatorem dixisse quidem coram Judicibus praefatum testem, antequam sacrum Tribunal adiret, fuisse extraiudicialiter examinatum; non autem fuisse de responsionibus edoctum. Quanta autem inter utrumque sit diversitas s. Fidei Vindicem ptaestantissimum, quo pollet ingenii acumine latere non potest. Ceterum nedum ullo iure impeditur, quin imo eidem iuri consentaneum est, ut Postulator, antequam testem aliquem inducat, eum examinet, ut videat, num factorum super quibus indicitur, callens sit; ac ita tempus laboresque haud inaniter terantur, eos inducendo, qui se rerum demonstrandarum inscios exhibent. Allatus igitur contextus, ita est explicandus. Postulator iudices rogavit, ut Testem 12,um quo ipso die iusiurandum ediderat, examini subiicerent; siquidem, uti civilis status Officialis, haud potis erat altera vice sacrum Tribunal adire; hoc autem eo vel magis, quod iam super factis in sacro Tribunali deponendis auditus extraiudicialiter erat, repertusque veluti de iisdem optime imbutus; proinde, uti eius examen quam maxime causae conferebat, ita eiusdem defectus gravi poterat esse detrimento. His autem rationibus iudices permoti Postulatoris petitioni annuendum censuere.

Nescio autem qua de causa s. Fidei Vindex tantopere miretur etiam Romae innotuisse quid testes in actis deposuerint, dum postea et ipse ultro fateatur id evenire potuisse cum publici iuris Processus factus sit. Nec aliter rem esse patet ex eodem dato quo litterae, ad quas animadversor appellat, conscriptae fuerunt. Dum enim Processus publicatus est die 26 Novembris anni 1872, prima ex eisdem litteris a P. Ludovico a Ravenna remissa, datum refert die 7 Julii sequioris anni 1873; proindeque exarata apparet plures menses post eiusdem Processus publicationem.

Verum contrectatorem optimum non tam movet quaestio, utrum quae testes dixerint Romae innotuerint, ante vel post processus publicationem; quam quae auctoritas praefatis epistolis sit tribuenda, dum processui inseri potuerint tantum extraiudicialiter.

Huic difficultati reponit patronus, aiens, hasce litteras reapse posuisse extra summarii molem. Immerito autem praesumitur eas expungendas esse ex actis processualibus decreto Innocentii XI, siquidem eas praefatum decretum non attingit. Re quidem vera cum illud coarctativum sit, iuxta notissimum iuris adagium — *odia sunt restringenda* — stricte pollet interpretatione, nec ultra casus in eodem contemplatos est ulla ratione extendendum.

Igitur iuxta decreti tenorem tantummodo impeditur quominus vel Postulatores, vel aliae quaevis personae cuiuscumque dignitatis audeant capere informationes, seu extraiudiciales testificationes, aut subscriptiones *super sanctitate aut miraculis* alicuius Servi Dei. Haec tantummodo non alia extraiudicialia documenta, si in processibus inserantur, nullius roboris sunt habenda, quin imo ex actis expungenda. Queis expositis, iam ex se patet non huius generis esse litteras a nobis superius allatas; non enim sanctitatis aut martyrii, non miraculorum famam attingunt, nihil habent quod ad gloriosum religiosorum hominum funus, effusumque invicta fortitudine pro Ecclesia Dei sanguinem referatur. Non inserviunt nisi ad dilucidanda facta quaedam ad generalem illius persequutionis historiam spectantia.

Queritur ulterius Animadversio, adeo ieiunas esse notiones quae a testibus traduntur, ut nullam datum sit abnormis illius christianorum cladis historiam ex iis conficere. Nec denegare possum processualia acta concise admodum fuisse confecta. Quod quidem condonandum Judicum dissitae illius regionis inexperientiae, qui Missionariorum munere fungentes potius ad lucrandas Christo animas, quam ad addiscendas iuris nostri normas intendat oportet. Dum vero summariam hanc actorum confectionem deploramus, pari ratione veritati inhaerentes sustinemus, quae in peracta inquisitione congesta sunt, sat esse ad hodiernam disquisitionem fausto omine absolvendam. Siquidem e testium depositionibus in patulo fit, tum mortis causam, tum praeclaram religiosorum hominum fortitudinem eam fuisse, quae inclytos viros veluti invictos Ecclesiae heroes praeclarosque martyres constituit.

Quoad vero litteras Patris Bonaventurae a Solero custodis Terrae Sanctae ad Ministrum Generalem totius Ordinis Minorum anno 1860 conscriptas, respondit patronus, iis non usum fuisse ad ostendendum causae meritum, sed quia continent multa scitu utilia. Ceterum licet nos iis ad thesim nostram demonstrandam usi non simus, nescio tamen an sustineri possit, quod tuto asserit Censor, in iisdem nullum probationis momentum adesse. Agitur enim de documento historico, publico ac coaevo, nemine contradicente exarato, facta referens quae ante omnium oculos contigerant.

Magistri nostri iuris definitione relata super fama martyrii, Censor petit, num huiusmodi sit ea, quae de nostris martyribus viget. Advocatus reponit: ipse contrectator noster denegare non potest, maiorem sanioremque partem eorum, qui coram iudicibus stetere, hanc martyrii famam penes populum vigentem confirmasse. Nec quidem ullus invenitur, qui eam inficiatus fuerit, vel eidem contradixerit. Attamen iuxta animadversorem qnatuor inter examinatos adsunt, qui rogati de martyrii nomine penes concives florente, se nihil hac de re scire responderunt. Esto: quidnam sunt quatuor qui se, non contradicentes, sed tantummodo ignaros exhibuerunt, dum quindecim habemus, qui unanimi consensione deponunt?

Verum solers contrectator noster admittens, quod denegare non poterat, maiorem testium partem de martyrii fama quoad religiosorum hominum funus in populis vigente concordi plausu deposuisse; subdit tamen eos non tantum heroas nostros, sed omnes qui in saeva persecutione a Mahumetanis illata interempti perierunt, uti martyres haberi. At quid nostra id refert? Nonne omnibus notum est immanem eam cladem fidei odio fuisse excitatam, pluresque martyres CHRISTI ecclesiae genuisse? Nos vero tuentes religiosos viros e Minorum Observantium familia mahumetana barbarie interemptos CHRISTI martyres fuisse, ceteros non exclusimus, sed tantummodo extra quaestionem fecimus. Insuper, ait patronus, nescio quo fundamento nitatur conclusio Promotoris fidei, pro rudibus simplicibusque hominibus eumdem sensum habere a Mahumetanis interimi, ac martyrem esse. Ast, quaeso, omnes Christifideles Aegyptum Syriamque incolentes, rudes ignarique homines sunt? Quid de tot missionariis egregiis, ad *plures religiosas* familias pertinentibus? Quid de sacerdotibus integerrimis animarumque pastoribus? Quid de ipsis Ecclesiarum Praesulibus? Omnes isti suntne inter ignaros rudesque recensendi? Ipsi autem vulgares homines probe sciunt, martyrem non esse, nisi qui pro CHRISTI fide summâ iniuriâ necatur.

Graviori tamen animadversione contrectator insurgit, ac probe advertens non tam *poenam*, quam *causam* esse quae martyres facit, contendit ex communi opinione descendere Damascenae christianorum caedis causam non religiosam, sed politicam fuisse. Quod ostendere nititur auctoritate quorumdam testium, qui dicunt immanem illam christiani sanguinis effusionem ex eo originem habuisse, quod catholici detrectarent tributa a civili auctoritate pro militibus imposita persolvere. Ad hanc difficultatem penitus diluendam, distinguendum est inter finalem persequutionis ac martyrii causam, et causam eius occasionalem. Saepe enim usuvenit ut persecutores, ad criminis immanitatem iniquis artibus tegendam, in odium fidei insontes religiososque viros interimant; attamen occasionem ac praetextum sumant ex civili vel politica quadam ratione. Ad rem haec habet Magister noster *lib. 3. c. 13. n. 12:* « Quaeres.... an ad martyrium satis sit ty-

rannum ad inferendam mortem moveri ex odio adversus fidem Christi, quamvis *occasionem* mortis desumat ex alia re, quae ad ipsam Christi fidem aut nihil pertineat, aut ex accidenti pertineat. *Affirmando respondetur, cum actus non ab occasione vel a causa impulsiva, sed a causa finali* veram sui speciem desumat.» Quam quidem doctrinam pluribus probat exemplis. Etiam nuperrime cum ageretur de approbando cultu immemorabili celeberrimo philosopho Severino Boetio, uti martyri Papiensi in Urbe tributo, Fidei Vindex opposuit eius mortis causam non religiosam, sed politicam fuisse; scilicet ob falsi delationem criminis, vel ob impensum studium libertatem senatorii Ordinis tuendi. Ex quo petebat, ut exularet martyrii mentio, cum martyrem non tam faciat poena, quam causa. Verum cum in defensione probatum fuerit politicum quidem fuisse praetextum et causam, quae morti inclyti illius philosophi occasionem dedit; ast causam finalem Theodoricum regem impellentem ad saeviendnm contra virum egregium, ceterosque illius aevi martyres, non fuisse nisi odium in catholicam fidem, ab Adriano Principe conceptum, cultum celeberrimo huic philosopho a vetustissima antiquitate veluti martyri tributum solemniter confirmatum fuit.

In themate, ait advocatus, ipsum factum onerum intolerabilium christianis impositorum revelare ex se motricem et finalem tantae persequutionis causam; ideo enim haec tributa eis imposita fuere, quia, uti Christi cultores, erant Mahumetano iugo opprimendi. Quidquid tamen sit, si ipsi renuebant imposita sibi onera exsolvere, haud civili auctoritati media deerant eos cogendi proportionatisque poenis coercendi. Quid econtra vidimus? Nil directe efficit civilis auctoritas. Non sunt eius ministri, non milites qui renuentes adigant; sed Drusi ac Mahumetani aliique barbari proximos pagos incolentes, qui urbem invadunt, nec renuentes tantum, sed quotquot inveniunt, Christifideles opprimunt, occisionibus ac rapinis incendia miscent, ingentem christianorum caedem perficiunt. Quae causa hos adegit ad tantum facinus perpetrandum? An tributa quae a quibusdam ex christianis persoluta non sunt? Quid iis intererat de tributis? Nonne manifestum est, odium, quo in Christum exardent, eos ad tantam caedem impulisse? Haec quidem omnia nil commune habent cum causa politica; et optime demonstrant immanem hanc persequutionem contra catholicam religionem unice fuisse excitatam. His autem accedit quod si, ut iam innui, onerum exsolvendorum renuentia finalis ac permovens excidii causa fuisset, eos poena impetere debebat, qui culpae auctores fuerant; at econtra in omnes inauditae crudelitatis clades conversa est praesertim vero in sacerdotes religiososque viros. Bened. XIV lib. 3 c. 14 n. 5 inter argumenta, quae probant persecutionem ex fidei odio fuisse excitatam, recenset optionem Christi fidelibus datam recedendi a fide ut mortem effugerent. *Ex impunitate seu liberatione martyri a tyranno oblata in eo rerum eventu, in quo a Fide Christi recederet.* Jamvero hanc optionem in themate non defuisse ex unanimi testium depositione descendit.

Unum esse Testem 2[um] qui deponat cladem illam ex odio in christianam fidem descendisse, heic animadversio contendit. At quid exinde, cum facta huius depositionis veritatem apprime confirment? Insuper quid aliud refert Testis 6[us] cum ad Interrogatorium quintum quanam de causa mota fuit persecutio? respondit: propter odium in christianos. Verum Censori non placet ratio a Teste 2° adducta ad ostendendum persequutionem ex fidei odio fuisse exortam, quia delineabant cruces in viis et obstringebant christianos ad eas conculcandas. At qua de causa? Nonne hoc est argumentum, quod apprime demonstrat, odium fidei efferatis hominibus suggessisse maximam hanc iniuriam, ut catholicos viros cogerent ad id conculcandum, quod ipsi veluti propriae fidei signum ac tesseram retinebant? Audite: quia, ut ipse subdit, iuxta ea quae in informatione leguntur, non omnes cogebant; sed tantum pueros. Esto: num ideo abnormis huius iniuriae ratio destruitur, vel minus liquido ostenditur odium in sanctissimam nostram fidem tantam immanitatem barbaris hominibus inspirasse? Quin imo succrescit tanti criminis atrocitas, cum in eos convertitur, quos eadem aetatis ratio debiliores reddit.

Politicam fuisse eiusdem caedis causam contendit Censor ex eo magis ostendi, quod barbari, ipso asserente, viros tantum occide-

rent; mulieres et pueros incolumes relinquerent, quod quidem dicit ab omnibus testibus affirmari. Verum non id asserit Testis 1[us] qui econtra mulieres puerosque eadem ratione ac viros se a Mahumetanis interemptos vidisse testatur. At concedamus, quod plures testes deponunt, mulieres puerosque generatim loquendo ab infidelibus esse servatos; qua ductus ratione Censor contendit ex hoc magis ostendi politicam fuisse tantae persequutionis causam? En eius verba: « Si Mahumetani non praedae « cupidine, sed praecipue odio in christianam « fidem excitati fuissent, certe non distinxis« sent fidem virorum a fide mulierum et puerorum ». Cui respondit advocatus: dici utique potest praedae cupidinem in efferato illarum belluarum pectore partem aliquam habuisse; dummodo tamen, praecipuus tantae caedis locus innato barbarorum odio in christianam fidem concedatur. Quin imo ipsa praedae cupido ex motrice hac causa descendit. Ideo enim Mahumetani cupiunt christianorum bona diripere, quia saeva rabie in catholicae Ecclesiae filios exardent. Jamvero praedae cupidinem in themate non primam ac impellentem, sed ad summum secundariam tantae caedis causam constituisse, ex eo descendit, quod, si contrarium foret, barbarorum actio directe substantias ac nonnisi indirecte personas respexisset. At econtra personas prius ad fidei apostasiam tentare, dein barbare interimere praecipuum eorum obiectum fuit. Quod si pueris et mulieribus pepercerunt facile est ex multiplicibus similium persequutionum exemplis rationem deprehendere, qua ductae illae belluae potius quam homines, mulieres puerosque vivos servarent. Hi enim queunt propter ipsam aetatis debilitatem faciliores seductionibus aures praebere, illae vero nefandis eorum passionibus inserviunt. Re quidem vera tam nefariam fuisse causam, quae ad servandam mulierum vitam depravata illorum barbarorum pectora movebat, testium dictis in patulo fit.

Ad optionem a barbaris datam christianis vel moriendi, vel catholicam fidem repudiandi animadversio descendens, observat hanc fallacem fuisse; siquidem *pari modo occisi sunt, tum qui a fide recesserunt, tum qui in ea constantes perseverarunt, ut pariter testes omnes asserunt*. At non omnes testes id asserunt, respondit advocatus: non quidem testes 1, 10, 6, qui referunt servatos fuisse qui islamismum amplexati sunt. Ceteri autem testes concordi voce referunt ex iis qui a fide miserrime desciverunt, quosdam servatos fuisse, quosdam vero interemptos. Ex quo descendit quasdam ex efferatis illis belluis adeo fuisse inhumanas, ut neque iis parcerent, quos ad apostasiam adduxerant.

Subdit Censor, Europaeos prae ceteris ab Islamitis odio esse impetitos, quia *iugum ab istis sibi impositum phanaticae turbae tolerare nolunt; quanto ergo magis sacerdotes christianorum duces et magistros?* Peto a contrectatore optimo, de quo iugo haec verba intelligat, de civili scilicet, vel religioso? Sin enim de civili loquatur: erant potius Islamitae qui iugum durissimum iis in regionibus Europaeis imponebant. Sin autem de religioso, iam ad defensionem nostram accedit, ac nobiscum consentit. Ideo enim phanaticae turbae implacabili catholicos odio prosequuntur, quia hi, non iugum religionis imponere, sed assidua evangelii praedicatione praeclarissimarumque virtutum exemplo infideles convertere, animasque CHRISTO lucrifacere student. Quoniam vero in sublimi hac missione Sacerdotes utpote duces ac magistri ceteris praestant; optime Censor advertit, eos prae ceteris a barbaris turbis, veluti insani furoris victimas designari. Sed quid, quaeso, ex hoc descendit, nisi odium fidei efferatum persequutorum animam ad CHRISTI asseclas persequendos excitasse: proindeque, qui iniquae persequutionis victimae fuere, veram martyrii palmam esse consequutos?

Nullum autem argumentum ex eo deducimus quod nulla lex adigebat sodales Franciscales ad solvendnm vectigal; tantummodo merito advertimus, renuentiam catholicorum in vectigalibus exsolvendis non fuisse finalem persequutionis causam ex eo quoque deduci, quod illi praeprimis interempti fuerint, qui ad vectigalia solvenda non tenebantur. Vix autem in tuto positum sit integram persequutionem catholicae religionis odio fuisse excitatam, ex se descendit etiam hos DEI SERVOS morte pro fide mulctatos fuisse.

At non poterat, subsumit animadversio, *religiosorum hominum consilio a praedonibus illis tribui, quod christiani tributum solvere renuis-*

sent? Poterat quidem; at praetextus tam futilis fuisset, ut neque barbari ad illum confugere ausi sint. Siquidem probe sciunt catholicae fidei duces ac magistros, non ad resistendum politicae auctoritati, sed ad perfectam civilium legum observantiam subditos suos excitare, quoties hae leges divinis praeceptis non adversentur.

Non constare singulis e religiosis viris optionem datam esse vel CHRISTUM negandi, vel moriendi, Vindex inter cetera nobis opponit. Admittit tamen, hanc optionem datam fuisse Patribus Emmanueli Ruiz, Petro Soler, Carmelo Botta et Angelo Kolland, quem addit nescire curnam a nobis Pater Angelus Kramsck advocetur. At facile est inibi deprehendere scribae vel typographi errorem, praesertim si advertatur in parallelis eiusdem informationis locis a nobis P. Angelum cognomine *Kolland* non *Kramsck* fuisse distinctum. *Profecto si idonea extitisset ex parte persecutorum martyrii causa, de declaratione martyrii istorum iudicium introduci posse non ego intercederem.* Cum igitur sat superque huc usque demonstratum fuerit idoneam ex parte persequutorum martyrii causam non defuisse, iam quatuor ex octo a nobis propositis habemus, super quibus, Censore conveniente, petita introductionis causa concedi merito queat.

At qua de causa Censor quatuor alios, qui eiusdem mortis consortes fuere, aequalis gloriae participes nollet? Quia, ut ipse subdit, de his hoc unum scimus, *ipsos fuisse occisos.* Cui animadversioni reponit omnia adiuncta suadere hos quoque cum ceteris, antequam tuerentur, ad eiurandam fidem fuisse tentatos. Siquidem testes dicunt generatim, CHRISTI fidelibus, qui in saeva ea persecutione a barbaris necati sunt, optionem eiurandi fidem fuisse factam. Sin igitur omnes, cur non etiam hos quatuor Religiosos? Nonne constat eorum comites reapse ad eiurandam fidem fuisse tentatos? Re quidem vera plures ex testibus dicunt, omnibus religiosis viris hanc optionem fuisse factam. Nec quidem excludendi sunt duo sodales laici. Frustra enim Censor advertit, eos ex turri campanaria praecipites actos, alterum illico obivisse, alterum postero die gladio fuisse interemptum. Etenim nonne poterant, quaeso, ad eiurandam fidem tentari antequam e campanaria turri proiicerentur? Si id, Teste 12 deponente, cum saecularibus, quos fortuito invenere, peragere non omiserunt, cur cum istis non fecissent?

At licet probari non posset hanc optionem singulis religiosis viris datam fuisse, num ideo deessent argumenta quae tutos nos redderent de eorum in perferenda morte voluntate ac constantia? Magister noster de hac martyrum voluntate ac constantia loquens, docet quidem, constare debere per actus externos usque ad obitum et in ipso obitu; attamen *quantum fieri potest,* idest quoad usque horum actorum notitia possibilis est. Benedictus XIV, *lib. 3. c. 7. n. 16* hanc doctrinam exemplo probat sancti Juliani, qui cum viperibus ac scorpionibus in sacco inclusus martyrium pertulit. « Constare « debet de interna perseverantia per actus ex- « ternos usque ad obitum, quantum fieri po- « test. Ex quo fit ut de finali perseverantia « s. Juliani sufficienter constare dicendum es- « set ex gestis et factis antequam in saccum « coniiceretur ». Inter alia autem, quae affert exempla, casui nostro favet illud martyrum, quorum mentio fit ex Dionisio Alexandrino apud Eusebium, et qui commemorantur in Martyrologio Romano ad diem 22 Decembris. Hi sunt sanctus Chemeron, Episcopus Nilopolis, aliique plurimi, quorum alii, saeviente Decii persequutione, fuga dispersi in solitudinibus errantes, a bestiis interempti sunt, alii fame, frigore ac languore consumpti, alii a barbaris et latronibus necati. « Ultimi enim « actus eorum qui a bestiis consumpti sunt, « a nemine observari potuerunt; sed ab an- « tecedentibus, quantum fas est, argumentum « ad consequentes et ultimos actus satis aptum « deduci potest ». Jamvero his Magistri nostri doctrinis inhaerens, duplex factum ad probandam martyrum nostrorum constantiam appello; alterum de praeparatione martyrii, ut ita dicam, remota: alterum vero de proxima. Primum sistit in supplicatione a singulis repetitis precibus Franciscanae religionis Praepositis facta, ut ad loca missionum mitterentur. Scimus enim ad arduum hoc munus non destinari, nisi qui seriam constantemque voluntatem omnium sacrificiorum ipsiusque mortis pro animarum salute oppetendae manifestent. Sciebant Asiae Aegyptique plagas iam pluries

christiano sanguine redundasse mortemque a barbaris Patribus illatam et ipsis ab illorum odio imminere. Attamen viri parati ad omnia pro CHRISTI amore ferenda cunctati non sunt.

Heic accedit alterum factum quod desumitur ex ipsis adiunctis, quae gloriosam heroum mortem praecesserunt ac comitata sunt. Siquidem vix periculi sibi imminentis certiores facti sunt, nullum dedere timoris indicium, pacato laetantique animo iam proximae morti se paraverunt. Poterant adhuc irrumpentes barbarorum turmas non expectare, poterant salutem invenire penes Algeriae milites, queis dux Abdelkader imperabat: maluerunt tamen in propria mansione tyrannicos persequutores attendere. Interim Ecclesiam adeunt, ad invicem fragilitatis humanae labes confitentur absolutionemque excipiunt, ad barbarorum tormenta fortiter toleranda sacrâ se Eucharistiâ roborantur. Jamvero qui persequutoribus accedentibus, non fugit, qui tanta animi tranquillitate vesano eorum furori occurrit, nonne ipso facto demonstrat se forti volentique animo mortem iam sibi pro fide paratam perferre? Atqui omnes religiosi viri id praestitere.

(Continuabitur)

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTAURANDA
CAP. I.
DE PAUPERTATE
§. 5. *De Syndico Apostolico.*
(Continuatio)

62. Quia paupertas Fratrum Minorum est realis abdicatio omnis iuris politici cuiuscumque rei temporalis, tam quoad rem ipsam, quam quoad eius usum, tam in particulari, quam in communi: hinc dominium omnium rerum, quarum usum Fratres Minores possunt habere, vel est penes dantes illas res, vel penes Romanum Pontificem et Ecclesiam Romanam, prout patet ex Declarationibus Nicolai III et Clementis V aliorumque Romanorum Pontificum. Quamobrem Summi Pontifices nihil aliud intendentes, quam puram Regulae seraphicae observantiam, conscientiarum puritatem et quietem, et ut Fratres Minores liberius et quietius divinis vacent obsequiis, atque ut donantium pia intentio non fraudetur, constituere decreverunt pro quolibet Conventu Fratrum Minorum *Syndicum Apostolicum*, qui nomine Summi Pontificis et Romanae Ecclesiae administret, vendat, commutet, etc., omnes res mobiles et immobiles pro Fratrum usu datas.

63. Potestatem nominandi Syndicum Apostolicum pro Conventibus et locis Fratrum habent soli Ministri Generales pro toto Ordine, et Provinciales ac Custodes Gubernii pro suis respective Provinciis vel Custodiis, ex Bulla Martini IV, quae incipit *Exultantes in Domino.* Hac nominatione facta, transfert Papa et Romana Ecclesia in personam sic nominatam auctoritatem suam, ita ut possit ipsius nomine recipere et administrare res Fratrum usui concessas, et circa illas facere, quae Papa mandavit, ac eo modo, quo *mandavit. Haec* Syndici nominatio, prout procedit a Ministro Generali vel Provincialibus vel Custodibus, non est institutio, quae ei tribuit auctoritatem, sed est mera designatio personae, cui Papa auctoritatem suam ad praedicta confert. Patet ergo, Syndicum Apostolicum tali modo a Ministris nominatum et a Papa institutum nec esse, nec dici posse *interpositam personam* Fratrum, quia ipsius Papae auctoritate instituitur, et eadem auctoritate, eiusque nomine agit, quidquid agit.

64. Syndicus a praedictis Ministris et Custodibus, quando opportunum eis videbitur, ab officio potest amoveri, et alius per eosdem eius loco potest subrogari. Hoc concessit Innocentius IV dicens: « Liceat praedictis Ministris praefatos viros sic constitutos removere, aliosque ad praedicta exequenda sine difficultate aliqua subrogare, quoties videbitur opportunum ».

65. Auctoritas Syndici Apostolici, iuxta variorum Pontificum Romanorum decreta, ad sequentes quinque actus se extendit: 1° iuxta decreta Nicolai III et Clementis V potest omnium rerum mobilium aut immobilium (quae pecuniariae non sunt) Fratribus licito modo

donatarum vel in testamento relictarum dominium, cui benefactores renuntiant, nomine Papae seu Ecclesiae Romanae recipere; 2° iuxta eorumdem Pontificum decreta potest res omnes licito Fratrum usui datas, ac ideo ad dominium Papae seu Ecclesiae Romanae pertinentes vendere, commutare seu alienare, ac earum pretium potest recipere et pro necessitatibus Fratrum expendere; 3° ex decreto Martini IV nomine Sedis Apostolicae recipere et iudicialiter repetere potest eleemosynas omnes, etiam pecuniarias, modo licito Fratribus relictas, seu in testamento legatas et in ipsorum Fratrum utilitatem convertendas, prout eis ex Regula vel Declaratione Regulae licet. « sicut et « quando a Ministro Generali vel Ministris « Provincialibus, vel aliis Fratribus de assensu « eorumdem Ministrorum fuerit requisitus; » 4° ex eiusdem Pontificis decreto potest in iudicio contentioso, et extra iudicium, res mobiles et immobiles Fratribus concessas petere, exigere, alienare, transigere et defendere, eorum privilegia et exemptiones tueri, secluso tamen omni concursu, cooperatione, vel assistentia Fratrum, et remoto scandalo; 5° ex decreto Martini V et Pauli IV, nomine Papae et Ecclesiae Romanae, res mobiles et immobiles, eleemosynas pecuniarias omnes quomodocumque provenientes, sive sint oblatae liberaliter, sive pro Missis et divinis officiis, sive in testamento legatae, nomine Sedis Apostolicae, quae dominium earum suscipit, recipere, et in necessitates Fratrum expendere potest.

66. Institutio Syndicorum Apostolicorum a Summis Pontificibus facta, et officia eis concessa, non sunt contra puritatem Regulae Fratrum Minorum, nec dispensatio in Regula, sed potius modus pro puriori Regulae observantia a Sede Apostolica provisus, prout Innocentius XI expresse declaravit, dicens (1) « Declarantes tamen pariter, quod per prae« missa non prohibentur in dicto Ordine Syn« dici Apostolici; cum eorum usus non sit « dispensatio in Regula, sed modus a Ro« manis Pontificibus Praedecessoribus nostris « provisus pro puriori illius observatione, sive « eiusmodi Syndici assumantur ad praescrip« tum Constitutionum Nicolai III et Cle« mentis V Praedecessorum praefatorum, sive « secundum dispositionem Constitutionum fel. « mem. Martini IV et Martini V ac Pauli IV « Praedecessorum pariter nostrorum, prout « illorum usus in singulis Familiis, Congre« gationibus, Reformationibus aut Provinciis « Ordinis praedicti respective fuerit receptus. »

(1) Constit. *Sollicitudo pastoralis.*

67. Quaedam Familiae ac Provinciae Ordinis privilegiis a Martino IV et Martino V Syndico concessis renuntiarunt, et solum utuntur Syndico concesso a Nicolao III et Clemente V quoad duos primos actus supra n. 65 enumeratos. Dictae Provinciae Syndicum Martinianum, licet eius usus non sit contra Regulam, ob earum renuntiationem, quam S. Sedes acceptavit, sine speciali licentia eligere non possunt. Secundum opinionem nostri Ferraris modus utendi Syndico Martiniano videtur facilior, commodior et tutior pro unoquoque Conventu (1). Eiusdem opinionis sunt etiam Matthaeucci (2) et Portellus (3).

68. Cum Papa et Romana Ecclesia in se non suscipiat dominium rerum mobilium, immobilium et eleemosynarum pecuniariarum, quarum dominium dantes sibi reservarunt: hinc tales dantes, cum sint pleni domini suarum rerum, possunt eas per se, vel per quoscumque a se substitutos administrare, donec in usus Fratrum sint conversae. Si vero dantes, sibi dominium rerum suarum Fratribus oblatarum reservantes, nolint aliquam personam substitutam per se nominare, sed haec praesentare deberet a Fratribus: pro hoc casu ordinavit Martinus V, ut Fratres ad pecunias illas expendendas non praesentent nisi Syndicos Apostolicos, quorum fidelitati cetera Conventuum negotia sunt commissa, qui deinde istas pecunias, non ut Syndici Apostolici, sed ut *substituti dantium* administrabunt.

69. Papa et Romana Ecclesia in suum dominium non recipit res et pecunias Fratribus datas ad superfluitatem, divitias, vel ad thesaurisationem, prout declarat Nicolaus III. Etiam Martinus IV, Martinus V et Paulus IV non receperunt in se dominium omnium rerum vel eleemosynarum pecuniariarum Fratribus oblatarum, sed earum solum, quae exi-

(1) Ferraris, v. *Syndic.* n. 14.
(2) Schola paupert. tit. 4. cons. 1. n. 44.
(3) Dub. regul., v. *Syndic.* n. 4.

stente vera, praeterita, praesenti vel imminenti necessitate offeruntur sive liberaliter, sive testamento, legato etc.; nam nisi talis necessitas adsit, Papa res et pecunias illas in suum dominium non recipit, ideoque nec Syndicus eas nomine Papae recipere, nec Fratres earum depositionem permittere, aut ad eas recurrere possunt. Propterea instrui debent Syndici Apostolici, quod eorum auctoritas a Summis Pontificibus sit restricta ad modos Regulae Fratrum congruos et licitos, quibus superfluitas, copia, thesaurisatio manifeste repugnant.

70. Prudenter etiam instruendi sunt Syndici, quod non liceat ipsis eleemosynas pecuniarias pro Fratrum necessitatibus apud ipsos depositas elocare ad censum, seu pro annuo interesse, vel Fratribus vel sibimetipsis applicando; item, quod non liceat ipsis, tales eleemosynas pecuniarias aliis mutuare, impignorare vel suis propriis usibus applicare; nec ad haec et similia Fratres licite consentire possunt.

71. Similiter instruendi sunt Syndici, quod, si quandoque res pro Fratrum utilitate datas vel oblatas repetere, defendere aut exigere in iudicio debeant, id Summi Pontificis vel dantium nomine faciant; pariter, ut quando quittantias dare debent, illas nomine suo, tamquam administratores Papae et Romanae Ecclesiae, et Syndici Apostolici dent, nullatenus autem Fratrum nomine, quamvis tamen scribere possint, se pro necessitatibus Fratrum talem eleemosynam recepisse.

72. Si aliqua eleemosyna perpetua, v. g. pro Missis legendis, Fratribus legetur annuatim praestanda, Syndicus Apostolicus, etiamsi Missae a Fratribus fuerint lectae, non potest eam iuridice exigere. Nam dum similia legata pro Fratribus relinquuntur, debent Fratres protestari, quod illa recipiant absque ullius debiti civilis obligatione, et per modum purae eleemosynae; ergo, si haeres vel executor lapsu temporis illas eleemosynas amplius dare non velit, non poterit eos Syndicus Apostolicus propterea in ius vocare; sed nec Fratres obligabuntur petitas Missas vel officia annuatim amplius celebrare.

73. Caveat Superior, ne dominium, ius aut auctoritatem quamdam in pecuniam apud Syndicum depositam ostendat, et praeceptivo modo ei dicat, quomodo pecunia expendenda sit; sed potius humiliter manifestet necessitates Fratrum, et ut his providere velit roget, ac generatim non aliter cum ipso agat, quam si cum domino pecuniae agendum esset, cuius ille vices gerit.

74. Nullatenus Superiori licitum est, Syndicum via iuridica ad rationem de acceptis et expensis pecuniis reddendam adigere. Non autem prohibentur Superiores, modo familiari investigare, quantae eleemosynae acceptae et quantae expensae fuerint. Imo id inquirere saepius tenentur, ut praecavere queant, ne superfluae eleemosynae accumulentur, vel necessariae desint, et ut in visitatione et Capitulo statum oeconomicum sui Conventus exponere valeant.

75. Syndici Apostolici nostri gaudent omnibus Indulgentiis et gratiis Ordini nostro concessis, prout Clemens VII die 16 Aprilis 1536 sequentibus verbis declaravit: « Dum « consideramus assiduos labores et vigilias, « quos dilecti filii Syndici et Procuratores do- « morum et monasteriorum Fratrum Minorum « S. Francisci regularis Observantiae et Mo- « nialium S. Clarae, Conceptionis et Annun- « tiationis Ordinum, et Sororum Tertiae Re- « gulae S. Francisci sustinere non cessant, « merito Nos obligant, ut animarum suarum « saluti consulamus, ipsosque a quibusvis mo- « lestiis et iniuriis sibi pro tempore illatis, « quantum cum DOMINO possumus, releve- « mus. Idcirco uni Syndico et Procuratori « huiusmodi cum illius uxore et liberis prae- « senti et futuro singulae domui et mona- « sterio praedictis pro tempore servientibus, « quod de cetero perpetuis futuris temporibus, « ipsi, et eorum quilibet omnibus et singulis « Indulgentiis et peccatorum remissionibus, « favoribus et gratiis, quibus Fratres Ordinis « Observantiae praedictorum utuntur, po- « tiuntur et gaudent, seu uti, potiri et gau- « dere possint et valeant ».

(Continuabitur)

Emus Cardinalis Neto

Emus Cardinalis JOSEPH SEBASTIANUS NETO, Patriarcha Ulyssiponensis, Ordinis Minorum Observantium alumnus, creatus Cardinalis in secreto Consistorio diei 24 Martii anni 1884,

Romam venit die 5 Junii 1886, rubrum galerum recepturus in Consistorio publico diei 10 Junii. Die 13 eiusdem mensis Rmum D. *De Nittis*, neoepiscopum Castellanetae, consecrabit Emus Princeps, qui annos natus 45, omnium sacri Collegii Purpuratorum iunior invenitur.

NOVI EPISCOPI EX ORDINE

In secreto Consistorio Vaticano, die 7 Junii vertentis habito, electi sunt:

Pro cathedrali ecclesia Castellanetae, Adm. R. P. Jucundus de Nittis, natus in S. Joanne Rotundo, Archid. Manfredoniensis, die 31 Martii 1838, Reformatae Provinciae S. Angeli Apuliae Minister Provincialis.

Pro cathedrali ecclesia Cebù, seu Nominis Jesu, in Insulis Philippinis, R. P. Martinus Garcia Alcocer, natus die 11 Novembris 1842, archidioec. Toletanae, Ordinis Minorum Discalceatorum, et Rector Collegii Missionum Pastranensis in Hispania.

III. MISSIONES

RELATIO

Missionum Collegii Taricae *in Boliviana Republica, Americae Meridionalis.*

Reverendissime Pater.

Libentissime obsequi cupiens P. T. Rmae voluntati, quam per litteras sub die 18 Decembris elapsi anni datas, singulis Ordinis nostri Vicariis Apostolicis et Missionum Praefectis notam fecisti, relationem de Infidelium Missionibus curae et sollicitudini Collegii nostri Sanctae Mariae Angelorum Civitatis Taricae in Boliviana Republica concreditis, uti praefati Collegii Praefectus, stylo licet simplici et rudi exaratam, P. T. Rmae transmitto.

Ex Historia dicti Collegii (1), quam duobus abhinc annis, Adm. R. P. Alexander Maria Corrado ab Urbe, actualis Collegiorum Bolivianae Reipublicae Commissarius Generalis, typis Collegii S. Bonaventurae ad Claras Aquas, propre Florentiam, edidit, notum est, Missiones, seu *Reductiones*, quas praefatum Collegium inter Infideles habet, esse sequentes, scilicet: —

Sanctae Mariae de Guadalupe de *Chimeo:*
Sancti Michaelis Archangeli de *Itau:*
Sancti Rochi de *Aguairenda:*
Sancti Francisci Solani ad Ripam *Pilcomayo*:
Immaculatae Conceptionis de *Tarairi:*
Sancti Josephi de *Tiguipa:*
Matris Misericordiae de *Machareti:*

quas omnes incolunt Indi vulgo « *Chiriguanos* » appellati, numero 7,700. Sed praeter relatas Missiones, seu *Reductiones* Chiriguanorum, Collegio nostro subsunt etiam aliae duae, quarum prima, iuncta Missioni S. Francisci Solani, constat ex Indis « *Tobas* » appellatis, qui licet pluries reducti et toties dispersi ex innata eorumdem inconstantia et vitae errantis amore, cui prae aliis Indis generatim sunt assueti, tamen ab anno anteacto iterum ad nos sunt reversi, et in dicto loco morantur, numero plusquam quingentorum; dum alii multi eiusdem sobolis, more Biduinorum, per sylvas vagantur; altera ad oram oppositam eiusdem fluminis « *Pilcomayo* » sita, et S. Antonii Patavini tutelae commendata, habitatur ab Indis « *Noctenes* vel *Matacos* » vulgo dictis, numero plusquam sexcentorum; quam quidem Missionem, seu *Reductionem* anno 1879 ab Indis relictam et penitus destructam, elapso anno reaedificandam suscepimus.

Praeter praefatas Indorum Infidelium Missiones, proprie dictas, Missionarii nostri Apostolicum Ministerium exercent etiam apud duo millia Christianorum, vulgo « *Mestizos* », qui in dictis Reductionibus vitam gerunt: quique, si Indis coniungantur, ultra decem millia animarum numerum efformant, quae Missionariorum curae et vigilantiae concreditae sunt in istis remotis vastisque sylvis.

Nostrae Missiones omnes uni eidemque obediunt regulae et normae, ac inde una visa, alias etiam esse notas dici potest. In unaquaque Reductione, mane Missa celebratur, cui interveniunt scholae utriusque sexus; qua finita, pueri et puellae propriam adeunt scholam, in qua morantur usque horam undeci-

(1) *El Colegio Franciscano de Tarija y sus Misiónes*, Quaracchi, typis Collegii S. Bonaventurae, 1884, pag: VII-566. (L. 6.) Haberi potest a Curia Generalitia, Romae.

mam ante meridiem; et ab hora secunda post meridiem usque ad solis occasum. Pueros edocent Patres Conversores christianam catechesim, legendi et scribendi artem, nec non idiomata, musicam et alia, prout capacitas uniuscuiusque permittit. Puellae vero non solum in eisdem, verum etiam in laboribus femineo sexui accommodatis instruuntur a Magistris saecularibus eiusdem sexus, quos ad hoc, non levi sumptu, e longinquo interdum vocare cogimur; eisdem necessaria omnia suppeditamus, et pensionem convenientem tribuimus. Magistrae die noctuque cum puellis in schola subsistunt, earum honestati et bonae educationi providentes. Caeteri Indi agrorum culturae, et armentorum custodiae, sub Missionariorum directione, student; ex illis varias fruges ad cibum carpunt, ex istis vero propriae prospiciunt necessitati ac utilitati, aut eadem vendunt ad res necessarias sibi comparandas, uti v. g. vestes, ornamenta etc.

Ast Indi nostri non solum agrorum culturae et gregum custodiae student, sed ut alias etiam artes addiscant, Patres Missionarii sollicite curant; et sic alii in arte caementaria, lignaria, ferraria, textoria se exercent, alii artem sutoris, sartoris, pileorum artificis discunt, et alii tandem laterum et tegularum facturae non sine magna utilitate dant operam: exinde, sub eorumdem Patrum Conversorum magisterio, directione et praesentia, ipsimet templa ac domos aedificant, et omnia utensilia necessaria perficiunt.

Ipsi enim, in his ultimis annis, varia ex dictis aggressi sunt opera, quorum aliqua iam perfecerunt, alia autem eos brevi perfecturos esse speramus. In *Itau* ecclesiam aedificarunt: in *Aguairenda* ecclesiam et omnia Missionis aedificia a fundamentis erexerunt, et postea ex terrae-motibus laesa denuo illa instaurarunt; scholam puerorum ampliorem reddiderunt, et illam puellarum pariete longitudine fere 500 metrorum et altitudine 2 metrorum cum dimidio, ad eas tutiores reddendas, circumvallarunt: in *Tarairi* septem millia laterum fecerunt, cum quibus postea pavimentum ecclesiae straverunt; insuper pro hospitio domum aedificaverunt: in *Tiguipa* longa pariete ecclesiam et Patrum Missionariorum habitationem circumdederunt: in duabus Missionibus, S. Antonii Patavini scilicet, et S. Francisci Solani, ad utramque oram *Pilcomayo*, ligna, aliaque necessaria ad templum caeteraque aedificia, hoc anno construenda paraverunt: in *Machareti* denique spatiosi templi fundamenta iecerunt, cuius primum lapidem cum omni possibili solemnitate et pompa infrascriptus Missionum Praefectus, adstantibus quinque aliis Patribus ex proximioribus Missionibus accitis, Christianis et Indis innumeris, benedixit et posuit die 2ª Julii anni praeteriti, Ipsi Bmae Misericordiarum Matri sacra.

Quoad vero spirituale progressum, illum certe pari passu cum progressu materiali non progredi, nec laboribus, sollicitudinibus et anxietatibus nostris plene respondere confitendum est. Attamen animas non paucas quotannis, in maiori vel minori numero, CHRISTO, Ecclesiae, Societatique civili lucrifacere non desistimus. Anno enim elapso animae 316, inter quas 54 ex adultis, et 262 ex parvulis, gratiam Baptismi receperunt. Hic baptizatorum numerus exiguus certe videbitur, si cum multitudine Indorum in Missionibus existentium comparetur; nihilominus nos, qui obviantes difficultates practice cognoscimus, pro illo gratias Omnipotenti DEO ex corde rependimus. Etenim ex adultis pauci volunt baptizari in vita, quia, aiunt, valde difficile sibi videri non tantum catholicas veritates addiscere, sed etiam praeceptis DEI et Ecclesiae postea sese subiicere, et opera pietatis, quorum usum non habent, exercere; Missionariis tamen adhaerent et in Missionibus morantur, ut in articulo mortis baptizentur ad aeternam salutem consequendam; qua gratia aliquando, imperscrutabili DEI iudicio, privantur. Missionarii vero illos cum christiana charitate edocere non desistunt, et quin eis vim faciant cum omni patientia et longanimitate opportune et importune exhortantes, expectant ut DEUS illorum corda misericorditer tangat, et baptizentur in vita, vel saltem eos in ultima infirmitate illuminet, et sic, regenerationis lavacro mediante, ad coelum mittere valeat. Ex parvulis autem fere omnes baptizari quidem possent, quia ipsorum Parentes, generatim loquendo, non solum se minime opponunt, sed etiam aliquando ipsimet petunt ut eorum filii baptizentur; et sic tempore alicuius

parvulorum epidemiae, quae fere quotannis in una vel altera Indorum Reductione grassatur, per centenas innocentes animae ad coelum mittuntur. Ast ordinarie, et quando nulla adest suspicio mortis, prudenter nimium et cum magna cautela cogimur procedere, propter ipsorum parentum inconstantiam et proclivitatem ad vagationem, ne parvuli postquam baptizati sunt, ad loca Infidelium transferantur, et ibi absque ulla instructione crescere, adolescere, et senescere cogantur. Hinc est quod ordinarie, tempore scilicet epidemico excepto, non omnes parvulos indiscriminatim aqua baptismatis abluere possumus, sed illos tantum quorum parentes in Missione permansuros certi sumus.

Nimis durum certe, et dolorosum nobis est non paucos innocentes parvulos, sub nostris oculis natos, sine baptismate relinquere propter ipsorum parentum inconstantiam in Missione morandi; nec minori tristitia afficimur cum videmus non paucos ex adultis ingenio aliunde et praeclaris animi dotibus naturaliter praeditos, et etiam quadam naturali bonitate ornatos, Baptismatis gratia tota vita se velle privari! Sed his malis solus Deus, qui corda noscit hominum, opportunum suppeditare potest remedium; nos interim coram Ipso humiliter et incessanter preces effundentes, laborare non desistimus, et quotidie nostros adaugemus animos ad eorum conversionem quoquomodo procurandam.

Sunt etiam alii non pauci qui baptismo adversantur, quia timent ne Baptismate suscepto, statim moriantur. Isti enim quia saepe vident Sacramento Baptismatis in mortis articulo adultis atque parvulis collato, mortem subsequi, credunt ipsum Baptismum fuisse causam mortis. Haec erronea opinio ab ipsis difficillime rationibus tolli potest. Et licet aliquando acquiescere videantur, cum illis dicimus: « nos Misionarii et omnes Christiani, quos cognoscitis, baptizati fuimus, et ecce adhuc vivimus; » attamen timor mortis in ipsis semper perseverat; et cum defatigatus fueris ad eorum errores auferendos, indifferenter et tamquam si nihil audivissent eadem repetunt, scilicet quod post baptismum multi illico mortui sunt, intelligere nolentes, quod illorum infirmitas, etiam sine baptismo, erat ad mortem.

Utinam Deus qui facit de tenebris lumen splendescere, istorum mentes claritatis suae lumine illustrare, et omnes ad se trahere per regenerationis lavacrum aliquando dignetur!... Nos igitur, maiorum nostrorum vestigia prementes, in vinea Domini laborare non cessabimus, donec veniat tempus divinae miserationis; bene enim noscimus, neque qui plantat neque qui rigat esse aliquid, sed qui incrementum dat, Deus, uti dicit Apostolus.

Neophyti, generatim loquendo, christiane vivunt, Missae sacrificio, instructionibus aliisque ecclesiasticis functionibus non solum diebus Dominicis, aliisque festivis, sed etiam ferialibus adsistunt. Quotidie ad solis occasum cum caeteris catechumenis catechesi interveniunt. In quadragesima, et aliquoties infra annum, peccata confitentur et Communionem recipiunt.

Anno pariter transacto Sacramentum Confirmationis 195 neophytis utriusque sexus administratum fuit. Matrimonia, iuxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae 42 fuerunt celebrata; et 154 neophytis (24 adultis et 130 parvulis) data fuit ecclesiastica sepultura.

Nulla publica scandala adsunt in Missionibus nostris; singuli enim Patres Conversores gregem spirituali cibo pascunt, et diligenter pervigilant, ne aliqua ovis ab ovili recedat et ad pascua corrupta et venenosa divertat. Attamen, cura et vigilantia Pastorum non obstantibus, hisce praesertim temporibus, quibus morum corruptio omnes mundi partes pervasit, aliqua ovis a fraudibus daemonis abrepta, et malis aliquorum Christianorum circumstantium exemplis ac perversis instigationibus seducta, aliquoties praevaricari non desinit. Sed oves, quae praevaricantur, vel Dei gratia adiuvante, Patris Conversoris exhortationes et sana consilia audientes, reformantur, et ad ovile redeunt, vel suas perversas inclinationes sequentes, ad eas libere et sine aliquo freno satisfaciendas, Missionem deserunt et inter barbaros ac male viventes confugiunt. Haec Indorum praesertim Neophytorum a Missionibus recessio est origo et fons multorum malorum pro ipsis: et pro Missionibus est causa propter quam parum aliquando progredi possunt.

Quatuordecim Sacerdotes in dictis Missionibus semper adsunt, ibique constanter per-

manent. In praesentiarum sunt sequentes, videlicet:

P. Sebastianus Pifferi, Obs. Prov. Romanae, actualis Missionum Praefectus:

P. Dorotheus Giannecchini, Obs. Prov. Tusciae, ex-Praefectus immediatus:

P. Hieronymus Basili, Obs. Prov. Romanae:

P. Vincentius Manuali, Obs. Prov. Picenae:

P. Bonaventura Lolli, Obs. Prov. Romanae:

P. Bernardinus Turbesi, Obs. Prov. Picenae:

P. Berardus Cisco, Ref. Prov. Venetae:

P. Leo Orsetti, Obs. Prov. Romanae:

P. Guidus Cremona, Obs. Prov. Romanae:

P. Jacobus Romano, Obs. Prov. Romanae:

P. Leonardus Stazi, Obs. Prov. Romanae:

P. Franciscus Cagola, Obs. Prov. Romanae:

P. Innocentius Massei, Ref. Custodiae Lucensis in Tuscia:

P. Ægidius Agostini, Obs. Prov. Corsicae.

Praedicti Missionarii, singuli in propria adsignata Reductione, commissi sibi muneris partes implere satagunt, non solum Indos rudes et barbaros catechizando, sed etiam apud ipsos officia Pastoris, Patris, Iudicis, Medici, Curatoris, et Protectoris exercendo. Quae quidem munia non solum difficilia, sed etiam valde incommoda ac molesta sunt; et ideo Patris Conversoris curas omnes et vigilantiam requirunt. Ex quo patet, duos Patres Conversores in unaquaque Reductione, etiamsi exigua, vix omnibus eiusdem necessitatibus sufficere posse.

Quotidianae et ordinariae Patrum Conversorum occupationes hae sunt: mane Missam celebrant et horas canonicas persolvunt, quibus finitis alter scholam ingreditur pueros edocendi gratia; alter domi manet ad multiplicia Indorum audienda et componenda negotia, vel ipsis praeest, dum aliquod perficiunt opus. Post meridiem, vesperis et completorio recitatis, qui pueros docet, iterum ad scholam cum ipsis pergit, alter eisdem ac mane incumbit sollicitudinibus. Ante solis occasum unus aut alter, vel duo simul, si possunt, Indorum habitationes omnes et singulas quotidie visitant, diligenter inquirentes, num aliquis aegrotet, vel aliquid, quod Missionis pacem perturbare possit, evenerit. Cum ad domum postea redeunt, campanae pulsu, omnes Neophytos et Catechumenos, exceptis puellis, quae in schola Magistrae subsunt directioni, congregant, et eos in communi charitative et patienter catechesim et varias orationes docent. Quibus expletis, Neophyti et Catechumeni ad proprias redeunt domos, et Patres Conversores, Matutino et Laudibus persolutis, orationi mentali vacant, aliaque religiosa exercitia peragunt. Postea serotina refectione sumpta, et brevi levamine fraternaliter spiritui tributo, necessarium otium dant corporibus, ut adsuetam fortius praestent vicem.

Antequam huic brevi relationi finem imponam, aliquid addendum puto de peculiari prorsus cura, quam de suis operariis coelestis Paterfamilias habet, ut eam Confratres *nostri* admirantes, ac serio meditantes, certo *sciant* Missionariorum labores et sacrificia *esse Deo* summopere grata; ut quocumque *humano timore* seposito, ad nobis auxilium praestandum se excitent, et Deo ipso inspirante, ad nos venire non haesitent. Et revera, numquid mirum et divinum non est, plurima millia hominum ferocium, qui umquam, nec cum copiosis militum exercitibus, subiugari potuerunt, nunc eos videre uni viro Religioso, vili veste induto, solo Crucifixo et Breviario armato, prorsus subiectos esse, eiusdem nutu totaliter pendere?... Quis eos detinet, quis prohibet, quin sese ad rebellionem incitent, et seditiose virum hunc, quacumque humana destitutum ope, vexent, et crudeliter trucident?... Numquid non plane admirabile et supernaturale est, Missionarios in hisce desertis et sylvis, a solis barbaris habitatis, innumeris autem feris, immanibus serpentibus, venenosis viperis, araneis monstruosis et molestissimis culicibus plenis, degentes; vehementi solis aestui, aliisque aeris intemperiis expositos et Medicorum destitutos auxilio, incolumes suos ducere dies, quin a supradictis noceantur?... Ah! tribuant hoc casui, si lubet, Fatalistae; nos vero qui credimus, et Dei admirabilem Providentiam corde et ore confitemur, Ipsi soli haec omnia adscribimus, Eique tantummodo debitas semper rependimus grates.

Et hic meae cuilibet narrationi finem faciens, P. T. Rmam humillime adprecor ut mihi, Patribus Conversoribus, Neophytisque omnibus, seraphicam impertiri dignetur benedictionem, quae nos in nostra confirmet vocatione, et illos ad DEI praecepta in omnibus servanda promptiores, alacrioresque reddat.

P. T. Rmae.

Ex Missione *Tarairi* die 8 Februarii 1886.

Humillimus devmus ac obmus filius
Fr. SEBASTIANUS PIFFERI
Missionum Praefectus.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

AGREDA (SOR MARIA DE) —
Cartas de la Venerable Madre Sor Maria de Agreda y del Señor Rey Don Felipe IV, precedidas de un bosquejo historico por D. Francisco Sivela, con la aprobacion de la censura eclesiastica. Tomo segundo. Madrid Est. Tip. « Sucesores de Ribadeneyra », Impresores de la Real Casa, Paseo di San Vicente, 20 — 1886 — In-16, Tom. II, Pag. 794. (L. 15).

BANNIER (Dom François Le) —
Méditations sur la vie de Notre Seigneur JÉSUS-CHRIST, par le Séraphique Docteur Saint Bonaventure, traduites par le R. P. Dom Francois Le Bannier, Bénédictin de la Congrégation de France, (avec une préface de dom Guéranger) Nouvelle édition, précédée d' une notice sur le traducteur et d'un choix de ses poésies, par un Moine de la même Congrégation. — Paris, Librairie Bray et Retaux, Rue Bonaparte, 82. — Arras, Imprimerie du Pas-de-Calais, Rue d'Amiens, 43. 1883, in-4. pag. XXII-276.

COLANTONI (P.) ANGELO, M. R. Lett. Em. — Discorso di un Parroco sul Giubileo. Messina tip. del Progresso, 1886. pag. 32 in-8.

EMMANUEL (P.) DE RENNES. —
Abrégé de la vie et du martyre des Révérends Pères Agathange de Vendôme et Cassien de Nantes, Capucins Prestres. Extrait de plusieurs Manuscrits contemporains, déposés dans les Archives des Couvents des Capucins de Tours et de Rennes. Avec un Discours préliminaire en forme de Préface sur la Dignité du Martyre, par le R. P. Emmanuel de Rennes, Capucin de la Province de Bretagne, ancien Lecteur de Théologie et Définiteur. — 2. Edition. Paris 1882, chez N. Lecoffre, rue Bonaparte, 90. Vienne Typ. Adolphe Holzhausen imprimeur de la Cour I. et R. et de l'Université. Pag. 160.

FRAY FRANCISCO (R. P.) DE AJÓFRIN. —
Vida, virtudes y milagros de San Lorenzo De Brindis, General de la Orden de los Capuchinos. Barcelona, Imprenta y Libreria de la Immaculada Concepcion. Buensuceso 13, y Dou 13, 1881.

PELLEGRINO (RMO. P.) DA FORLÌ. —
Annali dell' Ordine dei Frati Minori Cappuccini, scritti ed illustrati dal P. Pellegrino da Forlì, Definitore Generale Cappuccino. Milano Tipografia di S. Giuseppe, Via S. Calocero 9. Tom. 4, di cui uno in corso di stampa. L. 48 — per l'estero L. 60.

PIATUS (P.) (S. THEOLOGIAE LECTOR ET SS. CANONUM IN UNIVERSITATE CATHOLICA LOVANIENSI LICENTIATUS, PROVINCIAEQUE BELGICAE MIN. CAPUCCINORUM DEFINITOR) MONTENSIS. — Principia Theologiae Moralis theoretice et practice exposita, auctore F. Pio Van der Velden emendata ac pluribus adnotationibus locupletata. — Parisiis, Libraria internation-Catholica, via vulgo Bonaparte, 66. — Lipsiae, apud Hittler, via Querstrasse, 34. Tornaci, Casterman. 2 volumi in-8 pag. 600.

PIATUS (P. QUI SUPRA) MONTENSIS. —
Commentarius ad Constitutionem « Apostolicae Sedis « qua ecclesiasticae censurae latae sententiae limitantur, in Lectorum ac studiosorum nostrorum utilitatem primarie editus. Vol. in-8. pag. 375, apud eosdem Bibliopolas ac supra.

SCHOUTENS (R. P.) ETIENNE, Récollet. — Histoire du Culte de la T. S. Eucharistie

en Belgique, pag. 487 in-8. Anvers, Imprimerie Vanos-Dewolf. Rue Ss. Pierre et Paul, 2. 1886 L. 3. (Confratres vero qui ab ipsomet Auctore (*Anvers, Couvent des Récollets, in Belgio)* opus petent, pretio valde imminuto habere poterunt.)

VICTOR (P.) BERNARDIN, DE ROUEN, Min. Obs. — Le V. Emmanuel Ruiz, Franciscain de l'Observance et ses sept Compagnons, Martyrs de Damas, par le P. Victor Bernardin, de Rouen, Religieux du même Ordre. Au profit de la Cause de Béatification. Paris, librairie Veuve Magnin et Fils, Rue Honoré — Chevalier 3, 1886. Pag. 95.

V.
NECROLOGIA

—

GEORGIUS Nicolai Delfino filius, Derthonae in Insubria natus 25ª Januarii 1827, vestem induit seraphicam in coenobio Sancti Nicolai Carpi huiusce nostrae almae Observantis Provinciae Bononiae, die 10ª Novembris 1843, ANDREAE nomine assumpto. Anno probationis laudabiliter expleto, solemnem emisit professionem, atque studiorum curriculo sedulo alacriterque emenso, Sacris fuit initiatus. Moribus integer ac fervidus ingenii cultor, ad magisterium a Superioribus accitus, felici exitu tentato experimento pro scientiis philosophicis Assisii 1852, pro Theologicis Romae 1857, Philosophiam et Theologiam docuit Nostrates tum Bononiae tum Ferrariae magno cum discentium emolumento. Etsi Lector Jubilatus rite renuntiatus, e magisterio non cessit, sed ob suum in Ordinem amorem usque adhuc ardenter, licet defatigatus, prosequutus est. Solida doctrina, praestantique scientia praesertim theologica praeditus, vir consilii fuit. Quare merito Guardianus, Definitor, Custos fuit apud nos; eiusque opera usi sunt Ferrarienses Archiepiscopi Aloysius Card. Vannicelli-Casoni b. m. et Aloysius Giordani, a quibus electus fuerat Examinator Cleri et pro-Synodalis. Sanctimonialium Confessarius pluries institutus, eas in viam perfectionis sapienter adduxit. Zelo inflammatus pro pura seraphicae regulae observatione, typis evulgavit opellas valde utiles et commendatas — *Catechismo della prima regola di Santa Chiara,* Ferrara 1882. — *Catechismo della Regola dei Frati Minori,* Bologna 1885. — Sed eheu! constanti adhuc aetate, apoplexi correptus, brevique ad extrema deductus, Religionis subsidiis munitus, obdormivit in DOMINO die 30ª Aprilis 1886.

Fr. DANIEL A TERRA RUBEA, qui est pagus Vicentinae Dioeceseos, in Recessu S. Francisci de Deserto, Reformatae Provinciae Venetae, Ordinis nostri habitum induit, unaque spiritum vere seraphicum, quem ad mortem usque fideliter custodivit. Verum, qua erat profundissima animi demissione, tyrocinium ingredi non est ausus, ut, stato tempore, votorum professionem emitteret; idque unum Superiores enixe rogavit, ut sibi in humili Tertiariorum statu DEO famulari perpetuo liceret. Quem tamen famulatum, per annos quatuordecim prestare ita studuit, ut sodalibus ipsis, voto obstrictis, sese exemplum religiosae vitae absolutissimum exhibuerit. Eminebant in eo praesertim orationis studium, obedientia, paupertas, ac tam assidua cura in humiliaribus iisdemque laboriosioribus Coenobii muniis obeundis, ut illis quandoque pene opprimi videretur; sed ardor animi infirmo corpori vires sufficiebat. Laboribus tandem fractus, Montesilice, in conventu ad S. Iacobi Ap. sub finem mensis Aprilis anni 1886, pleuritide correptus est: qua brevi consumptus, ipso Dominicae Resurrectionis die, inter sodalium lacrymas, placidissime ac pientissime obiit, quum annos natus esset sex et quadraginta.

Triste nuntium de subitanea morte, in sero diei 24 Maii 1886, Rmi ANTONII MARIAE PETTINARI, Archiepiscopi Palmyren., et S. C. Episcoporum et Regularium Secretarii, Ordini nostro communicamus, eiusdem Necrologiam proxime daturi. R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA
—
EX SACRA RITUUM CONGREGATIONE
—
DAMASCENA

BEATIFICATIONIS *seu declarationis Martyrii Venerabilium Servorum Dei* Fr. EMMANUELIS RUIZ, *Ordinis Minorum Observantium, et* SEPTEM SOCIORUM.

RESPONSIO ADVOCATI
AD ANIMADVERSIONES PROMOTORIS FIDEI
(Continuatio).

Fidei Vindex non renuit posse introduci causam P. Angeli Kolland; ast primo quidem veluti praetervolans advertit, religioso viro Angeli nomen tributum fuisse per antonomasiam propter corporis eius pulchritudinem, et eius iucunditatem modorum. Quid, quaeso, animadversor egregius haec verba referens intendit? Num insinuationem super religiosam hominis vitam adducere? Haud puto; quam gratuita enim sit, ac charitatis iustitiaeque tramiti contraria, nemo est qui non videat. Nec quidem nobis, sed ipsi probationis onus incumberet. Ceterum ad omnem suspicionem auferendam, quae ex his verbis per parenthesim in animadversione relatis exurgere posset, sat foret advertere eas legi non in aliqua ex testium depositionibus, sed in supplici libello, quem huius causae Vice-Postulator Syriae Patriarchae obtulit, ut super declaratione martyrii Servorum DEI ordinariam inquisitionem institueret. Poterantne haec verba in huiusmodi documento apponi, si diversum sensum haberent ab eo quem obvium praeferunt, scilicet religiosum virum ideo Angelum fuisse appellatum, quia eximia corporis forma, comitatem praeclaram animumque virtutibus omnibus exornatum coniungeret? Hinc optime causae Postulator affirmat eum, propter haec merita egregia, catholicorum Damascenam urbem incolentium sibi animos devinxisse, ab eisque Angeli appellatione fuisse insignitum.

Verum potius ad mortis, quam ad vitae inclyti huius viri religiosi adiuncta perpendenda advocat nos Censor. Etenim P. Angelus, uti in animadversione legitur, et alter Franciscanus, sodalibus relictis, e coenobio fugerunt, et in cuiusdam aedibus sese receperunt, ubi muliebri velo amicti, in cubiculo cum pluribus mulieribus totam noctem transegerunt. Orta autem die, uterque inde recessit; at P. Angelus paulo post illuc reversus est. Quibus expositis subdit: « Haec sane, ut minimum dicam, prudentiam viri parum commendant, neque multam produnt martyrii faciendi voluntatem.

Advocatus nonnulla praemisit quoad comitem Patris Angeli, eoquod certe non constet, an comes esset alius vir religiosus, vel saecularis, deinde adiecit: — ceterum ad purgandos hos religiosos viros ab imprudentiae defectu sat est advertere adiuncta, in quibus ipsi mulierum domum ingressi sunt. Memoret enim Censor quam atrox fuerit illa nox, quanto christianorum sanguine funesta! Pater Angelus cum comite veluti miraculo e coenobio iam a Mahumetanis invaso effugere potuerat. Attamen inter nocturnas tenebras, in tanta caede, undique in Crucis inimicos occurrere poterat. Quaenam igitur

alia cogitatio cuiusvis mentem ingessisset, nisi proximiorem amicam domum, quaecumque ea fuisset, in qua salutem reperire poterat, introire? Noscebat, uti Parochi coadiutor, catholicas religiosasque esse mulieres, quae aedem Bertrand incolebant; in tanto saevae noctis horrore, in tanta formidine mortis inibi refugium petiit. Alias mulieres catholicas in eamdem domum confugientes invenit. Quod, quaeso, consilium ei Censor dedisset? Debuissetne iterum exire ac certae mortis discrimina quaerere? In ea nocte, in iis adiunctis, in tanto vitae periculo, poteratne Patris Angeli ingressus in eam domum vel levissimam suspicionem ingerere? At, subdit Censor, nedum in aedibus permansit, sed etiam velum religioso habitu superinduit. Esto; quid in hoc quod vel minimam culpam sapiat, vel imprudentiae defectum redoleat? Velum non est, nisi holosericus, quo licet utantur feminae, nullam in se muliebrium vestimentorum formam habet. Quid igitur mali aut minus convenientis, quod eo ad propriam vitam servandam religiosus vir uteretur? Ut igitur, quae diximus paucis perstringamus, religiosorum hominum mores, feminarum catholicarum honestas, peculiaria horrendae illius noctis adiuncta eiusmodi sunt, ut quamvis imprudentiae labem a Patris Angeli agendi ratione penitus avertant.

At quid de altera Censoris obiectione? Haec eadem agendi ratio prodetne saltem haud *multam martyrii faciendi voluntatem?* Quia igitur Dei Servus cum sodali, Mahumetanis invadentibus, coenobium reliquit, ideo erit e gloriosa martyrii palma excludendus? Si id daretur, quot, quos veluti catholicae fidei heroes veneramur, e sanctorum martyrum albo forent expungendi! Aliud autem tradi in suo Evangelio Magister noster, nobis hoc praeceptum relinquens: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* (1) Quae verba S. Athanasius interpretans, adductoque eiusdem divini Salvatoris exemplo, *qui non indignum putavit* cum quaereretur abscondere se, et, cum persequutionem pateretur, fugere *et insidias declinare,* donec advenit praestitutum tempus, quo pro omnibus pati volebat et ultro se persecutoribus tradidit, subdit: « Sancti homines cum hanc quoque formam a Salvatore didicissent... adversus persecutores, ut legitime certarent, fugiebant, et ab illis quaesiti se abscondebant. Cum enim praestituti sibi a divina Providentia temporis finem ignorarent, nolebant insidiantibus se temere tradere; sed contra cum scirent, quod scriptum est, in manibus Dei esse hominum sortes et Dominum mortificare et vivificare; potius in finem usque perseverabant, circumeuntes, ut ait Apostolus, in melotis et pellibus caprinis, egentes, angustiati, in solitudinibus errantes, et in speluncis et cavernis terrae latentes, quoad vel definitum mortis tempus veniret, vel qui tempus ipsum definierat, Deus, cum iis loqueretur, aut insidiantes cohiberet, aut certe persecutoribus eos traderet, utcumque illi placuisset ». (In Apol. de fug.) His doctrinis inhaerens Benedictus XIV, lib. 3. cap. 16 n. 13, 14, explicite tradit Christi fideles, urgente persecutione generali adversus christianos, vel particulari adversum aliquem ex Servis Dei, generatim loquendo, nisi animarum bonum contrarium requirat, fugere posse et iram declinare, *ita* ut, si *deinceps fuerint comprehensi et mortem pro Christo subierint, antecedens fuga nequaquam obstet quin martyrum catalogo adscribantur.* « Ratio autem est, quia talis fuga nullo modo est negatio fidei, sed potius est virtualis fidei confessio; fugiens quippe imminente persecutione, multa incommoda patitur, et qui propter fidem patitur, fidem profitetur ».

Quapropter voluntatem martyrii faciendi fuga non adimit, quin imo includit. Siquidem haec voluntas in eo sita est, quod quis, si a tyranni satellitibus ad eiurandam fidem cogatur, paratus sit potius quaevis tormenta ac ipsam mortem perferre, quam se apostasiae crimine maculare. Quis autem non videt quemvis Christifidelem e persecutorum immanitate fugientem, hanc simul voluntatem habere posse! Ex his autem generalibus principiis, si ad casum nostrum descendamus, habemus Patrem Angelum Kolland voluntatem martyrii faciendi iam satis cum ceteris ostendisse, quando petiit ut Missionarii munus in infidelium urbe sibi concrederetur. Exorta autem saeva persecutione ac Mahumetanis iam Franciscanae Familiae coenobium invadentibus, peregit quod sibi facere licebat, quodve exi-

(1) Matth. x.

gebat Ecclesiae utilitas, cum Parocho coadiutor foret, ac nedum a catholicis, verum etiam ab infidelibus quam maxima in existimatione haberetur, plurimaque sacris missionibus posset bona conferre. Ast num sese eripiens e barbarorum furore, voluntatem martyrii subeundi, si pro CHRISTI fide opus fuisset, immutavit? Agnoscat Censor ex invicta eius agendi ratione, postquam a Mahumetanis detectus est. Ad eiurandam enim catholicam fidem ab illis persecutoribus incitatus, absque ulla imminentis mortis formidine aperte professus est, se esse christianum. Insistunt homines barbari, terrore ac minis quaerunt eum ad apostasiam adducere; at irrito conatu. Impavidus respondet, usque tertio: « Christianus sum ». Tunc saevâ irâ obcaecatae in eum irruunt immanes belluae, sacrilegis manibus eum e cubiculo trahunt, in atrium adducunt, repetitis verberationibus vulnerantur ac irâ frementes ad apostasiam impellunt. Vir autem fortis proprio iam sanguine madefactus adhuc inclamat. « Christianus sum »; atque haec verba proferens martyr gloriosus, ensis vulnus accepit, qui ei caput obtruncavit. Nonne inclyta haec mors fuit, ac quae catholicae ecclesiae heroem quam maxime decebat?

Nescio autem quomodo in S. Fidei Vindicis praestantissimi mente dubium exoriri potuerit, *num plures quam octo fuerint Franciscales a barbaris interempti*. Sin enim, fatentibus testibus, nonnisi octo viri e religiosa Minorum Observantium familia Damascena claustra incolebant, quomodo, quaeso, a Turcis occidi poterant plures quam qui aderant in coenobio.

Verum Censori optimo dubitandi argumentum praebet Testis 1us ex cuius depositione descendit ipsum vel decem vel plura interfectorum cadavera invenisse. Facile tamen omnis dubitandi ratio diluitur, dummodo advertatur, Testem 1um admisisse quidem se plura quam octo interfectorum corpora tumulasse; haud vero dixisse haec omnia ad Religiosos e Franciscana familia pertinuisse. Quin imo nitide prodit se plura inter occisorum cadavera, ad quos pertinerent, noscere non potuisse.

Tandem, ait advocatus, Promotor animadvertit obsequium quo christianus populus Damascenus hos martyres prosequitur nullum esse: nam uno excepto Teste 7°, qui ad locum ubi martyrum exuviae sepultae iacebant se contulit, *neminem ex testibus se illuc accessisse vel eorum invocasse intercessionem deponere*. At, quaeso, ad fidelium populorum pietatem erga gloriosos CHRISTI athletas ostendendam, opusne est, ut testes coram iudicibus acciti deponant, *se ipsos* ad sepulchri locum accessisse, vel Servorum DEI intercessionem implorasse? Nonne sat est, ut hoc de fidelibus testentur? Jamvero fideles Damascenos Religiosorum a Mahumetanis pro fide interfectorum patrocinium habere uti acceptissimum Largitori coelesti, exinde constat, quod ipsi concordi existimatione eos uti veros CHRISTI Martyres profiteantur. Nec desunt, qui ad tumulum accedunt, Servorum DEI reliquias veneraturi. Haec autem fiducia in Servorum DEI intercessione longe per dies lateque succrescit ceu deponit testis 12us, qui sepulchri claves custodiens semper cogitur visitatores comitari.

Famam signorum vigere deponunt testes 7us et 12: verum Promotor animadvertit sanationem a Teste 7° a capitis dolore acceptam non solum naturalem omnino videri, sed ceteris omnibus ignotam mansisse. Quoad primum respondit advocatus, non heic de miraculorum merito, sed de eorum tantum fama peragitur. In casu autem exposito certum est praelaudatum Testem a vehementi et obstinato capitis dolore, non pharmacorum operâ, sed implorata prope tumulum intercessione Servorum DEI eorumque reliquiis superimpositis, illico et immediate convaluisse. Ni ergo verum miraculum, saltem in his sanationis adiunctis peculiaris gratia a DOMINO Servorum suorum intercessione concessa haud erit deneganda, quod quidem pro re nostra sat est. Alterum vero, idest neminem hoc factum scivisse Censor affirmat, at minime probat. Quin imo eadem ratio qua hic testis a postulatore inductus fuit, idest quia asserit duas recepisse gratias a dictis octo Religiosis interemptis, satis ostendit eius sanationem iam antequam processualia acta conderentur, fuisse notam; secus non potuisset a Postulatore hac de causa induci.

Superest aliud mirabile factum, quod a Teste 13° narratur, splendoris scilicet ac columnae thuris, quae quadam nocte prope Ser-

vorum DEI tumulum perspecta sunt. Repetam heic quoque, ait advocatus, non hunc esse locum probandi miracula. At quoad censoris optimi obiecta, advertam non tam facile mirabile hoc factum posse Testis 13[1] phantasiae tribui, licet enim lucem prope sepulchra coruscantem ipse solus viderit, tamen postea tres alios testes secum duxit; qui omnes veluti fumi columnam inspicientes, incensi odorem suavissimum percepere.

Notandum venit quod hanc phantasiam minus probabilem reddet ipsa religio ad quam pertinebant testes. Ipsi enim, etsi non catholici, tamen maximâ perculsi admiratione, supernaturali causae adscribere non dubitarunt inclytum hoc factum. Plures autem ex testibus illud ut prodigium referunt.

Quibus omnibus animadversis, muneri mihi concredito pro posse satisfeci, ait advocatus. Ostendi censorias obiectiones, mira arte a solertissimo ingenio elaboratas, obnubilare non posse inclytam martyrii gloriam, quam Servi DEI pretiosâ eorum morte sunt consequuti, quaeque ex ipsis obiectis praeclariori lumine effulget. Ex quo in patulo fit gloriosam horum heroum memoriam praeclarâ martyrii famâ exornari; nec quidem deesse, qui in propriis necessitatibus fidentibus precibus sese eorum intercessioni commendent, opemque coelesti Largitori acceptissimam implorent, eorumque freti patrocinio gratias ac miracula a DOMINO obtinuisse deponant. Augescet autem cum Martyrum gloria catholicorum fiducia, si, ut sperare fas est, postulationi nostrae Sacri huius Ordinis benignitas obsecundet. Ut igitur affirmativa responsione dubium hodiernis comitiis propositum resolvatis, Vos, Emi Patres, cum viris scientia ac dignitate praestantibus qui postulatorias litteras dedere, cum integra Minorum Observantium religiosa Familia, tot clarissimis filiis de catholica Ecclesia benemerentissima, repetitis precibus exoramus.

Quare etc.

GUSTAVUS PERSIANI.

DECRETUM

S. C. super Disciplina Regulari, quo in Provinciam Ordinis canonice erigitur Reformata Custodia Cincinnatensis S. Joannis Baptistae. (1)

Beatissime Pater,

Fr. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO, Minister Generalis, exponit: Fratres Minores Reformati anno 1844 ad Status Foederatos Americae Septentrionalis venerunt; ibique in diversis Dioecesibus, optantibus respectivis Locorum Ordinariis, domos nostri Ordinis successive erexerunt. Quibus permotus S. M. Pius PP. IX anno 1858 dictas domos in Custodiam Ordinis nostri benigne erexit. Benedicente DOMINO, Patres praefatae Custodiae in Missionibus Americae sedulo laborantes, plures alios postmodum potuerunt erigere conventus et domus seu hospitia. Propterea Custodiae Patres summopere optant, ut eorum Custodia Ordinis Provincia declaretur; et in capitulo congregati, hic insertam petitionem ad Oratorem miserunt. Etiam Revmi Episcopi eiusmodi Custodiae erectionem in Provinciam petunt, praesertim Illmus ac Revmus Archiepiscopus Cincinnatensis, prout ex pariter insertis ipsius litteris apparet. Cum insuper Commissarius, qui currente anno canonicam visitationem Custodiae peregit, zelum Patrum pro regulari disciplina laudaverit, eorumque petitionem pariter commendaverit, Orator, ut praefatis piis iustisque votis satisfaciat, Sanctitati Tuae humiliter et enixe supplicat, quatenus praefatam Reformatam Custodiam Cincinnatensem S. Joannis Baptistae, Apostolica auctoritate in Provinciam evehere, eique omnia iura et privilegia benigne concedere dignetur, quae ceteris nostri Ordinis Provinciis per Constitutiones Apostolicas et Ordinis Statuta concessa sunt.

Quam gratiam etc.

S. Congregatio super Disciplina Regulari, vigore facultatum a SS. D. Nostro LEONE Pp. XIII, per Emum Praefectum sibi tributarum, attentis expositis, benigne demandavit committi cum facultatibus necessariis et op-

(1) Cfr. *Acta Ordinis*, Anno IV, pag. 135, de origine et progressu huius Ref Custodiae.

portunis R. D. D. Archiepiscopo Cincinnatensi, qui veris existentibus narratis, memoratam Custodiam in Provinciae nomen et gradum cum omnibus iuribus, privilegiis, praerogativis, exemptionibus erigere valeat iuxta Constitutiones Apostolicas et Ordinis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae die 11 Septembris 1885.

J. CARD. FERRIERI, *Praef.*

ANTONIUS M. *Archiep. Palmyren.*, Secretarius.

II.
ACTA ORDINIS

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTAURANDA
CAP. I.
DE PAUPERTATE
(Continuatio)

§ 6. *De peccatis contra paupertatem.*

76. Fratres Minores in solemni sua professione vovent, quod sine proprio vivere velint, et ad hoc etiam per expressum S. Regulae praeceptum obligantur. Religiosus contra hanc paupertatis observandae obligationem multiformiter potest peccare. Quatuor praecipue modis contra paupertatem peccata committi possunt, scilicet, 1° si Religiosus aliquam rem sibi appropriare attentet, 2° si rebus *per se* sibi licitis utatur sine licentia Superioris, 3° si rebus sibi illicitis utatur, licet hoc consentiente Superiore fiat, 4° si rebus superfluis et nimis pretiosis utatur. In primo et secundo casu contra votum suum agit, et peccatum *proprietatis* committit, in tertio et quarto casu contra Regulam et virtutem paupertatis peccat.

77. Peccatum proprietatis in Religiosis, qui sive rem, sive ius, cui solemniter renuntiarunt, sibi arrogare praesumunt, omni semper abominatione dignum habitum est. S. Patres illud furto aequipararunt. S. Basilius ait: (1) « Qui aliquid proprium habere studet, non « cogitat, quod propter vilia propriam salu« tem amittit; et concedite mihi, ut paulo « audacter loquar, quod alter quispiam Judas « sit, a furto initium faciens; furtum enim est « illa privata possessio, et in proditionem de« sinens ». — S. Augustinus dicit: (1) « Si « quis rem sibi celaverit, furti iudicio con« demnabitur ». — S. Bernardus scribit: (2) « Possidere aliquid peculiare apud servos DEI « pro magno crimine habetur. Hoc quippe « furtum est, grande peccatum est, hoc est « iter inferni: ait enim Paulus Apostolus, (3) « *neque latrones, neque rapaces regnum* DEI « possidebunt: et qui sibi separat aliquid pro« prium, poenas Judae sustinebit in inferno. » — Religiosus *proprietarius* non solum furtum committit, sed etiam horrendum sacrilegium, quia temerario modo votum suum violat.

(1) Constit. monast. cap. 34.

78. Gravitas peccati, quod Religiosus proprietarius committit ex poenis dignosci potest, quae contra illud latae sunt. Jam antiquitus tam gravis poena contra Religiosos proprietarios lata fuit, ut ipsis etiam sepultura ecclesiastica negaretur. De hac re sanctos Patres testes habemus. Nam S. Hieronymus ait: (4) « Seniores decreverunt, sancto in eis loquente « SPIRITU, proprium esse cum proprietario in« fodiendum in eius perditionem. Neque hoc « crudeliter quisquam putet factum: ex hoc « enim cunctos per totam Aegyptum terror « invasit ». — S. Gregorius Magnus mortem alicuius monachi proprietarii narrat, ac deinde addit: « Postquam ille monachus fuit in ster« quilinio sepultus, Fratres omnes, ea sen« tentia perterriti, coeperunt singuli quaeque, « etiam vilia, in medium proferre, vehemen« terque formidare, ne quid apud eos esset, « unde reprehendi potuissent ». — In Concilio Lateranensi sub Alexandro III iste canon legitur: « Qui peculium habuerit, a commu« nione removeatur Altaris: et qui in extre« mis cum peculio inventus fuerit, et digne « non poenituerit, nec oblatio pro eo fiat, « nec inter Fratres recipiat sepulturam: quod « de universis Religiosis praecipimus obser« vari ».

79. Frater Minor per professionem solemnem dominio, possessioni, proprietati, usufru-

(1) Ep. 109 ad Monial.
(2) Lib. *De modo bene vivendi*, cap. 48.
(3) I. Corinth. 16, 10.
(4) Epist. 20. ad Eustoch.

ctui, et usui iuris renuntiat, ita, ut nihil ipsi maneat, nisi simplex usus facti, cui essentiale est, ut omnino dependeat a voluntate Superioris. Qui ergo praedictos actus civiles, vel usum rei sine Superioris licentia sibi arrogat, a professione sua recedit, votum violat, et detestandum *proprietatis* peccatum committit. Hoc autem, prout Expositores Regulae docent, variis modis fieri potest, quos nunc breviter indicabimus.

80. *Proprietarius* est, qui *sine licentia Superioris* rem quamdam in usum suum recipit, retinet, aut alteri tradit; ratio est, quia talis, cum requisita ad simplicem usum facti dependentia desit, ius utendi et disponendi sibi attribuit. Multo magis hoc dicendum est, si quis rem recipit, retinet, aut alteri tradit *contra* expressam vel probabiliter praesumptam Superioris voluntatem.

81. Proprietarius etiam censendus est ille, qui sine licentia Superioris ea, quae ad usum totius Communitatis spectant, in usum sibi peculiarem assumit, vel alteri concedit. Hoc idem dicendum est de eo, qui aliquid ex cella alterius Fratris surripit, quod huic in usum concessum fuit. Vana est illa excusatio, quae quoad haec proferri solet dicendo: in Ordine omnia sunt communia; nam ex hoc ipso sequitur, quod nullus independenter sibi aliquid proprium facere possit. Ideo S. Bonaventura dicit: (1) « Res quidem sunt communes, sed « usus dispositio pertinet ad Praelatos: usur- « patus autem sine licentia usus prorsus illi- « cite et culpabiliter vindicatur ».

82. De peccato proprietatis merito arguitur, qui contra Praelatum de rebus ad usum suum particularem concessis aliquid tollentem vel de istis aliter disponentem turbatur et obmurmurat. Hic secundum S. Bernardinum Senensem pessimus proprietarius censendus est, si constans in proposito et voluntate permaneat, rem illam habendi contra Praelati voluntatem, cum hic solus possit de rebus loci disponere, prout iudicaverit expedire.

83. Juxta S. Bernardinum actus proprietatis est, rem quamcumque Praelato suo celare, seu illam vel Superiori locali vel Provinciali visitanti abscondere, ne surripiatur; et multo magis, ait idem Sanctus, proprietatis notam incurrit, qui eundem in finem res vel sibi vel toti Communitati in usum concessas saecularibus custodiendas tradit, post factam visitationem iterum reddendas.

84. S. Bernardinus etiam eos proprietariis adnumerat, qui abscondunt clavem, ne Praelatus quidquam tollat, aut aliud disponat. Qui ita cellam vel scrinium in cella obserat, ut nonnisi per vim aperiri possit, talis proprietatis notam incurrit.

85. Illi Conventus officiales, qui dum Fratres in suis necessitatibus cum licentia Superiorum ad ipsos veniunt, duros tenacesque se ostendunt, necessitatem examinare volunt, et nonnisi inviti, et cum murmure postulata concedunt, vel etiam ex parte negant: non sunt in suo officio fideles dispensatores, sed ut domini ac proprietarii procedunt. Superiores conscientiam suam maculant, si tales officiales non corrigant ac removeant, *tum* quia alienorum peccatorum participes *fiunt*, tum quia pro Fratrum necessitatibus debitam curam non gerunt.

86. Proprietarius est, qui sine licentia Superioris eleemosynas pecuniarias recipit, aut deponi vel expendi facit. Si hoc cum licentia Superioris, sed sine legitima dispensatione, fit, peccatur quidem contra Regulam, peccatum autem proprietatis non committitur.

87. Proprietatis peccatum etiam committitur in quolibet contractu illicito, in quo nimirum Fratrer Minor obligationem civilem in se sumit, vel ius civile acquirit.

88. Non peccatum proprietatis, sed peccatum contra Regulam committunt, qui, licet annuente Superiore, utuntur pecunia, excepto casu legitimae dispensationis necnon casu extremae necessitatis, de quo egimus supra n. 40. Si vero pecunia insciis Superioribus uteretur aliquis, iste utique peccatum proprietatis committeret.

89. Pariter *contra Regulam* peccant, qui sine sufficienti necessitate utuntur illis rebus, quarum *usus arctus* tantum nobis est concessus. Sic, qui utuntur sine necessitate calceamentis, pluribus vestimentis, quam per Regulam permittuntur, vel vestimentis pretiosis.

90. Contra *virtutem paupertatis* ac Regulam peccant illi, qui utuntur rebus omnino superfluis ac statui nostro non convenientibus,

(1) Specul. discipl. p. 1. c. 4.

qui eiusmodi res accumulant, vel pro ipsis acquirendis sine sufficiente necessitate recursum ad amicos spirituales faciunt.

91. Item Superiores peccant, si res aut pecunias Conventuum aliter expendant, quam Ordinis Regula, vel leges Ecclesiae aut consuetudo permittunt, cum Praelati non sint bonorum monasterii absoluti domini, sed soli administratores. Item Superiores permittentes subditis, ut pecuniam expendant in usus superfluos, vanos, illicitos aut turpes; seu permittentes, ut bona seu mobilia superflua, pretiosa et statum suum dedecentia penes se habeant et retineant; tunc enim tam ipsi Praelati, quam subditi graviter peccant contra paupertatem, cum nec Superior possit tales licentias concedere, nec subditi illis uti, prout patet ex Concilio Tridentino, sess. XXVI, *de Regul.* cap. 2.

92. Monent auctores, peccata contra paupertatem non solum opere, sed etiam corde et ore posse committi. Sicut enim per decimum Decalogi praeceptum omnibus hominibus prohibetur, ne concupiscant rem proximi sui, ita etiam Religiosis prohibentur desideria deliberata res sibi appropriandi, juxta notissimam Regulam: non licet desiderare, quod non licet habere. Caveant ergo Religiosi a talibus desideriis; caveant pariter ab illis loquendi modis, qui proprietatem, dominium, seu ius quoddam in res mundanas indicant.

93. Quoad peccata contra paupertatem Theologi communiter levitatem materiae admittunt; non consentiunt autem in determinanda gravitate materiae ad peccatum mortale requisitas. Multi auctores censent, tantam requiri materiam, quanta requiritur, ut aliquod furtum sit peccatum mortale. Matthaeucci putat (1), « in receptione vel con« trectatione civili pecuniae vix dari parvita« tatem materiae, quae excuset a mortali; tum « ex intentione S. Francisci prohibentis *nullo* « *modo* pecunias recipi debere; tum ratione « scandali et detrimenti, quod Ordini obve« nit. Solent enim saeculares offendi, ubi vi« dent a Fratribus unum vel alterum obolum « expendi, et inde retrahuntur ab eleemosyna « Ordini elargienda: licet enim habere unum « vel alterum obolum non sit *per se* materia « peccati mortalis, tamen receptio et contre« ctatio civilis ratione dicti scandali et detri« menti a mortali non excusatur. Et *per ac*« *cidens* esset, si saecularis non scandaliza« retur, nec illud detrimentum sequeretur; « quod enim est *per accidens* non variat, quod « est *per se* ».

(1) Schola paupert. tit. 2. cons. 3. n. 6.

94. Animadvertendum etiam est, peccatum proprietatis in Ordine nostro esse reservatum.

95. DEO summopere displicet peccatum in saeculari, et adhuc multo magis in Regulari. Religiosi sunt domestici, amici, filii DEI. Dicit autem S. Bonaventura: (1) « Sicut pater dolet « magis deformitatis maculam in filio, quam « in alieno; sic DEUS peccata omnium odit, et « tamen quodammodo ea durius punit in amicis « suis, quam in aliis ». Unde, ceteris paribus, graviora sunt peccata Religiosorum, quam mundanorum. Nam, teste S. Antonino, (2) « quanto quis recipit maiora beneficia, tanto, « faciens mala, magis ingratus est ». Deus exspectat a Religioso obsequium et fidelitatem proportionaliter ad eas gratias, quas ipsi communicat; si huic exspectationi non respondet, tanto est peior, quanto DEUS erga eum extat liberalior.

96. Horrendum iudicium tulit S. Petrus Apostolus in primos Ecclesiae christianae proprietarios Ananiam et Saphiram, quos vita censuit indignos, quia contra communem tunc temporis christianorum usum res mundi viles sibi reservaverant. Nonne illa verba, quae S. Petrus dixit Ananiae, dici possunt ad quemlibet Religiosum proprietarium: (3) « Cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te « Spiritui sancto... nonne manens tibi manebat, « et venumdatum in tua erat potestate? Quare « posuisti in corde tuo hanc rem? Non es « mentitus hominibus, sed DEO ». Plena libertate nos omnibus mundi bonis renuntiavimus; a nemine ad hoc votum emittendum coacti sumus, sed voluntarie illud emisimus. Ergo ad illud servandum simpliciter et stricte sumus obligati. Si illud non servaremus, tota nostra vita mendacium esset continuum. Haec semper serio recogitemus, et tremenda DEI iudicia timeamus! *(Continuabitur)*

(1) Lib. 2. de profect. Religiosor. cap. 27.
(2) Part. 2. tit. 3. cap. 9.
(3) Act. v. 3. 4.

ALLOCUTIO
EMI CARDINALIS NETTO

Uti iam diximus (1) Emus Cardinalis Joseph Sebastianus Netto, Patriarcha Ulyssiponensis et Ordinis nostri decus, in Consistorio publico diei 10 Junii proxime elapsi rubrum accepit galerum, una cum sex aliis Collegis sacra purpura condecoratis. Sanctorum Duodecim Apostolorum a Sanctitate Sua Leone XIII titulo insignitus, ad hanc antiquam basilicam in sabbato sequenti, die scilicet 12 Junii, accessit, ut Sanctitatis Suae Apostolicas litteras publicari iuberet. Ad valvas solemniter exceptus a Rmo P. Ministro Generali Minorum Conventualium, qui eidem basilicae inserviunt, ac ab universa eiusdem Conventus familia, necnon praesentibus multis aliis Franciscalibus, Lusitana apud sanctam Sedem Legatione, et ampla fidelium corona, paratum in presbyterio thronum ascendit. Perlecta deinde a Pontificio Caeremoniarum Magistro Summi Pontificis Bulla, Procurator Generalis Minorum Conventualium ad Eminentissimum Titularem disertum sermonem habuit, cui respondit Cardinalis Netto his verbis, seraphicae vocationis affectum redolentibus, quae ex originali manuscripto ad litteram referimus:

« Quae tibi, Rme Pater Generalis, una cum praeclaris Confratribus tuis, eadem et causa laetitiae mihi est. Gavisus namque sum ex animo quod, providissima Summi Pontificis dispositione, obtigerit mihi titulus huius amplissimae Constantinianae sanctorum duodecim Apostolorum Basilicae, custodiae Fratrum Minorum iam a saeculis concreditae. Siquidem et ego in Ordinem Franciscalem ingressus, et inde, me invito et reluctante, ex obedientia divulsus et ad Episcopatum promotus, nihil dulcius adhuc habeo, quam ut possim inter Fratres aliquantisper versari: atque utinam mihi liceret ad ipsos reverti, et regularem vitam in claustro iterum ducere!

Hac de causa summopere gaudeo quod talem titulum sortitus sim, qui me quodammodo Ordini Minorum restituit ac novo vinculo devincit.

(1) (Cfr. praecedentem fasciculum).

Illud praeterea gaudium meum auget quod haec Basilica memoria Sanctorum duodecim Apostolorum dicata est. Successor enim cum sim, quamvis indignus, Apostolorum in munere episcopali, nunquam, Deo auxiliante, obliviscar officium meum esse sanam doctrinam semper praedicare, Jesu Christi, et Ecclesiae suae, et Sanctae Sedis Apostolicae iura tueri ac vindicare, et, si necesse sit, etiam sanguinem et vitam profundere, ne unquam faciam animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et adimpleam ministerium verbi, quod traditum est mihi.

In hunc finem rogo Vos, Rme Pater Generalis et Confratres mei charissimi, ut memores sitis semper mei in orationibus vestris apud SS. Virginem Immaculatam, Ordinis nostri Patronam, apud Sanctos Apostolos, et Seraphicum Patriarcham nostrum S. Franciscum, et Thaumaturgum Antonium Ulyssiponensem. Ego vero ex nunc speciali *charitate* vos prosequens, et in Christi Jesu *Sacratissimo* Corde complectens, si quid in vestri gratiam facere possum, prompto libentique animo me facturum profiteor. »

Romae 12 Junii 1886.

✠ Joseph, Cardinalis Netto,
Patriarcha Lisbonensis

Emus Cardinalis noster, ex Secretaria Status notificatione, addictus est ad Sacras Congregationes Rituum, de Propaganda Fide, et Lauretanam.

SUPPLICES LITTERAE (1)

ad Summum Pontificem, de festo S. Joannis a Capistrano *ad universam ecclesiam extendendo.*

Beatissime Pater.

Optimo sane consilio Sanctitas Tua quatuor ab hinc annis in Ecclesiae Kalendario nonnullorum Sanctorum Officia inserenda decrevit,

(1) Jam anno elapso Rmus D. Episcopus Valvensis, in cuius dioecesi existit Capistrana civitas, capta occasione quinti a Nativitate S. Joannis finientis saeculi, ad multos Episcopos aliam epistolam hac de re direxit.

Cfr. *Acta*, Anno iv. pag. 60. Omnes fere Curiae Romanae Cardinales et ultra centum ex Italia episcopi huic Epistolae subscripserunt.

qui Apostolorum opus prae caeteris prosequuti, Ecclesiae Dei aedificandae ac tuendae, et in diversas gentes dilatandae impensius adlaborarunt. Hoc autem Sanctitas Tua non ideo tantum statuit ut talium Sanctorum cultus et honor augeatur, sed etiam ut eorum virtutum memoria altius in Catholicorum animis impressa, omnes ad easdem virtutes imitandas accendat, ac eos praesertim qui Sacerdotii munere fungentes, aliorum duces existunt, ad fidei charitatisque dilatandae ac tuendae zelum magis magisque excitet.

Inter huiusmodi porro viros Sanctos de universa Christiana Republica bene meritos optimo iure recensendus videtur S. Joannes a Capistrano, qui nedum heroicarum virtutum exemplar in Minorum Ordine effulsit, sed magnos exantlavit labores pro Ecclesia Christi, tum verbo Dei disseminando in dissitis etiam Germaniae, Bohemiae, Poloniae, Hungariae aliisque Europae regionibus, tum in tota Italia Inquisitoris munere fungendo ad funditus evellendus Fraticellorum aliorumque haereticorum sectas, tum regum principumque animos pacificando, tum Iudaeorum audacia retundenda, tum Graecorum Schismate extinguendo in Florentino Concilio, tum praesertim, non absque prodigio, Turcarum copiis Christianae Reipublicae ruinam minantibus, inexperto milite apud Taurunum profligandis.

Huius porro sancti Viri, qui universam Dei Ecclesiam multifariam multisque modis illustravit, Officium et Missa in multis Dioecesibus et in Minorum Ordine celebrantur, sed cum maxime congruum videatur, ut qui toti Ecclesiae Catholicae, tot virtutum exemplis, innumerisque exantlatis laboribus profuit catholico honestetur cultu, catholicisque precibus in tanto Christianarum rerum turbine de patrocinio exoretur, humillime precor Sanctitatem Tuam, ut eiusdem S. Ioannis a Capistrano Officium et Missam ad universalem Ecclesiam, cuius verum, visibile, et infallibile Caput es, extendere digneris, et ad Ssm. Pedum osculum provolutus pro me, fidelibusque meae curae concreditis Apostolicam benedictionem efflagito.

Notandum. — Praefatae Litterae cura Adm. R. P. Postulatoris Generalis causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis nostri, ad totius Orbis Episcopos, mense Maii 1886 decurrente, transmissae sunt ut et ipsi supplici libello nomen dare dignentur. Decurrente mense Junii, ducenti fere episcopi revera petitioni adhaeserunt. Itaque rogamus omnes Provinciales et locales Superiores, praesertim extra Italiam, ut locorum Ordinariis eamdem petitionem commendare satagant.

—

ERECTIO PROVINCIAE S. JOANNIS BAPTISTAE CINCINNATENSIS

Cum Sacra Congregatio super disciplinam Regularium indulserit, ut Custodia Ref. Cincinnatensis in Provinciam erigeretur, per Rescriptum d. d. 11 Septembris 1885, cuius executionem Archiepiscopo Cincinnatensi demandavit, Rmum Definitorium Generale in Congressu diei 15 Octobris eiusdem anni, statuit eosdem novae Provinciae Superiores nominare et eligere, quos Capitulum Custodiale diei 5 Augusti 1855 elegerat, addito Definitore, qui pro eiusmodi officio post rite electos in Capitulo maiorem numerum suffragiorum tulerat. Die autem 25 Martii 1886 in festo Annuntiationis B. M. V. Illmus et Rmus Dominus Gulielmus Elder, Archiepiscopus Cincinnatensis, in Conventu Cincinnatensi ad S. P. N. Franciscum, corona Fratrum circumdatus, praesentibus 3000 fidelium, Apostolica Auctoritate Custodiam S. Joannis Baptistae in Provinciam erectam fuisse declaravit ac eiusdem Superiores promulgavit, sequentes nempe iam a Definitorio Generali designatos:

Ministrum Provincialem

A. R. P. Hieronymum Kilgenstein.

Custodem Vocalem

A. R. P. Lucam Gottbehoede.

Definitores

R. P. Nicolaum Holtel.
R. P. Davidem Kersting.
R. P. Athanasium Lingermann.
R. P. Franciscum Lings.

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1886 celebrata. (1)

—

II.

Obs. Custodia Hercegovinae (2)

In Capitulo Nostrae Observantis Custodiae Hercegovinae celebrato die 29 Aprilis a. c. in Conventu B. M. Virginis in Coelum Assumptae Sirokibrieg, praesidente Adm. Revdo Patre IVONE RODIC, Commissario Generali Visitatore, rite et canonice electi fuerunt

IN CUSTODEM:

A. R. P. Aloisius Rados

IN DISCRETOS

R. P. Nicolaus Simovic'
R. P. Raphael Rados'
R. P. Paulus Petrovic'
R. P. Michael Rubic'

(1) Cfr. *Acta* huiusce anni, pag. 62.

(2) Ex relatione Adm. R. P. Visitatoris sequentia desumimus:

In Custodiae Conventibus degunt 24 Sacerdotes et in diversis Custodiae paroeciis 29 alii Patres sacro vacant ministerio.

Adsunt etiam 12 Clerici et 25 Alumni, qui ad Ordinem destinati a Patribus educantur.

Custodia duos habet Conventus *Sirokibrieg* et *Humac* atque Residentiam *Mostar.*

Conventus Sirokibrieg.

Conventus iste principalis est Custodiae et antiquissimus. Ecclesia exigua e lapididibus quidem aedificata est, verum quoniam lapides structurae molles sunt, humorem in se facile recipiunt, et eumdem etiam extra muros propagant, sicque accidit quod tota Ecclesia humida conspiciatur. Templum hoc interne pauperrime instructum est, sed nec mirandum; fideli enim populo in paupertate existente, Fratribus etiam cum egestate colluctandum est. Vasa sacra uti et vestes sacrae, etsi vilis sint pretii, mundae tamen et nitidae habentur; sedes confessionales etiam ad praescriptum adornatae existunt.

Lapis fundamentalis ecclesiae per bonae et piae memoriae Episcopum P. Raphaelem Barisic positus fuit anno 1846, et quamvis Summus terrae Dominus Sultanus medio fermani indulserit maioris amplitudinis templum aedificari, domesticis tamen Mahumetanis infensissimis Crucis CHRISTI inimicis impedientibus, fabrica haec ad exiguam praesentem molem exsurrexit. Ecclesia igitur perangusta, parochia vero sat populosa, et fidelibus divina diligenter frequentantibus, quoties tempus permiserit, divina officia in loco penes Conventum commodo sub dio aguntur.

Conventus perfectum quadratum facit. Cubilia per Patres et Clericos inhabitata secundum sanctam paupertatem instructa habentur. Adest Bibliotheca, summe necessaria sacerdotibus opera continens. Clerici in hoc Conventu degentes theologiae incumbunt.

Tertiarii saeculares utriusque sexus numero 567 adscripti in hac Parochia *Sirokibrieg* habentur, inter quos 31 exacto anno probationis die 19ᵃ. Februarii anni currentis ad sacram professionem accessere,

Conventus Humac.

Ecclesia Conventualis in *Humac* anno 1866 cum Conventu aedificari coepta est, longitudinis una cum choro post aram maiorem locato et Religiosis inserviente, circiter 18 et latitudinis 6 *orgiarum*, habens penes maiorem adhuc duas laterales aras; structa vero est e lapidibus. Quod instructionem internam attinet, misera dici debet; attamen huic Regioni, quae in praesentiarum adhuc paucissimas habet ecclesias, adaequata; quapropter a fideli populo, qui se felicem reputat quod sub dio non debeat divinis assistere, etiam solertissime frequentatur. Ecclesia habet turrim et duabus utique parvi ponderis campanis provisa est; organo deficiente, eius vices supplet harmonium. Sacra vasa et vestes cultui divino inservientes, esto vilis sint pretii, laudabilem tamen munditiem et integritatem praeseferunt.

Conventus figuram graecae litterae *Phi* praesefert, estque e parte orientali in quo Patres officiantes habitant ad duas, occidentalis vero ad unam contignationem elevatus praebens clericis in superiori tractu, et iuvenibus, qui pro Ordine educantur, in subterraneo habitationem, ambitus vero prope Ecclesiam positus hos duos tractus invicem iungit. Clerici a iuvenibus memoratis medio clausurae separati existunt. Parietes huius Conventus e lapidibus, quorum copia uti hic ita ex in tota Hercegovina superabundans est, exstructae sunt; verum iterum constructio ex toto lignea est.

Tertiarii nostri Ordinis saeculares in Districtu ad *Humac* spectante habentur et quidem: in Parochia *Humac* 235, in Parochia *Klobuk* 350, in *Veljaci* 90, in Parochia *Gradnici* 200; universim 875, et hoc ab anno 1884 incipiendo.

Residentia Mostar.

Ecclesiae Mostariensis fundamenta anno 1866 posita sunt; stylus est Corinthius; longitudinis, incluso sanctuario, praesefert brachia 66, latitudinis 39; tota sacrae aedis longitudo ad sanctuarium usque tribus constat alis, media magna, duabus autem lateralibus minoribus; habet turrim tribus cum campanis. Templum hoc sat amplum et ex integro depictum, habet organum amplitudinis ecclesiae correspondens, et munditiem laudabilem omni ex parte demonstrat, a fidelibusque quotidie diligentissime frequentatur. Quod hic de munditie Ecclesiae dicitur, id etiam de sacris vasis et vestibus ad sacros usus adhibendis repetendum venit. Inter sacra vasa duo sunt calices et ostensorium, obiecta argentea et affabre facta.

Residentia simplex est domus novae structurae.

—

III.
MISSIONES

—

Relatio Missionis Manaos
Provinciae Amazonum in Brasilia

(ex relatione R. P. Jesualdi Machetti M. O. eiusdem praefecti, Rmo P. Generali Ministro totius Ordinis Minorum exhibita, die 30. Decembris 1885.)

Jam alias ex eiusdem Patris scriptis, typis editis, huiusce nostrae Missionis locum statumque descripsimus (1), et quomodo subjecta fuerit auctoritati Commissarii Generalis Reipublicae Argentinae, item adnotavimus (2). Exinde acta ex nova P. Jesualdi relatione depromimus ad nostrorum Fratrum aedificationem et praesertim ad iuvenum incitamentum: speramus equidem fore ut rescientes multam ibi paratam messem extare, operariosque paucos ad eam excolendam inveniri, Deus, qui est Dominus messis, vocatione sua sancta, ad id munus eos invitet.

Ac praeprimis Missio a S. P. N. Francisco nuncupata ad fluvium *Madera* posita, anno Domini 1871 exeunte fundata, in paroeciam a civilibus provinciae moderatoribus evecta est mense majo anni p. e. 1885, et Rmi Episcopi de *Pará* auctoritati subiecta, ut canonica etiam institutione potiretur.

Ad faciliorem autem populorum culturam, et attenta deficientia ministrorum, necesse fuit Missiones omnes in unam tantum compellere regionem, quae dicitur alti fluminis Nigri ad amnes *Vaupès* et *Tiquiè* eiusdem Nigri adfluentes, secus Columbiae vel Neogranatae confinia. Eapropter R. P. Matthaeus Canioni e Missione fluminis *Purùs* revocatus fuit ut ipse et R. P. Illuminatus Coppi laborum comites irent R. P. Venantio Zilocchi in hanc ipsam regionem.

Hae porro Missiones ita florent quod non modicum adferre fructum repromittant, licet tam exiguo operariorum numero colantur, nec facilis ad illas Missionariis pateat accessus. Nusquam enim amplius quam tres Religiosi earumdem curae invigilarunt; et navigatio Nigri fluminis ab civitate *Manaos* ad extremum usque Missionis nostrae adversa est et nimis salebrosa, dum vectoriae naves, quae quolibet tantum mense ab eadem discedunt civitate, varios post adpulsus ad portum S. Elisabeth, quadringentis et quinquaginta milliariis ab illo *Manaos* dissitum, convehuntur: nec ultro procedere valent, quia scopulosum inde flumen occurrit, quod *transvehi* nequit, nisi cymbulas remis compellendo, quae saepe saepius etiam sistere debent, praesertim ad maiorem *cataractam*, quam *Camanaos* vocant, ita ut nonnisi post dies decem periculosae huius navigationis ad pagum usque vel paroeciam S. Gabrielis perveniatur.

Quae paroecia vetustior omnibus est, cuius institutio lusitanarum coloniarum tempore nitet, attamen ab immemorabili parocho viduata subsistit. Si ad sinistram Nigri oram, quipiam ascendat, videt ostium fluminis *Vaupès* ipsius Nigri magnitudinem aemulantis, cuius latitudo media ad mille tercentum et ultra passus computatur. Ad ripas huius fluminis maior est nostrarum Missionum numerus; quas inter potiores sunt Missio S. Hieronymi de *Ipanorè* et alia S. Francisci de *Taraquà:* quae velut centrum sunt omnium aliarum, quamvis non minus sexcentis a *Manaos* milliariis distent.

Cum e Missione S. Hieronymi de *Ipanorè* fluvii *Vaupes* littus percurritur ad suas usque scatebras, post quatuor dies navigationis, cum ob fluminis undas in praeceps ruentes, tum ob minaces arduosque scopulos, difficillimae, ad Missionem S. Antonii de *Javaritè* pervenitur, quae quatuorcentum habet Christifideles, etsi eis parochus dari nondum possit. Verum et aliae Missiones licet minoris ponderis in hac ipsa regione institutae sunt: ultra quam procedere nolumus ne alienam videamur invadere provinciam, videlicet, Neogranatam. Retrocedentes igitur descendimus usque ad Missionem S. Francisci de *Taraquà*.

Subtus hanc nostram Missionem, ad deteram *Vaupès*, fluvium alterum in suo ipso ostio conspicies, geographicis equidem chartis adhuc delineandum, quia placidum et navigabile semper navibus remis velisque instructis, sed et ignei caloris vi concitis sulcari potest magna saltem in anni parte. Hoc flumen, cui

(1) Acta Ordinis Min. Ann. I. 1882. pag. 186.
(2) Ibid. Anno III, pag. 161.

nomen est « Tiquiè » plures nationis *Macùs* tribus accolunt, quas inter quatuor Missiones fundavit R. P. Venantius Zilocchi, scilicet, S. Elisabeth de *Tuccano,* S. Mariae a Nazareth, S. Josephi de *Maracajù,* et S. Petri de Alcantara. Triennio proxime superiori suam dictis missionibus curam impendit idem Pater, prout illi S. Francisci de *Taraquà* aliisque inferius fluminis *Vaupès* positis P. Matthaeus Canioni: et S. Hieronymi de *Ipauorè* ac illis superiore eiusdem fluminis parte institutis P. Illuminatus Coppi, qui unius tantum anni spatio permulta in bonum illarum gentium operatus est.

Sexdecim hucusque sunt populi catholicae religioni comparati et huic nostrae Missionum praefecturae subiecti, quorum prospectum ob oculos lectorum ponere operae pretium existimamus.

N.	*Populi*	*Flumina*	*Nationes*	*Indiv.*
—	—	—	—	—
1.	S. Petri Apost.	Vaupes	Tariana	80
2.	Conceptionis	id.	ead.	40
3.	S. Bernardini	id.	ead.	130
4.	*Iu-Rapecuma*	id.	ead.	70
5.	S. Michaelis	id.	ead.	166
6.	*Umari*	id.	ead.	86
7.	S. Leonardi	id.	ead.	162
8.	SS. Trinitatis	id.	ead.	86
9.	S. Luciae	Papurí	Macù	162
10.	S. Francisci de *Taraquà*	Vaupès	Tariana	318
11.	S. Hieronymi de *Ipanorè*	id.	ead.	330
12.	S. Antonii de *Javaritè*	id.	ead.	404
13.	S. Elisabeth de *Tuccano*	Tiquiè	Toccano.	318
14.	S. Mariae de Nazareth	id.	ead.	266
15.	S. Joseph de *Macarajù*	id.	ead.	300
16.	S. Petri de Alcantara	id.	ead.	188
				——
			Summa	2977

Apud eiusmodi pagos tamen et aliae tribus non paucae inveniuntur quae nondum coadunari ac humanitatis et religionis legibus penitus subiici potuerunt: naturalem enim, qua potiuntur, libertatem diligunt, casasque suas amant potius, quam socialitatis instituta aedificiaque Civitatis. Quo sane in affectu eiusmodi gentes eo vel magis continent venditores quidam errantes, qui eas invisunt eisque obferunt quidquid earum necessitatibus expedire cognoscunt, hostimentum tamen accipientes naturalium illius terrae fructuum rerumque indicarum valorem: sed praesertim aquam ex vino distillatam subpeditant ut, inebriatae quo fuerint, eo libentius suis explendis cupiditatibus cedant. Verum nec satis venditoribus illis, qui praeterea rudes illas mentes omnigenis erroribus imbuere, animumque mala opinione, contemptu et odio usque excitare in Missionarios magna contentione adnituntur. Uno verbo omnem operam insumunt ut barbaricas has gentes ab obedientia distrahant Missionariorum, quo impunius eorum ignorantia abuti valeant. Quousque tandem id latet Rerumpublicarum Rectores?!

Harum tribuum synopsim item reddere voluimus, ut nostris praesertim iuvenibus adpareat, quae et quanta sit messis Patris caelestis horreis inferenda.

Tribus	*Flumina*	*Indiv.*
—	—	—
Macú	Papuri	669
Banibar	Queirari	900
Guvevas	Cudayari	986
Itumirí (Piratapuya)	Papurí	324
Caropana	Isana	892
		———
	Summa	3771

Si istiusmodi fluminum eorumque influentium loca interius penetrentur, aliae quoque non paucae sylvestres utique sed pacificae tribus inveniuntur, quae facillime ad humanitatis sensus redigi possent, dummodo alii atque alii ad paratam largamque segetem operosi adessent messores. Quae ad flumen *Vaupès* incolunt invisit P. Coppi una cum R. P. Matthaeo mense septembri anni 1883: et illas fluminis *Tiquiè* R. P. Venantius Zilocchi, qui praeter quatuor, quas fundavit, Missiones, alias tradit adesse tribus independentes et vagas, quae pertinent ad nationem *Macùs*.

(*Continuabitur*)

IV.
VARIA

DE OFFICIO PROPRIO
DE MISSA ET INDULGENTIIS, AC DE INSTITUTIONE FESTI S. P. N. FRANCISCI.

Jam inde per ipsam formulam Canonizationis, factae Assisii in ecclesia S. Georgii 16 Julii 1228, decrevit Gregorius IX, ut Fe-

stum S. Francisci celebraretur utique, cum Officio et Missa, in die obitus illius, qui incidebat, more computandi Italorum, in diem quartam, more aliorum in tertiam Octobris; sed sumi debet, ex mente Pontificis, pro die quarta, una hora inchoata (1). Redux Perusiam Papa, die 19 Julii 1228 fecit ibi Bullam « *Mira circa nos,* » in qua statuit, ut 4. Nonas Octobris, quo Franciscus obiit, universalis Ecclesia Festum eius devote ac solemniter celebret. Specialiter adhuc misit ad Praelatos Galliae Bullam « *Sicut phiala aurea* » (7. Idus Aug. 1228), in qua dixit, quod Franciscus duxerit vitam angelicam, eum canonizaverit ipse Papa, et ipsis mandet, ut illius Festum 4. Non. Octobris annis singulis solemniter celebrarent, ac annuntiarent celebrandum. Utraque haec Bulla est in Regesto Vaticano, num. 31. et Epist. 21., in Bullario Cherubini, et aliis. Huic ultimae omnino similem misit Papa ad Praelatos Lombardiae 12 Septembris 1228, et iterum ad omnes Ecclesiae Praelatos 21 Februarii 1229.

1. Volunt pauci, quod totum Officium proprium S. Francisci compositum sit (praeter Lectiones) a Fr. Juliano de Spira, qui fuerat Director Musices apud Regem Galliae, quod quidem verum est quoad notas, non quoad totum textum. Officium illud, paulo aliter dispositum, olim legebatur ab omni Clero, etiam cum Vigilia, prout editum est Venetiis, ann. 1552; a Minoritis vero legebatur per Octavam, transferendo quaelibet occurrentia Festa. S. Pius V. mutavit formam Breviarii, et Officium de S. Francisco praescripsit Clero saeculari, prout nunc ab illo legitur: Minoritis autem reliquit antiquum, mutando solam formam, cum obligatione celebrandi Festa occurrentia sex diebus infra Octavam.

Quod attinet singulas partes huius Officii S. P. N. Francisci:

Papa Gregorius IX composuit Hymnum ad I. Vesp. « *Proles de coelo prodiit;* responsorium octavum: « *De paupertatis horreo;* » item Prosam seu sequentiam pro Missa « *Caput diaconis ultimum,* » quae non est amplius in usu, et aliam in honorem S. Francisci de Passione Christi « *Flete fideles animae* » (1). Tandem ab omnibus Gregorio IX adscribitur Antiphona « *Sancte Francisce propera* » et Responsorium « *Plange turba paupercula* ».

Cardinalis Thomas a Capua composuit Hymnum ad Matutinum « *In coelesti collegio* » et illum ad II. Vesp. « *Decus morum;* » deinde responsorium VII « *Carnis spicam,* » certam Sequentiam antiquatam « *Laetabundus,* » et Antiphonam » *Salve Sancte Pater,* » (2).

Cardinalis Rainerius Capoccius a Viterbo composuit Hymnum ad Laudes « *Plaude turba paupercula* ». (3)

Cardinalis Stephanus a Casanova fecit Antiphonam « *Coelorum candor splenduit* ». (4).

S. Cardinalis et Ser. Doct. Bonaventura scripsit parvam Legendam Vitae S. Francisci, cuius partes posuit in II. Nocturno per totam Octavam.

Beatus Fr. Joannes ab Alvernia composuit Praefationem Missae, quae legitur in cunctis Missis S. Francisci.

Beat. Fr. Thomas a Celano fecit Sequentiam pro Missa « *Sanctitatis nova signa,* » quae conservatur inter MSS. Assisii, et exscripta est totaliter a Bollandistis pag. 801.

Papa Alexander IV, quem Gregorius IX Cardinalem creaverat, composuit Hymnos ad Officium S. Clarae et orationes pro Officio et Missa. (5)

Fr. Bernardus a Bessa, (6) Secretarius S. Bonaventurae, in introductione ad vitam S. Francisci testatur, Fr. Julianum a Spira (1284), exceptis supradictis Hymnis, Responsoriis et nonnullis Antiphonis, composuisse omnia reliqua pro Matutino Festi S. P. Francisci et S. Antonii Paduani, simulque Musicam pro textu. — Dictus Fr. Julianus, Parisiis degens et aliquando Musicus S. Regis Ludovici IX, erat Lector ac vir scientia et sanctitate conspicuus, et mandatum ad com-

(1) Itali computarunt diem a prima hora crepusculi diei antecedentis, quo tempore nostris adhuc diebus in Italia datur signum Salutationis Angelicae. Ergo S. P. N. Franciscus iuxta modernam diei computationem obiit paulo post horam 6 vespertinam diei tertii Octobris, die Sabbato.

(1) Chronica Fr. Salimbene Parmensis, pag. 194.
(2) Chronica Fr. Salimbene Parmensis, pag. 194.
(3) Fr. Luc. Wadding. Annal. ad a. 1228.
(4) Wadding. l. c.
(5) Salimbene, op. cit. pag. 194.
(6) Cod. Turin. fol. 95.

ponenda Officia S. P. N. Francisci et S. Antonii Paduani a Ministro Generali Beato Fr. Joanne a Parma accepisse fertur. Eidem Fr. Juliano ab antiquissimis Ordinis Historicis etiam adscribitur compositio Officii (exceptis Hymnis) et Missae pro Festo S. Clarae, quod facile ex ipso tenore ac versibus huius Officii conjici poterit. (1)

Hoc officium S. Francisci origine et antiquitate sua Fratrum veneratione dignissimum usque ad finem saeculi elapsi in toto Ordine Seraphico erat in usu. Ad finem memorati saeculi Franciscanus P. Flaminius a Latera nova S. P. Francisci, S. Antonii Paduani, S. Clarae Officia composuit, quae S. R. C. die 21 Nov. 1793 approbavit, quae tamen non ubique sunt recepta. Ordo noster novum S. Francisci Officium pro Festis Translationis ac Inventionis eiusdem acceptavit anno 1872. et novum S. Clarae Officium pro eiusdem Inventione praescripsit, pro Festis autem principalibus officia antiqua retinuit. (2)

2. Quoad Indulgentias concessas ratione Festi S. Francisci, Gregorius IX maiores concessit Assisii per Bullam Canonizationis, quam tunc dari solerent; item postea pro aliis Ecclesiis, prout omnes fere Successores renovando fecerunt. Tandem Sixtus V per Bullam « *Cum a primaeva* » (28. Sept. 1585) concessit pro illo Festo Indulgentiam plenariam et perpetuam, pro cunctis Fidelibus, in omnibus Ecclesiis S. Francisci utriusque sexus.

(1) Post emendationem Breviarii et Missalis a S. Pio V. mandatam, Typographus Liechtenstein, ex Colonia Venetiis c. annum 1580 Officia S. P. N. Francisci, S. Antonii Paduani et S. Clarae de novo edidit cum antiquo Cantu Chorali a Fr. Juliano a Spira composito. Iste Typographus Liechtenstein, S. P. N. Francisco devotissimus, ipse pro hac editione collegit antiquissimos horum Officiorum Codices in Italia et Gallia, et iuxta haec exemplaria, mediantibus Fratribus musices peritis, praefatam editionem diligentissima cura procuravit. Rarissima sunt huius editionis exemplaria. Unum exemplar extat penes Rev. Franc. Xav. Haberl, Musices Directorem Cathedralis Ratisbonensis in Bavaria. Utinam haec origine sua et antiquitate praestantissima Ordinis Nostri Officia, mediantibus Musices peritis, ibidem in Typographia S. Sedis et S. Rit. Congregationis nova editione in lucem prodirent!

(2) Optandum foret ut, si adhuc supersint Ordinis nostri Provinciae, quae antiqua haec officia non retinuerunt, eadem reassumant, ad uniformitatem in divino Officio servandam tuendamque.

3. Quod attinet institutionem Festi S. Francisci, Gregorius IX., ut supra dictum est, mandavit cunctis Praelatis et utrique Clero, ut celebrarent Festum de S. Francisco in die obitus, seu die 4. Octobris. Tamen non praecepit auditionem Missae, nec prohibuit laboritium servile. In variis dioecesibus praeceperant Episcopi, ab initio quasi, ut Festum illud stricte celebraretur, immo S. Bonaventura narrat cap. 16. § 9. quod varii sint puniti, quia Festum noluerunt celebrare. (S. Bonaventura, Legenda maj. de Vita S. Francisci, ad finem: « De non observantibus festum, et non honorantibus S. Franciscum, » pag. 117. Edit. noviss. Romae. 1880.)

Sixtus IV. (Romae 5. Non. Octb. 1472) praecepit, ut Festum S. Francisci celebraretur ubique sicut Festum stricte dictum, quia ipse iunior fuerat ab ipso miraculose sanatus et ad Ordinem vocatus. Benedictus XIV. (lib. 4. de Beatif. cap. 16. num. 21.) docet, quod illa Bulla, post mortem Sixti IV., *non* manserit usu recepta, nec etiam *obligans; non* ostendit tamen, quod fuerit unquam revocata. Econtra Gregorius XV renovavit Bullam praedictam Sixti IV., et iuxta illam iudicavit S. R. Congr., quod Festum esset celebrandum de praecepto, per Decretum de 3. Januarii 1622. Urbanus VIII sustulit praeceptum non positive, sed indirecte; etenim per Bullam « *Universa,* » datam Idibus Septemb. 1642, disposuit Calendarium, in illo designans Festa de praecepto, et Festum S. Francisci omittens. Sic ergo Festum illud mansit Festum merae devotionis, qualia Romae et alibi plura inveniuntur.

V.
BIBLIOGRAPHIA

GIACINTO (M. R. P.) DA TROINA.

Sull' Eloquenza sacra, giudizî e precetti del R. P. Giacinto la Greca da Troina, dell'Ordine dei Minori Cappuccini, già professore della stessa facoltà nella Provincia Romana. Siena, Tipografia Editrice all'insegna di S. Bernardino, 1880, L. 1, 50.

HENRIK NÀHLIK.

Cesta k nebeském‍u Jeruzalemu, ktorú uka-

zuje Regula III radu sv. Otca Frantiska z Assisi. Spracoval na základe pápezského ustanovenia, r. 1883. 30 mája vydaného: Henrik Náhlik, knaz rádu svätého Frantiska, provincie najsv. Spasitefa. — S. dovolením duchovnej vrchnosti. — V Uh. Skalici. Tlacou dedicov. J. Skarnicla. 1886. In-16. pag. 221. (Regula Tertii Ordinis in idiomate slavico.)

Josephus (P.) Calasanctio a Llevaneras, Ord. Min. Cap.

1. Compendium Theologiae Dogmaticae et Moralis, Beatae Mariae Virgini dicatum; sive summa continens 1° totam Theologiam scholasticam ad hodiernum sacrae scholasticae statum accommodatum, nec non doctrinam Angelico-Seraphicam; 2° omnes et singulas theologiae moralis quaestiones praecipue practicas, auctore P. F. Josepho Calasanctio a Llevaneras, Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum. Editio secunda.

Un Vol. pag. 893 — Prezzo L. 3, 75. Piazza Barberini — Roma.

2°. Compendium Hermeneuticae Sacrae Beatae Mariae Virgini dicatum, sive introductio ad omnes et singulos Scripturae sacrae libros, hodiernis biblicis cognitionibus adaptata.

Opus omnibus sacris Concionatoribus, examinandis etc. valde inserviens; auctore Fr. Josepho Calasanctio a Llevaneras, Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum — Editio secunda.

Dirigersi: Al P. Egidio da Milano Cappuccino, Piazza Barberini — Roma, Prezzo per l'Italia L. 2, 50; per l'Estero L. 3 00.

Manuel Maria Acosta, Presbitero. —

Misiones de los RR. PP. Franciscanos en el Ecuador. — Quito, Fundicion de tipos de Manuel Rivadeneira, 1886. In-16, pag. 17. (Agit de modo quo praedicantur exercitia Missionum inter fideles a Patribus nostris, et speciatim de Missione habita in paroecia *Sangolqui.*).

Prosper (A. R. P.) de Martignè, Min. Capucin. — 1. La Scolastique et les traditions franciscaines, par Fr. Prosper — 2. Article extrait de la revue des sciences ecclésiastiques. Amiens. Imprimerie Rousseau — Leroy. 16. Rue Saint-Fuscien, 1884. — pag. 46. 50. (96.)

2. La Scolastique et les Traditions franciscaines: Saint Bonaventure. Amiens. 1885.

Salvatore Gaeta (Prof.)

Breve vita del Venerabile Servo di Dio, Francesco da S. Antonio, Terziario professo dei PP. MM. Alcantarini della Provincia di S. Pietro di Alcantara di Napoli, tracciata dal Prof. Salvatore Gaeta di Nicola, Avv. di S. Pietro, Terziario Francescano, stampata a cura del Postulatore P. Fr. Mosè da Gesù e Maria, del medesimo Istituto, a beneficio della Postulazione. Napoli, stabilimento tipografico Raimondi, Sanseverino 1. — 1883. (L. 0, 60) — Procurari potest a Curia Generalitia.

Wenceslaus (P.) Pieralisi ab Aesio, Min. Ref. —

Institutiones philosophiae rationalis practicae, seu de officiis naturalibus, auctore P. Wenceslao Pieralisi ab Aesio, Ordinis Minorum Reformatorum. Opus posthumum. Pisauri, ex typis Federici, 1886. In-16. pag. XI-317. (L. 3. Qui quinque exemplaria emerit, sextum gratis habebit.)

VI.
NECROLOGIA

—

Magno animi dolore confecti, pergravem iacturam ab Ordine nostro Seraphico factam significamus. Rmus D. D. Antonius Maria Pettinari, M. O., pulmonaria apoplexi correptus, repentino exitu occubuit die 24 Maii p. e., hora sesquioctava postmeridiem.

Fani ex honestis parentibus editus die 23 feb. 1818, Ordinem nostrum in alma Observanti Picena Provincia ingressus, die 16 iunii anno 1834 solemnia vota nuncupavit. Philosophicis, theologicis, canonicisque disciplinis adeo studuit, ut eas postea nostris in athenaeis magna cum laude ingentique discipulorum profectu docuerit. Provinciae praefectus unanimi voto renuntiatus, omni sollicitudine, prudentia, charitate rexit, gubernavit. A suis de-

peritus, ab externis quoque spectatus est: omnes enim eum laudabant eloquentem, populorumque salutem spirantem verbi DEI praeconem, magnoque suorum animorum lucro audiebant. A secretis Ordinis universi adscitus, perrarae animi ingeniique sui dotes innotuere magis. Regularis observantiae sedulus custos, mitis, comis, pius, humilis, frugi, modestus ac maxime prudens erat. Sacra civilique eruditione clarus, in rebus agendis, administrandis solertissimus, haud inanem gloriam sed divinum semper spectabat honorem vere seraphicus Frater. Tot virtutibus perspicuum Pius f. r. Pp. IX Nuceriae Episcopum nominavit: ast hominum temporumque iniuria sedem suam adire praepeditus, Viterbium primo, deinde Sublacum episcopalis mensae administrandae causa, apostolica mittitur auctoritate. Quo in munere utrobique obeundo omnium fidem aestimationemque sibi concitavit, sanctaeque Sedis usque encomia clara promeruit. Nucerinam tandem Ecclesiam petens, eam veluti sponsam vigilanti utique amore dilexit, templum, sedem honoris sui, instauravit, expolivit, omnique comptu sacro exornavit; populum vero verbo atque exemplo in fide et charitate, quoad potuit et eius erat, firmavit. Sed nec silentio praetereundum quanta cura et sollicitudine advigilaverit ut Seminarii alumni politioribus litteris sacrisque scientiis erudirentur. Verum suo viduata Pastore Urbinatum Ecclesia, a SSmo D. N. Leone PP. XIII ex Nucerina ad archiepiscopalem hanc cathedram ingenti eiusdem populi plausu translatus est.

Ad maiora tamen Pontifex iste Maximus eum disponebat; cum non multo post ad titularem Palmyrae Sedem evectum, S. Congregationi Episcoporum et Regularium negotiis praepositae a secretis consiliisque dedit, ea sane mente ut eius doctrinam omnigenasque virtutes et praeclare gesta romana tandem purpura decoraret. Sed heu!

« Omnes una manet sors irreparabilis horae »

et haec clarissimo Viro eo quidem insperato contigit, quo parta sanctis laboribus praemia hisce in terris parabantur. Attamen coelestia terrestribus meliora sunt praemia virtutum. Iis igitur, ut pie speramus, aeternum potiundis sua mercede maturum vocavit pastorum PASTOR DOMINUS Fratrem nostrum desideratissimum, praeclarum Obs. Provinciae Picenae filium, egregium Seraphici Ordinis decus, insignem Episcopatus et Ecclesiae honorem. Ave, anima charissima, in pace sit locus tuus et habitatio tua in sancta Sion.

A. R. P. NICOLAUS KRILIC natus Fojnicae in Bosna anno 1820, in patrio Conventu Ordini Seraphico, statim ac per aetatem licuit, adscriptus, emenso laudabiliter studiorum curriculo, vineae DOMINI excolendae admotus fuit. Duos dumtaxat annos in Cooperatoris officio, caeteros vero in Magistri, Secretarii episcopalis, Parochi, Vicarii Foranei, Convisitatoris Apostolici, Definitoris, Guardiani et Ministri Provincialis obeundis muneribus transegit.; ubique autem eam solertiam, prudentiam et animi moderationem praesetulit, ut desiderium sui reliquerit. Singulari tamen amore complectebatur teneram iuventutem, cui in litteris et pietate imbuendae ad obitum usque diligentem navavit operam, magnamque inde sibi laudem comparavit. Praeterea summo studio ferebatur in decorem domus DEI, quo zelo incensus magnificam in oppido Jajce extruxit ecclesiam; ubivis vero locorum, ubi eum morari aut consistere contingebat, altaria exornare, sacra vasa et suppellectilia usibus aptare in deliciis habuit. Hos inter labores extremum quoque contraxit morbum, inflammationem nempe pulmonum et bronchiorum, quo iterato affectus, sacramentis Ecclesiae miro devotionis affectu perceptis ac JESU crucifixi imaginem stringens, die 29 Aprilis a. c. naturae debitum persolvit, atque sepulchro inter Fratrum et fidelis populi lacrymas illatus fuit.

FR. BONAVENTURA A GILDONE, Observantis Provinciae S. Ferdinandi laicus professus, omnibus charus, operi Terrae Sanctae, cui qua collector eleemosynarum per annos 40 incubuit addictissimus, obiit Neapoli in Hospitio Terrae Sanctae die 25 Maji 1886, aetatis suae 80, religionis vero 61, confratribus virtutum exempla relinquens.

Nihil obstat.
FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX S. CONGREG. S. R. U. INQUISITION.

Dubia proposita ab Archiepiscopo Utinensi, administratore Apostol. Dioecesis Mantuae.

1. An Sacerdos catholicus in locis, quibus haeretici proprios non habent ministros, possit comitari cadaver haeretici a domo ad coemeterium, etsi cadaver in ecclesiam non deferatur, neque campanae pulsentur?

Et quatenus affirmative,

2. An eiusmodi praxis permittatur, aut toleretur aliquibus in locis specialibus tantum, aut extendi possit etiam ad Italiam nostram?

Et quatenus affirmative,

3. Quibusnam sacris indumentis uti valeat Sacerdos hoc in comitatu, si praecedi debeat a Cruce?

4. Si duo coniuges protestantes, deficiente ministro proprio, exhiberent Parocho alterive Sacerdoti catholico proprium infantem baptizandum, declarantes sese per hoc haud intelligere obstringi ad eum educandum in religionem catholicam, poteritne Parochus eum baptizare, ut interdum in tuto ponat innocentis infantuli aeternam salutem, praescindendo ab eo, quod in futuro evenire possit, quando ad aetatem discretionis perveniret?

Feria IV. die 26 Augusti 1885.

In Congregatione Generali habita coram Emis et Rmis Dominis Cardinalibus adversus haereticam pravitatem Inquisitoribus generalibus, propositis suprascriptis dubiis, iidem Emi Domini respondere decreverunt: Ad primum negative; ad secundum et tertium, provisum in primo; ad quartum negative, praeterquam in periculo mortis.

Die 19 Januarii 1886.

Concordat cum originali.

Ita est

Pro D. Pelami *S. R. et U. I. Notario.*
Gustavus Persiani, *Substitutus.*

—

EX S. CONGREG. S. RITUUM

—

DECRETUM
URBIS ET ORBIS

quo SS. Camillus de Lellis et Joannes de Deo omnium Hospitalium Patroni statuuntur.

Inter omnigenas virtutes, quibus Catholica praefulget Ecclesia, charitas eminet ceu nota conspicua, qua divinus ipsius Conditor voluit discipulos suos ab omnibus apprime dignoscendos. Hinc vix Ecclesia signum extulit ubique terrarum, illico factum est, ut quibuscumque humani generis aerumnis levamen inveniretur, atque iis potissimum cura intenderetur, qui vel infirma gravarentur valetudine, vel morbo tandem devicti mortalis vitae cursum essent expleturi. Huius porro nobilissimae virtutis praeclarum praebuerunt exemplum inclyti Confessores Sanctus Camillus de Lellis, et Sanctus Joannes de Deo; qui pari charitatis ardore succensi animam suam pro aegrotantium salute ponere non dubitarunt: quippe alter animas in extremo agone luctantium, aegris simul corporibus praestito solamine, sacri ministerii ope roboraret; alter vero medelam atque omne subsidium aegrotorum corporibus afferendo, animarum saluti facilius

auxiliaretur. Nec satis: sed viri tantae misericordiae geminam Congregationem, seu novas in Ecclesia Christi familias instituerunt, in quibus sui spiritus zelus indeficiens arderet, atque eiusmodi charitatis in aegrotos exinde saluberrimi fructus iugiter promanarent.

Quum vero infaustis hisce temporibus iniqui homines mundanae gloriae cupidi, ad religionis perniciem congregati, prodigia christianae charitatis civiliter, ut aiunt, aemulaturi, grassante Asiatica lue, manus hac illac admovere aggressi sint, specie tenus quidem ad patientium iuvamen, saepe tamen ut infirmi spiritualibus orbarentur auxiliis; commune Christifidelium, ac praesertim sacrorum Antistitum desiderium exortum fuit praefatos Sanctos charitatis heroes tanquam Patronos omnium Hospitalium, et Infirmorum ubique degentium amodo percolendi, eosque in Litaniis agonizantium invocandi.

Quamobrem quum Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Miecislaus Ledóchowski horum supplicia vota in Sacrorum Rituum Congregationis coetu, ad Vaticanum subsignata die coadunato, retulerit; Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, audita sententia R. P. D. Augustini Caprara Sanctae Fidei Promotoris, sic rescribere rati sunt:

Pro gratia concessionis Sanctorum Camilli de Lellis et Joannis de Deo in Patronos pro omnibus Hospitalibus et Infirmis ubique degentibus: et insertionis in Litaniis agonizantium nominum Sancti Camilli et Sancti Joannis de Deo post nomen Sancti Francisci. Die 15 maii 1886.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habere, et confirmare dignata est ita, ut super his expediantur Litterae Apostolicae in forma Brevis.

Die 27 iisdem mense et anno.

D. Card. Bartolinius
S. R. C. Praefectus.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

—

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

—

LAUSANEN. ET GENEVEN.

Quoad nonnulla generalia Indulta pro Indulgentiarum consecutione.

Illmus ac Revmus D. Gaspar Mermillod Episcopus Lausanensis et Genevensis, quum adhuc Episcopus erat Hebronensis et Genevae Apostolicus Administrator, S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, pro obtinendis nonnullis generalibus Indultis ad Indulgentias lucrandas, sequentia *Postulata* exhibebat:

I. « Ut conditio visitandi Ecclesiam, pro « lucrandis Indulgentiis generice saepe prae-« scripta, adimpleri possit a personis utrius-« que sexus in communitate et sub regula « viventibus, visitando Oratorium domesticum.

II. « Ut infirmi aut senio confecti in com-« munitate et sub regula viventes, qui Eccle-« sias aut Oratoria visitare aliave pro Indul-« gentiis praescripta exequi non possunt, In-« dulgentias nihilominus lucrari valeant. adim-« plendo alia pia opera, Confessarii arbitrio « praescribenda.

III. « Ut in casu, quo morale aliquod « impedimentum adsit, prudentis Confessarii « arbitrio diiudicandum, visitandi aliquam Ec-« clesiam (ex. gr. Regularium aut Parochia-« lem), quae de iure visitanda foret ad ali-« quam Indulgentiam lucrandam, haec visitatio « designatae Ecclesiae arbitrio Confessarii « commutari possit in aliud pium opus (ex. « gr. in visitationem alterius Ecclesiae).

IV. « Ut 1° aliqua Indulgentia concedatur « Christifidelibus pie ac devote recipientibus « benedictionem a Sacerdotibus praesertim neo-« mystis; et 2° ut aliqua pariter Indulgentia « concedatur pie ac devote assistentibus pri-« mae Missae Neosacerdotum. »

Post Emorum et Revmorum Patrum Cardinalium responsiones in Congregatione diei 18 Decembris 1885 in Aedibus Vaticanis datas, SSmus D. N. Leo Papa XIII in Audientia ab infrascripto Secretario habita die 16 Januarii 1886 ad Postulata supra exposita benigne annuit modo sequenti:

Ad I^m^ *Non expedire.*
Ad II^m^ *Affirmative.*
Ad III^m^ *Negative.*

Ad IV[m] *Ad primam partem Negative: ad secundam partem concedere dignatus est, servatis de iure servandis, Indulgentiam Plenariam Sacerdoti primum Sacrum facienti eiusque consanguineis ad tertium usque gradum inclusive, qui primo eidem Sacro interfuerint; ceteris vero Christifidelibus adstantibus* (1) *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum.*

Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 16 Januarii 1886.

J. B. Card. Franzelin *Praef.*
Franciscus della Volpe Secret.

—

S. POENITENTIARIA APOSTOLICA
quoad S. Jubilaeum praesens declaravit.

—

1. Justis de causis commutari posse opera a S. Patre praecepta, etiam favore eorum, qui Jubilaeum iterare cupiunt (18 Mart. 1886).

2. Confessarium in consilium adhibendum esse ab iis, qui de quantitate stipis sibi conveniente dubitant; quantitatem vero eatenus debere singulorum facultati respondere, quatenus quae sufficit pauperibus, non sufficit divitibus. (23 April. 1886).

3. Pro Jubilaeo valere etiam concessionem diei 18 Septembris 1862, ita ut pro aegrotis, qui domo egredi non possunt, confessarius communionem in alia pietatis opera commutare possit. (10 Maj. 1886.)

—

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

—

DECRETUM
URBIS ET ORBIS

Sanctissimum Jesu Nomen semper et ubique terrarum praecipua veneratione et singulari prorsus honore Christifideles prosequuti sunt: *non enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Actor. IV, 12). Ad hanc venerationis et honoris significationem, plurima religionis obsequia plurimasque laudes pietas christiana excogitavit, quibus Nomen augustissimum digne et sancte celebraretur.

Hisce profecto accensendae sunt plures Litaniae in honorem SSmi Nominis Jesu compositae, quae, licet non omnes probabiles, late tamen per orbem diffusae sunt. In quorum praeconiorum genere ne varietas haberetur haud undequaque laudabilis, sa. mem. Summus Pontifex Pius IX *Litanias Sanctissimi Nominis* Jesu, quae unice in posterum retinerentur ab omnibus Christifidelibus, per Sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, die 8 Junii 1862, approbavit, fecitque eidem Sacro Consilio facultatem declarandi, Christifidelibus, qui eas devote recitaverint, Indulgentiam tercentorum dierum in forma Ecclesiae consueta concessum iri, quando Sacrorum Antistites pro sua quisque dioecesi hanc gratiam speciatim petiissent.

Quum autem nuperrime a pluribus Episcopis SSmo D. N. Leoni divina providentia Papae XIII preces exhibitae fuerint, ut suarum dioecesium Christifidelibus praefatas *Litanias* recitantibus ipsam hanc Indulgentiam elargiri dignaretur, Sanctitas Sua desiderans, ut christiani populi pietas erga laudabile Jesu Nomen magis magisque foveatur et augeatur devotio, hisce potissimum temporibus, quibus Nomen illud augustissimum tam audacter tamque frequenter impiorum iniuriis impetitur, in Audientia habita die 16 Januarii 1886 ab infrascripto Secretario Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, ad omnes utriusque sexus Christifideles, qui corde saltem contrito ac devote recitaverint *Litanias Sanctissimi Nominis* Jesu, prouti praesenti Decreto subnectunctur (1) et non aliter, praefatam Indulgentiam *tercentum dierum*, animabus quoque Purgatorii applicabilem et semel tantum in die lucrandam, benigne extendit. Quam gratiam Sanctitas Sua *in perpetuum* suffragari voluit et absque ulla Brevis expe-

(1) Ex privilegiis Ordini nostro concessis, et ipsi Christifideles, qui confessi et sacra Communione refecti, intersunt primae Missae neo-sacerdotis ex nostratibus, indulgentiam plenariam lucrari possunt. Cfr. *Acta*, anno 1885, pag. 82, n. 40.

(1) Litaniae, de quibus hic est sermo, inveniuntur ad calcem nostri Diurni.

ditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 16 mensis Januarii anni 1886.

I. B. Card. Franzelin, *Praefectus.*
Franciscus della Volpe, Secr.

II.
ACTA ORDINIS

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica.

De disciplina regulari restauranda
CAP. I.
De paupertate
(Continuatio)

§ 7. *De virtute paupertatis, eiusque excellentia et felicitate.*

96. S. Bonaventura in hoc terrarum orbe quatuor hominum genera distinguit. « Sunt, « ait, (1) qui habentes pecunias non amant; « alii non habentes, amant; alii habent, et « amant; alii nec habere nec amare gaudent, « quorum tutior status est ». Fieri potest, ut homines divitias, quas possident, non ament, inordinato affectu illis non inhaereant, ac bonorum temporalium abundantia praediti paupertatem spiritus servent, sicuti egregia exempla habemus in Abraham, Job et multis aliis. Difficillimum autem hoc esse, experientia docet, et S. Scriptura testatur. Legitur enim: (2) « Beatus vir, qui inventus est sine macula, et « qui post aurum non abiit, nec speravit in « pecunia et thesauris. Quis est hic, et lau- « dabimus eum? fecit enim mirabilia in vita « sua. » Hoc idem Christus Dominus innuit dicens: (3) « Quam difficile, qui pecunias ha- « bent, in regnum Dei introibunt? » Propterea sancti Apostoli probe noscentes, difficile esse pecunias possidere easque inordinate non amare, omnia bona terrena relinquenda esse putarunt, et dixerunt: (4) « Ecce nos re- « liquimus omnia ». — « Omnia relinque- « runt, ait S. Bernardus, non tantum posses- « siones, sed et cupiditates; et has maxime: « plus enim concupiscentia mundi, quam sub- « stantia nocet ». Hinc paupertas externa, sive sola bonorum temporalium abdicatio pro Religioso minime sufficit, sed debet etiam habere virtutem paupertatis, quae in interna inordinatorum affectuum ad bona terrena abnegatione consistit. Haec interna abnegatio est finis, ad quem illa externa abdicatio tendere debet. Hoc docet etiam S. Thomas Aqu., qui dicit: (1) « Status Religionis est quaedam « disciplina, per quam pervenitur ad perfe- « ctionem charitatis, ad quod quidem neces- « sarium est, quod aliquis affectum suum to- « taliter abstrahat a rebus mundanis ».

97. Si autem omnes Religiosi hanc paupertatis virtutem habere debent, multo magis ad hoc Fratres Minores obligantur, quibus S. Franciscus paupertatem spiritus, seu terrenorum affectuum abdicationem graviter inculcat, dicens: (2) Altissimae paupertati totaliter inhae- « rentes, nihil aliud pro nomine Domini no- « stri Jesu Christi in perpetuum sub coelo « habere velitis ». Huc spectant etiam alia S. Patris verba: (3) « Moneo et exhortor in « Domino nostro Jesu Christo, ut caveant « Fratres ab omni avaritia, cura et sollicitu- « dine huius mundi ». Hanc intentionem S. Franciscum habuisse, declarat Clemens V dicens: (4) « Considerantes attente, inten- « disse S. Franciscum suae Regulae profes- « sores, quos fundaverat in maxima pauper- « tate, ab affectu temporalium rerum totaliter « elongare etc. » Item (5) « Cum idem Con- « fessor summe affectaverit, suae Regulae pro- « fessores totaliter esse abstractos ab affectu « et desiderio terrenorum etc. » Et similiter: (6) « Cum vir sanctus Fratres suos in « paupertate summa fundare voluerit quoad « effectum pariter et affectum etc. » — Eamdem paupertatem cuilibet Religioso, et praecipue Fratri Minori, inculcat S. Bonaventura

(1) Apolog. paup. part. I. art. I.
(2) Eccli. XXXI, 8.
(3) Marc. X, 23.
(4) Matth. XIX, 27.

(1) 2. 2. qu. 186. art. 3.
(2) Reg. cap. VI.
(3) Cap. X.
(4) Constit. *Exivi,* art. 2.
(5) Ibid. art. 4.
(6) Ibid. art. 8.

dicens (1): « Eam paupertatem amplectere, « quae emicuit in CHRISTO, sed attende, de « qua paupertate intelligere debeas; professio « enim, sine hoc intellecta, verbalis esset et « vacua. Dico igitur de illa paupertate, quae « radicatur in corde: virtutes enim in anima « collocandae sunt, non in exterioribus. » — Haec paupertatis virtus ergo non est res supererogationis vel consilii, sed eam habere debemus. Sicut virtus castitatis obligat ad munditiam non solum corporis, sed etiam cordis, ita pariter paupertas obligat ad renuntiationem non solum externam, sed etiam internam quoad omnia bona temporalia, quae habentur. aut haberi possunt. — Haec paupertas interna, sive paupertas spiritus, quam solam CHRISTUS beatam praedicat, (2) maioris est momenti, quam paupertas externa, quae sine illa non prodest, prout Abbas Paphnutius dicit: (3) « Nihil nobis proderit abre« nuntiatio corporalis, et localis ex Aegypto « transmigratio, si renuntiationem cordis, quae « sublimior et utilior est, non habuerimus ».

98. Paupertati internae maxime opponitur avaritia, qua homo duplici modo contaminari potest, dum vel inordinato appetitu desiderat, quae non possidet, vel immodico affectu ea quae possidet amat. Hoc lugendum vitium etiam pauperum corda penetrare posse, testatur S. Bonaventura, dicens: (4) « Avaritia « est anxia cupido habendi bona temporalia, « sive sequatur effectus, sive non; et sic po« test avarus esse etiam pauper, qui modi« cum habet, vel etiam nihil ». Etiam Religiosos a gravi hac tentatione immunes non esse, fatetur idem S. Doctor, qui ait: (5) « Videmus Religiosos quosdam post primam « saeculi renuntiationem, qua ab eius laqueis « erepti fuerant, rursum involvi avaritiae re« tibus, et insatiabiliter sitire res alienas, qui « prius proprias contempserant propter DEUM. « Sic Judas omnibus suis renuntiaverat, po« stea fur factus, et loculos colligens ». — Huius avaritiae rei sunt, qui post emissam paupertatis professionem necessariis haud contenti, eleemosynas copiosas et superabundantes, si non actu quaerunt, saltem corde desiderant. Isti per inordinata sua desideria a recto tramite deviant et paupertatis merita perdunt, prout S. Bonaventura asserit, scribens (1): « Sufficit ad perdendum meritum « et ad omne peccatum perpetrandum concu« piscentia cum consensu, et cum tali pau« pertate non credas, te posse consequi re« tributionem ». — Eodem fere vitio inquinantur, qui rebus, licet parvis et vilibus, sibi ad usum concessis inordinato affectu inhaerent, ita, ut nonnisi aegerrime illas dimittere vellent.

(1) Medit. vitae Christi, cap. 45.
(2) Matth. V.
(3) Apud Cassian. Collat. 3. cap. 7.
(4) De vitiis et remed. cap. 42.
(5) loc. cit. cap. 43.

99. Ut Religiosus paupertatis spiritum et amorem conservet. continuo vigilare, ferventer orare, et frequenter cordis sui affectus et inclinationes examinare, et inordinata desideria statim sedulo reprimere debet. Quod ut facilius obtineamus, saepius *excellentiam* et *felicitatem* verae paupertatis meditemur.

100. *Excellentia* altissimae paupertatis seraphicae imprimis apparet ex eo, quod eam observantes 1° *Christo maxime conformes reddit.* CHRISTUM altissimae paupertatis statum exemplo suo nobilitasse, ipsa historia evangelica abunde testatur. CHRISTUS enim in extrema paupertate natus est; nam, ait S. Bernardus, (2) « in ipsa nativitate non abhorruit « abiectissimae paupertatis gustare incommoda; « neque cunabula, quae teneritudinem eius ex« ciperent, habuit, sed in vili praesepio sor« dentis stabuli reclinatus est, et hoc ipsum a « brutis animalibus mater eius velut mutuo « accepit? » — CHRISTUS pauperrime vixit, quod clarissime ipse testatus est dicens: (3) « Vulpes foveas habent, et volucres coeli ni« dos; Filius autem hominis non habet, ubi « caput reclinet ». — CHRISTUS denique in summa paupertate mortuus est, nam, dicit S. Anselmus: « Ita pauper fuit CHRISTUS, ut « vivens in mundo non haberet, ubi caput « reclinaret, nec moriens, unde nuditatem « suam tegeret, nec mortuus, unde involve« retur, nec sepulchrum, aut locum, ubi cor« pus mortuum locaretur ».

101. S. P. N. Franciscus, CHRISTI vestigia perfectissime sequi volens, omnibus,

(1) Meditat. vitae Christi, cap. 34.
(2) De vita et passione Domini.
(3) Matth. VIII, 20.

quae habuit, aut habere potuit, abdicatis, altissimam paupertatem amplexus est, eamque ita amavit, ut S. Bonaventura de ipso diceret: « Nemo thesauri custodiendi sollicitior, « quam ipse cupidus paupertatis, cum a principio Religionis usque ad mortem sola vi« deretur gloriari, et egestate gaudere ». Eamdem vero paupertatem seraphicus Pater etiam filiis suis praescripsit, ut et ipsi CHRISTO conformes redderentur; et ne de sua paupertate erubescerent, sed potius gauderent, hanc praecipue rationem proposuit, « quia « DOMINUS se fecit pro nobis pauperem in hoc « mundo ». Et quis negabit, ex hac potissimum ratione seraphicae paupertatis dignitatem et excellentiam patere? Certe, si filii huius saeculi honorificum esse putant, regum principumque terrenorum exempla imitari, multo meliori iure filii lucis, CHRISTO filio DEI, Regi regum et DOMINO dominantium conformes fieri, sibi perhonorificum esse iudicabunt. Ex eadem ratione Nicolaus III seraphicam paupertatem contra nonnullos obtrectatores vindicavit, laudavit atque commendavit, dicens: (1) « Ne Fratrum eorumdem perfectionis claritas « talium imperitis sermonibus laceretur, dici« mus, quod abdicatio proprietatis huiusmodi « omnium rerum, tam in speciali, quam in « communi propter DEUM, meritoria est et « sancta, quam CHRISTUS, viam perfectionis « ostendens, verbo docuit, et exemplo firma« vit, quamque primi Fundatores militantis « Ecclesiae, prout ab ipso fonte hauserant, « volentes perfecte vivere per doctrinae, ac « vitae ipsorum alveos in eos derivarunt ».

102. Hanc CHRISTI paupertatem nos Fratres Minores frequenter et attente consideremus; haec enim meditatio efficiet, ut paupertatem, quam professi sumus, non solum patienter, sed etiam cum sancto gaudio sustineamus. Propterea etiam Seraphicus Pater CHRISTUM pauperem frequenter ante oculos nobis proposuit, eiusque imitationem summopere nobis commendavit. Hanc ob causam etiam S. Bernardus dicit: (2) « Paupertas « CHRISTI amica placeat in omnibus, et ipsum « summo conatu amplectamur in cibis, in vi« ctibus, in utensilibus, in libris, in aedificiis, « in omnibus ». — Et S. Augustinus inquit: (1) « Amemus Fratres, summam CHRI« STI paupertatem, ne in nostra sancta Reli« ligione mutetur color optimus, et disper« gantur lapides Sanctuarii nostri ». — Haec Sanctorum dicta a Fratribus Minoribus eo magis pensanda sunt, quo perfectior est paupertas, ad quam vi professionis suae sunt obligati.

(1) Constit. *Exiit*, art. II.
(2) Opusc. *Ad quid venisti.*

103. Secunda ratio, quae excellentiam sanctae paupertatis demonstrat, est, *quia ad summam perfectionem perducit.* CHRIRTUS ipse omnium rerum temporalium abdicationem, seu voluntariam paupertatem, tamquam efficacissimum ad perfectionem perveniendi medium cuidam iuveni multas possessiones habenti proposuit, dicens: (2) « Si vis perfectus esse, « vade, vende quae habes et da pauperibus, « et habebis thesaurum in coelo, et veni, « sequere me ». Perfectio equidem *non in* paupertate, sed in charitate cons*istit; sed* maximum huius impedimentum *est* cupiditas, seu inordinatus bonorum terrenorum amor, qui per voluntariam paupertatem reprimitur. Dicit enim S. Paulus: (3) « Radix omnium « malorum est cupiditas ». — Cupiditas sane efficit, ut homo rerum coelestium quasi oblitus, bona tantum terrena periturasque divitias maximi aestimet, et inordinato affectu quaerat. Si eas obtinere contigerit, in superbiam efferri, proximum suum contemnere, DEI cultum negligere, suisque tantum commodis, deliciis et voluptatibus inhaerere solet. Ad maximum hoc perfectionis impedimentum ac omnium vitiorum seminarium e medio tollendum omnes Ordinum Fundatores discipulis suis paupertatis observantiam praescripserunt, ita, ut saltem in particulari nihil proprii possidere possent. Quoniam vero etiam proprietas, quae in communi habetur, subinde superbiae, avaritiae ac deliciarum causa esse potest, S. Franciscus ulterius processit, Fratribus suis omnem proprietatem, non solum in speciali, sed etiam in communi interdixit, pecuniam penitus prohibuit, et in nonnullis usum arctum in ceteris usum moderatum praescripsit. Quis igitur non videat, seraphicam paupertatem modo ef-

(1) Serm. 40. ad Fratres.
(2) Matth. XIX, 21.
(3) I Timoth. VI, 10.

ficacissimo in id tendere, ut cupiditas penitus e corde eliminetur? Hac vero ratione ad summum perfectionis apicem viam sternit. Hoc docet etiam S. Bonaventura, qui dicit: (1) « Perfectio principaliter consistit in charitate, « et illa potissimum perfecta est, quando om« nis excluditur cupiditas, quae est venenum « charitatis. Cupiditatem autem omnino foras « mittit, qui omnia re et voluntate relinquit. « Hinc sicut radix omnium malorum est cu« piditas, sic radix et principium perfectionis « est altissima paupertas ».

104. Ut quis ad perfectionem perveniat, non tantum vitia declinare, sed etiam virtutes exercere debet. Seraphica vero paupertas istas quoque in veris suis sectatoribus mire et abunde promovet. Ipse S. Pater hoc testatur, dum de altissima paupertate loquens dicit: « haec vos — pauperes rebus fecit, virtutibus « autem sublimavit ». Et sane, sicut temporalium rerum abundantia superbiam, ita paupertas *humilitatem* parit et nutrit. Paupertas etiam *obedientiam* promptiorem reddit, quia cor ab inordinatis ad res externas affectionibus purgat, quae saepe saepius efficiunt, ut animus contra Superiorum mandata obluctetur. Paupertas seraphica individuum comitem *temperantiam* et *mortificationem* habet; qui enim ad usum moderatum in victu obligatur, et ex alieno vivit, necesse est, ut semper temperantiam, et frequenter, variis vitae commodis carens, mortificationem exerceat. Hac de causa per paupertatem etiam *castitas* immaculata servatur, quia per temperantiam et mortificationem caro teritur, et corpus in servitutem spiritus redigitur. — Porro *charitas fraterna* per paupertatem mire promovetur, quae e medio tollit *meum* et *tuum*, — frigidum illud verbum, — et quae, dum rerum terrenarum cupiditatem reprimit, simul discordiarum rixarumque fontes obstruit. Ideo de primis christianis legitur: (2) « Multitudinis autem cre« dentium erat cor unum, et anima una ». Praecipua autem huius admirabilis unionis causa erat, quia nemo eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. — Paupertatis status cum continuo exercitio firmae in Deum *confidentiae* est coniunctus; qui enim propter Deum omnibus renuntiavit, divinae providentiae se committit, et omnia necessaria ab illo sperat, qui dat escam omni carni. — Praebet insuper paupertas *orandi* et *contemplandi* opportunitatem; nam dum omnem sollicitudinem noxiam, timorem, curam amoremque temporalium excludit, animum reddit aptissimum ad contemplanda divina, et ad adhaerendum Deo in *perfecta charitate*. — Quia ergo paupertas seraphica efficit, ut non solum vitia eradicentur, sed etiam praeclarae virtutes exerceantur, haud potest dubitari, quod ipsa ad summam perfectionem perducat. — Si autem non omnes, qui altissimam paupertatem profitentur, ad perfectionem perveniunt, id ex eo potissimum repetendum est, quia paupertatem quam voverunt, debito modo non observant. Huic causae etiam S. Bonaventura inordinationes tribuit, quas iam suo tempore in Ordine nostro animadvertit, scribens: (1) « Sane per« quirenti mihi causas, cur splendor nostri « Ordinis quodammodo obscuratur, Ordo « exterius inficitur, et nitor conscientiarum « interius defoedatur, occurrit, quod pecunia, « nostri Ordinis paupertati super omnia ini« mica, avide petitur, incaute recipitur, et « incautius pertractatur ».

105. Magnam *felicitatem*, qua fruuntur veri pauperes, describit ipse Dominus. Dicit enim: (2) « Beati pauperes spiritu, quoniam « ipsorum est regnum coelorum ». Et: (3) « Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, « aut sorores, aut patrem aut matrem, aut « uxorem, aut filios, aut agros propter no« men meum, centuplum accipiet, et vitam « aeternam possidebit ». Hoc praemium centuplum iure ad hanc etiam vitam refertur, quod apparet ex similibus Domini verbis: (4) « Amen dico vobis: nemo est, qui reliquerit « domum, aut fratres, aut sorores, aut pa« trem, aut matrem, aut filios, aut agros « propter me, et propter Evangelium, qui « non accipiat centies tantum, nunc in tem« pore hoc...., et in saeculo futuro vitam « aeternam ».

(1) *De paupertate Christi,* quaest. I.
(2) Actor. IV, 32.

(1) Epist. 2, ad Min.
(2) Matth. V, 3.
(3) Matth. XIX, 29.
(4) Marc. X, 29.

Huius promissionis veritatem iam experti sunt Apostoli. CHRISTUS enim eos interrogavit: (1) « Quando misi vos sine sacculo, et « pera, numquid aliquid defuit vobis? at illi « dixerunt: nihil ». Hoc idem etiam Fratres Minores Regulae suae fideliter adhaerentes experiuntur, ita, ut cum Apostolo confiteri debeant, se esse « tamquam nihil habentes, « et omnia possidentes ». (2) — Centuplum praemium, quo Religiosi iam in hac vita remunerantur, indicat Abbas Abraham, dicens: (3) « Multiplicata domorum possessione ditabitur, « quisquis una domo pro CHRISTI dilectione « relicta, innumera monasteriorum habitacula « possidebit in quacumque orbis parte. Centuplum patrum parentumque recipiet quan« titatem, quisquis patris unius pro CHRISTI « nomine charitate contempta in omnium tran« sit dilectionem, pro uno tot inveniens patres « fratresque praestantiore sibi affectione de« vinctos. Id vestris experimentis probare po« tuistis, qui patribus, domibusque derelictis, « quamlibet mundi partem fueritis ingressi, « innumeros conquiritis, qui vos summis sus« cipiunt, amplectuntur, fovent, venerantur « officiis. Nec sumus ita parentum solatio « destituti, ut desint, qui de suis substantiis « sustentare nos gaudent, et promptissima « largitate necessitatibus nostris cum gratia« rum actione subministrant ».

Insuper paupertati addictus a multis huius saeculi curis, timoribus, invidiis, discordiis molestisque vexationibus liber existit, ac demum per abundantiorem gratiae divinae rorem magnas in corde suo consolationes spirituales recipit, quod testatur S. Hieronymus, dum de centuplici praemio dicit: (4) « Sensus « iste est: qui carnalia pro SALVATORE dimi« serit. spiritualia recipiet, quae comparatione « et merito sui ita erunt, quasi si parvo nu« mero centenarius numerus comparetur ».

106. Sanctam paupertatem observantibus ipse CHRISTUS vitam aeternam promittit; ait enim: « Omnis, qui reliquerit domum etc., « vitam aeternam possidebit ». Et: « Beati « pauperes spiritu, quoniam ipsorum est re« gnum coelorum ». Notandum hic est, quod non dicatur: ipsorum erit, sed ipsorum *est* regnum coelorum. In reliquis beatitudinibus CHRISTUS futuram, in prima et ultima autem, hoc est, pauperibus spiritu et martyribus, praesentem mercedem promittit, ostendens, quod pauperes et martyres, quamvis regnum coelorum actu nondum possideant, illius tamen iam domini sint. Ideoque etiam S. P. N. Franciscus de altissima paupertate loquens dicit: « vos, charissimos Fratres meos, haeredes et « reges regni coelorum instituit ». Ac propterea hanc paupertatem summopere nobis omnibus commendat, dicens: « haec sit portio vestra, « quae perducit in terram viventium, cui, di« lectissimi Fratres, totaliter inhaerentes nihil « aliud pro nomine Domini nostri JESU CHRI« STI in perpetuum sub coelo habere velitis ».

107. S. P. N. Franciscus singulari eos amplectitur affectu, qui sanctam ipsius non erubescunt paupertatem. Impense semper amavit vir sanctus primos nostri Ordinis Fratres, ad quorum aspectum exultabat in spiritu, et omne diffugiebat tristitiae nubilum, atque benedictionibus omni acceptione dignissimis Fratres illos accumulabat, quos videbat per DEI gratiam ad illud elevatos fastigium, quod mundanus spiritus ne intellectu quidem potest attingere, et per quos suscitatum cernebat evangelicum regnum voluntariae paupertatis. Certe, si vir DEI aviculas bono aspexit oculo, quia in exemplum non serendi, nec metendi, nec in horrea congregandi nobis a SALVATORE datae sunt; si pauperes saeculares a fortuna humiliatos dilexit in tantum et honoravit, ut inter eos sedere summa ipsi esset recreatio: quomodo non amplius diligeret eos, qui ex DEI amore paupertatem amplexi voluntariam, omni seipsos proprietate temporali spoliarunt, ad conformandum se nudo CRUCIFIXO?

108. S. Pater apparuit aliquando dilectae filiae suae Tertiariae, B. Angelae Fulginati, eique pacem adprecatus ALTISSIMI, laudavit plurimum suorum filiorum, Fratrum scilicet Minorum, zelum observandae paupertatis, eisque amorose benedixit, dicens: (1) « Benedictio « aeterna, completa et abundans, quam habui « ab aeterno DEO, veniat super caput horum « dilectissimorum filiorum meorum; et dicas

(1) Luc. XXII, 35.
(2) II. Corinth. VI, 10.
(3) Apud Cassian. collat. 24. cap. 2.
(4) Lib. 3. in Matth. cap. 19.

(1) Vita B. Angelae, cap. 49.

« eis, quod vivant sequendo viam CHRISTI « per opera manifestando et per verba, et « non timeant, quia sum cum eis, et aeter- « nus DEUS adiutor eorum est ».

Studeamus etiam nos omnes, qui eiusdem sancti Patris filii esse gloriamur, ita sanctam paupertatem diligere et exercere, ut eiusdem pretiosae benedictionis participes fieri mereamur!

(Continuabitur)

III. MISSIONES

—

Epistola R. P. Joachim Orsi ad Ministrum Generalem totius Ordinis Minorum.

Xantung-Tinanfu (Sinis) 18 Feb. 1886.

Reverendissime Pater

Magna animi laetitia perfusus certiorem te reddo, nos, quinquennali synodo celebrata, *Xantung* nostrum, DEO opitulante, repetiisse incolumes. Si nobis venientibus, ob salebrarum incommoda, quae magis ac magis peiora recentes diluvialium imbrium copiae magnaque vis reddiderant, difficile contigit iter, ut alias nosti; nobis redeuntibus haud casus rerumque discrimina defuerunt. Dum tamen haec omnia, in more divinae voluntatis congruentes, sustinebamus, eheu quot alios nobis vidimus infeliciores! Permultae *Cely* et *Xantung* familiae suis finibus emigrabant ad montes illos exundationis caussa, quae abhinc quinque annis eos misere infestat. Erant viri, mulieres, iuvenes, senes, virgines, pueri qui lassas languore manus et emunctas nobis extendebant ut nostris eleemosynis eos opitularemur. Fecimus sane quod potuimus; sed unde, nobis iterfacientibus, media ad eorum omnium miseriam sublevandam subpeditabantur?! Tum equidem nostrorum ferme immemores discriminum, immanium gentis huius pressi miseratione malorum in lachrymas effundebamur.

Sex post itineris dies ab *Xansi* ad *tchancteinfu* pervenimus apud Patres *Lazzaristas;* qui omnes optato nos hospitio susceperunt, praesertim Exmus D. D. Sarthou et P. Moscarella: quaqua etenim nos charitate complexi, curam omnem nostris necessitatibus impendebant, ita ut nedum amicorum et benefactorum morem sed fratrum prorsus officium in nos obsequi viderentur. Quamobrem nostras illis referimus gratiarum actiones, semperque a DEO fausta quaeque memores adprecamur. Duorum tantum dierum spatio fraterna hac fruiti sumus comitate, iter enim nostrum persequendi propositum nos magis urgebat, licet durissima ob oculos obversarentur incommoda, quae nec tarda casu fuerunt. Haud tamen ista referam, ne, animum tuum tot curis anhelum, taedio molestiaque, ultro afficiam. Solum ad licentiam, tuaque benignitate confisus, quod nobis quadam accidit vice narrabo. Vesperascente coelo popinam quamdam vidimus ad quam divertere voluimus, ut vires reficeremus: eo tamen sordida illa erat ut haram potius dixeris quam habitaculum. Episcopus Geremia et ego in hanc casam, meliori, quo tunc fas erat, modo purgatam, ea debuimus in nocte diversari, omnis licet clathrandi immo et claudendi possibilitas abfuisset, dum prorsus postibus fenestrisque illa carebat. Hoc dato aenopolio, cuique facile cogitatu est quod, coenaturientibus nobis et ferme impastis, fuerit epulum opimum! Aliqua tamen esca inanem placavimus ventrem, dum veram Horatii sententiam experiebamur: « Jeiunus stomachus raro vulgaria temnit ».

De quibus quidem divinae Providentiae grates rependimus. Tugurii illius horrorem nobis penitius observantibus sacrum nascentis Jesu Praesepe meditandum occurrebat. Sed nec insuper lassa potuimus membra somno concedere; montivagas enim feras et praedonum occursum extimebamus, quamvis miseris, hi si venissent, spoliis potirentur. Verum tamen ab his, prout ab omni alia adversitate custodivit et liberavit nos DEUS, cui laus, honor et gloria in saecula. Amen.

Post dies quinque, idest quinta decembris, sospites venimus ad antiquam sedem nostram *Xeolli-cioan,* ubi sunt quincentum Christifideles. Hunc districtum Emus D. D Beniaminus Geremia laudabili et vere apostolico zelo administravit et cui quondam vel ego ipse duodecim annis praefui. Hic, Rme Pater, omnia itineris nostri discrimina obliti sumus. Christiades namque illi, optimi sane ingenii, gratam nostri memoriam adservabant: et ideo una cum RR. PP.

Pio Fovarelli et Josepho Villa, quorumdam milliarium spatio extra oppidum obviam nobis venerunt, secum trahentes currus, equos, vexilla cohortemque musicam etc.: ad nostrum vero occursum in lecthicam, qua regii tantum utuntur administri, ascendere coegerunt Episcopum, qui sic in illum Christi populum solemniter est ingressus inter magnam, nedum fidelium sed et gentium, turbam, qui vehementer mirabantur hoc super triumpho adeo ab illo dissimili, qui contigit quadraginta abhinc annis Exmo et Rmo D.D. Aloisio Moccagatta, tunc temporis Vicario Apostolico ad *Xantung* (1). Quum nostrum ad districtum adventum rescivere sinenses illi ex omni parte veniebant ut Neoepiscopum venerarentur, suasque darent gratulationes et vota, quae facile etiam donariis honestabant. Praeterea fideles nostri, quibus etiam gentes consociabantur, aliud novensili Episcopo honoris et amoris signum exhibere peroptabant, quale tantum regiis sinarum praefectis tribui apud ipsos adsolet. Tametsi Exmus D. Geremia in sua animi demissione id nollet, eorum tamen importunitati, ni dicam devotioni, cedere prorsus debuit, eisque morem obsequi.

Haud aegre feras, Rme Pater, si huiusmodi coeremoniam, prout perfecerunt, describam; aliquid enim curiositatis sapit. Generatim hic ritus tribus constat genuflexionibus totidemque inclinationibus, in quarum ultima caput ad terram usque deiicitur; sed tum hac ratione completa fuit. Fideles iuxta *Christianitatum* ordinem, gentes vero *pagorum* veniebant: quorum nonnulli inscriptiones super chartas coloratas vel auratas, ut eorum mos est, impressas; aut super pannos holosericos acu pictas obferebant: alii cum fistulis tympanis caeterisque musicorum instrumentis laetos hymnos decantabant. Stata igitur hora Exmus D. Geremia ut illis gratum faceret episcopalem habitum debuit induere, aulamque una cum religiosis adire ut illorum reciperet officia. Et primo quidem prima fidelium communitas adstitit; qui ordinatim in atrio ante aulae ianuam, super storeas seu mattas, tapetesque in morem paratos, dispositi suum ita obsequium auspicarunt. Coeremoniario patria voce clamante « *Kuei* » omnes genu dextrum flectunt, et eodem tempore brachiorum extremitates cancellatim super genu sinistrum disponunt; et hoc postea flectentes genu, manus, ita semper cancellatas, pendulas relinquunt, quas porro elevant dum coeremoniario iterum clamante « *tuèn xou* » tres perficiunt inclinationes, ad quarum ultimam eas, adhuc cancellatas, capiti ad terram usque dato subponunt. Hic coeremoniarius exclamat: « *Kì* »; et omnes hoc modo surgunt: nimirum primo sinistrum genu erigunt, super quod manus cancellatas iterum componunt, deinde dextrum et sese extollunt manus hinc inde laxantes. Omnibus interim stantibus coeremoniarius tandem intonat « *y y les pi* » tum quisque manum prae alia sumens ad frontem usque allevat et ita insimul omnes caput profunde inclinant. Qua inclinatione peracta iterum erecti, manus laxantes, adstant; et ulterius

(1) Indefessus iste Missionum ad Sinenses cultor pluries persequutionis causa ab *Xeolli cioan* pago aufugere debuit; et Christifideles ipsi illius curae concrediti permulta etiam ab ethnicis passi sunt. Quadam tamen prae aliis vice impius regis Administer ad se se vinctos perduci fideles viros quoque et mulieres iussit ut eorum omnium in fide constantiam minis blanditiisque pertentaret. Quidni tamen? nihil inde profecit: cum unius tantum viri periculum expertus sit. Ab omni proinde spe ulterioris perversionis relictus, viros ad has *Tinanfu* carceres coniici mandavit, dum mnlieres omnes liberas dimisit. Qua in persequutione haec memoratu dignissima snnt:

1.° Virgo quaedam quatuor et viginti annos agens; quae, adeo de religionis nostrae mysteriis divinisque testimoniis clare et profunde loquebatur coram impiissimo praeside, ut ipsum penitus confunderet; qui proinde eo ira commotus est ut ab sua praesentia prorsus eiiceret. Discessit haec lachrymans et dolens quia digna habita non est, quae in fidei testimon.um, suum, prout avebat, sanguinem effunderet.

2.° Senex quidam paterfamilias; qui maluit in vinculis animam agere, quam Christi fidem utcumque temerare. Eius filius, qui in praesentiarum suo in Vico christianam docet cathechesim, curavit, et potuit, optimi patris exuvias clam subripere ut, ad propria advectas, honesto conderet sepulchro. In itinere accidit ut cum noctu eas custodiendo advigilaret precesque et lachrymas in mortuum effunderet, lucem coelitus super patris exuvias immissam multosque in ea vestibus albis indutos vidit, quae praeterea transiens dissipata est. Id porro ceu signum habuit, quod patris sui anima ad superos feliciter concesserit.

Ille vero qui a fide, in eadem persequutione, discessit, ad sese reversus publicam egit poenitentiam: fidem prorsus integram deinde servavit, ac tandem sancte occubuit, ut ipse, qui eum in extremis adiuvi, quamample contestor.

inde progredientes, eamdem tribus vicibus repetunt coeremoniam. Ast quia plures aderant fidelium communitates infideliumque pagi ideo totum ferme, nec sine molestia nostra, in his egimus mane. Quibus absolutis coeremoniis prandium sibi curarunt ad quod et Episcopum et Missionarios accumbere coegerunt; quum vero eos omnes capere habitatio nostra minime valeret, domum quamdam storeis suis extemplo et ita affabre conficiunt, ut facile aedificiis nostris contenderet. Attamen quod magis animis nostris solatii extitit, festivis hisce in adiunctis, id fuit quod nonnullae gentium familiae cathecumenis nomen dederunt ut christiana doctrina erudirentur: quod exemplum haud inaniter speramus alias atque alias familias esse imitaturas.

Quod supererat itineris ad *Xantung* cito conficere proposueramus, ut ibi Natalis Domini solemnia celebraremus: verum contra propositum hic manere, ad illud usque tempus, enixis precibus fideles isti Episcopum Vic. Ap. et nos compulerunt. Avebant enim solemnes pontificalium ritus videre, nec amplius, ut istam, illis adfuturam occasionem fore pensitabant, qua devotum eos videndi studium explessent. Ea propter misimus *Tinanfu* ut sacras haberemus supellectiles, et hoc in casu ad nos etiam venerunt Rmus p. Petrus Paulus De-Marchi a Vice-sacra Antistitis et p. Rochus qui et *Harmonium* importarunt, quo solemnius laetiusque functiones sacrae celebrarentur. In nocte igitur Nativitatis novensilis Antistes ad missam in pontificali suavem et concinnam ad populum habuit homiliam; in secunda Missa ad auroram magnae fidelium multitudini sanctam EUCHARISTIAM administravit: et maiorem post tertiam iterum in pontificali celebravit, ingenti sane omnium gaudio. Ecclesia, licet satis ampla, tantae tamen capax non erat multitudinis, quae ideo extra templum sub dio manere obstricta est, cum ex aliis quoque Vicis nedum *Xantung* sed et Cely Christifideles hucusque adfluxerint. Omnibus revera fuit ea dies, dies exultationis et laetitiae, et animorum magis quam vocum concentibus angelicum hymnum modulati sumus, quem etiam, sinensi idiomate, iterato vel ipse populus cecinit. Circumcisionis die Episcopus noster confirmandis etiam morem gessit et septuaginta circiter fideles chrismate sacro linivit: eodem pariter die et in festo Epiphaniae DOMINI frequentissimum populum eucharistiae mysterio recreavit.

Tandem iter nostrum persequi datum fuit: et die 12 ianuarii *Xeolli-cioan* discessimus, die vero 15 circa meridiem *Tinanfu* pervenimus. Antistes Geremia Ecclesiam solemniter est ingressus inter magnam gestientis cleri populique frequentiam; ubi gratiarum actionibus cum cantu hymni *Te Deum* D. O. M. persolutis, ad nostra quamlaeti concessimus.

Hic quoque Exmus Geremia fidelium gratulationes excepit, qui cominus eminusque succedebant ut suum quisque exhiberet obsequium, verumque amoris ac benevolentiae promeret testimonium novensili sacrorum Antistiti et Vicario Apostolico regionis *Xantung;* qui praeterea omnibus et singulis honorificis verbis monita salutis dabat, eosque ad fidei constantiam exortans dimittebat. Christifideles porro e Districtu *Più in* quatuor illi obtulerunt inscriptiones, quarum tres ligneis in tabulis maximis sinensium characteribus incisas, quartam vero super optimum rubei coloris pannum aureis litteris intextam, quod opus magni equidem proetii hic aestimatur. Sed et alii insuper dona permulta dederunt, quibus amantissimam obsequii sui significationem sinae adsolent obtestari.

Verum enim vero haud rosae absque spinis florent; et Episcopo nostro ergo cum rosis spinae succrescunt, quae iam eum fodicare minitantur: ex ethnicis namque non desunt qui iterum atque iterum, hac vel illac fideles, neophitos praesertim, ac cathechumenos depravare, eorumque fidem labefactare conantur aut exturbare et quoquomodo vexare contendunt. Ipse tamen vir fortis est et naturali complexione robustus, animo prudens, spiritu fervens et omnigena virtute exornatus: mihi proinde spes optima adridet quod semper ad victoriam sit praelia DOMINI certaturus, oppugnando inimicos undique; qui tandem aliquando videant quam bonum sit obsequi sancto DEO. Haec illi ex animo auspicor; et DEUS ac DOMINUS noster excipiat vota cordis mei, eumque diu sospitem servet ad religionis gloriam, harum gentium salutem et seraphici nostri Ordinis decus.

Excipe, Rme Pater, pergratos animi mei sensus, et concede ut manum tuam deosculer dum seraphicam benedictionem efflagitans me obtestor.

P. T. Rmae

Humillimum et Obsequum filium
JOHACHIMUM ORSI *Miss. Aplcum M. O.*

—

EX SECRETARIA S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

ad Missionum Praefectos.

Romae, mense Julio ann. 1886.

Cum cura huius S. Congregationis primo nunc edita sit Descriptio Missionum catholicarum in annum 1886, folium ex eo opere ad Te mittitur, in quo Missionis, quam regis, status exhibetur eo fine, ut emendationes ac additamenta facienda opportune transmittas quo ad huius S. C. Secretariam non ultra diem ultimum mensis Novembris decurrentis anni perveniant. Enixe autem expostularis, ut quod ad Te attinet, sollicitam operam praebeas ad hanc Missionum descriptionem, quae deinceps quotannis prodibit, accuratam reddendam. Sequentes autem quaestiones, respondens, prae oculis habeas, quibus *brevissime* ac *distincte* satisfacies:

1° Confinia Missionis generatim *accuratius* quam factum est describi debent, per flumina, montes, aliosque naturales limites, aut saltem per civiles regiones, quas continet, aut quibus Missio continetur. — Indicentur etiam limitrophae iurisdictiones.

2° Edicatur cuius dominio populus civiliter subsit.

3° Quinam incolarum, quinam praesertim catholicorum numerus sit in Praefectura, Vicariatu, aut Dioecesi, noscere ac referre Illmi Praesules omnino curent.

4° Notetur utrum in Missione sint verae paroeciae an tantum Stationes; indicetur insuper earum numerus et, nisi exhibeatur in apposito *Directorio*, addatur nomen *vulgare* locorum in quibus eaedem reperiuntur.

5° Quot sint Ecclesiae vel Sacella.

6° Quot in Missione adsint Sacerdotes, Clerici aut Cathechistae, et quot ex illis sint indigenae.

7° An habeatur Seminarium clericis instituendis, et quibusnam in eo studiis operam alumni impendant *accurate* edicatur.

8° Quot sint scholae elementares catholicae pro pueris, quot pro puellis: et quinam respetivus in eis alumnorum numerus.

9° Quae insuper instituta educationis habeantur, et quaenam in singulis alumnorum frequentia sit.

10° Quae instituta charitatis existant et quot alumni in singulis eorum versentur.

11° Quaenam sint instituta regularia, et quinam numerus religiosorum virorum seu mulierum quibus singula constant, vel saltem quinam numerus Conventuum, quos singula habent.

N. B. — *a)* STATIONES dividi possunt in *primarias* et *subsidiarias*. Stationes *primariae* eae sunt, in quibus adest Ecclesia vel Sacellum cum presbytero residente; Stationes *subsidiariae* sunt ea loca, ubi plures catholici *consident* et a missionario tantum visitantur.

b) Cum sermo est de COLLEGIIS accurate notandum est utrum in iis habeantur alumni tantum externi aut interni, aut utrique simul, addito eorum numero respectivo.

Missiones catholicae ritus latini cura S. Congregationis de Propaganda Fide descriptae in annum 1886. — Hic liber, venalis prostans Romae apud Typographiam S. C. de Prop. Fide, transmittitur pretio libell. italic. 5 *(5 francs.)* — Volumen constat paginis XXVIII-415.

Ex praefato libro *Missiones catholicae* a S. Congreg. de Propaganda Fide publicato illas notitias hic describimus, quae nostri Ordinis Missiones concernunt, et simul Rmos Vicarios Apostolicos necnon Missionum Praefectos rogamus, ut additiones vel correctiones, quas necessarias aut opportunas iudicaverint, ante mensem Decembrem p. f. ad Curiam Generalem Ordinis transmittere faveant.

—

SINAE

—

CHAN-SI

Vicariatus Apostolicus (Franciscales)

ORIGO. Saeculo XVI exeunte, catholicae religionis in septentrionalibus Sinarum regio-

nibus semina quaedam iacta fuere, quae Patrum e S. J. nec non Franciscalium opera incrementa subinde dederunt. Haec provincia Chan-si pars fuit Dioecesis Pekinensis ab Alexandro VII institutae donec anno 1696 ab Innocentio XII una cum provincia Chen-si in Vicariatum Apostolicum erecta est, quibus anno 1762 addita est regio Hu-quang, quae deinde anno 1838 ab iis separata est et in Vicariatum erecta; tandem, per decretum die 3 Februarii anno 1844 datum, Chan-si et Chen-si provinciae, quae eatenus unum Vicariatum efformaverant, seiunctae sunt in duos distinctos Vicariatus.

Confinia. Ad Sept. clauditur magno muro (Chang-tching); ad Or. provincia Pe-tche-ly terminatur; ad Mer. habet Ho-nan et ad Occ. flumen Hoan-ho (flumen flavum), per quod a provincia Chen-si dividitur. Extenditur a gr. 106° ad 114° circiter long. orient. (mer. Greenwich) et a gr. 34° ad 41° lat. boreal.

Climate temperato gaudet et salubri, licet inconstanti. Typhus inter morbos praevalet.

Catholici numerantur 14,980 praeter 2,500 catechumenos inter 17,000,000 incolarum.

Districtus 9 extant cum christianitatibus 353.

Ecclesiae 10 habentur : quaedam insuper domus apud quamque christianitatem adest, in qua divina celebrantur mysteria.

Vicarius Apostolicus Illmus D. Aloysius Moccagatta ex Ord. Minorum Observantium Ep. titul. Zenopolitanus. — Residentia: *Taien-fu*.

Coadjutor Illmus D. Gregorius Grassi ex Ord. Minorum Observantium Ep. titul. Orthosien.

Seminarium habetur cum alumnis 18, qui grammaticae, philosophiae ac theologiae operam respective dant; huic adnexum est Collegium cum alumnis 40.

Scholae catholicae tam pro pueris quam pro puellis apud numerosiores christianitates extant; complexivus alumnorum numerus est 1250.

Orphanotrophia etiam plura habentur cum 578 alumnis.

Instituta regularia. *Viri:* Minores Observantes. — *Mulieres:* Tertiariae S. Francisci.

CHAN-TONG SEPTENTRIONALIS
Vicariatus Apostolicus (Franciscales)

Origo. Erectus est Vicariatus Chan-tong a Gregorio XVI anno 1839, eique primus Vicarius Apostolicus addictus est Ludovicus De Besi, Hu-pe et Hu-nan quondam Pro-Vicarius. Varias ex persecutionibus et bellis vicissitudines Missio perpessa est. Anno 1885 per decr. diei 22 Decembris Vicariatus Chang-tong divisus est in septentrionalem et meridionalem.

Confinia. Vicariatus comprehendit septentrionalem regionem provinciae Chan-tong. Ad Sept. habet provinciam Pe-tche-ly et sinum eiusdem nominis; ad Mer. habet Vicariatum de Chan-tong merid.; ad Or. mari flavo (Hoang-hai) circumluitur; ad Occ. provinciae Pe-tche-ly tractum quemdam habet. Extensam faciunt provinciam Chan-tong a gr. 34°, 75' ad gr. 39°, 18' lat. bor., et a gr. 115°, 50' ad gr. 122°, 50' long. or. (a mer. Greenwich).

Lingua regionis est quam *mandarinicam* vocant, seu sinensis purior.

Clima est Sinarum forte saluberrimum, temperatum satis. Morbi praevalentes sunt, quos inflammatorios appellant.

Catholici sunt 15,000 cum 6,000 catechumenorum inter 29,5000,000 incolarum.

Districtus 6 extant et christianitates circiter 300, quot fere habentur sacella.

Vicarius Apostolicus Illmus D. Beniamin Geremia ex Ord. Min. Obs. Ep. titul. Usulen. — Residentia: *Tsi-nan-fu.*

Sacerdotes adsunt 18.

Seminarium extat pro sacris scientiis cum alumnis 22.

Orphanotrophia 4 habentur; 1 pro pueris 100, 3 pro puellis 300.

Scholae catechisticae in Missione 36 sunt.

Instituta regularia. *Viri:* Minores Observantes. *Mulieres:* Sorores Franciscales Missionariae Mariae.

CHEN-SI
Vicariatus Apostolicus (Franciscales)

Origo. Jam ab anno 1640 Christiana Religio in provincia Chen-si praedicata fuit. Variam ex favore aut persecutionibus Imperatorum Sinensium fortunam experta fides est.

Vicariatus hic usque ad ann. 1844 pars fuit Vicariatus Chan-si, a quo una cum Kan-su et tartaris quibusdam regionibus seiunctus est per decretum diei 3 Februarii dicti anni atque in Vicariatum distinctum erectus. Anno demum 1878 per decretum diei 21 Maii avulsa ab ipso est provincia Kan-su una cum Tartariae locis et regione dicta Kou-kou-nor.

Confinia. Terminatur ad Sept. desertis Mon-ku, Orthus nuncupatis, a quibus per magnum murum seiungitur, eiusque iurisdictio ad In-tiao-leang usque protenditur; ad Mer. habet Hu-pé et Su-tchuen; ad Or. habet Chan-si, a quo flumine Hoan-ho interiecto separatur, et Ho-nan; ad Occ. Kan-su.

Lingua sinica exclusive adhibetur.

Clima regionis bonum satis est, frigidum tamen valde per hyemem in plagis borealibus, et caloribus per aestatem in plagis meridionalibus molestum. Typhus, febres dominantur.

Catholici 21,300 numerantur inter incolas 10,300,000.

Stationes 13 Missio habet.

Ecclesiae proprie dictae 19 sunt, sacella vero 86; singula tum Ecclesiae tum sacella adnexum presbyterium habent.

Vicarius Apostolicus Illmus D. Amatus Pagnucci ex Ord. Min. Obs. Ep. titul. Agathonicen. — Residentia: Pagum *Cumjuen-fang* ad praefecturam civ. pertinens urbis *Cao-lin-hien*.

Missionarii europaei 8, sacerdotes indigenae 14 sunt, catechistae 24.

Seminarium 20 alumnos habet; literaria, philosophica ac theologica studia curantur. Collegium quoque extat, in quo pueri aliquot per quinquennium gratuito aluntur et instituuntur.

Scholae 8 habentur.

Orphanotrophia 2 pro puellis expositis adsunt.

HU-NAN MERIDIONALIS

Vicariatus Apostolicus (Franciscales Reformati)

Origo. Per decr. diei 19 Septembris ann. 1879 Vicariatus Hu-nan, qui antea unus extabat, in duos divisus est, septentrionalem et meridionalem.

Confinia. Ad Mer. habet Kuang-si et Kuang-tong provincias: ad Or. Kiang-si; ad Occ. Kui-theou ad Sept. Honan septentrionalis Vicariatum.

Lingua sinica adhibetur.

Clima humidum et temperatum habet; febres non desunt.

Catholici 5,000 inter incolas 10,000,000 adsunt.

Ecclesiae 10 sunt in sqq. locis: Hoansa-nan, Ma-zu-tan, Fu-gia-zon, Jen-chou, Nansian, Tan-van, Pe-sian, Zai-zou, prope civitatem Sian-tan-sien, et prope civitatem Siante-fu. Plura etiam adsunt oratoria privata.

Stationes Missionariorum 6 sunt.

Vicarius Apostolicus Illmus D. Eusebius Semprini ex Ord. Min. Ref. Ep. titul. Tiberiopolitan. residet in regione *Hoansa-nan* distante 4 *li* a civitate *Hen-chon-fu*, cui subiicitur.

Missionarii europ. 3, sacerdotes indigenae 7, Clerici (omnes indigenae) 24, Catechistae 31 habentur.

Seminarium adest cum 24 alumnis, qui grammaticae latinae et sinicae, nec non philosophiae ac theologiae studiis operam dant.

Scholae catechisticae 4 habentur.

Orphanotrophium 1 extat.

Institutum S. Infantiae pro puerulis alendis adest.

HU-PÉ OCCIDUO-SEPTENTRIONALIS

Vicariatus Apostolicus (Franciscales Reformati)

Origo. Anno 1636, primus Antonius de Govea S. J. Evangelii praedicator heic extitisse videtur. Aliorum Missionariorum opera subinde exculta provincia Hu-pé Vicario Apostolico Chan-si quadantenus subdebatur, cum anno 1839 Gregorius XVI Vicariatum Apostolicum de Hu-quang instituit, a quo Hu-pè una cum Hu-nan dependebat. Pius IX anno 1856 Vicariatum Hu-quang in duos distinctos divisit pro duabus, quas amplectebatur, provinciis. Dein idem Pontifex ann. 1870 Vicariatum Hu-pé per Breve « *Christianae rei procurationi* » in tres seiunctos Vicariatus partitus est, quos inter Vicariatus hic Hu-pé occiduo-meridionalis fundatus est. Attamen locum divisio non obtinuit nisi insequenti anno 1871.

Confinia. Ad Sept. habet Chen-si et Ho-nan: Ad Occ. Su-tchuen et Chen-si: ad

Or. vero et Mer. ab Hu-pè orient. et merid. circumscribitur. Sese extendit a gr. 31° ad 33° lat. bor., et a gr. 107° ad gr. 100° long. (ex mer. Paris.).

Lingua sinica in usu est, sed variis dialectis modificata.

Clima temperatum at potius frigescens in montibus, ex quibus fere ex integro missio constat; salubre praesertim in parte occidentali, ubi densa extant nemora.

Catholici sunt 8,000 inter 9.000.000 incolarum.

Vicarius Apostolicus Illmus D. Ezechias Banci ex Ord. Min. Reform. Ep. titul. Halicarnassen. — Residentia: *Lao-ho-keu*.

Stationes sunt 18.

Christianitates 92.

Ecclesiae seu sacella publica 26 enumerantur:

Missionarii sunt 15; europaei 7, indigenae 8: catechistae 25 habentur.

Seminarium habet 12 alumnos literarum ac philosophiae studiis addictos.

Collegium 12 alumnos habet, qui variis bonarum artium disciplinis instituuntur.

Scholae catholicae extant 9, sex pro pueris, qui 250 fere sunt; et tres pro puellis, quae 60 numerantur; praeterea

Orphanotrophia 2 sunt: unum pro pueris 28, pro puellis alterum: hae sunt 68.

Instituta regularia. *Viri*: Fratres Minores Reformati — *Mulieres*: Tertiariae ex ordine filiarum charitatis *Canossiane* vulgo nuncupatae.

(Continuabitur)

IV.
VARIA

—

NOVAE ECCLESIAE ORDINIS

1. Rmus Dnus Gulielmus Josephus Hugo Clifford, Episcopus Cliftonensis in Anglia, nuper posuit primarium lapidem novae ecclesiae in *Clevedan,* in districtu *Somerset,* quam ibi aedificant exules Patres Provinciae S. Ludovici in Gallia.

—

2. Die 13. Junii a. c. Rmus Dnus Michael Augustinus Corrigan, Archiepiscopus Neo-Eboracensis in America septentrionali, posuit primarium lapidem novae ecclesiae, quam Patres Custodiae Buffalensis in civitate Neo-Eboracensi in honorem S. Antonii Paduani aedificant.

—

QUINQUE DOMINICAE

ante festum SS. Stigmatum S. P. N. Francisci

In fasciculo primo anni currentis, pag. 11 publicavimus Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum diei 21 Novembris 1885, quo omnibus Fidelibus, qui in quinque Dominicis festum SS. Stigmatum S. P. N. Francisci praecedentibus, vel in aliis quinque anni Dominicis consecutivis, piis meditationibus, vocalibus orationibus aliisve pietatis operibus in honorem SS. Stigmatum vacaverint, pro qualibet ex dictis Dominicis Indulgentia plenaria conceditur, dummodo vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, ecclesiam quamlibet vel publicum oratorium visitaverint ibique secundum intentionem Summi Pontificis oraverint.

Hoc anno quinque Dominicae festum SS. Stigmatum praecedentes occurrunt Dom. 9, 10, 11, 12 et 13 post Pentecosten, hoc est, diebus 15, 22 et 29 Augusti, ac 5 et 12 Septembris.

V.
BIBLIOGRAPHIA

—

MISSALE ROMANO-SERAPHICUM

pro tribus Ordinibus Sancti Francisci Patris Nostri

aliisque Breviario Romano-Seraphico utentibus a s. m. Pio PP. VI approbatum

et Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum Ministri Generalis solicitudiue nunc denuo impressum ac Missis ad hunc usque diem ab Apostolica Sede concessis propriaeque stationi assignatis auctum.

Romae, anno a partu Virgineo MDCCCLXXXVI. Typis Monaldi et Soc. (L. 18).

ANNALES MINORUM seu trium Ordinum a S. Francisco institutorum ab anno MDCXII usque ad annum MDCXXII continuati a P. F. Stanislao Melchiorri de Cerreto, Picenae Provinciae filio Minorum Observantium S. Theologiae Lectore Jubilato, Ex-Definitore Generali, et a P. F. Eusebio Fermendzin, Observ. Provinciae Capistranae filio, Definitore Generali, iussu Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, Ministri Generalis, aucti et editi. Tomus XXV. — Ad Claras Aquas *(Quaracchi)* prope Florentiam, ex typographia Collegii S. Bonaventurae, MDCCCLXXXVI. (in 4 gr. pag. XVI-742) (L. 25.).

APOLLINARE A VALENTIA (P.)
Bibliotheca Fratrum Minorum Capuccinorum Provinciae Neapolitanae auctore P. Apollinare a Valentia in Delphinatu, eiusdem Ordinis, Provinciae vero Parisiensis alumno. Romae apud Archivistam Generalem Ordinis Capuccinorum, Platea Barberini. 1886. (L. 5; pro FF. Min. Capuccinis, et FF, Min. de Observantia L. 4).

MARCELLINO DA CIVEZZA. (P.)
Gesú è il suo Vangelo. — Spiegazioni secondo le presenti esigenze della Società Cristiana dalla I[a] Domenica dell'Avvento alla XXIV[a] dopo la Pentecoste dette in S. Domenico di Prato in Toscana dal P. Marcellino da Civezza Min. Oss. — Prato, Tipografia Giachetti, Figlio e C. 1886 — Un volume in 8 di pag. 556 — (Pretium lire 3).

VI.
NECROLOGIA

—

ADM. R. P. STANISLAUS SIMONETTI almae obs. Romanae Provinciae filius Ferentini in hernicis — die 16 martii an. 1826 piis honestisque parentibus natus; Palumbariae in recessu S. Francisci die 18 novembris 1844 habitum sumpsit: ibique expleto tyrocinii tempore solemnia vota nuncupavit. Artium scientiarumque documentis eruditus, Velitris sacerdotio initiatus est 25 maii 1850.

Regularis observantiae studio mox adeo inclaruit ut tyronibus instituendis praefectus sit in recessibus S. Francisci apud Civitellam *(bellegram)* et S. Bernardini apud Hortas ubi etiam Guardiani munere functus est. Populorum salutis zelo ita flagrabat quod ferventissimas conciones, cum spiritualium exercitiorum tum missionum causa, variis in locis, frequenter habuerit non sine magno animarum lucro. Fidei dilatandae amore percitus, infidelium conversionem nedum votis expetivit sed opere capessere peroptavit; et anno 1870 Superiorum venia, in meridionalem Americam se contulit. Ibi in Conlegio *Potosi* Boliviensis Reipublicae, unius anni spatio commoratus, hispanicae ac barbaricae linguae studuit; indeque ad infideles desiliit R. P. Francisco Solano una cum P. Andrea ab Algido socius adiunctus ad fundationem duarum missionum secus flumen *Parapiti*: quibus decem circiter annos solicitam curam impendit tum qua Missionarius cum qua universae *Potosi* Missionis Praefectus. Postea ad Missiones *Guarayos* pertransiit ubi defectum advertens operariorum ad Europam remeavit et Italiam veniens ut alios ad opus fratres sibi adscisceret, vehementer doluit inspiciens classicum hunc populum a fide ferme extorrem; quod aegre ita pertulit, ut causa illi fuerit, quo ad barbaricas gentes reverti ocyus festinaret. Iterum igitur Americam petens (an. 1884) ad easdem *Guarayos* missiones redivit, quae ab Conlegii Taratensis Praefecto dependent. Ibi tamen non multo post laboribus et meritis plenus die 9 feb. 1886 animam DEO reddidit. R. I. P.

Nihil obstat.

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX SUPREMA CONGREG. S. ROM. ET UNIV. INQUISIT.

—

DE CREMATIONE CADAVERUM
Feria IV, die 19 Maii 1886.

Non pauci Sacrorum Antistites cordatique Christifideles animadvertentes, ab hominibus vel dubiae fidei, vel massonicae sectae addictis magno nisu hodie contendi, ut ethnicorum usus de hominum cadaveribus comburendis instauretur, atque in hunc finem speciales etiam societates ab iisdem institui: veriti, ne eorum artibus et cavillationibus fidelium mentes capiantur, et sensim in eis imminuatur existimatio et reverentia erga christianam constantem et solemnibus ritibus ab Ecclesia consecratam consuetudinem fidelium corpora humandi: ut aliqua certa norma iisdem fidelibus praesto sit, qua sibi a memoratis insidiis caveant; a Suprema S. Rom. et Univ. Inquisitionis Congregatione declarari postularunt:

1.° An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera?

2.° An licitum sit mandare, ut sua aliorumve cadavera comburantur?

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Cardinales in rebus fidei Generales Inquisitores supra scriptis dubiis serio ac mature perpensis, praehabitoque DD. Consultorum Voto, respondendum censuerunt:

Ad I.^m^ Negative, et si agatur de societatibus massonicae sectae filialibus, incurri poenas contra hanc latas.

Ad II.^m^ Negative.

Factaque de his Sanctissimo Domino Nostro LEONI Papae XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum Patrum adprobavit et confirmavit, et cum locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent Christifideles circa detestabilem abusum humana corpora cremandi, utque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant.

JOS. MANCINI
S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.

—

S. CONGREG. INDICIS

—

DECRETUM
Feria VI die 25 Junii 1886.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 25 Junii 1886 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Paolo Mantegazza, senatore del Regno: Igiene dell' amore. Vol. 1, Milano, 1881. —

Fisiologia dell'amore. Vol. 1, Milano, 1882. — Gli amori degli uomini, saggio di una etnologia dell'amore. Vol. 2, Milano, 1886. — *Opera praedamnata ex VII Regula Indicis.*

Auctor (Henri Des Houx) *operis, cuius titulus :* Souvenir d'un Journaliste Français à Rome. Paris, Paul Ollendorff, éditeur, 1886, *proscr. Dec. S. Off. 31 martii 1886, laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.*

Datum Romae die 25 Junii 1886.

Fr. THOMAS MARIA *Episc. Sabinen. Card.* MARTINELLI *Praef.*

Fr. HIERONYMUS PIUS SACCHERI *Ord. Praed. S. Ind. Congreg. a Secretis.*

—

EX S. CONGREG. S. RITUUM

—

Viget in pluribus Dioecesibus consuetudo ab antiquis temporibus invecta, vi cuius in deferendis funebri pompa fidelium cadaveribus, semel aut pluries feretrum in via sive platea deponitur, et post cantum antiphonae *Libera me Domine*, lustrali aqua aspergitur, cum multiplici cleri emolumento. Quaeritur, an huiusmodi consuetudo tolerari nec ne possit? Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii a nonnullis Ordinariis super re interrogata, exquisita antea sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, re mature expensa, ita respondendum censuit praefatae quaestioni : « Expositam consuetudinem, dummodo turpis « lucri gratia non fiat, quod scandalum aut « admirationem pareret, tolerari posse ».

Atque ita rescripsit die 20 Novembris 1885.

D. CARD. BARTOLINIUS, *Praefectus.*
Laurentius Salvati, Secretarius.

—

EX S. CONGREG. S. RITUUM

—

A sacra Rituum Congregatione quum exquisitum fuerit, an quoties in privata recitatione separantur Laudes a Matutino, hoc semper concludendum sit, post respectivam orationem, per ℣. *Dominus vobiscum* etc. et ℣. *Fidelium animae* etc., necnon *Pater noster,* iuxta sententiam, quam tradit S. Alphonsus de Ligorio in suo opere Theolog. moral. lib. IV. art. IV. n. 107? Sacra eadem Congregatio respondit : *Affirmative.* Atque ita respondit ac rescripsit die 7 Februarii 1886.

D. CARD. BARTOLINIUS, *Praefectus.*
Laurentius Salvati, Secretarius.

—

PRECES
JUSSU LEONIS PAPAE XIII
POST MISSAM DICENDAE

—

Sacerdos ter dicat cum populo: *Ave Maria;* deinde: *Salve Regina* cum ℣. *Ora pro nobis etc.* et ℟. *Ut digni etc.*

OREMVS

Deus refugium nostrum et virtus, populum ad te clamantem propitius respice; et intercedente gloriosa et immaculata Virgine Dei Genitrice Maria cum beato Josepho Eius Sponso, ac beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, quas pro conversione peccatorum, pro libertate et exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, preces effundimus, misericors et benignus exaudi. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Addatur invocatio: — Sancte Michael Archangele, defende nos in praelio; contra nequitiam et insidias diaboli esto praesidium. — *Imperet* illi *Deus ;* supplices deprecamur : tuque, Princeps militiae caelestis, Satanam aliosque spiritus malignos, qui ad perditionem animarum pervagantur in mundo, divina virtute in infernum detrude. Amen.

SSmus Dominus Noster LEO PP. XIII omnibus preces, ut supra, recitantibus tercentum dierum indulgentiam largitur.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTAURANDA
CAP. I.
DE PAUPERTATE
§. 8. *De paupertatis observantia in Ordine nostro.*

(Continuatio)

109. CHRISTUS Dominus egenus factus est, ut sua paupertate rerum terrestrium doceret

contemptum, atque Apostolis suis ad Evangelii praedicationem profecturis paupertatis et humilitatis dedit praecepta, dicens (1): « Nolite « possidere aurum, neque argentum, neque « pecuniam in zonis vestris: neque peram in « via, neque duas tunicas, neque calceamenta, « neque virgam: dignus enim est operarius « cibo suo ». Huic mandato obtemperantes Crucifixum ubique praedicarunt, atque magis exemplo quam verbis homines ad sanctam vitam et ad SALVATORIS sequelam incitarunt.

110. Mirum proinde non est, quod, qui Ecclesiam suam paupertate fundavit, eiusdem etiam ruinas paupertatis adminiculo voluerit restaurare. Hinc medio aevo pauperem suscitavit Franciscum, qui per se ac suos fratres mundum universum illuminaret, eiusque reformationi efficacem operam conferret. Sicut CHRISTUS Apostolos, ita S. Franciscus Fratres suos iugiter docuit, exemplo potius quam verbo praedicare, atque paupertate mundique despectu vitia destruere et virtutes commendare. Quantum autem hoc vitae genere hominum corda movebant, historia ecclesiastica Ordinisque annales testantur. Eximios fructus, quos Ordinis Fratres in praedicatione Evangelii reportarunt, S. Bonaventura praecipue eorum paupertati attribuit, dicens: (2) « Faciebat namque sancta paupertas, quam solam « deferebant pro sumptibus, ipsos ad omnem « obedientiam promptos, robustos ad labores, « et ad itinera expeditos. Et quia nihil ter- « renum habebant, nihil amabant nihilque ti- « mebant amittere, securi erant ubique; nullo « pavore suspensi, nulla cura distracti; tam- « quam qui absque mentis turbatione vive- « bant, et sine sollicitudine diem crastinum « et serotinum hospitium expectabant ».

111. De eximio paupertatis amore, quo Fratres Minores primo Ordinis tempore repleti erant, illustre exhibuit testimonium Jacobus a Vitriaco S. R. E. Cardinalis, qui inter alia scribit: (3) « Haec est Religio vere « pauperum Crucifixi, et Ordo praedicatorum, « quos Fratres Minores appellamus. Vere Mi- « nores et omnibus huius temporis Regula- « ribus in habitu et nuditate et mundi con- « temptu humiliores. . . . Adeo primitivae « Ecclesiae religionem, paupertatem et humi- « litatem in se reformare diligenter procu- « rant, puras evangelici fontis aquas cum siti « et ardore spiritus haurientes, quod non so- « lum evangelica praecepta, sed et consilia, « vitam apostolicam expressius imitantes, mo- « dis omnibus adimplere laborant, omnibus « quae possident renunciantes, seipsos abne- « gantes, crucem sibi tollendo, nudi nudum « sequentes . . . . Ipsi autem CHRISTI pau- « peres, neque sacculum in via portant, ne- « que peram, neque panem, neque aes sive « pecuniam aliquam in zonis suis, non pos- « sidentes aurum neque argentum, nec cal- « ceamenta in pedibus suis habentes. Nulli « enim huius Ordinis fratri licet aliquid pos- « sidere. Non habent monasteria vel eccle- « sias, non agros, vel vineas, vel animalia; « non domos, vel alias possessiones, neque « ubi caput reclinent. Non utuntur pellibus, « neque lineis, sed tantummodo tunicis laneis « capuciatis, non cappis vel palliis, vel cu- « cullis; neque aliis prorsus induuntur vesti- « mentis. . . . Si quis eis aliquid misericor- « diter contulerit, non reservant in poste- « rum. . . . Non solum praedicatione, sed « et exemplo vitae sanctae et conversationis « perfectae multos non solum inferioris or- « dinis homines, sed generosos et nobiles ad « mundi contemptum invitant, qui relictis op- « pidis et casalibus et amplissimis possessio- « nibus, temporales divitias et spirituales felici « commercio commutantes, habitum Fratrum « Minorum, id est tunicam vilis pretii, qua « induuntur, et funem quo accinguntur, as- « sumpserunt. Tempore enim modico adeo « multiplicati sunt, quod non est aliqua chri- « stianorum provincia, in qua aliquos de Fra- « tribus suis non habeant, qui in seipsis, « velut in speculo mundissimo mundanae va- « nitatis contemptum oculis respicientium re- « praesentant . . . . Ipsi funiculum cum tunica « venientibus ad se largientes, quod reliquum « est, supernae procurationi relinquunt. Adeo « autem ministris suis DOMINUS in hoc sae- « culo centuplum restituit, et in via hac, « qua gradiuntur, firmat super ipsos oculos « suos, quod in eis ad litteram completum « agnovimus, quod scriptum est: DOMINUS

(1) Matth. x.
(2) Vita S. Francisci, cap. 4.
(3) In histor. Occid. cap. 32.

« *amat peregrinum, et dat ei victum et vestimentum.* Felices enim se reputant, a quibus « hospitalitatis obsequium vel eleemosynas « servi DEI suscipere non recusant. Non solum autem Christifideles, sed etiam Saraceni et obtenebrati homines eorum humilitatem et perfectionem admirantes, quando « causa praedicationis ad ipsos intrepidi accedunt, grato animo, necessaria providentes, libenter eos recipiunt ».

112. Verum haec est naturae humanae conditio et infirmitas, ut successu temporis etiam solidissima infirmentur, fervida tepescant, et mundanum pulverem etiam purissima quaeque et sanctissima contrahant. Hanc humanae fragilitatis sortem expertus est etiam Ordo noster seraphicus. Nam splendidus ille sanctitatis fulgor, qui in principio emicabat, labentibus saeculis subinde multum decrevit. Saecularia in non paucis locis paulisper invaluerunt desideria, et nonnullis in locis multi Religiosi de sancta paupertate, quae totius Ordinis nostri est decor, erubuerunt, et proprietates vel res pretiosas et superfluas admiserunt. Omni vero tempore religiosioris notae viros DEUS suscitavit, qui paupertatem illis in locis restituerent, et Religiosos ad regularem disciplinam revocarent.

113. Inter varias quas Ordo Minorum reformationes subiit, praecipua et prorsus stupenda habenda est ea, quae circa annum 1368 initium sumpsit in Italia, opera Fr. Paulutii de Trincis, quaeque sub Observantium nomine saeculo XV ubique fuit propagata. Quum autem altissima paupertas ita Ordinis nostri sit fundamentum, ut illius firmitate firmetur, illius autem eversione penitus destruatur, mirum non est, quod illi, qui totius Ordinis reformationi tam sedulo adlaborarunt saeculo XV, in id potissimum curas suas sollicitudinesque converterint, ut paupertatem seraphicam iuxta Regulae nostrae praescriptum et iuxta Ordinis nostri primaevum spiritum restituerent. Magni tunc temporis in multis locis introducti erant abusus contra sanctae paupertatis observantiam; multi Ordinis Conventus possessiones aut annuos redditus habebant; coenobia et ecclesiae superfluis et nimis pretiosis supellectilibus erant instructa; spiritus proprietatis in multis invaluerat, et communis vitae ratio maximum ubique passa erat detrimentum; multi insuper in habitu mollitiem quaerebant, et, reiectis sandaliis, calceamentorum usum admiserant.

114. Haec omnia paupertatis offendicula eliminare volentes regularis observantiae zelatores, hoc imprimis curarunt, ut omnis proprietas a Conventibus tolleretur, et, ne quid admitteretur, quod proprietatis speciem prae se ferre videbatur. Hunc in finem S. Joannes Capistranus, magnus regularis observantiae zelator, in monte Alvernae sequens condiderat Statutum: « Interdicuntur annui redditus, « pecuniarumque oblationes in altari, cippo, « vel trunco. Superiores non patiantur aliquam loco nostri Ordinis permanere annexam ullam proprietatem, puta vinearum, « olivarum aliarumque rerum mobilium et immobilium, quae sint contra puritatem Regulae ». — Quam scrupulose hoc Statutum fuerit ubique observatum, per singulos annos testantur Ordinis Annales. Dum enim aliquis Conventus de Fratribus *de familia* ad Fratres *observantes* transibat, prima cura erat. ut omnes adnexae proprietates, servatis servandis alienarentur, et omnes annui redditus relinquerentur. Quam solliciti autem fuerint, ne Conventus sic reformati novis possessionibus denuo macularentur, etiam dum ratio aliqua earum admissionem excusare videbatur, facta non pauca in Annalibus relata sufficienter ostendunt. Sic legitur ad annum 1453: Dum Fr. Marcus Bononiensis, Vicarius Generalis Observantium pro cismontana familia, audiret, Bosnae regem recenter conversum ad fidem acceptum a Fratribus evangelicae lucis beneficium relaturum, edicto publico praecepisse, ut alimenta Fratribus per totum regnum tribuerentur, et si qui dare nollent cogerentur; haec res Religiosis valde displicuit optantibus providentiae divinae et spontanea populi benevolentia iuxta paupertatis suae statum inniti, minime vero violentae regis provisioni: ut proinde e Conventu Jadrensi S. Crucis Fr. Marcus, Vicarius, regi scripserit, multas gratias pro devotionis affectu agens, sed obnixe rogans, ut subditis suis permittat liberum Fratribus benefaciendi arbitrium, addens, Fratres ipsos ea bona non velle, quae sciunt statui suo nullatenus convenire, et quae in aliis re-

prehendere solent. — Quam alieni fuerint ab omni proprietate et humana providentia, sequenti etiam laudabili facto ostenditur Quum ad annum 1487 deficere viderentur fidelium subsidia, quibus Fratres nostri in locis Terrae sanctae sustentabantur, et loca ipsa reparabant, ob tumultus bellorum et mortem quorumdam principum, qui specialia beneficia in illos conferebant, cogitavit Pontifex per stabiles redditus aliquarum ecclesiarum Hispaniae, Galliae, Burgundiae et aliarum regionum illis succurrere; sed ubi benevolum eius propositum intellexit Evangelista Perusinus, Vicarius cismontanae familiae Observantiae, cuius subditi sacra illa loca incolebant, strenue restitit omni provisioni, quae S. Francisci Regulae observantiam tolleret, asserens, a duobus fere saeculis Fratres illos sola paupertate innixos, et se et loca sustentasse, nec in posterum abbreviatam iri manum Domini, tantumque effecit, ut litterae ad principes iam signatae detinerentur, quarum exemplar descripsit Waddingus.

115. Ex his et aliis permultis, quae afferri possent, factis luculenter patet, quanta sollicitudine ab Observantibus fuerit observatum Regulae praeceptum de non acceptanda ulla rerum proprietate. Nec minus cauti fuerunt circa cetera omnia, quae altissima nostra paupertate prohibentur. Nonnisi reluctantes sumptuosos Conventus admittebant. Sic sulummodo ex obedientia erga Summum Pontificem Pium II anno 1461 Conventum Narniensem, et 1445 magnum Edimburgensem Conventum in Scotia acceptarunt.

116. Idem paupertatis zelus apparuit quoad paramenta ecclesiae et utensilia domus. Quantopere abhorrebant omnem superfluitatem et nimiam pretiositatem, luculenter constat ex continuis recursibus, quos ad S. Sedem faciebant, ut serenarent suam conscientiam circa multa supellectilia, quae sanctae paupertati non apparebant conformia, et quae simul cum Conventibus a Fratribus *de familia* ipsis fuerant relicta.

117. Dum observantiae regularis promotores tanta sollicitudine invigilabant, ne Conventus proprium quid possiderent, aut supellectilia haberent nostro statui minus conformia, maiori adhuc studio curandum duxerunt, ut omnis proprietatis spiritus a Fratribus removeretur. Ut hoc periculum praecluderetur, sequentem ordinationem stabilivit S. Joannes Capistranus in suis Constitutionibus: « Circa « sextum capitulum dico et ordino, quod nul« lus Fratrum nostrorum praesumat aliquam « rem, quantumlibet parvi valoris, suo arbi« trio retinere quoquo modo, nisi a suo Prae« lato, videlicet Vicario Provinciae, vel Guar« diano ad usum sibi concessa fuerit. Exinde « praecipio omnibus et singulis, quod abhinc « in posterum, habita notitia praesentium or« dinationum, quilibet Frater nostrae familiae « cismontanarum partium teneatur et debeat « quam citius consignare Vicario Provinciae « vel suo Guardiano quaecumque ad suam « instantiam retinet, quantumlibet minima, « cum B. Bernardus dicat: *Monachus, qui « habet acum, non valet acum:* et ea, quae per « suum Praelatum ad usum conceduntur, gra« tiose recipiat: ab his autem, quae dene« gantur, omnino patienter abstineat. Et nullus « praesumat sub clausura quacumque aliqua « retinere, neque in loco nostri Ordinis, ne« que extra Ordinem: nec audeat quisquam « aliquid dispensare, vel aliquid donare, nec « intra Ordinem, nec extra Ordinem, nisi de « licentia sui Praelati, scilicet Vicarii Provin« ciae, vel Guardiani. Nullus insuper audeat « quidquam emere vel emi facere aut ven« dere, vel vendi facere, nisi de licentia sui « Praelati: et tunc nonnisi per modum lici« tum et permissum per amicos spirituales, « procuratores, vel oeconomos distractio vel « emptio fiat, iuxta declarationem Nicolai III ». Quaecumque in hac ordinatione praescribuntur, attenta consideratione digna sunt. In his enim non solum snbstantialia voti paupertatis continentur, sed etiam aptissima atque efficacissima praescribuntur media contra violationem.

118. Ex dictis patet, quanto zelo observantiae promotores saeculo XV laboraverint, ut seraphicam paupertatem ad Regulae nostrae tramites servarent, aut collapsam restituerent, et iuxta primaevum Ordinis spiritum ubique renovarent. Cum autem monita et mandata tunc temporis hunc in finem data concordent iis, quae de servanda paupertate a S. Bonaventura scripta et ordinata fuerunt,

hic eiusdem seraphici Doctoris verbae ducimus adiungenda, quibus Fratres omnes ad exactam sanctae paupertatis observantiam stimulat, dicens: (1) « Cum paupertas voluntaria sit totius spiritualis aedificii primarium « fundamentum, idcirco toto tempore vitae « tuae in omnibus transitoriis rebus strictam « paupertatem observa, ut nihil sub coelo « habeas, nisi ea, quae necessitati tuae per « Regulam conceduntur. Dicitur enim ibi, (2) « quod Fratres nihil sibi approprient, nec do- « mum, nec aliquam rem . . . . *Beati pau- « peres spiritu, quoniam ipsorum est regnum coe- « lorum.* Igitur si per paupertatem terrenorum « pervenitur ad gloriam beatorum, stude sem- « per tenere strictissimam paupertatem, ma- « xime in libris, et soleis, et tunicis, ut eas « non habeas, nisi sicut tuae necessitati stricte « videris expedire; neque superflua necessaria « dicas, sed potius ipsa necessaria superflua « time. Unde nihil habeas, nec per te, nec « per interpositam personam; et attende sem- « per, ut nihil habeas in cella, nisi necessa- « ria; et hoc dico etiam de minimis rebus, « ne forte negligendo modica, paulatim cadas « ad maiora. — Ait enim Augustinus (3). — « *Vitasti grandia; cave ne obruaris arena* ».

119. Hanc seraphicam paupertatem, pro cuius observantia Sancti Bernardinus, Joannes Capistranus, Jacobus Picenus aliique permulti indefesse laborabant, etiam postea Superiores Ordinis semper Fratribus omnibus summopere inculcarunt. Vix ullum Capitulum Generale invenies, in quo salutares ordinationes pro sanctae paupertatis observantia non emanaverint; vix a Ministris Generalibus ulla scripta fuit epistola pastoralis ad Fratres, in qua seraphicam paupertatem summis laudibus tamquam Ordinis nostri fundamentum atque decus non celebraverint, eiusque sinceram observantiam omnibus subditis suis enixe non commendaverint. Et iure merito. Nam ubi seraphica paupertas a Nostratibus adamussim observatur, ibi Ordo noster floret. Ubi vero disciplina regularis collapsa est, ad eam restaurandam ante omnia opus est, ut sanctae paupertatis observantia iuxta Ordinis nostri spiritum restituatur; hoc enim fundamento posito, reliqua omnia, quae ad veram disciplinam religiosam requiruntur, sine magna difficultate introduci poterunt.

120. Nostris temporibus, etiam in nostro Ordine, non desunt inimici sanctae paupertatis, qui eius observantiam, prout a S. Regula praescribitur, nimis difficilem atque molestam dictitant, ac propterea eius rigorem mitigandum esse putant. Hanc opinionem iam a Fr. Elia inventam purae Regulae nostrae observatores numquam admittere possunt. Nam si observantia paupertatis nulla incommoda inveniret, nostra paupertas utique non difficilis, non sublimis, non altissima, non evangelica, non meritoria esset, nec fide opus esset ad eam amplectendam; humana prudentia ad hoc iam esset sufficiens. Valde etiam errant, qui putant, hisce temporibus sufficientes eleemosynas inveniri non posse, si paupertas *in toto* suo rigore observetur. Hoc omnino *falsum*, et potius contrarium verum est, et quotidiana experientia comprobatur. Si Regulae praevaricatores tantas recipiunt eleemosynas: numquid umquam timendum est, ut fideles paupertatis observatores necessaria ad honeste vivendum frustra quaerant? Tantam utique Fideles pro veris Fratribus Minoribus habent admirationem et amorem, ut pro ipsis alendis nullum sacrificium omittant. Et hoc etiam nostris temporibus videmus oculis nostris. Nam in illis Provinciis, in quibus paupertatis observantia viget, nedum sufficientes sed et abundantes eleemosynae habentur, ita ut huiusmodi Provinciarum Religiosi non solum commode vivere, sed etiam aliis Provinciis fraterna charitate succurrere valeant.

121. Saepius recogitemus atque meditemur illa verba, quae S. P. N. Franciscus ad omnes suos filios direxit, dicens: (1) « Quantum « Fratres declinabunt a paupertate, tantum « mundus declinabit ab eis, et quaerent et « non invenient. Si dominam meam paupertatem amplexi fuerint, mundus eos nutriet, « quoniam mundo dati sunt ad salutem. Com- « mercium est inter mundum et Fratres. De- « bent enim ipsi mundo bonum exemplum, « debet eis mundus provisionem necessita- « tum; quando autem ipsi retraxerint bonum

(1) Regula novitiorum, cap. XIV.
(2) Cap. VI.
(3) Enarr. in Psalm. 99.

(1) Opusc., Coll. V.

« exemplum fide mentita, retrahet mundus « manum iusta censura ». Eadem etiam seraphicus S. Bonaventura docet, dicens: (1) « Scio quod ita fit, quod quanto ferventiores « professae paupertatis fueritis amatores, tanto « magis omnibus bonis, etiam temporalibus, « abundabitis. Si autem paupertatem, quam « professi estis, contempseritis, omnium bo- « norum, etiam temporalium, indigebitis? »

122. Honor et gloria nostri Ordinis non consistit in multa scientia et alta doctrina, non in magnis dignitatibus, ad quas eius Religiosi assumuntur, sed potius in vera observantia sanctae paupertatis. Scopus enim praecipuus nostri Ordinis est, et semper esse debet, ut per paupertatis voluntariae observantiam homines doceamus vanitatem huius mundi, eosque ad contemptum rerum terrestrium incitemus. Illi ergo Franciscani, qui seraphicam paupertatem negligunt, veri et genuini S. Francisci filii non sunt, suae vocationis scopum non assequuntur, et ab hominibus iure merito despiciuntur. Qui idcirco proprium honorem et gloriam sui Ordinis amat, sanctam paupertatem sincere diligere, et iugiter exercere debet.

123. Nostris temporibus, quibus insatiabilis pecuniae fames ubique terrarum et apud omnes hominum classes grassatur, et innumeras animas ad perditionem aeternam ducit, magis quam aliis temporibus opus est, ut huic deplorando avaritiae vitio exemplum voluntariae paupertatis opponatur. Et ad hoc praestandum nos praecipue a Deo vocati sumus. Hanc paupertatem propter Deum exercentes populo iugiter praedicamus contemptum mundi et exemplo nostro pro salute animarum semper cum fructu laboramus.

124. Haec, quae de sancta paupertate breviter exposuimus, sufficere possunt ad excitandum cunctos Fratres nostros, ut *augustam Dominam nostram,* sanctam paupertatem, sincero corde diligant, et opere iugiter exerceant. Ast, proh dolor, hic amor paupertatis non paucis Religiosis hisce nostris temporibus deest! Deest praesersim illis infelicibus Religiosis suppressis et dispersis, qui nunc, circumstantiis in melius mutatis, ad Conventum redire possent ac deberent, hoc autem ob vanas et mentitas rationes incredibili mentis caecitate omittunt. Nihil aliud huiusmodi infelices in saeculo retinere solet, nisi infaustus amor pecuniae et proprietatis. Utinam isti, qui altissimae suae vocationis iacturam fecerunt, tandem tristem suum statum intelligerent, ac novissima sua praeviderent! Pariter deest amor paupertatis tum illis Superioribus, qui vitam communem perfectam in suis Conventibus restituere negligunt, tum illis subditis, qui huiusmodi restaurationi resistunt. Ex superius enim dictis satis patet, seraphicam paupertatem in sua puritate ibi tantum servari, ubi viget perfecta vita communis.

(1) Opusc., Coll. V.

125. Enixe rogamus Magistros Novitiorum omnes, ut magno zelo Novitiis curae suae commissis non solum sacram Regulam iuxta probatos auctores exponere eosque vitae spiritualis principia et praxim diligenter edocere satagant, verum etiam sincerum amorem regularis observantiae, ac praesertim seraphicae paupertatis pro viribus eis instillare studeant. Superiores vero, qui Provinciis vel Conventibus praesunt, in quibus debita disciplina regularis non viget, rogamus, ut memores suae obligationis eam quamprimum restituere non omittant. In hunc finem ante omnia alia perfectam vitam communem, si forsitan non vigeat, atque puram paupertatis observantiam introducant; secus enim omnes alii eorum conatus essent inutiles. Omnes denique Fratres, Superiores ac subditos, rogamus propter Deum, ut sanctam paupertatem iugiter observent, eiusque observantiam pro viribus in Ordine nostro promovere studeant. Semper memores simus verborum Seraphici S. P. N. Francisci, quae in celebri eius oratione pro obtinenda paupertate habentur: « O quis non « diligat dominam paupertatem hanc prae « omnibus? A te peto hoc privilegio consi- « gnari. exopto hoc thesauro ditari, postulo, « ut mihi et meis in aeternum sit proprium, « pauperrime Jesu, propter nomen tuum nihil « posse sub coelo proprium possidere et alie- « nis rebus semper cum usus penuria, dum « vivit caro misera, sustentari ».

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1886 celebrata.

III.

Ref. Provincia S. Angeli in Apulia.

Ob promotionem ad Episcopatum Castellanetensem Ministri Provincialis anticipata electione iuxta n. 707 Const. Generalium, nominati sunt Romae die 12 Junii 1886:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. *Franciscus Antonius a S. Joanne Rotundo,* Lect. Em.

CUSTOS VOCALIS

A. R. P. *Aloysius a Roseto.* ex Minister Provincialis.

DEFINITORES

R. P. *Herminius a Vallata.*
R. P. *Franciscus a Fragneto Montisfortis.*
R. P. *Seraphinus ab Asculo-Sottriani.*
R. P. *Ezechias a Montefalcione.*

IV.

Ref. Provincia S. Crucis Croatiae-Carnioliae.

Praeside Adm. R. P. Gaudentio Guggenbichler, Definitore Generali, die 7 Julii rite celebratum fuit Capitulum Provinciale in Conventu Labacensi ad B. V. M. ab Angelo salutatam, et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. *Eustachius Ozimk.*

CUSTOS VOCALIS

R. P. *Albertus Pinter.*

DEFINITORES

R. P. *Thaddaeus Gregoric'.*
R. P. *Victor Ferancic'.*
R. P. *Placidus Fabiani.*
R. P. *Rudolphus Dolinsek.*

V.

Collegium S. Francisci Solani civitatis Rivi Quarti in Republica Argentina.

Die 23 Junii, praesidente A. R. P. Salvatore Mazza, Commissario Generali, in Apostolico Collegio S. Francisci Solani civitatis Rivi Quarti in Republica Argentina celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII

R. P. *Quiricus Porreca.*

PRAEFECTUS MISSIONUM

R. P. *Ludovicus Quaranta.*

DISCRETI COLLEGII

R. P. *Marcus Donati.*
R. P. *Placidus Sargenti.*
R. P. *Constantinus Longo.*
R. P. *Antoninus Cardarelli.*

VI.

Ref. Custodia Buffalensis Immaculatae Concept. in America septentr.

Die 21 Julii in Conventu S. Bonaventurae in Allegany, praesidente A. R. P. Michaele Richardt, Ex-Definitore Provinciae SS. Cordis Jesu, Commiss. Visit. Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

CUSTOS PROVINCIALIS

A. R. P. *Michaelangelus a Nicia.*

CUSTODIAE DISCRETI

R. P. *Cornelius Praetori.*
R. P. *Joachim Molloy.*
R. P. *Bonifacius a Verona.*

VII.

Ref. Provincia Transylvaniae.

Die 25 Julii rite et canonice celebratum fuit Provinciale Capitulum in Ven. Conventu Vajda Hunyadensi ad B. V. M. in Coelum Assumptam, sub praesidentia A. R. P. Conradi Piramowicz ex Definitoris Generalis et Commiss. Visitatoris, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. *Polycarpus Lasyló.*

CUSTOS VOCALIS

A. R. P. *Jucundianus Simon.*

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. *Demetrius Koma.*
R. P. *Eugenius Simon.*
R. P. *Cornelius Lakatos.*
R. P. *Joannes Blágos.*

VIII.

Ref. Provincia Tusciae

Die 5 Augusti in Sacro Alverniae Coenobio rite celebratum fuit Provinciale Capitulum, Praeside A. R. P. Victorino a Fusiniano Def. Gen., in quo canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Petrus Maria a Biforco, Lect. Em.

CUSTOS VOCALIS

A. R. P. Dorotheus a Bonistallo, ex Min. imm.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Samuel a Sinalonga.
A. R. P. Canutus a Plebe S. Stephani, Praefect. Miss.
R. P. Robertus a Rassina.
R. P. Augustinus a Montefeltrio, Praedic. emer.

III.
MISSIONES

—

EX LIBRO «MISSIONES CATHOLICAE»

(Continuatio)

(Vide Fasc. VIII. pag. 128).

—

HU-PÈ ORIENTALIS

Vicariatus Apostolicus (Franciscales Reformati)

ORIGO. Anno 1870 cum a Summo Pontifice Pio IX divisio Vicariatus Hu-pè facta esset in tres distinctos Vicariatus, huic parti, quae Vicariatus Hu-pé orientalis nomen sortita est, adscripta fuere sequentia

CONFINIA: Ad Sept. Ho-nan, a qua provincia montibus separatur; ad Merid. Hu-nan et Kiang-si; ad Orient. Kiang-nan; ad Occ. Vicariatus Hu-pè occiduo sept. et occiduomerid., ita ut intra gr. 28°, 54' et 32°, 16' lat. bor. et intra gr. 109°, 57' et 113°, 55' long. or. (mer. Paris.) circiter contineretur. Ab occidente ad orientem veluti medius secatur magno flumine Yang-tse-kiang (fiume turchino).

LINGUA sinica adhibetur, varie tamen pro variis locis inflexa.

CLIMA habet salubre parum, aestivis fervoribus et hyemali rigore molestum satis: frigora tamen brevi tempore perdurare solent.

CATHOLICI sunt 16, 000 inter incolas 9, 000, 000.

CHRISTIANITATES quibus Missionarii deserviunt 208 habentur sic divisae. 18 in Vicariatu foraneo S. Thomae Apostoli (Outchang-fou), 41 in Vicariatu foraneo S. Antonii de Padua (Han-iang-fou), 33 in Vicariatu foraneo S. Pauli Apostoli (Hoan-tcheoufou), 45 in Vicariatu foran. S. Mathaei Ap. (Ngan-leou-fou), 71 in Vicariatu foran. S. Joseph (Feengan-fou).

ECCLESIAE vel SACELLA 42 extant, quorum viginti circiter satis decenter extructa, reliqua vero non item.

VICARIUS APOSTOLICUS Illmus D. Epiphanius Carlassare ex Ord. Min. Ref. Ep. titul. Madaurensis residet in Urbe *Ou-tchang-fou.*

MISSIONARII sunt 30, quorum 16 europaei et 14 indigenae.

SEMINARIUM habet 34 alumnos, qui philosophicis ac ecclesiasticis studiis instituuntur; habentur insuper alumni 24, qui praeparatoria studia inibi peragunt.

SCHOLAE CATHOLICAE sunt 16 cum complexivo numero 525 alumnorum.

INSTITUTA CHARITATIS ET EDUCATIONIS insuper habentur sequentia: Orphanotrophia 2, quorum utrumque 40 pueros circiter excipit; Officina in qua 30 iuvenes mechanicas artes addiscunt; Officinae medicamentariae 2, quae gratuito medicamenta suppeditant, atque ubi pueri aliquot pharmaceuticam et medicam artem edocentur; Institutum pro puellis infantibus excipiendis, nec non ceteris christianis puellis ac mulieribus catechumenis instruendis etc.

INSTITUTA REGULARIA. *Viri*: Fratres ex Ord. Minorum Ref. — *Mulieres*: Filiae charitatis *Canossiane* vulgo nuncupatae.

—

HU-PÈ OCCIDUO-MERIDIONALIS

Vicariatus Apostolicus (Franciscales Reformati)

ORIGO. Vicariatus originem habuit anno 1870, cum tres distincti Vicariatus effecti sunt ex Vicariatu vastissimo Hupè. Plura incrementa religio christiana subinde habuit.

CONFINIA. Ad sept. habet Vicariatum Hupè occiduo-septentrionalem; ad Mer. Vica-

riatum Hu-nan sept., ad Or. Vicariatum Hupé orientalis, ad Occ. Vicariatum Su-tchuen orientalis. Extenditur a gr. 29°, 19' ad gr. 31°, 27' lat. bor. et a gr. 3°, 39' ad gr. 8°, 4' long. orient. (ex merid. Pekinensi).

Lingua sinica est.

Clima frigidum valde per hyemem et fervens satis per aestatem; morbis item obnoxium.

Catholici 3,500 habentur inter incolas 9,000,000.

Vicarius Apostolicus Illmus D. Alexius Filippi ex Ord. Min. Ref. Episcopus titul. Paneadensis. — Residentia: *Ita-chang.*

Christianitates sunt 54, videlicet in districtu Kin-men-chieu 10; in districtu Kin-kien-fu 24; in Districtu I-kiam-fu 18; in districtu He-nam-fu 2.

Sacella in Vicariatu 13 habentur.

Missionarii europaei 7, sacerdotes indigenae 4.

Seminarium habetur cum aliquot alumnis literariis studiis operam navantibus.

Scholae catholicae 2 cum 82 pueris adsunt.

Orphanotrophium unum in quo plures orphani enutriuntur.

Institutum regulare: Fratres Minores Reformati.

AEGYPTI

Vicariatus Apostolicus.

Origo. Regiones superiores Aegypti quondam a Vicario Generali Constantinopolitano dependentes, pars deinde extitere Vicariatus Alepensis; inferior vero Aegyptus ad Custodiam Terrae Sanctae pertinebat. Per decretum datum die 14 Maji anno 1839 ex universa Aegypti et Arabiae regione unus Vicariatus effectus est. Vicariatus hic plures Missiones tamquam Praefecturas amplectitur: Missionem superioris Aegypti commissam Minoribus Reformatis, Missionem inferioris Aegypti commissam Minoribus de Observantia, et Missionem ad Delta Nili commissam Congregationi Lugd. pro Missionibus inter Afros. Haec ultima per decretum diei 25 Januarii 1886 dependentiam a Vicario quoad Sacramentorum administrationem et directionem scholarum tantum servat.

Confinia: Praeter integram fere Arabiam, in qua nunc Missiones nullae sunt, Vicariatus universam regionem Aegypti comprehendit, quae limites habet ad Sept. Mare Mediterraneum, ad Or. fretum de Suez et Mare Rubrum, ad Mer. Nubiam, ad Occ. Desertum Lybicum. — Iurisdictiones limitrophae sunt: ad Mer. Vicariatus Apostolic. Africae Centralis, ad Occ. Praefectura Ap. Tripolis.

Dominium. Aegypti regio quadantenus Imperio Turcico subjicitur, at eius Pro-rex qui Kedivé nominatur, independenter fere se gerit. Ultimis temporibus, Anglorum opera, Consilium Status et Ministerium institui ibi potuit.

Clima Aegypti ariditate potissimum notandum venit, imbres perraro in Aegypto superiori habentur. Hyems mitissima, fervens aestas est. Mensibus Aprili et Majo dominatur ventus quidam occiduo-meridionalis *(Khamsin)* pestilentialis.

Lingua arabica in Aegypto praevalet, speciali tamen vocis inflexione pronuntiatur.

Catholici 82,000 circiter numerantur. quorum 45,000 ad ritum latinum pertinent.

Paroeciae seu Stationes universae sunt 25. In Missione inferioris Aegypti adsunt Stationes 11; Alexandria, Damanhur, Kafr-Zajat, Damiata, Maussur, Rosetta, Cairo, Suez, Ismailia, Portus Said, in quibus singulis adest parochialis ecclesia 1: Alexandriae vero et Magni Cairi reperiuntur praeterea binae ecclesiae succursales. — In Missione ad Delta Nili adsunt 2 Stationes: Zagazig, Tantah. — In Missione superioris Aegypti extant Stationes 12: Minie, Tahata, Ahmim, Ferne, Giergeh, Negade, Gioragius, Scenain, Faium, Siut, Keneh, Luxor.

Ecclesiae et Sacella 30 habentur.

Vicarius Apostolicus Illmus D. Anacletus Chicaro, ex Ord. Min. Obs. Archiep. tit. Emesen. — Residentia: Cairo.

Sacerdotes numerantur 67.

Collegia extant 6, in quibus bonarum artium ac linguarum studio adolescentes dant operam.

Scholae Missionis sunt 55, quarum 37 pro pueris et 18 pro puellis. — Hae omnes a Religiosis seu viris seu feminis curantur; et alumnorum frequentia florent.

ALIA INSTITUTA charitatis seu educationis: Orphanotrophium 1, — Bephotrophium 1 — Nesocomia 3.

INSTITUTA REGULARIA *Viri:* Minores Observantes-Minores Reformati — Presbyteri e Congr. Missionis — *Mulieres:* Sorores charitatis — Sorores a Bono Pastore — Sorores a S. Iosepho ab Apparitione — Sorores a Matre Dei — Sorores a Misericordia S. Caroli Borromaei — Sorores a Domina nostra a Sion — Sorores a Missionibus Africanis.

N. B. Missionarii S. J. stationes habent apud Cairo et Alexandriam, sed pendent a Missione ritus cophti.

—

MAROCCO

PRAEFECTURA APOSTOLICA

ORIGINEM Marochiensis Missio saeculo XIII habuit, primosque ad eam evangelizatores S. Franciscus Assisiensis ex suo Ordine Fratres misit. Iis pro CHRISTO necatis alii ex eodem Ordine successerunt, quos pariter gloriosum pro CHRISTO martyrium consumpsit. Anno 1233 Fr. Agnetus, qui Apostolicae Sedis Legati munere fungebatur, Marochii Episcopus electus est. Plures is habuit in Sede Marochiana successores usque ad annum 1566, quo, eiusmodi Episcopatu suppresso, eius iurisdictio ad Archiepiscopum Hispalensem translata fuit. Non defuerunt posthac viri apostolici qui Missionem excolerent, at infidelium tandem furore deleta haec est. Anno 1631 novi Missionarii Marochium missi sunt, ex Ordine Franciscalium, qui varias inter discrimina ac persecutiones apostolicum ibi ministerium continuarunt. Anno tandem 1859 Praefectura Apostolica Marochiensis erecta est.

CONFINIA. Missionis eadem sunt cum confiniis Imperii Marochiensis. Ad Sept. habet Mare Mediterraneum; ad Or. Algeriam; ad Mer. desertum Sahara; ad Occ. Oceanum Atlanticum. Superficies patet 672, 000 Kilometros quadr. circiter.

DOMINIUM. Populus civiliter subiicitur tyrannicae dominationi proprii Imperatoris: attamen catholici omnes in hac ditione degentes respectivis consulibus propriae nationis subsunt, qui iurisdictionem etiam in aliquot saracenos et iudaeos exercent, *clientes* nuncupatos.

LINGUA regionis est arabica vulgaris, apud Fideles tamen communis est lingua hispanica, qua utuntur Missionarii.

CLIMA temperatum est ac salubre; algescens in montibus *Atlas*, proximisque regionibus. In quibusdam maritimis locis febres per aestatem habentur.

CATHOLICI numero sunt 1, 930 ex incolis 6.000,000 distributi in sequentes:

STATIONES: Zetuan (inc. 20,000 — cath. 170), Zingis (inc. 16, 000 — cath. 1, 100), Casablanca (inc. 7000 — cath. 160), Mazagan (inc. 4, 500 — cath. 180), Mogador (inc. 16, 000 — cath. 140) Adsunt praeterea.

CHRISTIANITATES 3, nempe Larache (inc. 9000 — cath. 70), Rabat (inc. 30, 000 — cath. 50), Saffi (inc. 8000 — cath. 60), quae a Missionariis invisuntur: perfacilis est ad eas accessus terra marique.

ECCLESIA 1 extat in civitate Zetuan, et Sacella 5 habentur, quorum 2 apud Zingi, reliqua apud Casablanca, Mazagan, Mogador.

PRAEFECTUS APOSTOLICUS R. P. Josephus Lerchiundi ex Ord. Min. Observ. Residentia: Zingis.

SACERDOTES in Missione adsunt 12, ex Ordine Franciscalium.

SCHOLAE catholicae sunt 10, in singulis Stationibus binae, pro pueris una, pro puellis altera: relate ad exiguum catholicorum numerum, satis frequentes sunt alumni. Pueri infideles, licet a Missionariis non prohibiti, ad catholicas scholas non accedunt.

INSTITUTUM REGULARE: Minores Observantes (Sac. 12 — Fratres laici 15).

—

TRIPOLI

PRAEFECTURA APOSTOLICA.

ORIGO. Haec Missio iampridem a Fratribus Minoribus Reformatis inchoata, certa suae originis monumenta non habet, cum primi Missionarii proprias ibi aedes habere ac stabiliter commorari haud permitterentur. Primus cuius extat memoria Missionis Praefectus (anno 1654) est P. Joannes Baptista a Ponte qui in odium christianae Religionis ab infidelibus necatus est.

CONFINIA. Haec Missio, quae vetus Tripolitaniae regnum et Fezzan complectitur, ad Sept. terminatur Mari Mediterraneo, ad Or. Aegyptum habet et Sahara desertum, quo etiam ad Mer. et Occ. circumscribitur, ad Occiduo-Sept. habet Tunetanam regionem.

DOMINIUM. Provincia est Othomani Imperii, duobus principibus viris *Pascià* nuncupatis subjecta, quorum unus in civitate Tripoli, alter in civitate Bengasi residet: Attamen, quemadmodum in ceteris Othomani Imperii partibus, uniuscuiusque europeae nationis Consul in respectivae gentis qui adsunt incolas iurisdictionem civilem, commercialem et correctionalem exercet.

LINGUAE officiales sunt arabica et Turcica; populus arabico et italico sermone praecipue utitur.

CLIMA est fervens, siccum alicubi, alibi humidum. Ophtalmia, febris typhoidea et morbi hepatiei inter ceteros praedominantur.

CATHOLICI, ex incolis 1000,000 numerantur 5, 895, qui omnes, tribus exceptis familiis ritus Armeni, ad latinum ritum pertinent.

PAROECIAE 2 adsunt: Tripolis (inc. 25,000 cath. 5500) et Bengasi (cath. 300). *Christianitates* insuper adsunt apud Korus (30 cath.,) Sliten, Misurata, Derna (15 circiter in unoquoque ex his tribus locis catholici adsunt), quae a Missionariis visitantur. In suburbio civitatis Tripolis *Statio* adest, cum Missionarii residentia.

ECCLESIAE in Missione 2 adsunt, singulae apud memoratas paroecias, quae adnexum Conventum habent. Sacella pariter 2, unum in Statione suburbana Tripolis, et alterum in Nosocomio eiusdem civitatis.

PRAFECTUS APOSTOLICUS. R. P. Angelus M. a S. Agatha ex Ord. Min. Reform.

SACERDOTES. 7 adsunt, Min. Reform. Praefecto incluso, et omnes europaei et ex Ord. Minorum. Ex his 4 commorantur in Conventu civitatis Tripolis cum 3 Fratribus laicis, 1 in Statione suburbii dictae civitatis cum 1 Fratre laico, et 2 in civitate Bengasi.

COLLEGIUM adest pro pueris in civitate Tripolis directum a Fratribus e Societate Mariae. Pueri sunt 160.

SCHOLAE: Praeter eas, quae dicto Collegio sunt adnexae, scholae adsunt 3 pro puellis, nempe 1 in civitate Tripolis cum disc. 230. 2 in civitate Bengasi cum disc. 31; et 1 pro pueris in civitate Bengasi. Italica et gallica lingua, geographia, historia, catechismus etc. in iis traduntur. Puellarum scholae a Sororibus S. Josephi ab Apparitione curantur.

XENODOCHIUM adnexum est aedibus Sororum S. Josephi ab Apparitione in civitate Tripolis, in quo cuiusque religionis infirmi excipiuntur: gratuito etiam medicamenta egentibus distribuuntur.

—

RELATIO MISSIONIS MANAOS

PROVINCIA AMAZONUM IN BRASILIA

—

(ex relatione R. P. JESUALDI MACHETTI M. O. eiusdem praefecti Rmo P. Generali Ministro totius Ordinis Minorum exhibita, die 30 decembris 1885.)

Continuatio.

(V. Fasc. VII huiusce anni)

Si ad Missionem Manaos excolendam non deessent operarii, difficile haud foret populos illos adunare, in fide instituere atque ad humanitatis normam redigere. Quoties enim Missionarius eos invisit, maxime fluminis *Tiquiè* adcolae, nonnulli cum illo manent, et alii filios ultro relinquunt, ut virgines illi animi nostra institutione formentur. Immo vel ipsae gentes *Jauapery*, quae minaces nimium erant, in ipsos populos fluminis Nigri, et efferati, nunc accessibiles sunt et ferme mites: quibus idcirco duo saltem Missionarii forent adsignandi. Et hoc flumen centum quinquaginta milliarium intervallo a Manaos civitate tantum distat.

P. Illuminatus Italiam venit ut socios sibi compararet ad huius nostrae missionis culturam; sed neminem secum ducere potuit tum quia expensae ad opus ex parte imperialis gubernii promissae, defuerunt, cum etiam quia ex aliis rerum adiunctis, quae referre parum interest, impossibile illi fuit aliquem reperire. Id tamen facile speramus futurum ipsi P. Jesualdo Machetti, qui etiam ad hunc finem Italiam nostram repetiit.

Sed quia sermo noster in gentibus hisce versatur, quae sylvestrem etiamnum vitam agunt, abs re non erit aliquid de illorum mo-

ribus et religioso cultu in lectorum nostrorum notitiam attingere ex observationibus R. P. Illuminati Coppi quae publici factae sunt iuris in ephemeride cui titulus « *Bollettino della Società geografica* ». Hic enim carissimus frater noster anno 1883, uti vidimus (1), ampla fluminis *Vaupès* littora exploravit ut indorum, qui eas incolunt, mores atque instituta pernosceret, quo eos ad humanitatem induceret, fidemque nostram; ast ita in sua missione prosiliit ut novas regiones, ad quas numquam aliquis accesserat Missionariorum, inviserit, quae sunt tribus *Banibar* et *Cuvevas* in locis *Tuccano-Cochoeira* et *Itapenima* nuncupatis. Cum his igitur conversatus haec de illis rescivit.

— Tribus fluminis *Vaupès* eorumque adfluentium, licet differant quoad characteres physicos et quoad sermonem, eosdem tamen mores habent eamdemque religionis fidem. Generatim loquendo regularis staturae sunt sed subrubei coloris, et quamvis saepe et satis curiose se lavant, praesertim primo diluculo et interdiu cum sudorem eliciunt, foetorem tamen ab toto corpore expirant intolerabilem. Tenaces nimium sunt propriae opinionis, superstitionibus admodum dediti, salaces, diffidentes, mendaces, otiosi, ultores, immemores, parumque intelligentes, nisi forte mechanicas artes, uti textoriam (intexunt enim *amacas* quo in opere aptissimi inveniuntur ut videbimus); semper adprobant et facile promittunt, difficile tamen promissum exolvunt. Dociles (2) vero sunt et timidi praecipue illi nationis *Tarianae, Banibar,* et *Cuvevas.*

Alcoholicarum potionum avidissimi sunt ac praesertim potionis cuiusdam fermentatae, quam vocant *Cachiri,* ex fructibus, quibus diebus festis utuntur, confectae (3); ea sane inebriantur; ex ebrietate porro in rabiem efferantur, omnemque tum explent, quam animo nutriunt, vindictam. Avibus, piscibus, pomis simila mandioccae (4) ac formica quadam assa, quam vocant *maniguara,* vescuntur. Piperis sunt percupidi, quippe quem omnibus inserunt cibis, eoque vel in ipsis utuntur religiosis ritibus.

(1) V. fasc. VII huiusce anni p. 112.

(2) Dociles fortasse se monstrant, quin sint: si enim propriam adamant opinionem et diffidentia in alios peccant, nescio quomodo *dociles* esse vel dici revera possint.

(3) Quaedam cerevisiae species.

(4) Indigenum quoddam farinacei genus.

Fluminum ora incolunt, magnasque habitant casas solidis ex lignis conformatas. Tectum, quod ad terram usque pertingit, foliis, tiliisque arborum quorumdam (caranà, buzù ecc.), intextum est. Quaelibet habitatio duas tantum ianuas habet unam scilicet contra aliam positam, interne vero in tres dispescitur areas; qnarum media omnibus communis est, sed laterales, foliatis divisae textilibus, pluribus familiis habitacula efformant. Quia tamen nullum ante repagulum habent, ideo quidquid parvis hisce in cubiculis agitur, videri facile ab eo potest qui mediam deambulat aream. Hisce in tuguriis viginti et amplius familiae cum *pagès* (1) inveniuntur, quicumque idcirco ea ingredi obstringitur graveolentem nimium aerem persentiscit. Dormiunt super *amacas* quibus, apud eos, nomen est *maqueira,* quasque intextunt *tucum* et *miriti* (2) filamentis, variisque coloribus inficiunt: quae opera pulcherrima sunt et eorum usque negotiationem exercent. Tametsi quisque id genus lectum habeat ad dormiendum, plura saepius individua eamdem super *amacam* cubitum eunt; ac ignem per totam noctem secus cubile retinent; at parum, generatim loquendo, somno indulgent.

Mulieres si fideles sunt sive cathecumenae, die cyclade quadam parva corpus obtegunt ac multae etiam illarum utuntur indusio; sed mane et vespere, quum domesticis incumbunt negotiis omni deposito amictu incedunt: infideles vero et singillatim nationis *Cuvevas* et *Banibar* die noctuque nudae prorsus abeunt, itaque, quin ullo pudore subfundantur, coram omnibus adparent. Homines econtra perizomata, licet parva, ex arborum efficta corticibus, deferunt.

Uterque sexus in locis, quibus deest Missionarius totum corpus a fronte ad pedes nigrescunt vel alio quocumque colore sufficiunt. Viri capillos suos ad aures usque detondunt, usitatoque petram quamdam albam cylindraceae formae e collo pensilem ante pectus deferunt; mulieres vero crines linquunt promissos, brachiaque et collum venetis exornant margaritis, nummisque argenteis.

(1) Sacerdotes una et medici.

(2) Arbores e tiliarum familia.

Cum aliquis ex europaeis hos indos invisit, mulieres illico sese retrahunt; ast quam cito, una post aliam, redeunt ut hospiti obferant pisces, delicatioresque, quos babent, cibos, ea quidem ratione, ut ab illo monilia, armillas, periscelidas, muliebresque alios ornatus in hostimentum recipiant. Idipsum porro in praxim habent cum ad ipsos veniunt alterius tribus indigenae; tum equidem mulieres redeuntes prae manibus gestant quasillos vel cistulas *(balaios)* cum placentis (ex farima *mandiocae, bigiù*) nec non patinas cum piscibus, formicisque *(maniguara)* et pipere : quae omnia super terram deponunt suos ante hospites, qui tum circumsedentes manducant: et dum cibum capiunt visitationis suae finem exponunt, itineris casus enarrant, suorumque notitias quamaccurate referunt; et ita vicissim quod sciunt hospitales hospitibus conferunt.

Mulieres pariturae in nemora sese subducunt, ubi ut prolem in lucem ediderint, quin aliquis eis adsistat, ad fluminis undas *seipsas* et partum immergunt (1) atque inde ad suos repetunt.

Quum indi infirmam suam sentiscunt valetudinem fraequentibus balneis dant operam superque *amacas* se sternunt quibus ignem subponunt ut laconicum quoddam sibi conficiant. Ingravescente morbo suos vocant *pagès* quos aeque et medicos habent ac religionis administros; iis enim et turbines et morbos et infortunia omnia immo et mortem ipsam adtribuunt.

In mortuum insolabiliter deflent parentes, quod ita chorice efficiunt, ut cantus quidam tristis exinde resonet; et eo perdurat quousque defuncti corpus terrae infodiatur eo ipso in loco ubi miser animam exhalavit. Viri interim ex igniariis ictus explodunt sagittasque ex pharetris iaciunt aerem ferientes, ut occidant, inquiunt, qui caussa fuit, quod eorum consanguineus morte absumeretur.

Aliquid nunc de religiosa eorum fide resciamus.

Ac praeprimis immortalitatem fatentur animorum, poenarum tamen abnuunt aeternitatem. Bonos animos in coelum conscendere credunt, malos vero sylvis nemoribusve aeternum vagari arbitrantur (1). Haud lunam aut solem aut astra, nec arbores nec animantum aliquod genus adorant; sed ipsi daemoni cultum exhibent. Quaelibet indorum tribus aliquem praecipuum sibi adlegit, et sub quodam speciali nomine veneratur. Optimi tamen Numinis ideam quamdam retinent, quod vacant *Tupana* sed nullam ei adorationem praestant; opinantur enim ipsum Numen summum doemonis culturam patres suos docuisse, ut a malis, quae timent, ab hoc malorum omnium principio liberarentur. Deo tamen *Tupana* adtribuunt rudes hominum, avium, caeterorumque animantum figuras, quod super fluminis *Vaupès Papurì* et aliorum cautes videntur.

Antiqua indorum traditio tenet quod *Giurupari* (2) ex virgine sit natus: et quia corpus eius post mortem igne crematum fuit ex eiusdem cineribus obortae palmae *(pachuba,)* adeo increverunt ut coelum, sedem ipsius *Giurupari,* attingerent, qui hisce arboribus mediantibus adscendebat et descendebat. Harum palmarum lignis musicalia quaedam instrumenta condunt, quorum sonum numinis reputant vocem; atque ideo ceu sacra omnibus sunt. Sacra iterum eis est *Persona* seu *Larva Giurupari* ex simiarum pilis ac mulierum confacta capillis. Quum pueri res eiusmodi sacras videre cupiunt ieiunio sese per integrum mensem affligere et ad sanguinis effusionem usque percuti a sui cultus ministris *(pagès)* debent. Foeminae tamen usquam, quin emoriantur illiusmodi *larvam*, quam etiam *Izi* vocant, suis adspicere posse oculis rentur (3).

Referunt etiam indi saepe eos infra annum ieiunare in honorem eiusdem *Giurupari.* Diutina et austera maxime sunt eorum ieiunia; non enim aliud manducant nisi poma seu fructus et similaginem *mandiocae.* Quoties viri numinis imaginem perspicere avent, gratiasque et beneficia ab eo suppliciis expetere, tribus ante diebus cibis abstinent. Jeiunium quoque servant quum aliquo premuntur infortunio vel utcumque in angustiis versantur.

(1) Idem mos est etiam indis nostrarum Missionum in Bolivia ac praesertim Missionis *Tumupassae* ad *Caupolicàn.*

(1) Si penitus hanc callere sententiam voluissent malorum tandem et ipsi aeternitatem ponere, certissime, ut puto, cogerentur.

(2) Doemonicum nomen.

(3) Minatio illis indicta ab ipsis *pagès* in pseudo baptismi quadam administratione ut alias videbimus.

Sed longius ieiunium est quod incipit a neomenia novembris ad integros tres menses. Mulieres ieiunant cum pubescunt ac postea saepe in interluniis ut fausta ipsis foeminarum abundantia contingat.

Si hanc quam indi obtinent religionis fidem sive dogmaticam sive moralem penitius callerent protestantes, et rationalistae aequa ratione pensitarent, nec illi in purissimam Dominae Nostrae Virginitatem blasphemi essent, ieiuniaque ab Ecclesia tam salubriter instituta ceu noviter invecta religionique odiosa tam rabide haud inclamassent; nec isti in futuri saeculi vitam, divinique Numinis essentiam adeo acriter decertarent, quorum ideam natura solum duce et magistra barbarae ipsae gentes mente utcumque concipiunt et corde retinent ac firmiter credunt.

(Continuabitur).

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

Aloysii a Pedelama (P.)

Parva Chronica Provinciae Seraphicae Reformatae edita cura P. Aloysii a Pedelama eiusdem Provinciae ex Ministri. Editio secunda novis curis aucta et emendata. Assisii ex Typographia D. Sensi 1866. pag. 156 in 8. parvo.

Marcellinus (P.) a Civetia —

Il Romano Pontificato nella storia d'Italia per il Padre Marcellino da Civezza, Minore Osservante. Libro secondo. Firenze, tipogr. di Mariano Ricci. 1886. gr. 8° pag. 747.

Mauro (M. R. P.) da Subiaco. —

Vita del Patriarca S. Giuseppe sposo di Maria Vergine, e Protettore della Chiesa Cattolica, ricavata dalla Sacra Scrittura e dalla tradizione per opera del P. Mauro da Subiaco cappuccino della Provincia Romana. Bastia. Tipografia e Libreria Ollagnier 1884. Un vol. di pag. 472. Lire 1, 05. — Rivolgersi al P. Archivista Generale.

Puecher Passavalli (Mons. Luigi).

Prediche dette al popolo dal P. Luigi Passavalli dell' Ordine dei Cappuccini, Predicatore emerito del Palazzo Apostolico ora Arcivescovo di Iconio, Milano. Tipografia di Serafino Ghezzi, Via A. Manzoni, Vicolo Facchini, num. 6. 1884. Un volume di pagine 444. L. 4, 50.

NECROLOGIA

—

In Provincia S. Leopoldi nocte, quae festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli praecedebat, repentina morte correptus est A. R. P. Arsenius Niedrist, iam Ss. Theologiae Lector, dictae Provinciae bis ex-Minister, Definitor habitualis et Custos actualis, necnon monasterioli Oenipontani Superior ac periodici mensilis, quod « Sanct Francisci-Kloecklein » (Campanula S. Francisci) inscribitur, compilator.

Natus erat in Tisens, pago haud longe a Bulsano distante, die 30 Augusti 1828. Iam a puero miris tum naturae tum gratiae donis insignis, transactis studiis in gymnasio Bulsanensi nondum septendecin annos natus habitum Seraphici Ordinis petiit et obtinuit, quo ut verae virtutis studio se dignum redderet, omni ope sategit. Probationis anno laudabiliter expleto, studiis philosophicis primo, dein theologicis pari diligentia ac ingenio incumbebat tali successu, ut superiores spe gaudentes Juvenem modestum, in oratione et studio assiduum conspicerent. Finitis studiis theologicis et S. Presbyteratus Ordine suscepto primo in conventu Leontii morari iussus est qua Organoeda et Subsidiarius, necnon Praeparans ad Lecturam SS. Theologiae. Transacto post biennium felici cum successu examine primo Bulsani per aliquot tempus, dein Sebati per tredecim annos Organoedae, Praedicatoris, Lectoris et Mugistri Iuvenum officia summa cum diligentia administravit.

Arte musica iam a puero imbutus annis succrescentibus assidue se excolere studuerat, ita ut iam antequam Ordinem ingrederetur cantu et organi moderatione ab hominibus in eadem arte peritis maximam laudem ferret. Legibus musices dein accuratius imbutus et vita religiosa ad pietatem magis magisque instructus dici vix potest, quantum devotionis affectum cantantibus organis elicere valebat. Idem dicendum de canticis, quae musicis ex-

cipiebat notis, praecipue de cantilenis in honorem B. M. V. cantui et organo adaptatis, quae longe lateque in Ecclesiis lingua vernacula cantantur maxima cum populi tum etiam musices peritorum aedificatione.

Verbi Dei praedicationem finitis studiis theologicis assumens maximo zelo illi se dabat, sermones summa diligentia conscribebat, memoriae commendabat et benedictione a Patre luminum multis precibus petita magno affectu pronuntiabat, ita ut audientium animos commoveret. Collectionem alphabetico ordine digestam effatorum et exemplorum a S. Patribus et Dei servis memoratorum summa diligentia sibi composuit, qua in exarandis sermonibus sacris uteretur. Insuper celebrium praedicatorum tum veterum tum recentiorum opera typis edita studiose pervolvebat.

Eadem diligentia et sollicitudine pro Lectoris munere magis magisque se aptum reddere studebat quotidiana lectione et ruminatione scriptorum, quae in ea re versantur.

Magistri Iuvenum munus praecipue suo exemplo exercebat. Nam precibus in Choro peragendis et communibus vitae claustralis exercitiis in quantum fieri potuit, semper interfuit et alia modestiam religiosam, silentium, strictamque in omnibus statutorum observantiam concernentia ad amussim observare iam a primo in Ordinem ingressu consueverat. Sed et opera plurima de ascesi tractantia diligenter perlegebat et consilia pro vita spirituali in iis inventa assidue colligebat et opere excercebat. Verbo igitur et opere iuniores confratres eius curae commendati ad omnem pietatem et ad statutorum ac disciplinarium regularum observantiam inducebantur.

Praeterea in Confessionibus audiendis et aegrotis visitandis consolandisque erat prorsus indefessus, ita ut mirarentur omnes, unum hominem tot laboribus parem esse.

Anno 1872 in Ministrum Provincialem electus, hoc in munere bis per triennium, temporum adversitatibus hinc inde haud leviter afflictus, strenue adlaboravit. Qua Provincialis in civitate Oenipontana sedem figere iussus, etiam ibi, in quantum licuit, tum in suggestu, tum in confessionali alienae saluti providere conabatur. Elapso secundo triennio Provincialatus officio solutus, qua Superior in monasteriolo Oenipontano remansit, ibique annuentibus Provinciae Superioribus periodicum « Sankt Franzisci-Gloecklein » compilare et publicare coepit, simulque tertio Ordini S. P. N. Francisci promovendo ac excolendo omni sollicitudine insudabat. Praeter benedictionem a Seraphico Patre desuper impensam haud parum P. Arsenii dexteritati et indefessis conatibus adscribendum est, quod dictum periodicum brevi sic effloruit, ut plus quam viginti hominum millia, inter quos non pauci doctrina et dignitate praestantes, id sibi asciscerent.

Jam in Provincialatus munere constitutus nimis labore fractus coepit cordis dolores sentire, qui successu temporis vehementiores semper in eum irruentes iam dudum nobis metum iniecerat, virum praestantem ad senium vix perventurum esse, etsi tempore aestivo quovis anno usu balnei aliquantulum reficeretur. Hoc autem anno, cum amico invitante in balneis Ob-Ladis (in Tiroli) moraretur et iam se melius habere videretur, die 29 Junii in lectulo mortuus inventus est. Dum meritissimi Patris animam Confratrum piis precibus commendamus, pie speramus, eius mortem, quamvis impraevisam, tamen pretiosam in conspectu Domini fuisse, utpote qui in omnibus Dei gloriam et animarum salutem zelabat et mortis appropinquantis memoriam semper vivam in se tenebat. — R. I. P.

Camerini in Piceno die 20 Julii in pace Domini quievit R. P. Natalis a podio S. Marcelli Obs. Prov. Marchiae actualis ibidem Clarissarum Confessarius, qui, qua Missionarius indigena per annos plures pertransiit benefaciendo et sanando spirituales infirmitates, fecit enim et docuit. Multa virorum sanctimonialumque Coenobia in regulari observantia firmavit, vel ad eamdem adduxit, sacra eis Exercitia tradendo. Pii defuncti virtutes imitentur confratres, eiusque anima eluceat aeterna lux.

CORRIGENDUM

In fasciculo V a. c. pag. 82 col. 1 lin. 43 legendum est:

3. Febr: Incip. Epist. ad Coloss. ac Epist. I et II ad Thessalonic.

Nihil obstat
Fr. Bernardinus, Min. Gen
Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

Varia responsa circa benedictionem cum Sacra Pixide et Rosarii publicam recitationem.

Palentina 4. Februarii 1886.

Hodiernus caeremoniarum Magister in Dioecesi Palentina, de consensu Rmi Ordinarii, Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

Dubium I. Quum ex nonnullis Sacrarum Romanarum Congregationum responsis aliqui putent sacram Pixidem, aperto Tabernaculi ostiolo, posse Fidelium pietati exponi, minime vero inde extrahi; alii vero opinentur educi posse tantum ut cum ea populo benedicatur, quemadmodum fieri solet certis diebus in pluribus ecclesiis Regularium: quaeritur num huiusmodi consuetudo admitti possit:

Dubium II. Et quatenus *negative;* permitti potest, vi consuetudinis, illis Congregationibus seu religiosis Familiis, quae etiam alibi ita facere consueverunt?

Dubium III. Concedi ne potest prudenti arbitrio Ordinarii etiam aliis Congregationibus id petentibus?

Dubium IV. Ad mandatum exequendum Ssmi Domini nostri Leonis PP. XIII iuxta Decretum *Urbis et Orbis* die 20 Augusti proxime elapsi anni, quoad Rosarium singulis Octobris diebus, cum Litaniis in cunctis parochialibus ecclesiis recitandum, et SS. Sacramentum exponendum, quo deinde Fideles lustrentur, sufficitne privata expositio, scilicet aperiendo ostium Tabernaculi; et 2. potestne in hoc casu extrahi Pixis, qua cum populo benedicatur.

Dubium V. Eodem Decreto praecipitur quod si mane Rosarium cum Litaniis recitetur, Sacrum inter preces peragatur; quaeritur num haec verba ita intelligi debeant quod Rosarium uno eodemque tempore dicatur quo Missa celebratur; vel potius Missa antea celebranda sit, ac postea Rosarium cum Litaniis recitetur, quemadmodum fieri solet in Palentina Dioecesi?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto in scriptis alterius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Provisum in primo.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Consulendum SSmo.

Ad V. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Facta autem ab ipsomet Sacrae Congregationis Secretario de contentis in IV Dubio SSmo Domino nostro Leoni PP. XIII relatione, Sanctitas Sua haec indulgere dignata est: « Attentis specialibus circumstantiis ec-« clesiarum pauperum, in quibus praescripta « expositio SS. Sacramenti solemni modo seu « per ostensorium fieri nequeat absque in-« commodo, eadem per modum exceptionis

« peragi poterit, prudenti iudicio Ordinarii, « cum sacra Pixide, aperiendo scilicet ab initio ostiolum Ciborii et benedicendo in fine « cum ea populum ».

D. CARD. BARTOLINIUS
Praefectus.
Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

—

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

De praecedentia Tertii Ordinis S. Francisci super quascumque laicas sodalitates.

DUBII

Quaesitum quum fuerit a Sacra Rituum Congregatione an Tertiarii Franciscales iure gaudeant praecedentiae super quascumque laicas sodalitates; Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus maturo examine perpensis, ita rescribere rata est:

Ad tramitem Apostolicarum Constitutionum, nec non declarationis S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 20 Septembris 1748, (1) *Tertiariis Franciscalibus coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis ac sub Cruce incedentibus, ius inest praecedentiae super quascumque laicas sodalitates.* Atque ita rescripsit ac declaravit die 28 Maji 1886.

Ita reperitur in Actis et Regestis Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis.

In fidem etc.

Ex eadem Secretaria hac die 4 Septembris 1886.

Pro R. D. LAURENTIO SALVATI, *Secretario*:
Joannes Canonicus Ponzi, Substitutus.

(1) In eadem declaratione S. Congregationis quoad praecedentiam diei 20 Sept. 1748, declaratur simul: — Habitum proprium Fratrum Tertii Ordinis de Poenitentia S. Francisci esse non solum vestem totalem, sed etiam particularem, scilicet scapulare et cingulum exterius delatum.

(Vide Chronol. Historico-Legal. tom. III pag. 418.)

—

EX S. CONGREG. S. RITUUM

—

DECRETUM

quo confirmantur ac declarantur recentiores Encyclicae de Rosario toto mense Octobri quotidie recitando.

URBIS ET ORBIS

Post edita a Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII Encyclicas Litteras *Supremi Apostolatus*, I Septembris MDCCCLXXXIII, et *Superiore anno*, XXX Augusti MDCCCLXXXIV, de propagando et celebrando Beatissimae DEI Genitricis MARIAE Rosario, Sacra Rituum Congregatio per Decretum (1) diei XX Augusti praeteriti anni MDCCCLXXXV, ipso Summo Pontifice annuente et imperante, statuit, ut quoadusque tristissima perdurent adiuncta, in quibus versatur Catholica Ecclesia, ac de restituta Pontificis Maximi plena libertate DEO referre gratias datum non sit, in omnibus Catholici Orbis Cathedralibus et Parochialibus templis, et in cunctis templis ac publicis Oratoriis Beatae MARIAE Virgini dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinariorum designandis, Mariale Rosarium cum Litaniis Lauretanis per totum mensem Octobrem quotidie recitetur. Iamvero praesenti anno, qui Iubilaei thesauro ditatur, idem Sanctissimus Dominus Noster exoptans, ut quo magis ingruunt publicae et privatae calamitates, eo firmiori fiducia et proposito auxilium ac remedium quaeratur, et per MARIAM quaeratur a Divina Misericordia, quae totum nos habere voluit per MARIAM; per hoc Sacrae eiusdem Congregationis Decretum Reverendissimos locorum Ordinarios adhortatur, ut, iuxta memoratas Apostolicas Litteras et Decreta, eorumque tenore in omnibus servato, Christifideles ad huiusmodi pietatis exercitium, Deiparae maxime acceptum, atque gratiarum equidem foecundum, nec non ad Sacramentorum aliorumque salutarium operum frequentiam, omni sollicitudine advocare et allicere studeant.

Confirmando iterum Sanctitas Sua in omnibus sacras Indulgentias ac privilegia, quae in praecitato Decreto concessa sunt, indulgere insuper dignata est, ut in iis templis,

(1) Cfr. *Acta* Anno IV, pag. 129.

seu Oratoriis, ubi ob eorum paupertatem expositio cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, ad tramitem Decreti ipsius, solemni modo, nempe per Ostensorium fieri haud valeat, eadem per modum exceptionis peragi possit, prudenti iudicio Ordinarii, cum Sacra Pyxide; aperiendo scilicet ab initio ostiolum ciborii, et cum ea populum in fine benedicendo.

Die 26 Augusti 1886.

D. Card. Bartolinius
S. R. C. Praefectus.
Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

—

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

URBIS ET ORBIS

De Actu heroico charitatis erga animas in Purgatorio detentas.

Actus heroicus charitatis erga animas in Purgatorio detentas in eo consistit, quod Christifidelis sive aliqua adhibita formula, sive etiam tantummodo mente offerat Deo O. M. pro animabus Purgatorii omnia opera satisfactoria quae ipse, quoad vixerit, peraget; necnon omnia suffragia, quae post mortem quomodocumque ei obvenire poterunt. Multi Christifideles B. Virgini Mariae devotissimi, auctore aut suasore b. m. P. Gaspare Oliden, ex Ordine Clericorum Regularium Theatinorum, consueverunt huiusmodi opera satisfactoria et suffragia in manus quodammodo B. Virginis deponere, ab eadem pro suo misericordi beneplacito distribuenda in favorem animarum Purgatorii.

Hic Actus heroicus charitatis non semel ab Apostolica Sede fuit approbatus; immo, ut defunctis evaderet utilior, Indulgentiis ditatus, auctique privilegiis ii, qui illum emiserunt. Quae quidem sa. me. Pius Papa IX Decreto S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae dato die 20 Novembris 1854, confirmavit, auxit, et ad universos Christifideles extendit.

Jamvero de huius oblationis obiecto, de eiusdem actus essentialibus conditionibus, et de Indulgentiis ac privilegiis eidem adnexis identidem dubia oborta sunt. Siquidem dubitatum est, num inter opera satisfactoria comprehendi debeant et Indulgentiae, quas Christifidelis, dum vivit, potest lucrari; et num qui Actum heroicum elicuit ei satisfaciat, quamvis sibi reservet et applicet eas Indulgentias, quae pro vivis conceduntur. Insuper disceptatio mota est, quod attinet ad piam praxim faciendi oblationem satisfactionum et suffragiorum in manus B. Virginis Mariae, nonnullis tuentibus necessitatem huius oblationis in manus Beatae Virginis pro Indulgentiarum consecutione et privilegiorum usu, aliis refragantibus. Tandem dubia nonnulla invaluerunt de modo quo Indulgentiae plenariae animabus Purgatorii applicari possint, aut debeant ab iis, qui Actum heroicum charitatis emiserunt.

Quare, ut ea quae obscura hac in re videbantur, clarescerent, et quae incerta certa evaderent, Patribus Cardinalibus S. Congregationis Indulgentiarum dubia quae sequuntur proposita fuerunt dirimenda:

1. Utrum inter opera satisfactoria, quae in Actu heroico charitatis offeruntur pro animabus Purgatorii, comprehendantur etiam Indulgentiae, quae declaratae fuerunt a Summis Pontificibus applicabiles pro defunctis?

2. Utrum oblationi isti satisfiat ab iis, qui sibi reservare velint Indulgentias, quae pro vivis conceduntur; vel sint hae Indulgentiae ad satisfaciendum pio proposito defunctis applicandae iuxta Indultum a Summo Pontifice concessum emittentibus Actum heroicum charitatis?

3. Utrum 1° Actus heroici charitatis pars integralis, vel praescripta ad privilegiorum participationem conditio sit, ut propriae satisfactiones omnes atque Indulgentiae non modo pro Purgatorii animabus offerantur, sed etiam ut Bmae Virgini, prout ipsi placuerit, distribuendae relinquantur? — vel 2° haec in Virginis manus veluti consignatio habenda sit dumtaxat pia Actui accessoria devotio Christifidelibus commendanda?

4. Utrum plenariae Indulgentiae, quas Christifideles Actum heroicum charitatis emittentes lucrantur tum ob sacram Communionem, tum ob Missae Feria II auditionem, applicari debeant animabus, quas B. V. Maria prae aliis a Purgatorio liberari cupit; aut possint applicari cuilibet Purgatorii animae.

5. Utrum Indulgentia plenaria Altaris privilegiati personalis: 1° debeat a sacerdote, qui Actum heroicum charitatis emisit, applicari animae pro qua Missam celebrat? — aut 2° possit applicari pro libito cuivis defuncto? — aut 3° debeat applicari animabus, quas B. V. MARIA a Purgatorio liberari cupit?

Quibus Emi et Rmi Patres post auditas plurium Consultorum sententias, respondendum in Generali Congregatione habita in Aedibus Vaticanis die 18 Decembris 1885, constituerunt:

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad 3. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.

Ad 4. Provisum in praecedentibus.

Ad 5. Ad primam partem Affirmative; hoc enim modo privilegium Altaris conceditur a Summo Pontifice: — ad secundam et tertiam partem provisum in responsione ad partem primam.

Facta autem de his omnibus relatione in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 19 eiusdem mensis et anni. Sanctissimus Dominus Noster LEO Papa XIII responsiones Patrum Cardinalium omnino approbavit.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, die 19 Decembris 1885.

I. B. CARD. FRANZELIN *Praefectus.*
Franciscus della Volpe, Secr.

—

MONITUM

de abstinentia in proxima Regulari Quadragesima

—

Notum facimus a Sancta Sede concessum fuisse et hoc anno Indultum de usu carnium et lacticiniorum in proxima Regulari Quadragesima. Huius Indulti textus et clausulae videantur in *Actis Ordinis,* 1883, pag. 156.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTAURANDA
CAP. II.
DE ORATIONE
§ 1. *De necessitate orationis.*

1. In libro Ecclesiastici legimus: (1) « Non « impediaris orare semper, et ne verearis usque « ad mortem justificari: quoniam merces DEI « manet in aeternum. » CHRISTUS DOMINUS ait: (2) « Oportet semper orare et non de-« ficere. » Et S. Paulus Apostolus ad Thessalonicenses scribit: (3) « Sine intermissione « orate. » — Istis verbis satis *probatur* necessitas orationis pro omnibus hominibus. Si autem oratio pro omnibus necessaria est, hoc potiori modo valet de Religiosis, qui se totos DEI servitio dicarunt et per juge virtutum exercitium ad christianam perfectionem tendere debent. Ipsi peculiari modo vocati sunt, ut per sanctae orationis exercitium debitas laudes DEO semper offerant, et necessarias gratias et benedictiones coelestes pro semetipsis ac pro universa Ecclesia sancta DEI jugiter efflagitent.

2. Pro conservatione regularis disciplinae in domibus religiosis necessarium esse juge orationis exercitium, sanctorum Patrum atque Doctorum testimonio comprobatur. Nobis sufficiat S. Bonaventura, qui ait: (4) « Revera Religiosus orationem assidue non « frequentans, non solum est miser et inu-« tilis, quinimo coram DEO fert animam mor-« tuam in corpore vivo. » Alio loco dicit: (5) « Vita Religiosi sine studio devotionis inter-« nae est sicut favus sine melle, sicut murus « absque temperamento, et sicut cibus absque « condimento. » Similiter alibi scribit: (6)

(1) Eccli. XVIII, 22,
(2) Luc. XVIII, 1.
(3) I. Thessal. V, 17.
(4) De perfect. vitae, cap. 5.
(5) De progressu relig. lib. 7. cap. 11.
(6) De sex alis Seraphim, cap. 3.

« Cavenda est perturbatio studii devotionis, « ex qua fulcitur omnis vera Religio, et omne « virtutis exercitium impinguatur. Arida est « omnis religio, quae non oleo isto sagina« tur. Instabilis est bonorum operum stru« ctura, quae devotae orationis frequentia non « compaginatur, sicut paries lapidum sine cae« mento. In omni religione, ubi devotionis « fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum ma« china incipit deficere et appropinquare rui« nae. » Ob has causas S. Bonaventura in epistola ad quemdam Provincialem directa istum per aspersionem Sanguinis Christi et per ejus Stigmata rogat, ut ad orationis studium Fratres suae curae commissos efficaciter incitet.

3. Curam praecipuam ergo adhibeamus, ut in Conventibus nostris spiritus sanctae orationis vigeat et foveatur. Ex mente enim sancti Patris nostri orationi specialiter studere tenemur. Nam in sua Regula sic nos monet: (1) « Attendant quod super omnia de« siderare debent habere spiritum Domini et « ejus sanctam operationem, orare semper ad « Deum puro corde. » Et alibi suadet laborem; ita tamen, « ut sanctae orationis et devotionis « spiritum non extinguant, cui debent cetera « temporalia deservire. » (2) Voluit igitur seraphicus Pater, ut Fratres sui prae ceteris internum foverent spiritum, neque ita externis actionibus detinerentur, et meditationi coelestium vacandi tempus necessarium deesset. Et hoc non solum de manualibus operibus, sed etiam de externis exercitiis, quae spiritualia vocantur, duxit monendum. Sic utique spirituale dici debet studium sacrarum Scripturarum, ac sacrum ministerium in salutem animarum. Et tamen hujusmodi omnia vana esse et periculis plena, asseruit S. Franciscus, nisi iis addicti plus temporis orationi quam studio aut praedicationi concedant. Audiamus hac de re ipsum sanctum Patriarcham Fratres suos monentem. Quaerentibus aliquando Fratribus, utrum sibi placeret, quod litterati ad Ordinem recepti intenderent studio sacrae Scripturae, sanctus Pater respondit: (3) « Mihi « quidem placet, dum tamen Christi exem« plo, qui magis orasse legitur quam legisse, « orationis studium non omittant. Nec tan« tum studeant, ut sciant qualiter debeant « loqui, sed ut audita faciant et, cum fecerint, « aliis facienda proponant. » De iis Fratribus qui, studio orationis relicto, sola scientiae curiositate ducuntur, ut docti fiant, aliquando dicebat: (1) « Nolo Fratres meos cupidos « esse scientiae et librorum, sed volo eos « fundari super sanctam humilitatem et imi« tari puram simplicitatem, sanctam oratio« nem et dominam paupertatem. Haec via « sola est secura ad salutem propriam et alio« rum aedificationem, quoniam Christus, ad « cujus imitationem vocati sunt Fratres, hanc « solam nobis ostendit et docuit verbo pariter « et exemplo. » — Quia tamen S. Franciscus scientiam Fratribus suis necessariam esse sciebat, utpote quibus incumbit Ecclesiae doctrinam populis praedicare: hinc studium sacrarum Litterarum non modo eis permisit, sed etiam illud promovit, hac tamen sub cautela, ut tali studio spiritus devotionis non extingueretur, prout patet ex epistola quam S. Antonio scripsit, dum eum sacrae Scripturae Lectorem instituit. « Placet mihi, » ait, (2) « quod san« ctae Theologiae litteras Fratribus interpre« teris, ita tamen, ut neque in te, neque in « ceteris (quod cupio) extinguatur sanctae « orationis spiritus juxta Regulam quam pro« fitemur. »

4. Studium orationis S. Franciscus pariter commendabat praedicatoribus verbi Dei. Ob suum ardentem in Christum amorem magnumque suum zelum pro salute animarum eos in summa veneratione habebat et ab omnibus honorari praecepit. Verum, quantopere eos in spiritu orationis exercitatos voluit, his verbis declaravit: (3) « Prius praedicator hau« rire debet secretis orationibus, quod postea « sacris ostendat sermonibus; prius intus ca« lescere, quam extra verba proferre. Laudandi « sunt praedicatores illi, qui pro tempore sibi « sapiunt, sibique gustant; illi vero male sciunt « dividere, qui praedicationi totum, devotioni « vero nihil impendunt. » — Praedicatoribus imprudentibus, ex mente S. Francisci, aequi-

(1) Reg cap. x.
(2) Reg. cap. v.
(3) Opusc., part. iii. Colloq. xv.

(1) Opusc., part. iii. Collat. xv.
(2) Opusc., part. i. epist. iii.
(3) Opusc., part. iii. Collat. xvii.

parari debent Confessarii illi, qui praetextu salutis aliorum, propriae perfectionis obliviscuntur ipsamque propriam salutem in discrimen adducunt, orationis exercitium et communia officia negligendo.

5. Haec prae oculis habuerunt regularis observantiae ac disciplinae promotores saeculo XV, dum juge orationis exercitium, tamquam reformationis necessarium sustentaculum, omni modo promovere et conservare studuerunt. Huic diligenti orationis exercitio ac devotionis studio tribuenda est mirabilis illa vitae sanctitas, quae apud veros Fratres Minores semper fulgebat. Et haec fuit praecipua causa, cur tot ex eis Beatorum atque Sanctorum catalogo fuerunt adscripti.

6. Quotquot nostri Ordinis gubernacula tenuerunt, persuasi erant, quod sanctae orationis exercitium summopere necessarium esset ad conservandam disciplinam et observantiam. Hoc manifestum est tum ex litteris Ministrorum encyclicis, tum ex Constitutionibus Generalibus Ordinis. In Constitutionibus Generalibus cismontanae Familiae legitur: (1)

« Divinis Officiis mentalis oratio jungi de« bet, qua nimirum ad divinos hauriendos « fulgores, et ad virtutum incitamenta nihil « opportunius, nihil ad retinendam regularis « vitae disciplinam, et ad conservandum vel « etiam instaurandum Religionis institutum « magis necessarium credimus. Nec sane re« ligioso nomine vere dignus est, qui sanctae « orationis studio non fervet. »

« Fratres itaque omnes congruis tempo« ribus et locis, juxta laudabilem et probatam « cujusque Provinciae consuetudinem, simul « convenientes, diebus singulis saltem per ho« ram orationi incumbant, praemissa mode« rata lectione libri, qui vernacula lingua my« steria fidei contineat et explicet, in praepa« rationem et argumentum secuturae contem« plationis. »

« Superiores locorum de hoc sancto exer« citio sint maxime solliciti: Fratres suos in« citent verbo et exemplo, negligentes statutis « poenis coërceant: quod si et ipsi super his « culpabiles fuerint, privatione officii, vel gra« vius puniantur pro negligentiae modo, Pro« vincialium arbitratu. »

« Provinciales ipsi saluberrima haec de « oratione decreta totis in Christo viribus « ac studiis servari curent. Si fecerint, nihil « se aut Deo gratius, aut Religioni fructuo« sius fecisse sciant »

7. Superiores ergo illi, qui a Deo et a majoribus Superioribus sunt vocati, ut in Conventu, cui praesunt, religiosam disciplinam restaurent, magno zelo laborent, ut in semetipsis atque in Fratribus curae suae commissis magis magisque in dies foveant atque nutriant sanctae orationis spiritum. Hac enim ratione proculdubio obtinebunt, ut non solum abundantes gratiae super Conventum suum effundantur, sed etiam ut illae virtutes quae verum Religiosum decent, in Conventu jugiter exerceantur. P. Gaudentius Kerckhove scribit: (1) « Religiosos humiles, pauperes, « pudicos, observantes, obedientes, tempera« tos, quietis amatores, fructum animarum « zelantes, virtutibus plenos, ex eo tales prae« quod orationi sedulo incumbant. »

8. Ut huiusmodi felices effectus facilius et uberius obtineantur, Fratribus nostris quaedam in mentem censuimus revocanda, quae ad pietatis exercitia bene peragenda, ad spiritum orationis fovendum ac ad ejusdem impedimenta removenda, necessaria vel utilia esse noscuntur. Quae in hunc finem in sequentibus paragraphis a nobis dicenda sunt, S. Bonaventura in suo aureo libello *de sex alis Seraphim* breviter indicat, dicens: (2)

« Alia est devotio communis, alia specia« lis, alia assidua; communis in divinis officiis. « specialis in orationibus, assidua in omnibus « agendis.

« Circa officia divina triplicem debet (Re« ligiosus) habere diligentiam devotionis, sci« licet ut omnia fiant ordinate et non confuse « et sine erroris haesitatione, ut quisque de« putatum ministerium congrue exequatur... « Item, ut strenue et non pigre seu desidiose « opus Domini, scilicet divini cultus officium « peragatur, quia, ait Jeremias: (3) *Maledi« ctus qui facit opus Dei fraudulenter.* Item,

(1) Constit. Cap. III. § VI. n. 209. 210. 212. 213.

(1) Comment. in Statut. Gen. cap. II. § 4.

(2) Cap. VIII. n. 4.

(3) Ierem. XLVIII, 10.

« ut devote et reverenter sine aliqua disso- « lutione et strepitu, distincte et attente di- « vina officia persolvantur, sicut in conspectu « Angelorum et praesentia Dei, sicut dicitur « in Ecclesiastico: (1) *In omni corde et ore* « *collaudate et benedicite nomen Domini.*

« *Specialis devotio* consistit in orationibus « privatis, in familiaribus vocalium orationum « recitationibus, veluti psalmorum, litaniarum « et aliarum orationum, quas in secreto quis- « que per se extraordinarie ruminando per- « solvit... Item in sacris meditationibus, quum « qui ante mentis oculos recolligit peccata « propria et miserias et futura supplicia, vel « beneficia Dei generalia et specialia et pas- « sionem Christi et bonitatis eius dulcedi- « nem et praemia repromissa; ut ex his con- « cipiat devotionis affectum, timoris vel amo- « ris Dei, desiderii, moeroris vel gaudii spi- « ritualis, iuxta illud: (2) *Meditatus sum nocte* « *cum corde meo, et excitabar et scopebam spiri-* « *tum meum.* Item in piis erga Deum affe- « ctibus et lacrymis et suspiriis et sanctis de- « sideriis amoris, et aliis internis et ineffabi- « libus motibus cordis, in iubilis, excessibus « et raptu et absorptione spiritus in Deum, « quo adhaerens Deo unus fit spiritus cum « eo per purae intelligentiae lucem et cogni- « tionem Dei et amoris eius ardorem et glu- « tinosam fruendi adhaesionem.

« *Assidua* devotio semper debet adesse « quibuslibet proficere volentibus in religionis « virtute. Et ipsa triplex est. Una est iugis « memoria Dei ante oculos cordis. Unde di- « citur: (3) *Providebam* Deum *in conspectu* « *meo semper.* Et alibi: (4) *Oculi mei semper* « *ad* Dominum. In omni loco et tempore « semper debet homo studere Deo intendere, « quasi sit coram eo per mentis intuitum. « Unde solebant dicere Elias et Elisaeus: « *Vivit Dominus, in cuius conspectu sto.* Sicut « enim Angeli quocumque mittantur, tamen « a divina contemplatione non recedunt: ita « homo virtutis pro suo posse semper Dei « memoriam a suo corde non removeat. Unde « si aliquando contigerit, semetipsum inde

(1) Eccli. xxxix, 41.
(2) Psalm. lxxvi, 7.
(3) Psalm. xv, 8.
(4) Psalm. xxiv, 15.

« redarguat. Nam dicit Bernardus: (1) *Omne* « *tempus, quo de* Deo *non cogitas, puta te* « *perdidisse. Nam etsi profunde non possis co-* « *gitationem tuam semper in ipsum defigere me-* « *ditando, saltem memorando cordis intuitum* « *in eum dirige; et quum datur opportunitas,* « *ipsa memoria in meditationem seu orationem* « *formetur, sicut qui materiam formandae ima-* « *ginis secum circumfert, ut quum habuerit op-* « *portunitatem, aliquid in ea sculpendo operetur.*

« Alia est continuum studium Deo pla- « cendi in omni actione vel locutione, ut « semper quasi in eius praesentia caveat unde « ei displiceat, et studeat in quo et qualiter « ei possit magis placere. Dicebat enim Apo- « stolus: (2) *Contendimus sive absentes sive* « *praesentes placere illi. Omnes enim nos ma-* « *nifestari oportet ante tribunal* Christi. Sem- « per enim debet Religiosus se gerere, quasi « in proximo sit tribunali summi Judicis prae- « sentandus. *Estote parati, quia qua hora non* « *putatis, Filius hominis veniet,* dicebat Do- « minus (3) discipulis suis.

« Tertia est, omnia agenda oratione sal- « tem mentali praevenire, ad omnes eventus « oratione se praemunire, omnia beneficia « gratiarum actione prosequi ac laude divina. « Agenda petat a Domino sibi salubriter in- « spirari, eventum dirigi ad salutis profectum, « beneficia augeri et conservari. Sicut enim « nauta providens tempestatem festinat sae- « pius ingredi portum securum, ita Religiosus « ad orationis portum continue confugiat, ubi « omnes periculorum collisiones evadat, et « omnibus agendis semper plus orationi fidat, « quam propriae industriae vel labori. Unde « scriptum est: (4) *Quum ignoramus, quid* « *agere debeamus, hoc solum habemus residui,* « *ut ad te oculos nostros dirigamus.* Et Psal- « mista: (5) *Sicut oculi servorum in manibus* « *dominorum suorum, ita oculi nostri ad* Domi- « num Deum *nostrum, donec misereatur nostri.* »

In eodem libro S. Bonaventura (6) enixe commendat, ut praecaveatur perturbatio studii

(1) Lib. Meditat. cap. vi.
(2) II. Corinth. v, 9. 10.
(3) Luc. xii, 40.
(4) II Paralip. xx, 12.
(5) Psalm. 122.
(6) Lib. *de sex alis Seraph.*, cap. iii.

orationis. Quemadmodum autem praecipua orationis fomenta et custodes sunt sacra solitudo, silentium, terrenorum contemptus et perfecta animae quies, sic e contrario praecipua obstacula, quibus devotionis spiritus impeditur, sunt inutilis et frequens egressus, cum saecularibus conversatio, multiloquium, amor creaturarum et immoderata in agendis sollicitudo.

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1886 celebrata.

IX.

Collegium S. Caroli in Republica Argentina.

Die 14 Julii vertentis anni electiones habitae sunt in Capitulo Guardianali Apostolici Collegii Missionum Sancti Caroli in Republica Argentina, praesidente Adm. Revdo P. Salvatore Mazza, Commissario Generali:

Guardianus Collegii

R. P. *Marcellus Venanzetti.*

Praefectus Missionum

R. P. *Hermes Costanzi.*

Discreti Collegii

R. P. *Paulinus Piccirilli.*
R. P. *Patritius o' Shea.*
R. P. *Franciscus Tavolini.*
R. P. *Jeremias Petrelli.*

—

X.

Ref. Provincia Principatus.

Rmus P. Minister Generalis die 21 Augusti propositos a Definitorio Generali in Congressu die 11 eiusdem Superiores sequentes nominavit:

Ministrum Provincialem

A. R. P. *Franciscum a Monteforti,* Lect. Em.

Custodem Provinciae

A. R. P. *Gulielmum a Castromaris.*

Definitores Provinciae

A. R. P. *Pium a Volturara,* Lect. Em.
R. P. *Josephum a Nucera.*
R. P. *Josephum ab Abellino.*
R. P. *Antonium a Contrada.*

—

XI.

Obs. Provincia Tusciae.

Die 26 Augusti in Conventu Observantiae apud Senas, praesidente Rmo P. Ministro Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. *Cyprianus Verdiani.*

Custos Provincialis

A. R. P. *Remigius Buselli.*

Definitores Provinciae

A. R. P. *Innocentius Francesconi.*
R. P. *Hyacinthus Conti.*
R. P. *Marianus Vignuti.*
R. P. *Joannis Gualbertus Mazzoni.*

III.
MISSIONES

—

Vicariatus Hou-pe Occiduo Sept. in Sinis.

Ex Vicariatu Apostolico Hou-pe Occiduo-Septentrionalis quasdam relationes transmisit die 1. Maji currentis anni, Illmus et Revmus Dominus Ezechias Banci, Episcopus titularis Halicarnassensis, illius nostro Ordini commissi Vicariatus Vicarius Apostolicus, easdemque propriis Missionariorum verbis publicamus. P. Paulus Sin Presbyter Sinensis die 16 Aprilis haec ad Rmum Vicarium Apostolicum scribebat:

« Post ultimam meam spiritualem elapsi anni relationem datam in mense Junii, ex illo tempore usque in hodiernum diem; praeter antiqua loca adhuc alia quinque nova loca (seu Missiones) inter infideles fuerunt aperta; sed nunc iterum spero, Deo adiuvante, alias non paucas instituere Missiones, eo quod ex multis locis infideles me invitaverunt ut irem apud illos, quia volunt ingredi in nostram sanctam Religionem, et post Pascha statim illos visitabo et instruam. Quod autem spectat ad

baptismata adultorum, ego solummodo baptizavi sexaginta septem, reliquos vero in relatione notatos, omnes R. P. Modestus Vicarius Foraneus baptizavit. »

Hic porro P. *Modestus Everaerts,* Provinciae Belgicae alumnus, de suimet districtus S. Marci Evangelistae statu sic ad Vicarium Apostolicum die 15 Aprilis referebat: « Mitto relationes annuales, eodemque in tempore manifesto Suae Excellentiae statum illarum novarum Missionum, quas mihi commendavit.

I. In *Jan-Kou* plus quam in aliis locis formantur christiani iuxta regulas ecclesiae; sed valde sunt pauperes, ideoque pueri debent ire quotidie ad laborandum et pauci possunt frequentare scholam, sed magister ibi manet, et in sero atque diebus dominicis instruit christianos. Hoc in loco inter cathecumenos quos baptizavi, est unus senex laureatus 85 annorum nomine *Chan-quan-lo*.

II. In *Jan-Kiu-tan* Christiani nunc septuaginta quinque numerantur; sed magna cum difficultate addiscunt preces: misi aliquem magistrum, sed pueri vellent ut magister doceret eos potius libros sinicos, quam preces. Utinam si de isto loco potuissem mittere aliquos pueros ad *Kiu-men kou* ut ibi instruerentur, darent spem futurae bonae christianitatis.

III. In *Cen-kin-ho* multi sunt cathecumeni, sed in dicto loco requiritur longiori tempore illos probare ante quam admittantur ad baptismum, quia fuerunt aliqui cathecumeni qui non perseveraverunt in bono proposito amplectendi religionem; attamen cathecumeni hoc anno videntur multo securiores, manent extra civitatem, et familiae integrae nunc addiscunt preces; pueri eorum et puellae frequentant scholam, sed pro puellis locavi separatam domum, et magistra *Chao* docet illas: in dicta Christianitate baptizavi triginta septem adultos, qui erant satis instructi quoad preces. Occasione Extremae Unctionis ministrandae neophito graviter infirmo, visitare potui novam Christianitatem prope Civitatem *Zao-ian,* nomine *Zo-hob* et illos inveni cathecumenos optime dispositos; quotidie inter laborandum addiscunt preces, sed aliqui solummodo inter illos sunt baptizati.

IV. *Ma-kou* Christianitas omnino nova, ubi potui administrare prima baptismata, dat spem futurae magnae Christianitatis: catechumeni videntur ibi satis boni, viri atque mulieres veniunt ad missam et orant alta voce: spontanee faciunt officium catechistae, exhortantes alios paganos ut et ipsi colant verum Deum et Dominum nostrum Jesum Christum. Ibi baptizavi 46 cathecumenos. Locatae sunt duae domus una pro schola puerorum, et altera pro schola puellarum. Pagani istius loci in principio molestabant cathecumenos, sed nunc pacifice se habent, neque impediunt eos qui volunt converti.

In Districtu S. Marci interim sunt 11 scholae cum 219 pueris et 69 puellis; istae scholae ita sunt distributae in *Cen-kia-ho 2* — in *Jan-Kou 1* — in *Ma-Kou 2* — in *Ku-Kia-Lu 2* — in *Pe-xan 1* — in *Tchu-Li-Kan 1* — in *Zao-ze-zun 1* — in *Kio-lao-von 1.*

Quamvis scholae maximae sint utilitati christianae educationi, magis tamen profectus pietatis percipitur ex iis pueris qui fuerunt instructi in Orphanotrophio S. Infantiae, quippe qui simul cum doctrina ibi recipiunt spiritum pietatis et venerationis erga Sanctam Ecclesiam, et exemplo instruunt alios christianos. Cum Sua Excellentia debeat providere omnibus Missionibus Vicariatus, requiritur ut clare sciat expensas quae factae fuerunt in Districtu S. Marci; ideo addo notam expensarum: revera expensae sunt magnae; hac de causa citius volui monere Exc. Suam, ut significet quid agere debeam, ne in fine anni summa sit enormis. Sed si expensae creverint, fructus, quem collegimus, etiam est abundans: nam praeter multas confessiones et communiones, fuerunt baptizati 222 adulti, aperta sunt alia quinque loca in quibus multi inveniuntur cathecumeni, qui instruuntur in scholis et parantur ad baptismum. Tandem 28 nostri baptizatores plusquam tria millia baptismata administraverunt pueris in articulo mortis. »

Hisce Missionariorum relationibus Rmus Banci addit: « Alia de aliis Missionariis referenda superessent; sed cum instet tempus generales relationes mittendi, nunc eadem referre supersedeo; hoc tamen non omittam, quod festa Paschalia magna cum devotione ac rite convenienterque celebrata fuerint hoc anno in nova cathedrali Ecclesia S. P. N.

Francisco dicata. Ultra sexcenti fideles ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta accessere, 18 adulti a me Sabbato Sancto sunt baptizati, et feria II Paschae *Franciscus Ho*, feria autem III *Matthias Hu*, neo Sacerdotes Sinenses, huius mei Seminarii simulque tertii Ordinis alumni, primum Sacrum Deo obtulerunt. »

—

EX REPUBLICA ARGENTINA

Epistola P. Hermetis Costanzi, (1)

Missionarii Collegii Apostolici S. Caroli, in civitate Sancti Laurentii, ad R. P. Vincentium Caloni, *Missionum eiusdem Collegii Praefectum.*

Ex Reductione S. Antonii
die 23 Iunii 1886.

Adm. R. Pater

Recurrente anniversaria die fundationis huius Reductionis, sequentem relationem ad Paternitatem Tuam transmittere gaudeo.

A primo tempore quo ad hanc Missionem sancto Antonio Patavino sacram perveni, magna speravi de futuro huius Reductionis progressu, sicut multoties Pat. Tuae scripsi. Nunc autem, adimpletis ex parte votis meis, felicem nuntium jamdiu expectatum dare iuvat. Indi enim nostri, de *Obligado* nuncupati, populum civiliter cultum efformare incipiunt. Reductionis territorium per sexdecim *quadras* extenditur et haec superficies fere tota domibus occupatur, inter quas eminent ecclesia, schola, castrum militare cum platea maiori. Centum et triginta domus numerantur ex quibus quadraginta circiter ex lateribus fabricatae sunt, ut nihil dicam de his quae modo eriguntur. Adde officinas pistrinas duas, mercatorias septem, fabrilignarias quinque, etc..... Adsunt mille et ducinti incolae, quorum major pars indigenarum, caeteri vero ex regionibus exteris.

(1) Ipse nunc Praefectus Missionum electus fuit. Cfr. supra pag. 156.

Ineunte mense decembri anni proxime elapsi, dedicata fuit ecclesia quae, non obstante penuria nostra, satis ampla evasit et sufficiens numero huius tribus atque alterius quae *Las Toscas* nomen habet, sed ecclesia hucusque caret. Totum aedificium, ecclesia scilicet et Missionarii residentia, longitudinem habet triginta *varas* et latitudinem quindecim. Tectum ex tegulis conficitur et parietes ex lateribus intus dealbantur. Januae, licet e pineo ligno, attamen decenter depictae sunt; per quinque fenestras illustratur aedificium et singulae laminis vitreis clauduntur ac velis ornantur. Altaria, caeteraque paramenta et utensilia sacra franciscanae paupertati conformia sunt. Tres campanae habentur, quarum una in civitate *Buenos Ayres* fusa fuit.

In hoc mense a civili Gubernio excepimus boves, aratra, currus aliaque agriculturae instrumenta, quibus Indi nostri carebant. Flumini imposuimus pontem ligneum cuius longitudo sexaginta metra, latitudo vero decem, et altitudo quatuor attingit. Hunc laborem indigenae ipsi perfecerunt.

Ex vicinis coloniis usque adhuc nullae querelae, nullae furti accusationes adversus fideles nostros ad nos pervenerunt. Pauci inveniuntur Indorum coetus circa reductionem pervagantes; sed omni industria eosdem reducere conamur ac brevi ad intentum finem devenire speramus. Ultimi duo Cacici qui adhuc supersunt, ex authenticis habitis informationibus, Reductioni se adiungere parantur, nonnullis propositis difficultatibus quas civilis Gubernator facile solvet. Ut Paternati tuae notum est, quum huic Reductioni initium dedimus, vix ducenti numerabantur Indi; nunc autem ultra sexcentos habemus, cunctos pacifice allectos ab ipsis Indis, quin Gubernio manum militarem mittere opus fuerit.

Ex supradictis patet Reductionem nostram brevi civitatem evasuram, dummodo pari passu, favente Deo, progrediatur. Mox igitur Indos videbimus illos, qui nuper lancea et sagittis armati mortem inferebant vel terrorem incutiebant, civili cultu reductos, aedificare domos, inaratam terram colere, christianam prolem educare et Christo Redemptori gratias agentes, tranquillam vitam ducere.

Denique Paternitati tuae ac R. P. Guardiano Collegii nostri sancti Caroli (1) omnia fausta adprecor et permaneo

Pat. Tuae Adm. Rev.

Humillimus in Dno servus.
Fr. Hermes Costanzi.

—

EX LIBRO « MISSIONES CATHOLICAE » SYRIA

(Continuatio : Vide fasc. IX, pag 141.)

Vicariatus Apostolicus Alepensis.

Origo. Anno 1762 subtractae sunt a Vicariatu Generali Constantinopolitano Syria, Cypri insula, Aegypti atque Arabiae regiones, et ex iis efformatus est Vicariatus Alepensis pro latinis, qui Arnoldo Bassù ex Congr. Miss. commissus est. Verum cum fere in omnes latinos catholicos harum regionum Custos Terrae Sanctae independentem ex privilegio iurisdictionem exerceret, vix erant in illis primordiis qui Vicario Alepensi subiicerentur catholici. Primo Vicario successor datus non est nisi anno 1817, quo Illmus D. Gandolfi ex eadem Congr. Miss. ad hoc munus electus est. Ipsi usque huc decem Vicarii Apostolici successerunt, qui omnes (quemadmodum et duo priores Vicarii memorati) Delegationis Apostolicae pro ritibus orientalibus munere functi sunt. Quasdam interim limitum coarctationes Vicariatus subiit Anno 1838 subtracti ab eo sunt Aegyptus atque Arabia: anno vero 1848 Patriarchae latino Hierosolymis restituto Palaestinae territorium una cum Cypro insula addictum est; qua tamen occasione, cum Custodis Terrae Sanctae iura abrogata fuissent, omnes latini ritus catholici in regionibus Vicario Alepensi relictis extantes, eius iurisdictioni sunt adtributi. Catholicorum numerus auctus, multiplicatae stationes, piaque educationis et charitatis opera erecta non mediocrem Missionis progressum testantur.

Confinia. Vicariatus Syriam stricte dictam universam et Anatoliae partem comprehendit. Ad Sept. incipit limes a sinu Ataliae (Adalia) et Tauri meridionales tractus sequens usque ad Euphratem pertingit, tum ad occiduo-meridiem vertens ad Apameam (Homa) atque Emesam (Homs) limes descendit. Palmyrae desertum ad Or., ad Mer. Palaestinam, ad Occ. mare Mediterraneum Vicariatus habet.

Lingua. Apud indigenas arabica et turcica, apud europaeos linguae italica et gallica potissimum in usu sunt.

Clima temperatum est et saluberrimum, exceptis urbibus Messina et Alexandretta, ubi aër palustris est et per aestatem pessimus. Alepi et Damasci calor non superat 35) thermometri centigr. qui parum infra O descendit per hyemem. Urbes vero maritimae longe mitiorem hyemem experiuntur, licet fervidiorem aestatem non habeant. In Libano vero omnes habentur climatum varietates.

Catholici ritus latini extant 3000; aliorum rituum 344,500. Incolarum omnium numerus est 2,198,000 circiter.

Paroeciae sunt 13 : Alepum (Cath. lat. 440) Damascum (cath. lat. 100), hae duae paroeciae a Franciscalibus T. S. curantur. Bairut (cath. lat. 900), Sido (vulgo Saida, cath. lat. 200), Thyrus (vulgo Sur, cath. lat. 80), Tripolis (cath. lat. 50), Lattachia (18 familiae cath. lat.), Alexandretta (cath. lat. 80), Mersina (cath. lat. 80), Antiochia (cath. lat. 15), Maraasc (cath. lat. 250), Acbes (cath. lat. 150), Kneje (cath. lat. 230).

Vicarius Apostolicus Illmus D. Ludovicus Piavi, ex Ord. Min. Obs. Ep. titul. Siunien. — Residentia: Aleppo.

Auxiliaris: Illmus D. Gaudentius Bonfigli, ex Ord. Min. Obs. Ep. titul. Casien.

Clerus latinus saecularis in Vicariatu non extat, sed ex variis regularibus Institutis efformatur, de quibus infra singillatim dicemus.

Seminarium in Vicariatu Franciscales habent pro sui Ordinis alumnis. Aliud Seminarium extat apud Bairut directum a PP. Soc. J. cum alumnis 40 (orientalibus).

Collegia 3 extant cum alumnis 500.

Scholae habentur 114, quarum 60 pro pueris numero circiter 3000, et 54 pro puellis quae 2800 sunt.

Instituta regularia virorum : Minores de Observantia primi omnium in Syriam advenerunt iam a tempore S. Francisci. Paroecias et scholas habent apud Aleppum, Maraasc,

(1) Ex hoc Collegio pendent aliae Missiones seu Reductiones, quarum nomenclaturam ac compendiosam relationem proxime dabimus.

Lattachiam, Tripolim. Damascum, Saida, Sur, Arista Liban; hospitium etiam habent apud Bairut. Numero sunt 44, sacerdotes 27 et Fratres laici 17.

—

ARCHIDIOECESIS SMIRNENSIS
ET
Vicariatus Apostolicus (Asiae Minoris)

ORIGO. Smirnensem Ecclesiam, apostolica fundatione illustrem, usque ad saeculum XIV nonnisi Episcopi ritus graeci gubernarunt. Clemens VI, anno 1346, latinam sedem Smirnae primus instituit, in qua, saeculo XVII ineunte, Episcoporum successio defecisse videtur. Originem tunc temporis Vicariatus Asiae Minoris habuit, qui satis amplum territorium una cum Smirna amplectebatur. Anno vero 1818 Smirnensem Archidioecesim Pius VII restituit, eidem praeficiens Aloysium M. Cardelli ex Ord. Min. Reform. Cum vero restituta Archidioecesis minus quam Vicariatus Asiae Minoris pateret, huiusmodi Vicariatus superstitit, atque eumdem Smirnensis Antistes in curis habere consuevit.

CONFINIA: Archidioecesis Smirnensis complectitur Smirnam cum villis, quae circum stant. — Limes autem Vicariatus Asiae Minoris a promontorio Babà incipiens se dirigit orientem versus, inclusis Adrimiti et Balikesser, usque ad 31° long. or. (a mer. Paris.), atque eamdem meridianam lineam servans ad austrum convertitur se porrigens usque ad mare, quo ad Mer. et Occ. Vicariatus circumbuitur. Ad Sept. habet Vicariatum Constantinopolitanum, ad Or. Patriarchatum Hierosolymitanum. Insulae adiacentes, exceptis Samo, Nicaria et Psarà, ad Vicariatum Asiae Minoris pertinent.

LINGUAE plures usuveniunt, turcica praesertim et graeca; dein italica, gallica etc.

CLIMATE optimo regio gaudet, temperato et salubri; soli quoque copiosa fertilitas.

CATHOLICI sunt circiter 13,000, paucis exceptis graecis et armenis, fere omnes latini ritus: Smirnae 14,000 catholici recensentur, reliqui hac illac per oppida et villas familiis adunati reperiuntur. Incolae in universa regione 2,000,000 numerantur.

PAROECIAE 8 habentur in Dioecesi et Vicariatu: Aidin, Bugia, Burnabat, Iconius, Metelinus et 3 Smirnae; hac sunt ecclesia cathedralis S. Joannis Ap. et Ev., ecclesia Deiparae Immaculatae, quam curant Franciscales Reformati, et ecclesia S. Polycarpi Ep. et M., cui inserviunt Patres Capuccini.

ECCLESIAE ET SACELLA (praeter ecclesias praefatas parochiales) extant 6.

CHRISTIANITATES 2, praeter supradicta loca, in quibus reperiuntur ecclesiae parochiales, sunt 16: Magnesia, Uschak, Konieh, Nasli, Dènisli, Kussadassi, Baïndir, Tira, Cassaba, Sardis, Cidonia, Adramites, Tassos, Chircagats, Jacakeui, Cordeliò. — Paucae in iis reperiuntur catholicae familiae, et difficilis est ad quasdam accessus.

ARCHIEPISCOPUS Andreas Timoni, alumn. Coll. Urb. de Prop. Fide.

DIOECESIS SUFFRAGANEA: Candia.

SACERDOTES extant 56; 17 saeculares, 11 francisc. reform., 6 capucc., 2 dominicani, 11 lazaristae, 8 mechitaristae, 1 monachus maronita.

COLLEGIA 3 adsunt Smirnae. . . . .

SCHOLAE praeterea 15 adsunt, 8 pro pueris et 7 pro puellis. . . . .

ORPHANOTROPHIA 4 habentur cum orphanis circiter 290.

NOSOCOMIUM unum extat.

INSTITUTA REGULARIA. *Viri*: Minores Reformati — Minores Capuccini — Dominicani — Presbyteri e Congr. Miss. — *Mulieres*: Puellae Charitatis — Dames de Sion.

—

IN REPUBLICA MEXICANA

pluribusque Americae Meridionalis regionibus, intra fines aliquando ipsarum Dioecesium, existunt Collegia quaedam veluti centra Missionum, quae exercentur praesertim inter aborigenas Sylvicolas a Minoribus S. Francisci. Haec Collegia, quae a S. Congregatione de Propaganda pendent, hic breviter recensentur.

COLLEGIA MISSIONUM
Minorum S. Francisci

In Republica Mexicana

Existunt Collegia 7, quae sunt:

	Sacerdotes	Fr. Laici
Collegium S. Crucis in loco Queretaro	15	1
Collegium Mariae SSmae in civitate Guadalupe.	39	5
Collegium S. Ferdinandi in urbe Mexico	6	1
Collegium S. Francisci in loco Pachuca	10	1
Collegium S. Josephi in loco Orizaba	8	2
Collegium Mariae SSmae in loco Zapopan..	14	2
Collegium Purissimae Conceptionis in loco Cholula. . . .	11	1
	103	13

In Statibus Foederatis Novae Grandtae seu *Columbiae.*

Provincia Franciscalis Columbiae, ultimis hisce annis suppressa, Collegia habebat in locis *Cali* et *Popayan.*

In Guatimala

Franciscales Collegium Missionis a SSmo Crucifixo nuncupatum habebant cum religiosis 60 circiter, fere omnibus dispersis post suppressionem anno 1872 peractam.

In Aequatoriana Republica

Collegium 1 existit in urbe *Quito* cum religiosis 30.

In Peruviana Regione:

Collegia

			Religiosi
Collegium in urbe		Lima	34
»	»	Ocopa	35
»	»	Cuzco	20
»	»	Cajamarca	9
»	»	Arequipa	12
			110

In Chilena Regione:

Collegium extat in loco *Castro* cum Missionariis 60 addictis conversioni sylvicolarum Araucanorum. Ab hoc Collegio pendent 4 Stationes: *Osorno, Ancud, Nacimiento, S. Filippo.*

Collegium in urbe *Santiago* cum Missionariis 25: a quo pendent 3 Stationes: *Rengo, Angostura, Jabo.*

Collegium in loco *Chilan* cum Missionariis 30 et Missionibus 4.

Collegium in urbe *Valparaiso.*

In Bolivia:

Collegium in urbe	Tarija cum Missionibus	7
	La Paz	8
	Tarata	4
	Sucre	
	Potosi	1

Missionarii in his 5 Collegiis recensentur complexive 160 dediti convertendis tribubus sylvicolarum Cinguanorum, Tolbarum etc.

In Argentina Bepublica:

Collegia

			Missionarii	Missiones
Collegium in urbe		*Salta* . . .	35	2
»	»	*Rio Quarto* .	15	
»	»	*S. Lorenzo* .	25	6
Praedictis Collegiis addendi sunt:				
Conventus Missionis in loco		*Jujui*	7	
»	»	» *Corrientes*	12	
			94	8

In Brasiliano Imperio:

Ad extremitatem septentrionalem Imperii Brasiliani in Provincia Amazonum iam inde ab anno 1870 Missionarii Franciscales ad sylvicolas CHRISTO lucrifaciendos adlaborant. In hac regione fundatae fuerunt a Missionariis sequentes Stationes seu oppida:

Oppida christiana	flumina ad quorum oram reperiuntur	gentes quibus inhabitantur	numerus incolarum	coelestis patronus
Jurapecuma	Vaupès	Tarianae	70	Conceptio
Micurapecuma	»	»	40	S. Bernard
Ananapecuma	»	»	130	
Juquira	»	»	166	S. Michaël
Umari	»	»	86	
Caruri	»	»	162	S. Leonard.
Jutica	»	»	87	SS. Trinitas
Turigarape	Papuri	Macú	160	S. Lucia
Taraquá	Vaupès	Tarianae	318	S. Francisc.
Ipanorè	»	»	330	S. Hieron.
Javaritè	»	»	404	S. Antonius
Tuccano	Tiqniè	Toccanae	189	S. Elisabeth
Uiraposo	»	»	266	S. Maria
Macarajú	»	»	300	S. Joseph
Turi	»	»	188	S. Petrus
			2,896	

Missionarii sunt 9 subjecti tamquam Praefecto Missionis R. P. Jesualdo Machetti.

Catholici sunt 7000 circiter, quorum curam gerunt Missionarii.

NOTA — Prae oculis habeant Missionarii, praesertim Vicarii apostolici ac Missionum Praefecti, ob-

servationes et monita, in fasciculo VII. huius anni tradita, pag. 128. *Ad litteram* descripsimus quae de Missionibus nostris referuntur in libro « *Missiones catholicae Ritus latini, cura S. C. de Propaganda Fide descriptae in annum 1886*, » ut opportunas correctiones, tempore iam praefinito, ad Curiam Generalem transmittant.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

APOLLINARIS (R. P.) A VALENTIA.

Bibliotheca Scriptorum FF. Minorum Capuccinorum Provinciae Neapolitanae, auctore P. Apollinare a Valentia in Delphinatu eiusdem Ordinis, Provinciae vero Parisiensis alumno. 1 vol. in-4° — Neapolis 1886. — Pretium L. 5 — pro Fratribus L. 4.

AGRÉDA (MARIE DE JÉSUS D')

Vie divine de la Très Sainte Vierge MARIE ou abrégé de la Cité Mystique d'après Marie de Jésus d'Agréda, par P. Bonaventure Amedeo de Cæsare, M. C., Consulteur de la Sacrée Congrégation romaine de l'Index, traduite et augmentée d'une notice par l'Abbé Joseph-Antoine Boullan, Docteur en théologie. Sixiéme édition — Paris, librairie Jacques Lecoffre, ancienne Maison Périsse Frères de Paris. Lecoffre Fils et Cie, successeurs, 90, Rue Bonaparte, 90, 1884. Page 356.

CLEMENTINUS (P.) DEYMANN.

LIFE of the Ven. Mary Crescentia Hoess, of the 3° Order of St. Francis, drawn from the Acts of her Beatification and other reliable sources, by Father Ignatius Jeiler O. S. F. translated by Rev. Clementinus Deymann, O. S. F. (Prov. SS. Cordis) — New York, Benziger Bros. 1886., in 8° pag. 357. (ligat. L. 7,40).

EMILIO (P.) CRIVELLI M. O.

PANEGIRICO di S. Margherita da Cortona, detto in Roma nella chiesa dell'ospizio delle Margaritine alla Marmorata il 22 Febbraio 1885 dal P. Emilio Crivelli Min. Oss. Siena, tipogr. edit. S. Bernardino. 1886..

FRANCISCUS (R. P.) MARIA COMPTE, Min. Obs.

VARONES ILUSTRES de la ORDEN SERAFICA en el Ecuador, desde la fundacion de Quito hasta nuestros dias, por el Rdo. P. Fr. Francisco Maria Compte, Misionero Apostolico y Cronologo del Colegio de San Diego de Quito. Segunda Edicion, Corregida y aumentata por el mismo Autor. Con las Licencias necesarias. Tomo II. Quito. Imprenta del Clero. 1886. pag. IV-514.

HILAIRE (T. R. P.) DE PARIS, de l'Ordre de S.t François.

La Madone de Saint Luc devant l' histoire et la science. Paris, librairie de l' œuvre de Saint-Paul, 6, rue Cassette, 1886. Page XIII-247 La Madone de Saint-Luc (Abrégé de l'ouvrage précédent) Paris, ibid. 1886. Pag. 84.

JOSEPHUS CALASANCTIUS (A. R. P.) A LLEVANERAS.

Compendium Hermeneuticae sacrae, B.M.V. dicatum, sive Introductio ad omnes et singulos Scripturae Sacrae Libros, hodiernis biblicis cognitionibus adaptata: Opus omnibus Sacris Concionatoribus, Examinandis, etc. valde inserviens. Auctore Fr. Josepho Calasanctio a Llevaneras Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum.

Editio secunda. — Mediolani, ex typis Serafini Ghezzi, Via Manzoni — 1886 Vol. unicum VII-342. (Ad P. Egidium a Mediolano. C.to Piazza Barberini. Pretium pro Italia, L. 2, 50: Extra L. 3.

JOSEPHUS (P.) BONAVENTURA BOZIC', Min. Observ.

Bosansko-Hercegovacko agrarno pitanjè i povlastice dane bosanskim Franjevcem od pojedinih Sultana (Historico-juridica dissertatio de illegitima Turcarum possessione in terrenum in Bosna et Hercegovina, cum Franciscanorum Fermanis a Sultanis obtentis, et a Fr. Fabianic' in lucem editis), scripsit in idiomate croatico (P. Iosephus-Bonaventura Bozic', Obs. Prov. Bosnensis. Senji in Croatia 1886. tipographia H. Luster.

Jarlath (P.) Prendergast.

1. The Franciscan Manual and Seraphic Treasury, by Jarlath Prendergast, O. S. F. (Prov. S. Joseph Belgii) Third edition, revised, corrected and improved. Dublin, J. Duffy.

2. The Cord of S. Francis. Sixth edition. Dublin, J. Duffy.

Léopold (R. P.) de Chérancé.

Saint François d'Assise (1182-1226) Cinquième édition avec portrait, par le R. P. Léopold de Chérancé, des FF. Min. Cap. — 1 vol. in-12° — Pages XXIV-468. Paris, Librairie Poussielgue, Rue Cassette, 15 — 1886.

Paolo (P.) di S. Maddalena.

Soliloqui ovvero documenti di perfezione cristiana del P. Paolo di Santa Maddalena, dell' Ordine dei Min. di S. Francesco, tradotti nell' italiana favella da un Religioso dell' istesso Ordine. — Quaracchi, tipografia del Collegio di S. Bonaventura. (L. 1.)

Petrus Damiani (Rmus P.) a Munster.

Bullarium Ordinis FF. Minorum S. P. Francisci Capuccinorum seu Collectio Bullarum, Brevium, Decretorum, Rescriptorum etc., quae a Sede Apostolica pro Ordine Cappuccino emanarunt, sub Gubernio Reverendissimi Patris Bernardi ab Andermatt, Totius dicti Ordinis Ministri Generalis, variis Notis elucubrata a Petro Damiani a Münster, eiusdem Ordinis ex-Definitore Generali. — Continuationis Tomus tertius, totius operis tomus decimus, continens Constitutiones, Brevia, Decreta etc., sub Pontificatu Pii VIII, Gregorii XVI, et Pii IX edita. Oeniponte typis Wagnerianis, 1884 — Vol. in fol. pag. 886 — Pretium: 30 libellae.

Timotheus (P.) Verbiest.

Twee bloempjes van Sint Franciscus of Levensschets der Gelukzalige Humilis van Bisignano en Carolus van Setia, Leekebroeders der Minderbroedersorde, door P. Fr. Timotheus Verbiest, Minderbroeder-Recollect (Prov. S. Joseph Belgii). Antwerpen, Boek-en Steendrukkerij Vano-Dewolf.

V.
NECROLOGIA

—

R. P. Alphonsus a S. Leolino, in saeculo Ferdinandus Bianchi vocatus, natus die 10 Dec. 1805, seraphicum Ordinem in Ref. Tusciae Provincia die 27 Augusti 1826 ingressus, et ante annum 1838 a Superioribus in Galliam missus, per annos 48 Clarissarum Monasterii civitatis vulgo *Montbrison* Confessarii munere functus pie in Domino obiit die 11 Junii. Amabat nesciri et pro nihilo reputari; tenerrimo pietatis affectu Jesum infantem et SSmam eius Matrem Mariam prosequebatur; quidquid ei supererat temporis orationi dabat, ac saepius integras noctes sacris meditationibus, precationibusque insumebat. Sanctae memoriae Patri Areso in restituendo Ordine nostro in Gallia consiliarius fuit ac S. Ludovici Provincia a P. Areso fundata Alphonsum inter suos quoad suffragia ob eiusdem merita cooptavit.

Id autem prorsus mirandum in P. Alphonso quod usque ad extremam senectutem omnia ut ut minima servaverit quae in tirocinio didicerat, etsi Fratrum, comunitatisque exemplis destitutus per annos 48, quibus solitariam vitam duxit.

Eius memoria in benedictione manebit, prouti vita in benedictione fuit.

Die 16 Junii Sebenici in Dalmatia pretiosam in conspectu Domini mortem oppetiit R. P. Mattheus Supuk Obs. Prov. SSmi Redemptoris anno aetatis suae 45 cuius virtutis fama tanta fuit ut ad ipsum infirmi adducebatur, ut illis manus imponeret: vel infirmorum indumenta eidem afferebantur, ut ea benediceret. Annis 12 Guardiani officio Sebenici functus omnibus confratribus dux fuit et exemplar religiosae perfectionis. Definitor, ac dein Custos Provinciae electus, se omnibus muneribus indignum putabat. Lento morbo consumptus, ipsa mortis die Ecclesiae sacramentis munitus, uti pie speramus Patriam coelestem ingressus est.

A. R. P. Michael Angelus a Mariliano in Campania, ibidem die 22 Sep-

tembris anni 1811 nobili genere natus, Dei benedictione praeventus, et adolescentia innocenter peracta; strictioris Observantiae Provinciae Neapolis ac Terrae Laboris Franciscalem habitum humiliter petiit. Voti compos factus, et probationis curriculo laudabiliter emenso, vota solemnia in spiritus gaudio emisit; et ea quae Deo promiserat fideliter reddidit. Philosophiae ac Theologiae stadio decurso, sacerdotali dignitate die 25 Martii anni 1834 condecoratus fuit. Tanta erat vis amoris, quam ex illo eucharistico convivio in dies sumebat, ut per annos quinquaginta singulis quibusque noctibus e stramineo sacculo vel tabulatu exurgens, Stationes Viae Crucis percurreret, Psalmos Poenitentiales cum Officiis Beatae Mariae Virginis, et Fidelium Defunctorum magna cum devotione recitaret, diris flagellationibus carnem suam attereret, et coelestibus meditationibus vacaret. Et eo erat constanti se mortificandi studio, ut vel ciliciis, vel ferreis catenis continenter ad mortem usque usus sit; et in ipso extremo agone ad cor eius reperta sit tabula quaedam lignea cum imaginibus Cordium Jesu et Mariae punctis ferreis armata.

Regulae observantissimus, toto vitae cursu numquam dispensatione usus est, sed sine glossa eam fideliter servavit. Pedibus semper incessit, et longa atque difficiliora itinera, nullo commeatu adhibito, confecit. Altissimae paupertatis strenuus fuit cultor, et cum Guardiani, vel Definitoris, vel Custodis, vel Provincialis munere fungeretur, ubique regularem observantiam et vitam comunem restauravit. Silentii amator, et Fratrum consortium devitans, sui vel proximorum saluti unice intendebat.

Tanta fuit in proximos charitate, ut collectis undique, et quandoque etiam ostiatim, eleemosynis, orphanis, puellis in tuto collocandis, et cuiusvis generis indigentibus opem ferret.

Quibus virtutibus praeditus, et moralibus disciplinis edoctus, ab omnibus, praesertim sanctimonialibus, pro quibus speciatim volumen edidit a titulo: *La scuola de' veri amanti*: ad coscientiae moderatorem expetebatur, eo successu, ut ab omnibus tamquam minister fidelis et prudens, Dei spiritu plenus et sanctitate praeclarus haberetur, et Episcopis et Eminentissimis Praesulibus acceptissimus fuerit.

Tandem tribus mensibus apoplexiae morbo, levi quidem, sed de die in diem percrescente, correptus, et patientissime tolerato, die 10 Julii c. a. 1886 in sero Sabbati in osculo Domini placidissime diem supremum obiit, et die Dominica sepultus est; ita Domino permittente, ut quemadmodum in vita fuit viva imago divi Patris nostri Francisci, sic etiam in morte ferme ei similis fieret.

Vix mortis eius fama pervulgata, undique ad Ecclesiam multitudo convenit, et eum veluti sanctum habentes, pedes eius deosculabantur, et furtim vel partem habitus, vel cinguli, surripientes vel coronas super eius corpus ponentes, tamquam eo contactu sanctificatas, certatim colligebant. Quod quidem supra modum evenit in pago Mianensi, in quo eum sepeliendum curarunt, et ubi plures annos Guardianus fuit, et ipsius praesertim opera illa domus Seraphica B. Virgini sacra veluti e fundamentis erecta, sacri recessus formam suscepit. Cuius viri fama ita in dies percrebuit, ut ab omnibus sive sanctimonialibus, sive saecularibus, devotionis caussa petitiones, ut aliquid ad eum pertinens detur, continuo mittantur.

Ave, dulcissima anima, et apud Deum cuius gloriae, uti pie speramus, munere cum beatis aeternaliter frueris, tuorum Confratrum et Provinciae, cuius splendidissimum decus fuisti, noli oblivisci, ut nunquam in ipsa desint virtutum exempla.

A. R. P. Martinus Bota, Provinciae Salvatorianae Min. Ref. in Hungaria alumnus, Conventus Szegediensis actualis Guardianus, Parochiae inferioris civitatis Szegedini Administrator, nec non Pro-Director studii theologici domestici, praestantis ingenii vir, laborumque patiens, apoplexia tactus die 18 Julii quin vel vocem edere potuisset, post unius diei agoniam expiravit. Tanta eum aestimatione prosequebantur Szegedienses ut maior civitatis pars funeri eiusdem adstiterit Supremus Comes, Magistratus, et e classe militari Generalis, Colonnellus aliique Officiales. Huius anima piis Confratrum precibus commendamus.

Nihil obstat.
Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII
LITTERAE ENCYCLICAE

DE HIERARCHIA EPISCOPALI
IN INDIIS ORIENTALIBUS INSTITVENDA

LEO EPISCOPUS
SERVVS SERVORVM DEI
AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Humanae salutis auctor JESUS CHRISTUS, cum nos sanguine suo de servitute redemisset, et in caelos ad Patrem proxime esset rediturus, iis, quos Apostolos nominavit, alumnis disciplinae suae, et testibus rerum quas Ipse fecerat et docuerat, imbuendum caelesti doctrina mundum commisit. Sanari enim oportebat, consilio gratiaque DEI, omnes homines: nec sanari nisi oblato veritatis lumine potuissent. Illi itaque nobilissimi muneris memores, accepta SPIRITUS SANCTI virtute, in varias orbis partes magno animo abeunt, Evangelii sapientiam quacumque nuntiant, longius etiam progressi, quam quo arma domitoris terrarum populi penetrarant; ita ut vel ab Ecclesiae primordiis verissimum illud extiterit, *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.*

Apostolici muneris obeundi officium in latissimis Indiae regionibus Thomae obtigisse, memoriae proditum est. Hic sane, uti vetera litterarum monumenta testantur, CHRISTO in caelos recepto, cum in Aethiopiam, Persidem, Hircaniam, ac demum in peninsulam ultra Indum migrasset, difficillima peregrinatione suscepta, gravissimisque exantlatis laboribus, primus eas gentes christianae veritatis luce collustravit, redditoque summo animarum Pastori sanguinis sui testimonio, ad sempiterna in caelis praemia evocatus est.

Exinde Apostolum praeclare de ea regione meritum colere India non omnino intermisit: in vetustissimis libris liturgicarum precum aliisque illarum ecclesiarum monumentis Thomae nomen et laudes celebrari consueverunt, atque insequentibus saeculis, post ipsam errorum luctuosam propagationem, nequaquam est eius deleta memoria; itemque fides, quam ille disseminarat, tametsi intermortua iacuit, non tamen extincta funditus esse visa est. Quare, novis virorum apostolicorum excitata curis, latius manavit, egregiisque florens virtutum exemplis, et martyrum educta sanguine, gentes illas ab immiti feritate revocatas sensim ad humanitatem excoluit. Hac vero aetate christianum nomen tanta apud Indos prosperitate vulgatum est, ut Ecclesiae filii per universam peninsulam ad sedecim centena millia feliciter creverint: sacerdotes magno in honore habentur, catholica doctrina in scholis summa cum libertate traditur, iamque certa spes affulget copiosiores ex ea gente manipulos ad JESUM CHRISTUM accessuros. Itaque decrevimus firmiore ordine et modo rem Indorum

catholicam constituere: ea enim, quantumvis magnum et constans Decessorum Nostrorum extiterit studium, nondum illam adepta est constitutionem ordinatam et stabilem, cuius tanta vis est ad tutandam vitae christianae disciplinam, salutemque populis pariendam.

Ut aliquid de praeteritorum temporum memoria perbreviter attingamus, inito iam saeculo XIV, antiquam fidem velut ab interitu vindicare conati sunt nobiles (1) ex Franciscana et Dominiciana familia alumni: qui, auctoritate missuque romanorum Pontificum, ad Indias transgressi, plurimum operae in sanandis haereticorum opinionibus abolendâque ethnicorum superstitione posuerunt. Ubi vero expeditior per promontorium Bonae Spei patuit Europae gentibus ad oras Indicas transitus, una cum virorum apostolicorum adcursu salutares crevere fructus. Singularem laudem eo tempore consecuta est Societas Jesu: in primisque ad miraculum excelluit magnus Indiarum apostolus Franciscus Xaverius, qui incredibiles labores perpessus, et maximis periculis terra marique excelso animo superatis, Crucem sacrosanctam iis regionibus quasi triumphator intulit, et ingentem hominum multitudinem ne dum in ora Malabarica, sed et in Coromandelica et in Ceylanensi insula, immo et in remotioribus provinciis usque ad Iaponios, multiplici superstitione sublata, ad JESUM CHRISTUM adiunxit.

Ad tantam christiani nominis propagationem, praeter laboriosas Missionariorum curas, plurimum valuit illustrium Portugalliae et Algarbiorum regum opera: quibus merito contigit, ut ab hac Apostolica Sede perhonorifice collaudarentur, quod *eorum ministerio tam lata orbis terrae pars antea ignota Europae innotuisset: maxime vero quod Ecclesiae Dei per agnitionem christianae veritatis aggregaretur* (2).

In provinciis vero, quas vel in ora Malabarica vel in Coromandelica Lusitani obtinuerant, cum latius fides catholica manavisset, praecipua Pontificum maximorum cura fuit, sacerdotes ad sacra officia iis in regionibus obeunda undique advocare, aliaque sapienter et utiliter, praesertim quod ad christianorum regimen pertineret, constituere. Aucta vero Lusitanarum possessionum amplitudine, novae Dioeceses in iisdem coloniis constitutae sunt. In iis eminet Goana, quam Paulus IV. archiepiscopalis throni honore et iuribus auxit: accedit vero Cochinensis et Cranganorensis: item in ora Coromandelica Meliaporensis, quam in urbe Sancti Thomae Paulus V. instituit. Portugalliae vero atque Algarbiorum regibus, quod rei catholicae incrementis profuissent, nominatimque Dioeceses, quae commemoratae sunt, aere suo munifice dotassent, romani Pontifices grati animi caussa ius patronatus in novensiles episcopales Sedes concessere. Quae quidem cum in veteris ac recentis christianorum societatis utilitatem provide decernerent, spe erigebantur, brevi futurum ut extremi Orientis gentibus lux Evangelii longe lateque affulgeret, quaeque ex illa sequuntur beneficia, tamquam abundantissimus amnis, in ipsam civilem societatem influerent. — Sed prospere coeptorum cursum fortuna retardavit. Coortis enim bellorum aliorumque casuum procellis, magna clades Ecclesiae apud Indos succrescenti imminere videbatur. Itaque ne Evangelii interciperetur propagatio, neu in tot hominum millibus sempiterna animorum salus periclitaretur, romani Pontifices ad regna illa amplissima, praesertim quae Lusitanis coloniis nequaquam continebantur, providentiam suam transtulerunt, summaque cura studuerunt, quanto plures ex ingenti illa multitudine possent, ad instituta christiana traducere, item munire adiumentis iis, quae ad excolendos animos pertinent, et haeretica pravitate depulsa, in sancta religione retinere.

Quo autem cura difficilior ob immensa locorum intervalla, regionum latitudinem, incommoda itinerum, eo accuratius vel evangelicis operariis deligendis vel Missionum regimini ordinando operam dare magna cum libertate consueverunt. Saeculo XVII et XVIII, praesertim operâ virorum religiosorum, quos sacra Congregatio christiano nomini propagando ad Indos miserat, plures christianorum communitates coaluere; linguae earum gen-

(1) Quantos labores susceperint in Indiis Orientalibus Missionarii Ordinis nostri videri potest in egregio opere Adm. R. P. Marcellini a Civetia *Storia universale delle Missioni Francescane,* praesertim vol. VI, cap. VI et seq. (*Nota Redactionis*).

(2) Leo X. — *Summam Nobis laetitiam* — 1513.

tium variae per Missionarios perceptae; libri vernaculo populi sermone conscripti; plurimorum animi spiritu catholicae institutionis imbuti atque in spem caelestium erecti. — Quibus in rebus nobilitati sunt labores sodalium Carmelitidum, Capulatorum, Barnabitidum, Oratorianorum, qui quidem in iis gentibus ad christiana instituta erudiendis non eodem omnes tempore, sed idem studium collocavere constantiamque parem.

Gubernandis interea fidelibus moderandisque sacrorum operariorum expeditionibus, idoneo antistitum regimine constituto, provisum est. — Decessores autem Nostri singulari studio in id in primis animum intendebant, ut apostolici viri doctrinam christianam Indiâ tota sancte inviolateque servarent, nec ullo unquam ethnicarum superstitionum vestigio inquinari paterentur. Revera nemo ignorat quam vigilanter incubuerint ad evellenda radicitus vanarum observationum rituumque a fide christiana abhorrentium zizania ab inimico homine disseminata in novellis iis ecclesiae germinibus, quae praesertim in regnis Madurae, Mayssourii et Carnatici adoleverant: item quam provide studuerint, quaestiones omnes inter regionum illarum Missionarios in re gravissima excitatas pontificia auctoritate dirimere. De quibus ut Clemens XI. apprime cognosceret, Carolum Thomam Tournonium Patriarcham Antiochenum cum potestate Legati a latere in Indiis orientalibus Commissarium ac Visitatorem Apostolicum anno MDCCI. destinavit. Sapientibus Tournonii decretis Clemens XI. auctoritatis suae robur adiecit, eisdemque Innocentius XIII, Benedictus XIII, et Clemens XII, ut quam diligentissime obtemperaretur, graviter sanxerunt. Benedictus vero XIV, edita Constitutione *Omnium sollicitudinum* (1), amotis dubitationum caussis additisque opportunis declarationibus, controversiam dimidio fere saeculo acriter agitatam sustulit.

Aliquanto serius, cum de Indiarum bono romani Pontifices plura cogitarent, tranquillitas Ecclesiae per Europam turbulentis est afflicta temporibus: quae tempora vel apud Indos christianae fidei incrementum prohibuere. Praeterea in provinciis peninsulae australibus plaga gravis accessit, auctore tyranno

(1) Prid. Id. Septemb. 1744.

Tipou Sahib, qui catholicum nomen multimodis vexavit. — Quamvis vero post id tempus apostolici viri pro nomine christiano multum et utiliter elaboraverint, tamen Gregorius XVI. rem omnem animo et cogitatione complexus, intellexit et declaravit, *regiones illas necessario requirere ut Apostolica Sedes, mutatis temporum adiunctis, religioni in iis periclitanti succurreret, et ecclesiastici regiminis formam ea ratione moderaretur, quae obtinendae fidei incolumitati par esset* (1). Statimque ad rem aggressus, non pauca constituit christianis ex India hominibus salutaria, amplificandaeque per eos tractus religioni valde opportuna.

Verumtamen Apostolicae Sedis curas, utique communis salutis gratia susceptas, multis longe secus interpretantibus, cum funestum illud dissidium deflagravisset quod in maiora mala erupturum videbatur, Pius IX. cum Petro rege Fidelissimo semel atque iterum egit, ut quaedam communi consilio decernerentur, quae tot incommodorum remedium afferrent. Itaque conventio est inita anno MDCCCLVII: cuius tamen conditiones quominus perficerentur, variae difficultates impedimento fuere.

Ubi vero Nos, summa DEI benignitate, Ecclesiae gubernacula suscepimus, de gravissimo hoc negotio diligentissime cogitantes, auctores fuimus regni Lusitani administris ut ea de re Nobiscum agere, novasque conditiones, quales tempora suasissent, scribere ne recusarent. Quod iis cum placuisset, mentem Nostram consignavimus litteris ad dilectum Filium Nostrum regem Ludovicum missis hoc anno, die VI. Januarii, explorataque eius aequitate cum concordiae studio coniuncta, conventionem rite pepigimus, per quam licuit plura utiliter communi sententia statuere, quae litteris, uti mos est, mandata sunt. (2) In primis vero ius patronatus regum Lusitaniae aequo modo definitum est: Archiepiscopatus Goanus dignitate Patriarchali ad honorem auctus, eiusdemque cum Dioeceses Suffraganeae designatae, tum iura cetera constituta. Praeterea convenit, ut gubernatores Lusitaniae singulis Dioecesibus supra dictis censum in tuitionem Canonicorum, Cleri, Seminariorum publice assignent: iidem operam suam cum Episcopis conferant ad

(1) Litt. Ap. *Multa praeclare*, die 24 Aprilis 1838.
(2) Concord. an. 1886.

scholas pueris, domos altrices pupillis comparandas, aliaque pie instituenda, quae vel christianorum saluti prodesse, vel tollere ethnicorum superstitionem posse videantur. — His de caussis cum animorum concordiam in christianis ex India populis tranquillam ac firmam fore non iniuria confidamus, idcirco maturitatem venisse censemus rei catholicae in universa cis Gangem peninsula constituendae, ut illae gentes ad montem domus Domini praeparatum accedentes, stabilis beneque ordinati regiminis beneficia sentiant.

Septentrionalis Indiarum tractus tres excipit Vicariatus, quod antiqua missio Indostana a Gregorio XVI. in duas partes an. MDCCCXLV. divisa (1), et a Nobis his postremis annis tripartita (2), Agrae, Patnae et Punjabii veluti ecclesiasticas regiones separatas modo complectitur. Prior veteri territorio constat, exceptis partibus alteri assignatis: altera constat regionibus, quae appellantur Népal, Behar, parva provincia Sikkim, vetus regnum Ayadhya, Bundelkand; aliisque principatus finitimis. Tertia vero Punjabensi regione continetur, cui regnum Cashmire deinde additum est.

His subiacet ad Indum Missio Bombayensis, quam Pius IX. an. MDCCCLIV. bifariam dispertiens, regionem australem, seu Poenensem, a boreali seiunxit. Haec vero, praeter insulas Bombay et Salsette, habet provincias et regna Broack, Ahmedabad, Baroda, Guzerate, Marwar, Catch, Sindhi, Beluchistan usque ad Cabul et Punjab: australis autem regna et provincias Konkán, Kandeish et Dekkan usque ad terminos regnorum Nizam, Maissour et Canara Septentrionalis, exceptis ex utraque territoriis et provinciis Archidioecesi Goanensi nec non Archidioecesi Damanensi seu Cranganoris nuper assignatis. Subsequuntur per oram Kanarensem et Malabaricam praeter Archidioecesim Goanam Vicariatus tres inter montes Ghates et mare occiduum siti, nempe Mangalorensis, anno MDCCCLIII. a Verapolitano seu Malabarico separatus (3), per provinciam Kanarae ad flumen Ponany; Verapolitanus ab eo flumine ad terminos Dioecesis Cochinensis nuper a Nobis restitutae, et Quilonensis ab eiusdem Dioecesis finibus ad meridiem sitis ad promontorium Comorinum usque pertingens, exceptis paroeciis Dioecesi Cochinensi assignatis.

Ad plagam peninsulae orientalem decem pertinent Missiones. In sinu Bengalico tres ad ostia fluminis Ganges: nimirum Vicariatus occidentalis in Calcuttae urbe constitutus, et orientalis, ambo anno MDCCCL. ab unico Bengalensi derivati (1). Qui autem ad iurisdictionem Episcopi Meliaporensis pertinere dicti sunt, ex numero subditorum utriusque Vicariatus excipiendi. His accedit in centro provinciae civilis Bengalensis Praefectura Apostolica anno MDCCCLV. erecta. Finitima est Vicariatui occidentali Bengalico missio vastissima de Vizagapatam nuncupata, quae universum territorium inter fines Vicariatus Bombayensis et mare Bengalicum usque ad flumen Godavery ad austrum comprehendit, et anno MDCCCL. a Madraspatana divisa est (2). Hyderabadensi proxima missio per regnum Nizam et provinciam Masulipatam ad flumen Krichna protenditur, quam a Gregorio XVI. designatam, Pius IX. anno MDCCCLI (3). ad dignitatem Vicariatus evexit.

In ora Coromandelica praecipua extat Madraspatana civitas quae ab anno MDCCCXXXIV. Vicarium Apostolicum obtinuit, cuius iurisdictio a flumine Krichna ad Palar inter fines missionis Bombayensis et mare extenditur, eo praerepto tractu qui nuper a Nobis Meliaporensi dioecesi assignatus est. Ad australes vero eius fines antiquus Vicariatus orae Coromandelicae in tres quoque missiones anno MDCCCL. divisus fuit (4), nempe Pondichesianam inter flumen Palar ad Septentrionem et flumen Cavery ad meridiem: Mayssourensem ad regionem occiduam, huius nominis regnum et provincias Coorg. Collegal, et partem Winaad et Salem complectens: demum Coimbatourensem quae inter Missiones Verapolitanam, Mangalorensem et Madurae ad orientem montium Ghates continetur. Extrema iacet ad au-

(1) Litt. Apost. *Pastoralis officii,* die 7. Feb. 1845.
(2) Litt. Apost. *Intendentes,* 21 Sept. 1880.
(3) Litt. Apost. *Ex debito,* 15 Mart. 1853.

(1) Litt. Ap. *Exponendum Nobis,* 15 Feb. 1850.
(2) Litt. Ap. *Ex pastoralis officio muneris,* 3 Aprilis 1850.
(3) Litt. Ap. *Ad universalis Ecclesiae,* 20 Maii 1851.
(4) Litt. Ap. *Pastorale ministerium,* 3 April. 1850.

strum peninsulae magna Madurensis Missio quae mari Coromandelico, montibus Ghates et fluminibus Cavery et Vettar, clauditur iis sublatis regionibus et locis quae Episcopo Meliaporensi tribuimus: eamque anno MDCCCXLVI. paucis ante obitum diebus Gregorius XVI. in Vicariatum constituit (1).

Ceylanensis vero insula in triplicem Vicariatum distinguitur, Columbensem, Jaffnensem, et Kandyensem: quorum priores ex unico antea extante, assignatis alteri provinciis occidentali et meridionali, alteri vero reliquis insulae territoriis, anno MDCCCXLIX. (2) a Pio IX. erecti sunt: tertius a Nobis, anno MDCCCLXXXIII (3), separato ex primis in centro insulae territorio constitutus est.

Cum igitur in universis Indiae missionibus, quas commemoravimus, Evangelicorum nuntiorum studio et laboribus, eo iam res christiana provecta sit, ut non modo Salvatoris Nostri nomen summa cum libertate invocetur, sed Ecclesiae plures numerentur, eaedemque multis sapienter et utiliter institutis floreant. Nos quidem primum omnium DEO optimo maximo pro parta catholico nomini prosperitate singulares gratias et agimus et habemus. Deinde vero quod Decessoribus Nostris diu in optatis fuit ut ecclesiastica hierarchia in India atque in insula Ceylanensi constitueretur, id Nos ad efficiendum aggredimur. Quo facto consequutura bona, DEO iuvante, confidimus non pauca nec exigua, nominatim concordiae caritatisque incrementum, similitudinem et firmitatem disciplinae, populorum cum Episcopis maximeque cum romano Pontifice stabiliorem coniunctionem, expeditiorem catholici nominis propagationem una cum ampliore virtutum christianarum cultu.

Itaque rogata, ut negotii gravitas postulabat, Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacro consilio christiano nomini propagando praepositorum sententia, fusis in humilitate cordis Nostri ad omnipotentem DEUM precibus, implorataque ope Immaculatae DEI Matris, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, sanctorum Thomae Apostoli ac Francisci Xaverii, qui eas gentes sicut olim ad Evangelii lucem traduxere, ita nunc patrocinio caelesti tuentur ac tegunt; motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, de Apostolicae potestatis plenitudine, ad maiorem divini nominis gloriam fideique catholicae incrementum, harum Litterarum auctoritate, in universis Indiae orientalis Missionibus Episcopalem hierarchiam ad canonicarum legum praescripta instituimus.

Porro Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, qui primum Archidioecesim Goanam eique suffraganeas sedes Cochinensem, Meliaporensem et Cranganorensem erexerunt, easdem iuxta eam rationem quae in recenti conventione cum illustri Portugalliae et Algarbiorum rege Fidelissimo inita significatur, confirmamus et in unam ecclesiasticam provinciam iterum coalescere volumus.

Praeterea omnes totius peninsulae atque insulae Ceylan Vicariatus Apostolicos, uti a Nobis supra descripti sunt, nec non Praefecturam in centro Bengalicae provinciae sitam, in Episcopales Ecclesias, auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium erigimus et constituimus. Ex novarum vero Dioecesium numero quae sequuntur, nempe Ecclesiam Agraensem, Bombayensem, Verapolitanam, Calcuttensem, Madraspatanam, Pondicherianam et Columbensem ad Archiepiscopalis dignitatis honorem evehimus. Quod autem pertinet ad provinciales seu suffraganeas ecclesias designandas, integrum Nobis erit quod magis expedire videatur statuere.

Archiepiscopi vero et Episcopi de suarum singuli Ecclesiarum statu, iustis temporibus, ad Nostram Congregationem de propaganda Fide referant: quae peculiarem de iis regionibus curam, uti hactenus gessit, ita in posterum geret, cognoscetque de iis omnibus quae sacrorum Antistites muneris sui caussa proposuerint.

Archiepiscopus vero Goanensis eiusque Suffraganei Episcopi de statu ecclesiarum ad sacram Congregationem negotiis Ecclesiae extraordinariis pertractandis referant. Iidem summa cura studeant res pie atque utiliter, iuxta memoratam conventionem instituere, fidemque catholicam in finibus iurisdictionis quisque suae omni ratione tueri et amplificare.

(1) Litt. Ap. *Exponendum Nobis*, 19 Maii 1846.
(2) Litt. Ap. *Exponendum Nobis*, 13. April. 1849.
(3) Litt. Ap. *Quo satius*, 20 April. 1883.

Universis vero Indiae Episcopis integrum erit sensim ea decernere, quae ad inducendum commune ius, prout tempora siverint, conferre queant, quaeque ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum auctoritati permissa sunt. Nostrae autem et huius Apostolicae Sedis partes erunt, Episcopis in perfunctione munerum suorum operâ, auctoritate, consilio adesse, et quaecumque ad animorum salutem utilia et opportuna videantur omni qua fieri poterit ratione adiuvare.

Reliquum est ut Clerus populusque universus, id quod vehementer hortamur, retineant voluntatum concordiam, inviolate servent caritatem, Episcopis atque in primis huic Apostolicae Sedi libentes atque alacres in omni vita pareant, virtutibusque christianis ita se ornatos atque auctos impertiant, ut qui adhuc a veritate misere deerrant, eos ipsi vel exemplo suo vocent ad admirabile CHRISTI lumen et regnum.

Decernimus tandem has Nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas ac firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere ac inviolabiliter observari debere, non obstantibus Apostolicis atque in Synodalibus, Provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, ceterisque contrariis quibuscumque, peculiari etiam mentione dignis: quibus omnibus, quatenus supra dictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi ipso hoc diplomate ostenso haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, constitutionis, institutionis, restitutionis, dismembrationis, suppressionis, adsignationis, adiectionis, attributionis, decreti, mandati ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem haec attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis DEI et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo sexto, Calendis Septembribus, Pontificatus Nostri Nono.

C. CARD. SACCONI *Pro Datarius*
M. CARD. LEDOCHOWSKI.

VISA
DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. CVGNONIVS

—

S. ROM. ET UNIVERSALIS INQUISIT.

DECRETUM
de lege civili divortii

A nonnullis Galliarum Episcopis sequentia dubia S. R. et Univ. Inquisitioni proposita sunt: « In epistola S. R. et U. Inquis. 25 Junii 1885 ad omnes in Gallica ditione Ordinarios circa civilis divortii legem ita decernitur: Attentis gravissimis rerum, temporum ac locorum adiunctis, tolerari posse ut qui magistratus obtinet et advocati causas matrimoniales in Gallia agunt quin officio cedere teneantur », conditiones adiecit, quarum secunda haec est: « Dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem coniugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis iudicare coguntur, ut nunquam proferant sententiam neque ad proferendam defendant vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico iure repugnantem ».

Quaeritur:

I. An recta sit interpretatio per Gallias diffusa ac etiam typis data, iuxta quam satisfacit conditioni praecitatae iudex qui, licet matrimonium aliquod validum sit coram Ecclesia, ab illo matrimonio vero et constanti omnino abstrahit, et applicens legem civilem pronunciat locum esse divortio, modo solos effectus civiles solumque contractum civilem abrumpere mente intendat, eaque sola respiciant termini prolatae sententiae? Aliis terminis, an sententia sic lata dici possit divino aut ecclesiastico iuri non repugnans?

II. Postquam iudex pronuntiavit locum esse divortio, an possit Syndicus (gallice, *le maire*) et ipse solos effectus civiles solumque civilem contractum intendens, ut supra exponitur, divortium pronuntiare, quamvis matrimonium validum sit coram Ecclesia?

III. Pronuntiato divortio, an possit idem syndicus coniugem ad alias nuptias transire attentantem civiliter cum alio iungere, quamvis prius validum sit coram Ecclesia vivatque altera pars?

Feria V, loco IV, die 27 Maji 1886.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Eminentissimis ac Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus propositis suprascriptis dubiis, ac praehabito voto DD. Consultorum, iidem Eminentissimi DD. rescribi mandarunt: Ad primum, secundum et tertium dubium: *Negative*.

Eadem feria ac die facta de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum Patrum approbavit et confirmavit.

Jos. Mancini
S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.

—

EX S. CONGREGATIONIS S. ROM. ET UNIV. INQUISIT.

—

DECRETUM
quoad absolutionem casuum et censurarum Papae reservatorum.

Quaesitum est ab hac S. Congr. Romanae et Universalis Inquisitionis:

I. Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens ad Episcopum aut ad quemlibet Sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum, etiam speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi Sanctam Sedem?

II. Quatenus negative, utrum recurrendum sit, saltem per litteras ad Eminentissimum Cardinalem maiorem poenitentiarium pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale Indultum, praeterquam in articulo mortis, ad obtinendum absolvendi facultatem.

Feria IV, die 23 Junii 1886.

Emi ac Rmi Patres Cardinales, in rebus fidei generales inquisitores, suprascriptis dubiis mature perpensis, respondendum esse censuerunt:

Ad I. Attenta praxi S. Poenitentiariae, praesertim ab edita Constitutione Apostolica sac. mem. Pii PP. IX quae incipit: « Apostolicae Sedis, » negative.

Ad II. Affirmative; at in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo Confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, iniunctis de iure iniungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium Confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem. Facto verbo cum Sanctissimo.

Feria IV die 30 Junii 1886.

Sanctissimus resolutionem Emorum Patrum approbavit et confirmavit.

Josephus Mancini
S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.

—

EX S. C. INDULGENTIARUM
Quoad parvum Scapulare a Tertiariis gerendum.

Episcopus Ruthenensis Sacrae Congregationi Indulgentiarum et SS. Reliquiarum exponit, iuxta § III Capitis I legis Sodalium Franciscalium Tertii Ordinis edici, « adlecti « in Sodalitatem, *Scapulare parvum*, unaque « cingulum de more gerant, ni gesserint statis « privilegiis iuribusque careant. »

Jam vero dubium exoritur, quid veniat nomine *Scapularis parvi*. Alii enim exigunt Scapulare a Julio II determinatum satis amplum, ut cingulo hinc et hinc ligetur constansque duabus partibus ope corrigiarum item lanearum coniunctis: e contra alii contendunt sufficere scapulare eiusdem formae et magnitudinis ac sunt cetera scapularia piarum Confraternitatum quae passim induunt Christifideles.

Quare Episcopus Ruthenensis Sacrae idem Congregationi Indulgentiarum et SS. Reliquiarum sequens dubium dirimendum proponit:

« An pro Tertiariis Franciscalibus, ut statis privilegiis et iuribus ipsi gaudeant, sufficiat induere Scapulare eiusdem formae et amplitudinis ac sunt cetera Scapularia piarum Confraternitatum? »

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita supra scripto dubio respondit: *Sufficere.* (1)

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 30 Aprilis 1885.

J. B. Card. Franzelin, *Praefectus.*
Fanciscus Della Volpe, Secret.

Concordat cum originali
Noguery v. g.

Ruthenis, 9 Augusti 1886.

—

NOVORUM EPISCOPORUM
EX ORDINE ELECTIO

—

Per Breve diei 24 Augusti vertentis anni, Sanctitas Sua R. P. Pium Vidi a Verona, Ordinis nostri de Observantia Missionarium ac Vicarium Generalem in Vicariatu apostolico Chen-sy, renuntiavit episcopum titularem Cestrinensem, et per alias apostolicas litteras eadem die datas ipsum Rmo D. Amato Pagnucci, Vicario Apostolico Chen-sy adiuctorem cum iure successionis assignavit.

—

Adm. R. P. Simeon Milinovic', Observantis Provinciae SS. Redemptoris in Dalmatia Lector Jubilatus, natus die 24 Februarii anni 1835, inito inter Sanctam Sedem et Montisnigri Principatum Concordato, Archiepiscopus Antibarensis fuit renuntiatus per apostolicas litteras diei 8 Octobris p. e. datas. Sedes vero Antibarensis a Sede Scodrensi per aliud Breve eadem die emanatum, fuit disjuncta. Rmus P. Milinovic' die 7 Novembris Romae in ecclesia Collegii de Propaganda Fide episcopali consecratione insignitus fuit ab Emo Protectore Ordinis nostri.

(1) Facile ex hoc responso quisque iudicabit nullomodo improbari laudabilem consuetudinem in variis Provinciis vigentem deferendi scapulare a Julio II determinatum, vel etiam parvam tunicam sub vestibus propriis absconditam, sicuti nonnulli saeculares Tertiarii ex devotione deferre solent.

II.
ACTA ORDINIS

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1886 celebrata.

—

XII.
Collegium Rivi Quarti in Rep. Argentina

In Capitulo Guardianali habito die 23 Junii sub praesidentia A. R. P. Salvatoris Mazza Commissarii Generalis, in Apostolico Collegio S. Francisci Solani civitatis *Rivi Quarti* in Rep. Argentina, rite et canonice electi fuerunt:

Guardianus Collegii

R. P. *Quiricus Porreca.*

Praefectus Missionum

R. P. *Ludovicus Quaranta.*

Discreti Collegii

R. P. *Marcus Donati.*
» » *Placidus Sargenti.*
» » *Constantinus Longo.*
» » *Antoninus Cordarelli.*

—

XIII.
Collegium Sucre in Bolivia

In Capitulo Guardianali Apostolici Collegii Missionum Sanctae Annae Civitatis *Sucre* in Bolivia, habito die 13 Julii a. c., praesidente Adm. Revdo P. Alexandro Maria Corrado Commissario Generali, electi fuerunt:

Cuardianus

Revdus P. Aloysius M.a Pascual.

Discreti

» » *Salvius Costa.*
» » *Melchior Ascuñaga.*
» » *Marianus Echevarria.*
» » *Augustinus Muniosguren.*

—

XIV.
Collegium S. Antonii Potosii in Bolivia.

In Capitulo Guardianali Apostolici Collegii S. Antonii Civitatis *Potosí* in Bolivia celebrato die 19 Augusti a. c., praesidente praefato Adm. Revdo P. Commissario Generali, electi sunt:

GUARDIANUS

Revdus P. Theodorus Massa.

PRAEFECTUS MISSIONUM

» » *Ferdinandus Cosci,*

DISCRETI

» » *Vincentius Piccini.*
» » *Joannes Carbini.*
» » *Angelicus Mortarelli.*
» » *Thomas Turchetti.*

—

XV.

Obs. Provincia Principatus

Die 6.ª Augusti curr. anni in Conventu S. M. Angelorum Nuceriae, rite celebratum est Capitulum, praesidente in eo Adm. R. P. PETRO BAPTISTA A ROCCAMANDOLPHI, ex-Ministro Prov. Sti. Ferdinandi. Electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Franciscus M.a a Padula.

CUSTOS PROVINCIALIS

R. P. Aloysius a Resina.

DEFINITORES

R. P. Carolus a Neapoli.
» » *Michael Angelus a Monteforti.*
» » *Josephus a Monte-aureo.*
» » *Josephus a Graniano.*

—

XVI.

Obs. Provincia S. Angeli.

Rmus Pater Minister Generalis die 16 augusti curr. anni propositos a Patribus Definitorii Generalis in Congressu diei 11 eiusdem mensis Superiores sequentes nominavit:

MINISTRUM PROVINCIALEM

A. R. P. Alphonsum a Casalinovo.

CUSTODEM PROVINCIAE

A. R. P. Romualdum a Casalinovo, ex-Ministrum immediatum.

DEFINITORES PROVINCIAE

A. R. P. Laurentium a Vulturino, L. J.
R. P. Josephum Andream a Vulturino.
» » *Vincentium a S. Marco in Lamis.*
» » *Antonium a S. Marco in Lamis.*

Visitator dictae Provinciae fuit A. R. P. FRANCISCUS M.A PADULA Minister Obs. Prov. Principatus.

—

XVII.

Recoll. Provincia Germaniae Inferioris

In Provinciali Capitulo habito in Conventu Venradiensi sub praesidentia A. R. P. VICTORINI CARTUYVELS Comm. Visitatoris, die 11 Septembris rite electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Antonius Kusters.

CUSTOS CUSTODUM

R. P. Leonardus Derks.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Jacobus Joannes Burgmeijer.
» » *Antonius Nieuwenhuizen.*
» » *Anselmus Ebben.*
» » *Gijsbertus Maas.*

—

XVIII.

Custodia Terrae Sanctae

Expleto sexennio regiminis Adm. Revdi Patris Fr. GUIDI A CORTONA, Custodis Terrae Sanctae, et peracta Visitatione canonica Sacrae Custodiae ab Adm. R. P. EUSEBIO FERMENDZIN, Definitore Generali, in Congressu Patrum Definitorum Generalium Ordinis praesentium in Curia habito Romae apud Sanctos Quadraginta Martyres die 20 Septembris anni currentis, proponente Revmo Patre Ministro Generali, electus fuit in novum Custodem Terrae Sanctae Revdus Pater Fr. AURELIUS MARIA A BUJA, Sacerdos professus Observantis Provinciae Sancti Antonii Venetiarum, Missionnarius Apostolicus, Pro-Poenitentiarius, actu Secretarius Sacrae Custodiae Hierosolymitanae. De huiusmodi electione statim facta fuit relatio ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, quae suis Litteris datis die 18 elapsi mensis Octobris praedictam electionem ratam habuit et confirmavit.

Adm. R. Pater Custos Terrae Sanctae in suo regimine coadiuvatur a Ven. Discretorio. — Discretorium vero componitur a Patre Custode, ut Praeside, a P. Vicario Custodiali, a P. Procuratore Terrae Sanctae et quatuor Discretis, quorum omnium actu existentium nomina sunt sequentia:

Vicarius Custodialis

Adm. Rev. P. Fridericus a Ghyvelde, Observantis Provinciae S. Ludovici in Gallia, Miss. Apostolicus.

Procurator Terrae Sanctae

Adm. R. P. Emmanuel Pascual, Observantis Collegii S. Jacobi in Hispania, Visitator, Pro-Poenitentiarius pro Hispanis.

Discreti

R. P. Philippus a Monte-Tabellio, Obs. Provinciae Picenae, Visit.

R. P. Paulinus Pek a Litomislio, Obs. Prov. S. Joannis a Capistrano, Visit.

R. P. Marcellus a Neuillaco, Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia, Miss. Apost.

R. P. Michael Cabanes, Obs. Collegii S. Jacobi in Hispania, Missionarius Apostolicus.

—

XIX.

Obs. Provincia Cantabriae

Die 25 Septembris, sub presidentia Rmi P. Vice-Commissarii Generalis Apostolici Fr. Francisci Saenz, celebratum fuit Capitulum Provinciae Observantis de Cantabria, in Hispania, in quo fuerunt electi:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Mathias de Danoveitia.

Custos

Adm. R. P. Josephus Ignatius de Labaca.

Definitores

R. P. Martinus Ochoa de Cribe.
» » *Josephus Leander Pildain.*
» » *Joannes Aloysius de Arrue.*
» » *Daniel Baertel.*

N. B. — Hoc est primum Capitulum quod in Provinciis Ordinis nostri Peninsulae Hibericae, post Ordinum suppressionem celebratur.

—

XX.

Obs. Provincia S. Thomae Taurini

Die 30 Septembris volventis anni in Conventu S. Antonii Patavini civitatis Taurinensis, sub praesidentia Rmi P. Ministri Generalis, celebratum est Capitulum Provinciale, in quo electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Petronius Ugone.

Custos Provinciae

A. R. P. Lucas Turbiglio, Minister immediatus.

Definitores

A. R. P. Honoratus Corrado, ex Provincialis.
» » » *Aemilius Bollino,* L. J.
» » » *Horatius Torino,* ex Provinc. agg.
» » *Candidus Mondo.*

—

XXI.

Ref. Provincia Veneta

Die 20 Octobris celebratum fuit Capitulum in Conventu S. Michaelis Archangeli Venetiarum, Preside Rmo P. Ministro Generali, in quo rite et canonice electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Thomas a Vallibus Dominorum.

Custos Vocalis

R. P. Michael a Verona.

Definitores Provinciae

A. R. P. Hermenegildus a Cugnolis.
R. P. Aloysius M.a a Rubino.
R. P. Joannes Angelus a Vicentia.
R. P. Venantius a S. Thoma.

—

NOVI COMMISSARII TERRAE SANCTAE IN AMERICA

Revdus Pater Fr. Eliseus Molina, Sacerdos professus Observantis Provinciae Sanctissimae Virginis Assumptae Fluvii Platensis, alumnus Apostolici Collegii Sanctae Mariae Angelorum Civitatis *Tarija*, electus fuit in Commissarium Terrae Sanctae pro Republica Boliviana.

—

Revdus P. Fulgentius Mauro, Sacerdos professus Ref. Provinciae Romanae, alumnus Apostolici Collegii Sancti Ildephonsi civitatis Chillan, electus fuit in Commissarium Coadiutorem Terrae Sanctae pro Republica Chilena, cum iure succedendi actuali Commissario, P. Vincentio Oliveri.

III.
MISSIONES

—

RELATIO MISSIONIS MANAOS
POVINCIAE AMAZONUM IN BRASILIA

ex relatione R. P. Jesualdi Machetti M. O., eiusdem praefecti Rmo P. Generali Ministro totius Ordinis Minorum exhibita die 30 decembris 1885.

Continuatio et finis (1)

Parum Fratri nostro (Illuminato Coppi) erat mores et fidem Indorum rescire, quin etiam cultus religiosi coeremonias item pernosceret. Nec illi satis fuit eas solum relatu percipere, sed suis prorsus oculis, ingenti quidem ausu, conspicere maluit. Experto igitur perito credimus: ac primo quidem quae de religionis ministris, deinde ea quae de coeremoniis cultui adhibitis refert ille paucis complectimur.

Ministri cultus qui Pagés, ut vidimus, eorum lingua vocantur, in duplicem ordinem dividuntur. Ad primum maiores, ad secundum minores accensentur. Maiorum est infirmitates curare, qui sese etiam nimium esse potentes iactitant, ac *Giuruparì* assidua frui consuetudine venditare non sinunt. Minorum vero officium est baptisma conferre, matrimoniisque tantum praeesse. Ad hoc ministerium plurimis coeremoniis initiantur: Officium haereditario iure capessunt: maior enim natu patri semper succedit.

R. P. Illuminatus una cum R. P. Matthaeo Canioni iter faciens ad alti *Vaupès* littora ministros infirmitatum curatores in Arara-Çachoeira actu nequissimae functionis deprehendit. Nudi prorsus erant, corpus totum coloribus infectum habebant, caput vero plumatilibus ornatum coronis. Laeva manu gestabant nicosianae foliae elaboratum involucrum, os quoddam, versicolorium lapidem et palmam *(pachuba)*: dextera vero instrumentum quod dicunt *tamaraia* (2), eoque strepitum edebant, perattente ac pie gravi et lugubri voce orantes doemonem invocabant. Vel ipsi infirmi colore illiniti videbantur, itemque manibus tenebant os et fragmentum aliquod (forsan petrae) coloratum.

Quaedam etiam coeremonia apud hos indos adhibetur, qua filios suos avitae religioni adscribunt, quamque missionarii nostri baptismi nomine designant.

Quum enim puer ad quintum vel sextum aetatis annum attingit, eius pater ministrum *(Pagé* minorem*)* advertit se eum velle lustrali ritu religioni dicari: qui statis loco, die et hora coeremoniam sequenti perficit modo. Adest depicto corpore splendidioribusque decoratus ornamentis. Plumatili namque serto *(angara-sara-suzu)* sua tempora cingit, simiae villis *(guariva)* toruli intorti ab scapulis desiliunt et ex eorum quorumdam oris animantum ossa *(calepima)* pendula conspiciuntur; brachium sinistrum parva armilla *(baiasamo)* praecinctum et ventrem zonula quadam *(tuturi)* ornatum defert, cui adhaerent quidam cortices fructuum *(guaisapaca)* qui crotali *(rcpacono-anan)* funguntur officio (1).

Quum igitur omnia in promptu habentur malorum spiritum invocationem incipit; qua perfecta, puero nuncupando unum ex illis vitae protectorem adsignat, cuius nomine porro et vocari et dignosci parvulus ille cogitur. Quod si infans iuxta catholicorum ritum baptisma suscepit vel postea suscipiat, nomen a *pagé* impositum tamquam agnomen illi erit. Hisce expletis minister exufflat detriti piperis pulvisculum, eiusque in os nonnullas aquae ex mellita arundine expressa guttulas infundit dicens: « *Izi* nostrum hic piper et aqua ista liberent te ab omni malo, teque in religione patrum suorum ita confirment, ut in ea fidelis ad mortem usque permaneas. » Hic, si puella lustretur, illi prohibet numinis *Izi* adspectum eiusque imaginis, seu larvae, et *pachubas* seu palmarum sub mortis interminatione. Quae poena, subiungit, in primam mulierum lata fuit ob admissum adulterium atque ab ea in omnes eiusdem sexus descendentes proinde sancita.

(1) Vide fascicul. IX huiusce anni.

(2) Haec instrumenta descripta habentur in ephemeride praecitata (ibid.)

(1) Haec ornamenta apprime descripta inveniuntur in ephemeride « Bollettino della Società geografica italiana » mensis novembr. 1884. Res ipsae vero ab eodem P. Coppi oblatae fuere Musaeo-praehistorico et ethnographico seu Kircheriano apud Collegium Romanum, ubi videri facile possunt.

Absoluta coeremonia saturnalia percolentes zytho *(Cachiri)* inebriantur.

Nunc de ritu matrimoniali. Juvenes omnes qui connubiale foedus inire cupiunt, ut Indi ferunt, primo debent a *pagè* fuste saeviter dolari. Matrimonii promissio a sponsorum genitoribus pollicetur, et nuptiae festivitatis *Tabacurì* tempore celebrantur. Minister intervenit suis, quae supra diximus instructus ornamentis. Iisdem et sponsus praeest decoratus sed parva cum corona *(angara-tara-mirì)*; mulier vero panticibus abdomine compto, monilibus collo, armillis argenteisque nummis brachiis, periscelidibus crucibus, reliquis vero vitae partibus varie depictis taeniolis, vittis, plumis adest exornata. Tum coeremoniam doemonicis praemissis invocationibus, ut coassolet, minister peragit et sponsis distillatam ex mellita arundine aquam ac piperis pulverem, prouti supra notavimus offert. Praeterea ad fidem plene servandam mulierem adhortatur, indicitque matrimonium, suscepta prole, prorsus esse indissolubile, sin vero dissolvi valet. Post haec sponsos suo nomine vocat ab eisque requirit, num velint revera sociale hoc foedus inire? Habito utriusque consensu, apprehendit mulierem suoque marito tradit inquiens: « haec mulier est, quam mihi exhibuisti, ut iugali sibi vinculo sociares, duc ergo eam, tua quippe est ».

Sed de solemnitatibus Tabucurì, quarum tempore matrimonia contrahuntur, aliquid attingamus. Ex his enim, licet nequissima festa sint, verum magis ac magis adparet quod cordati viri semper fassi sunt cum Varrone, nullam nimirum fuisse gentem utut barbaram et incultam quae nedum supremi Numinis ideam non nutriat, sed et religionis, qua ipsi devincimur, mysteria non colat, ritibus sacris divinisque coeremoniis non utatur quidquid hodierni effuntiant rationalistae.

Indi omnes huiusce regionis (Fluminis *Vaupès)* in *Izi* honorem festa recolunt, quae *Tabucurì* vocant. Solemnitates aperiuntur mense februario, cum nimirum fructus *pupunhas* colligunt, quibus et aliae bene multae toto anni decursu succedunt (1). Hisce festivitatibus eo Indi tenentur, ut ne missionariis ipsis datum sit adhuc ab eis arcere neophytos.

P. Illuminatus Coppi festivis hisce ritibus adfuit, qui minutiose descripti sunt in ephemeride vulgo « Bollettino della Società geografica italiana » (1). Sed heu vere lupercalia sunt, quinimmo inferna haec festa! Non solum enim nudi omnes conveniunt, sed et ingrata nimium doemoniorum nomina ante *Izi* larvam invocant ac barbarica eorum lingua carmina hisce plena nominibus canunt rursum prorsum ceu Cuperci aut Moenades cursantes. Maligni porro spiritus non desunt, qui sua ipsa praesentia nigris umbris reclusa evocantibus annuant (2).

Haec omnia cum vidisset idem Pater palmas *(pachubas)*, larvam *Izi* et ornatus omnes, quibus utebantur in illis *Tabucurì* sollemniis audacter sibi vindicavit (3); quibus porro uti voluit ad superstitiones, quas circa eiusmodi obiecta Indi animo retinent, convellendas. Verens tamen neu aliquid mali ex sui consilii exequutione contingeret, prius mulieres interrogat quid essent facturae, si ipsis invisam *Giurupari* larvam vidissent. Sed cum aliae confusione affectae, aliae pudore suffusae nihil respondebant, tandem sese abripere fugam aliae perfracte adseverarunt. Ut vero maturius securiusque hac in re ille procederet, verita illa a foeminis obiecta puellis, quae missionis scholam celebrabant, pro prima vice conmonstrare, non inani prorsus consilio, sibi proposuit. Et revera die 21 Octobris 1883, schola peracta, utriusque sexus pueros ad atrium domus missionis conduxit; ubi dato signo adparuit iuvenis quidam illa numinis larva personatus. Pueri, qui larvam agnoscebant, manibus quam laete plaudentes conclamant. « ecce *Izi*, venit *Izi* » puellae autem huius deprehensae contuitu fugam pertentarunt: ast cum aditus omnes fuissent occlusi, quaeque alterius corpore sese obtegere quaeritabat: clanculum tamen ne una quidem ab veritae imaginis intuitione continuit. Tum eas Missionarius opportune de inani illa superstitione

(1) Praeter festivitates *Tabucuri* aliae 17 celebrantur, quae proprio gaudent nomine ut *nasi*, *ucuqui*, *mirìti*, *pataguà* etc. (Vid. ib.)

(1) Novembr. 1884. pag. 888-89.

(2) In recitata ephemeride habes seriem doemoniorum prout lingua *piratapuia* vocantur, qui adparuerunt in quodam *Vabucuri Inquirarapecumae* 1880.

(3) Vulgo *Capi-tribù*.

exprobravit; quae porro videntes haud sibi mortem, ut verebantur, nullumque malum illo ex adspectu obtigisse, *Giurupari* larvam, nedum interritae deinde conspexerunt, sed his usque manibus contrectarunt. Cum vero ad puerorum voces, curiosi quidam, quos inter foeminae nonnullae, adcurrissent, P. Coppi voluit ut *Izi* omnibus palam extra domus ambitum monstraretur; quod cum factum esset, superveniens quidam *pagé*, ut sese retraherent, mulieres compulit.

Quo de successu gaudens idem Pater sibi persuasit idipsum cum foeminis evenire posse. Insequenti igitur die alta eodem in atrio consita sude, ad cuius summitatem larvam appendit, et modo unam, modo alteram mulierum invitabat, ut sui numinis imaginem tandem inspicerent. Hac tamen *Pagès* et maritos timentes sua ad tuguria diffugiebant. Tum praecepit eis, ut e casis exirent atque aperta in platea suis incumbere operis adstrinxit. Sed quid tum postea? Orationis hora quinquaginta tantummodo homines venerunt nuntiantes, mulieres *Izi* honore pavidas fugiisse! Missionarius eos rogavit, ut uxores suas ad templum inducerent; qui non solum id recusarunt, sed et larvam expositam diripere furtim intentabant. Quod ut averteret Missionarius et Ecclesiae et domus suae postes pessulis occlusit: ac illos dimittens minitatus est exinde se illico discessurum, nisi sequenti die ad missam et sacram functionem uxores inducerent: quod promiserunt, dummodo illis *Izi* retegere noluisset.

Et hoc secundo experimento animosus Pater Coppi mens ei fecit solemniter exponere ob Indorum adspectum cum omnes fuerint in Ecclesia congregati.

Atque ideo e *Taraquá* accivit P. Matthaeum Canioni, qui contra doemonolatriam concionem habuit dominico die 28 octobris post missam. Concionis tempore populus, qui aderat, quod faciendum erat a Missionariis fortasse suspicans, agitabatur: quae porro agitatis vicibus crescens in tumultationem erupit cum Concionator palam ostendit larvam foeminis inauspicatam. Viri uxores quaerebant, filii perterriti matribus suis haerebant, *Pagès* diris acti fatum minabantur extremum, quorum alii exufflantes ut pravum, quem putabant, adimerent influxum, omni adnisu foeminas ab Ecclesia eiicere conabantur et in Patrem Coppi, templi fores custodientem, impetum faciebant: alii vero ipsum aggressi concionatorem larvam vi retinere decertabant; qui tamen prae manibus tenens crucifixum valide illos oppugnabat, quin speratam praedam concesserit. Nonnisi magna post molimina aggressores evadere atque in missionis domum sese recipere praedicti Patres potuerunt; ubi solum defensionis arma contra inimicorum congressum habebat. Et revera *Pagès* arma sumpserunt, Missionarios tamen aggredi ausi non sunt, solum ritus in cassum explodere, sagittasque iacere, ut eos in metum inducerent satis illis fuit.

Verum enimvero Patres illi caute se subducere secum cogitabant, ut periculum omne declinarent; et licet Indi, paullo post cum sedati animo essent, verentes ne a missionariis linquerentur, cum eis in gratiam redire expetivissent, P. Coppi convenienter existimavit P. Matthaeum ad missionem suam sociare, promittens paucos intra dies se ad eos reversurum. Eodem ergo die de *Panore* ad missionem *Taraquá* venerunt; cum vero die 29 huius pagi incolas ad sacrum convocassent, archiphyles *(tuxauas)* et *Pagès* mulieribus haud Ecclesiam intrare concesserunt. Jam enim quae *Panoré* gesta fuerant in eorum venerat notitiam; ac proinde Missionarii certum promittere illis debuerunt, uxoribus suis *Doé (Giurupari* larvam*)* minime demonstrare, quo ad sacrum audiendum mulieres convenirent.

Haec omnia eo facta sunt, ut neophytorum animos ab omni vana superstitione abstraherent. Nec parvi momenti, ut putamus, sunt existimanda; ex hoc enim dignoscere vel ipsis Indis datum est nonnisi putas esse superstitiones ea quae tradunt *Pagès*, cum nulla ex eorum minitationibus impleta sit, et praesertim illa subeundae mortis a foeminis, quae *Giurupari* mendacis sui numinis, quinimmo veri daemonis, imaginem adpexissent.

Tametsi Indi diabolicis hisce festivitatibus celebrandis, quod factum dictumque est, missionariis sane iuvabit, quo successu temporis ab doemonum cultu contineant populos illos ita ut quidem, solam summi Numinis fidem et mente et corde concipiant, ac revelationem

Domini Nostri Iesu Christi toto animo suscipiant, moribus ac vita fateantur et ad mortem usque retineant.

Faxit Deus, ut haec omnia quam citissime eveniant! Confratres porro nostros, iuvenes praesertim paratam sibi a Deo messem agnoscentes hortamur, ut vocem Domini loquentis et vocantis audiant: « elegi vos ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat (1) » « euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae » (2). Sed et seraphici Patris nostri memori sit conditum corde praeceptum: « su, figli, spargetevi pel mondo e annunziate la pace (3). »

STATUS
Custodiae Terrae Sanctae
anno 1885.

Religiosi Ordinis nostri

Sacerdotes	161
Clerici Professi	25
Clerici Novitii	4
Laici et Tertiarii	197
Summa	387

Conventus	9
Hospitia	34
Ecclesiae	40
Sanctuaria	37
Cappellae	26
Paroeciae et succursales	38
Catholici curae nostrae concrediti.	68, 125
Baptizati infantes	1, 672
Adulti	28
Abjurationes	32
Reconciliationes	63
Matrimonia benedicta	344
Defuncti	1, 167
Scholae pro pueris	33
Magistri religiosi	33
» saeculares	48
Discipuli	2, 285
Scholae pro puellis	11
Magistrae religiosae	22
» saeculares	7
Discipulae	929
Domus pro pauperibus	425
Orphani aluntur	171
Pauperes sustentati in 931 familiis	4, 443
Peregrinantes hospitio recepti	8, 851

Dicto anno S. Custodiae praeter necessarias pro Religiosarum sustentatione factas expensas sequentes alias pecuniae summas expendere debuit:

	FR. C.
Pro divino cultu, restauratione et acquisitione (1) sanctuariorum.	98, 183-77
Honorarium pro Rmo D.Patriarcha	37, 634-00
Honorarium pro Rmo Delegato Apostolico Aegypti	2,988 –
Honorarium Sororibus Tertiariis Aegypti	3, 000 –
Honorarium Fratribus Scholarum Christianarum	1, 000 –
Dona ex coactione Turcis data.	13, 095, 08
Pro laborantibus in Officinis,	50, 047, 48
Pro pauperibus	164, 367-99
Pro scholis	62, 846-74
Pro Peregrinis Terram S. Visitantibus	86, 076 –
Dona data benefactoribus.	10, 078-15
Pro typographia	9, 479-44
Universim	538, 496-65

STATUS
Provinciae S. Gregorii Magni
Patrum Discalceatorum in Insulis Philippinis
anno 1885.

In Archidioecesi Maniliensi, et in dioecesibus Nueva Caceres, Cebù ac Novae Segoviae.

Paroeciae	15
Missiones	1
Religiosi in Philippinis	213
» in Hispania 207 et Romae 1	208
	421

(1) Ioan. xv, 16.
(2) Marc. xvi, 15.
(3) S. Franc. opusc.

(1) Ex ultimis informationibus constat sanctuarium olim erectum in Cana Galilœae, in loco ubi extiterat natalis domus S. Bartholomaei Apostoli, et in Mesquitam a Turcis conversum, denuo redemptum fuisse et fidelium venerationi redditum.

Parochi	134
Missionarii	9
Habitantes	974, 022
Baptizati	47, 325
Matrimonia benedicta	10, 641
Defuncti	30, 877

—

STATUS MISSIONUM

Collegii Apostolici de Potosi in Republica Boliviana ab anno 1883 ad annum 1886.

Nomina Missionum cum anno erectionis:

S. Joannes del Piray, Guacareta	1885
Ingre	1880
Yguembe	1870
S. Paschalis	1875
S. Antonius	1874
Cueva	1880

Missionarii addicti:

R. P. *Vincentius Piccinini,* Praefectus.
» » *Angelus Rignieri.*
» » *Fernandus Cosci.*
» » *Romualdus d'Ambrogi.*
» » *Apollinaris Simoni.*

Numerus animarum	7, 370
» Alumnorum	152
» Puellarum	75
» Baptizatorum	811
» Confirmationum	1, 880
» Matrimoniorum	329
» Defunctorum	695

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

Anonymus. —

Pélerinage des Prêtres Tertiaires Franciscains du Gardiennat de Pau à Notre-Dame de Bétharram, le 19 Août 1886.

Pau, imprimerie A. Tonnet. In 16. — 31 pages.

Agreda (V.blis Maria de Jesu ab.)

Vie du Glorieux Patriarche Saint Joseph, Epoux de Marie, extraite des révélations de la vénérable Marie de Jésus, Abbesse du Couvent de l'Immaculée-Conception d'Agréda, et traduite du texte original espagnol par M. Auguste Carion, prêtre. — 2ᵉ Edition exactement conforme à la première imprimée à Arras avec l'approbation de Monseigneur Parisis, et reproduite en flamand avec l'approbation de Son Eminence Monseigneur l'archevêque de Malines. — Cambrai, librairie de N. D. de Grâces, rue de Noyon, 11. — Paris, Wattelier, libraire, rue de Sèvres, 19. 1869. — Pag. 255.

Anonym. Capucc. (P. Camillus d'Orgon.)

Jésus-Hostie, vérité, voie et vie, ou l'Adoration perpétuelle dignement célébrée. Traité dogmatique et pratique suivi d'exemples. Ouvrage offert à tous, et publié avec l'autorisation des Supérieurs, par un Missionnaire de l'Ordre de Saint-François. - 3ᵉ édition, corrigée et augmentée. — Carcassonne, Imprimerie Jean Parer, rue de la Préfecture 40 — 1879. 1 vol., in-18, Pag. 355 — Prix 1, 25.

Benedetto (P.) Spila da Subiaco, Min. Rif. —

Il Chili nella guerra del Pacifico, per il P. Benedetto Spila da Subiaco, Missionario emerito del Chili. 2ᵃ edizione accresciuta. Roma — Tipografia della Pace di F. Cuggiani. Via della Pace Num. 35. 1866. In-16 Pag. 371.

Blasius (P.) Kulijer, Min. Obs. —

Uprava treceg svjetovnjeg Reda sv. O. Franje po Najnovrjin. (Directorium Tertii Ordinis S. Francisci, in lingua croatica.) U Zagrebu. Tiskom Dionicke tiskare, 1885. In 32 pag. 257.

Clemente (P.) da Castel del Piano. —

Della dignità e dei privilegi del cristiano, operetta utile ad ogni classe di persone per Fr. Clemente da Castel del Piano dell'Ordine dei Min. Rif. di S. Francesco, della Provincia di Toscana. In 8. pag. 190. Siena, Tip. all'Ins. di S. Bernardino 1884. L. 1, 50.

Diego (P.) dalle Grotte di Castro, Lett. Gen. dei Min. Rif. —

Meraviglie di S. Francesco in Gubbio — Gubbio tipografia S. Romitelli 1886 — in 8° pag. 351.

—

V.

NECROLOGIA

R. P. Bonifacius Oomsels, Recoll. Provinciae S. Josephi in Belgio alumnus, missionarius Apostolicus Hou-pe orientalis in Sinis, die 8 Sept. 1886 obiit in *U-cham-fu* anno aetatis 36, missionis 9.

Adolescens adhuc seraphicum induit habitum, et singulari cum diligentia philosophiae et theologiae cursum absolvit. Anno 1876 sacerdos ordinatus per annum cum dimidio in provincia strenue laboravit in missionibus praedicandis et audiendis confessionibus, donec voti compos factus, missionarius apostolicus mittebatur in Vicariatum Hu-pe Orientalis. Mense Aprili 1878 simul cum Illmo ac Rvmo Vic. Aplico Eustachio Zanoli b. m. et nonnullis sociis in *Hankow* advenit, unde paulo post laetus abiit, ut linguam Sinensem addisceret, initiumque daret vitae apostolicae. Brevi omnium sibi devinxit animos morum suavitate, talesque percepit fructus spirituales, quales sequi solent laborem illius, qui omnibus omnia fieri cupit. Piorum illi non deerant benefactorum eleemosynae, sed quotquot accepit, impendit aedificandis reficiendisque sacellis et scholis, ac bonis promovendis operibus. Missus in districtum *Ta-yé*, ubi neophiti pauci erant inter multos paganos, in ipsa caritate amplam emit domum, cuius partem meliorem in sacellum convertit, posteaque in christianitate *Chen-pao*, quae in summo monte sita est, parvam ecclesiam aedificavit in honorem B. M. Virginis *de Lourdes*. Vicarius Foraneus factus praefecturae *U-cham-fu*, assiduus fuit in visitandis christianitatibus panemque spiritualem ubique esurientibus fregit indefessus, sed heu! signa indubia mox apparebant, quibus phtisi consumi cernebatur. Attamen taedebat illum vitae sine labore et valetudinis semper infirmioris curam negligens, quodquod virium illi supererat, proximorum saluti profundere in deliciis habuit, ita ut, quum ab Illmo Vicario Aplco invitaretur, ut quiescens a laboribus in portu *Hankow* parum indulgeret morbi molestiarum levamini, in mediis neophitis et catechumenis vitam vivere mallet incommodis plenam. Viribus exhaustus tandem venit in residentiam episcopalem *U-cham-fu*, ibique intrepidus mortem appropinquantem expectabat. Tempestive munitus omnibus S. Ecclesiae Sacramentis, nil magis optare dicebat, quam ut moreretur in Nativitatis B. M. Virginis festo, in quo vitam inceperat religiosam. Optimo quo potuit modo se ad festum illud praeparavit et summo mane denuo refectus S. Viatico tam hilaris et bene se habens apparuit missionariis praesentibus, ut non videretur moriturus illa die, sed ipse ita futurum esse semel atque iterum asseruit. Spes eum non fefellit, nam hora vespertina 10 $^1/_4$ post brevem extremam cum morte luctactionem, placidissime quievit in Domino.

Pretiosa fuit in conspectu Domini mors illius, et memoria illius in benedictione erit.

R. P. Angelus Maria Joseph a Ginestas, Obs. Provinciae S. Ludovici ex-Definitor, die 29 Septembris nuper elapsi supremum diem subitanea morte clausit, absolutione tamen sacramentali ac extrema unctione confortatus. Expletis decem et octo annis in clero saeculari et animarum cura, Ordinem ingressus fuerat die 21 Novembris anni 1862. Vix emissa votorum professione, Praedicatoris munere insignitus, Missionibus inter infideles ac spiritualibus exercitiis strenue incumbere nunquam cessavit. Jesu Christi et Seraphici Patris verus imitator, simul faciens ac docens, seraphicae Regulae sectatorem eximium se exhibuit, pietatis in Deum, charitatis in proximum et apostolici zeli exemplar, ita ut in Provincia cognomento *bonus* appellaretur. Aetatis annos fere 67 attigerat, et religionis 24. R. I. P.

Illmus et Rmus Joannes Capistranus Tissera, Obs. Prov. Beatae Virginis Assumptae, Fluvii Platensis, episcopus Cordubensis in Republica Argentina, die 20 Septembris ad meliorem vitam transivit, biennio ab episcopatu nondum expleto. Egregii huius Confratris necrologiam proxime dabimus.

Nihil obstat.

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA
—
DECRETUM S. R. C.

NEAPOLITANA — *Beatificationis et Canonizationis Ven. servi Dei* FR. AEGIDII MARIAE A S. JOSEPHO, *Laici professi Ordinis Minorum Excalceatorum Strictioris Observantiae S. Petri de Alcantara Provinciae Lyciensis.*

SUPER DUBIO: *An stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem Ven. Servi Dei Beatificationem?*

Non aliqua mundana nobilitate excelluit Venerabilis AEGIDIUS MARIA, Alcantarensis familiae Laicus, sed simplicitate morum, cordis munditia, sui abnegatione, orationis et poenitentiae spiritu, miti ac suavi caritate qua proximos complexus est, ut eos CHRISTO lucrifaceret. Nec in vita tantum, sed etiam post felicem obitum supernis donis et prodigiorum fulgore eum DOMINUS clarificavit, quibus merito de illo videtur impletum oraculum: *nimis honorati sunt amici tui Deus.*

De Ven. Servi DEI virtutibus actum est in Sacrorum Rituum Congregatione, easque heroicas extitisse decrevit s. m. Summus Pontifex Pius IX sexto kalendas Martias anni MDCCCLXVIII. Binas autem propositas a morbis sanationes ad invocationem Ven. Servi DEI impetratas, Sanctissimus Dominus Noster LEO Papa XIII inter miracula accensuit decreto nuper lato, nono kalendas Martii vertentis anni MDCCCLXXXVI.

Jam itaque ad publici cultus honores Ven. DEI famulo decernendos illud iuxta canonicas sanctiones reliquum erat, ut disquireretur: *An stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, tuto procedi possit ad Ven. Servi Dei Beatificationem?* In plenario igitur Sacrae Congregationis Conventu coram Sanctissimo Domino Nostro LEONE Papa XIII habito in Aedibus Vaticanis, octavo kalendas Junii currentis anni, Reverendissimus Cardinalis Angelus Bianchi Causae Relator enunciatum dubium proposuit, cui omnes Rmi Cardinales et Patres Consultores affirmativum responsum dederunt. Supremum vero iudicium Beatissimus Pater ferre protraxit, ad divinum lumen in re tam gravi interim implorandum.

Hac vero die Dominicae ultimae post Pentecosten, hoc anno Praesentationi semper Virginis MARIAE sacra, post divini Sacrificii piissimam oblationem, in Vaticani Palatii aula nobiliori, adstantibus Reverendissimis Cardinalibus Dominico Bartolini Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Angelo Bianchi Causae Relatore, nec non R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, solemniter decrevit: *Tuto procedi posse ad Venerabilis Aegidii Mariae a S. Josepho Beatificationem.*

Idem Decretum in publicum edi, et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione opportuno tempore celebranda expediri praecepit. Undecimo kalendas Decembris anni MDCCCLXXXVI.

D. CARD. BARTOLINIUS
Praefectus.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati
S. R. C. Secretarius.

EX S. CONGREG. S. RITUUM

Argentinen.

In Argentina Republica quampluria existunt Missionum Collegia Ordinis Minorum de Observantia, quibus praeest R. Pater Salvator Massa, eiusdem Ordinis. Hic pro suo munere Commissarii Generalis exposuit S. Apostolicaė Sedi, quod anno 1870, de consensu illius Ordinarii, a Patre Missionibus Praefecto viginti circiter tabulae lapideae, vulgo *pietre sacre*, consecratae fuerint, quorum in aliquibus unica tantum Martyris Reliquia, in aliis vero ob Reliquiarum Sanctorum defectum nulla Reliquia inclusa fuit; 2° quod in quodam Sacristiae oratorio novem abhinc annis sepultum fuit cadaver cuiusdam Religiosi prope ultimum altaris gradum, ita ut ab hoc debita distantia desideretur. Hinc, saltem ad cautelam, sanationem seu dispensationem idem Commissarius expetivit. At Sacrorum Rituum Congregatio, audita relatione infrascripti Secretarii, re mature perpensa, rescribendum censuit quoad primum, ut lapides Sanctorum Reliquiis carentes iterum rite consecrentur, ceterorum vero qui unicam tantum Reliquiam habent, si tamen a primis distingui valeant, et in casu quod facile rursus consecrari nequeant, eadem Sacra Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributis, peractae consecrationis defectus sanationem impertitur. Praecipit autem quoad alterum, ut sepultura seu cadaver quantocius removeatur, atque in debita distantia, ad tramitem Decretorum collocetur. Atque ita rescripsit ac servari mandavit, quibuscumque in contrariis minime obstantibus.

Die 16 Januarii 1886.

D. Card. Bartolinius
S. R. C. Praefectus.
Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

—

DECLARATIO

RESPONSI A S. C. SUPER STATU REGULARIUM *editi die 7 Februarii 1862.*

Bme Pater

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis Ordinis Minorum, ad Pedes S. V. humillime provolutus, postulat declarationem ad sequens dubium circa iura, quae professis votorum simplicium competunt.

Ad n. VI. declarationum super votis simplicibus a S. C. super Statu Regularium die 12 Junii 1858 editarum, decernitur, quod *professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent.* Ad n. VIII. autem additur: *Anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur; et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.*

Quum igitur concessio in favorem professorum votorum simplicium generice sit expressa, ex declarationibus relatis ius etiam suffragandi in novitiorum votationibus videretur praedictis professis competere.

Verum post relatas declarationes, ad dubium a Rmo Magistro Generali Ord. Praedicatorum propositum: « *Cum ex praefati Decreti tenore* (num. 8.) *professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter professi; quaeritur, an inter huiusmodi actus capitulares recenseantur etiam actus receptionis ad votorum solemnium professionem* » — eadem S. Congregatio sub die 7 Februarii 1862 respondit: *Negative.*

Animadvertens itaque Orator a privilegiis concessis professis votorum simplicium, vi huiusce postremae declarationis, exclusos nominatim fuisse *actus receptionis ad votorum solemnium professionem;* et perpendens, quod votationes novitiorum inter huiusmodi actus, saltem indirecte, videntur recensendae; ut ex animo suorum subditorum omnis ambiguitas quoad hoc tollatur, suppliciter petit a S. V., ut dignetur declarare: An in his verbis *Actus receptionis ad votorum solemnium professionem* recensitae intelligantur votationes novitiorum pro admissione ad professionem votorum simplicium.

Ex Audientia Ssmi habita a me infrascripto Secretario S. Congreg. super Statu Re-

gularium, sub die 20 Augusti 1875, Sanctitas Sua, audita relatione super dubio proposito a P. Ministro Generali Ordinis Minoritici: An, videlicet, ad effectum dubii sub die 7 Februarii 1862 a S. C. super Statu Regularium, super declaratione data die 12 Junii 1858, et sub numero VIII positae, inter actus receptionis ad votorum solemnium professionem, recensitus intelligatur actus ferendi suffragium pro admissione ad professionem votorum simplicium, ita ut ab eo excludantur ipsi professi votorum simplicium: Respondi mandavit: *Affirmative.*

Romae, datum ex Secretaria S. C. super Statu Regularium hac die 1 Septembris 1875.

S. ARCHIEP. SELEUCIEN, *Secretarius.*

—

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

Dubia quoad scapularia et indulgentias lucrandas a Tertiariis et a Fidelibus pii Sodalitii S. Mariae de Monte Carmelo.

Bme Pater,

Sacerdos Carolus Scavezzoni, coadiutor l. v. d. Avenza in Dioecesi Massensi, S. Pedem pronus exosculans, Sanctitati Vestrae demisse supplicat, ut cum ipsius, tum et poenitentium suorum quieti consulendi gratia, quaestionibus quas subjicit, responsum dare benigne dignetur.

I. Qui piae Confraternitati B. V. de monte Carmelo nomen dedit, atque eodem tempore inter sodales Tertii Ordinis saecul. S. Francisci cooptatus sit, tenebitur ne e collo pendentia gestare, ut sacras Indulgentias lucretur, ambo Scapularia, an vero unum sufficiet, quum utrumque eiusdem coloris sit et panni?

II. Si ambo gestare necesse est, poteritne id fieri neglectis utriusque dimensionibus, si quidem invicem coniuncta sint?

III. Benedictiones cum plenaria Indulgentia (Absolutiones generales nuncupatae), quae novies infra annum dari solent (ut ex. gr. die festo S. Joseph); itemque duae Benedictiones Papales, possuntne a quolibet Confessario impertiri; an vero ab eo tantum, cui haec facultas facta sit?

IV. Si benedictiones huiusmodi ab eo tantum impertiri possint, cui potestas data sit, a quonam dictus Confessarius huiusmodi facultatem accipere debet?

V. Poenitens in sacramentali Confessione suscipitne illico Indulgentiam pronuntiato verbo « impertior », an vero haec suspensa manet, donec ipse ad sacram Synaxim accesserit?

Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita die 10 Junii 1886 ad supra relata dubia respondit:

Ad I. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad II. Servetur consuetudo vigens tum penes Confratres B. M. V. a monte Carmelo, tum penes Tertiarios S. Francisci Assisiensis.

Ad III. Benedictiones nomine Summi Pontificis, et Benedictiones cum Indulgentia plenaria publice impertiendae dari debent ab ecclesiastico viro, qui Tertiariis in id coadunatis praeest. (Caeremoniale Tertii Ordinis S. Francisci a S. Rituum Congregatione approbatum die 18 Junii 1883, art. 8 et 9) Benedictiones vero cum Indulgentia Plenaria privatim et immediate post sacramentalem Absolutionem dari possunt ab uniuscuiusque Tertiarii Confessario.

Ad IV. Provisum in responsione ad III.

Ad V. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, si Communio est postremum opus ex iniunctis, quod expletur.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die, mense et anno uti supra.

I. B. CARD. FRANZELIN, *Praefectus.*
Franciscus della Volpe, Secr.

—

SUMMARIUM INDULGENTIARUM CORONIS TERRAE SANCTAE CONCESSARUM (1).

(Innocentii XI. Constit. UNIGENITI *diei 28 Januarii 1688.)*

Unigeniti DEI Filii et Domini Nostri JESU CHRISTI, qui e sinu PATRIS descendit in terram, et caducam humanae carnis fragilitatem ineffabili clementia induens pro humani ge-

(1) Cfr. *Rescripta authentica S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis* praepositae, etc., quae collegit Josephus Schneider, S. J. Ratisbonae apud Pustet, 1885, pag. 349 et seq. — Ordinis nostri Superiores quoscumque, praesertim Terrae Sanctae Commissarios hortamur ut praesens Summarium Christifidelibus notum faciant.

neris redemptione seipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices, nullo licet meritorum nostrorum suffragio gerentes in terris, tanti et tam salubris Mysterii sacra monumenta, quae in civitate Hierusalem aliisque locis Terrae Sanctae conservantur, sincera devotione recolimus, piamque fidelium erga illa venerationem spiritualium gratiarum, quarum dispensatio Nobis a DOMINO credita est, largitionibus fovere atque incitare studemus, et alias desuper disponimus: sicut omnibus matura consideratione perpensis, ad christiani populi aedificationem Ecclesiaeque utilitatem salubriter expedire in DOMINO arbitramur.

Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus, Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum super indulgentiis et peccatorum remissionibus, quae a pluribus Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris concessae fuisse asseruntur, iis, qui penes se habuerint *cruces, coronas*, vel *grana ex lignis eiusdem Terrae Sanctae* confecta, variae exortae fuerint dubitationes: adeo ut ex illis aliquae apocryphae et supposititiae existimentur, ac propterea idem Petrus Marinus, Minister Generalis, ut omnes in posterum hac in re controversiae praecidantur, plurimum cupiat opportune in praemissis a Nobis provideri; Nos piis ipsius Petri Marini Ministri Generalis votis, quantum cum DOMINO possumus, favorabiliter annuere volentes, ipsumque a quibusvis, etc. censentes, supplicationibus eius nomine Nobis etc., inclinati; de Venerabilium Fratrum Nostrorum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis propagandae Fidei praepositorum, qui huiusmodi rem iussu Nostro mature discusserunt, consilio, omnes et quascumque indulgentias, seu peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quae pro *crucibus, coronis, rosariis* et *granis* praefatis dictae Sanctae Terrae in perpetuum, seu ad tempus nondum elapsum Apostolica vel alia quavis auctoritate quomodocumque ac quandocumque concessae fuisse dicuntur, harum serie, quatenus opus sit, perpetuo revocantes et annullantes, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, quamdiu CRUCES, CORONAS aut ROSARIA *dumtaxat, quae loca Terrae Sanctae huiusmodi, sacrasque reliquias ibi existentes tetigerunt*, penes se habuerint; in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi sacraque Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen JESU ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, *plenariam*.

Praeterea eisdem, si, semel saltem in hebdomada, aut Officium divinum ordinarium, aut Beatissimae Virginis MARIAE, aut defunctorum, aut septem Psalmos poenitentiales aut graduales, aut Coronam DOMINI, vel eiusdem Beatissimae Virginis, aut tertiam partem Rosarii recitare: aut christianam doctrinam docere: aut infirmos alicuius hospitalis, vel detentos in carcere visitare: seu pauperibus CHRISTI subvenire: vel sacrosancto Missae Sacrificio interesse: vel illud, si sint sacerdotes, celebrare consueverint: ac vere similiter poenitentes et confessi sacerdoti ab Ordinario approbato sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, in aliquo ex diebus infrascriptis:

nempe Nativitatis,
Epiphaniae,
Ascensionis DOMINI,
Pentecostes,
Festi Sanctissimae Trinitatis,
Corporis CHRISTI,
Purificationis,
Annuntiationis,
Assumptionis,
Et Nativitatis Beatae MARIAE Virginis,
Nativitatis Sancti Joannis Baptistae,
Sanctorum Petri et Pauli,
Andreae,
Jacobi,
Joannis,
Thomae,
Philippi et Jacobi,
Bartholomaei,
Matthaei,
Simonis et Judae,
ac Mathiae Apostolorum,
et Omnium Sanctorum.

Atque eo die pias ad DEUM preces effuderint pro haeresum et schismatum exstirpatione, pro fidei catholicae propagatione, christianorum principum concordia atque aliis sanctae Matris Ecclesiae necessitatibus; in

singulis diebus huiusmodi *plenariam* pariter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praemissa autem peragentibus in aliis quidem diebus festis Domini Nostri Jesu Christi, vel Beatae Mariae Virginis; *septem annos et totidem quadragenas.*

In quocumque die Dominico seu alio anni festo, *quinque annos* et *totidem quadragenas.*

In quolibet vero alio anni die, *centum dies.*

Similiter iis, qui detentos in carcere, vel infirmos alicuius hospitalis visitaverint, eis aliquo pio opere subveniendo: aut doctrinam christianam in ecclesia vel domi proprios filios, consanguineos, vel famulos docuerint, quoties haec fecerint, *ducentos dies.*

Illis insuper, qui campanae alicuius ecclesiae ad id dato signo, sive matutino, sive meridiano, sive vespertino consuetas preces *Angelus* Domini etc. vel si eas ignoraverint, semel Orationem Dominicam et semel etiam Salutationem Angelicam: aut pariter dato simili signo pro defunctis Psalmum *De profundis,* vel si illum nesciverint, semel Orationem Dominicam et semel Salutationem Angelicam praefatas recitaverint: quive feria sexta cuiuslibet hebdomadae Passionem et Mortem Domini Nostri Jesu Christi devote meditati fuerint, ac ter eo die Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam supradictas dixerint: vel qui cum vero dolore de peccatis et stabili emendationis proposito conscientiam suam examinaverint, ac ter Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam praefatas, sive ter etiam illas in honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, aut, quinquies utramque in memoriam quinque plagarum Domini Nostri Jesu Christi devote recitaverint, aut demum qui semel saltem in hebdomada coronam seu rosarium, aut Officium Beatae Mariae Virginis, seu defunctorum, seu Vesperas et unum saltem Nocturnum cum Laudibus, aut septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis et precibus recitare consueverint, quo die haec fecerint, ultra indulgentias et peccatorum remissiones, et poenitentiarum relaxationes a fel. rec. Pio PP. V., Praedecessore Nostro iis, qui praemissa peregerint, concessas, *centum dies.*

Iis quoque, qui ante Missae celebrationem, seu Sacram Communionem, seu recitationem Officii divini ordinarii, vel Beatae Mariae Virginis aliquam orationem praeparatoriam fecerint; quoties id egerint: vel qui pro fidelibus in extremo vitae agone constitutis devote oraverint, aut pro illis semel saltem Orationem Dominicam, aut Salutationem Angelicam dixerint, quo die id fecerint, *quinquaginta dies* de iniunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino, dicta auctoritate, tenore praesentium relaxamus.

Postremo eisdem, ut omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones praefatas animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, *per modum suffragii applicare possint,* eadem auctoritate, harum serie concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem, ut earumdem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 28 Januarii 1688, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica.

—

De disciplina regulari restituenda
CAP. II.
De oratione
§ 2. *De Divino Officio.*

9. Fratres Minores in recitatione Divini Officii sancti Fundatoris sui exemplum pro viribus imitari studeant, de quo S. Bonaven-

tura ita scribit: (1) « Solitus erat vir sanctus « horas canonicas non minus timorate Deo per- « solvere, quam devote. Nam licet oculorum, « stomachi, splenis et hepatis aegritudine la- « boraret, nolebat tamen muro vel parieti « inhaerere, dum psalleret; sed horas semper « erectus et sine caputio, non gyrovagis ocu- « lis nec cum aliqua syncopa persolvebat. Si « quando esset in itinere constitutus, figebat « tunc temporis gressum, huiusmodi consue- « tudinem reverentem et sacram propter plu- « viarum inundantiam non omittens. Dicebat « enim: Si quiete comedit corpus cibum suum, « futurum cum ipso vermium esca, cum quanta « pace et tranquillitate accipere debet anima « cibum vitae! Graviter etiam se putabat of- « fendere, si quando orationi deditus vanis « phantasmatibus interius vagaretur. Cum ali- « quid tale acciderit, non parcebat confes- « sioni, quin illud protinus expiaret. Hoc stu- « dium sic in usum converterat, ut rarissime « muscas huiusmodi pateretur... Psalmos cum « tanta mentis et spiritus attentione dicebat, « quasi Deum praesentem haberet, et cum « nomen Domini in eis occurreret, prae sua- « vitatis dulcedine labia sua lingere videbatur... « Nomen autem Jesu cum exprimeret vel au- « diret, iubilo quodam repletus interius totus « videbatur exterius alterari, ac si mellifluus « sapor gustum vel harmonicus sonus ipsius « immutasset auditum ». De Divino Officio recitando praecipuas obligationes Fratribus nostris breviter in memoriam revocandas censuimus.

10. Officium Divinum nuncupatur *Divinum*, quia ad cultum Dei institutum est. Vocatur etiam *ecclesiasticum*, quia nomine Ecclesiae persolvitur. Pariter vocatur *canonicum*, quia iuxta regulas sanctorum canonum peragitur. Vocatur quoque *Breviarium*, quia est breve et admirabile compendium Veteris et Novi testamenti, Patrum sententiarum et vitae Sanctorum.

Unde Officium Divinum sive ecclesiasticum, vel Breviarium seu Horae canonicae definiri possunt: « Statutae preces ex sacro- « rum canonum decreto ab ecclesiasticis per- « sonis nomine Ecclesiae ad Deum persol- « vendae » (2).

(1) Vita ejus, cap. 10.

(2) Cfr. Layman, lib. III, tract. 1. cap. 2.

11. Usus Divini officii ac recitatio horarum canonicarum est antiquissimus in Ecclesia catholica et iam a tempore Apostolorum inchoatus, prout videmus ex sequentibus Actorum locis: (1) « Petrus et Joannes ascende- « bant in templum ad horam orationis no- « nam; » — et: (2) « Ascendit Petrus in « superiora, ut oraret circa horam sextam; » — et: (3) « Media nocte Paulus et Silas orantes « laudabant Deum ».

12. A Sanctis Pontificibus Damaso, Gelasio et Gregorio primis certa et determinata forma recitandi horas canonicas fuerat praescripta. Hanc formam continebat Breviarium a Gregorio IX pro Ordine nostro per bullam *Pio vestro collegio* approbatum. Haec Breviarii forma diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexa et opera Haymonis Anglici, quinti Ministri Generalis Ordinis nostri ad praescriptum moderniorum decretorum S. Sedis restituta adeo Sedi Apostolicae placuit, ut a Nicolao III, anno 1277 ad Pontificatum assumpto, pro ipsa Ecclesia Romana fuerit recepta atque sancita (4).

13. Officium Divinum dividitur in nocturnum et diurnum, prout expresse habetur in cap. *Dolentes*, 9. de celebratione missarum. Per officium *nocturnum* intelligitur id, quod de nocte celebrari consuevit, et adhuc multis in locis celebratur, et vulgo nuncupatur *Matutinum*, cui iuxta morem Ecclesiae Romanae adiunguntur *Laudes*. Per officium *diurnum* intelliguntur omnes aliae canonicae horae, quae de die sunt persolvendae, scilicet *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Vesperae* et *Completorium*.

14. Obligatio recitandi Divinum Officium seu horas canonicas oritur ex triplici titulo, scilicet ex titulo Ordinis sacri, ex titulo beneficii ecclesiastici et ex titulo Religionis choro adstrictae. Hanc obligationem inter plurima Concilia confirmavit Concilium Romanum anno 1216, « praecipiens ecclesiasticis in vir- « tute obedientiae, ut Divinum Officium no- « cturnum pariter atque diurnum, quantum

(1) Act. III, 1.

(2) Ibid. cap. X, 9.

(3) Ibid. cap. XVI. 25.

(4) Cfr. Rubr. post bullam *Pio vestro Collegio*, in principio nostri Breviarii.

« eis Deus dederit, studiose celebrent pariter « et devote ».

15. Fratres Minores clerici professi vi Regulae tenentur sub peccato mortali recitare Horas canonicas iuxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae. Ita declaravit Clemens V in Constit. *Exivi*, cap. I. n. 4. (1).

16. Recitandum est Officium ita, ut qui obligatus est ad recitandas Horas canonicas, iuxta Doctores mortaliter peccaret, si partem Officii notabilem omitteret voluntarie. Videtur omnino certum unam Horam minorem, vel Officii partem eidem respondentem, v. g. unum integrum Nocturnum, sufficere ad gravem materiam.

17. Praeter Officium sub gravi recitare debemus Officium Defunctorum in commemoratione omnium fidelium defunctorum, necnon Lytanias omnium Sanctorum in Festo S. Marci Evangelistae et in Triduo Rogationum.

18. Ad vitandum peccatum mortale sufficit, si Horae canonicae persolvantur a media nocte usque ad aliam mediam noctem. Ut autem vitetur etiam veniale, recitatio fieri debet tempore ab Ecclesia vel consuetudine assignato, nisi obstet rationabilis aliqua causa, v. g. concio praeparanda, confessio audienda, iter agendum etc. Ceterum attendenda est regula S. Antonini: « Quando Officium dici non « potest debito tempore propter occupationes, « melius est praevenire, quam tardare ».

Vesperae et Completorium dici debent a meridie ad mediam noctem; imo in Quadragesima Vesperae ante prandium in choro recitandae sunt ob antiquam disciplinam prandendi post vesperas, quod laudabiliter etiam extra chorum in privata recitatione fit. Matutinum post mediam noctem ad meridiem, Horae parvae ab aurora ad meridiem, sed Nona, et iuxta alios etiam Sexta, recitari possunt post meridiem. Imo Matutinum cum Laudibus ex universali et probata consuetudine pridie valide et licite recitari potest. S. Thomas Aquin. ait: (1) « Quantum ad ecclesiasticum Officium et solemni« tatem celebrandi incipit dies a Vesperis: « unde si aliquis post dictas Vesperas et Com« pletorium dicat Matutinum, iam hoc perti« net ad diem sequentem ». Hoc est, iuxta Theologos, quando sol incipit esse propior ad occasum.

19. Locus pro Divino Officio recitando aptus sit oportet et conveniens, immunis praesertim a distractionibus, quae attentionem externam possent impedire. Ex generali piorum praxi recitari potest etiam iter faciendo (2).

20. Eo ordine Horae recitandae sunt, quo ponuntur in Breviario. Tamen inversio non invalidat officium, nec mortalem culpam inducit, cum adhuc tota substantia habeatur. Justae autem causae invertendi ordinem adesse possunt, quae ab omni culpa excusant, v. g. si quis ab amico invitetur ad partem Officii secum recitandum, priore parte nondum recitata; vel si quis carens Breviario memoriter recitet Horas minores et Vesperas ante Matutinum, cum nequeat commode earum recitationem differre; vel si quis tarde ad chorum accedat, officio iam incoepto (3).

21. Matutinum a Laudibus separari potest, etiam sine causa; nam etiam antiquitus separabatur, ut fatentur eruditi. Sed cum separantur, post Matutinum dici debet oratio officii currentis, Laudes vero inchoantur prout iacent (4). Imo non solum Matutinum a Laudibus, sed tres ipsi Nocturni possunt inter se separari, saltem si inter eos non intercedat maius temporis spatium, quam duarum vel trium horarum (5).

22. Etsi Matutini ante Missam recitatio sit optima dispositio ad celebrandum, tamen hodie communiter receptum est, non esse mortale peccatum, Matutinum cum Laudibus post Missam persolvere, quia gravis obligatio non clare exprimitur in Rubrica, etsi id inter de-

(1) Licet Fratres nostri clerici, qui professionem votorum simplicium dumtaxat emiserunt, ex declaratione S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 24 Martii 1882 ad privatam Divini Officii recitationem non teneantur, ipsi tamen sciant, se *debere choro interesse ut solemniter professi,* ex declaratione S. Congregationis super Statu Regularium diei 6. Augusti 1858; eosque enixe obsecramus et in Domino adhortamur, ut ex amore Regulae, quam post breve temporis spatium solemniter profiteri intendunt, officium etiam extra chorum recitare velint.

(1) Quodl. 5. art. 23.
(2) S. Alphonsus, lib. IV, n. 171.
(3) S. Alphons. loc. cit. n. 170.
(4) S. R. C. 18 Maji 1883, ad dub. IV.
(5) S. Alphons., lib. IV. n. 160.

fectus numeretur. Esset igitur tantum venialis culpa, a qua quaelibet mediocris causa rationabilis, v. g. maior commoditas studii, excusat. Imo Benedictus XIV nullum peccatum agnoscere videtur; nam in sua Bulla *Etsi pastoralis* diei 18 Junii 1742 ait: « Sacerdotes « et quicumque in sacris ordinibus sunt con- « stituti, Horas canonicas more suo dicant; « et priusquam Missam celebrent, Officium « matutinale recitare curent ». Haec verba tamquam consilium possunt intelligi.

23. Permutatio Officii cum alio Officio *per se* illicita est, quia S. Pius V decrevit, omnes ad horas canonicas obligatos ad dicendum ex Breviarii praescripto omnino teneri (1). *Per accidens* vero eiusmodi permutatio absque ullo peccato esse potest, v. g. si quis ex errore vel inadvertentia aliud Officium recitasset, quam quod pro respectivo die a Rubricis praescriptum est. Qui advertit, se hodie recitasse officium diei crastinae, tenetur illud cras repetere, quia per recitationem anticipatam satisfacere non potest praecepto nondum vigenti, et quia secus duabus vicibus erraret.

Qui advertit, se errasse in Officio diei currentis, postquam multum processerit, v. g. post recitatum Matutinum, si id inculpabiliter evenerit, sufficit, si recitet quod superest de Officio debito, ne detectum errorem prosequatur.

Qui completa tota Officii recitatione advertit, se errasse, si id egerit inadvertenter nullum erit peccatum, neque urgebit obligatio Officium repetendi, quia non praesumitur Ecclesia aliquem velle bis in die ad tale onus obligare.

Si mutatio sit facta advertenter et sine causa, et Officium currentis diei mutetur in aliud notabiliter brevius, erit mortale, quia non impleretur praeceptum neque in sua forma specifica neque in aequivalenti: unde adhuc urgeret obligatio Officii. Hinc Alexander VII damnavit propositionem: « In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit praecepto » (2).

24. Concilium Romanum, a quo consuetudo Horas recitandi est in legem scriptam deducta, *modum* etiam indicavit, quo illae recitandae sunt, nempe *studiose* et *devote*. Vocabulum *studiose* pertinet ad munus oris, et postulat, ut Officium totum persolvatur vocaliter, absque abscissione vel mutilatione verborum. Vocabulum *devote* pertinet ad munus cordis et postulat, ut recitatio fiat cum debita intentione, attentione atque reverentia.

25. Interruptio in eadem Hora, modo adsit causa rationabilis, est licita; si vero sine causa fiat, est peccatum veniale.

26. Quamvis valde laudabile sit, etiam in privata Officii recitatione sese conformare ritibus et caeremoniis in publica chori recitatione observatis, tamen nemo ad hoc est obligatus.

27. Satisfacit Officii obligationi, qui illud recitat cum alio, etiam non obligato, aut cum distracto vel non attento.

28. In Officii recitatione requiritur *intentio* et *attentio;* nam recitatio Horarum est vera oratio, id est *elevatio mentis ad Deum;* sed haec haberi nequit sine intentione et attentione. Intentio est voluntas faciendi aliquid. Attentio est applicatio mentis ad id, quod agitur. In nostro ergo casu intentio est actus voluntatis recitandi Horas canonicas ad laudandum et colendum DEUM, vel ad satisfaciendum praecepto Ecclesiae. Attentio vero est actus intellectus, quo advertitur vel ad verba in Horis canonicis rite proferenda, vel ad sensum verborum, vel ad DEUM colendum et laudandum. Intentio et attentio alia est *actualis*, quando actu volo laudare DEUM, et actu ad hoc adverto; alia est *virtualis*, quae semel habita, nec revocata, adhuc in virtute sua durat; alia est *habitualis*, quae semel habita, et numquam revocata est, tamen in praesenti Horarum recitatione non amplius influit. Ulterius attentio alia est *externa*, quae est vitatio et exclusio actionum externarum ex natura sua intellectum abstrahentium ab attentione interna ad Horas canonicas; alia vero *interna*, quae est ipsius intellectus ad Horas canonicas advertentia.

29. Recitatio Officii fieri debet cum intentione saltem implicita et virtuali laudandi DEUM, qualis intentio est in eo, qui habet voluntatem satisfaciendi suae obligationi, vel recitandi Horas canonicas sicut debet. Imo sufficere dicunt, animo deliberato accipere Bre-

(1) Constit. *Quod a nobis* § 7.
(2) Cfr. S. Alphons. lib. III. n. 667 et lib. IV n. 161.

viarium, ire ad chorum etc., ita ut interrogatus vere responderet, se id facere ad recitandas Horas vel ad satisfaciendum suae obligationi.

30. Certum est, Officium non valide recitari et grave peccatum committi, si recitetur sine attentione externa: uti esset fabulari, scribere, attentam alienis sermonibus aurem praebere etc., quae sunt actiones physice incomponibiles cum Officii recitatione.

31. Secundum Doctores ad satisfaciendum obligationi recitandi Officium illa attentio interna sufficit, quae dicitur virtualis et superficialis, quae est ad verba recte et integre proferenda cum generali intentione colendi Deum (1).

32. Causae a recitatione Officii excusantes sunt *impotentia physica, impotentia moralis et legitima dispensatio.*

Impotentia physica enasci potest vel ex inculpabili oblivione, vel ex caecitate, vel ex gravi morbo, vel ex carentia Breviarii. In hoc ultimo casu tamen notandum est, quod, qui notabilem partem memoriter recitare potest, ad hanc recitandam teneatur; nam Innocentius XI damnavit sequentem propositionem: « Qui non potest recitare Matutinum et Lau« des, potest autem reliquas Horas, ad nihil « tenetur, quia maior pars trahit ad se mi« norem ».

Impotentia moralis, adest, si non potest recitari Officium absque gravi damno proprio, vel alieno, scandalo aut gravi periculo, quod contingit, si quis graviter aegrotet, vel ita obligetur aut confessiones excipere aut concionibus habendis insudare, aut aegrotis vel moribundis assistere, ut tempus pro recitatione Officii non supersit. Non omnis autem infirmitas aut spiritualis occupatio ab Officii recitatione excusat, neque in tam gravi negotio nimis proprio iudicio fidendum est, quod amore proprio facillime obcoecatur, sed si causa excusans dubia est, iudicium Superioris inquirendum, aut huius dispensatio petenda est.

Dispensari possunt Religiosi a recitatione Officii non solum a Romano Pontifice, cuius dispensatio semper valida est, dummodo preces veritate nitantur, sed etiam a suis Praelatis, quia habent in suos subditos iurisdictionem quasi episcopalem. Ut autem horum dispensatio sit valida, requiritur non solum, ut preces veritate nitantur, sed etiam ut iusta sit causa. In dubiis autem semper Praelatorum dispensatio valida est censenda.

(1) Cfr. S. Alphons. lib. IV, n. 343.

33. Saepius Fratres nostri considerent motiva Divinum Officium rite ac devote recitandi. Divinum Officium est norma orationis praescripta ab Ecclesia, quae Spiritus Sancti assistentia praemunita, optime novit, quis prae ceteris orandi modus Deo sit magis acceptus. Devota Divini Officii recitatio habet etiam magnam efficaciam; nam, exceptis Ss. Sacramentis et Missae Sacrificio, nihil ad impetrandum tum sibi, tum universis Christifidelibus, efficacius et salubrius medium institutum est. Insuper devote persolvens Officium Deo et Ecclesiae eximium obsequium personale exhibet. Hoc Officium enim Deo offertur nomine Ecclesiae, quae est sponsa Deo semper dilectissima. Huius ergo Ecclesiae spiritum induere oportet, quoties hoc laudis officium Deo est exhibendum. Omnem ergo negligentiam ac tepiditatem in recitatione Divini Officii pro viribus evitare studeamus. Ait enim S. Bonaventura: (1) « Nemo Dei « se existimet servum, si Dei potissimum « negligat servitutem, quae appropriato vo« cabulo Dei servitium nuncupatur ». Qui Officium Divinum voluntarie distractus recitat, magnam sane in Dei servitio tepiditatem praesefert, et quomodo effugiet horrendum S. Scripturae dictum: (2) « Maledictus homo, « qui facit opus Dei fraudulenter »? Convenit ergo, ut Fratres ante Officii recitationem mentem colligere et praeparare nitantur iuxta monitum Spiritus Sancti: (3) « Ante oratio« nem praepara animam tuam, et noli esse « quasi homo, qui tentat Deum ».

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1886 celebrata.

—

XXII.
Obs. Prov. Veneta.

Die 27 Octobris volventis anni in Conventu S. Francisci Vineae Venetiarum cele-

(1) Specul. discipl. cap. 16.
(2) Jerem. XLVIII, 10.
(3) Eccli. XVIII, 23.

bratum est Capitulum Provinciale sub praesidentia Rmi P. Ministri Generalis. Electi sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Seraphinus a Bolentina.

Custos

R. P. Bernardinus a Verona.

Definitores

R. P. Augustus a Serravalle.
R. P. Peregrinus a Colonia.
R. P. Angelus M. a Pirano.
R. P. Sebastianus a Sablone.

III.
MISSIONES

—

EX IMPERIO SINENSI

Relatio *Rmi D.* Epiphanii Carlassare, *Vicarii Apostolici Hou-pe Orientalis.*

Summarium: 1. Subdivisio Vicariatus in quinque districtus.
2. 400 adulti circiter singulis annis baptizantur.
3. Sorores *Canossiane* in Han-Kou.
4. De virtute sacramentorum et sacramentalium.

Revme Pater

In Relatione, quam P. T. Rvmae anno elapso misi, aliquot notitias in unum collegi, quae summatim historiam et statum huius Missionis usque ad annum 1871 exhibent. Erat autem particulatim enarrare, quae ab eo ipso tempore hucusque ad Dei gloriam et animarum salutem fuerunt in hoc Vicariatu peracta; sed hoc opus, hic labor! Labor sane qui otium requirit, quod quidem neque mihi, neque Missionariis, quibus eumdem imponere possem, nunc temporis est. Opus propterea in futurum rejicere coactus, hic pauca subiungam ex quibus status huius Missionis, ut nunc est, facile quis arguere possit.

Anno 1871 facta divisione Provinciae Hu-pé in tres Vicariatus, b. m. Decessor meus, ut Vicariatum partis orientalis, qui ei remansit facilius et efficacius regere posset, eum iuxta numerum Civitatum primi ordinis, quas continet, in quinque praecipuos districtus partitus est, et horum unicuique Missionarium amplioribus facultatibus praeditum ita praefecit, ut ei tamquam Vicario Foraneo caeteri Missionarii qui in singulis subpraefecturis ad illum districtum pertinentibus ministerium exercent, essent aliquo modo subiecti. Haec bona regiminis dispositio facilior tunc evasit et hactenus retineri potuit, quod Missionarii non defuerunt. Divina siquidem Providentia factum sane tunc est, ut deficientibus ob Conventuum suppressionem Missionariis Italis, qui ad illud usque tempus fere soli (a presbyteris indigenis tamen adiuti) has nostras Ordinis Missiones vel plantaverant vel rigaverant, plures ex aliis Regnis Fratres, praecipue vero Batavi et Belgae, munus apostolicum alacriter susceperint. Porro districtuum nomina, haec sunt:

I. *U-cham-fu,* S. Thomae Apostoli.
II. *Ham-ciou-fu,* S. Pauli Apostoli.
III. *Han-cam-fu,* S. Antonii Patavini.
IV. *Te-gan-fu,* S. Josephi Sponsi B. M. V.
V. *Gan-lou-fu,* S. Matthaei Apostoli.

Ex his quinque districtibus, duo priores fere ex Neophitis tantum constant, inter quos, qui sunt antiquiores, nonnisi viginti vel parum amplius abhinc annis fuerunt baptizati; tres posteriores districtus pro maiori parte ex antiquis Christianis constant, quarum scilicet familiae ante unum vel etiam plura saecula fidem susceperunt; adsunt tamen etiam in istis plures Christianitates, imo integrae subpraefecturae, in quibus Fideles omnes Neophiti sunt. quorum alii hoc nostro tempore fidem amplexi sunt, alii ante non multos annos. Adultorum siquidem baptismata, si numerum medium accipias, ad 400, et ultra singulis hisce annis pertigerunt.

Centrum totius Vicariatus est *U-cham-fu,* tum quia est urbs princeps totius Provinciae *Hu-pé,* cum etiam quia revera in medio totius Vicariatus sita; ad quam proinde ab omni parte facilior est accessus et communicatio. Intra moenia urbis in loco eminenti et salubri, b. m. Decessor meus amplam aedificavit domum, ad quam singulis annis solent Missionarii convenire tum ad Exercitia spiritualia peragenda, tum ut unusquisque suae Missionis negotia os ad os cum Episcopo fusius possit tractare. Huic domui ad laevam adiacet Missionis Seminarium super eumdem collem aedificatum; ad dexteram vero, (sed

ab eodem colle centum passus dissita), habemus ecclesiam et orphanotrophium, in quo pueri S. Infantiae artes addiscunt.

Prope *U-cham-fu,* ad ripam fluminis Han, ubi istud in magnum flumen caeruleum *(Jam-tzu-Kiang)* influit, et cum eodem suas aquas commiscet, iacet frequentissimus portus Han-Kou, qui pertinet ad praefecturam Han-cam-fu: ibi in loco Europaeis a Gubernio concesso, habemus procurationis domum, quae pluribus Vicariatibus inservit; ibi pariter ecclesiam principalem; prope ecclesiam vero sita est magna domus Sororum Filiarum Charitatis vulgo *Canossiane,* in qua hae optimae Sorores plura charitatis opera cum ingenti Missionis bono exercent, inter quae infirmorum medicatio et cura in nosocomio omnibus aperto, quod earum domui adiacet, speciatim nominari meretur. Extra moenia Han-Kou ad plagam occiduo-septentrionalem adest magnus locus, in hyeme quidem siccus, sed aestivo tempore aquis redundans; ad finem lacus in parte magis ad occidentem versus, est locus satis amoenus Pe-chuen dictus; ibi situm est aliud orphanotrophium, in quo Orphani et Catechumeni preces et litterarum rudimenta addiscunt: ibidem situm est collegium, in quo pueri bonae spei, antequam in Seminarium recipiantur, erudiuntur et probantur; ibidem ecclesia recens aedificata, quae tum pueris supradictis, tum etiam fidelibus, qui in circuitu morantur, inservit.

Haec sunt, Rvme Pater, praecipua huius Vicariatus instituta, domus et Ecclesiae, quae ut patet, plurium Missionariorum curam exigunt. Caeteri sacerdotes, qui Missionibus operam foris navant, eorum unusquisque in suo districtu decem vel etiam viginti, iuxta locorum et personarum adiuncta, Christianitatum curam gerit, quas semel aut plurius in anno visitat, prout potest.

Quot sint Christianitates in toto Vicariatu, quot sacella, quot scholae et alia plura, facili ex tabula huic relationi adiecta potest dignosci. Ex qua etiam et ex hucusque narratis, status huius Missionis, ut nunc est, haud difficile comprehendi posse puto.

Si autem aliquid quod ad annum proxime elapsum refertur audire particulatim placeat, dicam imprimis uberiorem conversionum messem collectam fuisse in subpraefectura Kien-Kiang, quae pertinet ad praefecturam Gan-lou-fu, ubi centum et undecim fuerunt adultorum baptismata, et ubi plurimi adhuc extant catechumeni. Dein aliquid narrabo, quod ibidem accidit, et quod sacramentorum et sacramentalium efficaciam ad temporale quoque emolumentum probare possunt. Scribebat igitur R. P. Laurentius *Siu* Tertiarius noster (qui in illa praefectura sacrum ministerium exercet) prout sequitur: Inter plures familias, quae religioni nomen dederunt, quaedam id praestitit, quod vidit baptismatis efficaciam. Erat siquidem in ea familia quaedam mulier quadragenaria, quae ab aliquo tempore fidem amplexa erat, sed nondum fuerat baptizata: haec cum in morbum lethalem incidisset, baptismum petiit; vix autem voti compos facta est cum sacra unda non solum animam eius a peccatis lavit, sed omnem morbum quoque corporis distulit, quod cum caeteri animadverterent, credidit familia eius tota. Ad hanc pertinet inter alios vir senex, cuius altera manus, quum antehac acri ulcere laboraret, optimum eam sanandi modum invenit in usu aquae benedictae. Sane: postquam nullo alio usus medicamine, aquam benedictam cum fiducia manui applicavit, in momento temporis ulcus disparuit. Porro idem senex non multo ante, cum nondum esset baptizatus, in morbum incidit, ex quo moriturus videbatur; oportuit igitur eius catechumenatus tempus imminuere, ut lavacro regenerationis mundatus, ex hac vita migraret. Sed mirum sane; eodem tempore, quo fuit baptizatus, sanitatem quoque corporis consecutus est.

Laudemus Dominum, qui dignatur aliquando in sua misericordia uti prodigiis, ut homines facilius veritatis lumen mente percipiant vel in fide roborentur.

Et nunc satis,

Dignare, Revme Pater, mihi et meis seraphicam benedictionem impertiri.

Datum *U-cham-fu* die 1° Octobris 1886.

Rvmae P. T.

Obmus Filius

† Fr. Vinc. Epiphanius Carlassare
Vicarius Aplicus Hu-pě Orientalis.

—

VICARIATUS APOSTOLICUS
Hu-pe Orientalis

Status Animarum et Spiritualis Administrationis a die 15 Augusti Anni 1885 ad eadem diem anni 1886.

Christianitates	342
Sacella publica ad Vicariatum pertinentia	60
Christiani in Catalogo descripti	13,005
Baptizati	
Adulti	481
Fidelium infantes	404
Confirmationes	865
Confessiones	
Annuales	8709
Devotionis	27,382
Communiones	
Annuales	7,532
Devotionis	32,671
Matrimonia benedicta	129
Extremae Unctiones	171
Vita functi	
Infantes	221
Adulti	291
Divini verbi praedicationes	
ad Fideles	3,110
ad Paganos	4,012
Missionarii	
Europaei (cum uno Fratre laico)	14
Indigenae	13
Alumni	
Seminarii	20
Collegii	12
Scholarum (totaliter)	1061
S. Infantia (Vic. Ap.)	
Baptizantes	179
Infantes Infidelium	
Baptizati	5,006
Collecti	87
Aliti	196
Mortui	3,023
In Scholis	
Pueri	687
Puellae	120

S. Infantia

(Institut. Filiarum Charitatis vulgo Canossiane)

Sorores Europaeae	13
Infidelium Puellae	
Baptizatae	1452
Apud nutrices	1227
In Orphanotrophio	264
Mortuae	837
Fidelium puellae educandae	222
Catechumenae ac Neophitae in Fide instructae	242
Vetulae derelictae in hospitium receptae	106
Nosocomium	
Masculi admissi	260
Foeminae admissae	345
Infirmi externi medicati	14,498

Fr. Vinc. Epiphanius Carlassare
Ord. Min. Vicarius Apostolicus
Hou-pe Orientalis.

—

VICARIATUS APOSTOLICI
Houpe Occiduo-Septentrionalis

Status animarum ac spiritualis Administratio, Anni Domini 1885-86.

—

Christiani in Catalogo descripti	6,192
Christianitates seu Missiones	94
Sacella Vicariatus	27
Missionarii	
Europaei	8 et 1 frater laic.
Sinenses	10
Praedicationes	
Ad fideles	2,328
Ad infideles	2,119
Baptizati	
Adulti	384
Fidelium infantes	250
Confessiones	
Annuales	3,699
Devotionis	13,093

Communiones

Annuales	3, 282
Devotionis	13, 553
Confirmationes	194
Matrimonia benedicta	50
Extremae Unctiones	67
Vita functi	181

Alumni

Seminarii	15
Collegii	16
Scholarum	530

SANCTA INFANTIA

Infantes Infidelium

Medici baptizatores	76
Baptizati	5364
Collecti in toto anno simul	136
Aliti hoc in anno, totaliter	259
Mortui	4022

Orphanotrophium puellarum

Religiosae indigenae Tertii Ordinis S. Francisci. (Magistrae)	19
Puellae in Orphanotrophio	81
Puellae apud nutrices	65
Vetulae paganae collectae	11
Mulieres inservientes	7

Orphanotrophium puerorum

Pueri	37
Magister	1
Inservientes	2

Kia-Nien-Keou, die 12 Augusti 1886.

† FR: EZECHIAS BANCI
Vic. Aplicus Hu-pé Occ. Sept.lis.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

ANONYMUS. —
Manual del Tercero Franciscano o la Tercera Orden Secular de S. Francisco y el Santo Padre Leon XIII. Traduccion del Italiano anotada y aumentada. — Santiago. Imp. de « El Correo », Adm. Pov. M. Infante, Teatinos, num. 39. — 1886.

FÉLIX (R. P.) DE FIANCEY. — 1. Maladies et merveilleuse Guérison des âmes, par le R. P. Félix de Fiancey, Capucin. — Paris; Jules Vic, libr. 11, rue Cassette. — Carcassonne: Victor Bonnafous, éditeur, 48, rue de la Mairie. 1881. Vol. in-16, Pag. 128, Prix, F: 0, 50.

2. La Méditation, proposée aux gens du monde. Prix F: 1, 25; franco 1, 50. 1e édition — Mêmes librairies.

3. Frère Pascal, et l'Ouvrier malheureux. Prix, Fr. 1, 50, franco. — Mêmes librairies.

4. Dame Opulence et Dame Pauvreté, ou la solution du grand problème social. Prix, Fr. 1 franco. — Mêmes librairies.

(Extrait des ACTES de l'Ordre des Frères Mineurs) — SOMMAIRE des Indulgences qui composent le tré or séraphique, approuvé par la S. Congrégation.
Caen — Imprimerie Pagny, rue Froide 27 1886. In 12-Pag. 32.

FRANCISCUS (Rev. F.) A PERINALDO, Min. Ref. —
Meditations on the sufferings of Jesus Christ, translated from the Italian of Rev. F. Francis Da Perinaldo, O. S. F., by a member of the same Order. New-York, Cincinnati, and St. Louis: Benziger Brothers, Printers to the Holy Apostolic See. London: R. Washbourne, 18. Paternoster Row. Dublin: M. H. Gill and son, 50 Upper O'Connell St. (In 12 - pag. 253.)

JACOBUS (ADM. R. P.) LARDANI, Min. Obs. — Da Bordeaux a Tarija ovvero relazione di un viaggio alla Missione di Tarija in Bolivia. Lettera al Rmo Padre Bernardino da Portogruaro, Ministro Generale dei Francescani. Roma, Tipografia dei Fratelli Monaldi, Via delle Tre Pile, 5. 1878. Pag. 32.

JOSEPHUS MARIA (P.) PORTUGAL, Min. Obs. -
Maria Immaculata cuius in fronte purissima pretiosam auro coronam gemmisque fulgentem Doctor posuit Angelicus. Opusculum a Rev. P. Fr. Josepho Maria Portugal SSmo Patri Nostro Leoni XIII dedicatum et de approbatione ac expresso mandato Illmi D.

D. Josephi Mariae del Refugio Guerra, Episcopi de Jacathecas, scriptum et editum. — Asientos, Typographia Mariana, 1882, in 8° pag. 60.

Joannes (P.) Markovic', Min. Obs. — Papino Poglavarstvo u crkvi za prvih osam viekova povjestns kriticna prouka a Ivana Markovica.

(De Primatu Romani Pontificis primis octo ecclesiae saeculis, *specimen* historico-criticum:) — Zagrabiae 1883.

Adm. R. P. Joannes Markovic, sequentem epistolam a Summo Pontifice, opus praedictum laudante, accepit:

Leo PP. XIII.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Haud Nos latebant, dilecte fili, egregiae animi tui dotes, et alacre studium, quod in te est, catholicae fidei promovendae in istis regionibus atque ab adversariorum iniuriis, opportune editis scriptis, vindicandae. Perspicuo harum rerum testimonio fuit volumen, superiori tempore a te Nobis exhibitum, in quo de Primatu Romanorum Pontificum, octo prioribus Ecclesiae saeculis, agebas, prolatis in medium Sanctorum Patrum, tam graecorum quam latinorum, scriptis. Qui quidem tuus labor tantam doctorum virorum, uti libenter novimus, approbationem invenit, ut VV. FF. Episcopi istarum regionum perhonorificis illum testimoniis prosequuti fuerint, dignumque existimaverint quem ipsi, suis litteris, Clero et fidelibus suarum Dioecesium enixe commendarent. Propterea illud Nobis admodum iucundum accidit, quod superioribus diebus accepimus a Ven. Fratre Simeone Millinovic', quem nuper ad archiepiscopalem Sedem Antibarensem eveximus, aliis te nempe opportunis conficiendis exornandisque scriptis animum adiecisse. Perge itaque, dilecte fili, bene de Religione, de Nobis, de tuis civibus mereri; sitque tibi caelestium omnium munerum auspex Apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XI Novembris an. MDCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri Nono.

Leo PP. XIII.

Eodem die, P. Markovic' titulo et privilegiis Doctoris a S. Sede decoratus est.

Mauro (M. R. P.) da Subiaco. — Vita del Patriarca S. Giuseppe, sposo di Maria Vergine, e Protettore della Chiesa Cattolica, ricavata dalla Sacra Scrittura e dalla tradizione per opera del P. Mauro da Subiaco, cappuccino della Provincia Romana. Bastia, Tipografia e Libreria Ollagnier, 1884. Un vol. di pag. 472. Lire 1, 50. Rivolgersi al P. Archivista Generale, Roma.

Nowicyusz Braci Mniejszych, W Regule Serafikiego osca j Franciszka Pouczony. — Dzielko ulozone na sposób rozmowy dla uzytku Nowicyatów staraniem i pilnoscia o. Maryana z Florencyi. L. T. R.

Przeklad y Wloskiego. Krakow. Druk Wl. L. Anczyca i Spólki, pod zarzadem J. Cadowskiego 1886.

Puccher Passavalli (Mons. Luigi). — Prediche dette al popolo dal P. Luigi Passavalli dell' Ordine dei Cappuccini, Predicatore emerito del Palazzo Apostolico, ora Arcivescovo di Iconio. Milano, Tipografia di Serafino Ghezzi, Via A. Manzoni, Vicolo Facchini, num. 6. 1884. Un volume di pagine 444. L. 4, 50.

Porreca (P.) Min. Obs. **Ref.**
Oracion Apologética sobre el sacerdocio catolico, pronunciada con motivo de la primera misa celebrada por el nuevo sacerdote Fray Julio C. de Alva, por el Padre missionero Apostolico Franciscano Fray Quirico Porreca, en el dia 23 de mayo de 1886 en la Iglesia de San Francisco Solano de la Ciudad de Rio Cuarto, dedicada al señor Don José V. de Alva y a la Señora Doña Carmen L. de Alva, como testimonio de gratitud y aprecio. Rio Cuarto Imprenta de « El Argentino » 1886.

Ubertino (P.) da Chiusi, Min. Rif.
Dieci giorni di ritiramento spirituale all' uno e all' altro Clero della Toscana, e nove riforme dirette alle Monache per Fra Ubertino da Chiusi, Minore Riformato e Missionario del Sacro Ritiro dell' Incontro. — Firenze, Tipografia all' insegna di S. Antonino, Piazza di Cestello, 1, — 1869. — In-16, pag. 894. (Reperitur apud Patres nostros Sacri Recessus de *Incontro* prope Florentiam.)

—

V.
NECROLOGIA

R. P. F. Vincentius Belenguer, piis honestisque parentibus *Las huertas* prope Valentiam Hispaniae oppido, die 5 Aprilis 1815 natus, religioseque educatus, saeculi pompas abhoviens, cum sexdecim esset annorum, seraphicum habitum apud Fratres Discalceatos provinciae S. Petri de Alcantara eiusdem Valentiae humiliter petiit. Voti compos factus, solemnique emissa professione et philosophiae studio absoluto, dum sacris Theologiae disciplinis imbueretur, Europae, praesertim Hispaniae antireligiosis motibus a claustri pace eiectus, Romam proficiscitur, ibique in Conventu SS. XL Martyrum studiorum curriculum complevit. Ad altiora a Deo vocatus, iam Sacerdos, duce Adm. R. P. Mathia Breton, *Sucre,* in Bolivia se transtulit, indeque *Potosi* ad Conventum venit, cuius etiam gubernationem, qua Guardianus suscepit. Paucos post annos, ut erectionem eiusdem Collegii, etiam tum sub Ordinarii iurisdictione manentis, a S. Congregatione obtineret, Romam repetiit, qua obtenta, ad suos (Potosi) remeavit. Infirma valetudine coactus incorporationem huic Collegio postulavit et obtinuit, ubi indicibile dictu quot et quanta pro infidelium conversione pertulerit, quantumque adlaboraverit. At quia Deo erat acceptus, in corpore tentatus, amputationem pedis patientissime sustinuit, et supervenientia mala quatuor annorum curriculo, novus Job, aequo animo tulit. Tandem coelo maturus, cupiensque dissolvi, Ecclesiae Sacramentis rite sancteque susceptis, die 11 Julii 1886, Creatori suo animam reddidit cum vixisset annos 71, menses 4, in religione vero annos 54. — R. I. P.

R. P. Josephus a Conceptione, in Porto di Moz apud Montem Minde, in Calliponensi nuper extincta Dioecesi, nunc autem in Patriarchatu Ulyssiponensi in Portugallia, die 2ª Januarii 1802 natus, Dei gratia praeventus et adolescentia innocenter peracta, Sacris Ordinibus initiatus, Seraphicum Ordinem in S. Antonii de Varatojo Seminario ingressus est. Deinde votis solemnibus post probationis annum laudabiliter transactum emissis, ibidem semper ea, quo Domino promiserat, adeo fideliter reddidit, ut sacerdotali dignitate condecoratus, haud multo post ad difficiliora Missionum exercitia missus est.

Anno 1834, cum omnes Religiosi ex suis Conventibus in Portugallia per impiam nefandamque manum expulsi essent, ipse calices omniaque vasa sacra noctu exportans, in tuto collocavit, et usque ad Conventus recuperationem anno 1864 salva conservari curavit; hac de causa iniuste persecutus, in Montem Minde septem annis, quin sanctum habitum deponeret, solitariam vitam degit. Postea, frigescentibus impiorum animis, in parentum suorum domum cum alio ipsius Seminarii Religioso P. Emmanuele a Conceptione, se recipiens, ibidem religiosa officia, quoad fieri potuit, nunquam praetermisit.

Praestantis ingenii simulque admirabilis simplicitatis vir, orationi semper deditus, non solum sibi, sed proximi quoque saluti studuit. Et quia *caritas non est otiosa,* dum P. Emmanuel Philosophiam doceret, ipse latinam linguam, tunc temporis in oblivionem prolapsam, gratis docuit, in Collegium domum suam convertens, ut plus octoginta discipulorum quotannis fere numerare potuerit.

Quot ex hac caritatis schola bene instructi prodierunt alumni! Quam numerosi sacerdotes in hac regula morum ad statum ecclesiasticum formati, qui Ulyssiponensem Conimbricemem Ecclesias suo bono exemplo honorant!

Labente iam vero trigesimo expulsionis anno, cum R. P. Joachim a Spiritu Sancto Varatogenensem Conventum ab usurpatorum manibus vindicaverit, statim illic Fratribus P. Josephus se adiungere voluit; sed desiderii sui executionem differre debuit, ne comitem suum P. Emmanuelem, gravi morbo laborantem, relinqueret. Mortuo autem venerando comite, mox anno 1875 in Varatogensem Conventum remigravit, ubi a Fratribus ingenti gaudio receptus est.

Regulae observantissimus, Superiori prompto semper totoque animo obedivit. Amans nesciri et pro nihilo reputari, se omnibus

muneribus indignum putabat; quapropter Novitiorum Magister electus adeo moestitia confectus est, ut ab Officio dispensari necesse fuerit! Tandem vertigine quidem levi, sed de die in diem percrebescente laborans, quin Missam per integrum annum celebrare posset, pneumonis febrili morbo correptus, placidissime obdormivit in DOMINO die 31 Octobris anni vertentis diebus meritisque onustus R. I P.

Fr. PASCHALIS PACE, Laicus votorum simplicium Obs. Prov. SS. Trinitatis, in Rep. Chilena, die 16. Septembris elapsi obiit in Conventu S. Jacobi (Santiago). Sacristiae curae praepositus, pietate erga SS. Eucharistiae Sacramentum emicuit, ac ipsomet hiemis tempore circa Tabernaculum flores multiplicare studuit. Quotidiana fere communione quum reficeretur, tanto fervore ardebat, ut lacrymis perfusi eius oculi conspicerentur. Ante altare SS. Sacramenti transiens tam demisse et reverenter genuflectere solebat, ut aliquando quidam extraneus adstans exclamaret se nullum unquam vidisse sacristanum, qui adeo devotam genuflexionem faceret. Brevi morbo consumptus et ultimis confortatus sacramentis, Confessario petenti an vitam suam offerret pro S. Matris Ecclesiae exaltatione, pro Religionis et patriae incrementis, affirmative ultro respondit, et vix quatuordecim horis exinde transactis, iunctis manibus, piissimam animam exhalavit. Florum fasciculi circiter quadraginta qui in altari aderant, licet a septem diebus renovati non fuerint, virentes adhuc et suavi odore fragrantes post eius mortem permanserunt, quasi omen et signum animae in caelesti viridario assumptae.

ERRATA HUIUS VOLUMIMIS

—

p. 22, col. 2, lin. 4 *Engelbertus Holland,* lege: *Kollat*.

p. 63, col. 2, ultima linea: *Sie-tehesu* lege: *Sie-The*...

p. 67, col. 2, lin. 25 *Ronvecchius,* lege: *Bonvecchius*

p. 84, col. 2, lin. 13, *Carolus Mattionda,* lege: *Mattiauda*.

Ibid. *Bonaventura a Cordito* lege: *a Cardito*.

p. 125, col. 1, lin. 14, *Xantung-Tiuanfu,* lege: *Chan-tong Tsi-nan-fu*.

p. 127, col. 2, lin. 7, *Ti nan fu* lege: *Tsi-nan-fu*.

p. 128, col. 2, lin. 5, *respetivus* lege: *respectivus*.

p. 131, col. 1, penultima lin. *Clevedan*, lege: *Clevedon*.

p. 132, col. 2, ad finem *conlegii*, lege: *Colleg*...

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

TABUL MATERIARUM

PERIODICI

ACTA ORDINIS MINORUM

ANNO 1886.

—

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA.

II.

ACTA ORDINIS

III.

Missiones

IV.

Varia

V.

Bibliographia

VI.

NECROLOGIA

INDEX ALPHABETICUS

ACTORUM ORDINIS

QUINQUE ANNOS SEU VOLUMINA HACTENUS EDITA COMPLECTENS

NOTA. In hoc Indice prior numerus romano caractere expressus annum, arabico vero, anni paginam indicat.

A

B

Eligius Cosi, Vic. Ap. de Chan-tong IV, 32, 76.
Mamertus Esquiù Ep. Corduben. (in Rep. Arg.) II, 87.
Aloysius Filippi, Archiepisc. Aquilanus I, 47.
Aloysius Lembo Episc. Cotronen. II, 149.
Antonius M. Pettinari, Archiep. titul. Palmyren V, 115.
Angelus Pianori Episc. III, 108.
Iosephus Rico, Ep. III, 104.
Bonaventura Rizo, Episc. Saltensis IV, 14.
Leopoldus Santanchè, Ep. Fabrianen. II, 56.
Antonius Vincentius Testa, Episc. Signinen. II, 119.
Eustachius Zanoli, Vic. Apost. Hou-pe orient. II, 135.

Ex-Procuratores Generales

Bernardus Van Loo, ex-Proc. Gen. Rec. et Disc. IV, 47.
Donatus Antonius a Corde Iesu, ex-Proc. Gen. Disc. et Recol. V, 84.
Georgius Piga, ex-Proc. Gen. Obs. IV, 143.
Protasius ab Atina, ex-Proc. Gen. Ref. I, 15.
Saturninus a Modiona, ex-Proc. Ref. III. 111.
Wenceslaus ab Aesio, ex-Proc. Gen. Ref. IV, 15.

Ex-Definitores Generales

Aloysius a S. Romulo, I, 15
Antonius a Mellisconcha I, 16.
Irenaeus a Planis, ex Secret. Gen. I, 15.
Ioannes Bapt. ab Amastra II, 35.
Ioannes Carloni a Castelplanio II, 150.
Pacificus ab Arcolis IV, 62.
Theodorus M. a Cariniano II, 36.
Thomas ab Urbe III, 148.

Ex-Ministri Provinciales

Aloysius a Neapoli, Ref. Neap. II, 207.
Antonius a Caserta, Ref. Neap. III, 48.
Antonius Maria a Vicetia, Ref. Venet. III, 162.
Antonius Millan, Obs. Castellae Novae III, 180.
Augustinus a Plataco, Obs. Calabr. III. 112.
Arsenius Niedrist Ref. S. Leopoldi V, 147.
Bartholomaeus Vecerina, Ref. Croatiae I, 144.
Bernardinus a Caprarola, Obs. Rom. III, 16.
Bernardus de Gypso, Obs. Aprutii II, 34.
Bonaventura a Casauria, Ref. Neap. IV, 112,
Cherubinus a Forigio, Obs. Neap. I, 15.
Daniel ab Aesio, Ref. Marchiae III, 180.
Dionysius Abarth, Ref. Cust. Cincinnaten. II, 56.
Epiphanius a Cadrobbi, Ref. S. Vigilii III, 64.
Eugenius Schoenherr, Ref. S. Leopoldi II, 19.
Firminus a Vellero, Obs. Taurinen. II, 150.
Franciscus ab Urbe, Ref Romanae IV, 111.
Franciscus Xav. Lohbauer, Ref. Bavar. IV, 77.
Fulgenti s a S. Andrea, Ref. S. Bern[illegible]
Gregorius a Genua, Obs. Genuae II, 170.
Henricus Mera, Ref. Quitensis I, 128.
Hyacinthus a Maria Virg., Disc. Neap. I, 23.
Ignatius Zanetti, Ref. S. Vigilii I, 191.
Illuminatus de Lauro, Obs. Neap. I, 144.
Ioannes a Morassi, Ref. Genuae III, 112.
Ioannes Petrus Alberti, Obs. Taurin. IV, 127.
Iosephus Anton. a Massa Macin. Ref. Cust. Lucensis I, 15
Ioseph Maria Munil'a, Obs Burgensis III, 215.
Ioseph M. Zennari Obs. Venet. V, 19.
Iulianus Peña, Obs. Castellae Novae, III, 195
Landulphus Matkovics, Obs. S. Ladislai I, 63.
Leopoldus a Castelletto, Obs. Genuen. II, 88.
Lucas a Iesu Christo, Disc. Lycien. I, 15.
Marianus a Velitris, Obs. Romanae II, 72.
Michael a Massafra, Obs. Lycien. IV, 144.
Michael a Marchiano, Ref Neap. V, 162.
Nicolaus Krilic', Obs. Bosnae V, 116.
Otho Iair, Ref. Cust. Cincinnaten. IV, 112, 127.
Paschalis ab Aversa, Obs. Neapol. I, 191.
Philippus a Gualdo, Ref. Cust. Lucen. IV, 127.
Philippus a Mauroforti, Obs. Basilicat. IV, 159.
Philippus Maria ab Asylo, Ref. Venet. I, 144.
Prosper a Partina, Ref. Thusciae I, 63.
Raphael ab Angelo Custode, disc. Lycien. I, 63.
Rochus a Cancellaria, Ref. Basilic. IV, 32.
Vincentius a Iennis, Ref. Romanae IV, 176.
Vincentius Salinovic', Obs. SS. Red. III, 215.

Sacerdotes

Aegidius Spada a Valderio II, 20.
Aloysius Matinelli II, 185.
Aloysius M. Zanioli II, 186.
Aloysius Rossius IV, 176.
Alphonsus a S. Leolino V, 162.
Andreas a Derthona V, 100.
Andreas a Pileo III, 112.
Angelus Miletic' I, 95.
Angelus M. Ioseph a Ginestas V, 180.
Antonius a Calentiana V, 68.
Antonius Montaldius V, 68.
Antonius Nori a Monte Maiori IV, 32.
Augustinus Bonvecchius V, 67.
Benedictus a Recineto III, 32.
Bernardinus Abaca IV, 78.
Bernardinus Ammirati IV, 63.
Bernardus ab omnib. Sanctis V, 84,
Bernardus a Giuntoli V, 52.
Bonaventura a Cardito V, 84.
Bonifacius Oomsels V, 180.
Candidus Risordi III, 180.
Carolus Dondi ab Arce Grimalda V. 67.
Carolus Matiauda V, 84.

Laici

E

F

G

H

I

Q

R

S

T

V

Z

	DATE DUE		